C. B. A

R. P. EMMANVELIS DE NAXERA

In Iosue COMMENTAR.

TOMVS SECVNDVS.

IN IOSVE HOSTILIBVS REDIMITVM TROPHÆIS COMMENTARII LITTERALES, MORALESQVE.

AVCTORE
R. P. EMMANVELE DE NAXERA
TOLETANO, SOCIETATIS IESV, OLIM
in Collegio Complutensi sacrarum Litterarum interprete, nunc
in Matritensi pro Scholis Regiis Politicorum Magistro.

TOMVS SECVNDVS.

Cum quatuor Indicibus. I. *Paragraphorum moralium.* II. *Ad Conciones copiosissimo.* III. *Sacræ Scripturæ.* IV. *Rerum & Verborum.*

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON.
M. DC. LII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

D. LVDOVICO MENDEZ DE HARO,

DVCI-COMITI DE OLIVARES,

MARCHIONI DEL CARPIO, &c.

REGII STABVLI SVMMO PRÆFECTO,

PHILIPPI IV. AB ARCANIS CONSILIIS, EIVSQVE PRIMO ADMINISTRO.

GENEROSI Principis typum, magnanimum Iosuam in lucem secundo hoc volumine prolaturo nec minima dubitatio subiit, quin eius nomine insigniri oporteret, qui illius sapienti ęmulatione conspicuus euaserit: oportet enim, vt inde virtus nomen desumat, vbi à virtute desumptum est nomen, ibíque Iosuas inueniat laudem, vbi imitationem inuenit, illíque dictum prodeat tantum magnanimitatis exemplar, in cuius animo exacta sapientiæ penicillo eiusdem virtutis lineamenta conspiciuntur. Facilè hæc signa, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, Tui no-

minis tutelam huic operi expetendam demonstrabunt; cùm in Te vno supparem Iosue magnitudinem, non sine admiratione, nostri homines contemplentur: vnde si Pythagoricæ opinationes fidem nostro sæculo facerent, arbitrari proculdubio liceret, in te Iosue animum, non sine solerti prælectione transmigrasse, cùm tam Augustum templum nec Heroi inhonestum esset ambire, nec nobis Tuam magnitudinem intuentibus maius aliquid credere; verùm cuius animus non obtigit, spiritus contigerunt: ita enim eius mores hausisti, vt mihi animorum cognationem, saltem ex hoc titulo, persuadeam. Est inter animos sua consanguinitas, multíque genere dissiti, animis videntur agnati: quia sæpè magnanimos, quos sanguinis distantia separat, virtutis affinitas coniungit. Iosue igitur, qui ad alienos accedere trepidaret, ad Te sua sponte properat deuenire. In te fortissimus quisque alacrem Patronum reperit, viríque strenuè contra fortunam eluctati in Te fortunam inueniunt, cuius extra aleam positus ita Tibi obsequentem effecisti, vt dignis munere placeat, ne Tibi Domino displiceat. Propterea querela Sapientium antiqua, cur bonis contingant mala? à prudentium cœtu exclusa omnino deinceps exulet. Te huius litis arbitrum fortuna nullo ex sapientibus reclamante constituit, & obtenebratos tandem tandem aperiens oculos eum sibi probat, qui tam integro se probauerit iudici, obtinuítque prudenti consilio, vt potiùs quisque de inertia, quàm de fortuna queratur, cum eam bene de se meritam sentiat, qui bene de Republica sit meritus. Hinc omnes ad ardua instimulati decernent virtutem potiùs, quàm fortunam captandam, cùm ad honorem Te suffragante compendiariam in virtute deprehenderint.

Doleret itaque Iosuas, si Tuo careret patrocinio, & suam felicitatem deploraret, si ad frequentissimum virtutis asylum sibi aditus prohiberetur: & quidem iniquum foret, vt vbi quisque probus inuenit gratiam, Iosuas pateretur repulsam; sed benignitas Tua, qua alios soles excipere, etiam dubitantis animos confirmaret, spem erigeret, metúmque veneratione conceptum Tua facilitas propulsaret. Tam celeri profectò gradu in Tuam properat tutelam, vt non pro munusculo misisse credar; sed in Te vltrò abeuntem permisisse: suo ipse genio Te in tutelarem Dominum efflagitat, vt ego non Tibi putem hoc xenium dare; sed ipsi operi concedere.

Admissus autem suo prope iure in Celsitudinis Tuæ penetralia me etiam nec timentem Iosuas vt vmbram inducit. Accedo sine temeritatis nota pietatis commendatione securus. Si enim templa adornare, & coronas minimo cuíque licet aris appendere, cur non & pietati obsequi videar, cùm ipsos ingenij census velut in sacrum Numinum ærarium ingenua deuotione contulero? Exulat timor ab amoris regno ad suspicionis insulam relegatus: meticulosum silentium increpat fides, metúmque despicit cultus, vt illegitimum reuerentiæ filium. Non Tuæ magnitudini mihi conferenda est doni exiguitas; sed Tuæ benignitati, vtpote quæ eò magis notet, quò viliora patitur munera. Aperiente viam comitate Tua, quæ nulli præclusit

clusit aditum, ingentis animi Tui clementia, qua omnium animos rapis, vt hæc Tibi, quamquam minima, nuncupem, persuasit: quippe cum ex eadem radice fides adolescat & ausus, ipsum audere permittit, quod amare cogit: pietas ergo Tua, quæ amorem erga Te omnibus indit, mihi etiam audaciam procreat.

Cæterùm Tibi gratias aget posteritas, quòd pulchro exemplo dominationem reddideris sine supercilio decoram, Te sine inuidia magnum, & me sine periculo veracem. Quæ non mirabitur ætas tam expeditum in implicitis animum, in arduis facilem, in maiestate humanum, in seueritate hilarem, & in Reipublicæ fastigio ciuem magis, quàm dominum? Cuiusnon mulcebit aures tam dulcis omnium virtutum concentus? Cuius non rapiet oculos adeò amplum, & cum venustate sacrum virtutum domicilium? Virtutes, quæ vbique gentium palabantur extorres, in Te vnum confluxere, ibíque non vitiorum confinio taminatæ tamquam in propriis sedibus commune exercent imperium, eásque intra sapientiæ metas ita sine vitiorum contagione continuisti, vt eis etiam modestiam copulaueris. Modestiam, inquam, aduersus quam mihi eluctandum, & meritò; si autem incorrupta simplicitatis meæ blandimenta fastidis, Tibi imputa quod merueris: hæc culpa in te sita est, cùm talis ac tantus sis. Te humanum fastigium facilè prætergressum, quamuis sine fine, non sine causa laudabo; verùm si crimen id putare licet, hanc noxam contraxisti, dum magnitudine Tua ad honestè Tibi assentandum omnium animos inuitasti. Patere ergo Princeps amantissime, pulchram pro veritate petulantiam, cùm ita semper feceris, vt Tibi securum, nobis sit liberum scribere, quod libêret; sed ô veritatis fatum iniqua sorte nascentis! Quæ aliis assentatio, aliis iniuria obaudit, scilicet, propter modestiam probis, propter conscientiam prauis; non tamen delitescet, nec superbiæ minis, nec modestiæ rubore perterrita; imò fortunatæ laudes, quæ cum dolore audiuntur, ab iis solùm improbatæ, quibus debitæ.

In ancipiti sanè distineor: Tu nimium, cæteri parcum incusabunt; ast hæc tacere Tibi gratum, inglorium tamen mihi silentium erit. In his ergo hoc temperamentum seruabo, vt Tua potiùs exempla, quàm studia mihi intuenda proponam. Te alienarum laudum integerrimum assertorem experior, in remunerando gratissimum, in præmiis impertiendis largum: igitur à Tua modestia iudicium appello: nec timendum est, quòd illi displiceam, dum huic satisfaciam: nec enim tantopere mihi considerandum est, quid vir optimus in præsentia velis, quàm quid posteritas sit probatura. Nefas vtique esset Tibi negare, quod cæteris impertiris: liceat ergo mihi gloriæ præmia ea parte, qua licet, Tuæ dignitati conferre; alioquin querulus conclamarem, si communem litteratis huius sæculi felicitatem Tua comitas impediret. Achilli Alexander inuidebat, quod illustribus factis encomiastes contigisset Homerus, suæ felicitati requirens virum eximium, qui laudum vectigalia pro diuite ingenij censu persolueret; sed iustius Poëta sæculo nostro inuideret, quod adeo amplam in Te ingeniorum gloriæ mate-

riem ſine Græci mendacij diſcrimine ſortiatur. Viri litteris illuſtres non minus ab ſcopo, quàm ab ingenio æternitatem ſunt conſecuti. Achilles, Æneas, Cæſar, Theodoſius, Homerum, Maronem, Lucanum, Claudianum Heroicum perſonare fecerunt: & quidem nos etiam oportet noſtram immortalitatem cogitare : nec vitæ breuitatem caducis fatigare laboribus. Captanda eſt gloria, ſi non à litteris, ſaltem ab incœpto, litterarum non contemnendo fortunam, quibus hac ætate contingit tanto viro nobilitari. Liceat ergo litteratis omnibus Tuas laudes veluti propriam hæreditatem adire: nec in alienam meſſem falcem immittimus, cùm gloriæ Tuæ magnitudinem ea parte, qua fruimur, oſtentamus, vt potiùs videamur propriæ, quàm alienæ gloriæ conſulere,

Reſtat tamen nobis communis querela, quòd vnde Tibi gaudium, mihi dolorem ſuccreſcere neceſſe ſit: gaudebis enim multa ſupprimi, quæ mens oratoris non capit, cùm tam Tibi ambitio, quàm mihi eloquentia deſit; ſed hinc maximè Tuis laudibus anſam arripiam: tum quia gloriam quò magis generoſo contemptu deſpicis, in Tui proſecutionem ardentiùs excitas, meritorum enim fama eo gradu ſpernentem amplectitur, quo ambitiosè captantem fugit, & igneus eiuſdem amor, quò fortiùs aurâ contemptus impetitur, vehementiùs inflammatur: tum quia ignitus voluntatis ardor intellectus lumen augebit: amoris namque nobilis flamma emicat ſine fumo, qui diſcurſus caliginet oculos. Quid ſi ceciderim voto? Laus ſaltem erit & gloria in incœpto magnum aliquid cogitaſſe. Prætereà encomia non rhetorum eloquio fucata; ſed quæ oratoris proferat ingenua ſimplicitas, meliùs audiuntur, & audiunt: vt ad fidem felicitatis aliquando ſit ingenium ſortiri infelix. Arrideat ſaltem ex hoc capite fortuna; dum tamen audire non pudeat, quæ feciſſe gloria eſt. Multa & magna breui oratione complectar, vt inuidiam fuſiori calamo, mihi ſolamen conflaturus videar. Hæc dixerim tempori potiùs indulgens, quàm cauſæ diffidens; curaui nihilominus, ne præconia importunè conclamata integerrimam fidem labefactarent: ideò cauſidicum egi, oratorem acturus: quoniam laudes alieno tempore expromptæ non tam Patronum commendant, quàm laudantis famam lædunt. Verùm mihi gratulandum eſt, quòd is Patronus obtigerit, cuius opera mendacium oratori non exprobrent, cùm egregiè factis ſapienter obtinueris, ne Tui Commendatores vnquam mentiantur. Quid namque gloriæ adulationis aſtus excogitabit, quod veritatis non comperiat integritas?

Prodeat ergo veritas ſemel ſine verecundia nudata, nec pudeat in theatrum orbis deſcendere, quæ nihil turpe offerat ſpectantibus: prouocet in certamen inuidiam, ſi fas eſt diuina intra eius ſphæram contineri; quin potius merita hanc confeſſionem renitenti exprimat, ſicut propter abiectionem multa, ita propter celſitudinem non pauca eius ſubterfugere liuorem. Natus es in eo dignitatis gradu, quem ſi ſaperet inuidia, impetere dubitaret: adoleuiſti, vt timeret, & denique ita auctus es, vt deſpondens animum

mum penitus diffideret: ab ipsis incunabulis futuram magnitudinem præsagientibus demonstrasti, primæque ætatis floribus Hispaniarum spem ad opimos sapientiæ fructus luculenter inuitans, in teneróque corpusculo ostendens animum, qui viris sufficeret,&,si per ætatem liceret,Reipublicæ adeundæ capacem, amorem veneratione temperatum, veneratiónemque amore lenitam ita Tibi conciliasti,vt olim prudentium rimarentur obtutus futuri splendoris scintillas, quæ vltra pueritiæ gloriam omnium sermonibus præclarè versabantur. Prouidit solers natura, vt viri saluti Reipublicæ nati ante maturitatem eam ostentarent indolem, cuius gratia gestorum gloria crederetur Heroibus penè non tam accedere,quàm innasci. Habent suam virtutes infantiam;quæ tamen non obscurè dignitatem indicet,quousque in immensum coalescentes pro corporis capacitate latiùs earum diffundatur splendor: arborum quidem tenerarum instar,quæ à primis foliis specimen natiuæ vbertatis ostendunt, ingentes animi pueritiæ angustiis coarctati suam vaticinantur magnitudinem.Is genius splendoris est,vt nunquam in occulto sit,nullibi ignotus, quia nunquam obscurus, vbique conspicuus,quia semper emicans: nec hoc crimen natura dilueret, si euentibus signa discordantia proferret,cùm impudentis mendacij palam conuinceretur,si cætera prouidè,id verò quod præcipuum est,incuriosè prospiceret.

Animi Tui impetus spontè nascentes timuit iamdudum fortuna prudentibus consiliis eluctanda:hilaritatem Tuam suspiciebat vrbanitas,innatam pietatem comitas: clementia, & humanitas,in quas tandem adoleuit, amicè copulabantur. Adhuc Cyrus pastore putabatur genitus, cùm in æquales tyrannidem vsurpans indomitum animum, qui totum Orientem domuit,peruium intuentibus reddidit.Alexandri Macedonis intempestiua securitas, & maior ætate audacia,fortunatam, superbámque indolem prodidit. Vticensis Cato annos contumaciâ præuertens, grauíque supercilio puerilia blandimenta perstringens expertos Latinorum legatos magis obductâ fronte perterruit, tamquam in seueræ rigiditatis auspicium,qua ipse deinde tota vita inhorruit. Alia tamen longè dissita in Te Augustum animum vaticinia auspicabantur, Cyro, Alexandro, & Catone potiorem,vtpote non in calamitatem Reipublicæ natum; sed in salutem: non illorum exemplo, qui vacuum mortalibus orbem reddidere, vt eorum superbiam caperet. Eo quidem viro Respublica indigebat, qui lenitate & prudentia exulceratis vulnéribus mederetur,& qui se nec nimis obliuisceretur hominem esse, nec vltra modum meminisset. Oris cum grauitate decor, grauis sine superbia incessus, nihil immodicum,nec inflatum,nihil temerè,omnia temperatè,tunc leuitatem animo abesse; nunc verò tantam sapientiam fore non obscuris indiciis demonstrabant.

Accessit prudentissimorum parentum opera in Tui educationem impensa, vt qui filium non tam in patris, quam in patriæ incrementum alerent, quorum etiam cura eo laudabilior,quod non solùm Tibi; sed cæteris erat Hispanis profutura. Semina & fundamenta virtutum intimis gnati

affecti

affectibus sic insinuanda curauit, vt de tuis virtutibus dubitemus, naturâ, an præceptis acceperis:nam dum Te illustribus factis,speciosísque tam propenso animo delectari experimento cepimus,ingenitam bonitatis naturam auguramur; ast dum pientissimi patris documenta recolimus, multis ei ornatas laudibus gratias referimus. Vtrumque tamen præstitit sors,vt partim naturâ, partim documentis instructus amplius gloriæ perciperes: præscius enim futurorum Deus totam tuam indolem inconsultæ naturæ non permisit, vt Tibi virtutes liberam electionem deberent, & tanti viri suffragium aduersus vitia confidenter ostentarent. Tibi autem gloriari licet tantum, quod illis exhibuisti, obsequium non irritum cecidisse: virtutes enim,quas sedulò coluisti, animum tuum libenter excolunt, & ita generosam rependunt vicem,vt nouo beneficij genere obstrictæ honorem sibi exhibitum in Tui ornamentum conuersæ nobili commendatione persoluant. Nec in libertatis alea Te totum natura exposuit; sed veluti obstetricum manibus tenera infantium corpuscula membrorum elegantiam accipiunt, animum Tuum natura effinxit certa & in futuram ætatem mansura imagine; ita verò inchoata, vt arbitrio locum relinqueret,dummodò in perfectionis complementum suopte genio niteretur voluntas. Tu sanè, cuius animum nulla adulantium vitiorum promissa solicitarent, aut saltem non promouerent, quidquid iudicio præceptoris turpe, cùm nullis prætereà Tibi lenociniis commendaretur, facillimè proscripsisti,& cùm eorum blandimenta, deliciásque contemneres,quo armorum apparatu fortissimos alioqui viros sibi fecerunt obnoxios, penitus vitia exarmasti, & ita inermia facilè tibi profliganda venerunt.

Quæ cùm ita sint, neutiquam mirandum est, quòd his inuitata splendoribus Te puerum aula experiuerit Regia, vt omnia ad speciem publicæ hilaritatis ibi composita Tua seueritate temperares. Verùm in illo freto, vbi multi naufragium, portum feliciter inuenisti. Sed quibus fluctibus impetitus? Iis videlicet,qui pessumdatâ multorum fortunâ,in profundum traxere, atque inter meticulosam spem suspendentes animos, plures incautos paucorum exemplis inuitant, quàm prouidos multorum calamitate deterrent. Non temeritate fortunæ; sed sapientiæ consiliis è tanto pelago emersus, tum in documentum felicium, tum in miserorum pudorem, docuisti quemlibet suæ sortis ratem, ita & moderatorem esse debere: quem si quisque sapientem se præstiterit, aut destinato non orbabitur accessu, aut sine infortunio saltem ad securum littus appellet. Non reliquis imperitando; sed potiùs libenter obsequendo; ita tamen cautè, vt obsequium non in sordidam assentationem declinet; sed ad vrbanitatem accedat: etenim vbi tot circumstant pericula, timendum erat, ne nimia comitatis indulgentia ambitiosæ humilitatis ingereret suspicionem. Adolescens autem sapientissimus inter aulicos fluctus & procellas, qua licebat, vitabas vndas, quas tot naufragia proscripserunt infames, neminem scilicet damnando,sugillando neminem,etiam inferioribus cedendo, virtutes aliorum commendatione,

vitia

vitia nec laude prosequendo, nec morsu, ne deteriora exempla virtutes probata dolerent, aut illorum, vel iniustè, irascerentur auctores. Ita nec virtutum pudorem, nec vitiorum iracundiam prouocans bonorum amorem sine prauorum odio meruisti.

Solerter vtique prudentiæ bolide, alti pelagi profunditate tentata, qui scopuli, quæ arenæ, quæ breuia Tibi forent deuitanda, percalluisti, ne tanquam ventorum, fluctuúmque ignarus tam infido elemento te committeres, cuius inconsulta iactatione, qui euadit incolumis, improuido potiùs fato, quam innoxiæ calliditati prudentiæ salutem suam referat acceptam. Inuidiam; quæ apud aulicos magis in vsu, quàm in crimine est, modestia tua cuiuslibet ostentationis, & superbi fastus expers vel liberali vrbanitate obstrictam, vel sapientiæ consiliis deceptam in Tuæ dignitatis suffragium traxit. Est quidem sapientiæ genus non nimis aliquando sapere; imò stultitiæ conuincitur intempestiua prudentia, cùm constet neminem magis sui esse memorem, quàm qui in tempore obliuiscitur. Cæterorum laudibus indulgens, dum propriæ gloriæ parcebas, spontanea omnium promerebaris encomia: nullus quippe meliùs sibi consulit, quàm qui cæteris prouidet, cùm nihil aliud gloria sit, quàm in reliquos meritorum fama. Viri sapientes hoc generoso laudis vtuntur stratagemate, vt tot linguis laudentur quot aures mulcent: etenim audiunt bene qui & loquuntur: nam vel stultissimi perspicuum habent sua interesse laudatoris gloriam, quasi fata voluerint, vt sordidiores animi inuiti, vel saltem ignari digniorum laudes afferant, dum meditantur suas. Qui sine versutiæ nota virtutis astus gloriam sibi debitam, etiam à nescientibus extorquet, efficítque vt ingrati ipsi gratitudinis exequantur munia.

Est eadem natura laudis in alios effusæ, quæ vocis in caua saxa prolatæ: pro singulis resonante echo multiplices referuntur, nec pro vnius tantùm singularitate proferentis; sed pro saxorum numero pluries verbi reflectunt imagines. Quòd omnibus probabaris, dum neminem incusabas, fœnora reputa, & modestiæ census: messis erat & fructus virtutis labore comparatus: quòd æqualibus (si qui fortasse) acceptus eras, quòd nemini inuisus, quòd omnibus tam gratus, quàm beneficus, hoc totum propriè Tuum dixisse liceat; vnum tamen fortunæ non negabo, quòd is Tibi Princeps colendus obtigerit, quem nunquam imitari puderet, apud quem virtus in pretio, & supremo quidem: quid enim maius tanti Principis gratiâ solùm virtutis fulgore coëmpta? Ad aulicas tantæ amicitiæ nundinas nullas potiores virtutibus sarcinas comportarent, si vbique gentium adeò pretiosæ mercis emptores crederent, hoc solùm pretio venumdari. Sed felix Hispania sub domino, quo imperante virtutes sunt felicitatis argumenta: subeunt etiam virtutes fortunam, vt nihil sit, quod eius subterfugiat imperium. Aliquando eadem sors virtutis, quæ nunc impietatis fuit: Maiestatis postulabatur, qui Principem suis moribus videbatur arguere, iidémque pessumi putabantur qui & optumi, tandémque in crimen transibat virtus. Non

alij

alij amicitia digni, nisi paribus taminati sceleribus, quos sui testes oculi non erubescerent; sed voce & opere assentari experirentur: criminum paritas stimulabat audaciam, nec intuentium verebantur oculos pari vulnere saucios,& simili cruore natantes. Dederunt autem nobis Principem fata,quem si natura negasset, quæsiuisset electio, qualem sanè hæc desiderabant tempora repetito exemplo infidelitatis infamia, prouidente videlicet Numine, ne apud posteros criminum infamiam eleuent, cùm nullam prætendere possint scelerum causam sub optimo Principe in superos pientissimo pariter & in suos, virtutis integerrimo assertore, & nobilitatis æstimatore egregio: quare Te virtutibus similem,cùm eximia nobilitate commendareris, procliue fuit amare: ex duobus alterum ad amplissimam sufficeret gloriam; sed vtrumque oportebat ad Tuam.

Progenitores Tui, qui in obscura antiquitatis nocte fulgentia sydera micant præclarum omnino redderent; non tamen Tui splendoris magnitudinem vndequaque complerent: nobilitatis enim, quibus influunt, radios animi tui felix virtutum vbertas effecit illustriores, feracis telluris instar,quæ non solùm benignâ cæli temperie; sed innata glebarum felicitate pinguescit. In Te quidem contemplamur tam nobilitatis exordium,quàm complementum: maiorum enim intaminata nobilitas ex Te vno posset incrementum accipere; imò & originem ducere: ex Te, inquam, qui eorum præclarum decus tam illustri splendore compensas,vt dubitandum sit, maioremne ab atauis gloriam acceperis, an reddideris. Sed nec temporis anteacti longinquitas obstat, quominùs ausim dicere nobilissimos parentes Tuæ gloriæ claruisse fulgoribus. Arbores quidem ex fructuum nobilitate potiùs quàm ex virore frondium, aut radicum profunditate pensamus: & quoniam ex calybis collisione scintillas exprimi comperimus, nescio quid ignitum, & ardens in silice rigente concipimus. Præclari fontes fiunt ex fluminum celebritate manantium,vt mirandum non sit parentes ex pignorum magnitudine beari. Præcipua splendoris laus Soli tribuitur; lux tamen antiquior; sed cuius nobilitas Solis tantummodò radiis emicat: iunior Sol; sed splendidior lucidâ pietate almam genitricem honorat;quæ prorsus obscura maneret, si tantus lucis fœtus non subsisteret, obscura, inquam, quia ignorata; ignobilis,quia nunquam notesceret. Quid luce præclarius? præclarior tamen à pignore: quid syderibus pulchrius? quid astris nobilius, quæ per tot spatiorum interualla à mortalium oculis seposita tam ipsa distantia ab aspectus familiaritate semouet, quàm venerationi coniungit:stillas gloriæ dixeris, aut saltem Dei inaccessibilis iubaris indicia non obscura; Sol nihilominus, quamquam terræ propinquior, & magna ex parte illis syderibus minor, ad instar fontis perenni luce manantis,radios, quibus fulgent, immittit, pulchritudinem, qua decorantur, per reflexionem impertiens. Proaui ergo Tui, qui veluti astra in nobilitatis Hispanæ firmamento rutilant,amplissimæ Tuæ gloriæ repercussu amplius & amplius renident.

Posterior Saturno Iupiter; sed maior paternam (vt antiquitas finxit, diuinitatem

uinitatem

unitatem sanciuit, sed ne ab alienis & fictis, vbi proxima,& vera suppetunt, petamus exempla, in nostro Iosue retrotractæ nobilitatis documentum perspiciamus. Inter vltimas ægritudinis molestias conflictabatur Iacobus; amplius tamen pungebat sobolis amor, quàm corporis dolor: sui ergo potiùs quàm suorum oblitus animum, qui mox profecturus parabatur, totum in pignorum accrementum impendebat; præualens autem pietate permixta gratitudo Iosephum reliquis fratribus anteposuit, qui patris amore potiùs quàm nuntio excitus extemplo accurrit, in parentis amplexum ruit, animum, qui iamiam dilabebatur, quatenus licebat, brachiorum nexibus implicans: opportunum obituro solamen nisi quod inter vltimos affatus magis ac magis non poterat non dolere, quòd postremi essent, & quòd tam dulci pignore non vltrà liceret frui. Sed posteritati consulens Manassem & Ephraimum, quos sibi designauerat filios pro iis, quæ Iosephus benefecerat, ad eis benedicendum expoposcit, quibus libenter oblatis,& pro parentis voto dispositis, qui eumdem dignitatis ordinem, quem ætatis habuissent, seruandum censuerat, Manasses primogenitus ad dexteram; Ephraimus autem ad Iacobi læuam compositò locatus est. Verùm senex futurorum prudens manibus consultò mutatis dexteræ impositione Ephraimum natu minimum germano anteferens Iosephi perculit animum, qui errorem putans, quod consilium erat, propheticum senem imprudentiæ postulat, & amica libertate audacior, quòd vtrumque decussatis contingeret manibus temeritatem incusat: ad quæ opportunè Iacobus mysterium reuelans inquit: *Scio fili mi, scio*, & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur; sed frater eius minor maior *erit illo.* Sed quare maior? Non quidem parentis affectu, qui primogenitum prælatione spoliatum dolebat; non matris inæqualitate nobilioris, cùm ex eadem fuerint prognati; non prolis fœcunditate, cùm ne id quidem Manasse denegetur. Attamen nobilitate maior, sobole illustrior, adoptantis prælectione felicior.
Abulens. *Maior* ille erit in honore & dignitate. Hoc patet, quia Iosue, qui introduxit populum Israel in terram promissionis, fuit de tribu *Ephraim.* Et infrà: Fuit autem Iosue gloriosior,& beatior inter omnes duces Hebræorum, nec fuit quisquam tam fortunatus, quod ad magnam gloriam tribus Ephraim *redundabat.* Hæc Abulensis. Ecce auctor familiæ tot antè sæculis nepotis nobilitatus amplitudine, vidéque retrogradâ illustri factorum gloriâ à posteris progenitóres clarescere.

Sunt quorum gloriam nulla circumscribat ætas, nulla tempora complectantur, quorum nec æternitas, quam parauere, nec posteritatis laudes amplitudinem capiant: quapropter prouidentiâ Numinis factum est, vt præclarissimi viri in tutelam Reipublicæ nati eximios sortirentur maiores, vt suspicandum veniat, Heroës ante vitam nasci, paríque ratione mortis transgredi terminos,& natalis exordia præuenire: nec enim difficilius est citra vitam nasci, quàm vltra mortem viuere. Profectò in Tuarum rerum fama non posteritati tantùm æterna laudum materies; sed etiam superest

quod negotium antiquitati facesseret. Priusquàm in lucem proditores, iam dudum Hispanorum in votis eras, vt gloria (sic placuit Superis) Tibi vndequaque suppeteret: quod enim viuenti præstant nostrorum hominum laudes, iam olim omnium supplebant desideria. Optabant omnes virum, qui summâ prudentia Rempublicam confirmaret, qui suaui alloquio obduratos calamitatibus animos mulceret, qui sapienti consilio perditis in rebus spem erigeret, qui corruptam militiam pristinæ disciplinæ seueritate restitueret, & demum, qui labantis Reipublicæ dignitatem stabiliret; attamen hæc munia cùm à Te exactè impleri experti sunt, Te vnum illis expetiuisse vocibus deprehenderunt; imò votorum compotes admirantur, quantò melius fata præstiterint, quàm homines sperauerint.

Sed ne superstitiosus nimis videar innati decoris assertor, sugillérque gentilitium obscurare, dum proprium extollere contendo, morem nostro sæculo gerens, longam atauorum seriem, quibus Excellentissime Domine, censeris, in lucem dare constitui; si tamen licet tam clara lumina in lucem dare. Antiquissimorum temporum, quibus in nostra Hispania omnis armorum cura; litterarum verò nulla fuit, tenuis admodum fama reliqua est, egregio sanè honoris litteratis debiti documento, cùm ij Heroibus æternitatem, quam virtute meruerunt, suis monumentis impertiantur: nec enim gloriosius est ingenuos à seruitute, quàm præclaros ab obliuione vendicare; quatenus tamen licuit inuestigando comperio Tuam illustrissimam familiam illius antiquitatis nubibus nullatenus obscuratam.

Cantabrorum natio Romanorum confessione semper inuicta, alienorum laudibus celebrata, & suorum fortitudine nota generi Tuo patriam & dominatum dedit antiquitus. Angulus ille nostræ Hispaniæ vnus Romanorum ambitiosæ potentiæ imperuius, vt libertatem, quam ingentes animi vitâ & opibus antiquiorem duxerant, tuerentur, indigenarum fortissimis viris Imperatoriam dignitatem commendabant: quorum ductu Romanorum arma fatigantes, & quorumlibet hostium prohibentes incursum, Cantabriam, quam tot montes ad sydera attollunt, rerum gestarum famâ multò magis supereminere fecerunt. Gotthorum Regibus amici potiùs & socij, quàm subditi & vectigales sub iustis ducibus suppetias sæpenumerò tulerunt. Imperante demum Roderico, qui impotentia libidinis regni ener-
Arducia. uauit potentiam vltimo illo conflictu, qui res Gotthorum afflixit, Arducia Chron. Gener.
Cantabrorum Dux fortiter pro libertate dimicans occubuit. Effunditur 3.p.c.4
postmodum per Hispaniam vniuersam fœdissima Maurorum illuuies. Eheu! tam latè, quàm impunè ea teterrima pestis grassabatur: religiones polluere, pretiosa quæque diripere, munitissima prosternere, miserrimas strages edere, ingenuos in seruitutem abigere, Christianos sacrato cultu infames vili diuendere: nullibi ad obsistendum virtus, vbique luctus & timor. Solùm indemne restitit munitum Cantabriæ effugium, quæ abditis penetralibus regionis & gentis fortitudine clausis superstitem Hispaniarũ nobilitatem seruauit: non enim aliter ac ingruente contagione puriores

montium

montium auræ saluti præstant asylum, Cantabriæ montes à nefanda Maurorum lue ad se confugientibus securam indemnitatem præstitere.

Prudētius de Sandoual in genealogia de Haro. Cantabriæ regimen hoc calamitoso tempore Arduciæ filius Hispana appellatione Endus obtinuit. **Endus.** Iniqui nobilitatis æstimatores vulgò ab externis gentibus nobiliorum originem meditantur, fœdè ignorantes quantum aduentitiæ, & veluti aliunde emendicatæ innata, & indigena nobilitas antecedat. Absit vt tam iniurius patriæ Augustissimæ sim, qui splendorem tot sæculis clarescentem obtenebrem. Aliis aliter nobilibus esse liceat; genus autem Hispanum præcipuè veneror; si tamen verè Hispanum, vt Tuo contigit, sine barbarorum mixtura. Quæ etenim gens Hispanis potior animi constantiâ, corporis robore, & spirituum celsitudine veluti in fastum naturæ progenita? Endus autem noster Hispanissimus erat, vt nomen indicat. Mos enim erat olim nostris hominibus nobilissimos quosque deorum indigetare nominibus: *Antiqui* prætereà, vt tradidit Cicero, *deos Endos & Ollos vocabant*: quæ nuncupatio præcipuè apud Hispanos inualuit, & nescio quod rudis illius sæculi Numen sub hoc maximè nomine venerabantur, vt ex lapidibus à ruinis Herminij erutis non obscurè constat: his enim inscribuntur verbis: Endo Volico Deo Præsentissimi Numinis V. S. L. M. quod argumentum est, Endum non à Gotthis, Britonibus, Scotisve; sed ex Hispanis antiquissimis satum. Hic Carolo Martello auxilio fuit in illo prælio, quo immensam Sarracenorum multitudinem ex Hispaniis in Gallias exundantem trecentis millibus cæsis profligauit.

Sandoual ibidem. Rem confirmat Adar & Alter Endus, siue Eudus ex illo orti, quorum **Adar. Endus.** præter nomina & cognationem Regiam, nuptâ Momeranâ Eudi filiâ cum Asturum Rege Fruelâ, ferè nihil aliud extat..

Garibay tom. 1. lib. 12. c. 15. Successit Lupus Zuria genere clarus; sed factis illustrior. **Lupus Zuria.** Hoc duce gentis stemmata Lupus scilicet ad robur applicitus, quibus signis audaciam & robur præ se ferebant in altera commutauit euentus: cùm enim Asturum Rex Cantabros sui regni vectigales obtenderet, & Zuria alieni iuris non ferret ignominiam, litem prælio dirimi decreuerunt. Instructis armis vtraque acies iam iam conflictura stabat, cum medios exercitus bini lupi dilaniatos hœdos ore gestantes præterlapsi felicis ominis specimen tulerunt Cantabris, qui victoriæ spe arrecti auspicatò pugnantes hostibus cæsis, & affectatæ ditionis pœnas luentibus egregiè vicerunt, lupósque, qua forma viderant, pro insignibus mutuarunt. *Chron. Gent. 3. p. c. 4*

Lupus de Salazar à Sandoual relatus. Summa Cantabriæ dignitas patre extincto ad Mansum Lupi deueniens **Mansus Lopez.** eodem gradu illo defensante perstitit; huius tamen viri, sicut & aliorum multa memoratu digna temporum iniuriâ penitus exciderunt. Floruit temporibus Gundisalui Nunij, qui Castellæ Comitem Ferrandum Gundisalui genuit.

Summaria antiqua. Enecus Lupi, vel patrio more Lopez, post parentis obitum Principatum **Enecus Lopez.** iniit, iustitia, & fortitudine vir egregius, subditísque admodùm charus, quem tamen fatorum inuidia immeritum miseranda morte corripuit.

Propè fluenta Duriæ cum Mauris pugnans hostium multitudine potiùs quam virtute oppressus in miseram abducebatur seruitutem ; ast Lupus Diaz filius pietate magis, quàm milite instructus opportuniùs in Mauros irruit strenuè dimicans, Maurorúmque nobilissimum intercipiens coëgit, vt sibi dulcissimus restitueretur pater : cùm tamen pretiosis exultaret exuuiis genitorem secum in patriam redeuntem in itinere alloquitur, monétque vt tanti beneficij memor patulas calumniis aures in se nunquam præberet : confidens pater se tot officiis obstrictum facilè præstiturum, quod filius optabat, libenter promisit. Vix nihilominus Cantabriam attigerat, cùm nouerca, quæ Phædræ exemplo priuigni pudicitiam tentauerat, compositis verbis, quæ fuerat repulsa, violentiam impudenter lachrymatur, iuuenémque vt Hippolytum alterum nouercalibus circumuentum insidiis apud patrem accusans inauditum damnari contendens coniugis iras in se potiore iure excitandas, in insontem prouocauit. Nimis credulus & vxorius coniux filium ne quidquam reluctantem in duellum traxit. Prodiit Lupus vel inuitus, dubiúsque vincere, an vinci mallet, metum, quem reuerentia extorsit, honesta fugâ, qua patris iaculationem semel & iterum vitauerat expressit ; sed demum in arcto deprehensus telum contorquens infelici victoria parentem transuerberauit. Siue fabula, siue historia sit, vel ingens proponitur pietatis & impietatis exemplum, vel quantam vbique gentium antiquitas mentiendi licentiam fecerit, demonstratur ; attamen supra humanam mensuram Heroum facta fabulæ potiùs, quàm historiæ capiunt. *Lupus de Salazar. Comes Lusitanus. Sandoual.*

Domini morte, & hæredis innocentia comperta mixtum mœrore gaudium Cantabria suscepit. Locum, quem patre vacuum fatorum iniuria fecerat, Lupus Diaz occupauit, vir quidem strenuus, & manu promptus, & propter virtutis similitudinem Ferrando Gonçalez, qui tunc temporis Castellæ Comitatum obtinebat, peramicus, quem, vt par erat, celebri illo prælio, quod de *Hacinas* vocant, magna peditum, equitúmque manu comitatus est. Triduo fortiter dimicatum, & tam egregiam operam Lupus nauauit, vt inde virtutis prouerbium posteris reliquerit. Eadem, quæ gloriæ, obitus causa fuit : multis vulneribus confossus paulò post expirauit. Lupus Diaz. *Chron. Gener. & ferè omnes Hispanarum historia.*

Enecus Lupi Sancio fratre primogenito, dum Castellæ Comiti opitulaturus aduentabat, sagitta occiso, in Cantabriæ Comitem assumptus summâ prudentia in rebus gerendis, & erga omnes eximia vrbanitate clarus fatis concessit. Enecus Lopez. *Antiqua Hispaniarũ privilegia.*

Lupus Lopez cognomento Flauus postmodùm paternam hæreditatem adiit, vel ex eo memoria dignus, quòd filium genuerit, qui primùm de Pharo cognominatus est. Lupus Lopez cognomento Flauus. *Ex antiquis script. publ.*

Didacus Lopez de Pharo, seu Haro, martialis vir, egregiúsque pugnator Alphonsum Aragonium Præliatorem secutus, amplam aduersus Mauros fortitudinis materiem prouidente fortuna bellicosi animi alacritate vsus forsitan nobilem vincendi cupiditatem penitus expleret, si generosi spiritus mors non extinxisset ardorem. Pharum condidit, quapropter, Didacus Lopez de PHARO, seu HARO, cognomẽto Albus. *Garibay. Sandoual.*

maio

maiorum more de Pharo appellationem sortitus splendidi nominis præclaram originem fecit.

Gari-bay. Lupus Diaz de Haro præter hæreditarium decus nouâ factorum gloria clarissimam decorauit familiam. Alphonso IX. dum à tutorum manibus regnum eripit, Zuritam obsidenti præstò auxiliaturus adfuit, difficiliorem locum, & periculo obsidentibus plenum suis militibus occupat, ibíque constanter perstitit, quousque Rex arce potitus militum missionem fecit. Ingentem inde virtutis gloriam; sed maiorem magnanimitatis laudem Lupus reportauit: Regi pro tam opportuno auxilio munera liberaliter offerenti generosiùs inquit: Afflictis in rebus satius est munera Regi donare, quàm ab illo præmia accipere. Cudit monetam, quæ de auctoris nomine, & stemmate Lobis vulgò vocitatur. Lupus Diaz de Haro.

Gari-bay. Didacus Lopez de Haro cognomento Bonus, cuius præconiis suorum temporum totæ personant historiæ, panegyrim suis meritis integram merebatur; sed ne ab instituto tramite exorbitem, breuiter attigisse erit satis. Vir strenuè bellicosus, egregiè pius, omnibus charus, Regis Alphonsi nobilis summus Vexillifer, omnibus bellis, quibus vel Mauri impetiti, vel propulsati, suprema post Regem auctoritate interfuit. Exercitui, quem multarum gentium pietas, vt Alphonso religionis causâ pugnanti opitularetur, potentissimum conflauit, Imperatoria dignitate præfuit, prudentibus consiliis rexit, sapienter ad dimicandum instruxit, lætis victoriis confirmauit, & quod maius est, conuenæ turbæ vltra modum sæuientis in diripiendis oppidis crudelitatem inhibuit. Postmodum, cùm annonæ caritatem caussantes exteri ferè omnes discessissent, Rex tanto Duci confidens suos dumtaxat ducens Hispanos alacriter aduersus hostes perrexit. Non laborum assiduitas fatigauit, non difficultatum arduitas deterruit, quominùs destinatum prosequens iter, Nauasiníque saltus viâ diuinitus patefactâ, aduersus Mauros direxerit aciem, exiguam quidem manum, si numerum hostium computes; magnam quidem, si religionis pietatem, & animorum fortitudinem spectes. Didacus cæteris ducatum & exemplum præstans, omnium primus Maurorum stationem inuasit, cuius irruptione facta strages in reliquæ victoriæ omen animos Christianorum ad vincendum inuitauit. Conflixere milites eo impetu, quem nunquam anteà ij fidei, & libertatis hostes in aliis certaminibus senserant. Tanta igitur infidelium multitudo trucidata, quantam nunquam aliàs in nostris annalibus legimus, vel quia hactenus nunquam cum tot hostibus, vel sub tanto duce pugnatum est. Paucis ex nostris desideratis cæsa supra ducenta hostium millia in Hispanorum fastis, quibus integerrima fides, censentur. Didaci non solum in vincendo virtus; sed in spoliis diuidendis, quorum ingens pretium, emicuit integritas & prudentia: omnia prorsus cuiuscumque pretij inter Aragoniæ, & Nauarræ Reges distribuens tam diuinæ victoriæ gloriam Alphonso in integrum reseruauit: penes quem adeò gratiosus fuit, vt nihil nisi eo consulente, decerneret. Naxeræ, veteri Castellæ, aliísque populis ius, Didacus Lopez de Haro cognomento Bonus.

ex Regis commissione dixit. Eius memoriam ne obliuio vnquam deleret, in Augustissimo Toletano templo statuam, quæ adhuc extat, Hispanorum erexit gratitudo optimo iure in tantum virum impensa. Iacet in cœnobio Regio S. Mariæ Naxerensis, quod religionis ergò multis possessionibus donauerat: cuius in tumulo pro illorum temporum elegantia hæc inter alia leguntur.

ILLVSTRIS HARO *Regum de sanguine natus*
Dictus de Pharo Didacus iacet hîc tumulatus,
Dux pietatis, nobilitatis, prosperitatis
DAPSILITATIS, *&c.*
Illo dapsilior nemo, nec strenuitate
Maior, nec potior fuit alius vir pietate,
Lumen regnorum, procerum LAVS, MANSIO MORVM.

Cernuntur & alia paulò politioris calami:

AD MEA *qui mitis properas monumenta viator*
Siste pedem, & fortis noscito gesta viri
Quo Duce libertas olim defensa coruscat,
Ille ego Cantabriæ gloria celsa domus,
Harensis Didacus vocitor Lupus ipse per orbem,
Hesperium notus strenuus, atque potens.
Magnanimus miscet bellis crudelibus Heros,
Dum premeret nostram seruus apella fidem.
Nempe Nauasinis bellum memorabile campis,
Alphonso nono clara trophæa dedi.
Nunc Pario claudor Maurûm tremor ecce sepulchro,
Ossaq; belligeri continet VRNA DVCIS.

Lupus Diaz de Haro.

Lupus Diaz de Haro, Caput audax cognominatus, Regis Sancij maximus Vexillifer, Regiæ domui præfectus parentis dignitatem auxit; arces regni munitissimas obtinuit; aduersus rebelles fideliter dimicauit, eorúmque vesaniam repressit, Regibus assistens Mauros sæpenumero profligauit; sed inuidorum calumniis impetitus obiit in multorum commiseratione & exemplum. Multos suscepit liberos, quorum quartus ordine Lupus Diaz nomine in Tuæ familiæ amplitudinem natus, primus ex Tuis proauis fuit, qui Cantabriæ Comitatum non obtinuit. *Garcia de Salazar, fol. 482. Garibay. Sandoual.*

Lupus Lopez de Haro.

Lupus Lopez de Haro felix ex nobili radice germen floruit, dum Alphonsus Rex, qui posteà Sapientis nomen accepit, regnandi sumpsit exordia, quem in Murtianis motibus secutus animos ad quidquam audendum sua fortitudine fecit. Tres filios ex Therasia Giron nobili fœmina suscepit; sed primis duobus eorúmque prole variis casibus intereunte hæreditas in tertium patri cognominem deuoluta est. *Sandoual de hoc instituto, fol. 376.*

Lupus Lopez de Haro. Rodericus Lopez de Haro.

Lupus alter Lopez de Haro genuit Rodericum Lopez de Haro, qui parentum more variis interfuit bellis, astitítque Albarracini traditioni factæ anno ducentesimo nonagesimo octauo supra millesimum. *Sandoual.*

Lupus

Sandoual. Lupus Roderici, vel Ruiz de Haro vixit Regnante Ferrando IV. & Alphonso XI. Baëzæ aduersus Maurorum incursiones præfectus ita strenuè tutatus est, vt sicut Scipioni Numantia, Lupo similiter Baëza cognomen dederit. Inter primos Hispaniæ proceres nobilitate & virtute clarus, manu & consilio promptus, in omnibus bellis, quibus contra infideles tunc temporis operam impendebant Hispaniæ, semper emicuit: præcipuè in Gibraltaris obsidione, quousque in Christianorum ditionem venit, Regem animosè iuuit. Lupus Ruiz de Haro, aliàs de Baëza.

Sandoual. Ioannes Roderici de Haro, vt ex antiquis priuilegiis constat, tamquam ex nobilissimis Hispaniæ proceribus vnus Regum acta proprio chirographo confirmauit, quod præclarissimis atauis Tuis commune erat: innumera enim perstant illorum nominibus roborata. Ioannes Roderici de Haro.

Sandoual. Ioannes Alphonsus de Haro Petrum Hispaniarum Regem, quem vel temporum calamitas, vel indoles crudelem fecit, generosa fide coluit, perpes in aduersis comes, & eximiæ fidelitatis documentum quanti iustitiam faceret, patefecit. Rege trucidato in Lusitaniam discessit, ibíque permansit, quousque reconciliatis animis, nuptáque Catherina Henrico III. Ducem Alencastrium comitans in patriam reuersus est, viríque integritate laudata in pristinam dignitatem restitutus: neque hoc tantùm decore insignitus; sed illustris victoriis ex communi hoste relatis, fatis concessit. Ioannes Alphonsus de Haro.

Idem Sandoual ibidem. Didacus Lopez de Haro regnante Ioanne II. à parentum gloria neutiquam declinans Busti dominationem habuit, non deteriorem parentibus laudem suis factis consecutus, Didacus Lopez de Haro.

Aponte Argote de Molina. Ioannes Alphonsus de Haro Henrici IV. Remporibus vixit, vel ex hoc capite laudandus, quòd nullo prorsus proditionis stigmate notatus decesserit eo Rege, sub quo vltra modum benigno ita traditores excipiebantur, adeóque apud ipsum Regem valebant, vt non liceret impunè fidelem esse. Ioannes Alphonsus de Haro.

Zurita annal. lib. 20. cap. 35. Garibay tom. 2. lib. 18. Zurita 4. par. annal. lib. 20. c. 35. Didacus Lopez de Haro Ferrando & Elisabetha regnantibus, cùm Callæciæ Primates regionem ambitionibus perturbarent, in prouinciæ gubernationem à Regibus prudentissimis electus motus continuit, latrocinia frænauit, & bonam colonis spem, multúmque grassatoribus metum incutiens Callæciam vniuersam breui pacatam reliquit. In Granatensi bello, quod tandem tandem Maurorum iugum Hispaniæ ceruicibus imminens excussit, Mauris ab vniuersa Hispania exterminatis, suæque Africæ redditis nullatenus degenerem proauis se probauit: fortem & strenuum Ducem egit, Regibúsque ob fidelem vbique nauatam operam in pretio fuit. Cum Beatricia de Sotomayor secundum matrimonium contraxit, nobili quidem fœmina, & Regali sanguine purpurata, nimirum ducta origine ex Infante Emmanuele Ferrandi Sancti septimo filio, vt eadem gens, quæ Castellæ, & Lusitaniæ Regibus Familiæ etiam Tuæ genus maternum daret. Hoc coniugio dominatus *del Carpio* in Pharorum potestatem venit. Didacus Lopez de Haro.

Nobiliarium Hisp. 2. vol. suis locis. Ludouicus Mendez de Haro & Sotomayor huius nominis primus præter paternam ditionem *de Sorbas*, & *Lubrin*, maternam del Carpio hæreditariam Ludouicus Mendez de Haro, & Sotomayor.

ditariam accepit: quapropter vltra stemmata Cantabrorum antiqua noua de Sotomayor superaddita.

Didacus Lopez de Haro, & Sotomayor.

Didacus Lopez de Haro & Sotomayor Ludouici primogenitus in Marchionem del Carpio à Philippo II. assumptus, domum, si fas est dicere, in pristinum splendorem restituit, vel, vt meliùs dicam, nobilitatem à maioribus acceptam sine decremento conseruauit. Maiorum merita & erga Reges obsequia tum à parentibus, tum à Didaco exhibita Regio diplomate Bruxellis expedito magnus ille Monarcha profitetur. Marchio verò virili sobole caruit: quapropter ne ex materno tantùm sanguine adeò nobile genus Te posterum amplificaret, Beatricia Didaci primogenita patruo suo Ludouico Mendez de Haro in matrimonium data est.

Ludouicus Mendez de Haro.

Ludouicus Marchionis germanus frater ductâ Beatriciâ secundus Marchionatum iniit. Commendator aliàs Maximus de Alcañiz Equitum de Calatraua, & secretioris palatij Regius Procer, Philippo II. imperante, quem in Belgium comitatus est, talem se in omnibus gerens, qualem nobilissimum decebat genus. *Olim Arcanica.*

Ludouicus Mendez de Haro.

Iterum autem in fœminam recidente familia, Maria Diaz de Haro primogenita Francisco Pacieco nupsit; sed cùm nulli alteri præterquam Tuæ domui tantum splendorem destinassent fata, altera Beatricia Mariæ soror, in quam fuit hæreditas deuoluta, nupsit Ludouico Mendez de Haro, quem ex Maria de Guzman susceperat Didacus Lopez de Haro, Ludouici, qui primum Marchionem genuit, germanus frater.

Didacus Lopez de Haro.

Iam in propiora deuenimus: minuit vtique distantia longinquum iubar, & qui exiguus ignis procul intuentibus erat, cominùs spectantibus latum manifestat incendium: sydera distantia contrahit, Lunam propinquitas auget. Itaque ex Ludouico de Haro tamquam ex nitidissimo Oriente Didacus Lopez de Haro diurnæ lucis Phosphorus, & Tuæ amplitudinis genitor in magnum Hispaniarum ornamentum ortus est. Eximia generis dignitas Regij Stabuli Præfecturâ succrescens Didacum nostris hominibus spectabilem reddidit; sed filij suscepti magnitudo felicem sibi, vtilem patriæ, gloriosum omnibus commendauit.

Te autem quibus verbis indicem, quibus characteribus notem, quibus signis præfigurem? Patere tamen nigris litteris nomen præclarissimum obscurari. LVDOVICVS MENDEZ DE HARO, Progenitorum purpurato sanguine fulgens, & materni de Guzman lucido splendore clarescens inter Hispanas nobilitates ardua vsque in cælum extollentes capita vxorem quæritans Tuæ Celsitudini parem, quæsitam inuenisti, inuentam duxisti: facilis enim inuentu fuit suâ ipsius magnitudine indicata Regalis Cardona domus. Suscepisti quem nunquam dedignabere, filium Gasparem de Haro, in cuius nuper contractum cum familia *de la Cerda* coniugium (Regiam quis ignorat?) vtraque domus paribus decorata luminibus sibi inuicem innuebat. Superstitem seruent fata in amplam nepotum sobolem, & domus nobilissimæ incrementum.

Per

Per antiquitatis caliginoſum labyrinthum diuagans, Tuæ proſapiæ aureo manuductus filo ad Te iterum, vt deſtinaui, propiùs accedo: nec aliter mihi ſperandum, quin generoſi Hiſpanorum ſanguinis fluenta ſequens, in immenſum tandem nobilitatis pelagus deuenirem. Accidit autem mihi, quod curioſis fluminum inueſtigatoribus contingit, qui dum natalem ſcaturiginem ſolerter inquirunt, in præruptis montium iugis originem, ſicut in vaſti maris fluctibus finem, plerumque deprehendunt. Pellucidum tanti ſplendoris fontem perſcrutabar; ſed in montoſæ Cantabriæ cacuminibus nobilium celebritate venarum potius quàm veſtigantis ſtudio clariſſimum comperi, terminúmque repetito diſcurſu quæritans, ſine obſcuris ambagibus; ſed rectà in Tuam magnitudinem deducor. Te autem dum contemplor tot abſolutum numeris, atauorum gloriam in compendioſam epitomen redactam cum admiratione ſuſpicio: animi fortitudinem, conſtantiam, humanitatem, prudentiam, ſecuritatem in aduerſis, modeſtiam in proſperis, pietatem erga ſuos, erga Reges fidelitatem, reliquáſque omnes virtutes, quas longa atauorum ſerie recenſui, veluti in tyrocinio Tui coluere maiores, vt Te conſummatis perfectum virtutibus procrearent. Forſan dubitante fato, cui genti familiæve ingentem animum inderet tantæ magnitudinis capacem, Tuæ cognationi donauerunt Superi, virtutis ibi humanum exceſſuræ modum initia contemplantes. Ex illis vtique marmoribus exciſa Tuæ celſitudinis fundamenta tam Auguſtum ſolummodo fultura incrementum.

Meritò ſanè Harorum inclyta domus tot conſtantibus innixa columnis adeò illuſtrem coronidem expetebat. Tuis debitus eras, & Numinum prouidentiâ datus, ſicuti & Tibi rerum Hiſpanarum faſtigium: non illorum inſtar, quorum dignitates, vtpote indignis collatæ perperam ſibi mentiuntur? quin potiùs ita omnes dignitates promeritus es, vt nulla Te plenè mereatur, adeóque dignum Te efformaſti præmiis, vt omnium maxima Tuæ imparia reddideris magnitudini: quoniam tam latum meritorum ſpatium nulla præmia complecti poſſunt, niſi fortè inter hæc amplam Tui nominis famam computemus: nam omnis dignitas ſuppetit, cùm omnium dignus appareas: nihil egregium deeſſe Tibi poterit, dum Tibi ipſe non defueris: grande aliquid habere neceſſum eſt, dum Te ipſum habeas, & magna haud dubiè complecteris, quandoquidem Te ipſum capis. Non igitur caſui, quòd ad tantam fortunam euectus ſis; ſed Tibi vni proculdubio debes: ipſe Tibi fortuna es, cùm extra aleam fati, & contingentiam ſortis ſis Tecum dumtaxat felix. Etenim, quod fidem ſuperat, miro exemplo demonſtraſti poſſe eſſe virtutum cumulum tot honoribus non imparem. Fauit nihilominus, vel non obſtitit fortuna, iuſtam ſapientium querelam, ſeu rigidam eorumdem cenſuram fortaſſe pertimeſcens, & quamuis plerumque cæca, vidit aliquando Tuis illuminata ſplendoribus. *Virtus*, vt inquit Synæſius, *ſæpenumerò ſecundas res inchoauit*, laúſque ipſa beatitatis prædicationem anteceſſit, quaſi fortunam puderet, ſi non manifeſtis virtu-

tibus testimonium *redderet*. Nihil Tibi fortuna dedit,quod virtus non inchoauit: dumtaxat suffragium detulit, quod nemo nisi insipiens denegaret,cauítque fortuna,ne omnium votis, & precibus obturans aures à prudentium cœtu cum irrisoriis exploderetur sibilis.

Nihil magnum vel nostri Reges fecerunt,vel excogitarunt sine Pharis consortibus vel consciis,si pugnandum erat, siue cum hostibus paciscendum,si quid bello,pacéve innouandum, vel in laborem, vel in consilium certissimè aduocabantur à Regibus,quibus maiorum Tuorum opera tam in promptu semper,quàm in pretio fuit; illorum autem sicut etiam diuisa laus,ita munia fuere: non quilibet in omnibus vnus,alius in armis splendidior,alius in toga potior: rarò apud omnes gentes qui manu promptus, & consilio fuit: quia fatorum distributione vbique gentium factum est, vt nullus hominum vel Heroum plures in pluribus excelleret. Ast in Tui efformatione communes abruptæ leges,ingentémque animum tuum mensurâ,qua reliquorum metitur spiritus,amandatâ, & maximè impletis finibus humanum vltra modum, ferméque ad deorum accedentem veluti in potentiæ ostensionem cælum produxit. Hinc nec mirandum est,quòd tot viribus à natura animus instructus immensis sufficiat laboribus pro Republica susceptis. Regni vniuersi distractus curis singulis videris intentus, omnes in Te vnum respiciunt; sed ita omnibus sufficis, ac si cuilibet tantum addicereris labori. In supremum auctoritatis culmen euectus nec humiliorum despicis preces,nec superborum vota captant improuidum: ambitiosam iactantiam animi constantiâ deprimis,non secus ac modestiæ humanitate tenuiorum ciuium fiduciam erigis, confirmas spem, paribus & imparibus nunquam impar. Sed vbi labores animum circumstant innumeri,Herois est non deprimi, diuini non fatigari,suspicionísque constantia Tua licentiam cogitandi facit, humanámne exueris naturam, an forsan nunquam indueris. Humanitas quidem & comitas pium hominem vrbanúmque ciuem Hispanorum beneuolentiæ proponit; ast improbus sine defatigatione labor,& magnificentia Tua nulli negata,& nemini plenè concessa non hominem; sed Heroëm,vel si quid maius est omnium hominum venerationi commendat. Profectò diuinum est sola pietate moueri, tam pellucidúmque diuinitatis argumentum precibus vinci,votísque cieri, quàm nullis expugnari viribus, nullísque immutari laboribus. Rupes, & pelagi Saxa vndique fluctibus circumuallata,atque vndique fluctibus impetita Heroum animíque Tui quadamtenus similitudinem referunt: non delitescentibus vndis tartarei hiatus quidquam fundamentis detrahunt,nec tumescentes fluctus immani aquarum ruina expositum lædunt verticem; imò in contemptum pelagi semper immota vndarum superbiam mirabili constantia ardui disrumpunt scopuli, iidem verò, qui pelagi tumori resistunt, miseris naufragis facilem non semel permittunt accessum, effugium præstant, & saluti sunt. Deus ergo pectus tuum aduersus laborum fluctus, tumentésque regni curas adamantinum,æneúmve conflauit; quod tamen tene

tenerum & molle erga miseros compegit, vt quem minæ non deterreant, lachrimæ facilè expugnent.

Omnibus tam libratâ munificentia æqualiter benefacere, vt cunctorum gratia nullius referatur inuidia, diis solùm & ægrè antiquitus concessum; si qui verò dindustria largitate cõsecuti, pariter in decorum numerum relati censentur, quibus duntaxat adeò benignam fatum indulgentiam permisit. Cùm autẽ tale monstrum in terris rarum, necessumque sit Dianæ Ephesiæ inuidum quotidie Erostratum nasci, non tam obtrectantium multitudine, quàm auctoritate damnantium Stoici sapientium mores decreuerunt esse pensandos. Hanc autem rectitudinis normam ab antiquitatis philosophis præfixam superuacaneam esse quisque ducet, si totius Europæ in Tuam gloriam coëuntia percensuerit suffragia. Omnes quidem in Tui commendationem consentiunt; hoc tamen sapientium à stultorum cœtu discrimine, quòd illi tot virtutum contemplantes harmoniam, abstrusaque sapientiæ Tuæ penetralia rimantes in Tui imitationem exardescunt, & totis animorum nixibus ad tantum exemplar componi sedulò, & accuratè conantur; isti verò in Tuarum rerum intuitu hæsitantes, iucundaque admiratione contenti, nec vltra primam progredientes speciem stolidè mentibus obstupescunt absorptis, non secus ac cælorum inspectantes astra alij Syderum tantum formas, quæ oculos lucida venustate delectant, alij mirabilem naturæ ordinem, absconditos astrorum tramites, intuentésque cælorum indefessam constanti tenore vertiginem Summi Opificis artefacta venerantur. Omnes laudant; sed non omnes sapiunt, cunctíque Tui nominis celebritatem extollunt; sed multi in cortice tantùm, qui recondita virtutum decora, licèt tot fulgoribus indicata non penetrant; prædicant tamen, prosequuntur, & amant. Miror; sed experior: rarò id accidit; contingit tamen.

Vnum ergo dubito, indignos persæpè vulgi temeritate celebrari, perditorúmque hominum clamoribus in astra ferri, adulantium callidis assentationibus palpari; verùm vnâ sapientium & stultorum voce, eâdem populi & nobilitatis sententiâ, nullóque prorsus in contrariam eunte, ab omnibus sine discrimine laudari, nisi benè de Republica meritò, & erga omne genus hominum munifico viro nemini tam effrænata felicitate fortuna indulsit. Coguntur exteræ gentes prædicare vel Tuis auspiciis potentiam metuentes Hispanam, vel nostræ Hispaniæ inuidentes, quæ te genuerit filium, vt patriæ dicare parens, Hispani verò, apud quos Regum suorum cura constánsque beneuolentia antiquior est, Tibi votorum communione se reddiderunt obnoxios. Quis Regem ardentiùs amauit? Quis religiosius coluit? Quis vehementiùs intimis præcordiis affixit? Ita profectò Regem dilexisti, vt eius Augusta gratitudo aliis præmiis præterquàm amoris affectibus compensare non posset.

Elisabethâ extinctâ, & Balthasare, qui in regni alebatur spem intempestiua morte gementibus Hispanis, erepto, damnatis aliis coniugiis Austriacam Marianam ducere Philippus decreuit, vt decorum, religiosum, pium,

ſtrenuum, & quod idem eſt, omnino Auſtriacum Principem nobis daret. In miſera luctus nocte Hiſpaniæ gemebundæ iacebant, propediem noui, quem oriturum confidimus, Solis pulcherrimam expectantes Auroram. Sed quibus cordis affectibus in itinere proſequebaris? Quibus gaudiis nuntios Reginæ aduentantis audiebas? Feſtiuis vbique plauſibus Te procurante, Imperij hilaritatem teſtantibus excepta. Nullis ſumptibus parcebant populi; vt pietati & amori indulgerent: quidquid pretioſum erat, expendebatur, vt maiori ſibi in pretio Regem,& Reginam eſſe propalarent. Sed vbi propius acceſſit, Matritum appropinquauit, & tandem diu deſiderata peruenit, fidelitatis, & in Regem ſine exemplo charitatis nunquam aliàs ſpectata documenta perſpeximus.

Intuentium admiratio propè ad ſtuporem accedens dubitauit, an totius orbis diuitias in illam celebritatem congeſſiſſes, an quidquid vnda maris pretioſum operit, quidquid auara tellus imis viſceribus abſcondit,& quidquid per terrarum orbem ars vel natura produxit, in illius horæ articulum Numinis indulgentia donauerit. Pyramides non Ægyptiarum inſtar rudibus extructæ lapidibus; ſed pretioſis vndique coactis rebus compactæ, argento fulgentes & auro, pulcherrimis ſtatuis decoræ, gemmarum ſuperbo fulgore ſplendidæ, arte & labore conſpicuæ, diuitiarum potiùs elegantes acerui, quàm barbaræ pyramides videbantur. Auguſti & triumphales fornices, celſiores forſan futuri, ſi cæli anguſtum concauum non obſtaret, Tuam & Hiſpaniarum magnitudinem in cælum vſque facilè perduxerunt. Egenum ſe & pauperem deploraret ſi Crœſus ſpectauiſſet: erubeſceret Alexander Macedo, frendentéſque Romanorum Cæſares nimiis impenſis exhaurientes ærarium, ſi abſque vllo Regiæ pecuniæ detrimento tot miracula cernerent, rumperentur inuidia. Conſenſit Tibi vniuerſa nobilitas in ſumptus pariter & in gaudium effuſa, nimirum Tuo exemplo nemo tam rigidæ mentis fuit, qui non publicis gaudiis exultaret, & in communis teſtimonium curæ diuitias contemneret. Proprio inſuper emolumento leniti obtrectatores ſi eſſent deuincti reliqui, inſolitis, inſperatíſque ouantes felicitas initiis ſuadâ, & delinifica beneficentia demulſi facilè amantes voluntatibus laxauerunt habenas.

Militantem ſub Tuis vexillis fortunam veluti propriis ſtipendiis alis: militat quidem pro Hiſpaniarum gloria, & Te Duce vilioribus contenta muniis gregariam exercet operam: præcipua virtutis laus, pediſequa fortuna eſt. Hac tamen aſpirante, Tibíque humiliter obſequente, quot & quanta ceſſerunt proſpere? ſcilicet Hiſpanici firmamenti titubantibus aſtris ingens ſuppoſitus Atlas imminentis ruinæ pondera Tuis humeris ſuſtinuiſti. Neapolim dementia vulgi furentibus armis penè in præceps datam virtus & fortuna cohibuit. Iam illa ciuitas virus, quod conceperat, expuit, priſtinæque ſanitati reſtituta, Tibi ſibíque tantam felicitatem gratulatur. Panormum ſerpente exempli contagio tabeſcens, & perditiſſimorum perduellium (pauci illi quidem) impulſibus fermè nutans eorum detecto crimine,

mine,

mine, atque gladio, quo puniti, vrbis apostegmate rupto, priusquam tabificam sentiret ægritudinem, conualuit. Tanto periculo functa suam & Hispaniarum sortem Trinacria lætabunda contemplatur. Gallos Hispanis leonibus insultantes præteritorum temporum iniuriâ, an incuria Longonum, & Piumbinum insidere permisit: manet vtrúmque breui obsidionis tempore (si munitionem spectes) restitutum; sed quot Hydræ pullulantis capita hoc vno ictu præcisa! Ignem Piumbinum fouebat, quem Italiæ visceribus inhærentem, si exardesceret vnquam, nulla forsan Hispanæ potentiæ flumina exercitibus extinguerent exundantibus. Longonum, quod hostes destinauerant infestis receptaculum classibus vel obscœnis potiùs Harpyis nidum, quæ vniuersam Italiam deprædantes vtriusque maris oras pollutis fœdarēt rapinis nequidquam Gallis defensantibus ereptum expurgatúmque. Catalonia Tartareis agitata furiis sui exitij miserabilis artifex, vt tanti criminis pœnas persoluat, sub clementissimo Rege, aliàs, si resipisceret, non luitura, adhuc rebellium obturatis mentibus contumax in perduellione persistit, vt sui ipsius manibus ferrum in viscera adigens seruandæ fidei miserabile exemplum posteritati relinquat. Merda, Dertusa, & si qua alia ciuitas in defectione cum rebelli Prouincia omnino dissenserat, aut minus deliquerat, gaudet fauentibus recuperata Numinibus, ne infandi facinoris expertes, pœnarum, quæ repetuntur, consortes fierent.

Omitto in Belgio & Longobardia egregiè & feliciter gesta, quin & in remotissimis orbis plagis, quò Hispanorum arma per immensa terrarum, marisimque spatia Alcidis transtulere columnas, Barbaris phanatico correptis furore nostrorum iras metuere dediscentibus iterum sub iugum missis, & meliori menti redditis. Accidat vtinam eadem felicitas suauis iustorum Regum imperij ineptè impatientibus Lusitanis, eò magis miseratione dignis, quò minus & lethali vulnere dolent. Vt autem in eo finem faciamus, à quo sumpsimus exordium, post innumeras gratias Deo Optimo Maximo relatas, quòd hac tempestate, quæ nauarcho sapientissimo indigebat, Hispaniæ defensandæ tantum donauerit virum, precibus & votis deprecamur, vt tot largæ pietatis sumptibus inchoata perficiat: & sicut Te alterum Iosuam Parentum nobilitate, consiliorum prudentia, animi constantia, cordis benignitate, pectoris fortitudine esse dedit, ita etiam munitarum vrbium ruinis, latis aduersariorum cladibus, & ærumnis, Tuorum victoriis, & triumphis clarum efficiat, in liuidam inuidentium rabiem, in miseram perduellium pestem, in fidelium leuamen, in Hispaniarum gloriam, & in fidei Orthodoxæ firmamentum. Vale.

Ad Lectorem.



PPIGNERATAM fidem absolui Iosue librum, vt vt potui, interpretatus, huius secundi Tomi materiem, vtpote de montium, vallium, ciuitatumq́ partitione, confragosam satis esse, educendisq́ moralitatibus infæcundam nullus dubitabit. Ad hæc importunæ satis, crebræq́ occupationes non solùm interpellarunt studium; sed tædio sæpè affecerunt animum: malui tamen vel subsessiuis operis absoluere inceptum, quàm longa expectare tempora, vt opus ederem tantillum elaboratius. Reputabam mecum integrum officium non solùm de lingua constare, sed manus operis perfici. Me edocuit Baptistæ natiuitas obsequium de vocis sono, & de manus perfici scripto: nam cùm Elisabeth arcanum voce protulisset nomen, nec cognatorum est sedatum dissidium, nec Baptistæ absolutum elogium, donec Zacharias filij nomen cereis tabulis manu impressit. Notauit Tertullianus de idololatria cap.23. Zacharias temporali vocis orbatione, mulctatus cum animo collocutus linguam irritam transiit: manibus suis à corde dictat, & nomen filij sine ore pronuntiat: loquitur in stylo, auditur in cera, manus omni sono clarior; littera omni ore vocalior. *Itaque satis non fuit ad tanti Baptistæ laudem maternam linguam nominis protulisse encomium; sed necessum fuit paternum imprimere ceræ stylum. Ergo, ne mei Iosue quid laudi ingenioli mei tenuitas subtraheret, quamuis concionatoris munus ferè omne tempus insumpserit, Scriptoris laborem addidisse decreui, si fortè manus sono clarior, litteraq́ ore vocalior: Ceræ impressit Zacharias nomen nunquam delendum, ceræ & ego imprimo; sed tenuitatis meæ conscius, quidquid minus accuratum, expromptus delere, quidquid prudentibus minus probatum, desiderans reformare: prudentibus dixi: de aliorum namque iudicio parum curandum est, cùm multis crescat pro eruditione audacia, & quam non possunt sibi facere eruditè scribendo, famam exambiant aliorum scripta factiosis criminationibus denigrando. Abortiuum profectò hoc opus, vtpote sine tempore, iudicaui; scripsi tamen, vt vel exiguum colligerem, vtq́ otium omnino vitarem: Sat digna labori merces. Ergo non laudis ambitiosus, sed datâ fide obligatus, otijq́ qualiscumque inimicus opus, vt aiebam, absolui: vtinam meo Iesu, Iosue factis adumbrato, gratum exhibuerim officium, dum non solùm linguâ laudes eius deprædico; sed stylo, quantumuis incompto, euulgo.*

Censu

Censura R^mi P. Magistri Fr. Francisci de Arcos, Regij Concionatoris, Supremi Inquisitionis Senatus Censoris, & sacræ Theologiæ in Toletana Academia Professoris.

IVRE possum R^mi P. MAGISTRI EMMANVELIS DE NAXERA scriptis applicare, quod disertè Cassiodorus aiebat, cùm huius Scriptoris labor vtilitas sit cunctorum, cumq; eius solicitudine & virtuti ius custodiatur, & legentium animus non sine doctrina oblectetur: *Armarium ipsius* (verba sunt Cassiodori 14. variarum 11.) *fortuna cunctorum est, & meritò refugium omnium dicitur, vbi vniuersorum securitas inuenitur.* Iure ergo adeò celebrem Scriptorem cunctorum appellarim refugium, quandoquidem in eius scriptis inuenit mediocriter doctus, quo scientiam suam cumulatiùs adornet, & sapiens quo suam demirando eruditionem confirmet: vernat quidem grata floriditate excultus semper stylus, inuitat saporatus & comptus legentes fructus. & cùm incorrupta veritas custodiatur, nouis ingeniosissimisq; salibus moralitatum conditur, cumq; ruborem generet semper furtiua subreptio, talis hic auctor est, vt ab eo quid subripere & incrementet dicentis laudem, & orationis decoret frontem: quandoquidem quod à tanto magistro nobiliter subreptum accipitur, esse optimum comprobatur. Certè constat non expositum censuræ, quod semper habetur admirationi: at vt meum munus impleam, censeo Opus hoc non solùm alienum à correctionis litura; sed grata styli scintillare elegantiâ, & incorrupta fidei ac veritatis doctrinâ. Sic censui Madriti die 13. Augusti, anno 1650.

FR. FRANCISCVS DE ARCOS.

Licencia del Ordinario.

NOS el Doctor D. Ioseph Beno de Rey Canonigo de la Santa Iglesia Magistral de la Villa de Alcala de Henares, y Vicario de esta de Madrid y su partido, &c. Por la presente por lo que à Nos toca, damos licencia paraque se pueda imprimir y vender vn Libro intitulado, *Segunda parte sobre Iosue*, compuesto por el Padre MANVEL DE NAXERA de la Compañia de IESVS, atento que de la Censura del R.P. Maestro Fr Francisco de Arcos, de la Santissima Trinidad calçada de esta Villa, Predicador de su Magestad, à quien le remitimos, no parece tener cosa contra nuestra Fe Catholica y buenas costumbres. Dada en Madrid à primero del mes de Setiembre, año de mil y seiscientos y cinquenta.

D. IOSEPH BENO DE REY.

Por su mandado

IVAN BAVTISTA SAEZ BRAVO.

Facultas

Facultas R. P. Ildephonsi Yañez Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Toletana.*

EGO Ildephonsus Yañez Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Toletana, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro Francisco Picolomini eiusdem Societatis Præposito Generali, facultatem facio, vt secundus Tomus *Commentariorum in Iosue* à Patre EMMANVELE DE NAXERA conscriptus, & eiusdem Societatis grauium, Doctorumq; hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas,& sigillo nostro munitas dedimus. Madriti die vigesimo Martij, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo.

Ildephonsus Yañez.

Summa Priuilegij Christianissimi Regis.

CAVTVM est auctoritate Regis, ne quis in regno suo,aliisve locis suæ ditioni subiectis intra nouem proximos annos, Librum qui sic inscribitur, R. P. EMMANVELIS DE NAXERA *è Societate* IESV, *Commentariorum in Iosue*, *Tomus secundus*, absque LAVRENTII ANISSON Bibliopolæ Lugdunensis permissu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium; qui secus fecerit, mulctâ indictâ, prout amplius in diplomate Regio continetur,mulctabitur. Datum S.Germ.in Laya 18.Maij 1652.

De mandato Regis,

CRAMOISY.

INDEX

INDEX PARAGRAPHORVM MORALIVM.

Littera n, cum adiuncto numero marginalem designat, littera p, paginam denotat.

CAPVT XIII.

CAPVT XIV.

Sic

CAPVT XV.

CAPVT XVI.

Capvt XVII.

Capvt XVIII.

Superioris

CAPVT XIX.

INDEX

INDEX

Ad Sacras Conciones de Tempore, & de Sanctis.

C, caput denotat, eiusq; ordinem prior numerus, posterior numerum marginalem.

Dominica I. Aduentus.

LVCÆ XXI.

Tunc

Dominica II. Aduentus.

MATTHÆI XI.

Dominica III. Aduentus.

IOANNIS I.

Dominica IV. Aduentus.

LVCÆ III.

prædicator

In Natiuitate Domini.

Ioannis I.

In Circumcisione Domini.

Lvcæ II.

Vt

In Epiphania Domini.

MATTHÆI II.

vestigium: nam perfectionis asseclæ virtutis semper incrementantur processibus, nec sinuosis ad antiqua vitia redeunt anfractibus. c.13. n.71. toto §.

Dominica infra octauam Epiphaniæ.

LVCÆ II.

CVm factus esset Iesus annorum duodecim. Ætate tenellus omnibus admirationi est Iesus: *stupebant namque omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius:* & quid super prudentia & responsis pueri stupeant, quando ætas parua, & infantilis quodammodò vita? Certè, vt doceant vitam non de prolixis temporum tractibus æstimandam; sed de eximiis virtutibus dimetiendam. c.13 n.21.toto §.

Cum factus esset annorum duodecim. Non solùm tempore; sed sapientia & gratia apud Deum & homines refulgebat: ait namque Lucas: *Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Et quidem eximia virtus rectis semper virtutum incrementatur processibus. c.13. n.71.toto §.

Remansit puer Iesus. A maternis oculis seiunctus manet, vt Patris placitum exequatur, & dum Patris promptè exequitur placitum, apud omnes meretur elogium: stupent namque super prudentia,& responsis eius: vt noueris securiùs vel apud sæculum dignis commendari elogiis, qui deuotiùs Numinis obedit præceptis. c.24. n.141. toto §.

Puer Iesus. Quàm magnus probabatur operibus, qui exiguus annorum tractibus! Ecce in curia ab omnibus allaudatur, & prudentissimus habetur: equidem testatur Euangelista: *Stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius;* & tamen plausus gloriam spernit: *Et descendens cum parentibus venit Nazareth:* quò deuote obediat, non quò allaudatus effulgeat: *Erat*, inquit, *subditus illis.* Profectò vt mitissimus est, qui mundum amat reiectus & fastiditus, ita eximiæ probatur virtutis, qui spernit sæculum spebus magnis allectus, & dignis laudibus celebratus. c.24.n.91.toto §.

Remansit puer Iesus. Nouit Patris esse placitum, & exprompte præbuit obsequium: vt doceret homines incunctanter diuinæ inspirationi obedire, quandoquidem in tarda aut prompta diuinæ inspirationi obedientia consistit sæpè felicitas aut aduersitas. c.24.n.81.toto §.

Remansit puer Iesus in Ierusalem: dum remanet, vel tenuibus pauperculæ domus commodis viduatur, in alieno degens, & emendicato fortassis viuens; verùm ob id ipsum diuinus proditur, quandoquidem virtutibus discupit exornari, non commodis humanis potiri; cùm nos miseri homines non adeò curemus exercere virtutes, vt caducas habere commoditates. cap.24. n.75.toto §.

Remansit puer Iesus in Ierusalem. In ciuitate pacis remansit, non solùm corporali præsentiâ; sed etiam deuoto animi studio, & laudabili mentis proposito: & quidem, ni animus humana effugeret, parum esset, si distantia separaret, quandoquidem satis non est à sæculo recedere, longa interualli distantia, nisi effugeret quis animi firma sententia. c.24.n.65.toto §.

Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Dolebant parentes filium recessisse, quasi miserabilem casum; cùm tamen Ierusalem incolere magnum debuisset æstimari beneficium: est namque eximius Dei fauor si quem ad religionis vocarit cultum, & ad virtutis obsequium. c.24. n.48.toto §.

Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Certè non refertur bonis magni apud sæculum habitis auctus, aut inuidiosis diuitiis exundans; sed sapientia & gratia: nec enim sumptuosior felicitas est externis bonis fulgere; sed internis virtutum luminibus emicare. c.24.n.28. toto §.

Erat subditus illis. Voluit Dominus apud mundi primates magni haberi, & gloriam illam descendendo relinquere: ait namque: *Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis:* quò suam cumulatiùs commendauerit obedientiam, quandoquidem post gloriæ humanæ fastigia duriùs abiectionis premit miseria. cap.23. n.135.toto §.

Iesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines. Semper Christus idem; verùm postquam apud Doctores, & reipublicæ magistratus laudabili fama refulxit: *Stupebant namque omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius.* Sapientia & gratia refertur incrementatus: vt noueris optimam opinionem calcar esse ad virtutem, & indecoram famam non semel impulisse ad errorem. cap.23. n.93.toto §.

Erat subditus illis. Quàm gratum Deo obsequium parentibus obedire; quandoquidem diuinis oculis non tam placet obsequiorum copia, aut eximij pretij summa, quam exprompta & religiosa obedientia. c.23. n.74. toto §.

Stupebant autem omnes super prudentia & responsis eius. Certè admirationi esse debet virtutem apud sæculum plausum obtinuisse, & puerum eximiis clarum virtutibus locum inter Doctores occupasse, quando apud homines non ita venerationem extorquet personæ meritum, vt collatum beneficium. c.23.n.48. toto §.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant. Dum proditur obsequenter deuotus, & plausibus refertur celebratus: sibi namque feliciter parat augmentum, qui virtuti obsequenter præstat officium. c.22 n.48. toto §.

Erat subditus illis. Dum pater, materque dolentes inquirunt, pueri commoda solertissimè procurantes, & puer libentissimè præstat obsequia,& exhibet erga parentes officia: nam, cui subiectorum curæ sunt commoda, libenter præstantur obsequia. c.21.n.18. toto §.

In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Christus Dominus Deo gestit non solùm obedire; sed laudabiliter adulari: Ierosolymis remanet, non tam impleturus præceptũ, quàm Patris opere adimpleturus studium; vt nos doceat laudabile esse diuinæ legis obseruasse præceptũ, illustrius tamẽ addidisse virtutis auctarium. c.21. n.65 toto §.

Remansit puer Iesus in Ierusalem. Non solùm in Ierusalem remanet; sed in templo, & in medio Doctorum degit; vt doceat opportuna virtuti loca eligenda: est namque inter magna beneficia censendum opportunis virtuti locis ac iustis comitibus viuere, vt inter supplicia locis virtuti aduersis, & cum hominibus prauis degere. c.21.n.55. toto §.

Dominica II. post Epiphaniam.

IOANNIS 2.

Haurite

Dominica in Septuageſima.

Matthæi XX.

Dominica in Sexageſima.

Lucæ VIII.

Domi

virtutis

tutis ſcholam; eſſet tamen mirum, & grauiter mulctandum, ſi Chriſti diſcipuli in ipſa virtutis officina elaborarent mendacia. Certè extra virtutis ſcholam improbus non ſemel ſuppliciorum impetrabit inducias, in illa prauus duriſſimas ſoluet pœnas.c.16.n.40.toto §.

Exterminant facies ſuas; dum à puluere auertunt oculos, erroris vanitates ſequuntur: nam qui mori non didicit, vitiis inſeruit, vt qui mori didicit, peccare non didicit: ideò Eccleſia mortis ingerit memoriam, quò ab animis depulerit culpam. c.13. n.56.

Vt appareant hominibus ieiunantes. Induſtriè fallunt aſpectus, vt lucrentur vaniſſimos plauſus; verùm etſi fefellerint arte, pœnas ſuſtinebant in morte. Certè in morte patitur ignominiam, quam in iuſtitia effugit in vita pœnam. cap.14 n.187.toto §.

Theſaurizate autem theſauros in cælo. Docet res noſtras ad aliud ſæculum relinquendo tranſmittere mortemque meditari, dum ait: *Memento homo*: vt de ſpontanea militate, mortiſque meditatione mortis eneruentur vires, & miteſcant rigores. Iuſti namque pœnis mortificationibus, & meditationibus armati cum morte congrediuntur viribus fracta; aliter decertarent cum integra. c.2.n.145.toto §.

Theſaurizate theſauros. Quàm ſapientes probantur, qui citò in cineres reſoluendi non ſine merito mouentur rebus omnibus diſpoliari: eſt namque ſumma ſapientia omnibus ſe ante mortem expedire, vt mortem valeant honeſte otioſis oculis contemplari c.24.n.181.toto §.

Feria ſexta poſt Cineres.

MATTHÆI V.

AVdiſtis, quia dictum eſt, &c. Vetat Chriſtus vindictam expetere, vt honori conſulas. quid ergo reſpondebis, dum noces, vt noceas, quando non adeò indecorum eſt nocere, vt habeas, quàm nocere, vt noceas? c.13.num.41. toto §.

Ego autem dico vobis. Res certè naturæ dura præcipiebatur: & ſi iis non adeò morigere audiebant, quando neceſſum fuit perſonam proferre, & auctoritatem oſtentare: ait namque: *Ego autem dico vobis*, cum exacta obedientia nec rem, nec perſonam diſcutiat, ſed cæcis oculis pareat.c.13. n.46.toto §.

Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri. Certè quod famæ, vitæve de iniuria videbatur diſpendium, exinde fuit dignitatis exordiũ, cum Dei filij nominantur, & ſunt, qui iniurias generoſe remittunt: ita accidere ſolet iuſtis, verti ſcilicet in felicitatis exordium, quod famæ, vitæve videbatur periculum.c.13 n.99.toto §.

Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. O vtinam ita ſit, vt ſcilicet diligamus proximũ, etiam nos iniuria afficientem, & odio proſequamur inimicum noſtrum, ſcilicet recriminationis affectum, certe plus nobis cauendum eſſet ab interno odio, quàm ab externo inimico: eſt enim prauus affectus interior peſtis, iniuria afficiens exterior hoſtis, & extraneo eſt deterior hoſte domeſticus inimicus c.13.n.154.toto §.

Ego autem dico vobis. Magnum gratiæ elogium, ſi homines errores depoſuerint antiquos: certè non vulgare miraculum eſt, ſi quod ſemel inhæſit animo, erroris deponatur iudicium. c.13. n.172.toto §.

Vt ſitis filij Patris veſtri. Honorabili illos nobilitat titulo, quo inimicorum veniæ ſæculis retro ignotæ digno inflammarit ſtudio: nam honorabilis ſeruitutis, filiationiſque titulus virtute exambit præclaros, & nullis culpis infectos.c.14. n.42.toto §.

Vt ſitis filij Patris veſtri. Inimico parcentibus honorabile filiorum eſt impertitus elogium, cum in aliis virtutibus excellẽti ſerui largitus ſit titulũ; verùm inimicorum amatores, dum ab antiqua conſuetudine probantur alieni, & tanto inueniuntur titulo digni: grande namque meretur nomen, qui multorum exemplo non traditur, nec praua conſuetudine inficitur.c 14.n.93.toto §.

Orate pro perſequentibus vos. Ad orationem confugere docet, quo odij impotentes affectus ſopiant, & vindictæ ſtudium extinguant: eſt namque oratio honeſtæ operationis energia, eaque difficillima perficiuntur, ægrè ſine illa minora patrantur. c.14. n.117. toto §.

Dictũ eſt antiquis. O quam exulabat vera charitas, dum plurimorum ad vindictam concordabat ſocietas: dum omnes in vindicta conueniunt, charitatem adulterant: nec virtutis flore poterat regnum, dum omnium ad vindictam concordabat ſtudium.c.14.n.121.toto §.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros Dei filiis ardua proponit, & difficillima iubet: inimico ſcilicet benefacere, & pro maledicto preces effundere; verùm dum Dei filios vocat: *vt ſitis filij Patris veſtri*, vti eximia virtute præditos ipſis difficultatibus inflammat: eximię namque virtutis viri ipſis arduitatibus irritantur, & honeſtis difficultatibus accenduntur.c.14.n.160. toto §.

Orate pro perſequentibus vos. Non ſolùm iubet parcere; ſed orare: quò quis longiùs à ſumenda diſtet vindicta, inuigilare docuit accuratiùs ſolertiam, qua parte nouit imbecilliorem naturam. Et certe qua quis vitiis acriùs impetitus, aut miſerabiliùs ſubiectus, ea parte ſtudioſiùs inuigilare debet armatus.c.15.n.49.toto §.

Dictum eſt antiquis: Ego autem dico vobis. Ne humana auctoritas traheret ad vindictam, diuina auctoritas docuit veniam: nec ſuperfluè quidem: nam facilè quauis trahimur ſuaſione ad humana, difficillimè allicimur ad diuina. c.15. n.122.toto §.

Ego autem dico vobis. Chriſti diſcipuli tenentur parcere, vt omnes alios non offendere: ergo Chriſtus ſuos vult aſpicere nomen, qua nos parte grauat, non factum, qua parte alios onerat. alij tenentur iniuriam non inferre; ſed cogimur veniam dare: vindictæ ergo ſtudioſus rem aſpicere ſolet, qua parte alios grauat, non qua ipſum onerat.c.17.n.107.

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros. Hæc Chriſtianorum eximia laus, exemplis nullis ſuaſos veniam iniuriis hominibus dilargiros. Et quidem glorioſum eſſet ad virtutem ductorem ſequi; ſed glorioſius ſibi viam facere, & ſequentibus aperire. c.17 n.127.toto §.

Ego autem dico vobis. Profectò diuina auctoritas nos ad obediẽdum adurget; verùm id hominum eſt ingenium, vt alacriùs obeant difficillima ab hominibus imperata, lentè ab ipſo Numine iuſſa. c. 18.n.144.

Ego

Dominica I. in Quadragesima.

MATTHÆI 4.

Feria IV. post Dominicam I.

MATTHÆI XII.

Feria VI. post Dominicam I.

IOANNIS V.

Memoria obuolue, quot ærumnas ob scelera sustinueris, vt facilè & expeditè ad virtutem gradiaris; nam sceleris puniti memoria valida aduersus vitij suggestiones ministrat arma. c.23. n.58. toto §.

Qui me sanum fecit, ille mihi dixit. Obedientiam Deo dicat ad salutis gratitudinem exhibendam: & quidem grandius Deo obsequium religiosa obedientia, quàm ingentis valoris copia. c.23. n.74. toto §.

Sabbathum est, non licet tibi. Certè si culpa esset grabatum ferre, iure optimo reprehendebatur: nam nulla in religionem leuis est culpa, vt rigida non puniatur pœna. c.23.n.79.toto §.

Hominem non habeo. Profectò dum hominem quærit, & sibi calamitatem adauget: nam spes in homine collocata est calamitatis auctarium; in Deo aduersitatum remedium.cap.23 num.99. toto §.

Dominica II. Quadragesimæ.

MATTHÆI XVII.

A*ssumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Excelsum montem inscendunt, illucque eos Dominus ducit, quo, dum Moysis & Eliæ intuentur præmia, patiendi etiam pectore foueant studia: efficaciter namque allicit ad virtutem consilium, vbi obseruatæ virtutis videtur præmium. c.24 n.14. toto §.

Duxit illos in montem excelsum seorsum, vt à discipulis scandalum passionis amoueret, gloriam ob passionem acquirendam ostendit: & quidem eximius probabatur amor, dum non expectauit depellere damnum; sed prouidenter arcuit periculum. c.24.n.23. toto §.

Faciamus hic tria tabernacula. Desiderabat Petrus Christum Dominum luminibus semper fulgere, stultitiæ tamen notam incurrit, dum ignorat non esse sumptuosiorem felicitatem, externis fulgoribus emicare; sed internis virtutum luminibus refulgere cap.24. num.28. toto §.

Petrum, & Iacobum, & Ioannem. Dum numerus Apostolorum magnus relinquitur, beneficium electorum incrementatur: est namque magnum Dei beneficium, quòd relictis aliis te ad altioris vitæ vocauerit cultum, & ad virtutis obsequium. c.24.n.48. toto §.

In montem excelsum seorsum. Non solùm destiterant à peruersis; sed à peruersorum etiam confiniis: nam virtutis asseclis satis non est à vitiis recedere, sed a vitiorum confinio distare. c.24. n.61. toto §.

Ipsum audite. Recesserant à sæculo montem inscendentes grandi distantia, audire iussi sunt, vt animi recesserint etiam sententiâ: nec enim satis est longis à sæculo recessisse interuallis, nisi animi firmis recesseris etiam decretis. c.24.n 65. toto §.

Petrum, & Iacobum, & Ioannem. Antea Petro piscium copiosam multitudinem fuerat largitus; sed modò grandius in illum contulit beneficium; imò ea solum plene vocanda sunt beneficia, quæ spectant ad gratiam, non quæ pertinent ad naturam. c.24.n.71. toto §.

Resplenduit facies eius sicut Sol. Cruci citò affigendus clarissimis anteà voluit luminibus fulgurare, quò in amoris obsequium calamitatem augeret: quandoquidem duriùs premit calamitatis miseria post prosperitatis fastigia. cap.23. n.135. toto §.

Hic est Filius meus dilectus. Dei probabatur filius, qui gloria perpetuò frui tantisper differebat, vt mortem subiret, quique amicorum non potuit retardari consiliis; nam extra humanum quidem morem est, si quis dignitatis possidere differat celsum, vt virtuti exhibeat officium. c.23. n.184. toto §.

Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, &c. Non pudebat discipulos à Moyse Eliaque splendorum censu vinci, cùm dum regnum humanum putant, Iacobus & Ioannes gestiuerint antecellere; sed iam hominibus ingenitum est, vt paruipendant virtutibus ab alio superari, cùm humanis commodis omnibus velint præire. c.24.n.75. toto §.

Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, &c. Nescio quod ab Elia, Moséque contra aduersarios Petrus sperabat auxilium; sed suis sibi votis contradicebat, dum spem totam non in solo Deo; sed in hominibus collocabat. Ob id fortassis de imprudentia sugillatur: ait namque alius Euangelista: *Nesciens quid diceret*: nam spes in homine collocata est calamitatis auctarium, in Deo aduersitatum remedium. cap.23. n.99. toto §.

Faciamus hic tria tabernacula. Tabernacula amat, quibus tegi possint aduersus hostiles insultus; alibi tabernacula non cupiuerat; verùm cacumine montis exambit: *Faciamus*, inquit, *hic*: nam prudens validiùs armatur aduersus faustæ fortunæ periculum, quàm aduersus tempestatis aduersæ flatum. c.23. n.53. toto §.

Ipsum audite: differentem equidem de passione: gloriam sibi Dominus angustat, vt nitidior fax charitatis resplendeat: ardentiùs namque resplendet charitas, dum sibi angustatur, ne proximus fœdis peccatorum sordibus maculetur. c.22. n.103. toto §.

Ipsum audite. Dum passionem discupit, vt hominum deleat scelera, zeli ardentissima resplendet pompa: viuidus namque zelus plus curat alienis culpis mederi, quàm humana sibi commoda incrementare. cap. 22. num.81. toto §.

Ipsum audite; vt sermo Dei filium probauerit, quandoquidem grandi luminum pompa fulgens ambitiosè virtuti inseruit: est enim grande miraculum, & extra humanum stylum culminis possidere celsa, & honesta ambitione virtutum fouere studia. c.22.n.67. toto §.

In montem excelsum seorsum. Dum inscendunt, nullatenus dormitant; at cacumina tenentes ab alio Euangelista somno referuntur grauati: quod humanum quidem est: quisque namque solerter inuigilat, vt possederit alta; dormitabit desidiosus, si iam occupauit excelsa. cap.22. n.23. toto §.

Faciamus hic tria tabernacula: Desiderabat Petrus opportunis speculationi locis viuere, cùm Moyséque, & Elia degere: sciebat namque inter magna Dei beneficia censendum; opportunis virtuti locis, ac iustis comitibus viuere, vt inter supplicia locis virtuti aduersis, & cum hominibus prauis degere. cap.21.n.55. toto §.

Ipsum audite. Vbi altitudinis possedere fastigia, expromptiùs iubentur Dominica adimplere

Feria IV. post Dominicam I.

MATTHÆI XX.

Feria VI. post Dominicam II.

MATTHÆI XXI.

Dominica III. quadragesimæ.

LVCÆ XI.

Feria IV. post Dominicam III.

MATTHÆI XV.

Feria VI. post Dominicam III.

IOANNIS 4.

Venit

Dominica IV. Quadragesimæ.

IOANNIS VI.

susce

Feria IV. poſt Dominicam IV.

Ioannis IX.

Feria VI. post Dominicam IV.

IOANN. II.

Dominica in Paßione.

IOANNIS VIII.

Feria IV. poſt Dominicam V.

IOANN. X.

Pro Conuersione Magdalenæ adi eius Festum.

Feria VI. post Dominicam V.

IOANNIS II.

Hic

Dominica in Palmis.

MATTHÆI XXI.

De Christi oratione facta in horto.

LVCÆ XXII.

Apparuit

Index ad Conciones.

De vnctione Christi facta à Magdalena.

IOANNIS XII.

Feria V. In Cœna Domini.

IOANN. XIII.

De Planctu Mariæ Virginis.

IOANNIS XIX.

Feria II. in Resurrectione Domini.

Lucæ XXIV.

Dominica

Dominica in Albis.

IOANNIS XX.

In Litanijs Maioribus

LVCÆ II.

In Ascensione Domini.

MARCI XVI.

In die Pentecostes.

Actor. II.

In festo Sanctissimæ Trinitatis.

MATTHÆI XXVIII.

In Solemnitate Corporis Christi.

IOANNIS VI.

PRO SANCTIS.

Pro festo S. Andreæ Apostoli.

MATTHÆI IV.

nique

Pro S. Francisco Xauerio P. N.

Lucæ XII.

Pro S. Ambrosio, & SS. Doctoribus.

Matthæi V.

Pro Conceptione B. Mariæ.

Matthæi II.

In Festo Expectationis.

Lucæ I.

Pro S. Thomæ festo recognosce dicta pro Dominica in Albis.

In Festo S. Sebastiani.

Lvcæ VI.

In Conuersione S. Pauli Apostoli.

Actor. IX.

Pro S. Agnete, & Virginibus.

MATTHÆI XIII.

In festo Purificationis B. Mariæ Virginis.

LVCÆ II.

In festo S. Matthiæ Apostoli.

MATTHÆI XI.

In festo S. Iosephi Deiparæ Sponsi.

MATTHÆI I I.

In festo Annuntiationis B. Mariæ Virginis.

Lucæ I.

In Festo SS. Apostolorum Philippi & Iacobi.

Ioannis XIV.

In festo Inuentionis S. Crucis.

Ioann. III.

In Festo S. Ioannis ante portam Latinam.

Matthæi XX.

Possumus.

In appar. S. Micahaëlis Archangeli.

MATTHÆI XVIII.

In festo B. Ludouici Gonzaga.

LVCÆ XII.

Expectan

In Natiuitate S. Ioannis Baptistæ.

LVCÆ I.

In festo S. Petri Apostoli.

MATTHÆI XVI.

Pro commemoratione S. Pauli recole in eius Conuersione dicta.

In Visitatione B. Mariæ Virginis.

LVCÆ I.

In festo S. Mariæ Magdalenæ.

Lucæ VII.

In Festo S. Iacobi Apostoli.

Matth. XX.

In

Index ad Conciones.

In festo S. Annæ.

Matthæi XIII.

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. Ager sterilis videbatur nullis luxuriantibus flosculis redimitus; verùm ostendebat thesaurum de pretio opulentum, de opulentia eximium. O quoties iustis solet esse felicitatis exordium, quod famæ videbatur periculum. cap. 13. num. 99. toto §.

Thesauro abscondito in agro. Certè Anna Ioachimúsque thesauros suos in agros, hoc est in paupere absconderunt, vt cælum totum inuenirent, hoc est, virginem Mariam. Certè stabili censu, grandíque fœnore recuperantur in filiis, quæ misericorditer tribuuntur egenis. c. 13. n. 176.

Vendit omnia quæ habuit, & emit eam. Anna omnia, quæ habuit, pauperibus dilargita est, & cælestem margaritam, hoc est Virginem Mariam eleemosynis, si fas est dicere, emit, dum egenis succurrit, Certè officina felicitatis sunt pauperes: accipit namque lucroso diues commercio diuina, dum largitur humana. c. 13. n. 180. toto §.

Dedit omnia sua, & comparauit eam. Dignum fuit, vt comparata margarita luceret fortunata, quæ quidquid mundus magni habet, despexerat generosa: dum apud Dominum Beata Anna de præmio fulgurat excellentior, & virtutibus probatur præstantior: optima namque regiminis politia est, si virtutibus præstantior & præmiis effulserit excellentior. c. 14. n. 32. toto §.

Quem qui inuenit homo. De thesauri opulentia censetur inuentoris felicitas: & quidem B. Annæ de filiæ sanctitate felicitatéque resplendet fortuna, probanturque merita, quandoquidem in virtutis præmium datur posteros habere felices, vt in supplicium felicitatis exortes. c. 14. n. 139. toto §.

Quem qui inuenit homo. Etsi thesaurus referatur inuentus virtutum est meritis comparatus: & certè in stabili Dei Republica pro meritorum ratione dignitatum tribuuntur celsa: vnde facile est coniicere quantis virtutibus sanctissima emineat Anna. c. 15. n. 13. toto §.

Quam, cùm impleta esset, educentes. Concorditer plures educunt, & felicitatem de concordia stabiliunt. O quàm inter Annam & Ioachimum cælestis concordia effloruit, quam ad filiam impetrandam valuit! Inter coniuges namque honesta concordia est virtutis officina, & felicitatis vena. c. 15. n. 158. toto §.

Quem qui inuenit homo, abscondit. Ager ille ex se sterilis de thesauro nobilitatur, & de inuentis diuitiis plurimis antefertur: & quidem Anna de filiæ laude exornatur, & ob nepotem anticipata gloria suspicitur: ob futuri namque excellentiam filij non semel anticipata resplendent parentes gloria, nec tanguntur ignominia. c. 17. n. 16. toto §.

Thesauro abscondito. Thesauri nomen denuntiat plurima elogia, quantumuis diuitiarum non taxet pretia. Anna ergo ipso nomine qualis sit, indicat, quandoquidem nomen gratiam augustissimam sonat: illustre namque nomen sumptuosius laborum præmium: alieni plausus non quærat præconia, qui digna vocabulo elogiorum profert augmenta. c. 17. n. 20. toto §.

Abscondito in agro. Dum se Anna ab humanis oculis abscondit, gaudium mundo, & cælestibus parturit. Certè quæ pudicitiæ fœminæ student, nominis æternant famam, & sortiuntur fortunam. c. 17. n. 41. toto §.

Thesauro Abscondito in agro &c. Et ex omni genere piscium congreganti, &c. Thesaurus multimodas cogit diuitias, sagena ex omni genere congregat; vt noueris B. Annam & cælestium thesaurum fuisse diuitiarum, & sagenam virtutum. O quàm aliter nobis accidit! cùm omnium virtutum debeamus florere censu, nobis plaudimus, si vnius aut alterius resplenduerimus ornatu. c. 18. n. 92. toto §.

Thesauro abscondito in agro. Quid necessum est huius agri pulchritudinem referre, quando cælesti præparabatur thesauro? cum Deus, quos operibus magnis destinat, ab exordio virtutum excellentiis insigniat. c. 18. n. 154.

Thesauro abscondito. Post inuentum thesaurum adhuc cælestis mercator margaritam suspirat, & quia quærit, inuenit, vt doceat perfectionis asseclas nunquam satiari; sed post omnia nobili ardore aliquid amplius ambire. c. 19. n. 59. toto §.

Abscondit, & præ gaudio &c. Si externa spectes, vti infœcundum damnabis agrum, si interna, diuitiis allaudabis exundantissimum. O quàm sapiens fuit, qui de diuitiis lætabatur absconditis, non de floribus solummodò aspectui gratis. Certè sumptuosior felicitas non est externis bonis fulgere; sed internis virtutum luminibus emicare. c. 13. n. 28. toto §.

In Festo S. Protoparentis Nostri Ignatij

Lucæ XII.

Sint lumbi vestri præcincti. Magna Domini laus est eam sortiri familiam, quæ clarissimis lucernarum fulgoribus sæculi depulerit tenebras, & arctissimo cingulo castitatis colat munditias: & quidem, vt alij religionum fundatores, Noster P. Ignatius hac prærogatiua resplendet: rectè namque adeò institutam sortitur familiam, vt ab illa nihil virtuti aduersum possit timeri, nec moribus contrarium præsumi. c. 14. n. 165. toto §.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ, &c. Quò de tenebrarum triumphent erroribus; cincti diuinis obtemperant præceptis: & quidem Ignatium tot de gehennalibus hostibus reportasse trophæa, testatur expromptissimè adimpleuisse mandata: nam quò diuinis quis illigatur arctiùs præceptis, illustribus resplendet & triumphis. c. 24. n. 141.

Sint lumbi vestri præcincti. Virtute suos armat, vt & triumphis redimiat: profectò castitatis cingulum aduersus hostium valet conatus: triumphat fragilitas virtute armata, cùm humana potentia sæpè sæpiùs cesserit victa. c. 23. n. 64. toto §. Hinc disces, quali se pœnitentiæ, virtutísque cingulo Ignatius armauerit, cùm tot persecutiones, & inuidiæ adsultus vicerit.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, &c. Cingulo, & quidem arctissimo Ignatius constringitur, quo candidissima luce proximum à peccatorum sordibus extrahat: famam vitámque paruipendit, & proximis contra peccata suppetias asciscit: ardentissima resplendet charitate, dum sibi angustatur, ne proximus fœdis peccatorum sordibus maculetur. c. 22. n. 103. toto §.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes. Sic Ignatij ardebat zeli lucerna, vt propria commoda oblitus alienis culpis mederi conaretur anhelus. Et quidem ardens zelus studiosiùs curat alienis culpis

---

Pro Festo Transfigurationis Domini vide quæ diximus pro Dominica II. Quadragesimæ.

Pro festo S. Laurentij.

IOANNIS XXII.

Si

In Assumptione B. Mariæ Virginis.

Lucæ X.

In festo S. Bartholomæi Apostoli.

LVCÆ VI.

Elegit

In Natiuitate B. Mariæ Virginis.

Matthæi I.

Pro festo Exaltationis Sanctæ Crucis, Recole dicta pro eius Inuentione.

In festo Sancti Matthæi.

Matthæi. IX.

Pro dedicatione S. Michaëlis consule, quæ diximus pro eius apparitione.

In festo S. Francisci Borgiæ.

Lucæ XII.

Pro festo S. Francisci de Aßis.

MATTHÆI XI.

In festo S. Lucæ Euangelistæ.

LVCÆ X.

In festo SS. Apostolorum Simonis & Iudæ.

Ioannis XV.

discrimini

In festo omnium Sanctorum.

Matthæi V.

Pro Commemoratione omnium fidelium defunctorum.

Ioannis V.

In festo Præsentationis Beatæ Mariæ.

Lucæ XI.

Liber

Liber Iosue.

CAPVT XIII.

Vers.1.
IOSVE senex prouectæque ætatis erat, & dixit Domi-
nus ad eum: Senuisti, & longæuus es, terráque latissima
derelicta est, quæ necdum sorte diuisa est: 2. Omnis vi-
delicet Galilæa, Philisthiim, & vniuersa Gessuri. 3. A flu-
uio turbido, quæ irrigat Ægyptum vsq; ad terminos Ac-
caron contra Aquilonem: terra Chanaan, quę in quinque
regulos Philisthiim diuiditur, Gazæos & Azotios, Asca-
lonitas, Gethæos, & Accaronitas. 4. Ad Meridiem verò sunt Heuæi, omnis terra
Chanaan, & Maara Sidoniorum vsque Apheca, & terminos Amorrhæi, 5. eiúsque
confinia Libani quoque regio contra Orientem à Baalgad sub monte Hermon,
donec ingrediaris Emath. 6. Omnium qui habitant in monte à Libano vsque ad
aquas Maserephoth, vniuersíque Sidonij. Ego sum, qui delebo eos à facie filiorum
Israel. Veniat ergo in partem hæreditatis Israël, sicut præcepi tibi. 7. Et nunc
diuide terram in possessionem nouem tribubus, & dimidiæ tribui Manasse, 8. cum
qua Ruben & Gad possederunt terram, quam tradidit eis Moyses famulus Domini
trans fluenta Iordanis ad Orientalem plagam 9. Ab Aroër, quæ sita est in ripa tor-
rentis Arnon, & in vallis medio, vniuersáque campestria Medaba vsque Dibon:
10 Et cunctas ciuitates Sehon regi Amorrhæi, qui regnauit in Hesebon, vsque ad
termiminos filiorum Ammon 11. & Galaad, ac terminum Gessuri, & Machati, &
omnem Montem Hermon, & vniuersam Basan vsque ad Salecha. 12. Omne
regnum Og in Basan, qui regnauit in Astharoth, & Edrai, ipse fuit de reliquiis Ra-
phaim: percussítq; eos Moyses atque deleuit. 13. Noluerúntque disperdere fi-
lij Israel Gessuri, & Machati, & habitauerunt in medio Israël vsque in præsentem
diem. 14. Tribui autem Leui non dedit possessionem, sed sacrificia & victimæ
Domini Dei Israël ipsa est eius hæreditas, sicut locutus est illi. 15. Dedit ergo
Moyses possessionem Tribui filiorum Ruben iuxta cognationes suas. 16. Fuit-
que terminus eorum ab Aroër, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, & in valle eius-
dem torrentis media: vniuersam planitiem, quæ ducit Medaba, 17 Et Hese-
bon, cunctósque viculos earum, qui sunt in campestribus: Dibon quoque, & Ba-
mothbaal, & oppidum Baalmon. 18. & Iassa, & Cedimoth, & Maphaath. 19. &
Cariathaim, & Sabama, & Sarathasar in monte conuallis. 20. Bethphogor, &
Asedoth, Phasga, & Bethiesimoth, 21. Et omnes vrbes campestres, vniuersáque
regna Sehon regis Amorrhæi, qui regnauit in Hesebon, quem percussit Moyses
cum Principibus Madian, Heuæum, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe duces Sehon
habitatores terræ. 22. Et Balaam filium Behor Ariolum occiderunt filij Israel
gladio cum cæteris interfectis. 23. Factúsque est terminus filiorum Ruben Ior-
danis fluuius. Hæc est possessio Rubenitarum per cognationes suas vrbium & vi-
culorum 24 Deditque Moyses tribui Gad & filiis eius per cognationes suas
possessionem, cuius hæc diuisio est. 25. Terminus Iaser, & omnes ciuitates Ga-
laad, & dimidiam partem terræ filiorum Ammon vsque ad Aroër, quæ est contra
Rabba 26 Et ab Hesebon vsque Ramoth, Masphe, & Betonim: & à Manaim
vsque ad terminos Dabir. 27. In valle quoque Betharan, & Bethnemra, & So-

chot & Saphon reliquam partem regni Sehon regis Nesebon: huius quoque finis Iordanis est vsq; ad extremam partem maris Cenereth trans Iordanem ad Orientalem plagam. 28. Hæc est possessio filiorum Gad per familias suas, ciuitates,& villæ earum. 29. Dedit & dimidiæ tribui Manasse, filiisque eius iuxta cognationes suas possessionem, 30. cuius hoc principium est à Manaim vniuersam Basan, & cuncta regna Og Regis Basan, omnesque vicos Iair, qui sunt in Basan, sexaginta oppida. 31. Et dimidiam partem Galaad, & Astharod,& Edrai vrbes regni Og in Basan: filiis Machir, filij Manasse dimidiæ parti filiorum Machir iuxta cognationes suas. 32. Hanc possessionem diuisit Moyses in campestribus Moab trans Iordanem contra Iericho ad Orientalem plagam. 33. Tribui autem Leui non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israël ipse est possessio eius, vt locutus est illi.

§. I.

Commentarius litera.

Vers. 1. Iosue senex prouectæque ætatis erat, & dixit Dominus ad eum. Senuisti & longæuus es, terraque latissima derelicta est, quæ needum forte diuisa est.

1. OMNIA suis temporibus maturâ summâque prouidentiâ aptat Deus: Iosue iuuentutem virilemque ætatem perperuis, difficillimisq; bellis exercuit; senilem autem, in qua clariùs prudentia scintillat,& dissipatis iuuenilis ardoris nebulis micantiùs rutilat, terræ sortitioni destinat. Et quidem si Iosue robusta ætate diuidendis spoliis, tribubusque locandis studuisset, non modica temporis spatia insumeret, & felicem in debellandis hostibus abscidisset cursum; tum verò robustam ætatem armis impendit,& senilem partitioni spoliorum adscribit, nec victorias differt, nec partis bello deliciis detrahit. Hanc ergo œconomiam studiosè attendisse Deum, caput hoc clarissimè euincit: iam enim grandæuo, arduisque & difficillimis bellis quadantenus fracto à bellorum insultibus inducias facit, & veluti rude donat. Maturauit etiam hæreditatis sortitionem Deus, quò fidem suam ipsi Iosue capite primo oppigneratam liberaret: ibi enim promisit: *Tu sorte diuides populo huic terram pro qua iuraui patribus suis, vt traderem eam illis.* Ne ergo imminens iam mors obstaret, statim ad opus sortitionis vrget, quò omnibus sit conspicuum terram, pro qua patribus iurauit, Hebræis traditam, & à Iosue rationabili sortitione diuisam. Non expugnauit decantatissimus hic dux omnem terram diuino Hebræis beneficio obuenturam, eam tamen tribubus assignauit, ne postea implacabiles difficultates orirentur, si quis minoris auctoritatis opus sanè arduum aggrederetur illud: *Quanquam terra diuidenda*, inquit Arias Montanus, *auctoritatem & facultatem plenam hoc responso Deus Iosue tradidisset, non tamen totius regionis expugnationem huic vni duci commisit.* Et quidem sæpe non adeò arduum est hostes subigere bello, vt milites nullo discordare dissidio. Audiamus oraculum, vt quantum diuina gratia arriserit, sensum medul-

Iosue 1.v.6.

Arias Mont. hic.

litus eruamus, ad moresque postea arcana litteræ mysteria concinnè aptemus: *Iosue senex prouectaque ætatis erat.* Addunt etiam Septuaginta, *Et Iosue senex prouectus diebus.* Paraphrasis Chaldaica: *Et Iosue senex intrans in dies.* Tomo 1. §. 5. notaui Hebræo sermone particulam (&) sæpissimè redundare: apponunt namque illam ad rotundiorem periodi concinnitatem: hîc, vt Masio placet, coniunctio istarum rerum narrationem superioribus annectit; nam tunc demum senectus Iosuam vrgere cœpit, cùm superiùs relata bella felici industria peregisset, spoliaque ditissima reportasset. Verbum Hebræum *Zaken*, significat senem cano capite, & viribus debilem, de quo illud Iambicum: *A pralys atas sua auocat senes.* Illud autem, *processerat in dies* à tautologiæ vitio vindicat Masius, quasi non tam denotet ætatem longæuam primo iam verbo signatam, quàm vitam virtutibus plenam, & placidam morum concinnitatem, scripturæ more. Audi Masium: *Aut temerè alÿ in dies processisse, aut pleni dierum esse dicuntur, quàm ÿ, qui sanctè vixerunt: quippe quibus exacti dies non perierunt, neque frustra sunt traducti per vana studia: sed per egregia virtutum facinora.* Assentior, sed moralitatem hoc sapit; at ego, si meo iudicio fiderem, sic litteram explicarem, scilicet vtrumque verbum denotare Iosue capillis albicantem, & iam quodammodo eneruem ætatis censu ac temporum lapsu: cùm enim senectus variis ex causis nonnunquam accidat, Iosue refertur hîc senex non temperiei, aut voluptatis incommodo: sed dierum cursu. *Refert Asclepiades Æthiopas* (verba sunt Plutarchi de sanitate, morbo, & senectute lib.5. cap.30.) *maturè senescere anno trigesimo, quòd cùm Sole adurantur, nimiùm efferuescant. In Britannia homines centenos vicenos annos viuere quòd ille rigeat tractus.* Itaque senectus alicubi maturatur non rotatu annorum, sed influxibus syderum. Corporis etiam, voluptates vires expectorare, & enerues homines vel in iuuentute excudere, frequentiùs quàm fas esset, videmus. Adde malam corporis habitudinem aduocare senectam, & non grato candore respersisse sæpè capillos. Dolebat de se Seuerinus Boëtius lib.1. de consolat. metro 1.

Venit enim properata malis inopina senectus,
Et dolor ætatem iussit inesse suam.
Intempestiui funduntur vertice cani,
Et tremit effœto corpore laxa cutis.

Vides variis ex causis euigorari corpora, candicare capita, vtque Iosue senectus nec regionis incommodo, nec voluptatis lubrico, aut doloris adscribatur tormento, plenus dierum dicitur: cui proposito clausula illa *plenus dierum*

non

Hebr.

Septuag.

Chald.

Masius.

Plutarch.

Æthiopes trigesimo anno senescunt.

Britanni longissima tempora viuunt.

Boëtius.

non otiosa videtur; sed necessaria præcedenti coniungitur: Nec erat satis hac vnica senectutem exprimere: sæpiùs namque quàm deceret, post longissimos annorum tractus homines iuuenescunt, ne dicam repuerascunt, iuxta illud: *Puer centum annorum.* Concordat Plautus in Trinummo 1. Scen. 2. v. 5. *Hic ille est, senecta ætate qui factus est puer.* Itaque vtrumque coniunxit, scilicet senem, & ætatis prouectæ, vt virum omni veneratione dignum signaret. *Dixit Dominus ad eum: senuisti, & longæuus es.* Quomodò ad Iosue delatum oraculum, auctoribus dubium. De modis loquendi egi 1. tom. illum consule, & commodiorem elige; si tamen aut ad manum non habes, aut inuestigare fastidis, puta ex aliqua resplendenti nube vocem ad Iosue delatam, quam audire etiam populum conducebat, ne aliquis circa sortitionem dubius animo hæreret scrupulus, dum factam existimant ducis arbitrio, non cælestis gubernatoris præcepto.

Isai. 65. v. 20. Plautus.

2\. *Senuisti, & longæuus es, terráque latissima derelicta est.* Credibile est Iosuam, etsi non adeò viribus firmum, nec antiquo robore validum, animum ignaue non despondisse; sed vlteriora prælia animosè tentasse: ne ergo senectutis incommodis bellorum adaggerarentur ærumnæ, iubet Deus prælus abstineat, & collocandis veluti in dulci nido tribubus sortes rationabiles consulat. Quasi dicat: Multi hoste subigendi restant; sed ne ob id longiùs distributionem miseris, aut diutiùs protraxeris: ego enim ipse reliquos opportuno tempore exterminabo; interim tamen eorum mihi opera erit commoda ad populi aliquando castiganda flagitia. Qua ætate tunc Iosue fuerit, dubium. Putat Abulensis fere eandem ac Caleb, habuisse. Si ergo coæui fuerint, octoginta quinque annos habebat. Vide Abulensem quæst. 1. Noster Salianus tom. 2. ad annum mundi 2589. nonagesimum nonum tunc agere censuit, iuxta ea quæ annitio Principatus Iosue diffiniuerat. Neutrum firmum illud certum, eadem fuisse ætate, quæ feriare, otióque dicari consuleret. *Non est in duce perfecta laus*, agebat Cassiodorus, *asserere semper anxios labores.*

Non est in duce perfecta laus anxios semper asserere labores.

Abulens. Salian.

Cassiod.

3\. *Terraque latissima derelicta est, quæ necdum sorte diuisa est.* Paraphrasis Chaldaica paulò aliter habet: *Terra relicta est multa valde ad possidendum eam.* Textus Hebræus nostræ litteræ arridet: sic habet in Bibliis Regiis: *Terra latissima derelicta est, quæ necdum sorte diuisa est.* Septuaginta Chaldaicam lectionem firmant: sic enim habent: *Terra relicta est multa valde in possessionem.* Saliano placet hic allusum fuisse ad terram illam à Moyse diuisam ante Iordanem. Non dubitarem veri genuinum sensum putare terram nondum sorte diuisam, id est, nondum debellatam, & occupatam; debellandam tamen, & occupandam adeò certò, vt in sortem, & hæreditatem Hebræorum cùm iam debellata, venire posset. Hæc exceptio, *Quæ nondum sorte diuisa est*, nonnullis persuasit hanc bis hæreditatem diuisam, priùs non stabili iure, immutabilique decreto; sed prout ferebat opportunior occasio; postea tamen ritè iuréque Numine præcipiente diuisam. Consule Tostatum quæst. 3. nonnullis hæc diuisio improbatur; mihi verò congruum satis videtur capta loca tribubus prout videbatur, ad commodius habitandum tributa: nec enim prudentiæ erat amplissimas regiones longo temporis tractu desertas, inhabitatásque reliquisse. Iosue ergo illas consultissimè Israëlitis descripsit non vti dominis, sed vti ad tempus incolis: hanc verò diuisionem, descriptionémque exceptiuo illo verbo, *Quæ nondum sorte diuisa est*, indicari non censeo; sed prudentibus coniecturis definio. Et quidem, si verbum illud exceptiuum fuisset, in sortem tantummodò venire deberet, quæ non diuisa, non quæ distributa; hîc verò de omni terra trans Iordanem agi dubium non est: post oraculum namque sortitio sua cuique loca descripsit inuiolabili iure, nullis posteà nominibus improbando, aut litibus confundendo. Decreuit Numen hanc sortitionem à Iosue fieri, vt vitæ clausulam nulla obliuione obscurandam apponeret. *Sic se magnorum beneficia semper extollunt* (Attalaricum audis 8. var. 9.) *vt, & quibus imperare nequeunt, iura venerationis imponant. Diligit omnis memor mens sui prouectus semper auctorem, & mortalitatis iura nesciunt, qui beneficijs non tenentur.*

Chaldaic. Hebr. Septuagint. Salian. Tostat.

Cassiodor. Si bon nem negat, qui accessu non tenetur beneficijs



§. II.

Commentarius litteræ.

Vers. 2. Omnis videlicet Galilæa, Philistiim, & vniuersa Gessuri.

TEXTVS Hebræus in Bibliis Regiis nostræ litteræ consonat: Septuaginta, & Paraphrasis Chaldaica dissident: discordantiæ ratio ea est, quia in Hebræo verbum illud, quod noster interpres vertit Galilæa, est in plurali numero גלילות *Gheliloth*, quod limites aut terminos significat. Sic Chaldaica: *Hæc terra, quæ relicta est, omnis terminus Philisthinorum, & omnium Gessuræorum.* Ferè eodemmodo Septuaginta: *Hæc est terra relicta, omnes termini Philistiim, & vniuersa Gessuri.* Eodem modo legunt Rabbini. Masio idem placet: *Mihi vero*, inquit, *videtur vsurpari propriè hoc verbum de his oris, quæ ad maria aut flumina sunt, vel propter sinuosos littorum, & riparum recessus, vel quia fluctus illis ventis, & æstu reciprocantur, volutatímque ludunt, vel denique à congestis ibi passim arenarum tumulis.* Placet idem Magalliano, Abulensi quæst. 3. Marianæ. Certum est hic non agi de prouincia communiter in textu Galilæa vocata, cùm illa hac tempestate iam subacta fuerit, & modo de subigendis agatur: vnde aut vocabulum *Galilæa* terminos, vt his authoribus placet, designare, aut regionem aliam notare arbitror. Mariana noster coma expungendum censuit: itaque tunc sic legenda periodus. *Omnis Galilæa Philistiim, &c. Vniuersa Gessuri.* Putat N. Salianus regionem alienigenarum in Syria fuisse, Hieronymúmque testem allegat: & quamuis textus vniuersam dicat, non comprehendit aliam Gessuream Ægypto, & Amalecitis vicinam Dauidis excursionibus, atque etiam vxore celebratam: ita Salianus, & Masius. 4.

Hebr. Chaldæa. Septuag. Masius. Magal. Marian. Abulens. Salian. Gessuri duplex. Masius.

Vers. 3. A fluuio turbido, qui irrigat Ægyptum, vsque ad terminos Accaron

ron contra Aquilonem : terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philisthiim diuiditur, Gazæos, & Azotios, Ascalonitas, Gethæos & Accaronitas.

5. Septuag. Fluuium Septuaginta omiserunt sic orsi : *Et Chananeus à terra inhabitata, quæ è regione Ægypti, vsque ad terminos Accaron à sinistris Chananæorum.* Chald. Chaldaica paraphrasis : *A Sihhor, qui super faciem Ægypti, vsque ad terminum Shekron ad Septentrionem super terram Chenaghanaorum censa est.* An fluuius hîc Nilus, alterve fuerit, non eadem omnium sententia est. Masius. Magallian. Marian. Arias Mont. Masius, Nilum esse putat, aut certè Nili brachium : assentit Magallianus, Mariana, Arias, Montanus, & alij; noménque Sihhor id non obscurè indicat : ad illum namque Ieremiæ locum : Ier. 2. v. 18. Pagnin. *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* in originali est, *Sihhor.* Vocatur Nilus Sihhor à turbidis, terræque admixtis aquis: nam cùm ruptis limitibus latam Ægypti partem ambitiosus inundet, admixtam partem limi ad alueum reuersus secum attrahit, qua vnde commaculantur, & in nigredinem splendorem conuertunt; vnde à Græcis fluuius hic vocatur μέλας, hoc est niger, vt Ægyptus tota μελάμβωλος, id est, nigrigleba, vt sic dicam. *Nilus vocatur à Græcis niger.* Nonnulli existimant hoc Nilo conuenire non posse, quantumuis vox illa Sihhor eius fluctibus quadret : vocatur namque fluuius, de quo hîc agitur, alibi torrens, vt Numer. 34. Nilus tamen cùm vel ditiores fluuios vndis exuperet, torrentis nomen respuisset tumidus, ac dedignaretur superbus. Historia scholastica putat hunc non Nilum, sed fluuium alium paruum esse, qui vocatur Rhinocorula, & fluit per deserta Arabiæ. Abul. Abulensi etiam videtur difficile Nilum maris rubri fluctus euincere, & ad terram Chananæorum nomine adhuc retento deferri; nam cùm mare rubrum, inquit, intret in Ægyptum per partem orientalem circa latus Septentrionale, fluatque per deserta Arabiæ, Nilus autem in Ægyptum per partem meridianam influat, aut si Solino credimus cap. de Ægypto, per orientalem ex latere meridiano, Arabia interiaceat media inter Ægyptum, & Chanaan necessum est, qua de causa difficile videtur Nilum posse abluere latus terræ Chanaan meridianum, potissimè cùm in septem partes diuisus Ægyptio mari absorbeatur, teste ibi Solino. Solin. Hæc ratio dubium reddit Abulens. quæst. 4. etsi in designari hîc Nilum valde propendeat, Caietanus verò, & alij alium fluuiorum discernere Ægyptiorum ditionem à Chananæa, quod & Salian. Hieronymus prodidit, asserunt, quod N. Saliano magis probatur, etsi aliam opinionem non improbet, fluuius hîc à nonnullis Bupasticus, ab aliis Carabum, & Rhinocorula appellatur. Hieron. D. Hieronymus addit à monte casio in mare deduci Rhinocorulam vrbem à præcisis ciuium Strabo. naribus sic appellatam, consentit Strabo lib. 16. asserés præcisas ciuibus nares à quodam Æthiopum Rege, qui Ægyptum expugnauit, alij existimant Rhinocorulæ nomen ortum, quia illuc *Rhinocolura vnde dicta.* vsque Ægyptij coloniam duxerint, quò deportabantur fontes, eo affecti non occultando supplicio, quo aliorum audaciæ petulantiæque deformi suo mederentur exemplo. Tirinus. Ita N. Tirinus, qui notantèr aduertit clausulam illam, *vsque ad terminos Accaron*, non significare lineam longitudinis terræ sanctæ, cum Accaron vix sit in medio occiduæ longitudinis; sed est sensus, à fluuio turbido ascendendo Aquilonem versus per terminos, vel iuxta terminos Accaron.

Clausula hæc : *A fluuio turbido*, &c. paulò aliter legitur in Chaldæo, vt vidimus, & apud 6. Septuaginta. Notat Masius, qui ita legit : *Chananæorum censenda est*, per prolepsim dictum: Masius. occupat enim textus quæ obiici possent, scilicet cur littora Philisthinorum, & Sattrapiæ deputentur Hebræis, cùm hæc gens non ex illa deuota Chananis stirpe, sed ex Mizrain Ægypti primi incolæ orta sit, asserens terram illam ad Chananæos pertinuisse, etsi Philisthæi vi incolas detruserint, solóque tyrannidis iure occuparint.

Terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philisthijm diuiditur, Gazæos, & Azotios, Ascalonitas, Gethæos, & Accaronitas.

Vrbium Præfectos, seu Dynastas textus noster satrapas appellauit nota Philisthæis voce, 7. propriáque retenta phrasi : per metonymiam satraparum nomine illorum prouinciæ designantur. Masius & Magallianus aduertunt hîc ordinem ciuitatum inuersum : suprà namque cap. 11. vers. 22. prima harum vrbium Gaza, secunda Geth, & Azoto tertia describuntur : ea verò est fortunæ constans varietas, vt vel ciuitates súsque déque vertat, montésque immobiles variet. *Hos populos*, inquit Magallianus, Magallian. *alia hîc serie numerari vidimus, quam apud Mosen, quod sæculorum mutationi adscribimus : fit enim plerũque vt vrbes & regna, quæ olim primas obtinebant partes, posteà secundas, aut etiam postremas teneant.* Idem ferè Masius : *Si hîc ordine* Masius. *recensentur, vt posita fuere, alia sanè pro alijs iam olim ostenduntur, nimirum pro Accarone Geth, & pro Ascalone Azotus; neque id mirum fuerit post tam multa sæculorum interualla.*

§. III.

Commentarius litteræ.

***Vers.* 4. 5. & 6.** Ad meridiem verò sunt Heuæi, omnis terra Chanaan, &c.

Septuaginta aliter legunt. Heuæum namque satrapis annumerant ita: 8. *Gazæo*, &c. *& Heuæo*: post quos duo puncta apponunt, aliámque clausulam exordiuntur : *Ex Theman, & omni terra Chanaan.* Idem paraphrasis Chaldaica. Verùm cùm quinque tantum textus satrapias numeret, Heuæos exclusisse videtur : aliter non quinque, sed sex toparchiæ designarentur. Errorem punctuationis existimat Abulensis. Audi ipsum quæst. 4. *Littera nostra tenuit alium ordinem, quia visum* Abul. *est Beato Hieronymo ordinem alium esse mutatum & litteram corruptam sic punctuando, cùm dicatur quòd terra illa tota diuiditur in quinque Regulos; & tamen ponendo Heueos sex terras nominamus.* Consentit Mariana, Magallianus, & Salianus. Marian. Magallian. Salian. Interpres noster vocem illam *Maara Sidoniorum*, cùm variam apud Septuaginta scilicet

Gaza,

Gaza & paraphrasim Chaldaicam scilicet *Spelunca* inuenerit, vt in Hebræo iacebat, reliquit, ne forte quis eius significatione falleretur: hoc enim nomen aliquando floridum campum, nitentique lætum virore designat: vnde Masius transtulit: *Omnis terra Chananæorum & prata:* aliquando verò antrum, nonnunquam viciniam significat. Et fortassis in campis illis insigne aliquod antrum videbatur, à quo nomen totus campus mutuatus est. Sidonem ad Philisthinos non pertinere; sed alium Principatum signare
Tostat. haud obscurum est. Tostatus q.4. Sidonem tradi
Dido Sidone nata. fuisse illam celeberrimam ciuitatē, in qua Dido regina nata, quæ postea Carthaginem condidit.

Libani quoque regio contra Orientem à Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath.

9. Putant nonnulli Emath Antiochiam ad Orontem. Post Sidoniorum agros Amorrhæis vicinos aliarum gentium regiones iacent ad ortum secundum Septentrionalem tractum, quarum prima est Hebræorum: ex vocis significa-
Chald. tione confinia Latinus interpres vertit. Chaldæus Gebalæorum terram vocauit, quod no-
Septuag. men hoc gentis proprium agnosceret. Septuaginta interpretes terram Gabæ: cuius regionis Ezechiel meminit cap. 27. vbi Græci interpretes
Plinius. pro Gebal Byblon reddiderunt. Plinius lib. 5. cap. 20. Bybli regionem, & Gabalæ promontorium agnoscit. Hæc gens ministris Tyri Regis ad præbendam Salomonico templo materiam operam suam nauauit. Fuerunt etiam alij Giblæi siue Gabelini ad Austrum, quorum regio-
Eusebius. nem fuisse olim Idumæam tradidit Eusebius lib. de locis Hebraicis.

Ego sum qui delebo eos à facie filiorum Israel: veniat ergo in partem hæreditatis Israel sicut præcepi tibi.

10. Nec Iosue aut Israelitarum scrupulosus animos pulsaret timor, si copiosus ille dilaberetur exercitus, dum quælibet tribus sortem suam occupare, & iam pacatè degere studeret, tot adhuc non debellatis hostibus, nec munitissimis illorum prouinciis possessis, declarat Deus id sibi opportuno tempore curæ fore, suaque omnipotentia, qua nihil non facilè fit, aduersarios eliminandos, hostéique auitis possessionibus detrudendos.

Vers. 7. Et nunc diuide terram in possessionem nouem Tribubus, & dimidiæ Tribui Manasse.

11. Adhuc in eo Numinis versatur oratio, vt Iosue moneat non minus loca capienda, quàm occupata [illegible] rationabili forte distribuenda, [illegible] obedientiæ, auctoritati & præcepto [illegible] sortes: quod necessarium videbatur, vt singulæ Tribus sortem suam libenter amplecterentur, occupatasque iam terras vti Dei dona [illegible]rent, & nondum occupatas sibi diuino auxilio vindicandas indubiè crederent, & solicite procurarent.

Vers. 8. 9. 10. 11. & 12. Cum qua Ruben & Gad possederunt terram, quam tradidit eis Moyses famulus Domini, trans fluenta Iordanis ad Orientalem plagam.

12. Plurimum interérat in regionum ciuitatúmque partitione, vt distributæ partes stabili, ratáque auctoritate constarent, ob id sæpiùs hîc illarum limites repetuntur. Moyséſque Dei famulus nuncupatur, quò nullus exinceps scrupulus maneat aut circa hæreditatis spatium, aut circa diuisoris consilium. Tribus, quibus funiculi tendebantur, duodecim tantùm fuerunt: nam etsi Iosephi prosapia duas faceret, Leuitica expers terrenæ hæreditatis remansit: cùm igitur duæ & dimidia ante Iordanem hæreditatem adierint, nouem cum dimidia restabant, quibus iam de possessionibus prospiciendum. Et licèt duabus & semi Tribubus ante Iordanem regna ad Moysis bella & victorias distributa spectarint; hîc tamen iterum ingeri, vt Iosue etiam iudicio & auctoritate firmarentur necessum fuit: nam ad ipsum ex oraculo pertinebat, terram omnem Tribubus assignare, ac sortitione diuidere.

Ab Aroër quæ sita est in ripa torrentis Arnon, & in vallis medio, vniuersáque campestria Medaba vsque Dibon. &c.

Aroër geminam fuisse putat Masius, citát- 13.
que Isaiæ locum cap. 17. v. 2. vbi propheta nu- Masius.
merum pluralem expressit: sic enim habet: *Derelictæ ciuitates Aroer gregibus erunt.* Verùm ex Isaia argumentum non adeò validum: potuit namque propheta municipia vicinaque oppidula nobilioris ciuitatis nomine designare. Aut certe quis dicet, illud Aroër non in nominandi; sed in gignendi esse casu, nec denotare ciuitates Aroer plures; sed plures ad Aroer vti regionis caput spectasse ciuitates, quæ hoc infausto oraculo alendis exinceps gregibus deputantur stabula, nobilioribus incolis nuda: pro Masio tamen videtur facere, quòd nomen עי vrbem significans, in Hebræo geminatur. Itaque
alia Aroer vallis medium, alia Arnonis ripam Eusebius.
occupabat. Medabam statuit Eusebius de locis
Hebraicis non procul ab Hesebon: sed si Pro- Ptolomæus.
lemæum consulat, necessum est fateri ab Hesebone dissitam. Dibon ipsam Masius existimat vrbem, quæ à Gaditis illis locis, quibus quarta ante Mosis excessum castra posuerunt, ædificata est: quæ loca vel ante ciuitatis huius extructionem Numer. 35. v. 45. per prolepsim eius nomine sunt decorata, vti littora ante Lauiniæ nuptias Lauinia.

§. IV.

Commentarius litteræ.

Vers. 13. Noluerúntque disperdere filij Israel Gessuri & Machati, & habitauerunt in medio Israël vsque in præsentem diem.

SEptvaginta sic habent: *Et non disperdiderant filij Israel Gessuri & Machati, &* 14.
habitabat rex Gessuri & Machati inter Septuag.
filios Israel vsque ad diem hūc Paraphrasis Chal- Chald.
daica ita transfert: *Et non extirparunt filij Israel Gessuræum, neque Aphkeræum.* &c. Arias Monta-
nus ita vertit: *Et non impulerunt filij Israel.* Arias Mont.
Itaque textus non indicat Hebræos consilio, diuinæque iussionis contemptu his gentibus pepercerint

pepercisse; sed potiùs Mosen, cùm Schonem, & Og regna debellauit, non adeò funditus euertisse, vt vtriusque regni vel extremos angulos cum exercitu peruaserit, idque non ignauia, sed aliis, atque aliis vrgentibus negotiis, ac expeditionibus factum. Itaque in montosis illis locis, & præruptis gentes illæ ab Hebræorum armis intactæ remanserunt: & licèt duæ illæ tribus, & dimidia ad possessiones suas redierint, cùm satis amplas, & feracissimas sibi regiones suppetere viderent, ad proferendos fines suos animum ambitiosè non adiecerunt; imò prolixa fastidientes prælia maluerunt pacatè feriari, & tranquillè degere: præcipuè cùm hæ gentes, vt placet Abulensi quæst. 11. etsi Chananæis vicina oppida habitarint, de Chananæis prognatæ non fuerint. Masius ex hoc loco colligit post Iosue obitum multâ ignauiâ pressos torpuisse Hebræos. Et quidem vt campus viriles animos creat, & spiritus generosos inspirat; ita voluptuosa, & deliciis affluens fortuna enerues homines reddit, & vires resoluit. *Segetem*, apte Seneca epist. 39. *nimia sternit vbertas: sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit, qua non tantùm in aliorum iniuriam, sed in suam vtuntur.* Certè dum ignaua voluptas quosdam occupat, omni egregio facinori ineidoneos reddit.

Abulens.

Masius.

Voluptuosa nocet felicitas. Senec.

Vers. 14. Tribui autem Leui non dedit possessionem; sed sacrificia, & victimæ Domini Dei Israël ipsa est eius hæreditas, sicut locutus est illi.

15. Nulla est gens, quæ sacris celebrandis non designet ministros, eósque honoribus ditet: Hebræus ergo populus vtpote vero Numini deuotus Leuitas ipso Deo iubente sacris ministros habuit, vtque se totos colendo Numini, propitiandóque studiosiùs impenderent, omni rei familiaris studio feriatos prouidenter sanciuit. Debentur Sacerdotibus popularium obsequia, vtpotè qui propitium Numen reddunt, & ex se beneficium etsi non impellant, precibus tamen cient, omnibúsque munificentiæ diuinæ imbres impertiri solicitant. *Sacerdotibus* (scribit Plutarchus lib. cum principibus debere Philosophum sermocinari.) *Reuerentiam, & honorem ciuitates tribuunt, quòd bona à dijs immortalibus non sibi tantùm, amicisque & necessarijs suis; sed omnibus in communi poscant ciuitatibus: licèt non efficiant Deos Sacerdotes bonorum largitores; sed tales natura cient.* Plura ciuitates commoda sacrorum ministris debent: ideóque honoribus, & muneribus digni; verùm adeò ardens imperiti vulgi auaritia præcordia tangit, vt quos profanis studiis vacare videt, suo labore otium pascere, inertiámque nutrire audacissimè criminetur. Quod dum fit, quantumuis impudenter fiat, sua sacerdotio dignitas non constat: inueniunt namque sæpissimè oblocutores maliloquique credulas aures, hauriendísque detractionibus auidissimas. Huic ergo discrimini duplici ex capite obuiat Deus, vt omnem iniquis linguis criminationem eripiat, prorsúsque maledicentiam occludat: & quia leuitica Tribus ea hæreditatis parte abdicatur, quam iure sortéque cum cæteris adire potuisset, ni cultui arísque dicata: & quia cum religionis, gratitudinísque iure quisque Numini, cui omnia accepta referre debet, decimas, primitias, victimásque offerre teneatur, hæc ipse tributa, vectigaliáque pensa Leuitis in hæreditatem concessit: *Quid simile rependat Deo* (scribit Attalaricus 8. var. 24.) *qui potitur imperio? sed licèt pro tanto munere nihil compensari possit idoneè; ipsi tamen gratia redditur, dum in seruientibus honoratur.* Verum etsi leuititica Tribus sortem non acceperit; illi tamen quadraginta octo ciuitates cum suburbiis sunt designatæ: suburbia vt pecora quæ decimarum iure accipiebant, alere possent; ciuitates vt commodè inhabitarent. Abulensis quæst. 12. sibi opponit Leuitas non solum expertes hæreditatis non fuisse; imò ampliorem, laudatiorémque præ nonnullis tribubus sortitos hæreditatem: nam vt ex Numerorum 35. constat, quadraginta, & octo ciuitates cum suburbiis illis descriptæ fuerunt: quæ sanè amplissima hæreditatis pars esse videntur; præcipuè cum Tribui Simeon, & quibusdam aliis tot sorte non obuenerint ciuitates. Dubio respondet Leuitas, etsi tot vrbes habuerint, hæreditariam sortem non adiuisse, vt qui non iure aliquo; sed mera reliquarum tribuum largitate ciuitates illas acceperint, & habitauerint. Audi Abulensem: *Non fuit posita aliqua sors pro vrbibus istis; sed quælibet Tribus dedit aliquas vrbes de suis: fuit autem modus, quod tota terra primò diuisa fuerit non manente aliquo loco, & iacta sunt sortes pro duodecim tribubus; pro Leuitis autem nullus locus mansit; sed postea quælibet tribus in eleemosynam quodammodo dedit aliquas de vrbibus suis, & sic data sunt quadraginta octo vrbes Leuitis.* Ditiores ciuitatum numero effecti sunt, dum terreani hæreditatem respuerunt: vt enim sæpe inopia auaritiæ germana, ita rerum humanarum contemptus soror est abundantia, & felicitas.

Plutarch.

Sacerdotes Deum ex se beneficiū ad impertienda [illegible] bona cient.

Cassiodor.

Deo gratia redditur dū in seruientibus honoratur.

Abulen.



§. V.

Commentarius litteræ.

Vers. 15. *Vsque ad* 20. Dedit ergo Moyses possessionem Tribui filiorum Ruben iuxta cognationes suas: fuítque terminus eorum ab Aroër, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, & in valle eiusdem torrentis media, *&c.*

IAM singulatim duarum tribuum, & di- 16.
midiæ describitur hæreditas, notísque, quæ cuiusque portio limitibus definitur. Masius putat hoc non sortium iudicio; sed Moysis pulsante Numine factum decreto: *Moyses singulis assignauerat*, inquit, *non sorte, sed diuina auctoritate, cuius in perpetuum tanta vis esset, vt non aliter illas tribus à mutua violandorum finium iniuria cohiberet, atque si natura ipsa montibus, fluminibúsque interpositis seiunxisset.* Ex Numeris colligit Masius Gaditas in his regnis poscendis primas egisse partes; Ruben tamen primum præ Gaditis hæreditatem sortitum, & quia maior natu, & quia ex nobili matre ortus; cùm

Masius.

Quomodo terra duabus, & dimidia Tribui diuisa.

cùm alter & seruæ filius, & minor ætate. Apparet equidem sortes has non arbitrio humano, sed pulsu decretóque definitas diuino, quandoquidem æquitas præferebatur audaciæ: sæpiùs namque humana politiâ adolescens, ne dicam puer, canis, senilique ætati præfertur, obscuríque homines nobilibus, dignísque auferre primas solis temeritatis nisibus adlaborant, &
Masius. quod dolor est, assequuntur: *Apparet quidem in Numeris* (verba sunt Masij) *Gaditas in his regnis poscendis primas egisse partes; Rubenita tamen hic, nascendi opinor prærogatiua, illis anteponuntur: nam Ruben & natu maior erat, & ex libera matre editus, Gad autem minor & ex serua.* Et quidem inter virtute æquales senior, nobiliórque plus meretur.

17. Illam particulam, *iuxta cognationes suas*, sentit Masius non significare Moysem vnicuique familiæ, stirpi, aut gentilitati possessionis terminos descripsisse, sed cuique Tribui pro omnibus singulisque familiis eas adsignasse hæreditates, quæ satis videbantur: tribunorum namque, decanorum, aliorumque magistratuum, quos Tribus quæque proprios agnoscebat, munus erat
Abul. hæreditatem iterum cuique gentilitati aut prosapiæ, prout congruum videbatur, partiri. Abulensis quæst. 12. aliter sentit, scilicet Rubenitis iam diuisis in multas cognationes dedisse Moysem aliquam pro singulis partem. Vtrumque probabile, etsi tot bellis, & negotiis vrgentibus in adeò angusto duci tempore singulari distributioni non studuisse certius videatur. Regni Sehonis vrbes olim Moabitarum fuisse haud obscurum est; verùm cum Amorrhæi auito fortassis aliquo iure freti Moabitis illas eripuissent, fas fuit Hebræis illas occupare, licèt iussi essent à Moabitarum propriis abstinere. Dibon Gad Rubenitis adscribitur; & tamen à Gaditis structa memoratur. Putat Masius in confinio sitam; ideoque nunc vni, nunc alteri Tribui adscribi, aut quod verius suspicor, simul ac hæ Tribus à Moyse impetrarunt, vt in illis sedibus manere sibi liceret, pro libito quamque vrbes, caulásque pro familiis, ac gregibus tutandis substruxisse, túncque Gad Dibon erexisse, quæ posteà definitiua sorte Rubenitis obuenit. Et licèt insolitum non sit potentiores inualidorum laboribus ac operis frui; hîc tamen Ruben ciuitatem illam à Gaditis ædificatam occupauit non insolenti potentiæ audacia; sed æquissima sortis sententia. Termini Rubenitarum fuerunt à meridie deserta Pharan: ab oriente torrens Arnon: habuit ab occidente Iordanem; à Septentrione verò Aroër. Consule Adricomium in hac re, si quis alius, diligentissimum.

Vers. 22. 23. & 24. Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filij Israël gladio cum cæteris interfectis, &c.

18. Septuag. Chald. Septuaginta sic habent: *Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filij Israel in gladio in fuga.* Paraphrasis Chaldaica: *In gladio super occisos eorum.* Dederat iste Regi Moab pessimum consilium cótra Israëlitas, instituerátque, quantum potuit, populum Dei incantationibus euitare, congestísque maledictionibus impedire: non cessit studium, quia Deus arioli verba in benedictiones vel inuitas detorquebat: modò ergo quæ differri videbatur, dignissima infertur mulcta: nec enim Numinis memoria exciderat; sed iniuriam opportuno puniendam tempore reseruabat. *Nequissima voluntas*, inquit, Balaam infidum supplicium. Abul.
Abulensis quæst. 14. *morte digna erat; potissimè autem mortem meruit, quia cùm non posset maledicere, dedit consilium quomodo per fraudem Moabita inducerent ad peccandum Israëlitas.* Vocatur ariolus, quia incantamentis & deliriis futura præsentire, ignotáque nunciare tentabat. Quid sit Aruspicina.
Hæc ars, vt Abulensi placet, vocatur Aruspicina, id est, ab aspiciendo animalium membra aris dicata. Huius artis meminit Chrysologus serm. 5. Chrysol.
de prodigo: *Occidebatur* pecus, vt quod viuum nil scierat, diuinaret occisum, & loqueretur ex fibris mortuum, quod nunquam fuerat ore *proloquutum.* Abulensis citata quæst. verum fuisse aliquando Dei prophetam censet, probátque: nam ei loquutus est Dominus. Arias Montanus dementiæ Balaac, & Madianitarum insultat: vocarunt namque summo studio, ingentique dispendio Balaam, vt illos ab imminenti periculo eriperet; cùm tamen seipsum nequiuerit incantamentis tutari; sed communem cum Madianitis mortem subierit. *Hic* (verba sunt Arias Montani) *quamquam sapientiæ opinione præstaret, atque adeò artibus celebraretur humana facultate maioribus, & aliis non tantùm consilio, atque prouidentia; sed etiam magica vi prodesse, aut nocere posse putaretur; tamen vulgarem & promiscuam cæterorum interfectorum ignobilem quidem; imò probrosam conditionem vitare non potuit.* Fortè scriptura dum ariolum vocat, non tectè Madianitas sugillat! Proh cæcam hominum stupiditatem, cæcitatémque stupidam, in ipsis quærunt naufragiis portum, & ab ipsis infortunij causis solicitè deposcunt auxilium. Arias Mont.

Vers. 24. 25. 26. 27. & 28. Dedit Moyses tribui Gad, & filiis eius per cognationes suas possessionem, cuius hæc diuisio est, terminus Iaser, & omnes ciuitates Galaad.

Hic discernitur Gad hæreditaria portio, quæ ab Austro Rubenitis, ob Ortu Ammonitis cõfinis erat, ab Occasu Iordani, à Septentrione tendebatur vltra Iabok Iazer terminum australem designat, à qua vrbe vsque ad Aroer ductus funiculus Rubenitarum possessiones, Gaditarúmque distinguebat. Iaser interpretatur auxiliatrix, quasi dicas tutelæ ciuitatem. Arias Montanus notat dimidiæ partis filiorum Ammon factam mentionem, non quòd ex illius gentis vrbibus aut agris quidquam fuerit à Gaditis occupatum: id enim lege vetitum Deuteron. 2. Sed quia possessio Gaditarum dimidiam Ammonitarum regionem ab Austro relictam terminabat. Non assentior, quia duriuscula interpretatio. Rabbi Salomon apud Abulens. q. 16. putat Iudæos lege prohibitos quidquam ab Ammonitis eripere; non tamen per alios ereptas ciuitates non occupare: vnde cùm Rex Sehon armorum vi has aliásque prouincias à plurimis illarũ incolis ambitiosius abstulerit, filiis Israël illas occupare fas fuit, vtpotè qui non lege vetiti ab aliis occupatas adire prouincias; sed tantùm ad Ammonitarum tunc regna funiculum extendisse. Hanc sententiam probabilem putat Masius: tenet Abulensis, Salianus, Vatablus, Sà, Dionysius, 19. Arias Mont. Masius. Abul. Salian. Vatabl. Sa.

Dionys. Lyra. Dionyſius, Lyra, & alij. Raba celebris Ammonitarum vrbs notiſſima eſt, de qua Stephanus: *Vrbs eſt*, inquit, *in Arabicis montibus*, nomen ab ab aquis mutuata eſt, quia copiâ diteſcebat aquarum.

§. VI.

Commentarius litteræ.

A verſ 19. vſque ad 33. Dedit & dimidiæ Tribui Manaſſe, filiiſq; eius iuxta cognationes ſuas poſſeſſionem, cuius hoc principium eſt: à Manaim vniuerſam Baſam, & cuncta regna Og Regis Baſan, omnéſque vicos Iair, qui ſunt in Baſan ſexaginta oppida, *&c.*

20. DIMIDIA tribus Manaſſe poſſeſſionem accepit, quæ his terminis claudebatur. A meridie habuit Iaboc torrentem, vel vt alij malunt, Ieboc: ab Oriente montes Galaad longè ſe vſque ad Cœleſyriam fundentes: a Septentrione Syriam Damaſci vſque ad Libanum, geminaſque Iordanis ſcaturiginem: ab Occidente denique Iordanis ortum vſque ad eum locum, vnde mare Galilææ relinquens iterum egreſſus nomen antiquum recuperat. Manaſſes, vt ex 1. Paralipom. 7. duos filios habuit, Eſreielem vnum legitimo ex coniugio, huius, quæ recenſeatur, nulla poſteritas: ex Syra concubina ſuſcepit alterum, Machirum ſcilicet virum illuſtrem, cuius ingens tribus & poſteritas. Dimidiæ ergo familiarum parti hæc Galaaditarum regio à Moyſe diuino nutu donata eſt.] Machir ille nonnullibi Galaad pater vocatus eſt, cuius ſeptem familiæ amœnis illius regionis tractibus locatæ manſerunt ab aliis ſeiunctæ, &, vt accidere ſæpè ſolet, amore hæreditatis diuiſæ. Principes harũ familiarum Epher, & Ieſſi, Eliel, Ezriel, Ieremia, Odoia, & Iediel. Hæc huius tribus ratio opportuniſſima eſt ad aliqua dubia ſedanda, quæ in duobus Manaſſe filiis componendis interpretes non ſemel videntur vrgere. Porrò Iair, ſi à patre genus definiendum perpetuò eſſet, ex Iuda oriundus; aſt prognatus auia Machiris filia à patribus & auo in ſui nominis ius adoptatus videtur: ille enim ſexaginta illa oppida bello cepit, nominéque ſuo KKauothiair appellauit. Cur Moyſes Manaſſe dimidiæ Tribui hanc poſſeſſionem largitus, cùm illa preces ſuas Rubenitarum, Gaditarúmque votis non adiunxerit, rogant interpretes. Arias Mont. Arias Montanus cauſam eam affert, numeroſiſſimam, ſcilicet fuiſſe Tribum, opportunámque ſe obtuliſſe occaſionem, dimidiam hæreditandi ante Iordanem, de reliquis tribubus quàm magna hæreditatis pars, ſi poſt Iordanem tota locanda poſteà, demeretur. Aliam etiam rationem adiecit, ſcilicet Moyſem ex legato Iacob erga Manaſſem: erat enim *Iſte erit in populos*, ita faciendum cognouiſſe, aliter indiuiſa Tribus non populos, ſed populum conſtitueret. Denique pro capituli huius apice inculcatur illud, Tribui ſcilicet Leui non dediſſe poſſeſſionem, quia Dominus eius poſſeſſio, ne, vt dicebamus, graue ferunt reliquæ tribus illam cæterarum tributis, penſiſque aliam, quandoquidem diuino decreto exhæres, eodemque in Numinis iura vocata. Adde inculcari ſæpiùs Moyſem hæreditatem Leuitis non dediſſe, ne Ioſue idem exemplum poſteà ſecutum quis inuido dente mordere aut eius facta obſcura æmulatione infamaret.

---

§. VII.

Vita non de prolixis temporum tractibus æſtimanda; ſed de eximijs virtutibus dimetienda.

QVi externa & fucata ſolùm conſiderat, ſenilem ætatem de candicante cæſarie, de tremula dextera, de rugoſa cute, & vacillantibus pedibus iudicabit; cùm tamen vera ſenectus ſit de prudentia metienda, & de canis actibus æſtimanda. Quid intereſt ille quàm citò exierit, ſi citò perfectiſſimam vitam abſoluit? Diu vixit, qui ſatis vixit: ſatis vixit, qui ſe virtutum exemplar exhibuit, & inter exemplaria numeratus, ſe futuris dedit ſæculis ſuſpiciendum: vt quis in longum viuat, fato opus eſt; vt ſatis, animo: longa eſt vita, ſi perfecta; breuis, ſi imperfecta, quantumuis longa: ſatis vixit animus, qui bonum ſuum ſibi reddidit, & ad ſe poteſtatem ſui tranſtulit: nauis diu ſalo malitiæ detenta, aut ſcopulis illiſa, ſi tandem portum appulit, de itineris diuturnitate ſibi non gratulatur; gratulatur verò quæ exiguo tempore velis fauonio inflatis confecit. Quam bene Senec. epiſt. 94. *Quid illum octoginta anni iuuant per inertiam exacti? Non vixit iſte: ſed in vita moratus eſt: nec ſerò mortuus, ſed diu. Octoginta annis vixit, intereſt mortem eius ex quo die numeres. At ille obijt viridis: ſed officia boni ciuis, boni amici, boni filij executus eſt. In nulla parte ceſſauit: licèt eius ætas imperfecta ſit, vita perfecta eſt.* Aliud eſt viuere, aliud durare, niſi fortè rationalis vitam ſimilem vitæ arborum æſtimet. Hoc curemus, vt quemadmodum rerum pretioſa, ita vita noſtra ſit: multum pendeat, licèt non multum pateat, actu cenſeatur, non tempore. Strenuus fortunæ contemptus omnibus vitæ humanæ ſtipendiis feliciter functus eſt, quantumuis florente lanugine intereat ignauus ante mortem periit, ſtrenuus poſt mortem vixit: Ioſue prouectæ ætatis dicitur cana venerabilis ſenectute, & prudenti decoratus maturitate: *Ioſue ſenex, prouectæque ætatis erat, & dixit Dominus ad eum*, &c. Procopius Gazæus aduertit Adamum, imò Mathuſalem hoc ſenectutis titulo non decorari, vtpotè qui non adeò pertineat ad ætatis longæuitatem, quàm ad prudentiæ, & ſanctitatis decorem. *In ſcriptura*, inquit, *non ſimpliciter longæui ſeniores nuncupantur, verum qui ob prudentiam honore digni ſunt, vitáque cœleſti: quapropter nec Adam, nec Mathuſala ſeniorem dixit, quos maximè conueniebat.* Concinit Origenes homil. 16. in Ioſue: *Preſbyteri & ſeniores non pro longæua vita dicuntur; ſed pro maturitate ſenſus, & grauitate vitæ veneranda, maximè cùm additur plenus dierum.* Adamus longis temporum interuallis noſtrum Ioſue deuicit, Mathuſala prolixis ſæculis ſuperauit, nullus tamen dicitur ætate prouectus: quia apud Deum non tempore, ſed virtute cenſetur 21.

Senec. *In ætate imperfecta vita aliquãdo perfecta eſt.*

Procop.

Origen.

setur fructus. Meus ergo Iosue, qui cælestem vitam duxerit, in minori tempore prouectus dicitur, vtpote qui primores superarit non tempore, sed virtute. Scribat itaque de Iosue Cassiodorus, quod 11. variar.6. de Cancellario: *Tuus honor cognoscitur solemnis ordine non teneri, qui suis primatibus meruit anteponi: tibi enim reddunt obsequia, qui te praire noscuntur, & reflexa conditione iustitia illis reuerendus aspiceris, quos subsequi posse monstraris. Hinc inaquabilem aquitatem, speciale decretum, singulare beneficium sub aspectu iudicis agis. Nec potest rationabiliter culpari, quod impugnante tempore videatur assumi. Nullus tibi de temporis qualitate prascribit.* Nullus præscribit de tempore, si actus innocens prætulit de virtute.

Cassiodor.

Nullus præscribit de tempore, si actus innocens extulerit de virtute.

22\. Noe post illam diluuij stragem, quam prouidenter cautus vitauit, aliam vini improuidus satis incurrit: & qui iustitiæ cultor vel ferocientibus animalibus fuerat venerationi, vino interueniens extitit vel filiis ludibrio. O quantum sibi virtus reuerentiam conciliat! o quantum vel sceleris vmbra sibi vel à cognatis despectum! Cham nudum patrem irridens interis fratribus denunciauit: male audit vel apud filium paupertas, & habetur contemptui nuditas: damno à patre alienatum fuisse, tumidis exceptum vorticibus non docuit reuerentiam; sed sitit inopia irrisionis insaniam. Digesto vino euigilauit Noe, cognouitque quæ vel clausis oculis passus fuerat: *Euigilans Noe ex vino, cum didicisset, qua fecerat ei filius suus minor, ait, &c.* Minor vocatur; si tamen generationis seriem consulueris, ætate Iapheth præcessisse reperies: *Noe*, inquit text. *cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth.* Ecce præcedens tempore minor refertur ætate: & qui origine posterior, ante latione virtutis maior: perdidit Cham actu, quod fuerat lucratus ortu: maior Iapheth dicitur, quia ætas non computatur annorum serie; sed actionum grauitate: *Iuxta Sanctorum traditionem*, scribit Lippomanus, *non abs re fuit hoc loco minorem filium Cham pro vitio, & indignitate accipere.* Si iuxta mundialem natiuitatis censum ætas fuisset supputanda, Iapheth Cham minor; verum iuxta diuinæ politices tenorem minor habetur, qui præcessit tempore, non virtute. Quàm benè aiebat Ambrosius epist.21. *Vere senectus illa venerabilis, qua non canis, sed meritis albescit: ea est enim reuerenda canities, qua est canities anima in canis cogitationibus, & operibus effulgens.* Canus erat Iapheth prudentia, quantumuis iunior esset naturâ. Quòd si tamen illi potius insit scrupulus? Iapheth reuera maior tempore, nam iuxta aliquorum placita fuit primogenitus, eadem redit quæstio, cur Sem vocetur capite sequenti maior: *Hæ sunt generationes filiorum Noe Sem, Cham, & Iapheth.* Ad quod respondet Abulensis seniorem vocari non de annorum tractu; sed de eximio virtutum censu. *Ex hoc*, inquit quæst.12. *cum superioribus patet, quod Iapheth fuit maior inter filios Noe: quia Noe incepit generare quingentesimo anno ætatis sua: ergo primogenitus suus compleuit centum annos in anno diluuij, scilicet anno sexcentesimo vita Noe; sed iste non fuit Cham, nec etiam fuit Sem: quia Sem compleuit centum annos duobus annis post diluuium, vt patet infrà cap 11. Ergo Iapheth erat maior.* Nec obstat, si dicas quòd infrà capite sequenti vocatur Sem maior. Quia ibi vocatur maior secundum dignitatem, & non secundum ætatem: *Quia de Sem venit Messias.* Præcessit Semus virtute, & ideò Senior honore: apud Deum namque censetur ætas de actu, non de ortu. Quàm benè Stoicus iam citatus! *Quid me interrogas, quando natus sim? an inter iuniores adhuc censear? Habeo meum quemadmodum in minori corporis habitu potest homo esse perfectus; sic & in minori temporis modo potest esse vita perfecta. Ætas inter externa est; quandiu sim, alienum est; quandiu verò vir bonus sim, meum est. Hoc à me exige, ne velut per tenebras æuum ignobile emetiar, vt agam vitam, vt non prætereuehar.* Vita per inertiam, & ignauiam exacta, & inter marcidas corporis voluptates consumpta, quò diutior, & contemptibilior, & ignobilior, & inhonestior: qui parum temporis habuit, & iuuentutem impendit vitiis, aliqualem quodammodò sortitur excusationem; at amentiam suam exaggerauit, qui iuuentutis æstus ad senilem prodigiose traxit ætatem: vt enim eximiè conspicuus est, qui prudentiæ, maturitatísque canos in vernante iuuentutis ostendit flore: sic summis opprobriis dignus, qui iuueniles ineptias marcescenti senectute seruauit.

Gen 9.v.24.

Gen.5.v.31.

Lippoman.

Ambros.

Ætas animi non temporis sed virtutis.

Gen.10.v.1.

Abulens.

Senec.

23\. Christus Dominus, vt Gentilis, Hebræique populi miris ænigma coloribus, concinnóque elegantiæ penicillo depingeret, sic ait apud Lucam: Homo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis patri: *Pater da mihi portionem substantia, qua me contingit.* Filium hunc iuniorem gentilem populum designasse, tradit Chrysologus serm.5. *Duos filios habuit, duos scilicet populos Iudaicum, gentilémque.* Verùm dissonum videatur cui signatorum ænigma: gentilis namque populus multis sæculis Hebræo longæuior; de gentibus namque Hebræorum populus est præcisus, cùm Abrahamus de Chaldæorum erroribus est abstractus: quomodò ergo qui gentilium populo multis sæculis posterior appellitetur senior, & ipso prædecessore habeatur maior? *Adolescentior*, inquit, *filius*: quia adolescebat vitiis respondet Chrysologus, qui prolixis debuerat Canam referre maturitatem ætatibus: alter iunior tempore; sed senior opere. Apud Deum ergo canities, aut iuuentus de annorum non censetur tractibus; sed de eximiis virtutum operibus: Audi Chrysologum loco dato: *Iudaicum seniorem prudentia legis fecit; gentilem paganitatis stultitia reddidit iuniorem: quia sicut sapientia dat canos, ita quidquid viri est, tollit insipientia. Hunc ergo iuniorem mores præstitere, non ætates: seniorem illum non tempora fecerunt esse, sed sensus.* Ecce habetur iunior, qui vitiis indulgenter impenditur; senior qui refragante tempore virtutibus consecratur. O quot senes puerorum numero habendi sunt, ô quot iuuenes de senum maturitate honorandi! Redeat iterum Stoicus vbi suprà: *Quaris*, inquit, *quod sit amplissimum vita spatium: vsque ad sapientiam viuere; qui ad illam peruenit, attigit non longissimum finem; sed maximum.* De nobilitate, non de prolixitate vita censenda est, multi inter florescentis pubertatis annos sæculis se reddidere conspicuos; alij ex se venerabiles macularunt flagitiis canos.

Luc.15.v.

Chrysol.

Senec.

Amplissimum vita spatium vsque ad sapientiam viuere.

Petrus

24. Ioan. 21. v. 3. Petrus post sæuam illam passionis Dominicæ tempestatem mare piscaturus contendit: *Vado piscari.* Comitabantur Principem, qui trepidi reliquerant Deum: *dicunt ei: Venimus & nos tecum.* Ministri nobilem muneris desertauerant causam, & vilem exambiebant piscium capturam. O quot se dicarunt lucro, denegarunt officio! Denique cùm obnoctassent vigiles fluuio; qui inter tot magistri angores dormiuerant horto, nihil prendiderunt; & quidem meritò, vt qui culpabili ignauia amiserant fructum, mari inutili diligentia desudarent in cassum. Candicante aurora arenoso constitit magister in littore, qui dum ventis deprælia rentur, pedibus ambulauit per mare: alibi namque illos committit laboribus obedientia, alibi habendi iactauit insania. Non poterat abesse à morigeris, nec proximare ambitiosis: illos sugillatiua, & incussa voce cópellat: *Pueri numquid pulmentarium habetis?* Nomen profectò haud vocatis congruens, ibi namque erat Petrus ætate longæuus; ibi alij discipuli annorum successibus iam maturi, & his impertit nomen, quod recenter congruebat natis? Alibi non pueros vocarat; cur ergo modo sic iuuenescentes appellat? Iterum redeat Chrysologus serm. 78. *Denique quia eos fidei virtute repererat destitutos, & à virili robore inuenerat perdelectos, arguit tales pueros nuncupando, cum dicit: Pueri numquid pulmentarium habetis? ibi enim erat Petrus, qui negauerat, Thomas, qui dubitauerat, Ioannes, qui fugerat: non ergo vt fortissimos milites; sed pueros compellat vt timidos: & quos idoneos necdum deprehendit ad prælium, vt teneros inuitat ad mensam.* Albescentes fundebantur vertice cani; sed quia mores defœdebat puerilitas, pueri in senili vocabantur ætate, vt noueris illos solùm apud Deum honorificis senectæ titulis decorari, quibus constat concinnos mores, conspicuásque virtutes senectutis dignitatem conferre. Iosue ergo vocatur senex, ætatéque prouectus de morum elegantia, plusquam de longæua temporum copia.

Multi leue obnoctant ob lucrum, & cœleste despiciunt emolumentum.

Chrysol.

§. VIII.

Plus teritur vita saporatis voluptatibus dedita, quàm laboriosis deteratur sudoribus fatigata.

25. ERrant homines, & dum in æuum viuere parant, properantem sibi mortem accelerant: plurium se copia ciborum ingurgitantes, & variis saporatisque obsoniorum famem irritantes oblectamentis, dum ventrem immoderatiùs onerant, ingenitum deficescere munus compellunt: inde fœda ex cruditatibus macies, inde exundans humorum copia, quibus facile corruptis, ac inter se altercantibus, & periculosa oritur rixa, & salutis frequens offensa. Quàm exigua olim veteribus medicina, videlicet parsimonia: nescio quibus herbarum succis sanguis restagnabat, & ipsa vulnera antiquam ad concordiam paulatim coïbant: solidiora constabant tunc corpora facili cibo, & nullatenus arte corrupto, postquam verò mille ciborum inuentæ sunt conditura, vt cocorum caterua, & necessaria vespillorum excreuit summa. Sunt qui post extinctam iterum irritare famem, & sedatam reuocare sitim contendant; sunt qui non solùm impleant ventrem; sed farciant, & quidem quæ famelicis fuissent alimenta, oppletis, & ingurgitatis sunt funera: inde vultus albescentis pallor, & neruorum vino madentium tremor: deformior equidem ex cruditatibus, quàm ex fame sitique macies: quia totam in cutem admissus humor cùm tetris expeditam vaporibus non inuenit viam, obturatis corporis meatibus inopinè euertit substantiam. Distentus venter, dum assuescit plus capere, quàm possit coquere, putrescit, & neruos sensu prorsus carentes aut calor destituit, aut nimius ignis adurit. Quàm benè Seneca epist. 96. *Corpora, inquit, opere, ac vero labore durabant, aut cursu defatigati aut venatu, aut tellure versata: excipiebat illos cibus, qui nisi esurientibus placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam magna medicorum supellectile, nec tot ferramentis atque pyxidibus: simplex erat ex simplici causa valetudo: multos morbos multa fercula fecerunt.* Vide quantum rerum per vnam gulam deuorandarum permisceat luxuria aëris, maris, ac telluris vastatrix. Olim nunquam retorti digiti articulis obrigescentibus, nunquam aut rarò neruorum torpor, aut palpitatio corporum se sine intermissione vibrantium: modò capitis vertigines ex tetris humoribus fœdæ, oculorum nebulæ, auriúmque tormenta, & æstuantis cerebri continuæ vertiginationes. Itaque cum ciborum diuersitate, & morborum creuerit multiplicitas, ægritudinúmque varietas. Iosue senex, prouectæque ætatis refertur: Iosue, inquit, senex prouectæque ætatis erat. Inter Martiales strepitus, inter tot aduersariorum adsultus longæuus durauit, qui celeriùs videbatur finiendus: cum Iosue sexcenta millia peditum sunt egressa; & tamen vitam finierunt in deserto, vbi non adeò frequẽtes hostes, nec labores adeò duri. Et quæ illorum mortis, & huius longæuæ senectis est causa? Quia illi se sæpè sæpiùs cibis ingurgitarunt, nimiáque edacitate occiderunt: *Ventus egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra.* Pluuiæ adinstar inuolarunt volucres, & volucrum adinstar Hebræi ad rapiendas sibi delicias inuolarunt. *Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero congregauit coturnicum, qui parum, decem coros.* Quid tunc? *Adhuc*, inquit, *carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis.* Periit inter cupedias, qui hostiles non perierat inter insidias. Totus campus sepulchrum fuit: *Vocatus est ille locus sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum, qui desiderauerat.* Attritus est cibis, qui aduersariorum non fuerat detritus armis. Iosue sub papilionum in bonitate, sub præliorum fatigatione durat, & maturum producit senium; at carnibus saturati sibi maturauere sepulchrum, vt repetat Seneca: *Corpora opere ac vero labore durabant, immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis soluerant.* Deliciæ, lautitiæque, dum nutriunt cupiditatum insaniam, absque dubio armantur in vitam. Iosue inimicorum terram circumiens, montium prærupta adiens, Solis labores ad bellicos congressus producens durat viribus vegetus, & vel in ipso senio robustus, cùm tot contribulium numerus perierit obsoniis ingurgitatus, & deliciis ipsis armorum instar euersus, vt repetat

Senec.

Corpora labore durantur.

Multa fercula multos morbos efficerunt.

Numer. 11. v. 31.

repetat Tertullianus lib.aduerſ. Pſychic.cap.10. *Ieſum Naue debellantem*. Amorrhæos prandiſſe illa die exiſtimamus, qua ipſis elementis *ſtationem imperauit?* Ieiunio produxit tempus aduerſus belli labores: mortui ſunt, qui concupiuerant carnes: vt noueris de abſtinentia produci vitam vel inter hoſtilia arma, citiúſque finiri inter ſaporata pocula.

16. Chriſtus Dominus vt Adami calamitatem depingeret, viatoris, qui ad Iericho celeri gradu contendens violentas in graſſatorum manus

Luc.10.v.30. inciderat, emblema retulit: *Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.* Hîc emblematis penicillo deſcriptum, vt dicebam, Adamum communis Patrum ſententia eſt. Vnus pro

Aug. in cat. mille adeſt Auguſtinus apud D.Thomam: *Homo iſte ipſe Adam intelligitur in genere humano:* verùm, ſi mea me non fallit opinio non adeò exemplari adaptatur ænigma. Repetamus hiſtoriam. Adamus voluptatis loco deliciabatur, ératque voluptas innoxia carens ſerpentino veneno; ad inuidiam verò excitatus eſt diabolus, Euamque Adami delicias ad exambiendas noxiæ venenatæque plantæ inflammauit cupedias: tulit illa ſeductionis fructum, & pomi partem homini manu candida propinauit: ille comedit, & ſapore delinitus cibum exhauſit:

Gen.3.v.6. *Tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit.* Itáque Adamus non mucronibus impetitus, altiſſimis neque plagis transfoſſus; imò pomi dulcedine allectus, & appetitus irritamentis eſt inceſcatus. Quomodo ergo miſerandus altiùs vulnerati a graſſatoribus caſus Adami cibo ingurgitati ænigma? aut quomodo vel ipſo ſanguine diſpoliatus eſſe poterit voluptatis emblema? Hic copioſum effundit ſanguinem, ſaporatum ille deguſtat cibum: ergo diſcordat prototypo tranſumptum, nec figuræ adaptatur exemplum. Imò nulla maior, inquit Auguſtinus, ſimilitudo: morbis namque plagiſque ſe Adamus addixit, dum ſuperfluis voluptatibus inhiauit: vetitus cibus exacutus fuit gladius, & quod in viatorem ſæua graſſatores perpetrauerunt ferocia, ille in ſeipſum molitus eſt: ſibi iniecit manus non ferri violentia; ſed ardenti inſani appetitus flammâ. Homo iſte graſſatorum iniurias paſſus, ille voluptatibus eſt occiſus: ſit ergo aptum ſatis non ligonis laboribus fatigari, non horridorum lacerati ſentium cuſpidibus; ſed nimiis dediti voluptatibus protoparentis ænigma: nec enim ſic illum labores citò conſumerent, vt appetitus orco tradiderunt, & ſepulchris amandarunt.

17. Duo Pharaonis ſerui ſomnia viderunt futurorum præſagia: alter quas vitis vnica fundebat, vuas accepit; alter cupedias omnes, quas, & gula appetere, & ars valuerat confingere,

Gen.40.v.10. reportabat. *Videbam*, inquit prior, *coram me vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores vuas matureſcere.* Vitis non pluribus effundebatur flagellis; ſed tantùm tribus, quis quantumuis fertilibus exigua vuarum micabat copia. Vidit alter tria ingentis proceritatis caniſtra, & in illorum ſupremo delicatos omnes regióſque cibos: *Et ego vidi ſomnium quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum, & in vno caniſtro, quod erat excelſius, portare me omnes cibos.* Auditis ſomniis, vt erat incorruptus veritatis interpres, congruam vtrique ſomnio Ioſeph interpretationem adhibuit: vnius non extimuit in gratiam, nec ambiuit gratiam alterius: cæleſtis coniector arcani nec tacuit vera, nec melliuit infauſta; ſed huic mortem, illi prædixit felicitatem: *Auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te in cruce.* Et cur huic mortem aſciuerit panis, quando vitam illi libertatíſque lætitiam protenderit vitis? Cur delicati, ſaporatique cibi infauſta mortis præſagia, ſi rubentes vuæ extiterant felicitatis indicia? Animaduerte differentiam: alter eas ſolùm decerpſit vuas, quas vitis vnica, & quidem inops palmitum miniſtrabat; alter verò multiplices cibos toto artis ſapore conditos, & induſtria ſaporatos: *Omnes cibos, qui fiunt arte:* prudenter ergo Ioſephus mortem artificioſis coniecit ex condituris: nec enim poterat vitam in longum producere, qui tot ferculis didicerat exundare. Opportunum quidem citiſſimæ mortis ænigma tot delicatæ dapes, tot ciborum congeries: quid enim aliud, quàm vocare mortem lautiſſima quibat menſa, & inter ſe diſſidentium ciborum copia? repetere namque poſſet Naſutus Poëta, quod de ſuo illo confuſo chaos.

Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis. Ouidius.

Huc voco Clementem Alexand.2.pædag.cap.1. Clem. Alex.

Antiphanes Delius medicus vel vnam hanc dicit eſſe morborum cauſam ciborum varietatem. Vbi *Morborũ cauſa ciborum copia.*

ciborum ſibi aduerſantium vidit varietatem celerrimam coniecit prudentiſſimus mortem: nec enim diu valebat viuere, qui conditis adeò induſtrie obſoniis ſomniauerat exundare. Non dubium celerrimæ mortis ænigma ciborum multiplicitas, & condimentorum varietas. Olim longa ſæcula vegeti robuſtique durabant homines, quia caſtaneis, aut glandibus rudibus victitabant, & anguſto cibo vitam in ſenia longiſſima protrahebant. Addiderim deliciarum regionem viro prudenti vitandam vtpotè corpori, & ſaluti nociuam.

Cain ille mortis artifex, orci ianitor, & furiarum inuentor, quò facilius in alios deſæ- 18.

uiret, ferociam à fraterno ſanguine eſt auſpicatus, duris boum laboribus diuexatus, & ipſo terram proſcindente aratro detritus agrum percolebat, ſeipſum miſerè deſertabat: huic ergo poſt ſceleſtum illud, execrandúmque innocui fratris parricidium mulcta iniuncta eſt, vt vagus ſcilicet, & profugus cæteris extaret exemplum, & ſimile ſua pœna diſſuaderet flagitium.

Vagus, & profugus eris ſuper terram: & ne mors Gen.4.v.12.

tanto malo attuliſſet citiùs medelam, Deus veluti inferni mancipium impreſſis notis infamat, & quaſi fugitiuum ſeruum candente ferro ſigillat: *Poſuit Dominus Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum.* Quam terram vertens mortem non timebat, expauet modò vagus, & veretur otioſus, quaſi ſalus aratri vegetior durauerit exercitio, & mors aſciſcatur faciliùs otio: neceſſum fuit communire ſigno, ne citiſſimè periret gladio. Huic ergo in mortem armato mors contigit inopina: *Occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum*, deplorat Lamechus; verùm, ſi Cain ſigillatus, quò in longum tempus produceret vitam, quomodò adoleſcentia peremptus, & ipſo quodammodo iuuentutis flore ſublatus;

sublatus, ait enim Lamech: *Occidi adolescentulum?* Vide quam habitationi prouinciam delegerit, Eden scilicet, vbi abundantiores lautitiæ, vbi deliciarum nimia affluentia, vbi voluptatum exundans copia: lauta ergo regione adolescens sublatus, qui signo, ne moreretur, munitus: *Habitabit*, inquit, *profugus in terra ad orientalem plagam Eden.* Boues secutus viueret, terram aratro proscindens in longum æuum duraret; inter delicias verò citissimè occisus est; non quòd diuinum signum vagum nequiuerit custodire; sed quòd Deus vel muniti stragc hanc veritatem voluerit homines præmonere. Audi Hieronym. apud Lyppoman. *Naid terra, in qua habitauit Cain, vertitur autem in salum, id est, motum, siue fluctuationem, Eden verò sacer paradisi locus ad Orientem, quod in voluptatem, deliciásque transfertur.* Vtrumque non absque mysterio iungitur, & Naid & Eden; nec enim à fluctuatione deliciæ poterant separari, nec longiùs à morte abesse. In Eden commoratus occiditur, quò mens nostra inter lautitias, deliciásque vitam citissimè finiri erudiatur.

Hieron.

29. Thesin hanc claudat Ionathas laboribus vltra temeritatis audaciam attritus; sed & triumphator: Philisthinorum castra tunc, & loci arduitate munitissima, & armatorum copia superba euertere aggressus est: quid iuuenilis non tentet ardor? Pectus per terram trahit serpentis more circumuolutus: manibus & pedibus reptat, vt in aduersariorum phalangas irruat; nec sine temeritatis ad speciem nota: *Ascendit Ionathas manibus, & pedibus reptans.* Inter tot hostes discurrit illæsus, inuolantes per hostium falces incedens vincit, & victoriosus procedit. Hic idem cùm hostium terga mucrone feriret, saltúmque peramœnum excurreret flauo mellis fragrantis epulo allectus comedit, & comedens mortem sibi citissimè acciuit: *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis; & conuertit manum suam ad os suum.* Quàm exiguis egregia obscurantur sæpè facinora, & amittuntur gloriosa! In se conuertit mucronem fauo, quo minabatur hostili tergo: inter adeò aperta ad speciem discrimina incedens coronatur victoriâ, qui inter auratos mellis fauos multatur vitâ: *Morte morieris Ionatha*, pronunciat pater: plus timere potuit à dulci fauo, quàm ab aduersariorum copioso numero: melle incurrit mortis sententiam, qui tot laboribus reportarat victoriam: vt videas delicias in vitam gliscere actuosiora venena, quàm aduersa inuolarint arma. *Vidisti*, scribit Chrysostom. hom. 14. ad popul. & apud Glossam, *vidisti quanta vorago? Mensa extemporanea, vt & accedenti facilitas, & nutrimenti suauitas, & latendi spes in iuramentorum præuaricationem ipsos alliceret.* Ecce voraginem, & quidem profundissimam: ecce saltum anfractibus periculosum, mensam scilicet deliciis plenam, & cupediis lautam. Ionathas morti approximauit deliciis, qui vel obuius inimicorum distabat armis. Vt discas differtam mensam mortis semper egisse negotium, & morborum assumere patrocinium. Iosue à ciborum ingluuie temperans, vitam vsque ad prouectum senium perduxit: quia quantumuis hostibus depræliatus, à noxiis ciborum voluptatibus fuit alienus.

1. Reg. 14. v. 13.

1. Reg. 14. v. 27.

Chrysost.

§. IX.

Non minùs aliquando negata in beneficijs censenda, quàm accepta sunt numeranda.

SÆua bonitas est exorari in perniciem supplicantis, & largiri in detrimentum petentis; 30.
imò tunc quo quis largior, & nocentior: nesciunt homines quanta Numini ex his, quæ non acceperunt, debeant beneficia: ille aduersa valetudine laborauit; sed fors vitiis, criminibúsque malè impendisset salutem; ille nudus alget, & colubri adinstar contrahitur, imisque delitescit, qui adspirante felicitate explicasset venena, & perpetrasset flagitia: ille morti seruatus est; sed vt sustineret inhonestiorem: beneficium foret decentiùs ante occubuisse, quàm sæuæ fortunæ manus sanguine cruentasse. *Theramenes*, scribit Plutarchus in consolat. ad Apollon. *qui Athenis in triginta tyrannis fuit, collapsa domo, in qua cœnabat cum pluribus, seruatus vnus, cùm ab omnibus esset beatus appellatus, elata voce exclamauit, ac: In quod tandem, inquit, tempus fortuna me reseruas? Hunc non multò post eius collega in tyrannide excruciatum necauere.* Felicior sepeliretur ruina, infelicissimus equuleo extensus occubuit infami pœna: gratiæ sæpiùs agendæ sunt quòd aliqua nobis etiam importunè rogantibus non concessa, quia aliqua inuitis ablata. Aptè Seneca lib. 2. de benef. cap. 5. *Sunt quædam nocitura impetrantibus, quæ non dare; sed negare beneficium est: æstimabimus itaque vtilitatem potius quàm voluntatem petentium: sæpè enim noxia concupiscimus, nec dispicere quàm perniciosa sunt, licet, quia iudicium interpellat affectus.* Irritata ambitione sæpè cupiditas, agitata cupidine cæcitas impingit, & quò celeriùs inuolat, maiori impetu confracta ruit: itaque remorari, & vinculis detinere cadentem beneficium est. *Philippus Macedonum Rex*, scribit vbi suprà Plutarchus, *cùm tria ei sub idem tempus læta nunciata essent, primum vicisse ipsum Olympijs quadrigis, alterum ducem suum Parmenionem signis collatis Dardanos concidisse, tertium peperisse sibi Olympiadem filium, tensis ad cœlum manibus: refer hîc fortuna, inquit, modicum aliquod incommodum. Ingentibus felicitatibus inuidere sciebat fortunam solere.* Timuit nimiam felicitatem, nec imprudens suspicabatur viscata, quæ videbantur cæteris ambitiosa. Deus cùm Hebræorum populum maximis felicitatibus coronaret, plurimas terræ promissionis distulit largiri prouincias: *Terra latissima derelicta est, quæ necdum sorte diuisa est.* Quærunt interpretes cur gentes omnes tunc non fuerit depopulatus, & promissos Hebræis limites statim generosè largitus, dehonestat namque beneficium, qui differt, quantúmque protractum est temporis, dedecoris tãtum accrescit donis: quid ergo danda morosus differt, & promissa auarus retinet? O diuinam munificentiam! non solùm datis; sed etiam, & tunc negatis munificentiam suam cumulatiùs adornat: erat namque populus tunc numero exiguus, nec adeò sufficiens, qui vastos adeò terrarum limites occuparet: si ergo omnes simul prouincias impertiretur, incultæ plurimæ remansissent, truculentásque feras

Plutarch.

Affectus interpellat iudicium.

Seneca.

In beneficijs non petentis voluntas, sed vtilitas æstimanda.

Plutarch.

Ingentibus felicitatibus inuidere solet fortuna.

tas in apertum dominorum incommodum procreassent: itaque negatis auertit pericula, vt concessis asciuit commoda: in beneficiis numeranda fuerunt non solum concessa; sed tunc negata, & in tempus futurum missa. Audi Caietanum ad hunc locum: *Significatur quòd multa terra supererant acquirenda infra terminos terra promissionis: dixerat enim Deus Mosi, quòd non simul expulsurus esset gentes omnes ex terra promissionis, ne terra maneret inculta, & multiplicarentur bestiæ: quia populus Israel non erat tam multiplicatus, vt sufficeret ad habitandum, & colendum vniuersam terram promissionis.* Opprimeretur populus possessis, qui luxit fortunatior negatis.

Caietan.

31. Abrahamus oraculo filium litare iussus montem incendit in manibus gestans ignem, & gladium: *Ipse portabat in manibus ignem, & gladium.* Vides gladium Abrahami manibus splendescentem: verte modò oculos ad Balaamum celebrem illum ariolum gladio exarmatum: verberabat fuste subiugalis latera: quia cupiditate inflammatus citissimè viam agere ambiebat, asina Angelum intuita ambitione furentis gressus tardabat. *Quid feci tibi? Cur percutis me ecce iam tertio?* conqueritur mutum animal: dedit namque nimia vexatio loquelam, vt voce insani, cæcutientisque reprimeret iram. Quid tunc Balaam? *Vtinam haberem gladium, vt te percuterem.* Et quid Deus gladium non concedat ariolo, si concesserat Abrahamo? aut cur non neget Abrahamo, si subtraxit ariolo? Certe maioris pretij, quam asina, filius erat: si ergo, ne asinam vulneraret, ferrum negatum est, negetur etiam, ne Abrahamus innoxium trucidauerit filium. Estne Deo prouidentior de iumentis, quam de hominibus cura? Non equidem; verùm beneficia sua erga vtrumque commendans, & alteri dedit, & gladium alteri denegauit: gladio Abrahamus facinus cælo mundoque decantandum perficere gestit, Balaam immeritum animal crudeliter occidisset: ergo beneficium fuit huic negare, & ensem illi præbere. Ad rem Philo lib. 1. Allegor. *Sapiens ille Abraham, quando incepit iuxta Deum metiri omnia, nihil creaturæ tribuens, accipit ad ignei gladij similitudinem ignem, & gladium, resecare ac exurere quidquid mortale habebat, cupiens, vt expedita cogitatione sublimis ad Deum euolaret; at Balaam, ille, id est, vanus populus inducitur inermis, desertorque militiæ, imperitus belli, quo anima sibi parat scientiam: sic enim alloquitur asinam, hoc est brutum vitæ propositum, cui omnis insipiens insidet: si gladium haberem, iam te trucidassem.* Ausculta auidius quæ subdit: *Gratia maxima conditoris, qui sciens imprudentiæ vitiem non dedit tanquam furenti gladium.* Maxima Dei misericordia, quod inermis pergeret, ne periret: Abrahamo de gladio gloria, Balaamo cresceret ignominia: ergo vt datus Abrahamo fuit beneficium, sic Balaamo ablatus. O quot bestiæ desæuirent, si terra protenderetur, quot rugirent leones, quot ad perniciem prodirent tigres! Profectò non semel, dum copia strictior, decentiùs virtus colitur, profusiori tamen diuitiarum fomento impotentes, quique feras sæuitia, ac truculentia deuincant, generantur affectus: felix fortassis angustiori fortuna, qui latiori infelicissimus copia.

Gen. 22. v. 6.

Numer. 22. v. 28.

Philo.

Perfectus quidquid impedit, resecat, & exurit, vt peruix ad cælum volet.

32. Moyses dum arte Iordanem hæreditatem diuideret; duabus tribubus, & dimidiæ portiones rationabiles est largitus, Leuiticis partem non dedit: *Tribui autem Leui non dedit possessionem.* Videatur fortassè cui Moyses erga Leuitas parum affectus; erga alios verò immoderatè studiosus; verùm textus vtrósque obstrictos retulit beneficiis, & Leuitas, dum carent sortibus, & reliquos dum amplissimis donantur muneribus, fauit Moyses Leuitis, dum non dedit, reliquis fauit largitus: vt noueris aliquando non data non minùs in beneficiis censenda, quàm accepta sint numeranda. Adest Origenes apud Glossam: *Misericordia ergo Dei hæreditas terrena nobis sublata est, vt hæreditatem quæramus in cælis.* Misericorditer se cum Leuitis gessit: quia vt ad cælestia inflammaret acriùs, humanis dispoliauerat studiosiùs: se beneficum erga alios exhibuit, quia donis obstrictos ad cælestia fouit, & pulsata gratitudine allexit.

Iof. 13. v. 14.

Origen.

Nonnullis, vt inquirant cælestia, dona negantur humana.

33. Diues ille, impietatis exaggeratio, qui purpura sibi nutriuit flammam, sursum leuat oculos, & paternum Abrahami pulsat affectum: aquæ guttam sitit flammis acribus vstulatus, & ignibus non morituris vestitus: Abrahamus tunc gremio fouebat pauperculum, & Lazarum olim consolabatur afflictum: Abrahamus, vt denegatæ petitionis acerbitatem temperaret, voce blandissima deliniuit: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Hic ipse Abraham, qui modò vel stillam denegat filio, quondam vel lauandis hospitum pedibus aquam effundebat, & largissimè ministrabat: *Afferam, inquit, pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros.* Ecqua huius causa? Estne adeò liberalitate indiscretus, vt filius deneget, & exteris tribuat? Plures profectò inuenies in suos auaros, & prodigos in extraneos; imò vt extraneis beneficia profundant, sibi, suísque vel debita naturæ tributa negant: largiatur ergo Abrahamus filio aquam, nec peregrinorum pedibus ministrauerit vndam. Vtrobique pius, vtrobique sane misericors, dum fontem ministrat, & dum guttulam negat: quid enim aquæ gutta tot voracibus flammis prodesset consumpto? Irritaret equidem vehementiùs ardores; ampliusque diues laboraret remedio, & nouo flamma plus rubesceret incentiuo: Huic ergo denegare pietas fuit, vt illis misericordia concessisse. *O mira pietas*, exclamat Chrysologus serm. 123. *adhuc vocat filium, quem degenerasse propria crudelitate sic respicit... Voco filium, vt intelligas iudicij esse quod pateris, non furoris.* Furoris esset aquam præbuisse, & flammas stillis irritantibus flabellasse: beneficium fuit huic negare, & peregrinis præbere. Ad rem Seneca vbi suprà: *Cùm subsedit cupiditas, cùm impetus ille flagrantis animi, qui consilia fugat, cecidit, detestamur perniciosos malorum munerum auctores, vt frigida ægris negamus, vt lugentibus ac sibi iratis ferrum, aut amentibus quicquid contra se vsurus ardor petit; sic ea, quæ nocitura sunt, impensè ac submissè, non nunquam etiam miserabiliter rogantibus perseuerabimus non dare.* Aquam petit ardor; sed contra seipsum vteretur stilla: acriùs namque flabellata adureret flamma, lingua rogans exaggerasset sibi supplicium, & impetrasset incendium. *Exorari*, addit Stoicus, *in perniciem rogantium sæua bonitas est.* Mitis Abrahami bonitas, dum in rogantis perniciem exorari non patitur, mitis dum

Luc. 16. v. 24.

Gen. 18. v. 4.

Chrysol.

Senec.

dum aquam peregrinis vel non petentibus clargitur.

34. Iacob & Esaü vel in materno vtero contendebant; quisque præcipere alteri palmam contentissimè laborabat, & ne cederet certamine, vitam exponebat discrimini: tandem sors, vt accidere solet frequentiùs, immeritum iuuit, & primogenituræ titulis exornauit. O quàm antiquum est assumi ad dignitatum fastigia indignos, postponique benemeritos: verùm opportuno tempore emendauit prouidentia, quæ corruperat olim natura: Rebecca vtriusque mater Iacobum benedicendum prætulit, Esaü postposuit: (Gen. 27. v. 5.) *Quod cùm audisset Rebecca, & ille abisset in agrum, vt iussionem patris impleret, dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam, & benedicam tibi coram Domino, antequam moriar: nunc ergo fili mi acquiesce consilijs meis*, &c. Ambrosius lib. 2. de Iacob, & vita beata non minori pietate erga Esaü, quam erga Iacob matrem attestatur affectam: (Ambros.) audi ipsum: *Apud matrem piam mysterium pignori præponderabat: illum non tam fratri præferebat, quam offerebat Domino, quem sciebat collatum sibi munus posse seruare, in quo & alteri consulebat, quem diuinæ subducebat offensæ, ne grauiore implicaretur reatu, si acceptæ gratiam benedictionis amitteret.* Alteri eripit, donat alteri, vtriusque benefica & generosè prouidentissima: Esaü namque Numinis adaugeret offensam, si accepta benedictionis fecisset inconsideratus iacturam. Iacob dum acceptæ benedictionis honestat gratiam, dignis sibi operibus cumulauit & gloriam: beneficium ergo fuit benedictio pro vtriusque ingenio & concessa, & denegata. Rugit Esaü, & aduersam sibi sortem plenis eiulatibus contestatur; verùm luget, quia improuidus, & gemitus edit, quia cæcus: tenebatur namque magni facere temporali illa felicitate priuari, quia grauioribus offensis delinqueret nactus, & augeret culpam amplioribus beneficiis obstrictus.

35. O quàm sæuam vltoris gladij aciem Ægyptiorum primogeniti non sustinuissent, si ortu secundi splendorem luminis spectassent! Fortassis querebantur secundi, quòd primas fauente natura tulissent fratres, cùm profectò fuerit beneficium nasci secundos, & infaustum prodiisse primos: (Exod. 12. v. 29.) *Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat, vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere.* Gloriabantur primates de ortu, miseri futuri de interitu. *Ibi*, scribit Basilius Seleuciensis (Seleuc.) orat. 9. *mors primatum primogenitos non sine dolore depascebatur, & natorum ordo fiebat ad imperium mortis.* Quod tunc visibiliter accidit, & modo inuisè sæpe sæpius contigisse non dubium: fore pauper produces in longius vitam, & diues tibi duram aduocasses citissimè parcam: fors doloribus adustus fulges sceleribus repurgatus, qui robore valens peccatorum delictis scateres infectus. Ergo gratias age Numini, quia plura negauit, & quia plura tibi concessit: sæpè enim non minori iure quam præstita, censenda sunt in beneficiis negata.

* * *

§. X.

Sancti corporeis adhuc viribus destituti excelsa petunt volucribus desideriorum pennis alati.

36. HOmo, quem Tertullianus de Anima c. 53. nauem appellauit, (Tertull. *Corpus est nauis.*) *Corporis*, inquit, *nauis*, rationis gubernaculo regitur, desideriorúmque impulsus flatibus aurigatur: animi affectus pro remis sunt; imò pro alis: his vtitur, vt ad optata perueniat, & placita sibi contingat; verùm vt non semel acrior adspirantis venti flatus lina cumulatiùs implet, & celeriùs nauem inuolare compellit, ita aliquando desideria vehementiùs instigant, & hominis animum ardentiùs inflammant: non attemperantur sæpè viribus corporeis affectus; sed inuolant vltra corporis metas, quantumuis obstaculis impediti, & morborum vinculis illigati. Iustis viris accidit aliquando quod sæpesæpiùs peruersis: sic nonnulli noxiis malignitatis exæstuant desideriis, vt illorum insanæ appetentiæ furor nullis quantumuis prolatis claudatur lineis, aut latissimis patiatur arctari terminis. Aptè Seneca epistol. 119. (Seneca. *Nonnulli non tam ventrem implet, quàm faciunt.*) *Inuentus est, qui concupisceret aliquid post omnia... Infelicis luxuriæ ista tormenta sunt quærit quemadmodum post saturitatem quoque esuriat, quemadmodum sitim prima potatione sedatam reuocet: quærit quemadmodum non impleat ventrem; sed faciat.* Appetitus extenditur in immensum: luxuriæ & ambitionis arte impossibilia, & voluptatum hircoceruos phantasiæ officina confingit, & de voto sibi plaudit: omnia habet, & cùm præter omnia nihil supersit, adhuc exæstuans anhelat, cupidinis furor modum nescit: necesse est enim exeat in immensum limites naturales transgressus: ad superuacua sudant vitiorum vernulæ, & corporeis adhuc viribus destituti ad voluptates inuolant desideriorum pennis alati. Bene idem Seneca epist. 75. (Seneca.) *Æstuamus miseri, distringimur, multas habere cupimus manus.* Quisque Briareo inuidet, & cùm binas tantùm natura finxerit manus, vt diuitias rapiat, vt voluptates acquirat, vt vindictas exerceat, centimanus esse discupiet. Hos impotentes peruersitatis affectus fouet etiam iustus & generosus, in rectum collimans, ardet desiderio virtutis, & cùm celsiora pertingat, adhuc vlteriora anhelat: quicquid sparsim pulchrum, in se colligere discupit, & corporis prorsus despiciens vires, quæ beatorum propria, suspirat. Ecce Iosue ætate longæuum, & annorum pondere incuruum adhuc indefesso animo sic vlteriora prælia molientem, vt necessum fuerit cælesti retardari præcepto, ligari oraculo: *Iosue senex prouectæque ætatis erat, & dixit Dominus ad eum: Senuisti & longæuus es terráque latissima derelicta, quæ nondum sorte diuisa est... Et nunc diuide terram.* Superfluum cui videatur monere præliis abstineat homo ingrauescente senio confectus, & corporeis præ nimia ætate viribus destitutus, quandoquidem ipsa senectus rude donabat, & satis feriari iam admonebat: verùm is erat generosus animi ardor, vt corporeis etiam viribus destitutus in Dei hostes & noua tentaret prælia, & studiosè premeret arma: *Confert Deus Iosue*, scribit Masius, (Masius.) *ætatem parum ad bellicos labores aptam cum amplissima*

sima bellandi, quæ superauerat materia, vt ansam habeat sanctissimi senis animum & consolandi, & leniter, quò vult, flectendi, inducendique; credibile est enim Iosuam existimasse omnes sibi prorsus Chananæos ante esse exterminandos, quam partitionem posset auspicari. Ætas bello inepta; sed adhuc vegeta bellandi cupiditas: ensem tremens dextra nequit stringere, & ardet adhuc pro virtute animus decertare: vt enim peruersi vltra vires corporis prolatant nocentissima desideria, ita iusti honestius illuc perducunt vota, vbi impossibile est peruenerint vnquam facinora.

Superior leniter quò ratio postulat, subiectã flectas.

37\. Adest Psaltes veritatis huius assertor: *Quis dabit mihi pennas, inquit sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Natura hominis volare non patitur, iam Icarus ambitioso reliquos instruxit exemplo, dum miserando decidit præcipitio. Ergo inania, & prorsus impossibilia suspirat, dum assumptis mutuatitiis pennis volucrum instar per liquidum volatum librare anhelat: ad hæc terminum non figit volatui. *Volabo* inquit, *& requiescam.* Vbi ergo requiem volatui assignas? Dicebat alibi: *Si sumpsero pennas meas, & ambulauero in extremis maris*; hic autem lassitudinis oblitus non figis metam suspiriis; sed in immensum prolatas desiderium assumptis pennis. Anastasius Sinaita lib. 6. anagog. contemplationum, volucrem fieri desiderasse testatur, cum illisque annumerari sex alas habentibus, & Seraphico semper ardore regali throno æstuantibus: *Volucrem,* inquit, *desiderabat fieri, qui dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, quæ descendit in Iordanem, & volabo, & requiescam in illa requie cœlestium volucrum sex alas habentium.* Itaque & volatus pernicitate, & ardoris nobilis flamma Seraphinos nititur æmulari: se Angelicis inserit choris alarum suffragio, & volatus suspirat vincere desiderio, pedibus terra cogitur ambulare; sed desideriis vel Seraphinorum naturam aggreditur transilire: *Volucrem desiderabat fieri, qui dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* Infinito amoris censu vellet ditescere, vt Deum adæquè posset diligere: vnicum esse Deum gaudet; sed pia quadam ambitione Spiritus sancti vellet sortiri naturam, non quò fulgeret diuinus, sed quò vnicum Deum redamauerit gratus. Luteus homo, terrena compago, natura fragili nequit adæquos Seraphinis explicare volatus; ea tamen generosè fertur desideriorum vehementia, vt Seraphinorum æmulator, & altipetas suspiret alis, & virtutibus æquas exambiat pennas: *Volucrem desiderabat fieri, qui dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?*

Psal. 54. v. 7.

Psal. 138. v. 9.

Anastas. Sinaita.

38\. Iam hoc inuerso stylo peruersis esse solemne, illa regiæ cœnæ testatur parabola, & publica mensa: *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, & misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia.* Gregorius hom. 36. in Euang. cœnæ horam extremam mundi interpretatur ætatem, & quidem de sæculi more apud Magnates cœna extremam noctis occupare solitat horam. *Quid hora cœnæ,* inquit, *nisi finis est mundi?* Audi quid responderint inuitati: *Villam emi,* inquit primus, *& necesse habeo exire, & videre illam.* Caligante nocte videre cupit, qui fortè candicante Sole oculis caligauerat. Alter tentare boues festinat, & colere adhuc fertilem fundum exambit: alter cranis indulget oblectamentis, & sordidis corporis deliciis. Quid ineptius, quàm vltra mundi finem mundum suspirare? Profectò ni cœnæ esset hora, nil mirum fallaces colorent causas, quò fallaciores exambierint voluptatum cupedias; verùm si hora cœnæ finis est mundi, quomodo & boues aratrum prementes quibunt mugire, aut quomodo nuptiæ poterunt celebrari? O quàm bene aiebat Seneca: *Inuentus est, qui concupisceret aliquid post omnia,* hi namque post omnia consumpta adhuc multa concupiscunt, & cùm iam corporeis viribus dispoliati, nec indulgere voluptatibus, neque studere diuitiis possint, adhuc nituntur ditescere desiderio, & carnis adurantur pruritu. *Si ergo iam hora cœnæ est,* addit Gregorius, *cùm vocamur, tantò minus nos debemus excusare à conuiuio Dei quantò propinquasse iam cernimus finem sæculi.* Mundus perit vsui, & adhuc perseuerat affectui; sed ne minus ambiret pietas, quam suspiraret malignitas; plures alij vocantur, qui fruantur cœna, & illa oblectentur pompa. *Egressi serui eius,* inquit Matthæus, *in vias congregauerunt omnes.* Non defuerunt, qui in fine mundi cœnam suspirarent regiam, si in fine mundi fuerant, qui obscuram exambirent fallaciam: nec enim dignum erat, vt segnior virtuti impenderetur affectus, quando adeò viuidus addicebatur voluptatibus appetitus. Alij adhuc supremo vitæ spiritu temporalibus inhiauere deliciis, alij studuerunt cœlorum epulis.

Luc. 14. v. 16.

Gregor.

Senec.

Matth. 22. v. 10.

39\. Sponsus fuluos sine fuco sponsæ crines allaudans capris altiuagis comparauit: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Capræ montium prærupta sine discrimine premunt; & quæ aliis præcipitia, sunt illis plana: illuc celeri pede contendunt, quo Sol trepidat, & visus fugit. Notauit iam hoc Ambrosius: *Vides,* inquit, *quod in altis grex iste pascitur, audax in monte. Itaque vbi aliis præcipitia, ibi capris nullum periculum.* Ecce capra altipeta semper & vaga, immoratur præruptis, lætatur desertis: quomodo ergo sponsa cubiculo semper obserata, viribus ad ambulandum tenerrima caprarũ conferatur volatibus, ac celerrimis æquetur excursibus? Poterit ne sponsa ardentes sustinere soles, montiũ calcare prærupta, & euadere præcipitia? Imò in hoc, inquit Gregorius, sponsæ rutilauit perfectio: desiderauit namque vltra vires producere pœnitentiam, & cœlicam prorsus mõtibus peragere viam: pedes non sustinent caprarum conficere cursus; sed capras agilitatis virtutis vincere desiderauit affectus: illuc peruenit desiderio, quò nequibat pertingere passu: exæquauit animi voto, quod corporeo ad virtutem nequibat gressu: ali desiderabat radicibus, immorari montibus, premi ciliciis: hoc delicatum non patiebatur ingenium; sed anxium discupiuit studium: *Vehementer pulchrius & honestius est, quòd cordis desiderium retinere conatur, quod æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet, erecta contemplatur, quod in his, quæ interius videt, suauiter requiescit, & mundatur:* sequitur: *Capilli tui sicut greges caprarum.* Vnica sponsa, quæ multi Sanctorum greges, desiderabat perficere, & quæ corporeis viribus macerata, anxiis erant votis facillima: audet desiderio, retardatur statu.

Cant. 4. v. 1.

Ambros.

Gregor. *Anima contemplatione requiescit.*

40\. Hoc idem notauit Ambros. ad illud Exod. 33. *Ostende mihi gloriam tuam:* Moyses adhuc corporeis

Exod. 33. v. 18.

poreis septis inclusus id audet, quod cælites tantùm spectant: sibi gloriam vel in hoc mundo manifestari discupiit, & quem Sanctorum animæ cælo, potiri statum anhelauit in mundo. Deum videre facie ad faciem anhelo cordis desiderio suspirat, honestè extra se actus, & humanæ conditionis prorsus oblitus: *Non poteris*, inquit Deus, *videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.* Numinis profectò verba Moysis non sugillant audaciam; sed indicant honestam desideriorum vehementiam. Nihil satis excelso illi animo acribus charitatis flammis adusto: terrea adhuc ligatus mole ignea rapiebatur ad cælos flamma: vltra quæ homini fas, desiderium extendit, non procaciter cupidus; sed religiosè deuotus: non poterat videre, & videre desiderabat: plus affectat, quàm valet, & plus quam exequi possit, audet. Audi Ambrosium in Psalm. 118. Octonar. 18. *Si Moyses tam sapiens, & eruditus hoc potuit simpliciter magis, quàm in mysterio postulare; humanum tamen est desideria supra nos extendere.* Supra seipsum deuota extenderat desideria, & quod humanus respuebat status, religiosius arsit affectus: amori plausit, affectui blanditus est: id ardenti suspirauerat desiderio, quod humanis omnibus negabatur edicto: *Non enim videbit me homo, & viuet*: quod nullus hominum potest, sitienter anhelat, ne minus impenderit amoris flammis, quam sæculi homines nociuis impendere anhelauere cupedus. Ergo Iosue, quantumuis viribus destitutus, iterum prælijs desudare festinat, quò imitanda exempla posteris prodat. Repetere posset de meo Iosue Plutarchus, quod oratione secunda de fortuna Alexandri: *Quis enim dijs natus, si a Iouis filio discesseris Hercule, adeo ancipitia, laboriosa, & ærumnosa exantlauit certamina? Verùm illi vnus vir improbus leones imperauit capere, apros sectari, & abigere aues, ne lustrans orbem otium foret ad maiora, ad vindicandum in Antheos, ad coercendos latrones Busiridas: enim verò iniungebat virtus Alexandro* (meliùs Iosue) *rege dignum, & diuinum certamen, cuius erat finis, vt vno cultu cunctos exornatos mortales vni audientes imperio faceret, vnique assuescerent vitæ rationi.* Quid aliud?

Ambros.

Plutarch.

---

§. XI.

Non adeò indecorum est nocere, vt habeas, quàm nocere, vt noceas.

41. HOminis natura veluti cupiditate compacta, intimis habendi desiderium visceribus hæsit, adeòque natura humana huic ignobili se mancipauit studio, vt nil aliud viuidior anhelet cura, nec insana solicitet diligentia: *Cupiditati nihil est satis*, aiebat Seneca de consolat. ad Albin. cap. 11. *natura etiam satis est parum. Nullum ergo paupertas exulis, incommodum habet*; nulli etiam tam inops exilium est, quod non alendo homini abundè fertile sit: an vestem, an domum desideraturus est exul? sed si hæc quoque ad vsum tantum desiderabit, neque tectum ei deerit, neque velamen æque enim exiguo tegitur corpus, quàm alitur: nihil enim homini natura, quod necessarium faciebat, fecit operosum. Sed desiderat saturatam multo conchylio purpuram intextam auro, variisque coloribus distinctam, *& artibus: non fortunæ vitio; sed suo pauper est.* Primum hominis scelus concupiscentia fuit, ipsaque culpæ, & sceleris remansit pœna; vrgentur præcordia anxio appetitu acquirendi: nullus ad rationem viuit, cuius certi limites sunt; sed quisque impotentis se ambitionis consuetudini addixit, cuius immensum, & immetatum est desiderium, sæuum intra se sine merito sustinuit martyrium. Ex hac insana cupiditate quidquid humano generi nocuum, emersit, scinditur fraternitas, amicitia seiungitur, ratio ipsa patitur sæpiùs violentiam, & natura probrosam non semel sustinuit iniuriam; verùm etsi insanus hic affectus rationi sæpè aduersatur, dum aliis eripit, vt sibi acquirat, nescio quem excusationis colorem habet: desipuit cupidus; sed humano vitio: insaniuit ambitiosus; sed affectu quodammodo naturæ innato: illud verò malignitatis fastigium, ferarumque superauit ingenium, cùm quis scilicet nocuit, non vt sibi reportauerit lucra; sed tantummodò vt aliis attulerit detrimenta. *Inter cæteras, quibus humanum genus solicitatur, illecebras*, inquit Cassiodor. 4. variar. 39. *præcipuè vitanda est alienarum rerum turpis ambitio: quia in immensum iactata rapitur, si iustitiæ ponderibus non prematur: auaritiam siquidem radicem esse omnium malorum, & lectio diuina testatur, quæ tali sorte punita est, vt cùm multa rapiat, semper egeat.* Semper eget ambitio, & dum eget, sua scelera de indigentiæ excusatione colorat, eróque non tam malignitati adscribitur, quàm cupiditati tribuatur. Crimen est nocere, vt habeas; sed flagitium flagitiosissimum nocere, vt noceas. *Belluarum ritus est*, aiebat Theodoricus rex 5. variar. 39. *sub casu vincere, quæ dum rapiendi ambitu feruntur, improuisa temeritate succumbunt.* Vel truculenta ferarum rabies rapiendi fertur ambitu, nocendi non agitatur studio: vnde sæuitiam ferocientium animalium excedit, qui ducitur non tam lucri studio, quàm stragis oblectamento: Deus alloquitur Iosue, vt ad nondum acquisitæ terræ partitionem accedat. *Terra latissima derelicta est, quæ necdum sorte diuisa est.* Rogant interpretes, cur Deus omnes ditiones illas Iosue armis non subegerit, hostésque penitus debellarit: Abulensis respondet quæst. 8. Iudæos respectu ditionum gentem tunc numero exiguam omnes illas ciuitates incolere minimè potuisse: ideóque interdicta aliquo tempore prælia, ne ipsis victoribus Israëlitis orirentur discrimina, aut saltem pullularent incommoda. Audi Tostatum: *Iudæi cùm ingressi sunt in terram Chanaan, erant pauci ad implendum totam terram hanc; imo ad replendam saltem tertiam partem; & si daretur Israëlitis tota terra illa, immediatè vt ingressi sunt terram Chanaan, non potuissent populari eam.* Si desudarent bella, ciuitates eriperent, quas incolere numero pauci minimè potuissent, nec alius capiendi fructus, quàm exitium casus. Deus ergo sic Israëlitarum disposuit in hostes pugnas, vt illis deuastatis iam ipsi numero adaucti subactas incolere valerent terras: vt hinc nobis eruditio manaret, sciremúsque nec virulentissimos hostes deterendos solùm

Cupiditati nihil est satis.

Senec.

Quod natura exegit necessarium, fecit nullatenus operosù.

Cassiodor.

Auaritia dum plura rapit, eo plus semper eget.

Abul.

solùm rabidi furoris studio; sed rationabili æquitatis præcepto: est enim rationi consentaneum, si in hostes moueris arma, vt recuperes tibi debita, aliqualémque excusationis, etsi non bonæ, colorem habes, aliis intulisse damnum, vt cupiditati diuitiarum attuleris incrementum; ast nocere tantùm, vt noceas, humanæ naturæ est probrum, & belluinum indecorè vincit ingenium.

42. Non semel virulentus hostis stultissimus ille draco, qui dum serpentinam affectauit prudentiam, in cæcam prorsus est prolapsus insaniam; Numini bellum intentat, ambitionis alis, & quidem cereis conscendere gestiuit Olympum; sed candentibus solis radiis dignum perpessus est casum: Diuinitatem rapere conatus est, thronum ambiuit, & simul otium, quod mireris, Isai.14.v.12. amauit. Audi Isaiam: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes: qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Propheta non interrogat; sed insultat, nobísque intimos malignitatis cogitatus depromit: cecidit; sed adhuc luctuosam stragem expertus, adhuc ambitionis supplicium passus, non denudauit malitiam; sed contra Dominum instruxit iterum temeritatis audaciam. Incolebat Christus deserta orationis oblectatus pabulis, & pastus oblectamentis; natura tamen post longa spatia mo-Matt.4.v.3. lestias famis sentire concessit: *Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esuriit.* Astutus aduersarius in insidiis semper erat, & egestatis nactus occasionem improbum accedit exhibiturus consilium: *Accedens tentator dixit ei. Dic vt lapides isti panes fiant. Iterum subdolus aperta consulit præcipitia:* Chrysol. *mitte te deorsum.* Chrysologus serm.11. vt erat perspicaci ingenio, impudentiorem dixit hunc accessum, quàm illum ausum: *Accessit, inquit, peius impudens, quam recessit; sed esurienti quid obtulerit, audiamus: Dic vt lapides isti panes fiant: lapides esurienti offert, humanitas talis est semper inimici; sic pascit mortis auctor, sic inuitus vita.* Verùm Chrysologi pace, in hoc certamine nec proiectior apparet audacia, nec audacior prouocat impudentia; imò hic sub pietatis specie consulit cibos, cùm ibi regales aperte detrudere nisus sit thronos: ergo ibi, & audacior, & impudentior. Vtrobique profectò pessimus; verùm dum thronum ambit, satagit aliis nocere; sed quia sibi desiderauit consulere: *Sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo.* Excellentiæ similitudinem indignissimus affectauit, quia ambitio celsitudinis vrsit; verùm deserto non sibi thronum; sed Christo discupit præcipitium: non sibi ambiuit consessum; sed Christo casum: hîc ergo totum peruersitatis explicuit ingenium: nec enim ad speciem adeò indecorum, licèt alieno damno, insana sibi quæsisse lucra, quam sine proprio lucro discupisse alteri nocumenta. Quid enim dæmoni vtilitatis in præcipitio? rueret alter; at ipse minime ascenderet: peiùs ergo impudens desertis accessit, quia solum hîc peruersitatis erat studium; cælo tamen aliquod specie tenus fulgebat emolumentum: ibi insana cupiditate obcæcatus aiebat: *Sedebo*; hîc: *Mitte te deorsum*: ergo accessit olympo minus impudens, quàm deserto: quia alibi proprium suspirabat commodum; hîc alienum præcipitium: nec enim adeò indecorum est nocere, vt habeas, quàm nocere, vt noceas.

Has dæmonis technas notauit etiam Septimius Tertullianus. Christus Dominus iustam illi vim inferebat, vt humanum, quod violenter inuaserat, inuitè relinqueret domicilium: 43. In clamores effusus dæmon blaterat: *Quid nobis, & tibi Iesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos.* Non dixit venisti hominem in libertatem asserere; sed nos affligere: in ipsa laude subdolus, & adulatione pessimus voluit hominibus persuadere Christum aduentasse nocendi studio, quò illum diuinitatis nudum assereret ornamento. Si diceret, vt hominem deprædaris, nos torques, mitigasset iniuriam; dicendo tamen: nos affligere exambis, impudentiæ incrementauit audaciam: est enim minùs indecorum nocere, vt habeas, quàm læsisse, vt lædas. Audi Tertullianum lib.4. aduersus Marcion. cap.6. *Nec enim dixit quid tibi, & nobis; sed quid nobis, & tibi? se deplorans, & sorti suæ exprobrans: quam iam videns adycit: Venisti perdere nos: adeò iudicis, & vltoris, & vt ita dixerim, sæui Dei filium agnouerat Iesum, non optimi illius, & perdere, & punire nescientis.* Deus non intendit perdere; sed discupit benefacere: est namque sæuitiæ genus sanguinem sitisse, & exambiisse torquere. Ergo vt quem Dei filium vocat titulo, sæuum prodiderit desiderio, exprobrauit illi torturam, tacuit medelam. Appellat Deum, sed ne Deus intelligatur, solita arte contendit: nihil enim adeò à diuinitate alienum, quam solo desiderio nocendi aduentasse, solámque crudelitatem ambiisse.

Abyssum vocare abyssum facilè intuenti illarum meretricum coram Salomone contendentium dubias anxiásque controuersias patebit: simul cohabitabant: altera dum somno liberius indulget, recèns natum pondere oppressum occidit. O quàm ponderi solent esse subditis, qui indulgentius se tradunt somnis! recèns natus fouendus est, non premendus: si enim teneræ virtuti totum perfectionis pondus imponas, defatigatam occides: ergo mater suppressit filium, vtque dolorem imprudenter leniret, filium alterius fraudulenter è latere matris rapuit: micantior lux fraudem aperuit: simulata mater plus ardebat de rapina adulari æmulationi, quàm orbitati: veritas censebatur commentum, & commentum veritas putabatur: contestatæ litem Salomonis inuolauere ad Tribunal. Salomon interrogauit affectus, quia tenebris inuolutæ testes non suppeterent veritatis: allata machæra puerum imperat adæquè succidi; non tamen animus erat scindere, sed seruare: rigor ipse militabat pietati, & sub specie lanienæ consulebat prouidentissimus vitæ: mater cessit solatio, vt innocentis subueniret periculo; altera sæuitiâ feras longè supergressa puerum exacuto medium instabat scindi gladiô: *Nec mihi, nec tibi; sed diuidatur.* Profectò 3 Reg 3 v.26. hîc accepit complementum omne malitia; imò malitiæ metas supergressa est inuidentiæ, & cupiditatis insania. Audi Augustinum serm.200. Augustin. de tem. & apud Glossam: *Quæ erat non solùm luxuriosa, sed etiam crudelis, & impia, clamabat*

44 Mat.8.v.29. Tertull.

ad Regem, vt diuidi iuberet infantem. Clanculum antea subripuit; verùm vt amissi filij vel fictum haberet solatium, anteà erat fur, modò fera: *Nec mihi, nec tibi*, sit clamat; vt videas hic lædendi solummodò studium, non habendi desiderium: anteà rapuit, vt sibi acquireret; modò iam cedebat, vt læderet: feras igitur superauit sæuitia, & sæuitiam transgreditur truculentia: dilacerant sæpè feræ; sed vt comedant, sed vt sitis ardorem extinguant: *Catuli leonum*, aiebat Psaltes, *rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi*: nec enim si non discuperent, sibi cibum, intulissent corporibus nocumentum. Ergo quæ nocendi solùm clamat studio, feras superat crudelitatis ingenio: *Crudelis & impia clamabat ad regem, vt diuidi iuberet infantem.*

Psal. 103. v. 21.

45. Vtque dilucidiùs hanc veritatem percipias, transi mihi cogitatione ad Danielis historiam. Leonibus ipsis truculentiores Satrapæ innoxium Prophetam exacutis discerpendum ferarum vnguibus tradiderunt; verùm quem ornabat innocentia, leonum nocere nequiuit audacia; imò virtuti exhibebant obsequium, vt inuidorum condemnarent studium. Aduentat rex Danielem voce lachrymabili appellans: *Et Daniel regi respondens ait: Rex in æternum viue: Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* O ignauum ad speciem ministrum! Si inuolat Angelus, vt Danielem seruarit illæsum, cur tantummodo sæuum ferarum concluserit rictum? Quid proderit exacutos frænauerit dentes, si liberos reliquerit vngues? Non poterit leo Danielem vngue discerpere, etsi non valeat dentibus dilaniare? Ergo non solùm ora concludat; sed vngues arceat. O pulchram nobis eruditionem! Satis fuit ora concludere, vt illæsum Prophetam seruarit: minister non ignauus, sed industrius, dum laceratum prohibet bestias frænatis dentibus deglutire, & Prophetam impedit lædere: nam vel feræ dilacerant, vt comederint, non tantummodo vt dilaniarint. Rictus expressit conclusos, non vngues frænatos, vt noueris nec sæuitiam ipsam nocere, vt noceat, etsi nocuerit, vt edat. *Quasi dicat*, exponit Lyra, *natura feritatis leonum non est mutata; sed ab Angelo prohibita: quod patuit ex effectu sequenti in accusatores suos.* Quos licuit accusatores vorare, bestiæ anhelauerunt discerpere; at dum non licebat dentibus vesci, non tentarunt vngues sanguine cruentare. Vt videas ipsas indecorè vincere feras, qui nocere suspirat non vtilitatis studio; sed lædendi desiderio.

Dan. 6. v. 21.

Lyra.

§. XII.

Exacta perfectorum obedientia vocem præcipientis audit, personam non discutit.

46. INter reliquas cœlestis disciplinæ virtutes obedientia est, quæ mentem hominis dignè subigit, dum à serpente ebibitam elationem deponit: scintillat in homine mens, optima sanè eius portio, & diuinitatis fulgor, quam maliloquus serpens innubilare inobedientia est aggressus, & quam antiquo splendori præceptorum restituit cultus: nihil est in homine aut maioris æstimationis, aut æqualis pretij: hinc sapienter desipere, & alterius nutu regi, magnum virtutis facinus, quia arduum humanæ naturæ opus. Obedientia mentis ornamentum est, vnde sponsus: *Collum tuum*, aiebat, *sicut monilia: murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Cardinalis Ailgrinus apud Delrium, auro & obedientiam, & sapientiam designari autumat, quasi hæc duo decenti innectantur artificio, ad venustatisque leporem sponsæ pependerint collo. *Auro vult signari*, inquit Delrius, *obedientiam: quia præ cæteris metallis aurum ductilius, & flexibilius est; eodem significari sapientiam.* Idem in monilibus sentit Alanus: *Per collum, quod inclinare solemus in obedientiæ signum, significatur obedientia, & subiecto, quam Christo exhibibuit pro eo quod quasi iugum Christi accepit, & fidei eius obedientiam præbuit: ornamentum ergo ceruicis, quæ est obedientia, Christus est.* Non potuit sponsa non fulgere exornata, dum præceptis proditur obsecuta. Quæ dum parere detrectat fallaciis delusa serpentis, amisit ornatum, & nuditatis sustinuit probrum; verùm etsi quæuis obedientia exornet, & adinstar auri inter virtutes aliàs clarescat, illa pretiosior habetur, quæ exoculata personam præcipientis non discutit, & mandata perfectissimè absoluit. Obedientia, quæ præceptionis rationes indagat, & iubentis conditionem attendit, non tam obsequitur iussis, quam morem gerat personis. Cæcè parendum est, vbi peccati non vmbra, vt obsequelæ aurum toto virtutis splendore clarescat: de mora, de cunctatione, de examine trahit aurum obsequiorum nigredinem: obscuratur eximiæ aliquantum virtutis claritas, si præcipientis personam inutili discutiat examine, aut malè curiosà præcepti causà examinetur ratione. Quam benè de hac virtute repeti potest, quod Seneca de iustitia aiebat epist. 94. *Non est iustus, cui quidquam in hac virtute placet præter ipsam.* Meliùs epist. 94. *legem breuem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur: velut emissa diuinitus vox sit, iubeat, non disputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quàm lex cum prologo: Mone, dic quid me velis fecisse; nō disco, sed pareo.* Perfectò obedienti non discendum; sed parendum est: nunquam examinet quare, nunquam venetur rationes, nec opponat cupidinis in diuersa euntis difficultates; sed morem gerat, nec obediat tantùm, sed assentiatur. Monuit ipse Stoicus epist. 96. *Non pareo Deo, sed assentior; ex animo illum, non quia necesse est, sequor*: obediens necessitate non agitur, nec vi præceptorum vrgetur, lubenter præcipientis voci quasi diuinitus missæ paret, nec quis; sed quid præcipiat, obsecuturus attendit. Deus Iosue iubet ad promissæ terræ partitionem accingi: *Dixit Dominus ad eum: Senuisti, & longæuus es, &c.* De locutionis modo disputant interpretes, an scilicet præcipiens assumpto corpore visui patuerit, an nube tectus, & aspectibus humanis inuisus? Abulensis quæst. 2. censet nube obtectum fuisse loquentum, ita vt oculis non pateret aspectus, & vocem auscultaret auditus. *Dicendum quòd poterat esse modus duplex: primus erat quod loqueretur apparens in aliqua humana effigie, sicut cùm erat in agro Iericho, & apparuit ei vir euaginato gladio. Alius modus esse poterat, quòd Angelus Domini aliquam nubem assumeret, quam vellet, & intra eam velatus non appareret; sed solùm*

Cant. 1. v. 10.

Ailgrin.

Delrius. Obedientia auro significatur.

Alanus. Obedientia mentis ornamentum.

Senec. Lex cum prologo inepta est, velut vox diuinitus missa est auscultanda obedientia.

Deo non tantùm parendum; sed assentiendum.

Abul.

solum audiretur vox illius. iste modus erat communis ad Moysem. Iosue nondum perfectionis senio honorato, conspicua Deus est obiectus figura, quò splendida siderei vultus maiestas inspiraret animo reuerentiam, quò faciliùs ad præceptorum alliceret obseruantiam: iam verò maiores in virtute processus facienti non apparet conspicuus, sed nube loquitur tectus, quò doceat præcipientis non aspiciendam personam; sed præceptorum absoluendam fore obedientiam: vox auditur, sed oculis persona negatur: esset namque obedientiæ næuus ob præcipientis auctoritatem, nobilitatemve promptiùs parere, vt est eximia gloria inuisâ personâ vocem quasi cælitùs emissam audire.

47. Moyses de monte descendens insculpta lapide præcepta manu gerebat, vultúsque nimia claritate micabat: *Cùm descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij; & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Lucis sic fulgoribus aspicientium oculi sunt perstricti, vt minimè accedere fuerint ausi. Moyses vt qui non plausibus, sed fructibus studebat, velo splendorem obduxit, præceptaque populo recitauit: *Venerunt ad eum omnes filij Israël, quibus præcepit cuncta, quæ audierat à Domino in monte Sinai, impletisque sermonibus posuit velamen super faciem suam.* Variant tantisper interpretes in explicando, an facies velamine fuerit tecta, cum præcepta ediceret; an iam recitatis mandatis velo texerit vultum, ne inuidorum percussisset aspectum: vtraque explicatio poterit nostro instituto non incongruenter aptari; scilicet velum appendisse, vt oculos non aspiceret; sed auris verba captaret: obedientiæ fors esset imminutio præcipientis fulgor: præceptis namque nec vultus lumen inseruire, nec gestantis dexteræ lepra debebat nocere: vox diuina humano organo pronunciata sic audientium deposcebat assensum, vt nec luminosa facies alliceret, nec infesta contagio manus retraheret: dum Dei nomine loqui constat, esset superuacanea prorsus leprosæ dextræ, aut syderei splendoris discussio: quia solùm requirebatur auditio. *Dum loqueretur cum eis,* inquit Lippomanus, *semper habebat velamen, & cùm ingrediebatur Moyses in conspectu Domini, vt loqueretur cum eo, auferebat velamen, donec exiret, & egrediebatur, & loquebatur cum filijs Israël, quod præceptum erat.* O dignam tanto legislatore œconomiam! Dum à Domino præcepta accipit, luce emicat fulgentissima; dum præcepta populo dictat, faciem velo subtrahit velatam: noceret, namque intellectus, cùm à Domino populo dictanda acciperet obscuratus, & cum dictaret, splendidus. Superior totus sit in contemplatione lux, vt subiectis digna præcipiat: subiectus nil examinet; sed obsequentissimus pareat: vt repetere possit Stoici verba: *Non disputo, sed pareo*: disputatio enim de superiore, aut præceptis non est obsequium, sed iurgium. Alij interpretes velum censent ablatum, dum populo promeret edicta, & promulgaret mandata. *Non desunt ex Hebræis*, scribit Lippomanus, *qui purum litteræ contextum sequentes dicant, quòd tunc tantùm ponebat velamen super faciem Moyses, quando finisset loqui ad populum, vt videlicet in duobus casibus amoueret velamen, & discooperiret faciem, cum loqueretur ad filios Israël, quia cum maiori loqueretur auctoritate, & quando cum Deo loquebatur.* Profectò vulgaris erat obedientiæ splendido tantùm obsequi, obscuriori non obedire, quando præcepta non dicentis nobilitate, amplitudine muniuntur; sed diuino nomine dominantur. Populus ille sæpè conuincitur refractarius, & ad obsequendum durissimus, vtpote quibus opus erat ad parendum & lucis fulgor, & in præcipiente nobilitatis splendor:

Deus cum in montis cacumine præcepta daret, lucido fumo, densaque caligine tegebatur: 48.
Accessistis ad radicem montis, qui ardebat vsque ad cælum, erantque in eo tenebræ & nubes & caligo: locutusque est Dominus ad vos de medio ignis: vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis. Vtrumque plurimum conducebat, vocem præcipientis audiri, personámque non videri: esset namque visus perspicacia obedientiæ aliqualis iniuria. Quid necessum erat lumine circumfusam præcipientis spectasse personam, sydereo radiantem lumine vultum, diuinúmque & augustissimum simulacrum, dum Dei nomine loqui constabat? Sat profectò erat vocem audire, reliqua satis otiosum esset curiositate spectare. *Sic fuit,* inquit Abulensis vbi suprà, *in monte Sinai, vbi loquebantur Angeli in caligine & fumo, audiebaturque vox, & non videbatur loquens.* Eodem modo Mosis facies arcetur velo, & Angeli caliginis fumo, vt nouerit populus parendum voci; nec attendendum an sit Angelus, an sit homo: quicumque ille iubeat, si Numinis vices gerat, æquali promptitudine eius est obsequendum præceptis, & obtemperandum mandatis. Superioris, iussionisque discussio est obedientiæ rubigo: sordescit de examine obsequium, vt de cæcitate obsequelæ incrementatur elogium. Adde obedientiam tunc pleniùs resplendescere, cùm fidei quodammodò mutuatur sibi naturam, vtque exoculata præstet obsequium, captiuat prorsus iudicium.

A Christo domino Cæsaris exactores deposcebant tributa: dari iussit, vt vitaret scandala; 49.
Petrúmque ad mare tendere, & in ore primi piscis staterem inueniendum monet: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore, eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Chrysostomus hanc Petri obedientiam fidei honorat titulo apud D. Thomam: *Admirare Petri fidem; quoniam rei tam difficili obediuit: ideoque de fide eum remunerans copulauit eum sibi in tributi datione, quod fuit abundantis honoris.* Hic profectò exprompta Petri eluxit obedientia: & cur Chrysostomus fidem appellat? Credidit Petrus in piscis ore inueniendum staterem; sed promptè perrexit, vt inueniret: cur ergo vtraque virtus sub fidei nomine recensetur, si meritis diuersis construitur? Decantetur fides; sed & obedientia deprædicetur, nec fides sibi arroget, quod debetur promptitudini. *Admirare,* inquit, *Petri fidem:* talis fuit obedientia Petri, vt fides appellari meruerit; quandoquidem generosè captiuauit iudicium, vt incrementaret obsequium: præceptis veluti mysterijs credidit, incunctanterque obtemperauit; vtque in rebus fidei non semel periculosa est discussio; sic in obedientiæ iussis non sine crimine dubitatio: nec præcepti causa, nec præcipientis debet audaci examinari discussione persona; sed oculis gloriosè cæcis non solùm obsequi; sed assentiri. Addiderim quò

Exod. 34. v. 29.
Lippoman.
Lippoman.
Deut. 4. v. 11.
Abulens.
Matth. 17. v. 26.
Chrysost.
Obedientia fidei ingenium.

præcipiens minoris est maiestatis, eò obedientiæ illustriorem radiare virtutem: dignitas imperantis laudem partitur obsequij: integram sibi vendicat obedientia parendi gloriam, si nullam in superiore cognouerit excellentiam.

50. Abrahamo apparet Deus, & filij holocaustum imperat: *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham: & ille respondit: Adsum. Ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, &c.* Abrahamus præceptiones non est conquestus barbaricas, non parricidij facinus cogitauit, naturæ non opposuit obstacula; verùm celeri pede adimpleturus contendit iussa: cúmque filius, & pater montis iam cacuminibus proximarent, de victima rogat puerulus vel in tenera ætate prouidus: *Vbi est victima holocausti?* Sciscitationis occasione censet Zeno Veronensis puero aperuisse patrem quòd se Dominus postulasset; illúmque non patri in obediendo imparem, imò fideliorem patre mortis vstulationísque præceptum animo sitienti auscultasse. Audi Zenonem serm. 1. de Abraham. *Patefecit quid a se Dominus postulasset, & quid ipse Domino promisisset, ostendit: lætatus est puer patre fidelis ipse quoque fidelior: nec recusabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat.* Et [illegible] fidelior Isaacus patre? Vitam aris deuouet; sed quam amittere sæuiùs discruciabat parentem: nec dolor Abrahami segnior, aut filij viuidior: ipse pater se immolabat in filio, & filij casus dirius distorquebat animum genitoris: ergo adæquè fidelis pater ac filius, aut quidem fidelior pater: magna profectò Abrahami obedientia, cuius ardorem omnes naturæ niues nequiuerant tepefacere; Deo tamen præcipienti obediuit: apparuit namque illi Deus; Isaacus verò Deum non audiuit, sed patrem: eaque vtriusque obedientiæ distantia, quæ est præcipientium differentiæ: Isaacus fidelior, quia patri obtemperauit: Abrahamus fidelis, quia Domino præcipienti obediuit: fulget namque maiori splendore obsequium, quando à persona eximiæ non adeò auctoritatis prodit mandatum.

Gen. 22. v. 1.

Zeno Ver.

Cælestis obedientiæ gloria, si minor præcipienti sit excellentia.

§. XIII.

A Deo non relinquitur, qui cælesti iugo subditur; sed qui libertati nociuæ traditur.

51. Liber est, scribit Seneca epistol. 110. *non in quem parum licet fortunæ, sed in quem nihil.* Benè dixit: & hoc fortasse grauius mortalium incommodum, quòd voces re vacuæ nobis imponunt: cœnotaphia reputantur sepulchra, & quidem cùm maior sit animæ, quàm corporis seruitus, libertinum illum depretiamus, cui nullæ diuitiæ, quem vultu indecorè sigillauit fortuna; cuius verò atrio fumosæ auorum imagines, & rubricata effuso gloriosè maiorum sanguine stemmata, nobilem, & ingenuum suspicimus; at, me hercle, liber est animo sæpe sæpius, quem sors abiecto domini addixit seruitio, & animo indecorum tulit non semel iugum, cui egregia antiquorum facinora amplum transmiserunt imperium. Vera, & optanda libertas plusquam forte, constat virtute. *Quemadmodum stultus est,* verba sunt Senecæ epist. 47. *qui equum empturus non ipsum inspicit, sed stratum eius, ac frænos, sic stultissimus est, qui hominem ex veste, aut ex conditione, quæ vestis modo nobis circumdata est, æstimat. Seruus est; sed fortasse liber animo: seruus est, hoc illi non nocebit: ostende quis non sit: alius libidini seruit, alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Dabo consularem aniculæ seruientem, dabo ancillulæ diuitem, ostendam nobilissimos iuuenes mancipia pantomimorum: nulla seruitus turpior est, quàm voluntaria.* Ita equidem: nam voluntaria adscribitur crimini, imputatur violenta seruitus sorti. O quam ingenuus, quàm animo liber est, qui placido vultu quidquid acciderit, ferre nouit, qui Numinis decretis non obtemperat tantùm, sed assentitur; verè liberi animus contra calamitates obduratur honestè contumax, & aduersus infesta insurgit nobiliter pertinax: stat quidem eodem vultu, nec periculi auidus, nec indecorè fugax: fortis ac verè liber nec impellitur calamitatis tumultu, nec extollitur extrinsecus fulgente prosperitatum exercitu. Hinc dimetienda est libertas, & recensenda seruilitas: ex animo præcipuè nobilitatis prodeunt stemmata: nam fallentia ex pretiosis lapillis, gemmisve fulgurantibus testimonia. Infelix est, quem abiecit veluti mollem, & inermem, ac deliciis, voluptatibúsque permisit Deus: fortunatus, quem legis iugo sic rationis vinculis illigauit, vt fas non sit manum extendisse ad illicita, aut discupere noxia. Cùm populis Dei ad optatas diu sedes iam inuolaret triumphator, hostes plurimi antiquo imperio cesserunt, Israelitarúmque iugo subdidere ceruices; alij verò seruitutis tenuerunt iugum armis parati auctum defendere obstinatissimè imperium: *Terra latissima derelicta est,* testatur Deus Iosue alloquens, *quæ necdum sorte diuisa est.* Magnæ iam regiones ab hostibus ereptæ, prouinciæ latissimæ captæ; sed adhuc multæ antiquis incolis derelictæ: *Terra,* inquit, *latissima derelicta est.* Origenes litteram ad mores adaptans captam huius terræ portionem putat ipsa subiugatione felicem; aliam verò libertati derelictam prorsus miserrimam, vtpotè qua modò fruitur, non solùm seruitute, sed deletione libertatem compensaturam. Ita Deus: *Ego sum, qui delebo eos, à facie filiorum Israel.* Itaque alij capiuntur, alij verò antiqua libertate donantur; verùm absque dubio fortunatiores à vitiis ad virtutis traducti iugum, quàm vetustum noxiæ pestilentisque libertatis potiti imperium; nam qui modò libertate donantur, posteà delendi: *Delebo eos;* qui verò virtutis iugo pressi, libertate posteà donandi. Accipe Origenem apud Glossam: *Intuere Saluatoris nostri primum aduentum, cùm venit seminare semen, vel verbum suum: capit enim omnem terram solo seminis iactu, & contrarias potestates, quæ gentilium mentes obsederant, effugauit; & verbum seminauit, Ecclesias propagauit: hæc est prima eius totius terræ possessio. Vide quomodo etiam secundo capiat terram, quæ nunc dicitur multa esse derelicta. Paulus enim de eo dicit: oportet eum regnare, donec ponat inimicos scabellum pedum suorum; hæc est terra, quæ nunc dicitur derelicta esse.* Ecce eiusdem terræ alia portio vti pretiosa dicitur vti vilis relicta: derelicta libertate gloriatur; capta non graui; sed

Senec.

Liber est in quem nil licuit fortuna.

Homo ex internis, non ex extrinsecis æstimandus.

Origen.

sed grato iugo subiicitur: vt videas à Dominò nō derelinqui, quæ noxia libertate priuatur; sed quæ sui contra se libera facultate potitur: extremæ namque calamitatis est, si æternum pedibus conculcandus tantisper noxia prosperitate fruaris: optandæ est fortunæ iugo tantisper subdi, vt sine fine ingenua libertate glorieris. Ergo terra Dominicis obsequiis subiecta non dicitur derelicta; sed vti felicior capta, erroribus verò libertatique permissa à Domino non est capta; sed vti nullius æstimationis relicta.

52. Isaac Iacob benedictionem impertiit, fortunatior de ignorantia, quàm esset felix de scientia: Esaü dolenter tulit non tam se spoliatum, quàm fratrem ad apicem, dignitatis euectum; vtque solaretur longæuus filij dolorem, ait: *Fratri tuo seruies, tempusque veniet cùm excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis.* Profectò plus accendisse videatur dolorem, dum imponit iterum seruitutem: solatium erit excutiendum postea iugum; sed dolor acerrimus modò sustinendum imperium: ergo dilecto filio nouam doloris non proferret causam; sed quæ possint delinire impatientiam. Imò plus, ait Philo Hebræus lib. de nobilitate, indulsit filij commodis de iniuncto iugo, & minus de impertito indulsisset imperio. Quando tibi Esau videatur felicior, dum ceruicem erigit nullis seruitutis vinculis domitam, aut cùm fraterno iugo subdit attritam? Censeas profectò felicius, fortunatiusque ingenua gaudere libertate, & luctuosius, quantumuis fraterna deprimi seruitute: falleris tamen egregie: nam hic infelicitatis fuit prædicere abiiciendum iugum; prosperitatis impendendum fratri seruitium. Audi Philonem: *Euenit, vt vota pro minore facerent amplissima, quæ Deus absque vlla exceptione rata esse voluit; alterum verò miserati hoc afficerent beneficio, vt fratri eum subiicerent: existimantes id ei fore vtile, si homo nequam in sua potestate non relinqueretur, qui si hanc seruitutem libenter tulisset, poterat mereri secunda virtutis præmia: nunc quoniam iugum excussit contumax, sibi posterisque lucratus est magnam ignominiam.* Tunc equidem probatur infelix, cùm suæ relinquitur potestati; fortunatior tunc, cùm fraternæ addicitur seruituti. Cæcutimus, & interpellante iudicij serenitatem affectu infausta dicimus felicissima, felicissima putamus infausta: legum namque ligari præceptis, honestè ad honesta cogi, sanctioris vitæ instituto arctari dignissima ingenuis seruitus: vitiis verò tradi, diuitiarum pompa fulgere, opipara mensa frui, quia non raro vitiorum fomenta, vti magna expauenda sunt infortunia. Terra, quæ Iesu imperio nondum subiecta, à Domino dicitur derelicta; alia verò non derelicta, sed fortunate possessa; & quidem infaustum est à Domino derelinqui, felicissimum subiectari.

Genes. 27. v. 4o.

Philo.

53. Magnificus ille pater, qui regias filio nuptias disposuit, plures inuitauit ad cœnam, vt nobilis inuitatorum frequentia cumulatiùs augeret nuptiarum gaudia; inuitati tamen, vtpotè agresti genio, & rustico sanè animo, venire renuerunt indignis occupationibus irretiti, aut coloratis, de industria causis occupati: *Cœperunt simul omnes excusare: primus dixit: villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum*: pater iustissima ardens indignatione contra inciuiles, inurbanósque rigidam fulminauit sententiam: *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam.* Arbitrio suo illos dedit, voluptati reliquit; si tamen Matthæum consulas, flammis vstulantibus inuenies punitos: *Missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* Itaque alibi referuntur adusti, alibi suæ libertati dicati: iam excussisse Dominicum iugum, qui detrectauere prandium, constat ex August. apud D. Thomam: *In illa empta dominatio notatur: ergo superbia castigatur vitium primum: primus enim homo dominari voluit, qui dominum habere noluit.* Subdere colla iugo detrectauit, qui villam emit, vtque eius inciuilem Dominus rusticitatem seueriùs puniret, noluit superbum ad cœnam compelli, sed ambitioni donari. Et quidem idem fuit & ambitiosis desideriis pulsari, & flammis ardentissimis adurgeri: atrior flamma cupiditas est, acrior flamma auaritia est, acrior flamma ambitio est: his namque durissimè interiùs aduritur animus, aliis inardescit exteriùs corpus. Ergo felices illi, qui inuitatione accipere iugum compulsi, infelicissimi, qui noxiæ dominationi relicti. Non est à Domino derelictus, qui ad cœnam venire vrbane coactus; sed qui noxiæ cupiditati permissus: *Dominari voluit:* ambita illum Dominus dominatione punit, quando ad legis iugum venire vetuit.

Luc. 14.

Matth. 22. v. 7.

August.

Superbia flammis aduritur, dum requiritur.

54. Abraham duos suscepit filios, Isaacum & Ismaëlem; verùm Ismaël non dicitur dilectus, etsi filius, Isaacus & filius, & teneriùs quidem dilectus: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac.* Vides nuncupari dilectum: audi sermonem de Ismaële: *Durè accepit hoc Abraham pro filio suo*: examinemus erga vtrumque parentis affectum: Ismaëlem matri tradidit, domo excussit: puer suæ quodàmodo potestatis in desertis moratus est: *Moratus est in solitudine, factusque est iuuenis sagittarius*: Isaac fasciis constringitur, & montis vertice vinculis illigatur: Ismaëlem matris imposuit scapulis; holocausti ligna Isaaci imposuit tergoribus: *Cúmque alligasset*, inquit, *Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.* Profectò nomina à rebus discrepuerunt ad speciem: Ismaël vocatur puer dum traditur: *Tradidit, inquit, puerum, & dimisit eum*: Isaac vocatur filius, dum constrictus altari imponitur. Et quidem dulce filij nomen plus videbatur aptari dimisso, puerique titulus illigato; & tamen lignis humeros defatigatum vocauit filium, humerisque impositum puerum. Ecqua huius discriminis causa est? Quia profectò nobilior amoris flamma circa Isaacum eluxit; minus nobilis Ismaëlem dimisit: Ille libertati non traditur; imò, ne quid ab hostia minus videretur, vinculis duris constringitur, iste libertati donatur; adeóque grandius beneficium est nobili iugo colla subdidisse, quàm non adeò morigeram libertatem captasse, vt libertate donatus dicatur puer, constrictus vinculis filius; hic enim præcipue amatus: erga illum non adeò generosus affectus: *Consecratur*, scribit Ambrosius apud Lippomanum, *sacris hostia ministeriis, & commendatur futura:* Consonat Origenes ibi: *Vnigenitus illic, & vnigenitus hic: dilectus illic, & dilectus hic: hic est enim, ait Summus Pater, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: à Patre ergo ille in holocaustum offertur, & hunc Pater exposuit.* Abrahamus Æterni Patris amorem, quo Christum nobis

Gen. 22. v. 2.

Gen. 21. v. 11

Gen. 21. v. 20.

Gen. 22. v. 9.

Ambros.

Origen.

nobis dedit, actionum coloribus adumbrauit, dum Isaacum vinculis ara constrinxit; non verò cum Ismaëlem è domo maternis humeris vectum misit: felicem censeas, quia eius collum non detriuerit iugum, nec humeros oppresserit lignum; verùm Isaacus ipsa oppressione felicior: hic enim nobili seruitute thronis aptatus illuxit; ille seruili libertate primogeniti prærogatiuam non meruit. O quàm fallimur, dum rerum solùm externa, extrinsecáque censemus, nec interiora accuratè dispicimus! Ismaël, dum libertati traditur, refertur abiectus; Isaacus, dum honesto iugo premitur, celebratur amatus: est enim felicius honesto, laudabilique rationis vinculo premi, quàm noxia sibi libertate fœdari.

55. Duos filios habuit venerabilis pater: iunior substantiam dari sibi poposcit, dedit Pater pignoribus, quæ seruabat non auaritia; sed prouidentia; secum tamen dilectiorem retinuit; abeundi facultatem iuniori dedit: *Non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam:* filiorum alter paternæ domus inquilinus agri laboribus defatigatus refertur: *Erat filius eius senior in agro*: iunior voluptatis regionibus diuagatur: hic viuit luxuriosè, ille laboriosè: & quidem contrarium aptius videbatur, vt scilicet natu secundus seruiret, & primogenitus deliciis circumfusus gauderet. Et cur maior agriculturæ sudoribus fatigetur, dum alter voluptatibus deliciatur? Reddidit rationem iam pater: *Tu*, inquit, *fili semper mecum es*: ac si dicat: Primogenituræ priuilegio gaudes, & præcipuo patris amore frueris: quia indecoræ libertati nō datus; alter non adeò dilectus, quia nociuæ libertati permissus: nec enim sic pater amat, quem libertate donat; ac quem digna seruitute virtuti dicat: *Cupit*, scribit Chrysologus serm.1. *viuendi libertate gaudere, qui ditari noluerat facultatibus decedentis.* Senior vtpotè decedentis patris amplissimis ditandus diuitiis, patris constrictus tenetur præceptis: qui verò nunquam ditandus, & viuendi libertati permissus: Vide suæ potestatis filius quò peruenit: *Dissipauit*, inquit, *substantiam suam.* Vide quanta filius nullatenus emancipatus habuerit: *Omnia mea tua sunt.* Quem honestum pressit iugum, manebat regnum; alij immortale minabatur tormentum, ni prudens vertisset stylum. Minor filius a patre relinquitur, cùm libertate donatur: maior non relinquitur, sed tenetur.

Luc.15.v.13.

Chrysol.

§. XIV.

Mors optimus vitæ consiliarius, & comes: honestius geritur, quicquid inspecta morte tractatur.

56. PRodest sine dubio optimo consiliario vti ad res arduas, & dubia vitæ negotia feliciter peragenda: iudicium nostrum sæpè malè sanus interpellauit affectus, & oculi nonnunquam passionum nebulis caligauere sapientis. O quantum interest adhibere sibi custodem, & aliquem eximiæ auctoritatis in omni operatione virum respicere, omnibúsque interesse cogitationibus persuaderi! Benè Seneca epist.24. *Hoc quidem longè magnificentius est, sic viuere tanquam sub alicuius boni viri ac semper præsentis oculis; sed ego etiam hoc contentus sum, vt sic facias quæcumque facias, tanquam spectet aliquis.* Solitudo, actionúmque ignoratio nobis multa indecora permisit, & indigna sæpissimè persuasit: licebit solummodò dimittere pædagogum, cui sui reuerentia est, qui oculos suos non spernit, & conscientiæ voces honestè trepidus audit; cæteris censore, & quidem rigido opus; verùm si pedagogus deligendus, nullus morte aptior, & corrigendis actionibus opportunior. Cato ille, aut Scipio, aut Lælius, cuius interuentu perditi quoque homines vitiis renunciarent, & improbas affectiones supprimerent, mortis doctrina, & seueritate inferiores. Tibi sufficies, si talem te effeceris, vt te coram peccare non audeas; & efficies quidem, si non tenuem vitæ lucem; sed crassam mortis vmbram respexeris. Mortis rauca vox; sed sententia clara: docet perspicuè, quàm caducis nitamur, quàm fidamus infidis, quàm incumbamus fragilibus: *Morti crediturus sum*, aiebat Seneca epist.25. *non timidè itaque componor ad illum diem, quo remotis strophis ac fucis, de me pronunciaturus sum, virum loquar fortia, an sentiam: nunquid simulatio fuerit, & minus quidquid contra fortunam iactaui verborum contumacium: remoue existimationem hominum, dubia semper est, & in partem vtramque diuiditur: remoue studia, totam vitam tracta, mors de te pronunciatura est: ita dico disputationes, & litterata colloquia, & ex præceptis sapientium verba collecta, & eruditus sermo non ostendunt verum robur animi: est enim oratio etiam timidissimis audax: quid egeris, tunc apparebit, cum animam ages.* Sanè è mortis vmbris lux, quæ malitiæ ignorantiæque obstinatas depulerit tenebras, intellectui oboritur fulgentissima: videt homo sine fuco, quæ voluptatum lenociniis non viderat impeditus, aut studiosè transiuerat cæcus. Si ad mortis lucem examinaris facienda, te non pœnitebit factorum. Medicum morborum humanam naturam infestantium appellat mortem Æschylus apud apud Plutarchum de consolat. ad Apollon. *Mortem, quam iniquè persequuntur odio homines, malorum cùm sit hæc vel maxima medela multorum.* Prauas curat animi affectiones, insolescentes reprimit motus, & ad rationis normam componit affectus: *Meditare mortem*, inquit Epicurus: *qui hoc dicit*, meditari libertatem iubet: qui mori didicit, *seruire dedidicit.* Qui mortis frequentat scholam, nescit voluptatibus inseruire, aut lenociniis carnis adulari. O quàm ritè, quàm sanctè, quàm iustè tractantur omnia, dum mors inspicitur, & eius suffragium quæritur. Iosue animo sanè incorrupto, & iudicio prudenti vir, vt promissæ terræ portiones sine iustitiæ querela diuiserit, morti vicinari admonetur: *Senuisti, & longæuus es, terraque latissima derelicta est, quæ needum forte diuisa est.* Vt terræ partitionem acceleret, vtque partitio omni omni corruptelæ suspicione careat, spectante morte fieri vult Deus, tractatur namque honestiùs, quidquid ad mortis præsentiam geritur. Abulensis q.2. Deum mortis memoriam ingessisse ait, vt Iosue omnia perfectissimè consummauerit, eo quidem modo, qui Heroëm decebat egregium, & virum sanctum: *Quia homo es multorum annorum*

Seneca.

Sic omnia tãquam aliquis spectet facienda.

Senec. *Est aliquãdo oratio timidissimis audax.*

Æschyl. *Mors malorum medela est.*

Epicurus. *Qui mori didicit, cupidini seruire non didicit.*

Abulens.

norum, & cito morieris, debes dare operam, vt diuisio hæc *citò expleatur*. Nulli dubium iustam pe rectámque diuisionem esse, quam in mortis limine iustus disposuit, & extremè vicinus horæ consummauit.

57. Dauid magis Saülem obstrinxerat beneficiis, & quidem periculosum est magna in aliquos beneficia conferre, fructus meritorum inuidia fuit: Dauidem reipublicæ salutem vt infensissimam omnium pestem persequebatur, quin illi fas securè viuere montium antris, syluarum recessibus, aut obscuris terræ finibus; verùm iniustus prædator non semel in manus incidit inimici. Spelæum ingreditur nescio qua necessitate compulsus, ideóque generosum Dauidis pectus, vt inimico, quem in manibus habebat, pepercerit, tantummodoque frustulum chlamydis reuerenter præciderit: & quidem in hac tanta continentia aliquid habuit, quod eius probitas & conscientia puritas non probarit: itaque hoc magnum continentiæ argumentum occasu eximij doloris fuerit: *Percussit cor suum* 1. Reg. 24. v. 6. *Dauid, eo quòd abscidisset oram chlamydis Saul.* Non multò pòst Saul iterum æmulationis œstris agitatus Dauidem persequitur: descendit animosus miles ad Saulis tentorium, inuenit 1. Reg. 26. 7. sopore obrutum, & somno immersum: *Inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio.* Custodis munus agebat, qui insidiis appetitus; despiciebatque cunctis ambitiosam coronam, ne cruentaret vindicta gratiam: hic adeò se strenuè gessit, vt pœnitentiæ eguerit nullatenus medicina, aut cor percusserit pœnitentia. Inquiramus, si placet; quid fuerit in causa, vt ibi aliquod ad speciem perpetrarit erratum; hîc verò nullatenus vel leue flagitium: vtrobique hostis in manibus est, vtrobique Dauid ad cædem ab amicis acuitur; & tamen hic nec vrgentibus Abisai socij consiliis annuit, cùm ibi tantisper hæserit. Adest Chrysostomus causam opportunè reddens, scilicet in somno mortem animo sibi repræsentasse, & mortis consiliis sic se illæsum culpâ gessisse, vt nullatenus pœnitentiæ fuerit locus, cum alibi lacinia aliquo modò culpauerit manus: *Cùm Dauid videret Saulem im-* Chrysost. *mobilem*, inquit apud Glossam, & homil. de Dauid & Saule, *neque quidquam posse facere, cùm suo animo ita locutus est, vbi nunc ille furor, vbi tot techna, tot insidiæ? Abierunt omnia illa, perierúntque exigui somni incursu: iacet alligatus rex, cùm nihil horum nos nec cogitauerimus, nec perfecerimus.* Attende curiosiùs quæ subdit: *Conspiciebat illum dormientem, ac de morte omnibus communi philosophatur.* Vbi mortem non audiuit, tantisper deuiauit: vbi inspecta mortis imago, vnde adeò accepit documentum, vt nec leue perpetrarit erratum: honestiùs se gessit in mortis oculis, & tanquam cuiusdam eximij viri aspectibus refrænatus increbrescentes animi compescuit adsultus. O si ante oculos nostros mortis semper obuersaretur imago! Si omnia tamquam iam adesset, disponeremus! Quam aliter tractarentur negotia, & quàm innoxia luceret vita!

58. Sol iustorum exemplar à primis roseis cunabulis sic gressus componit, vt nullatenùs à tramitis rectitudine deuiarit: *Fulgebunt iusti sicut* Matth. 13. v. 43. *Sol.* Et quis Solis quadrigæ ardentes sic moderatur incessus, sic temperat gradus, vt in virtutis deligatur exemplar? Mortis præsentia sanè, micantem sibi semper intuetur occasum, semper se flammarum sepulchro approximare cognoscit, & mortis habenis sic ardentium equorum moderatur impetus, vt obliquet nullatenus gressus. Audi Zenonem serm. de resurrect. *Iste* Zeno Veron. Soli in ipso sepulchro vita. *lis semper, semper intrepidus ad sepulchrum noctis cognata contendit, sciens in ipso se habere quod viuit.* Non retrahit Sol oculos ab occidentis sepulchro, non mortis obliterare gestit memoriam; imò contendit intrepidus, sciens de mortis recordatione habere, quod securius viuat, & quod nitidiùs resplendeat: fidelis ergo graditur, quia semper ad mortem dirigit cursum, & admonetur occasu, non expectat Sol, vt eius mors extinxerit splendorem; sed ipse intrepidus ad sepulchrum mortis tendit, vt Epicuri solemne illud dictum actione probet: *Meditare vtrùm* Epicurus. *commodius sit vel mortem transire ad nos, vel nos ad eam?* De occasus memoria rectus dirigitur cursus, & de cursus rectitudine nullatenus timetur occasus: *Fidelis semper, semper intrepidus ad sepulchrum noctis cognata contendit.* Sol nunquam occidentis oblitus: ideò à recto tramite nunquam deuius. O quàm mors passionum frenat adsultus! Quàm errorum præcipitia de tenebris luminosis demonstrat! Quàm veritatem fallacibus cupiditatum præstigijs liberat:

59. Hinc disces cur Dominus, vt populum illum rectis securisque itineribus ad promissionis terram perduceret, nube oculis obiecta ductarit: *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam* Exod. 13. v. 21. *per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Et cur Dominus Moysem præire nolit, cur Angelum non miserit, cur alio visibili signo tutam semitam non monstrarit? Nullus dubitat mortis Domini imaginem esse augustissimum Eucharistiæ sacramentum: testatur Paulus: *Quotiescunque manducabitis panem hunc,* 1. Cor. 11. v. 26. *& calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis:* & hanc nubem Drogo de sacram. Dom. passion. esse Dominicum sacramentum testatur indubiè: *Quæ est nubes, inquit, quæ præcedit veros Israelitas, nisi verissimum, ac sanctissimum corpus tuum, quod in altari sumimus? Hanc nubem totus exer-* De Eucharistia ad calum facilis & vera semita relucet. *citus tuus sequitur Domine rex Sabaoth; qui autem non sequitur eam, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat: relucet enim de hac nube semita, quæ ducit ad vitam, semita humilitatis, & patientiæ, semita mansuetudinis & misericordiæ.* Poterat quidem Deus alio signo populum per desertorum inuia perducere, poterat Angelum equo insidentem legare, poterat luminosa crispari splendoris face præire; nubem tamen gradientium oculis obiectauit, quo de mortis memoria, nec deliciarum fallerent lenocinia, nec cupiditatum illos deuiarent irritamenta. A mortis imagine semita relucebat illis misericordiæ, iter monstrabatur patientiæ. Securissimè inambulant diu, noctúque vel per desertorum anfractus, quia à mortis imagine nunquam auertebatur obtutus. Insurgebant iracundiæ motus; sed nubes semitam ostendebat patientiæ: quid enim non perferat æquo animo, qui sepulchri iniurias, qui mortis horrores, qui vermium morsus se recordetur laturum? Eleuabatur cupiditatis fluctus; sed de nube iter misericordiæ designabatur: nec enim quis plurimi faciet diuitias, si mortis spectarit inopiam. Tumescebat superbia; sed nubes viam humilitatis mõstrabat, dum putridos cineres, ab omnibúsque calcan-

calcandos memoriæ, & oculis ingerebat. Nubem ergo vti opportuniorem ducem præmisit, & fors minus profuisset Angelus, ni nube vestitus, & splendor, ni obscuris nebulis interceptus. Adde absente morte Deum ipsum monitoris agere officium; morte verò proxima quiescere, quasi optimo eius vicario ad homines admonendos suffecto.

60. Lucæ 12. discipulos suos instruit magister contra pericula prouidentissimus: lumbos baltheo castitatis adstringit; manus lampadibus fulgentissimis ornat, vt luminis arma oppugnauerint, & depulerint vitia: *Si venerit in secunda vigilia* inquit, *et si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi*: cur nec primæ nec quartæ meminerit vigiliæ, soliciti indagauerunt interpretes: Drogo Ostiensis, de sacram. Domin. Passion. non factam primæ mentionem ait, quia pueritia nondum rationis particeps: nec quartæ, quia senectus morti iam satis vicina: hoc idem & in horto accidisse ait, vbi Dominus bis discipulos excitauit: *Venit iterum, & inuenit eos dormientes*; at cum tertiò aduentasset, vigiliam non suasit; sed quodammodo somnum permisit. *Dormite iam & requiescite: ecce appropinquauit hora.* Ironicè somnum fouet, quia sciebat appropinquante hora oculos, quantumtis somno grauatos, excussuros fore desidiam, cordaque depulsura soleiter ignauiam: dum mors non instat, fungitur excitatoris officio, ne discipulos fallaciis irretiret tentatio; at minante iam morte nec desidia valet dormire, nec ignauia potest quiescere: *Venit in secunda, & tertia vigilia* inquit Drogo, *sed beatus ille seruus, quem tunc inuenerit vigilantem: iam primæ & quartæ vigiliæ nulla mentio fit: quia nec primæua ætas sensum recipit vigilandi, nec vltima item prolixius dormiendi.* Quartæ vigiliæ nulla fit mentio, quia morti proximos somnus non vrget: aut quidem si tunc vrget, parum proderit admonitio: cùm mors dormire non patiatur ignauos; imò anxiis timoribus vel prouidenter vrgeat solicitos. Mors ad vigilias cogit, & eius voce debili personante somnus excutitur, & animus angustiatur. Ergo si tua teque prudenter gerere exambis, mortem consule: nam mortis vtilissima sunt ad fallacias voluptatum vitandas consilia, & ad virtutes animosius sectandas validissima documenta.

Luc. 12. v. 38.

Matth. 26. v. 43.

Drogo.

§. XV.

Quæ nostri officij, ritè non explemus, aut imperfecta sæpè relinquimus: quia vel senio confectam in futurum vitam extendimus.

61. HOminis vita gracilis vndarum spuma, exiguus vapor, debilis nebula, in ipso sæpe ortu disparet, & vitro fragilior ictu non indiget, vt conteratur, alieno, quia assultu impugnatur proprio. Ipsa dum se producit, excedit, & quibus fulcris nititur, prægrauatur. Omnis dies, omnis hora quàm nihil simus ostendit, & recentis semper fragilitatis argumento monemur obliti, & ad vera cogitandum quasi manuducimur cæci. Ille dum robusta ad speciem vigeret valetudine, inopino morbo correptus est: ille dum cogitabat crastinum, non consummauit hodiernum: alter furentis insania occisus, alter fallacia interemptus: nihil adeò dubium vt vita, & nihil adeò obcæcatis securum. *Quam stultum est*, aiebat Seneca epist. 102. *ætatem disponere: nec crastino quidem dominamur. O quanta dementia est spes longas inchoantium: emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram: tum demum lassam, & plenam senectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiã felicibus dubia sunt: nihil sibi quisquam de futuro debet promittere. Id quoque, quod tenetur, per manus exit, & ipsam, quam premimus horam, casus incidit: voluitur tempus rata quidem lege; sed per obscurum.* Cùm vita vel horam certam sibi non habeat multa in futurum disponimus, & spebus stultissimis fallimur: esset autem hoc malum nostrum aliquomodo tolerabile, si hæc solùm valentia virium robustis florida ætate iuuenibus, vegetis, & fortissimis hominibus accidisset: tenet etiam senili ætate confectos, & ipsos, quos iam grauia annorum pondera deformiter incuruarunt ad terram: iam sepulchrorum sunt pabula, & vigent nihilominus insana incertorum studia. Iosue nullo quidem in hoc attaminatus vitio; tamen veritatis huius assertor prouectissima premebatur ætate; nec tamen quæ sui officij erant, manum imponere cogitabat. Admonuit Deus, vt à manubiarum tantisper acquisitione cessaret, terrámque diuideret: *Iosue senex prouectæque ætatis erat; & dixit Dominus ad eum: Senuisti, & longæuus es, terráque latissima derelicta est, quæ necdum sorte diuisa est. Et nunc diuide terram.* Vrget vt vel in senecta terram diuiserit, quæque sui muneris, exactè perfecerit, ne dum in crastinum mittit, morte desideretur correptus, sortitionisque nondum perfectus sit modus. *Est sensus*, inquit Abulensis quæst. 2. *quia homo es multorum annorum, & cito morieris, debes dare operam, vt diuisio hæc citò expleatur, ne prius tu moriaris.* Latissima restabat terra sorte rationabili tribubus sorte adscribenda. Iosue vita ad extremum iam properabat occasum; & tamen ipse non cogitabat diuidere; sed vlteriora certamina sic exambiebat disponere, vt necessum fuerit senio grauissimum admonere. O quot vel in vltimo vitæ occasu Phœnicem infelicissimè referunt, de ipsisque cineribus sibi insipienter vitam extendisse nituntur: nauigationes longas, & enauigatis æquoris periculis seros in patriam reditus sibi promittunt, militiam, & castrensium tardè laborum præmia expetunt, dignitatum lumina, & per ritè gesta munia noua incrementa sitienter exambiunt, cùm interim ad latus mors sit, quæ nunquam nisi aliena cogitatur, & supra nostra capita sit fatum, delusi à nobis arbitramur longissimum: *Stat quidem terminus nobis*, aiebat Seneca vbi suprà, *vbi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit; sed nemo scit nostrum quàm propè versetur terminus. Sic itaque firmemus animum, tanquam ad extremum ventum sit, nihil differamus, quotidie cum vita paria faciamus.* Altiùs meditare, quæ subdit: *Maximum vitæ vitium est quod imperfecta semper est, quod etiam aliquid ex illa differtur. Qui quotidie vitæ suæ summam manum imposuit, non indiget tempore.* Prudens, ne tempore indigeat, summam rebus suis manum quotidie imponit, nihilque in crastinum differt. Ergo Iosue prouectæ quidem

Senec.

Nullius sequentem diem prudenter sibi promittat.

Abulens.

Omnia ante mortem homo cordatus disponit.

Senec.

Quotidie, vt in die postrema animus est formandus.

Tempore non indiget, qui semper summã vitæ manũ imposuit.

dem ætatis opus cõsummare iubetur, ne imperfectum interueniente morte sortitionis opus relinquatur. *Credibile est*, inquit Masius, *Iosuam existimasse omnes sibi prorsus Chananæos ante esse exterminandos, quàm partitionem posset auspicari.* Quæ subigenda restabat terra, plurimis ad expugnationem indigebat temporibus: Iosue senio penè confectus; & nihilominus sic spes in distantissimum extenderat, vt mortem ante oculos obuersantem quodammodò non videret; sed longè absentem putaret.

Masius.

61\. Nabuchodonozor bruti ad instar throno expellitur, & dignitate mulctatur: *Ex hominibus abiectus est, & fœnũ vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectũ est.* Huius exilij causam venantur interpretes asseruntque in sibi subiectos crudelissimum, & ad instar truculentæ feræ sæuum. Ita Theodoretus orat. 4. *Omnes ei insultabant*, inquit, *ob crudelitatem ipsum abominati.* Itaque in humana forma latebat fera, adeò torua, adeò crudelis, adeò subiectorum vorax, vt exhausta patientia ipsum ferre nullatenus quiuerint; sed in exilium eiecerint. Et quæ huius sæuitiæ causa? Indicat, ni fallor, Danielis secundum caput. Dormienti obiicitur illa imago non hominis; sed superbiæ, proceritate immanis, cuius membrorum metalla temporum despiciebant adsultus, de firmitatis constantia haud timentia casus; verùm admixtum pedibus lutum leui ictu corruit, & secum metalla traxit. Quid tunc? Mortem doctus in ipso vitæ occasu æternam nititur producere durationem: *Nabuchodonosor rex fecit statuam auream.* Pars fictilis veluti ferri ærugo fortitudinem sensim atterebat, instantémque casum vel somno obrutis dilucide declarabat: *Proprium factum*, vt Theodoreti verbis orat. 3. vtar, *quasi castra Deo opponens, ipse quoque statuam construit, tantam ipsi magnitudinem tribuens, quantam potuit ars humana præbere; non autem ipsam ex auro, argento, ære, ferro ædificat; sed ex vna auri materia conficiendam curat, ratus infelix iste falsas ostensurum se Dei prædictiones.* Iam non miraberis in subiectos ferociam, quandoquidem mortis aspicis ignorantiam. Non poterat ritè quam gerebat dignitatem implere, qui delusus æternum putauit viuere. Auream molitur statuam, ne omnipotentiæ feriatur ictibus, aut pateat fortunæ casibus: & dum se immortalem delusus existimat, in rationali mente belluam truculentissimam repræsentat: refert ferarum vitam; imò desæuit illarum supergressus ferociam. O quàm iniuriatum lugebat officium, dum se arbitratur æternum! Non poterat ritè dignitatis explesse munus, qui supra mortis diuturnum se putauarat casus.

Dan. 4. v. 30.

Theodor.

Dan. 3. v. 1.

Theodor.

63\. Diues ille naturæ carcer diuitiarum pondere pressus, & epularum onere prægrauatus somnum non capiebat: in illo peruigilio se improbo consiliario vsus agri fructus antiquis horreis noluit includi; sed noua amplissimáque machinatur excitare: *Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce.* Ecce fructus agro remanẽt dispersi, antiqua horrea destructa, nec ampliora ædificata. Et quæ huius dementiæ causa? Longissimã sibi vitam promiserat, & veluti immensam annorum seriẽ animo cogitasse: si mortis recordaretur, fructus decenter colligeret, aut decentiùs erogaret; modò quia in æuum vitam protraxit delusus, omnia imperfecta reliquit, inopina morte præuentus: magna horreorum ædificia, quorum operositas desiderasset sæculum, mente delineauit: nec potuit absoluisse ædificium, quia iam minabatur vitæ sepulchrum. *Qui prouenientibus fructibus*, inquit Tertullianus de pœnit. cap. 6. *ampliationem horreorum, & longæ securitatis spatia cogitauit, is ipsa nocte moritur:* non absoluit opera, quia longissima sibi promiserat sæcula. O quàm latos funiculos tetenderat ædificiis, qui arctandus erat angustissimis conditiuis: magna moliebatur, amplissima disponebat; omnia tamen imperfecta reliquit, quia vita post momentum temporis cessit. Nihil hominibus est hoc errore communius, nihil ineptius: æternos delusi se fingunt, & præuenti morte nihil absoluunt. De Megarensibus lepidè aiebat Tertullianus in Apolog. cap. 39. *Megarenses obsonant quasi crastina die morituri, ædificant verò quasi nunquam morituri.* Quid perficerent, quid absoluerent, qui se nunquam morituros putabant, qui ædificia æternis hominibus disponere se credebant? Altissimam substructionem, moles operosissimas moliebantur, & dum se morti non recordabantur obnoxios, imperfectis fabricis ostenderunt egregiè cæcos: si vitam vaporis instar cogitassent, & opera perfecissent.

Luc. 12. v. 17.

Tertul.

Nihil ædificiorum moles ferè semper imperfecta, & ædificantis mors.

64\. Mulier illa Samaritis ciuitatem egressa, vt hauriret aquam, incidit fortunatissimè in vitam? sedebat Christus supra fontem, non tam materialis aquæ siti vexatus, quàm anhelo illius peccatricis studio adustus, aquam petiuit, vt vitam daret: illa postquam aliquos miscuerat sermones, an in monte illo, an Ierosolymis adorandum, rogauit: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet.* Christus quæstionem illam clarabat, dubiáque soluebat. Quid tunc? In futurum mulier remisit, quia sibi vsque ad Messiæ aduentum vitam spopondit: *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cùm ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia.* Modò detractat credere, quia longa sibi vitæ spatia audet promisisse: si putaret instare mortem, gestiret quæstionis adeò necessariæ inquirere veritatem; ast dubij resolutionem non perficit, quia longiorem sibi vitam promisit. Adest Maldonatus: *Messias venit, nihil opus est priuatim inter nos de religione disceptare: ille nobis communis, & æquus Iudex erit, quem vtrique expectamus, cuius vtrique stabimus sententiæ: ad illum disceptationem nostram differamus.* Annuit Euthymius: *Inhiabat ad eorum, quæ dicta sunt, sublimitatem; sed modò desperat posse de illis audire: sed vnde Samaritanis expectatio aduentus Christi?* Quæstionis enodationem misit in futurum, quia Domini expectabat aduentum; & quia vsque ad Domini aduentum non cogitabat sepulchrum: *Modò desperat posse de illis audire:* quia sperat in posterum omnia ista commodiùs, ac dilucidiùs tractare. Nisi vitam vsque ad Messiæ aduentum crederet producendam, nec in posterum veritatem mitteret enodandam. O quot mors abscindit inopina, quia longæ diuturnitatis vana expectatione promiserant sibi spatia

Ioan. 4. v. 21.

Maldonat.

Euthym.

ſpatia! ô quot implicatiſſimi negotiis, libúſque mortem appetierunt, quia adhuc vigente morbo plurimum ſibi ſupereſſe temporis cogitarunt! Ioſue diuiſionem monetur abſoluere, ne ſenio confectum ante terræ partitionem contigerit interire.

---

§. XVI.

Fauor non eſt ad imparia viribus aliquem elegiſſe; ſed genio aut potentiæ munus attemperaſſe.

65. INter varios hominum ſibiipſis inimicos errores ille, & frequentiſſimus, & grauiſſimus eſt, quòd dignitatibus, & honoribus ſemper inhiant, nec fortunæ limitem ponunt: creſcit de cupiditate cupiditas, de poſſeſſa dignitate acrior dignitatis flabellatur flamma; & quantumcumque huic dementiæ adieceris, non erit finis; ſed gradus. Sæpe quæ faſtidio nobis erant, amplectimur, ſæpe prenſa faſtidimus, & velut conflatis, procellosíſque cupiditatis vndis iactamur. Tunc te [illegible] cogita, cùm tibi fidis ſolâ virtute contentus, cùm noueris omnia vota mortalium, omnia beneficia, quæ dantur expetunturque, nullum in beatæ vitæ habere momentum, & huic ſæpius attulisse periculum: imperfectum adhuc eſt, cui aliquid reſtat adiendum: immortale quidem, & pulchrum, quod extrinſeca ignorat augmenta, nec interna patitur damna. Illi ſoli perpetua lætitia eſt, qui ſuo gaudet, qui veris ſolum bonis contentus, verum ſic obcæcati mortales, vt ſemper inhient, quæ vltrò, citróque fluunt. Quam lepide Stoicus famelicis comparauit canibus ambitioſos! Audi ipſum epiſt. 72. *Vidiſti aliquando canem miſſa à domino fruſta panis aut carnis aperto ore captantem? Quidquid excepit, protinus integrum deuorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem euenit nobis: quicquid expectantibus: fortuna proiecit, id ſine vlla voluptate demittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti, & attoniti.* Ambitioſis ac tetro cupiditatis humore furentibus nullus eſt inſani deſiderij finis, ignorant modum, nec febrientem temperare diſcunt cupiditatis affectum. In Epicureum illud chaos, vbi inane ſine termino eſt, demerſi circumuoluuntur, cæci, [illegible]ſque deſideriis vexantur. Sapiens ſe non ſolùm fortunæ, attemperat; ſed ipſam ſibi fortunam aptat. *M. Cato*, ſcribit Plutarchus in præceptis politic. *cùm ſtatuarum Romæ iniuſtum viſeretur numerus, noluit vllam ſibi erigi. Malo*, inquit, *quæri, cur ſtatua mihi nulla poſita ſit, quàm cur ſit: veniunt namque in inuidiam iſti, exiſtimántque, quibus delatæ non ſunt, iis ſe gratiam debere populus, aſſecutos ſibi debere; atque incurrere in oculos, atque velut à mercenariis eſſicta ab his exigunt.* Benè dixit: mercenarius honoris eſt; imò qui eximias dignitates, & cunctis deſiderata anhelat, à dilargiente conductus baiulus; amant tamen ambitioſè hæc onera; imò vt inſanis ſuis adulentur cupiditatibus, modum non taxant oneribus; ideò plures ſæpius preſſi succumbunt ipſis, quas ardenter expetiuerant, dignitatibus, quia impares longè viribus. Non adeò virulentiſſimus aduerſarius nocere poſſet, quàm qui ad dignitatem euexit imparem: faſtigium, quia plurimis inuidentium oculis expoſuit altum, frequenter accivit periculum. Verùm etſi dignitas quæuis periculoſa, longè illa quidem periculoſior, & moleſtior, quæ vires poſſeſſoris ſuperat, & eximiorem ſolertiam depoſtulat. Inter inimicorum vota computandum eſt ad altiorem dignitatem imparem eligere: eſt enim grauatum onere premere, non leuare, cùm Deus Iſraëlitas in promiſſionis terram induceret, eam tantùm illis telluris partem conceſſit, quam commodè excolere; & inhabitare quiuiſſent, vlteriores terminos in futurum promittens, ipſiſque numero iam adauctis in poſterum ſeruans: *Terra latiſſima derelicta eſt, quæ necdum ſorte diuiſa eſt.* Quæres cùm Deus tam facili negotio incolas omnes depopulari valuerit, cur præſtita telluris Hebræis ſpatia taxarit? Caietanus Deum populi commodis, vtilitatique proſpexiſſe teſtatur: ſi enim latiores terminos, populique numerum excedentes concederet, magna portio, vtpote habitatore ac cultore deſerta, conuerteretur in ſaltum, eſſétque ferarum domicilium, quod hominibus dabatur ſpatium, vnde ipſis dominis damna ingentiſſima emergerent, illorúmque plures ferocia dilaniati perirent. *Significatur quod multæ terræ ſupererant acquirendæ infra terminos terræ promiſſionis. dixerat enim Deus Moyſi, quod non ſimul expulſurus eſſet gentes omnes ex terra promiſſionis, ne terra maneret inculta, & multiplicarentur beſtiæ.* Attende quam ſubdit rationem: *Quia populus Iſrael non erat tam multiplicatus, vt ſufficeret ad habitandum, & colendum vniuerſam terram promiſſionis.* Habitatorum numero poſſeſſionum taxaſſe ſpatia fuit beneficium; extendiſſe videri potuiſſet odium: quid enim populo pernicioſius cogitare quiret ingenioſiſſimus inimicus, quàm terminos adeò latè producere, vt inculti inhabitatique monſtra alerent, quæ poſſeſſores inhiarent diſperdere: Non eſt benignitatis fauor vltra vires euehere; ſed dignitatem viribus menſurare. Caietan.

Serpens ille ſuperbia turgidus, & peruerſitate callidus, cùm ambitionis campo Deo bellum indiceret, ſocios vanitatis pretio conduxit: *Draco pugnabat, & Angeli eius.* Ceſſit æquitati victoria, & à Michaële Draco in terram proiectus turpiter voluitur, & deiecti milites comitantur. Proiectus eſt in terram, & Angeli eius cum illo miſſi ſunt: hi iidem, qui ab aduerſariis dicuntur miſſi, à ſerpente ipſo in terram volutantur ignominioſè proiecti: *Cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram.* Proh miſeram ſeruitutem! non ſolùm non accipere laboris præmium; ſed mercedis loco pati ſupplicium! Verùm ſi à ſerpente commilitones blandè alliciuntur, quomodò ab ipſo dirè iactantur? Nil mirum imis deliteſcant ab hoſtibus depulſi, vique armorum depopulati; ſerpens verò quomodò ſimul potuit blandiente allicere, & deiicere cauda? O ingenij peruerſitatem! vt ſtellas olim fulgentiſſimas ad terram obſcuratas proiecerit malignitatis aſtutia, vltra vires ambitionis adusſit flamma: & dum ſolarem ſplendorem affectant, nunquam illuminandas patiuntur tenebras, & irreparabilibus corruere ruinis: cauda, vt hoſtes, iactauit ſydera in terram, dum inflammauit immoderatius ad arrogantiam. *Peruerſè*, inquit, Auguſtinus

Senec. *Præſentium voluptate non gaudemus quia ad futura ſemper hiamus.*

Plutarch. *Nonnulli honores non largiuntur; ſed vendunt.*

66 (margin, beside "Serpens ille ſuperbia turgidus")

Apoc. 12. v. 9.

August. lib. 19. de ciuit cap. 12. *imitatur Deum: odit namque cum socijs æqualitatem sub illo.* Ecce dum socijs Numinis æqualitatem ambire suasit Deum peruerse imitatus socios cõtorsit, & quos Deus iustè puniuit, ipse serpens etiam deiecit. Lucifer etsi contraria via socijs calamitatem asciuit; & quos Deus detrusit iustus, ille immoderate ambitiosus: idem consilium & Lucifero, & Deo, scilicet detrudere cœlo Angelos: Deus temeritatis puniuit insaniam, diabolus Numinis dignitatem suasit exambire supremam: *Peruerse imitatur Deũ*, scilicet Angelos apostatas depellendo: *odit namque cum socijs æqualitatem sub illo.* Imparis viribus dignitatis ambitio non dubia fuit ad tartareorum sinus detrusio: quæ Deus superbientibus inimicos inflixit, hoc ipsum dæmon ad diuinitatis fastigium socios euehere nisus procurauit. Augu.

67. Alium serpentis technam perscrutemur: Christum Dominum deserto commorantem merum suspicatus est hominem: quia displicebat debitum præstare obsequium, vel euidentissima Deitatis argumenta vocabantur in dubium. Ergo sub dole tentaturus aggreditur, panem lapideum offert, non quo stomachus recreetur; sed quo ex cœlestem doctrinam disseminans obstinatet: non cessit è sententia dolus; verùm ijs frustratus primis spebus deposuit fraudes virulentissimus inimicus: præcipitium suadet, & volaticæ gloriæ gestum membrorum collisione venditare nisus est pretio. Tandem cum huius etiam teli lugeret expectatione delusus, e montis fastigio omnia mundi regna ostendit, & adorationis pretio promittit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* O quam ardenter expetebat casum, qui hominem cui totius mundi regimen, dignitatisque summæ nisus est euexisse fastigium! Omnia vnius hominis humeris regna nitebatur imponere: *Hæc omnia tibi dabo,* vt operosa grauatus mole ruinam nequiuerit excusare certum anhelus disrupiebat excidium, qui vt rebatur creatis solùm viribus longe excedens imponebat imperium. O deprimendi nequissimam artem! Plus oneris, dignitatisque contentiosius conatur adiungere, quo attriti, confractique cogantur humeri defecisse: mundum regere consuluit vniuersum, quo miserum rectori machinaretur casum. *Consilijs suis se diabolus prodit,* scribit Chrysologus serm. 13. *lapsus quærit, præcipitia imperat.* Eleuans conatur allidere: quia scit miserandam adæquè attulisse ruinam excedentem vires dignitatem ambire, & pondus grauissimum circumferre. Suis se consilijs prodidit, dum singularem hominem ad totum mundum solum gubernandum efferre studuit. Hac arte protoparentes nostros disiecit, dum Numinis æqualitatem suasit: *Eritis sicut dij,* vt scribit orat. 3. Seleuciensis Basil. *Ad ruinam impellit.* Sane impellit, dum homini imparem dignitatem promittit. Fabula antiquis fuit ranam vt bouis illum exæquare gestiisse, ideóque membra sua extendere nisam, vt elocata membra ingentem passa fuerint partium rupturam. Audi Martialem lib. 10. epig. 68.

Matth. c. 4. v. 9

Chrysol.

Basil. Seleuc.

Martial.

Grandis vt exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

Rumpitur, & sua sibi ambitione insidiatur, qui exiguis viribus excelsa occupare aggreditur: nil certiorem hominibus afferre potuit calamitatem, quàm suprà vires conari.

Naxera in Iosue Tom. 2.

68. Saül dum ardenti in Dauidem inflammaretur inuidia, semel & iterum, qua configeret, hastam contorsit; verùm cum teli per insidias iacti fuisset expectatione frustratus, certiorem mortis, ac stragis dolosam artem excogitauit: stola pastoritia indutum regalem inuitat ad purpuram, & quo securiùs paret excidium, adscribendi pastorem inter regalem familiam mentitus est desiderium: filiam dare vult, non quo exosum cohonestet; sed quo dignis plausibus celebratum deturbet: pro sponsalibus centum Philisthinorum præputia deposcit, & in pulchritudinis dotem exambit: *Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantùm centum præputia Philisthinorum vt fiat vltio de inimicis regis.* Verùm si in Dauidem ardet odij insania furens, & cæco furore insanus, quomodo nuptias regales offert, & inuisum ad honoris culmen effert? O cogitationem fraudulentam! vt necem acceleret, hostium magnum deposcit numerum, quò vnus homo cum centum decertans hostium sit præda, & liuoris medicina. Quo certissimè pereat, inquit fraudulentus Saül, hanc suprà vires ambitione inflammatus prouinciam subeat: nam dum supra vires audet, indubiè ruet: & quidem sua eum non fefellisset præsumptio, ni Dauid superno protegeretur auxilio. Diuinæ fuit curæ erga Dauidem elogium, supra humanas audentem vires reportasse ab reportasse ab allophylis triumphum. Adest opportune Basilius Seleuciensis orat. 16. *Cum frustratus esset expectatione teli per insidias iacti, aliò vertit animum, inuiso Dauidi filiam dare vult, non quo exosum cohonestaret; sed vt filiæ nuptijs cædem emeret: Sponsaliorum legatos mittit huius thalamum dolo prætexens.* Ad bella exacuit difficilia, vniusque hominis viribus ad speciem imparia, non vt sponsum victorem ante nuptias spectaret; sed vt ante thalamum præconsumeret: vt mors funebres anticiparet exequias, dum arduas Dauid sibi solicitaret victorias. O quot molestissimis negotiorum fluctibus pressi vita cesserunt, qui diu viuerent, ni fastigium dignitatis inscenderent! O quoties tulit ad dignitatem euectus insipientiæ, aut ignauiæ notam, qui honestam anteà apud omnes possederat famam: non est amoris studium dignitatibus imparem elegisse; sed viribus dignitates attemperasse.

1. Reg. 18. v. 25.

Basil. Seleuc.

69. Hinc Isai in Dauidem elucet amor, & quidem paternus, & strictissimus: aduentat Samuel inuncturus regem, chorus filiorum circumstat, ad vnctionem paratur; verum cum propheta oculis deerraret, nec vngendum inueniret, stabat attonitus, & adhuc mysterij nescius: iam ferè erat vteri copia consumpta, & fluxa olei natura, ne cum errante Propheta faceret, sursum detinebatur: rogat an supersit filius; pater Dauidem mapalibus commorari testatur, & dignitatem auertere à puero studiosè molitur: *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues.* Et cur quæ dedecerent aduersarium, pater opponit impedimenta? Cur molestè ferat Dauidem regalis conscendere dignitatis fastigia, & pro agolo prensare sceptra? Cunctantem Prophetam debuisset ad vnctionem vrgere, & manum nititur remorari? O patris sapientiam! amabat Dauidem, & humana mensus dignitatem prudentia, pueruli & quidem pastoris viribus arbitratus est superiorem: & ne amiserit citissimè filij, nisus est auertere studiosissimè imperium.

1. Reg. 16. v. 11.

Pauperes ad omnia putantur inepti.

Abul.

Vocauit eum paruulum, inquit Abulens. quæst. 17. *quia erat minimus fratrum suorum, & propterea reputabat Isai eum ineptum quod ad regnum eligeretur.* Regiminis amplissimi regni onera teneros inexperti pueri humeros censuit premere, non leuare: vt prouidenter filij tueretur vitam, nisus est auertisse coronam: nouerat namque grandæua ac senilis prudentia excedentis vires dignitatis pondus, quò grauius, ad luctuosam ruinam impellere citius.

70. Concludat thesim visio illa Isaiæ 6. capite. Duo Seraphini Senis instruebantur alis, quarum duæ celerem agitabant volatum, cæteræ

Isai. 6. v. 2.

Numinis exambiebant amplexum: *Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* En Seraphinos cruciformiter extensos: referunt namque crucem, dum alas explicant ad volatum. O quam supremis crux miscetur fastigiis! super solium excelsum, & eleuatum emicabant elati; sed & imaginem crucis referebant extensi: ni placeat de crucis signo stabilitatem ambire, de volatuque possidere. Haud ineptum sane; sed aptius thesi petitur iterum mysterium: Seraphini exiguis alis infinitatem Numinis nituntur amplecti; & cum creatas vires superet desiderium, arcanos crucis addidit labores studium: affixi quodammodo cruci viuunt, dum vires officia excedunt. Inquit Hieronymus ad Damasum:

Semper habetur alarum, qui ad dignitatis fastigium euectus.

Stant assistentia Deo, volant demonstrantia Deum: nudant quasi medietatem: non manifestant, quæ velata sunt, non velant quæ nota sunt. Addit postea: *Alas habere dicuntur Angeli, quia in superioribus commorantur.* Profectò dum se superiora sacris anhelauere conatibus, crucis se consecrauere laboribus. Deum demonstrant, ad idque alas per aera librant, sed cum creata vel Seraphinorum capacitas nequeat immensitatem diuinitatis exprimere, nequit etiam alarum crucem vitare. Ad nostram eruditionem cruciformiter extenduntur, quia supra captum conantur.

---

§. XVII.

Eximia perfectio rectis semper virtutum incrementatur processibus, nec sinuosis ad vitia redit anfractibus.

71. TEnet aliquando plures virtutis amor; excutiunt vitia, & iter ad ardua animose arripiunt: innata tamen imbecillitate impediti non morosum tantum gradum figunt; sed ad relicta inconsultè referunt: non est solida perfectio erroribus agitari; sed nouis semper virtutum processibus adaugeri:

Seneca.

Sapientis vita vnius coloris est.

Facere docet philosophia, non dicere, aiebat Stoicus epist. 20. *& hoc exigit, vt ad legem suam quisque viuat, ne orationi vita dissentiat, vt ipsa inter se vita vnius sine omnium actionum dissensione coloris sit. Maximum hoc est, & officium sapientiæ, & indicium, vt verbis opera concordent, vt ipse vbique par sibi, idémque sit.* Nonnulli varias sæpè personas induunt: iam virtutis faciem referunt, iam criminis speciem desumunt, vt multi colores iure dixeris, nec facilè ingenium noueris. Canum instar, quæ euomuerant, iterum glutiunt, & quæ deglutierant, vomunt; perfecti tamen sic addicuntur virtutibus, vt nunquam retroactis indecorè discesserint gradibus. *Nec dico*, addit Seneca, *sapientem semper vno iturum gradu, sed vna via: vnam semel, ad quam viuas, regulam prende, & ad hanc omnem vitam tuam exaqua. Quidam se domi contrahunt, dilatant foris, & extendunt: vitium est hæc diuersitas, & signum vacillantis animi, ac nondum habentis tenorem suum.*

Sapiens, etsi non semper vno gradu, vna semper graditur via.

Sequi aliquo interuallo virtutem, amplecti alio tempore vitium, virtutis processibus est contrarium: parum conficiet itineris, qui sæpè aggressus, & sæpe iterum retroactus: nam inter has circuitiones tempus infructuose consumitur, & animus prorsus deteritur. Vir perfectus, & qui cursum nititur consummare virtutis, quantumuis variauerit gressus, eidem insistet viæ, inhærebitque constantissime semitæ. Iosue inter proceres eximius hac virtutis constantia emicuit sæculis prædicandus: *Iosue*, inquit, *senex, prouectæque ætatis erat, & dixit Dominus ad eum.* En colloquia meruit diuina, quia prouecta vixerat sæcula: & quidem semper prouectus, & nullo tempore retrotractus: diuinis namque minimè nobilitaretur colloquiis, si dubius inseruiret virtutibus. Notauit hoc Procopius Gazæus: *Prouectæ ætatis esse de sanctis dicitur: nullus enim retro reuersus est prouectius; verum si quis rerum post se oblitus ad eas, quæ ante se sunt, contendit.* Procop.

Ad colloquia est acceptus diuina, qui virtutum semper adauxerit crementa: qui digne iterum non reuocauit amissa, nec sectatus est relinquenda. O quam defatigatur aliquorum vita inter conscientiæ morsus, & cupiditatis æstus! Variis ventorum flatibus agitantur impulsi, & dum portus soliditati propinquant, turbulentis iterum fluctibus naufragantur iactati iam vitiorum syrtibus crederis illidendos, & se ostentant resipiscentia securos. His equidem instabilis perfectio; sed stabile vitium est: animo leues, virtutibus imbecilles indecorè vices alternant, & cum virtutem versus velocem ad speciem arripiunt cursum, in ipso cursu vitia versus celerem agitauere volatum. Iosue prouectus dicitur, vt noueris constanter virtutibus inhæsisse, nec sententiam damnabili varietate mutasse.

Vidit Ezechiel illam sæcula peruagantem 72.
quadrigam, cuius animalia pennata nullatenus didicerunt reuerti, etsi aliquando nouerint retrò agi. *Illuc*, inquit, *gradiebantur, nec reuertebantur, cum ambularent.* Ezech. 1. v. 12.

Nec multò post: *Et animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Et quomodò progressus semper describitur, si vertisse cursum semel, & iterum affirmatur? Stabilis, æternúsque nequaquam refertur processus, aut minimè retroactus dicatur gradus. O animaduerte, amabo te, clausularum differentiam. Alibi animalia spiritu vehementi asseruntur commota; alibi tamen hac impetus vehementia haud quaquam referuntur impulsa: eunt, redeúntque aliquando; sed tunc cælesti mota impetu non referuntur, cùm verò semper in vlterius tendunt diuini pneumatis flatibus agitantur. *Vbi erat*, inquit, *impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur, cùm ambularent.* Prouectio cum spiritus impetu semper coniuncta: quia regressio spiritu ad speciem nudata. *Animalia*, inquit, *ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*: vt noueris illic tantummodò

tantummodò adesse spiritum, vbi ad virtutem indeficiens anhelat gressus, nec retroactus legitur passus. Vis nosse quis sacris Spiritus impulsibus agitetur, vitæ tenorem examina: si continuis semper se virtutum incrementant augmentis, perfectionis gaudet proculdubio prærogatiuis; si verò animi leuitate fluctuat, si in diuersa circumuoluitur agitatus, aut hæret dubius, minime perfectionis attingit sublimia; vnò nec virtutis promeretur elogia. O quot his itionibus, reditionibusque variant circumacti, & labore cassò detriti! Sapiens diuino Spiritu gubernatus sic viam carpet, vt nullatenus ad repudiata redierit: aliud namque non erit gradi, sed circumuolui. *Quod secundò*

Hieron. hic. *dicitur*, aiebat ad hunc locum Hieronymus, *non reuertebantur, cum incederent, vtriusque instrumenti indicat Sacramentum, quod in quatuor istis animantibus, & lex, & euangelium ad futura festinent, & nunquam retro motum accipiant.* Quæ spiritus sequuntur impetum inoculata animalia sic per orbem volitant, & se ad excelsa sustollunt, vt minimè retrò scribantur conuersa; sed ad vlteriora semper anhelantia: spiritus non scribitur impetus, vbi retrò legitur motus: *Ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*; Ibant verò, nec reuertebantur, vbi spiritus motio adurgebat ardentis: *Indicat Sacramentum, quod in quatuor istis animantibus, & lex, & Euangelium ad futura festinent, & nunquam retrò motum accipiant.*

73. Cerastes ille Dan coluber tortuosus hoc induit semper ingenium, quò attulerit vitiis subsidium: insistit semitis, vt quos alacriter carpere conspexerit viam, deiicere relictam conetur

Gen. 49. v. 17. ad terram: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Non solum molitur casum; sed retrò: & quid interest ante aut retrò ceciderit eques: Plurimum sane, inquit Ambrosius apud Lippomanum: nam ad anteriora se extendit, qui graditur; at retrò cadens ad iam relicta reuertitur. Serpentis ergo venenatis probatur morsibus saucius, qui non tendit ad vlteriora festi-

Ambros. in catena. nus: *Tanquam serpens in via sedens*, verba sunt Ambrosij, *deijcere tentauit eos, qui viam ambulant veritatis, supplantare cupiens veritatem. Cecidit igitur non prostratus in faciem, quasi dormitans, sed retrorsum, vt a superioribus ad priora se extendens.* Vt perfectioni coluber aduersetur, retrò casum nequissimus admolitur: mordet vngulas, quo eques aut excussus retrò cadat, aut gradum otiosus figat. Parum interest alacriter viam carpsisse virtutis, si citò vertatur gradus, & in contrarium retenderit cursus.

Seneca. Plerisque agitur per lusum. Quam bene Seneca vbi suprà: *Nemo proponit sibi quid velit, nec si proposuit, perseuerat in eo; sed transilit, nec tantum mutat; sed redit, & in ea quæ deseruit, ac damnauit, reuoluitur. Variatur quotidie iudicium, & in contrarium vertitur, atque plerisque agitur vita per lusum.* Preme ergo quod cœpisti, & fortassè perduceris ad summum. Ad summum perducitur, qui circa prudenter decreta nullatenus sententiam demutat; sed animum laudanda obstinatione confirmat. Quotidie varius ac sibi semper dissimilis, ad perfectionem accedet nunquam. Iosue ergo ætate deprædicatur prouectus: quia virtutibus insistit laudabiliter obstinatus.

74. Philistinorum Satrapæ, vt de diuinitate iudicium ferrent, sacram vaccis fœtu recenti dispoliatis arcam committunt. *Arripite*, inquiunt,

1. Reg. 6. v. 7. *& facite plaustrum nouum vnum, & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi: tollètisque arcam Domini, & ponetis in plaustro, & vasa aurea, quæ exoluistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus eius, & dimittite eam, vt vadat. Et aspicietis, & siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande; sin autem, minimè.* An arcam diuinitas habitarit, prudenti satagunt inuestigare consilio; ob idque ascensus informari moliti sunt testimonio. Si vaccæ, ratiocinantur, amissos redierint ad vitulos: si semel carpentes viam, aut suspenderint gressum, aut retulerint gradum, minimè diuinitatis sunt baiulæ; si tamen nouis semper promoueantur ascensibus, haud dubium erit diuinitatis indicium. En gradus quodammodò diuinitatis est arbiter: negat, si aliquando deuius; testatur, si ad celsiora semper promotus: si vaccæ, quos reliquerant semel fœtus, iterum perquirere gestiant, Arcæ diuinitas Satraparum iudicio nulla; si verò gradum semper maturauerint ad altiora, vel ipsis habetur hostibus sacra. Deum intra se habere non dubium, qui firmis semper gressibus anhelat excelsa, nec retractato consilio reuertitur ad amissa. Opportunè. Theodoretus

Theodor. in 1. Reg. quæst. 13. *In triuio absque auriga dimissis vaccis expectabant, vt viderent, an ad vitulorum mugitum reuertantur, an ad aliam viam declinent relicta via, quæ ducit ad Hebræos, vt si ex his quidem duobus fieret alterum, tanquam imbecillam condemnarent arcam; sin autem vaccæ alijs vijs relictis, & spretis suis vitulis abeant ad terram Israelitarum, verè cognoscerent illas plagas fuisse à Deo immissas.* Adstipulatur Iose-

Iosephus. phus apud Glossam: *Bobus autem recta via velut quodam duce præcedente pergentibus, Palestinorum Principes sequebantur, quo starent, aut ad quos venirent volentes agnoscere.* Fauet etiam

Procop. Procopius: *Deus ariolorum sententiæ obsecundauit, vt ipsi etiam hostes virtutis diuinæ testimonium perhiberent, & magistri ipsorum de hac re sententiam ferrent.* Non potuerunt ibi adesse diuinitatem negare, cùm vaccæ nec ad antiqua deflexæ, nec torpenti gradu morosæ. Quæ semper rectis gressibus nituntur conscendere diuinitate probantur afflari; si tamen filiorum attendissent mugitus, aut antiquos quantumuis irriguos Philistinorum ambirent pastus, refragarentur prorsus diuinitati, & Palæstinorum accederent opinioni. Dum indefessis vaccæ conatibus moliuntur altiora, haud dubia diuinitatis arcæ insidentis prodiderunt indicia. Hinc de vitio aut virtute censendum. Ad antiquas, periculisque scatentes reuerti vias, leuis animi, & à virtutis castris transfugæ non dubium est argumentum, vt insanis refragari appetitionis insultibus constantiæ virtutisque conspicuum est testimonium, Iosue ergo dum Martios inter labores, & hostiles aduersariorum adsultus, continuis est virtutum processibus decoratus, dignè deprædicatur prouectus.

Noë postquam aliquantulum diluuium deferbuit, columbam temporis exploratricem emisit, quæ spisso adhuc nebulis aëre impedita statim rediit: patienter expectat aliquantulùm iustus, auique iterum munus explorationis 75.

committit: illa verò, etsi tardiùs, regressa est ramum ore foliis virentibus gestans, vt in spes bonas mundum carcere detentum erigeret. Noë adhuc immoratur tantisper arca, & tandem tertio delegauit columbam, quæ iam regredi

Gen. 8. v. 12. oblita est: *Emisit columbam, quæ non est reuersa vltra ad eum.* Rupertus lib. 4. in Gen. cap. 13. has columbæ emissiones non inconcinne moribus adaptans, ait missionem primam peccatorum adumbrasse indulgentiam: secundam affluentiam cælestium donorum copiam: tertiam denique firmam, & consummatam fortu-

Rupert. nam: *Spiritum sanctum in sua maxime persona columba significauit, quam de arca Noe sanctus emisit. Quare autem tertio nisi quia de Sacramentis Christi vel Ecclesiæ trina Spiritus sancti gratia, cuique fideli animæ depromitur: prima namque gratia est remissio peccatorum, secunda diuersorum distributio donorum, tertia remuneratio in resurrectione mortuorum.* Ecce carcere voluit absoluta columba; redit tamen citò ad antiqua: quia etsi vinculorum præpediatur minime ligatura; cælestium nondum liberius fruitur copia: [illegible] emissa [illegible], & floribus [illegible], [illegible] ad-[illegible] felicitate [illegible]: tertiò demum e [illegible] antiqua: quia perfectionem [illegible] gratia; columba [illegible] redit, etsi [illegible] [illegible] tat regressum, iam, & serenitatis placiditate perfruitur, & [illegible] adepta perfectionis [illegible] iam consummata perfectio [illegible] dit [illegible], nec amissa desiderio [illegible] gressu. Ergo disce a columba, si virtutis an[illegible] celsiora, minimè reuerti ad antiqua.

---

§. XVIII.

Perfecti viri nunquam indulgent otio; sed si quas non possint, alijs virtutes commutauere virtutibus.

72. EA est non semel æris malitiæ flamma, vt frænari non discat: gliscit, furit, & si aliquando inuenit obstaculum, non sistit; sed aliorsum improbum vertit studium: deficiunt vires ad negotia libidinis exercenda; animo tamen tractantur, & quæ corporis valetudo nequibat infirma, cupiditas animo depingit insana. Distantia impediuit vindictam; sed præcordia ardenter exæstuant, & quod difficile facto, concupitur auidissimo desiderio. Itaque durus malitiæ conatus scelera commutare discit

Senec. sceleribus: *Quid est hoc Lucili,* aiebat Seneca epist. 5. *quod nos aliò tendentes alio trahit, & eo, vnde recedere cupimus, impellit: quid colluctatur cum animo nostro, nec permittit nobis quicquam semel velle? Fluctuamus inter varia consilia, nihil liberè volumus, nihil absolutè.*

Inter varia, mò ad-uersa fluctuamus sæpè consilia.

Verùm dixit: nil volumus absolutè; sed conditionatè: nam vt cupiditatibus blandiamur, multa sub conditione proponimus: vellet exequi vellet vindictam; at si non possit, exercet maledicentiam. Tanti Stoici pace dixerim, fluctuationem hanc non solùm nasci de varietatis ingenio; sed etiam de nequitiæ proposito. Cupimus ambitiosè adeò delinquere, vt quod non licet his artibus, aliis atque aliis tractauerimus consiliis. Verùm non tantum nequitiæ innata est hæc peruersa commutationis industria: virtus etiam honestam didicit varietatem, etsi quando ab huius, aut illius honestatis exercitio impedita, ad aliam vertit industriè animum ægrè ferens decorum frustrari studium. Iosue ingrauescente iam senio Maria cogitur deponere insignia: *Iosue,* inquit, *senex, prouectæque ætatis erat.* Quid tunc? Ad telluris partitionem accingitur, & quia senilis manus ad certamina parum apta, fuit ut prudentia ad sortium distributionem aptissima: *Et nunc,* inquit oraculum, *diuide terram in possessionem nouem tribubus, & dimidiæ Tribui Manasse.* Putares post tot ab hostibus reportatas victorias, post tot certaminum exantlatas angustias Iosue rude prorsus donandam, otioque honesto, vtpote laborum fructui adiacendum; verum nescit virtus ignauiam, quia flammæ ad instar semper anhelat: tremula [illegible] non poterat dextera deprehendi, & parta aggreditur tribubus præstita a quibus prudentia partiri: *Et nunc diuide terram:* Quando *Nunc?* Scilicet quando [illegible] vires ad prælia [illegible], & prudentia ostendit in his distributionibus aptum virtutis non prorsus [illegible] opera; sed officiis commutauit senex officia, & quia hostilia certamina corporis impediebat senectus, aggressa est diuidere terram virtus: *Eo peruentum est,* inquit Arias Montanus, *vt iam grandior natu Iosue atque ævo exantlatisque laboribus fractus, postremisque iam dies proximus rude esset a Deo donandus: quamobrem monetur eam muneris sui curare partem, quam posterius tractandam acceperat, hoc est terræ descriptionem, & partitionem suis legitimis ac[illegible] absoluendam.* Adhuc ingrauescentis senio inerti non indulserat Imperator strenuus otio; sed quia bella corporeis destitutus viribus nequibat tractare, terræ partitioni vel senex studebat incumbere: suo nos informauit exemplo, ne adeo ex [illegible] laborum fructibus credamus discedere, vt ignauo prorsus otio insistuerimus feriati. Montan.

77. Post lætum illud sæculis nuntium, quos à Gabriele accepit Maria, ad montium excelsa celeri pede contendit, & quò Deo plena nisi ad altiora inuolaret? Zachariæ domum ingressa cognatam senescentem salutat clarior laudanda etiam humilitate demissior. Virginis vox veluti gratiæ vehiculum ad secretiora ventris peruenit arcana, & quibus infans tenebatur, originalis exoluit vincula; puer iam gratia ornatus, acceptumque beneficium lætis saltibus euulgare gestiuit: *Factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Ioannes antiquius celebrat ipsa natiuitate tripudium, & qui originali tristis delitescebat de culpa, modò exultat, & tripudiat de gratia: nec enim magni faciebat viuere, sed virtutibus exornari. Græcus apud D. Thom. expendit Ioannis munus non esse pedibus exilire; sed exerta voce inclamare. Cur ergo non voce loquitur; sed saltibus Præcursoris munus ordiri aggreditur? O bene! noluit vocem operibus anteire; sed vocem factis nobilitari: vt sequeretur Stoici consilium epist. 20. *Non præceptor veri, sed testis est.* Altius tamen Luc. 1. v. 41. Senec.

tamen inquiramus mysterium: Ioannes voce nondum donatus erat: infantia namque vocis instrumenta tardabat. Quid ergo? Quæ voce non poterat, saltibus designauit: officio commutauit officium, & quam infantilis ætas vocem minime patiebatur, lætum suppleuit tripudium, saltibus adimplet munus: quia lingua

Cæcus. vocis nondum didicerat vsum. *Propheta parente [illegible] tacet, & [illegible], salutátque prophetatum; sed quoniam verbis non poterat, saltat in vtero.* Fecit quæ poterat, quia non poterat, quæ exambiebat: saltus vocis suppleuit officium, & quia nequibat debitis lingua Dominum celebrare præconijs, se prædicauit tripudiis. Qui sibi gratulantur animitus de impotentia, damnabili [illegible] ignauia: conscientiæ namque cupiunt blandiri, non virtutibus consecrari: flagrans perfectionis studium non nouit subsistere, quia [illegible], quantumuis impeditum deflectere. [illegible] præ ætate nequit [illegible] clamore; sed Baptista recurrit ad pedes: vocis orbatus ministerio, ad saltationis recurrit auxilium, & quia lingua non poterat, Saluatoris aduentum saltibus denunciabat. Qui aliquo obstaculo retardatus, virtutis gauisus est excusasse molestiam, [illegible] ignauiam denudauit desidiam: [illegible] vt opera operibus nouerint substituere, & virtutes pro virtutibus subrogare: *Quoniam verbis non poterat, saltat in vtero.*

78. Hanc perfectionis philosophiam discamus [illegible] a malitia: sic namque ardet, vt quæ sibi impossibilia aliqua in materia, transferre nitatur ad aliam: non remoratur obstaculo, quia iniquitatis exæstuat ardentissimo desiderio. [illegible] diues ille plus cæcus de voluptatum [illegible], quam de gehennalis incendij flammis: oculos namque olim cæcos, vt Abrahamum, Lazarumque eius sinu quiescentem aspiceret, eleuauit. Quid tunc? plus accenditur liuoris æstu, quam immortalium flammarum morsu: sub pietatis specie Lazarum suos nititur aduocare ad cruciatus: nescio an deterior felicitati inuidens, quam inopiam supercilio fastidioso contem-

Luc. 16. nens: *Pater Abraham*, inquit, *miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Abrahamus, etsi cognouerit animum, noluit adaugere acri reprehensione tormentum: noluit publicitus exprobrare malitiam, quia vt pater subdolam illam, fraudulentamque cognouerat technam: chaos transitu [illegible] opposuit, impossibilitatem liquoris [illegible]: *Chaos magnum formatum est, vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Quid tunc diues plus [illegible] quam [illegible]? Aliam recurrit ad fraudem [illegible] salutis [illegible] votum, ne vel de impossibili retardetur malignitatis ingenium: *Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei.* Sub pietatis specie malitiam colorat, & quia suos ad gemitus Lazarum reuocari non posse cognoscit, alios subrogare gemitus peruersissi-

Chrys. mus ardet. Audi Chrysologum serm. 123. *Sub specie pietatis ad pristina vulnera, ad præteritos gemitus Lazarum vult redire, quem prima petitione ad suos deuocare non potuit cruciatus: antè dixit: Mitte ad me; modò dicit: Mitte ad fratres meos.* Ardebat liuoris insania, adhibita est de impossibili medicina: flamma tamen, nec de impossibili constitit retardata; sed nouam malignitati viam excogitauit peruersa: quia ad gehennales Lazarum non valuit gemitus deuocare, ad antiquos vult dolores & paupertatem redire: *Antè dixit: Mitte ad me; modò dicit: Mitte ad fratres meos*: antiquos renouare anhelauit gemitus, quia ad suos trahere non potuit cruciatus: dolosis frustratus votis, pietate fucatis aduritur desideriis.

Ab Abrahamo de filio victima postulatur: ille vt didicerat plus timere Dominum, quàm diligere filium, in montem celeri pede contendit: de rudi cespite, aut impolito lapide ara construitur, & quidem Ægyptiis pyramidibus inuidiosa illa: illæ namque insultabant sæculis, & vanissimæ operositatis mittebant posteris testimonia; hæc verò obedientiæ perfectissimæ prodebat omnibus argumenta: tandem cùm teneras ligasset manus, & optandis pedes vinculis constrinxisset, lignorum strui imponitur victima non sanguinis, sed salutis: non velum morientis operuit oculos, quia ille subitè mortem gestiebat, non timebat, exerto ferro patris dextera leuatur armata; sed mente cœlitus voce su[illegible] [illegible] impedita. Quid tunc? Arietem e vepribus tollit, & in locum filij substituit: *Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Profectò Abraham habebat in præceptis iugulare filium; non tamen flammis tradere crepitantibus agnum: quid ergo ensem cruore maculat, si cœli vox, ne maculauerit, ligat? Filium soluat; sed agnum cur iugularit: cœlum namque postulasset, si alium victimam exambisset. Ergo importune aer rubescit fumo holocausti, & purpurascit iniussi ara sanguine sacrificij: festinet filium litare iussus; sed agnum ignibus cur tradiderit non præceptus? O eximium virtutis studium! Ardebat Isaacum Domino consecrare, ligata tamen voce dextera perficere nequiuerat votum. Quid tunc? Aliò vertit animum, & ne exhibendo prorsus priuaretur obsequio agnum è vepribus mutuatus est holocausto: agni non erat sacrificium præceptum; sed erat filij impeditum excidium, ille verò quia filij impeditum excidium agno commutauit religiosissimè votum: innuit Zeno Veronensis serm. 1. de Abraham: *Armata dextera iubentis manum, sed vox eius, qui victimam postulauerat, eo traducit: retro respiciens Abraham inuenit victimam, quam innocens immolaret. eo ferro mactauit arietem, quo filium percutere iam parabat: a filio ad agnum transtulit dexteram, semper latus & gaudens, nec mutatus est vultus eius. cum sit victima commutata.* Cœleste imperium ligauit manum; sed manus alieno sanguine tingit ferrum: victima non est amissa; sed commutata; imò vt pietati inseruiret Abrahamus, victimæ sufficit victimam: non est desiderium fraudatum; sed subrogato nouo sacrificio adimpletum sæpe namque studiosi virtutis, si vires ad pœnitentiæ austeritatem non suppetant, ad largas pauperibus eleemosynas manum extendunt; aut si diuitiarum caruere copiis, prolixis adnituntur indulgere ieiuniis: nunquam ab vtili honestatis feriantur labore; sed si quas exercere non possunt, aliis commutauere virtutibus.

79. (right margin, beside "Ab Abrahamo de filio victima postulatur")

Genes. 22. v. 13. (right margin, beside "tollit, & in locum filij substituit")

Zeno Veron. (right margin, beside "innuit Zeno Veronensis")

§. XIX.

Quantumuis magni præcesserint, multa nobis remanent, quæ persici labore possint industrio, & indagari perspicaci valeant ingenio.

80. FAteor eximio ingenio viri nos præcesserunt; homines tamen erant, quibus & acuminis mensura, & breuia vitæ concedebantur spatia: insudarunt egregiè, præruptáque difficultatum non semel deduxerũt in plana; verùm vt infinitus est sapientiæ thesaurus, sequentibus noua nunquam deerit vena, vnde & copiosas eruere possint diuitias, & nouis prouentibus antiquas augere copias. Ille sequentibus scientiæ ac virtutis ostendit errore vacantem viam: licet tamen altiùs pressisse vestigia, aut quàm alter fixerat, latiùs protraxisse lineam, subscriberéque. *Plus vltra*, vbi alter: *Non plus vltra* gloriosius insculpserat. *Non ergo sequor priores*, aiebat Seneca epist. 81. *Non facio, sed permitto mihi, & inuenire aliquid, & mutare, & relinquere, non seruio illis; sed assentior.* Non negauerim prioribus magnam deberi venerationem, & vtplurimum fore sequendos; non tamen ea religione, vt discedere ad vnguem non liceat; non tamen vt omnes scientiarum latices exhausisse credantur: fluunt namque impetuose vndæ de Libano, nec vnius possunt, quantumuis magna, putei profunditate concludi. Plurimum ille adinuenit; alter acutiùs fors cogitauit: assiduus labor multum, & temporis schola docebunt, & quæ ab antiquis inuenta, à sequentibus decentius non semel sunt expolita. Homines, vt nos, fuerunt illi: cur ergo Deo non liceat sapientiæ suæ inexhaustos latices eliciusse, & arentem vndis copiosioribus irrigasse? Qui lacertos, humerósque exercent, indurantur, & maiores sibi vires quotidie parant, & qui assiduis ingenia exercent studiis, notitias rerum nouiter non acquirant? Eximia veteres fortitudinis reliquerunt exempla: *Mutius*, scribit Tertullianus in apologet. cap. 50. *Dextram suam libens in ara reliquit*; verum inueniri potest, qui non solùm manum rogo iniecerit, & stillare vultu sereno adspiciat; sed qui totum corpus flammis inuicta fortitudine tradat. Aspice tres illos pueros Iesu, ibi namque Christi, qui apparuit, gerebat imaginem, socios, & audies non solum æstus despicientes; sed inter ardentes ignium globulos hymnos intrepidè decantantes. Mutij eximia sæculis visa est fortitudo, sed aliis temporibus seruabatur excellentior. *Vincitur natura*, inquit Cassiodorus 9. variar. 3. *dum eam meliorat industria.* En Moyses Dei titulo decoratus terram ante Iordanem subegit, tribubus ritè quibusdam diuisit; verùm adhuc longissima restat terra, quam Iosue, & armis ab hostibus valeat auferre, & rationabili debeat sortitione diuidere: *Terra latissima derelicta est, quæ necdum sorte diuisa est.* Diuidenda haud fallaci sorte terra restabat, nec enim Moyses omnes regiones subegit; imò quam Moyses diuisit, angustior; quæ modò adscripta tribubus, longissimè latior. Multa patrauit Moyses; sed multa sequenti Iosue reliquit patranda, multa sortibus diuidenda. Referre poterat Iosue nomine Cassiodorus, quæ 9. variar. 7. *Post parentum claras administrationes, benè conferuntur posteris eminentissima dignitates, dum nullius acquiescit ingenium iacere intra æstimationem suorum, quandoquidem honestus ambitus est, quod sequimur tempore, velle præconijs anteire. Additur etiam quod priscorum dogmatibus eruditi opinionis gratia delectantur augeri: nam quantò se vnusquisque melioribus cognoscit artibus studuisse, tantò ampliùs grandiora præsumit appetere.* Iosue Moysem temporibus est secutus; illum tamen honestè ambiuit factis superare, & præconiis anteire. Nullus Iosue superbo tumori adscripserit noua tentasse, & nouas regiones tribubus impertiuisse. O quantis Hebræorum populus careret diuitiis, si Iosue solùm quæ Magister acquisiuit, accuratè seruasset, nec ad acquirenda noua regna animum applicuisset! Magna gessit Moyses; non tamen exhausit facinora, Iosue secutus addidisse valuit magnalia.

Senec. *Antiquis assentiendum est, sed vlteriùs etiam conandum.*

Tertull.

Cassiodor. *Natura aut vincitur, aut melioratur industriâ.*

Cassiod. *Honestus ambitus est, quos sequeris tuo ante ire ambisse præconio.*

Thaboris vertice Christus Dominus fulgurans spectaculum edidit; clarissimi radij è vultu promicabant, qui solarem lucem vincerent: Apostoli in spes suas oculos auidissimos expandebant, summáque visionis voluptate detinebantur allecti; sed meliùs dixerim, capti: Moyses ille sacræ legis scriptor, omnigenáque sapientia adornatus collateralis fulgebat; Elias ex aduerso latere assistens luce fulgidissimus emicabat: tunc è nube sonorus intonuit accentus, qui Christum Dominum vti magistrum imperat auscultandum: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite.* Nouus designatur magister, & in Moysis quidem præsentia: & cur non audient Moysem antiquitate nobilem, sapientia illustrem, & scriptis sanè percelebrem? Cur relinquent Eliam viuum legis zelum, & religionis asylum? Docebitne Iesus Moysi contraria, aut Eliæ aduersa? Minimè quidem; sed quæ illi obscuris docuerunt ænigmatibus plena, iam hîc vera interpretatione clarissima: dicet quæ dixerunt; sed nouo stylo, sed addet quæ nec Moyses nec Elias longissimis illis æuis perceperant. Hic audiendus est, qui totum Solis iubar continet vultu, & cornutam Moysis faciem longissimo luminis superabat Excessu. Emicuit ille montis vertice corusco cornigeræ veluti lunæ splendore rutilans: Christus monte non varium lunæ splendorem; sed viuidiorem solis refert vultibus claritatem: fors existimarit quis Moysis lucem nullatenus à sequentibus superandam; ast Iesus clarioribus adò splendoribus euicit, vt suo lumine tumularit: *Resplenduit facies eius sicut Sol*: vt noueris nullam adeò eximiam lucem in antiquioribus præcessisse, quæ Iesu auxilio nequeat à sequentibus adaugeri, nouóque iubare incrementari. Iesum iubentur audire discipuli: quia licèt eius doctrina ad speciem recentior, & antiquis prophetarum doctrinis clarior, & claritate nobilior. *Ipsum audite*, inquit Remig. apud D. Thomam: *ac si alijs verbis diceret: recedant vmbræ legales, & typi prophetarum, & solum coruscum lumen Euangelij sequamini.* Moysis doctrina claruit sanè nobilissima, vtpotè diuinitus inspirata; non tamen obstat, quin sit Iesu doctrina sequenda, & tota auiditate auscultanda. Nec contrarius Moysi Dominus, quia nouam excitauit scholam; sed quæ Moyses tradidit sub vmbra delitescẽtia mysteria, reddidit explicatione conspicua.

81.

Matth. 17. v. 6.

Remig.

spicua. Cælestis ergo magister sic antiquorum eruditionem secutus, vt & noua addiderit, & obscuriora explanarit.

82. Redeat iterum Moyses: comprehensa pastoritia virga elementis imperabat, mare diuisit, vtque puluerulentum iter fugientibus præberet vnda, marinos vortices in liquidos muros constipauerat virga: mira res! per profunda gurgitis nouas Israëlitæ adaperiunt vias humanis gressibus nunquam notas: *Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi,& vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisáque est aqua, & ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris.* Post longa tempora vnus è Iesv Societate, Petrus scilicet, vt celeriùs perueniret ad Christum, vitreos in muros vndas non suspendit; sed calcat: *Descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum.* Ecquis Petrum notarit audaciæ, quia aggreditur fluctus premere, non nudare? Solidam Moyses per profundiora vorticum ostenderat viam errore carentem;maris indagauerat abstrusiora,& retrò sæculis patefecit inuisa, & Petrus sic audet, vt sibi nouam aggrediatur facere viam? Moysis insistat vestigiis, & aquæ in se contra se obnixæ antiquis obdurescant miraculis: cedat vti olim populo fluctus, & profunda puluerulentus presserit gressus: iam enim trita, & vsu secura hæc via, at nouam tentare temeritati adscribendum, aut arrogantiæ damnandum. Petrus Iesu discipulus de gratiæ auxilio confidens, religioséque superbiens viam ingrediatur antiquis prorsus ignotam, & sæculis retrò inuisam: sciebat namque antiqua temporibus perfici, & penitiori studio limari. Moyses scriptor ille sacer viam suis fecit sanè mirandam, sanè profundissimã, quæque deprædicetur sæculis, dignam, ast Petrus nouam sibi, & peculiarem per marinos vortices sternere satagit viam, non in Moysis semitarum contemptum; sed in Euangelicæ gratiæ eloguium. Et cur socius Iesu eius fretus gratiâ maiora non tentet? Cur antiquis adhærebit otiosus, qui noua excogitare valet industrius? Moyses stupentibus vndis per maris profunda puluerulentus incessit; at Petrus marinos vortices sicco vestigio calcauit: mirandus sanè Moyses de itinere; sed non inferior Petrus de nouitate. Ad rem declamat ad illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, Bernardus: *Longè aliud est in luto aquarum multarum diuiso fundo maris iter capere terrena licitè possidendo, aliud ipsam quoque nouis gressibus vndam calcare omnia relinquendo; sed tempori gratiæ prærogatiua hæc debebatur, Petro nouum iter, & noui typus itineris seruabatur.* Plura, & sanè mira Moysi concessa; sed & Petro plura asseruata: nouum iter Christi adinuenit socius antiquitatis cultoribus ignoratum, & sæculis retrò inuisum: non docuit Moyses liquidas vndas calcasse, docuit per maris profunda portus soliditatem tenuisse; at Petrus vndas vitreos non obdurauit in muros; sed intrepidis fluctui soliditatem indidit gressibus. Nihil ergo præcessit antiquitus,quod in dies non possit industria perfici, & gratia fauente felicius, & compendiosius absolui.

Exod.14. v.21.

Matth.14. v.29.

Bernard.

83. Prodeant in lucem duo prophetarum apices, Elias, & discipulus in huius veritatis confirmationem: Elias mortuum Sareptanæ viduæ filium luci restituit, & mortem eiulare coëgit: Cainus primus vitæ hostis, ac mortis iuris assertor;Elias vitæ patronus, mortisque inimicus infelix qui humani sanguinis possessionem tradidit orco; felix qui resurrectionis symbolum ostendit mundo. Contra homines inuicta mors per Eliam vinci cœpit, ac linguæ propheticæ vim passa luxit: *Expandit se*, inquit textus, *& mensus est super puerum Tribus vicibus.* Elisæus mortuum etiam in corporis coloniam reduxit, & iura mortis infregit: non expansus; sed incuruus; non ter mensus, sed cadaueri bis aptatus: *Incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri.* Tostatus rogat cur discipulus non presserit magistri vestigia, cur illas dimensiones non secutus, cur corpori demortuo vitam dederit incuruatus: ille sanè suscitandi modus iam ipso effectu plausibilis, iam probatus: cur ergo nouam resurrectionis seriem introducat discipulus discrepans, si non magistro aduersarius? Respondet Abulensis quæst.55.secundum temporum successiones hoc in Ecclesia accidisse frequenter, iuniores scilicet antiquorum facta aut compendio breuiare, aut luculentiùs absoluere. Elisæus non discrepuit à magistri Spiritu; sed spiritum incrementauit magistri: non est contrariam secutus; sed breuiorem sibi parauit resurrectionis viam, & miraculorum formam: *Elisæus exauditus est bis orans: Elias autem non exauditus est nisi ter orando: ratio autem huius potest esse duplex: prima est, quia fortè Deus reputabat Elisæum maioris meriti, quàm Eliam, ideò citiùs exaudiebat eum: & hoc communiter apparet in viris sanctis secundum successionem sæculorum: quia semper viri sancti iunioris sæculi excellentiores erant in virtute, & maiores in operatione miraculorum.* Addit Tostatus aliam rationem: *Quia dato quòd Elias esset maioris meriti, quàm Elisæus; tamen Elisæus accepit spiritum duplicatum Eliæ: ideò oportebat quòd tam in cognitione rerum occultarum, quàm in operatione miraculorum in duplo se haberet excellentius Elisæus, quàm Elias.* Magnum Deus Eliæ est impertitus spiritum; non tamen omnipotentiæ vires exhausit; vnde Elisæo spiritum largitus est duplicatum: maiora opera fecit Elisæus ætate iunior: vt nosceremus nullum adeò elapsis temporibus præcessisse, qui sapientiæ totum fluuium exhauserit, aut omnes perfectionis metas attigerit.Possunt alij adspirante Numine, & miranda illa excedere, aut saltem modis nobilioribus superare.

3.Reg.17. v.21.

4.Reg.4. v.23.

Abulens.

Nonnulli verò adeò antiquitatibus sunt addicti, vt si quis vel ad vnguem discesserit, vel nouo illustratus lumine quid addiderit, veluti blasphemum damnent, & obscura nota sugillent. Desiderabat Moyses diuinam faciem intueri: *Ostende mihi faciem tuam.* Respondit Deus rem supra vires tentasse; conatum tamen non reprehendit: *Non videbit me homo, & viuet.* Posteà Isaias se Dominum oculis vidisse testatur: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum.* Quæ assertio sic Hebræorum animos exulcerauit, vt morte turpissima de medio sustulerint, & stridentis per medias costas serræ nisu bifidatum sciderint.Adest Hieronymus Damaso de verbis Isaiæ: *Aiunt Iudæi Isaiam à maioribus suis idcircò interemptum, quia cùm Moyses posteriora Dei viderit, hic Dominum Sabbaoth oculis carnalibus vidisse* 84.

Exod.33. v.13.

Isai.6.v.1.

Hieron.

se

se scribat super hoc Deo dicente: *Nemo faciem meam videbit, & viuet.* Isaias certissimæ veritatis præco, verùm quasi vaniloquus, & mendax durissimum tolerauit tormentum, quia clarius gloriæ se vidisse testatus est spectaculum. Blasphemus audiuit diuini Pneumatis organum: quia antiquorum est supergressus stylum, quasi omnipotentia illâ Moysis visione penitus fuerit exhausta: Prophetam vti nouatorem interimunt acerrimi antiquitatis defensores, & hostes equidem veritatis.

---

§. XX.

Ni solicita industriáque virtutis cultura desudet, immanis passionis fera interius semper desæuit.

85. Chrysol. *SI perfecta omnia* scribit Chrysolog. serm. 132. *si robusta, si nullius indiga gigneret, & proferret natura, profecto aboleretur pietas, ingenium deficeret, ars periret: aurum obscuraretur in terra, gemma occultaretur in lapide; vtráque tamen inuenit, purgat, distinguit, elimat opifex disciplina, & ars eadem vsque ad miraculu pretiosa speciem, gratiamque perducit.* Omnia industrio perficiuntur labore, omnia constant ingenio, & ad nitorem, gratiamque perueniunt studio: Homo recens natus latet in homine: est corpus; sed corporis opus est industriæ fouere membra: fasciis, ne mollitie defluant, constipantur vnitè, & vigent vnione tota. *Quod terra,* addit Chrysologus, *natura largo de fonte producit, aut asperatur sensibus, aut agrestis luxuria dominante syluescit, nisi illud ad cultum suum solers agricola reuocet industria.* Rudis auri massa in tenues nitet laminas artificiosè producta, & nobilitatem ingenij ostentat elaborata: Tolle artem, & cuncta cessabunt: vel cælum de omnipotentiæ fonte productum initio rude, & tristis abyssus, & imperata tellus, donec Creatoris Sapientia, & terram variis circumuestiuit floribus, & cælum luminosis illustrauit sideribus. Adest Tertullianus lib. de baptismo cap. 3. *Et tenebræ tota adhuc sine cultu syderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cælum rude.* Deus à primordio omnimodè perfectas voluit producere creaturas; voluit tamen dilucidè ostendere omnibus esse opus labore industrio, & studio solertissimo: ars nauigium dirigit, & contra ventorum adsultus armat, profundos maris metitur sinus, altúmque per pelagus, quasi per stratam certamque viam sine errore ducit in portus; verùm etsi ferè omnia arte, & labore expoliantur; præcipuè tamen interior humani cordis respublica: patientia emollitur dolor, constantia subiectatur fortuna, optimísque cogitationibus propulsatur intemperantia: quod si resolutis oscitetur curis industria, aut dormitarit solertia, horridis syluescit virgultis animus, & irrugit indomitus appetitus: necessum est pullulantes eradicare affectionum quotidie sentes, noxiæ cupiditatis stimulos, inuisa omnibus vanitatis gramina, præsumptionis venena, quò grata virtutum prata florescant, & perpetuo virore niteant. Terram promissionis ingrediuntur Hebræi; non tamen antiqui penitus expelluntur coloni: *Terra latissima derelicta est, quæ necdum sorte diuisa est.* Cur has regiones hostibus prorsùs liberas Israëlitæ non possederint habitandas, rogant interpretes: ferè omnes consentiunt in reddenda ratione, quam textus etiam dilucidè indicat, ne scilicet multiplicarentur bestiæ, in saltúmque syluesceret terra, si penitus habitantium inopia defecisset cultura: populus Hebræorum tunc numero exiguus, nec vastos adeò regionis tractus sufficiens excolere aut habitare: opus ergo fuit paulatim expellere gentes, ne culturæ inopia aut procrearentur tigres, aut multiplicarentur leones. Ita Caietanus: *Significatur quod multæ terræ supererant acquirendæ infra terminos terræ promissionis: dixerat enim Deus Mosi quod non simul expulsurus esset gentes omnes ex terra promissionis, ne terra maneret inculta, & multiplicarentur bestiæ: quia populus Israël non erat tam multiplicatus, vt sufficeret ad habitandum, & colendum vniuersam terram promissionis.* Populus numero angustus vastæ adeò telluris non sufficiebat culturæ, incultáque terra esset ferarum domicilium, & bestiarum seminarium: procreantur namque monstra, vbi solers desideratur industria. Ob id ergo Deus habitandum solum illis tellurem concessit, quò plus tueretur: de angustiorique dono augustius exercuerit beneficium, & vtilissimum nobis pullulauerit documentum, scilicet adeò opus esse solerti telluris cultura, vt si desideretur, immanis nascatur fera.

Sine industria opera ferè omnia syluescunt vitia

Caietan.

Aliquando de angustiori dono cumulatius, est beneficium.

Duas belluas flammanti rictu, toruissimo aspectu, totisque mortem spirantibus oculis, vnum, & alterum iustum reperies inuasisse. Ionas ille Propheta à ligneo nauigio in vitale nauigium transfertur: fera deuorat, quem homines deiecere. O quam in abiectum, & miserum armant monstra, quousque detriuerint ad profunda! Qui cœperat cadere, nullatenus valuit in media iactatione consistere; sed piscis visceribus sepelitur inclusus, & viua degit sepultura incarceratus: *Præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam, & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.* Ecce quam Ionas patiatur bestiam, quas angustias monstro veluti insertus, & concarnatus sustineat. Verte modò oculos ad Tobiam illum decorum iuuenem, quem immanis piscis aggreditur, & quem Angeli hortatu celebris coronat triumphus: *Ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum, quem expauescens Tobias clamauit voce magna dicens: Domine inuadit me.* Et cur Ionas piscem non exenteret, aut cur interaneis non inferatur Tobias? Cur cæti prophetam non reuereatur audacia, si huius piscis iuuenili manu deuicta? Veronensis Zeno reddit huius discriminis opportunam satis rationem, scilicet Ionam inerti otio, & damnabili ignauia iacuisse nauigio: *Stertebat*, inquit serm. de Iona, *in naui.* Tobias clamat, & orationis suffragio coronat iam gloria, cui truculentæ belluæ periculum minabatur sæuitia: Ionas deses in se feram armauit somno, qui orans redimitus fulgeret triumpho. O quàm honestos socios deligere vtile! ô quàm iustos comitari commodum! Tobias Angelo comitante vincit periculum: Ionas idololatris iunctus tulit naufragium: desæuit piscis in ignauum; discrimen iuuenem clarauit solicitum: feras non tulit, qui opem, sibi orationis asciuit; qui inerti sopore immersus,

86.

Ion. 2 v. 1.

Tob. 6. v. 2.

Zeno Ver.

immensus,& belluę sepulchro inclusus. Profectò vitiorum vndis immergimur, ferocientis brutalitatis rictu deglutimur, quia otio & ignauia resoluti, ab oratione vocamus. Quid horridus naturæ nostræ campus ferat, nisi liuoris sentes, nisi turpis malè olentes herbas luxuriæ? Repurgandus est,& labore assiduo excolendus, vt laude dignus virtutum pullulauerit fructus. Ieiunium libidinis feras arcet; alit lautior mensa, & splendidus cibus. Ionas ergo dormiens in mare labitur turbulentum: Tobias clamans vicit periculum. Opportunè Ostiensis Drogo de sacramento Domin. Passion. *Quam citò clauditur oculus, ne te videat, collabitur pes noster in hoc mare magnum, & spatiosum manibus, vbi sunt reptilia, quorum non est numerus, quæ somniorum suorum phantasiis intentam ludificant animam,& trahunt in cor maris.* Ionas in cor maris trahitur, dum inerti somno corripitur: Tobias ad se traxit piscem, dum orationis auxilio armatur.

Oratio triũphorum mater, somnus parens discriminis.

Drogo.

87. Daniel captiosis satraparum dolis delatus leonibus traditur deuorandus: mira res! inter leones degit securus, qui inter inuidos degebat periculosius: *Non nocuerunt mihi*, clamat. Propheta alius in leonem incidit, qui inter brachia elidit arctatum,& arctè necat constrictum. *Inuenit eum leo in via, & occidit.* Et cur propheta sanctus sæuos feræ patiatur adsultus, cum Daniel exacutos, rapacésque non tulerit vngues? Vterque sane propheta,& vterque iustus, vide tamen inter actiones discrimen: Daniel Dei sui supplex inuenitur,& leonibus orans traditur, Daniel colit ieiunium, & aridum leonibus obiecit stomachum; at propheta hic & itinere sedebat otiosus & mensa lautè epulatus: *Inuenit eum*, catholicus ille senex, *sedentem subtus therebinthum*: nec solum sedebat otiosus, sed ad ciuitatem rediit cibandus: *Comedit panem in domo eius, & bibit aquam.* Dum ergo tantisper abstinentiæ denudat arma, dum otium coluit, feram inuenit: Daniel quia Dei supplex, quia ieiuniorum cultor, sæuos ferarum rictus conclusit, & leoninos vngues frænauit. Adest Zeno ipse serm. de timore: *Iustitiam percolit, sine fine studet timere, ne quid præter Deum, quem diligit, timeat. Denique huius suffragio Daniel populus terribilem inermis draconem necat: leonibus obiectus in periculo prandet, qui solet extra periculum ieiunare.* Oratio sic excoluit animum, vt ferinos motus compesceret. Daniel cibo abstinens, offulamque obiiciens draconi enecat: leones non temet ieiunij ariditate obarmatus; ore sitienti clamans de periculo gloriosè triumphat: at propheta alius, dum tantisper deuiat, dum ieiunium incuriosus remittit, syluescit, & ex ignauiæ sylua atrox prodit leo, qui & absciderit vitam, & obscurauerit famam. O quàm nobis quotidie similia contingunt. Prandit propheta, vt viueret recreatus,& de ipso vitæ subsidio iacuit occisus. In Danielem insurgunt feræ, sed mens affabrè elaboratis precum munitur armis, & ieiuniorum loricatur scutis. Qui animæ campum industrio labore percoluit, feras triumphator abegit; qui indulget otio, qui lautiori cibatur prandio, iacuit detriumphatus periculo: dùm syluescit ignauia, truculenta exoritur fera, dum ieiunium colitur leonina rabies arcetur. Profectò ni filij Israël terram industriè percolerent, ferarum sibi siluas, saltusque crearent.

Dan.6.v.22.

3. Reg. 13. v.28.

Zeno Ver.

In periculo degit securus qui ritè ante discrimen armatur.

Draco ille antiquus Euam adoritur, fallaciis delusam confusione induit,& gratiæ ornamentis nudam opprobriis irridentium exposuit: *Cum cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus.* Quam turbatus erat oculus, qui defluentium foliorum non modico labore sibi intertexebat ornatum! feram inuenit paradiso, qui innoxio frui poterat gaudio: hic ipse serpens fœminam Apocalypsis 12. stellis redimitam aggreditur; infortunatiori tamen conatu: proiectus namque per terram cæruleas, fœdásque compellitur trahere spiras,& ima pectore probrose didicit verrere, qui cælo noluit micare: instat, ore flumen, quo mulierem trahat, eiaculatur; illa verò pernices aquilæ mutuata pennas serpentinos eludit adsultus,& dolosos triumphat conatus: *Datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum locum.* Et cur serpens qui paradiso infelici lauro redimitus, deserto à muliere lugeat subactus? Profectò desertorum inuia ferarum sunt habitacula, ibi tutius degit sæuitia, & commodiùs insidiatur homini truculentia, & in bestiarum regione mulier à feris non læditur, cum Eua paradiso dolosis lenociniis fallatur? Eadem muliebris conditionis fragilitas, veternosi eadem versutia serpentis, desertorum stadium aptius, non adeò serpenti paradisi opportunum; & tamen paradiso insultat victor, deserto eiulat detriumphatus. Ecqua huius causa? Perpende quæso dissimile fœminarum studium: quæ Sole amicitur, clamat,& alis in modum crucis extentis volat; Eua vagatur otiosa,& quæ extra paradisum, prospectat, incauta. Dum ergo animi virtutisque culturam remittit, serpentinum sibi venenum alit, quæ verò terrena despiciens, quæ vltra conspectum sacra ambitione perquirit,& orationis clamoribus velati armatorum constipatur agminibus, serpentinas frustratur astutias, & sæculis æternat victorias: de Euæ otio prodiit vanitatis serpens, de ignauia fera sæuissima præsumptionis, quæ virtutis dilaceraret studium, & deterreret propositum: *Mulier corpore, & oculis vaga*, scribit Rupertus lib.3. in Genes. cap.2. *dum incontinenter deambulat fortè prospectans qualis extra paradisum haberetur mundus, & serpens vtpotè astutus dulcedini terræ propius, vel ambitiosus innititur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta, vnde tentaret.* Serpentis deuiat astus doloribus diuexata, cessit voluptatibus circumfusa: incuria Euæ serpentinum pectore fouit venenum, & ignauiæ pœnam è paradiso tulit exilium: orationis clamor volatus studium, habitus crucis solares inseruit animo radios. *Mulier* inquit, *amicta Sole*; at Eua præceptorum incuria, segni otio, curiosa ignauia, nociua garrulitate serpentem animo virulentissimum fouit, qui splendidas innocentiæ vestes dilacerauit, & veneno vires corrupit.

88.

Gen.3.v.7.

Apocal.12. v.14.

Dolor virtutu patronus, voluptas criminu auxiliaris.

Rupertus.

§. XXI.

Omnibus semper angusta, quia plures habent appetitores, & ambitores humana.

Temporalia bona fluida & euanida, ad hoc solùm opportuna, vt generosè calcata despicienti attulerint gloriam,& æternauerint famam. 89.

mam. Vnum bonum scias, quod honestum est: qui virtutem sitienter ambiuit, est hoc vno titulo fortunatus: quot quis euanida bona studiosius anhelat, tot in se fortunæ, vt aiunt, addiderit manus: alium videas amissis liberis valdè anxium, ægris alium nimis solicitum: videbis alium alienæ vxoris amore cruciatum, alium honoris ac dignitatis ambitione distortum. Res quæuis humana plures appetitores ac riuales habet: opus est possidenti, vt in regione hostili versantibus huc illúcque aspicere, ceruicémque vel ad inanem strepitum circumagere: palpitantibus præcordiis viuitur, dum falsæ sitis ardor anhelas immensum, & ambitorum turba reddidit angustissimum. Quam benè Seneca epist. 75. *Hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cætum honores, diuitias, gratiam excutere, quorum alia inter diripentium manus scissa sunt, alia infida societate diuisa, alia magno detrimento eorum, in quos deuenerant, prensa: ex quibus quædam aliud agentibus inciderunt; quædam quia nimis captabantur, amissa, & dum auidè rapiuntur, expulsa fiunt.* O nimis verum! ludos facit fortuna, dum ludicris & euanidis allectos fefellit: mittit munuscula, & dum aëre volitant, innumeræ, auidissimæque quid prendere gestiunt manus: exigua pars huic obuenit, quia frustum decerpsit alius: Audi Stoicum: *Nulli vero etiam cui rapina feliciter cessit, gaudium rapti durauit in posterum: itaque prudentissimus quisque cùm primum induci videt munuscula, è theatro fugit, & scit magno parua constare: circa præmium rixa est: idem in his euenit, quæ fortuna desuper iactat; æstuamus miseri, distringimur, multas habere cupimus manus, modo in illam respicimus, nimis tardè nobis moti videntur, quæ cupiditates nostras irritant, ad paucos peruentura, expectata omnibus* Reculæ humanæ exiguæ; sed licet exiguæ suo titulo, insanientium minores sunt desiderio: tot appetitores concurrunt, vt nec modicum quid obuenire cuilibet valeat. Deus Iosue terram satis latam promittit: *Terra latissima derelicta est, quæ necdum sorte diuisa est.* Terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philisthiim diuiditur, Gazæos, & Azotios, Ascalonitas, Gethæos, & Accaronitas. Verba sanè sibi contrariari videntur: nam si latissima terra, cur possessores non Reges, sed reguli nuncupantur: *In quinque, ait, regulos diuiditur.* Reguli nomen ditionem indicat satis angustam: reges quidem essent, si ditionem haberent amplam; ergo quæ derelicta est terra, non latissima; sed exigua. O bonam nobis eruditionem! Terra suis dimensionibus satis lata; sed ambitoribus tot angusta: dum plures possidere moliuntur sibi aduersantur, & dum cupiditati refragatur cupiditas, minor cuilibet contingit hæreditas. In latissima terra non reges, sed reguli dominantur, quia quantumuis in se prolata, tot ambitoribus est angusta. Audi Abulens. quæst. 4. *Dicitur diuidi in quinque regulos, quia à quinque ciuitatibus terra illius principalibus denominantur quinque reges: & quia isti parui sunt, cum sit angusta, vocantur reguli.* Si vnus ciuitatibus omnibus imperaret, rex & quidem potentissimus esset; verùm dum in plures tellus partes diuisa, & cuiusuis dignitas est breuitas.

Senec. Multa in detrimentum possessoris ambita.

Multa dum auidius prensa, & certius exclusa.

Magno parua constant.

Abulens.

90. Iram fratris fugiens Iacob peditem se commisit itineri, cùmque iam orientalis terræ terminos attigisset, puteum vidit ingenti lapide occlusum, pluresque greges circa puteum adhuc candente Sole cubantes, vtque erat rationis semper patronus, & honestatis amicus, pastores ad speciem ignauè otiantes obiurgat: *Adhuc multum diei superest, nec est tempus, vt reducantur ad caulas greges: date antè potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite.* O quàm errat qui de alienis gestis specie tenus inspectis tulit iudicium! prudens non adeò suo fidit dictamini, vt plures in contrarium euntes arguerit: facilius namque est singularem, quantumuis prudentem errare, quam plures ratione destitui: pastores ergo satis modestè otij causam arguenti reddunt, & quam Iacob notam illis impresserat, ab se pacatissimè abiiciunt: *Non possumus, donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges.* Interpretes rogant cur pastoribus adaquare greges, nisi conuenientibus omnibus non licuerit? Varias varij tradunt causas: placet Abulensis ad hunc locum: *Os eius grandi lapide claudebatur, ne quilibet pastor veniens singulariter, quandocumque veniret, adaquaret pecora sua: est enim pretiosa aqua in terra illa propter raritatem in locis pascuorum. Ille mos introductus fuerat propter paucitatem aquæ, ne frustra consumeretur.* Aquæ penuria, & ambientium copia magnum omnibus obstaculum apposuerat: sudabat quisque in prægraui amouendo saxo, quia plures alij aquæ etiam tenebantur desiderio: opus non esset accuratè adeò obserare puteum, ni vrgeret aquæ plurimos votum; quisque verò alienis gregibus potum, & tardabat, & minuebat, erátque maior aquarum inopia, quia sitientium erat pecorum abundantia. Nec aqua vti liberè cuique fas; sed ad mẽsuram quodammodo tribuebatur, ne citiùs cõsumeretur. O humanos puteos, quos Libani impetus non ditauit, ex vobis ipsis exiguos, & plus de ambientium copia angustatos!

Gen. 29. v. 7.

Abulens.

Modò subit mentem elogium illud silicis fustè percussæ largissimas in vndas liquatæ: *Egressæ sunt*, inquit, *aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta.* Profectò non exaggeratius miraculi videtur encomium eos è saxo latices emanasse, qui populi sitim placarint, & viscerum ardorem restrinxerint. Quæ largitas, vbi nulla legitur redundantia; sed repulsa tantùm dicitur indigentia? *Egressæ sunt*, inquit, *aquæ largissimæ, ità vt populus biberet, & iumenta.* Ipso effectu largissimæ comprobantur; quandoquidem tot hominum millia vndis satiata, & gelido liquore repleta: ingens fuit miraculum tot hominibus liberiorem præberi potum nullâ mensurâ circumscriptum, nulla circumscriptione taxatum: & quidem, ni miraculum intercederet, ad tot hominum sedandam sitim, nullatenus aquarum copia sufficeret. O quàm daretur aqua in mensura, ô quàm summis labris delibata desiret! omnibus esset angusta, quia à pluribus ardenter desiderata. Explicuit mysterium Paulus: *Bibebant, inquit, de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus.* Si aqua temporalis esset, non solum non suffecisset ad potum; sed fortassis nedum ad haustum: sitim non extinxisset; sed inflammasset: *Aperi eis*, deprecabatur Moyses Dominum, *thesaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt satiati cesset murmuratio eorum.* Ecce thesaurum omnipotentiæ, fontem scilicet aquæ viuæ, qua tot satiarentur sitientes: nam de

91. Numer. 20. v. 11.

1. Cor. 10. v. 4.

de terrestri aqua nulla sufficeret abundantia; sed
Hugo. cunctis esset inopia: *Thesaurum tuum fontem aquæ viuæ*, exponit Hugo, *id est, secretum fontem, qui nondum apparuit.* Inuisum sæculis retrò fontem Moyses expetiuit: quia fontes alios, quantumuis copiosis vndis prædiuites, tot sitientibus satis non esse cognouit.

92. Habitabant simul Abrahamus, & Lotus; sed diuidi sunt compulsi, quia frequenter pastores
Gen. 13. v. 6. rixati: *Nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul: erat quippè substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter; vnde, & facta est rixa inter pastores gregum Abraham, & Lot: eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa.* Plures adeò pecudes pastui inhiabant, vt regio redderetur angusta, & frequentior turbaret animos rixa: ex se tellus lata; sed ingens pecudum copia: grex quiuis alteri herbam præripere vigilabat, & dum eadem omnes vrgebat cura, nullum, quantumuis læta, & pinguia sustentare quiuerant pascua. Ad hæc Chananæus, & Pharizæus non modicam sibi telluris partem vendicabant; in angustiasque cæteros redigebant: cùm tellurem illam possidere ambiebant, vt cuique fuerit angusta, &
Lip. post an. cunctis vnde rixa. Adest Lippom. *Et poterat quidem sufficere terra vtrisque, nisi etiam alij populi eandem occupassent: ex quibus hic Pharizæi nominantur, prius non cum reliquis populis enumerati, vt de nouo in eandem terram forte irrupisse videri possent.* Alter erat alteri impedimentum; & de impedimento oriebatur iurgium. Tellus multorum desideria vocabat, & pacem omnibus adimebat: Chananæus armis inuadit; Pharezæus inuolat, Loti greges grauant, Abrahami pecudes occupant: tot modicam experiuntur tellurem, vt satisfuerit cunctorum iurgio; sed minime desiderio. Nec solùm videbis hæc ab hominibus geri circa alicuius momenti lucra; sed etiam circa exigui pretij negotia.

93. Christum Dominum ligno truculenta affixit inuidia: remanserant vestes de sacro corporis contactu pretiosæ; sed materia minime splendidæ. Quid tunc? Milites plures discupiunt, & sibi vel frustulum vendicare contendunt: sors exiguam cuique partem assignat, non qua possit ornari; imò nec decenter tegi: *Milites ergo*
Ioan. 19. v. 23. *cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem.* Vestis cùique minimè lauta; imò paupercula, quæ vel vni non sufficeret, quatuor diuiditur; dumque plurimi exambiunt, nullus tulit vestem, quia quisque partem. Si vnus tantum ambiret, haberet profectò licet breue tegumentum; at dum contendunt plures, opus est diuidi in frusta, aut frustrari plurima desideria: tot habent appetitores humana, tot inflammant terrenorum desideria, vt nulli suppetierit abundantia: *Manifesta*
Toletus. *hæc fit auaritia militum*, inquit Cardinalis Toletus, *qui vestes Christi non pretiosas sibi diuiserunt: erant autem quatuor milites.* Multiplex militum numerus in exiguas partes scindit ornatum, & quo sciffus, vestire honestè poterat nullum.

* *

---

§. XXII.

Sic alijs largienda sunt beneficia, vt tibi non extiterint detrimenta.

VT prudentiæ, pietatisque elogium est, non dare nocitura impetrantibus, pensa- 94.
réque potius vtilitatem effectus, quàm insaniam appetitus: sæpè enim indigna concupiscimus, & pestifera ardenter amamus, nec dispicere quàm perniciosa sint licet, quia iudicium interpellat affectus; sic etiam æquitatis est non largiri danti indecora, aut quæ in beneficij caput famæue redire potuerint notam: non dabo furenti gladium; quia, & nocere illi indecorum, & instrumenta præbenti indignum. Non dabo amico pecuniam, quam scio statim meretricibus numerandum; in partem namque sceleris veniret donum; si donum dici potest, quod est flagitium. Itaque conferenda sunt beneficia; sed æquitatis trutina sic pensanda, vt danti honesta, & accipienti sint profutura. Cùm discrimen nullum est inter amicorum munera, & hostium vota, nullatenus esse poterunt largitori gloriæ materia. Præbebo naufrago manum, vt è fluctibus eripiam; curabo tamen ne ab ipso trahar. Stultum est tulisse naufragium, vt auertas ab alio periculum: non solùm adornat beneficium vultus hilaritas, animi promptitudo, digna dante, & accipiente materia; sed etiam euentus, si facilè dispici, prouiderique potuit. Aptè Seneca lib. 2. de benef. cap. 15. Senec. *ita egenti dandum, vt largitor non egeat.*
Nunquam in turpitudinem nostram reditura tribuamus; cùm summa amicitia sit amicum sibi aquare, vtrique simul consulendum est: dabo egenti; sed vt ipse non egeam: succurram perituro; sed vt ipse non peream. Benè quidem, nam aliter non esset beneficentia; sed stultitia. Ob id forte figurate sigillauit textus Nilum Ægypti fluuium decantatissimum sub a spatiatur per arua; cùmque ibi non modicis stagnauerit temporis interuallis, in alueum suum iterum contrahitur; sed vndis sordescentibus turbidus itaque aquis fœcundat terras, & terræ sordibus commaculat vndas: largitur beneficium; sed quod sibi attulit detrimentum: *Terra latissima derelicta est*, inquit textus, *quæ necdum sorte diuisa est; omnis videlicet Galilea, Philisthijm, & vniuersa Gessuri a fluuio turbido, qui irrigat Ægyptum.* Ecce Nilus turbidus de impertita aruis fœcunditate sordescit, vtque campi aureis coronentur spicis, crystallinæ fœdis vndæ nigrescunt maculis. Adest Tostatus quæst. 4. *Ni-* Tostat.
lus ex multitudine aquarum est turbidus; vel magis ex augmento, & diminutione eius: cùm autem increuerit, implet terram, & totum alueum puluere, & luto commaculat. Ecce beneficium terris proficuum; sed largitori indecorum: Nilus inter aluei limites nitet conspicuus; sed de agrorum irrigatione obscuratur sordidus: terris fructuum impertitus est copiam, & sibi acquisiuit nigredinis maculam.

Hebræi desertorum inuijs degentes, siti adu- 95.
rebantur, intimo æstuabant ardore præcordia, nec erat humor, qui vel summa delibatus placaret labra: Moysi iubet Deus aquam è silice elicere comitate, ille plus plagis fidens, quàm verbis lapidem repetito ictu percussit, qui gelidas

Numer.20. v.11. das liquatus in vndas sitienti populo abundantissime poculum ministrauit: *Egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta.* Sitientes frigidis laticibus recreati; verùm Moyses, & Aaron promissionis terram ingredi de offensa percussionis prohibiti: *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* O noxiam benefaciendi politiam! aliis largitus est vitæ refrigerium; sed sibi acciuit mortis periculum: ipse Moyses, & Aaron extitere vndarum pretium; & soluerunt capite, quòd adusta cæteri non laborauerint siti: *Cum furore increduli, & turbidi,* inquit Rupertus lib.2. in Numer. cap.7. *percusserunt petram iustitia. Bis percusserunt, duobus enim lignis vnius crucis Christum crucifixerunt, linguis suis, & manibus gentilium. Hoc ictu egressæ sunt aquæ largissimæ.* Aquas Moyses, & Aaron sitientibus administrant, largissima populis dilargiti beneficia; sed incurrunt sibi maxima detrimenta; & cùm summa amicitia sit sibi alterum adæquare, alienam propriæ vtilitati præferunt, & noxia liberalitate desipiunt. Benefaciendum est aliis; sed curandum, ne quæ aliis commoda, magna tibi extiterint damna.

Rupert.

96. Pulchrum sanè virga illa Dei liberalitatis exemplum: populus tyrannide exigebatur euolui: nequissimus Pharao improbissimis artibus decreuerat obluctari: tradebat fluctibus interimendos, & nolebat Domino reddidisse captiuos. O peruersum malignitatis ingenium! nec aliis sciuit, nec sibi cupit; verùm cum pertinacia facili remedio euelli non sustineret, deuentum est ad prodigia: baculus in terram proiectus serpentis assumit in Ægypto faciem, vt homines antiquæ donauerit libertati; si dæmon in paradiso serpentis induit habitum, vt liberos traderet seruituti: Pharao, quia depræliari nequiuit rationibus, aggressus est eludere incantamentis: veneficos vocat, & contra singularem veritatem multiformia armantur mendacia: de more erat figmenta palatio viuere, fraudesque valere; veritas tamen imposturam coarguit, discerptosque dracones subegit. O prodigium retrò sanè inuisum, veritatem curiâ deuicisse, & artes tot nequissimas detriumphasse! *Deuorauit*, inquit, *virga Aaron virgas eorum.* Diuus Augustinus, vt erat profundo ingenio, notauit vocem ab actione discordare: draco namque deuorare potuit, non virga: cur ergo virga deuorasse refertur, ac dracones dilacerasse deprædicatur: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* O pulchram nobis eruditionem! Virgæ rectitudinem non amisit, licèt tortuosi speciem colubri exiguo tempore induerit: deuorauit coluber, vt miseros libertati assereret; mansit tamen virga, ne de rectitudine quid amitteret: nil perdidit aliis benefaciens, & benefaciendi modum præscribens: *Draco itaque potuit virgas absorbere, non virga*, inquit Augustinus in quæstionibus super Exod. quæst.21. *sed eo nomine appellata res, vnde versa est, quia in id etiam versa est: ideo hoc vocari debebat, quod principaliter erat.* Draconis faciem ad tempus est mutuata; salua tamen rectitudine: nec enim Dei virga honori proprio noceret, vt aliorum calamitatibus subueniret. Consonat Philo lib.1. de vita Mosis: *Arrecta ceruice immani hiatu, non aliter quàm obiectos pisces circumquaque petitos absorbuit, atque ita deglutitis in pristinam virga naturam redij...* genij miseris condolere argumentum, & ... genuitatis nobilissimæ vinculis liberare deprehensos elogium; esset tamen virgæ indecorum rectitudinis obscurasse gloriam, & colubri ebibisse malitiam. Quid ergo? Sic virga faciem assumit serpentis, vt triumpharet inimicum; sic mansit virga, vt conseruaret decorem: esset enim Dei virga indignum serpentinis se maculis defœdare, dum fumum ab aliis niteretur abstergere. Docuit benefaciendi formam: est enim crudelis sibi misericordia, quæ vt aliena redemerit damna, magna sibi procuderit detrimenta.

Exod.7. v.12.

Augustin.

Nomina non de ascititijs, sed de suis innatis sumuntur.

Philo.

Prudentes imprudentésque virgines idem habitabant hospitium, & efformabant collegium: mira res! prudentum numerus imprudentium numero non inferior: stultæ namque velut gramina iniussa virescunt; prudentes lentius industria, studióque elaborantur: somno indulsit fatuitas ambitiosissima famæ, sibi inimicè opposita concordare anhelat, honorari scilicet lucis gloriâ, & somni resolui ignauia: *Acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum.* Aduentante sponso validus clamor imparatas turbat, prouidentes lætificat: cúmque fatuæ adeò angusto temporis articulo nec somnum possent producere, nec quirent lucernæ pabulo deficiente fulgere, anxiis votis sodales rogant: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur,* at prudentes: *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis,* respondent: *ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Non negant oleum de crudelitatis sæuitia; sed de prudentiæ cautela: fors si partirentur pabula, opportuno tempore omnium sitibunda extingueretur lucerna: prudenter ergo abstinuerunt beneficiis, ne eisdem affligerentur incommodis: esset enim maxima imprudentia, ne aliæ tenebris deturparentur, æqualibus noctis horroribus deturpati, & obscuritatibus sepeliri. Vbi proprium potuit timeri detrimentum, prudentia renuit elargiri beneficium. Aptè Hieronymus apud D.Thomam: *Non hoc virgines prudentes de auaritia, sed de timore respondent.* Benè timent, ne dum aliis consulunt, sibi deficiant: est namque stultus, qui sibi nocet, vt prosit aliis; & prudens qui sic beneficus, vt absque propriis detrimentis, aliorum studeat commodis. 97.

Matth.25. v.9.

Hieron.

Christum Dominum morborum depulsorem, benignitatis fontem, cælestis doctrinæ thesaurum populi vsque ad desertorum intima sequebantur: ibi cibaris cælesti doctrina eduliorum terrestrium auolarat memoria: sic animi ciborum dulcedine suspendebantur allecti, vt necessitatum corporis penè omnes non recordarentur obliti; verùm prouidentissimus Dominus doctrina cælesti pauit, & pabulum terrestre prouidit. Panes accepit quinque, & subleuatis in cælum oculis omnibus largissimè est impertitus: *Accepit Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Rogant Patres cur omniũ Dominus oculos ad cælum veluti emendicato auxilio sustulerit, & gratias egerit: qui panes facit de spicis erumpere, quid mirum si de panibus fecerit procreari? Ergo si à se recipit, gratias non agat; & qui diuinitatis ornatur omnipotentia, misericordia non deuenustetur precariâ. Profectò Christus à se fecit; alienum non mutuatur auxilium; voluit tamen benefaciendi 98.

Ioan.6. v.11.

benefaciendi nobis præbere exemplum: ni oculos leuasset in cælum, Iudæus, qui criminationis semper est amans, quòd Patri se æqualem faceret, diuinitatisque omnipotentiam sibi arrogaret, criminaretur, vergeretque in datoris iniuriam panum miraculosam præbuisse copiam. Ergo ea se prudentia gessit, vt amplum largiretur beneficium, & captiosum fugeret detrimentum. Adest Basilius Seleucensis orat. 25. *Dominus accipiens panes, aspiciens in cælum benedixit: nunquid velut indigens abundantiam postulat? nunquid oculorum elatione de cælo accersit auxilium? nunquid aliunde mutuatur beneficentiæ potestatem? Non equidem; sed Iudæorum calumniam opprimere occupat: semper enim Iudæus amans est criminationis; & ex quibus fructum capit, querelas capiat.* O egregie! & sibi, & illis consuluit; de oculorum eleuatione inimicorum arcet calumnias, de manuum prodigio indigentium leuat miserias. Addit Basilius: *Ne ex miraculi magnitudine calumniandi caperent occasionem, quod se per ambitionem Patre superiorem ostenderet, nunc quod Patri parem se faceret, iuetam [illegible] calumniam excogitarent, Iudæorum loquacitati eripiens accusationem sublatis in cælum oculis Patri hoc præclarè factum acceptum refert.* Dum agit gratias, imminentia propulsauit pericula; dum panes multiplicat, famescentium auertit tormenta, ne proprium verteretur in probrum, quod erat alienæ necessitatis remedium. O quot beneficentia abutantur! O quot in caput suum, aut in [illegible] liberalitate obstinantur! Ille improbum consilium præbet; ille ferro præacuit gladium: ille amico deliciis [illegible] opportunitatem accersit: dum excubias vigilanter excubant. Omnia ista indignè beneficia [illegible] mutantur, & ad [illegible] [illegible]. Ergo Nilus inde liberalis vndas suas limo commaculat, dum latices arua mandat: *A fluuio turbido* &c.

§. XXIII.

Iustis esse solet felicitatis exordium, quod ob virtutem vitæ famæve sustinuere periculum.

99. Virtutibus inseruire non semel est calamitates accersere: vt enim Deus magnos viros collucta̅tes cu̅ aliqua calamitate gaudet respicere, ita nititur aduersarius calamitatibus diuexatos ab æquitatis itineribus deuiare. Deus ad labores allicit præmio, dæmon auertere conatur [illegible], verum quidquid bonis viris aduersi euenerit, habet incommoditatis speciem; tamen [illegible] felicitatis. Quàm bene Seneca lib. de prouidentia: *Persuadeo tibi, ne vnquam boni viri in [illegible] potest enim miser dici, non potest esse. D[illegible] omnium ex omnibus, quæ proposui, videtur, pro [illegible] esse, quibus eueniunt ista, quæ horrendus, [illegible].* Dum in exilium mitti, ad egestatem deduci, charos amittere, dilectissimamque sponsam efferri; verùm per ista incommoda perueniunt iusti ad augmenta. Æger non semel manus medici recusat, ad vocis sonum pallescit, ad visum horret; verùm illa ipsa, quæ flebili expauet voce tormenta, esse solent salutis principia. Opportunè Tertullian. aduers. Gnostic. cap. 5. *Horrorem operis fructus excusat: vlulans de eque ille & gemens, & mugiens inter manus medici, postmodum easdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & sæuas iam negabit: & si martyria desæuiunt; sed in salutem licebit & Deo in vitâ æternam [illegible], & gladios, & acerba quæque curare.* Felices appellat vulgus, quibus parata voluptatum materia, & auri ingentissima copia; & quidem quæ laudantur, & anxiis votis appetuntur, contra eos esse non semel, quibus acciderunt, crede: nam voluptatum lenocinia, etsi blandè occidunt, & per deliciarum blanditias fallunt. Conducibilius est ferro, & igne curari, fame, sitique in vitam æternam aduri, quam cruditatibus distorqueri, deliciisque suffocari. Dices virtutem futuro prodesse sæculo; at vitiorum delicias præsenti tempore prolectare: egregie falleris; vtque te discusso errore ad virtutem traham, hoc paragrapho ostendere nitar, non æternæ solum, sed & temporalis esse felicitatis primordia ipsa, quæ disciplinæ amatores, diuexarere tormenta; eisque inhumana tormenta, quæ voluptuosis, luxuriosisque habentur falsissimè gaudia. Possessionis Hebræorum terminus fluuius turbidus, qui irrigat Ægyptum, describitur: *A fluuio*, inquit, *turbido, qui irrigat Ægyptum, vsque ad terminos Accaron contra Aquilonem*. Fluuium hunc Nilum esse est interpretum frequentior opinio. Ita Abulensis quæst. 4. *Quidam dicunt esse Nilum, qui est excellentior fluuius Ægypti.* Et cur fluuius Hebræorum regni exordium? An quia fluida, quia prælabentia sunt humanarum felicitatum cæmenta? Benè; sed altiora scrutemur: Pharao ille nequam, fera in homine, naturæ venenum, recens natos tradebat fluctibus, vt negarent oculis, dum sepelirent naufragiis: nec reliquiarum parentibus permittebat solatia, quò acrior debacchare tur sæuitia: *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite.* En aquæ, quæ felicitatem Hebræorum absorbere videbantur, felicitati iam seruiunt, & inde Hebræorum incipit exurgere Principatus, vbi armabatur in illorum fortunam fluctus. Adest Basilius Seleucensis orat. 9. *Partura damnabantur, & partus explorabantur: naturæ quoque libertas expoliabatur: fluuius partuum insidias excipiebat, & matris aluo fluminis alueus succedebat.* Vides Ægyptum fluuium crudelitatis artificem, doloris officinam: vide etiam felicitatis materiam: *A fluuio turbido.* Nilum Hebræi regni miserum iudicares excidium, & stabile describitur fundamentum, Vt noueris vel in hoc sæculo agere sæpe sæpius iustorum causam, quæ tumulare videbantur fortunam.

100. Aman superbissimus ille hostis Iudæorum, vt quam sibi iniuriam putabat illatam, acerrimè vindicaret, omnem Ismaëlitarum gentem aggreditur funditus euertere, & terræ pulueri coæquare. Mardochæus quia Numini debitum tumori, ambitionique non præstabat honorem, parum abfuit, quin infami supplicio occumberet, & patibulo ignominioso penderet. *Iussit excelsam parari crucem*; verum cùm Amanus consilium ageret de supplicio, rex insomnis consilium agitabat de præmio: nam cùm è libris relatum esset eximium Mardochæi obsequium (propulsauerat namque à Regio capite seruiles insidias) ipsum Aman consuluit personam celans, de præmio: ille vt erat ambitiosissimus,

Basil. Seleuc.

Senec.
In [illegible] miser potest dici, non potest esse.

Tertull.

Horrorem operis fructus excusat.

Abul.

Exod. 1. v. 22.

Basil. Seleuc.

Esther. 5. v. 14.

& superbus, sibi disponi cogitauit honorem, & Regis animum ad maximam honoris incitare pompam studuit. Itaque regis amicum regio censuit diademate redimendum, purpura ornandum, equóque regio vehendum, ad maiestatísque incrementum à pedite tyrannorum primo equum manu ducendum, & honore tanto dignum equi sessorem deprædicandum. Placuit sententia Regi, & eo honore, quem ambitiosè sibi anhelarat, superbus, potitus est iustus. Ipse Amanus, quam pro se cogitarat sententiam vanus, contra se protulit insciens, & quæ iniustè sibi decreuerat, alteri iustissimè ministrauit.

Esther 6. v.11. *Tulit itaque Aman stolam, & equum, indutúmque Mardochæum in platea ciuitatis, & impositum equo præcedebat, atque clamabat.* Ecce Amanus Mardochæi honoris exordium, cùm esset & famæ & vitæ periculum: vnicus Amanus captiosas in Mardochæum moliebatur insidias, & dum molitur insidias, dignas virtute amplificat glorias: ipse fuit honoris exordium, qui honoris videbatur naufragium: vt nouerint iusti, quæ ob virtutem si beunt pericula, ad honoris, vitæque transferenda diuinitus incrementa. Adest glossa:

Glossa. *Aman specialis hostis populi Dei, licèt etiam inuitus prebet obsequium.* Ab illo Mardochæi honor cœpit augeri, à quo mendaciorum tenebris, malevolentiæque noctibus inceperat obscurari: & inter tyrannos obtinuisse Principatum, quod censebatur fortunatissimum, Amano cessit in probrum.

101. Sæua illa inuidentiæ tempestas, ferina truculentiæ rabies adhuc cruce dilaniato inuidebat, nec cruore tanto potuit sopiri: sed post luctuosam stragem pertenerunt ardere: sepulchro tradunt lacerum corpus, & funestum lapidem admouent memoriæ exilium, & æternum suo videri famæ silentium. Intrauit Dominus sepulchrum, vt resurrectionis augeret elogium, vt pœna redundaret ad gloriam, & feralitas commendaret omnipotentiam. Lapis ipse factus est resurrectionis hîc quodammodò fundamentum, qui gloria minabatur excidium:

Matt.28.v.2. *Angelus Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.* Quid necesse est insideat Angelus lapidi, cui nec inest lassitudo, nec premere potest ignauia, nec quietis recreat vsura? Profectò reuoluit lapidem, vt videat iam vitæ titulum, qui vitæ testabatur occasum, vt ipsi resurrectionis gloriæ aduolutum deseruiat quodammodò fundamentum, qui famæ, honorisque præmuniebat sepulchrum. Adest Chrysologus

Chrysol. serm.75. *Reuoluit lapidem, reuoluitur ad fidem, qui ad perfidiam fuerat aduolutus, reuoluit lapidem, vt idem esset vitæ titulus, qui acceperat mortis tenere custodem.* In saxo illo feralis inuidia, mortis insculpserat iura; sed reuoluit Angelus, & insculpsit tergo resurrectionis elogia, vt ab illo lapide, qui ad mortis tuenda fuerat iura constitutus, & vitæ & famæ prodiret plausus: vitæ, famæ quæst census, qui feralis seuitiæ extiterat anteà titulus. Desudauit hostilis labor admonendo lapidi, sed reuolutus fuit gloriæ stabile fundamentum, qui irreparabile famæ videbatur naufragium.

102. Vt dignum gloriæ suæ Dominus theatrum eligeret, excelsum montem inscendit, ibíque fulgurans spectaculum edidit: vidit Sol quæ prius non didicerat, & qui fulgentissimis anteà radiis cuncta illustrare gloriabatur, modò & splendescere didicit, & ab humana vinci facie cognouit. Erant discipuli congruentes spectatores, oculique in spes suas expandebantur, & cum voluptate maxima visionem captabant, & montis silicibus inhærebant. *Assumpsit Iesus* Matt.17.v.1. *Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Hunc montem nubibus coæquatum fuisse Thaborem communis testatur opinio: cur autem vnum hunc præ aliis elegerit, interpretibus disputatio. Caietanus montem illum, ex quo Domini affines illum præcipitare tentarunt, Thaborem fuisse testatus est: historia omnibus satis nota: nam cùm Dominus suorum diffidentiæ adscriberet miracula non patrare, furore cæci, inuidiáque furentes. *Duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quam* Luc.1.v.29. *ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.* E montis supercilio imminet iactationis periculum: in ipsius ergo vertice gloriosi spectaculi incepit exordium: supra montem fundatur gloria, si periclitabatur in monte vita: *Mons iste*, inquit Caietanus hic, *Thabor est.* Thabor à furore insanientibus decernitur præcipitium, & Thabor gloriæ Domini eligitur fundamentum, quo ab illo monte inceperit splendere, à quo cognati fuerant moliti detrudere: præcipitium in gloriæ nobiliter transiuit exordium, quo erudiantur iusti labores ob Deum exantlatos copiosissimos producere fructus, non solùm æternitate metendos, sed præsenti vita captandos. Mons vitæ videbatur excidium, & est dignum transfigurationis theatrum: nec absque mysterio ibi Moyses, ibi Elias, ibi discipulorum primates faustis iteratisque acclamationibus Dominum regem sæculis prædicarunt, vnde cognati, & affines rabie furentes præcipitare tentarant. *Mons iste, Thabor est.* O quam gratis oculis aspicere debent iusti loca illa, quibus ob Dominum passi: sunt namque firma felicitatis fulcra nullis sæculorum adsultibus labefactanda, æternáque famæ fundamenta nullis liuoris artibus concutienda. Caietan.

Dominabitur, inquit Psaltes, *à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* 103. Psal.71.v.8. Si per vniuersum vagatur orbem dominium, quid opus fuit mare præscribere dominationis exordium, & imperij fundamentum? A mari dominatur vsque ad mare, exponit Incognitus, quia in Iordane, & nuditatis probrum, & maculæ tulit ad speciem dehonestamentum. Christus Dominus baptismum suscepit, non quo maculas vndis ablueret; sed quo vndarum maculas suæ candore lucis deterserit. Iordanis fuit humillimæ deiectionis theatrum, & ideo dominationis exordium. *Dominabitur à mari vsque ad mare.* Inde exorditur dominium, vbi honori minabatur naufragium: *Hic fluuius*, exponit Incognit. Incognitus, *secundum glossam, fuit Iordanis, in quo Christus fuit baptizatus, & super ipsum vox Patris insonuit: Hic est filius meus dilectus.* Vbi humilitas, inde gloria: vbi serui non videbatur inuri, ibi cælestis vox inceperat acclamare. Adest etiam Ruffinus: *Mare dicit eos propter amaritudinem vitæ, altitudinem, elationem: venit ergo* Ruffin. *Christus nulla coactione; sed spontanea voluntate inter superbos homines, & amaros, & seditiosa commotio eorum tamquam tempestas sæua demersit.* Demersus videbatur perire; sed cœpit ab ipsis fluctibus dominari, vt esset felicitatis teste-

ra, quod calamitatis videbatur extremæ causa. Illi ipsi peruersissimi homines, qui sæuorum adinstar fluctuum Christum Dominum elatis inuidentiæ voluminibus absorpturi videbantur, potestatem præter intentionem vulgarunt, dum super fluctus gradientis pedibus conculcati, vel inniti detumuerunt.

---

§. XXIV.

E rebus proximis & vicinis aut sugitur gloria, aut non raro pullulat ignominia.

104. HOminibus quodammodo insitum, & ingenitum vitium est; natura tamen humana patitur industria excoli, & bonis actionibus informari: plurimum ergo conducit, aut nocet & Prouinciæ solum, & sodalium contubernium, & vitæ institutum. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eius vitæ actionibus non interesset: vitæ eius interfuit, secreta perspexit curiosus, & obseruauit discipulus. Platoni, Aristotelique Socrates, & verbis, & moribus profuit: magnos viros Epicureorum contubernium procudit: suxerunt oculis, quod segniùs fors perciperent auribus. Quàm benè Senec. epist. 7. *Inimica est multorum conuersatio: nemo non aliquod nobis vitium aut commodat, aut imprimit, aut nescientibus allinit.* Vtique quo maior est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est: nihil verò est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere: tunc enim per voluptatem faciliùs vitia subrepunt. Quid me existimas dicere? Auarior redeo, ambitiosior; imò verò crudelior, & inhumanior, quia inter homines fui. Exhalatur ex præcordiis luxuria fœtidis, auaritiaque laborantibus pestilens humor, qui vel mores crystallinos halitu inficiat: sordescit vitæ splendor de proximitate fœtidi anhelitus: aurum ipsum, & pretiosa gemma lapide, & terra obscurantur, & quas natura repudiat, e vicino sordes sugunt, & maculas ebibunt. Audi Chrysol. serm. 132. *Aurum obscuratur in terra, gemma occultatur in lapide; vtraque tamen inuenit, purgat, distinguit, elimat opifex disciplina, & ars eadem vsque ad muniendæ pretiosæ speciem, gratiámque perducit.* consonat Cassiodor. 5. var. 40. *Gemmarum*, inquit, *diuites venæ auri fulgore pretiantur, & gloriam pulchritudinis capiunt quia nulla degeneri vicinitate sordescunt.* Eadem auri natura, dum occultatur in terra, & dum industria elaboratur artificis officina, verùm e manibus artificis gratiam mutuatur, splendorem perficit, artem commendat, quæ delitescens tellure, & lapide sordescebat. E vicino trahit, quò indecorè sordescat, aut quò nitidius eluceat. Vt regio sanitati deligitur, & moribus deligenda est: interest plurimum ad virtutis cultum, si morigeris, sapientibúsque conuixeris: delicatus comes rubiginem affricat, & virilem animum deliciosus emollit. Nilus inter fluuios celeberrimus, aquisque ditissimus, cùm fonte ebulliat conspicuus, hic refertur obscuratus. *A fluuio*, inquit, *turbido, qui irrigat Ægyptum vsque ad terminos Accaron contra Aquilonem*: & vnde aquis crystallinis limus? vnde turbidus, qui scaturigine clarus? Sanò ex ipsa Ægypti terra, quam irrigat: Ægyptus tellus est profundi sulci, & nigræ glebæ: Nilus quotannis longo tempore superfusus stagnat aruis, & terra sordes illi commodat, & aquarum pespicuitatem obsurat. Accipe Tostat. quæst. 4. *Nilus ex multitudine aquarum est turbidus, vel magis ex augmento, & diminutione eius, cùm autem creuerit, implet terram, & totum alueum puluere, & luto commaculat: quia fit istud augmentum quolibet anno, & durat multo tempore, scilicet vno mense integro.* Satis est vno mense nigræ proximare terræ, vt fluctus sordescant, & anno toto turbidi excurrant: non potuit Nilus vndecim purgare mensibus, quas mense vno sordes contraxit: è vicina terra vndis pullulat ignominia, vt è contra Phison è terra pullulat fama: *Phison ipse est, qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est: ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus.* Phison ditescit ex tellure proxima; Nilus sordescit ex nigra: quia è rebus proximis & vicinis aut pullulat gloria, aut resultat sæpius infamia.

Senec. Multorum conuersatio virtutibus inimica.

Per voluptatem faciliùs vitia subrepunt.

Chrysol.

Abulens.

Gen 2.v.11.

Sponsus vt puritatem, gloriámque exaggeraret sponsæ, hortorum fontem appellauit: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*: vtrumque studiosè attendendum est, & cui largiaris, & à quo accipias. Delectu quærendum est, cui debeamus, & cui præstemus. Verùm quid intererit expressisse hos aquarum impetus a Libano accepisse, & hortis tantummodò ministrasse? Profectò maior fontis gloria, si arua copiosis laticibus irrigaret: aquarum inopia fontis ignominia, vt gloria vndarum est abundantia. Ergo si dignis ambit fontem extollere elogiis, angustis hortorum nullatenus concluserit terminis: tantum enim adimitur gloriæ, quantum minuitur beneficentiæ. O prudentiam immortalem! Vt huius laticis generositatem agnoscas, à Libano, qui interpretatur candidatio, purissimis vestito niuibus flui, & amœnissimis hortis testatus est euagari. *Tota pulchra es amica mea*, scribit Gillibertus serm. 37. in Cant. *& macula non est in te: ideò non nisi fons hortorum dicitur, fons deliciarum: denique quàm varius & multiplex est cælestium deliciarum modus, tantus videtur & numerus hortorum: in alio rubent rosæ, in alio candent lilia, colorémque flores violæ purpureum reddunt.* Si fons iste inter rubeta, spinetáque decurreret, fœditatibus maculatus sordesceret, & generositatem de plantarum horriditate vitiaret, gloriámque minueret: vt ergo noueris plurimum ad decorem aut ignobilitatem, quibus conuersèris, conducere, extra purpureas rosas, candicantia lilia, redolentésque violas hos purissimos latices sponsus nullatenus permiserit euagari, vt lucidior splenderet honor, & cumulatior micaret splendor. 105.

Cant 4.v.15.

Gillibert.

Petrus ille Apostolorum apex, cùm mensæ Domini frueretur accubitu, eos ostentauit animos, quos, & gladius, & mors timere potuissent: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* posteà ferrum horto exerit, & se armatorum agminibus impauidum obiicit, & intrepidum opponit. Tandem sacrilegis sacerdotis ministris tantisper conuersatus, Christum abnegauit: *Petrus verò sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras; at ille negauit coram omnibus* 106.

Matth. 26. v. 35.

Matth. 26. v. 69.

diçens; Nescio quid dicis. Quam alius est Petrus à seipso Apostolis associatus, aut ministris sacerdotis insertus! In domo Christi eos capit animos, qui perfectum deceant, & Christi discipulum prodant; in Caiphæ verò domo fidem obscurat, virtutem dehonestat, constantiam ignorat. Aduertit Drogo de Sacramento Dominicæ Passion. *Propterea negabat, quia intus esse nolebat; & tamen quando negauit, foras egressus est. Vnde foras? De domo Christi, de domo fidelium; at vbi de domo Caipha foras egressus est: in domum Christi intromissus est... In domo Caipha colaphizatur Petrus.* Vel Petrus firmissima illa Ecclesiæ Petra inter Principis ministros falso concutitur iuramento, qui in Christi domo digno solidabatur proposito. A vicinis traxit nequitiam; ab Apostolis mutuabatur antè constantiam: adeò periculosum est non solùm scelestis conuiuere; sed etiam approximare.

Drogo.

107. Lotus ille in pessimorum terra iustus, inter fœdos libidinum fumos illæsus è ciuitate extrahitur, ne periret; vndantium adeò flammarum metu obturbatus paruam in ciuitatem sibi liceat confugere obnixiùs exorat: annuerunt Angeli honestè hospitio, prandióque subornati: *Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum confugere, parua, & saluabor in ea* Posteà cum iam ciuitates obscuris flammis, horrendúmque crepitantibus globis deflagrarent, Lot ciuitate illa, quam ad salutis asylum anhelarat, relicta montem inscendit: *Ascendit Lot de Segor, & mansit in monte: duæ quóque filiæ eius cum eo: timuerat enim manere in Segor.* Verùm si salutis acceperat tesseram, si incolumitatis promissum, quid confidentiam timore obscuret, & laboriosè montem inscendat? Si cum monte incolumitatem Angeli promisissent: *In monte saluum te fac*, ipse paruam ciuitatem, veluti securius asylum delegit; cur monte ciuitatem inconsultè commutet? Notauit Augustinus apud Lippomanum: *Ipse mons est, in quem sponte ascendit, quo admonente Domino ascendere noluit.* O quanta detrectamus, si iussa, quæ amplectimur spontanea! Caietanus Segor vicinam esse deflagrantibus vrbibus auspicatur, timuisséque Lot, ne protensa ad viciniam flamma ciuitatem in cineres redegisset, propriόque stragis cinere tumulasset. *Ratio timoris fuit, ne flamma accensa planitiei extenderetur in Segor, & humana quidem ratione rationabilis fuit timor propter propinquitatem ad terram ardentem.* Loti nutauit tantisper ad speciem confidentia; verùm ex illius diffidentia perutilis nobis promanauit doctrina: timuit vicinorum flamma absorberi, qui Angelico testimonio didicerat asseruari. Ciuitas Segor priuilegio secura; sed flammis vstulantibus satis proxima: ergo rationabili metu fugit, si tantum spectaris humana: incendium timuit de vicinorũ culpa, qui de illæsa propulsarat conscientia. De improbo sæpè vicino totus non semel vicus obturbatur, & discrimini exponitur: abiectæ pudicitiæ muliercula amplæ domus inquilinos infamat, & de contubernio suspectos obscurat. Non solùm diligenda est domus, qua viuas; sed & vicini, quibus conuiuas: nam turbulenti, iracundíque vicini flamma aut eiaculatur vicino incendium, aut minitatur saltem periculum: rarò vicini domus vstulantibus flammis exarsit, quin, & proximam terris obscurisque maculauerit fumis, si effusis non adussit incendiis.

Genes. 19. v. 20.

August. *Multa detrectamus iussa, quæ cõplectimur spontanea.* Caietan.

Væsuuius mons ille celeberrimus non gratis fructibus; sed flammarum nigris vomitibus sic proximas vicinásque terras timoribus implet, dum horrendis intus mugitibus reboat, sic fœdis cineribus, nigrísque fauillis tumulat, vt loca proxima aut semper concutiantur periculo, aut vstulentur incendio. Audi Cassiodorum 4. var. 50. *Laborat hoc vno malo terris deflorata prouincia, quæ ne perfecta beatitudine frueretur, huius timoris frequenter acerbitate concutitur; sed non in totum est euentus ille terribilis; præmittit signa grauia, vt tolerabiliùs sustineantur aduersa: tantis enim molibus natura rixante montis illius hiatus immurmurat, vt excitatus quidam spiritus grandisono fremitu vicina terrificet.* Addit posteà Cassiodorus: *Stupeas subitò vsque ad arborum cacumina dorsa intumuisse camporum, & luctuoso subitò calore vastata, quæ latissimè fuerant viriditate depicta.* Væsuuij vicinitas sic aruis, sic camporum fructibus est nociua, vt quæ suo ingenio grata viriditate vernarent, alieno incendio decoctis cineribus marcescant: tantùm attulit detrimenti proximitas, tantùm dedecoris mons vicinus: alienus rumor infamat, & ardor alienus, si non adurit, infuscat, & à vicino sugitur sæpé sæpius infamia, & imminet sepultura. 108.

Cassiodor.

Paradiseo viridario nostri deliciabantur parentes: erat voluptas innoxia, nec serpentino veneno immixta: serpens à dæmone præcipuè possessus intra felices paradisi limites nullatenus degebat admissus; terræ tamen felicitati inhians adhærebat proximus: Eua infelici desiderio curiosa, quæ extra paradisum, prospectat, & quæ in paradiso non poterat haurire toxica, à vicino serpente suxit venena: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem.* Dum vel pauca verba miscent, serpens halitu propinauit venenum, & Eua ebibit per auditum: felicitas illa nullatenus turbata domesticis; sed depulsa est à vicinis: satis fuit ad inuehendam calamitatem serpens, licèt paradisi non incola, terræ eius affinis. Fascinata est Adami prosperitas de tetro vicinii halitu, quæ de splendenti florebat horto: Accipe Rupertum lib. 3. in Genes. cap. 2. *Libera nobis relinquitur facultas asserendi quòd non serpens præsertim à diabolo corporaliter inuadente possessus in paradiso fuerit; sed mulier corpore, & oculis vaga, dum incontinenter deambulat fortè prospectans qualis extra paradisũ mundus haberetur, & serpens vtpotè astutus dulcedini terræ propiùs vel ambitiosus innititur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta, vnde tentaret.* Adamus domo sua felix, vicina infaustus, vt vera sit nostra thesis, ex proximis, viciníſque locis aut sugi gloriam, aut pullulare ignominiam. 109.

Gen. 3. v. 1.

Rupert.

---

§. XXV.

Humana sublimitas decrementis obnoxia, & malè semper secura.

Solemne est creatis rebus à seipsis desciscere, & habitum semper mutare: mundiale nega- 110.

Tertull. gat, qui inuariabile aliquid putat: Aptè Tertullianus lib. de pallio cap. 2. *Demque diuersitatis discordiam vices fœderant: ita mutandò orbis mundus omnis, qui & diuersitatibus corporatus, & vicibus temperatus.* Nihil est, quod seipsum non fugiat, & quod se anhelis passibus non relinquat: dies, & nox inuicem vertunt, Sol stitionibus iuuenescit annuis, Luna menstruis variat modulationibus: pulchra stellarum confusio interdum cumulatur splendoribus, interdum resuscitatur tenebris: ipsa cæli facies iam obscuris sordescit nubibus, iam pulcherrimis rutilat splendoribus: mari nulla fides, iam vndarum agitantibus flabris turbatum, iam placida serenitate tranquillum: terra veris fauonio venuste flaua, Decembris rigiditate inuenusta: arbores vere comam viridantes nutriunt, rigore deturpatæ marcescunt. Nihil itaque hodie sui simile, nec cras permanebit æqualis; verum etsi hæc varietas rebus omnibus insita, præcipuè tamen excellentibus, & supremis. Vt enim proceræ plantæ, quæ montis cacumen superbo pede calcarunt, acrioribus ventorum flatibus concutiuntur, & quæ apricis vallibus sitæ mitiùs flabellantur; sic licèt excelsa, & humilia continuos fortunæ sustinuerint adsultus; alia tanguntur leuiter, alia verò feriuntur acriter. Profectò Arcades, vel cùm tumidi se felicissimos iactabant, fortunæ expositos ipsis fortunæ symbolis exprimebant: pedibus portabant lunulas, quò & antiquitatem nobilissimam mentirentur, & continuam fortunæ agitationem clamarent: *Cur in calceamentis lunulas*, rogat Plutarchus in quæstion. centur. Rom. (Plutarch.) *qui splendidis natalibus fulgent, ferunt? Vtrum, vt auctor est Castor, nota id habitationis, quæ esse in Luna narratur? Hi Arcades erant ex Euandri posteritate equi dicti προσέληνοι fuère, quòd se fuisse ante Lunam contenderent. An sicut alia multa, etiam hoc elatis, & inflatis rerum humanarum vltrò citròque conuersionem subijcit incipientibus ex Luna exemplum?* (Luna in calceo nobilitatis index.)

Ex abdita vt primùm procedit hæc noua
Faciem comans, & lumine complens cornua,
Et vt fuit longè vultu nitidissima,
Dilabitur rursum, atque euanescit semel.

Patitur defectum Luna, dum pulchrior, dúmque lucidior; fors minùs varia, dum minus lucida; at cùm ad luminis peruenit culmina, & luminis statim patitur detrimenta. En Nili fluuius, qui vtpotè Deus ab Ægyptiis excultus, & adoratus, audit nostro in textu turbidus, & despicitur sordidus: *A fluuio*, inquit *turbido, qui irrigat Ægyptum*: idem iam despicitur sordibus maculatus, iam colitur, etsi falsè diuinus, vt noueris in hac fortunæ alea, & turbidos honoris sæpè adipisci summum, & ex honoris apice ad ignominiosum delabi probrum. Rogat Abulensis, cur vocetur, turbidus: respondétque quæst. 4. ex augmento, & (Abul.) diminutione has contrahere maculas, patique sordium ignominias: *Nilus ex multitudine aquarum est turbidus, vel magis ex augmento & diminutione eius.* Qui alueo suo contentus lucebat conspicuus, iam terras inundans ipso augmento degenerat sordibus maculatus. O quoties, quæ ambitiosè quærebantur augmenta ad gloriam, possidentibus, auctisque pepererunt infamiam. Sordet turbidus de incremento, qui clarus alueo non potuit Nilus, dum magnus tranquillitate frui; imò continuis augmentis, decrementisque subiectus, iam audit turbidus, iam adoratur sacratus: est enim magnarum rerum frequens mutatio, & quotidiana imminutio.

Componamus Soli Solem; Ezechias graui infirmitate correptus mortis attingebat iam limen, ni pœnitentiæ lachrymæ reuocarent; impetrauit verò cordis pœnitentia, quod nequiuerat operari malagma, & ne anxius timor felicitatis interturbaret serenum, optio datur, an velit Solem tenoris oblitum, immaturum subire occasum, an recidiuo tramite reuisere Orientem: ille, ne quid de subiectorum vita præcideret, Orientem maluit repetere, & iuuenescentibus terram luminibus illustrare, sæculis inuisum portentum, Isaiæ tamen Prophetæ orationibus impetratum: *Inuocauit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat, in horologio Achaz, decem gradibus*: hîc Solem audis retroactum, non autem dicitur Dominum voci hominis obediuisse, aut Prophetæ dictis obsecundasse; at cùm Iosue solares stitit radios, Lunæque rapiditatem cohibuit, & Numinis obedientia deprædicatur, & tota prodigij gloria brachio omnipotentis adscribitur: *Non fuit antea nec postea tam longa dies obediente Domino voci hominis.* Nulli dubium vtrumque prodigium omnipotentiæ diuinæ partum; alterius tamen partem gloriæ sibi vendicat, Isaias; alterius tamen omnem prorsus laudem sibi omnipotentia arrogauit. Et quæ discriminis causa est? Solem immobilem, firmúmque stetisse: adeò enim à creaturis peregrinum est variationem vel ad tantillùm respuere, vt hoc sit speciale omnipotentiæ prodigium, licèt aliud Prophetæ adscribatur miraculum. Innuit Augustinus lib. 2. de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 4. *Sol duos dies in vnum conclusit, & Luna dies spatio non occurrit, non humani imperij auctoritate luminaria requiescunt; sed Domini imperantis iussui obediunt.* Vtrobique Sol Numinis nutu stat fixus, aut repetit orientem regressus; verum sic creatis rebus constantiam induere arduum, vt specialiùs Domini præcepto adscribatur Solem stetisse, non repedasse: *Obediente Domino voci hominis.*

111 (right margin, beside "Componamus"); 4. Reg. 20. v. 11.; Iosu. 10. v. 14.; August.

Cum Dominus Ierosolymam ascenderet, iámque infame appeteret lignum, duo fratres ambitione inflammati accedunt satis occasioni importuni: mulier ætate grauis, & pietate celebris crucem audit, & thronum rogat: *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram in regno tuo*: Dominus filios, à quibus orta supplicatio, arguit, & stultitiæ notam inurit: *Nescitis quid petatis.* Et quando ambitiosus non stultus, aut quando stultus non ambitiosus? verùm disquiramus quæ huius petitionis sit ignorantia. Chrysostomus putat; & temporale æstimasse regnum, & constantem ambisse thronum. *Hoc autem dicit*, scribit apud D. Thomam; *ostendens quòd nihil spirituale petebant.* Annuit Origenes ibi: *Si in regno mundiali in honore esse videntur, qui sedent cum rege, non fuit mirum, si mulier muliebri simplicitate, vel imperitia talia se debere petere æstimauit, & ipsi fratres adhuc imperfecti, & nihil altiùs cogitantes de regno Christi talia arbitrati sunt.* Fratrum vota votis aduersantur: regnum exambiunt

112.; Matth. 20. v. 21.; *Ambitiosus ferè semper stultus.*; Chrysost.

mundum terrenum, & stabilem existimant thronum, cùm nullatenus quid valeat firmiter stabiliri, vbi continuis tellus concussionibus elocatur, & perpetuis variationibus semper concutitur. Nesciunt quid petunt: quia fixum & caducum exambiunt, cùm de caduci essentia sit mutabilitas, & de substantia varietas.

113. Non vacat mysterio Moysem, dum ad dignitatis fastigia effertur, aquæ nomine designari: nam cum Pharao nequissimis artibus Hebræorum numerositatem inuidus vellet accidere, decretū edidit perniciosum prorsus naturæ: *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite.* Obstupefacta natura belluam truculentissimam hominis forma se produxisse miratur; impium tyranni edictum naturam velut obsidione concludebat, erátque facinus per quam insolens; quod Dei manus efformabant sapientia, marinis obliterandum vorticibus regis tradebat insania: vbique erant curiosissimi genituræ speculatores, & fluuius innocentium carnifex constituebatur: lex seruabatur, & natura mulctabatur, & si qua periculi redemptio, crimini & iudicio obnoxia. Hoc rerum statu commiseratione sane dignissimo Moyses nascitur pulchritudinis encomium, & durius parentibus de elegantia formæ tormentum: se periculis obijciunt, vt puerum redimant, cùmque iam diu celare non possent, aquis expositum Dei prouidentiæ committunt, amplissima vota pro puero facientes, quæ Deus rata sine exceptione esse voluit, & ipsis carnificibus asseruandum, custodiendumque puerum tradidit: nam cùm regis filia leuandi animi causa ad viridantes fluminis ripas produxisset, puerum conspicata tulit, & aquæ nomen imposuit: *Illa adoptauit in locum filij: vocauitque nomen eius Moyses dicens: Quia de aqua tuli eum.* Profectò nomen ab studio discrepare videtur: quid enim aqua labilius? Mobilitatis est symbolum, varietatis emblema, ventis exposita, & ad lunæ aspectum fluxibus, & refluxibus perturbata: ergo nomen à re discrepat. Profectò non caret nomen mysterio: ad Ægypti regales fascias promouetur infans, magno illo imperio fortunatissimè potiturus; sed nomen mobilitatem, inconstantiamque præfert: vt nouerit nihil adeò firmum, vt mobilitatis casus non subeat; nihil solidum adeò, vt vicibus fortunæ non pateat. Audi Rabanum in Lippomani catena: *Aquam mos Ægyptij vo ant; u saluatus: componentes itaque hæc ex ambobus Mosis ei nomen imposuerunt.* Aptiùs Lippomanus: *Sic itaque nomina infantibus imponuntur non importunè ab euentibus, & externis rebus aliquid præfiguratur à prouidentia Dei.* Dei prouidentia ipso nomine tumorem desuescere docuit, placidósque vultus excellentis despexisse fortunæ, quandoquidem vel magna adeò imperij potentia fultus aquæ non potuit vitare lapsus. O quàm fallitur, quisquis in hac rerum alea, vbi alternantur perpetuò vices quid putat solidum, quid durabile & firmum. Moyses fortunatissimus ad purpuram regalem euehitur; sed ipso aquæ nomine, & lapsus facilitate eruditur: vnda labilis, natura fluxa, nunquam nisi ad situm & vermes stare passa.

Exod. 1. v. 22.

Rabān. Lippoman.

114. Stultus sugillatur ille qui de fortunæ amplitudine sibi plaudebat: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Statam censuit fortunam, qui eadem tulit nocte sententiam: *Stultè hac nocte repetent à te animam tuam.* Benè stultè, qui bona in annos plurimos remansura putauit: benè stultè, quia totum de carne, & nihil de corde: benè stultè quia ipsam fugacitatem arbitratus est permanentiam, & varietatem ipsam censuit constantiam: reposita in annos plurimos arbitratur, quæ marcent paucorum ambitu dierum consumpta, & quæ opus proijcere marcida somnij obscuris illudebatur phantasiis, qui veluti firmis nitebatur caducis. Opportunè Gregorius apud D. Thomam: *Eadem nocte sublatus est, qui multa tempora fuerat præstolatus, vt scilicet, qui in longum sibi subsidia colligendo prospexerat, subsequentem vnum diem minimè videret.* Nec diem vidit, qui spatia longissima cogitauerat, stultus quia temporalia reputauit æterna, cum vel ipsa, quæ videbantur æterna, ostenderit experientia caduca.

Luc. 12. v. 19.

Gregor.

§. XXVI.

Virtutis cultores non attaminantur culpis, sed non priuantur delicijs.

Inter humanos errores non ille exiguus est, quòd virtutem ardentibus oculis, longo supercilio, truci vultu, & colore sanguinolento suspicamur; vitium verò placido aspectu, serena fronte, oréque risum effluenti in vtroque delusi credimus. Hinc est, teste Tertulliano aduersus Gnosticos cap. 5. vt homines animitus refugiant honesta, ambiántque ardentissimè deliciosa: glutiunt auiditate venena, vt fucata dulcedine demulceant palata: nauseant ad antidota, quia cogitauerunt acerba. *Est & hæc peruersitas hominum salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quæque medicamina vitare; mori denique citius, quàm curari desiderare.* Itaque de errore venit, & fugere salutaria, & ardenter ambire noxia; vnde operæpretium erit hoc paragrapho pro virtutis causa dicere, nec deliciis orbam ostendere. Voluptuosum est vitium; eius tamen voluptas spurcitiis, & fæcibus plena: honestati defæcata voluptas est, caret vitiorum detrimentis, non commodis. Verte oculos ad ambientium turbam, inuenies vnum dignitatem pressisse, alios incertis diei spebus suspensos, & dubiis desideriis distortos: virtus faciliùs apicem dignitatis inscendit, & firmiori quidem gressu, si celeri non adeò volatu. *Ab eo dignissimum creditum est*, verba sunt Septimij aduersus Gnosticos cap. 7. *experimentum committere artes, corporum, & vocum præstantiam expendere præmio indice, spectaculo indice, sententia voluptate.* Voluptas sententiam dicit: decertent ergo modò virtus & vitium, vt vel ipsa voluptas sententiam tulerit: profectò pro virtute dabit. Audi Senecam lib. 7. de benef. cap. 2. *Hæc regula vitæ opera distribuat, ad hanc legem & agat cuncta, & exigat, miserrimósque mortalium iudicet in quantiscúmque opibus refulgebunt, ventri, ac libidini deditos, quorum animus inerti otio torpet. Dicat ipse sibi: Voluptas fragilis, & breuis fastidit obiecta, quò auidiùs hausta est; citiùs in contrarium recidens, cuius subinde necesse est pæniteat, in qua nihil est aut magnificum, aut quod naturam hominis dijs proximi deceat: res humilis, membrorum*

115.

Tertull.

Tertul.

Præstantia præmio expenditur. Voluptas sæpè sententiam fert.

Seneca. *Miser, cuius animus inerti otio torpet.*

membrorum turpium, ac vilium ministerio veniens, exitu fœda. Ecce vitiorum delicias infamia temperatas, amaritudinéque commixtas: perpende modò quam nobilis honestati voluptas sit: *Illa est voluptas*, addit Stoicus, *& homine, & viro digna, non implere corpus, nec saginare, nec cupiditates irritare, quarum tutissima est quies... Hanc voluptatem æqualem intrepidam, nunquam fessuram fastidium percipit hic, quem deformamus: qui maximè, vt ita dicam, diuini iuris, atque humani peritus de præsentibus gaudet, ex futuro non pendet.* Quàm læte, quam pacate degit virtutibus indulgens! quam fruitur innoxiis delitiis, voluptatibusque sine serpentini veneni admixtione securis! Omnem terram Chanaam, & Maata Sidoniorum Hebræi habent in promissis: *Omnis terra Chanaan, & Maara Sidoniorum.* Masius legit: *Omnis terra Chananæorum, & prata.* Sidonij, vtpote venatores, pratis, lucis, camporúmque amœnitatibus fruebantur. Has ergo delicias, quas Sidonij, possidebant etiam Hebræi: vt noueris Sidonios, Hebræosque eisdem voluptatibus frui, illo tamen intercedente discrimine, quòd Sidonij inficiebant vitiis, & virtutibus Hebræi. *Prata Sidoniorum suspicor eos esse campos virore lætos, qui à Sidone deorsum secundum dextrum maris mediterranei litus porriguntur.* Prata, quæ excoluerant Sidonij vsque ad naturæ delicias amœna, obtinuerunt Hebræi, vt noscas eisdem camporum amœnitatibus frui, & iustos, & scelestos, nec carere iustitiæ cultores peruersorum commodis; sed delictis.

Bona conscientia de præsentibus gaudet, & futuris non pendet.

Masius.

116. Eua dum paradisi viridariis deliciaretur, ficus grossos serpentis dolo discupiit, & satis care decerpsit: *Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo.* Fuisse ficum, quæ cupiditate suffusos mulieris oculos prolectauit, testantur Patres: *Circa arborem præuaricati*, aiebat Basilius orat. 3. *ab arbore tegumentum mutuantur:* iam a ficu tegumentum mutuatum certissimum: itaque totum Euæ, & oblectamentum, & delictum ficus fuit dulcedine alliciens, & viriditate placens. Verte modò ocellos ad sponsam, quam blandè allocutus ad ruris delicias inuitauit sponsus: *Iam hyems transiit, imber abijt, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.* Non veternosi serpentis; sed turturis dulcisona vox auditur: nec deest saporata ficus, si in paradiso ficus extitit venenata. Quàm amœnant sponsæ oculos grati flores! quam per campos serpentes riuuli, quam demulcent aures cantus! quam vocalium alitum exhilarant accentus! Quid hic minus mali piaculum, & periculum? Vocem turturis, hoc est Spiritus sancti hauriit sitienter sponsa, si indebitas tribuit aures serpentinis vocibus Eua: hæc indignæ obedientiæ præmium tulit fructum veneno infectum; illa decerpsit dulcedine saporatum: non defuit ficus, defuit venenum: vt noueris sponsam caruisse noxis, non verò deliciis: *Ficus protulit grossos suos.* Audi Bernardum serm. 60. in Cantica: *Quod in ea est, de Spiritu sancto est, ac per hoc subtile totum & suaue.* O quàm suauem ficum radice amaram, olimque tortuosam, Spiritus sanctus effecerat! Iam gustat sponsa dulces, maturósque grossos, si olim Eua serpentino veneno gustarat infectos; pestilentéque humore vitiatos: ficus remanet ad delicias, vox turturis fugat culpas.

Gen. 3. v. 6.

Basil.

Cant. 2. v. 11.

Bernard.

117. Thamar se meretricis exponit notæ; nec solum notæ; sed & grauissimæ pœnæ: tanti discriminis pretium est hœdus: *Mittam tibi hœdum de gregibus.* Qui vilem adeò mercedem misit, ardentibus non multò post flammis aduri præcepit: *Producite eam, vt comburatur.* Proh detestandam mercedem tanta nota anxietatéque comparatam! Vides Thamar de meretricia ad speciem infamia hœdum lucratam: vide modò fœminam aliam nullo discrimine vitæ aut honoris eandem comparasse mercedem. Anna, & Sponsæ, & filij honore celebris textrinum ad opus pergit, & hœdum laboris mercedem accipit: *Anna vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat, vnde factum est vt hœdum caprarum accipiens detulisset domi.* Annæ, & Thamaris idem fructus; sed dissimilis actus: Anna consequitur labore honesto, quod illa opinione meretricula ingenti acquirit periculo: ad domum detulit liberis oculis, quod alia mereri erubuit velatis: alibi culpa defuit, alibi opinionem macula dehonestauit; idem tamen vtrobique fructus, hœdus scilicet: vt noueris Annam caruisse delicto, non ferculo. *Pro peccato carnis*, inquit Lippomanus, *hœdus mittitur; per quem carnis petulantia designari consueuit.* Thamar promittitur, Annæ datur: Thamar obscurauit habitu pudicitiam, Anna infamiæ non tulit notam. O quoties venerabilis in fœmina pudicitia honesti matrimonij fuit pronuba! quoties assiduus labor peperit famam, & fama cum digno sponso diuitiarum attulit summam! nil minus Annæ est lucrata modestia, quàm Thamar ad speciem intemperantia.

Genes. 38. v. 17.

Tob. 2. v. 19.

Lippoman.

118. Vidit Ioannes Apocalypsis 17. scortum illud abiectissimum, scilicet Babyloniam grato purpuræ nigrore splendentem, margaritarum luminibus fulgurantem: *Mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius:* fulget auro; sed obscuratur despectu. Si mulieris fortis aspexeris ornamenta, inuenies non solum purpura ornatam, sed bysso etiam excultam delicatissima: *Stragulatam vestem fecit sibi: byssus, & purpura indumentum eius: fortitudo, & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo.* Ecce vestem oculos pulchritudine allicientem, auro intextam, mira varietate depictam: fortitudo non est viduata cultiori pompa; sed caruit abiectissima turpitudinis ignominia. Meretricem illam byssus non ornabat, sed prodebat: rubebat fortassis purpura plus de probro, quàm de conchylio; at nobilis mulieris vestis, plusquam ornaret, ornata, bysso splendida, digno semper nitore gloriosa: *Ridebit in die nouissimo.* Babylonia arsit; fœmina fortis resplenduit: non caruit cultu; sed caruit tantùm despectu: *Significat ergo tantam huius mulieris esse diligentiam, & sapientiam*, scribit Iansenius ad hunc locum, *vt etiam suis, suorúmque manibus compararet sibi regiam supellectilem, & ornamenta sumptuosa.* Mulieris pudicæ gloria longe eminet pompaticum meretricis cultum: nobilis decor ignobilem, spurcumque supergressus est fastum: floret

Apocal. 17. v. 4.

Prouerb. 31. v. 22. & 25.

Iansen.

floret altera purpuræ nigredine; sed & altera coccini rubore floret: alteri interiùs byssus splendida, & delicata, alteri carnifex semper conscientia, & ardētissima flamma. Byssus ad interna pertinet, purpura exteriùs apparet: mulier fortis priùs byssum; accuratiùs scilicet splendidam, delicatámque conscientiæ vestem intexuit, & posteà regiam, purpureámque cultui corporis fabricauit: ideò cùm dura alios anxietas torquet, eius ora risus non frustrabilis implet: *Ridebit in die nouissimo*; at meretrix illa nec internam byssum in hoc sæculo habere valuit, nec flammam in futuro sopire potuit. Culpa conscientiæ non parauit blanditias; sed adaggerauit pœnas: interiùs sordet, exteriùs fulget. Adde iustos priùs subiugasse pericula, & postea sortitos oblectamenta; peccatores verò conuerso ordine prius vorasse leuissima oblectamenta, vrgentissima passuros posteà pericula.

119. Adsunt huius veritatis testes Samson, & Ionathas: ille iter agens cùm ad vineas oppidi diuertisset, in leonis incurrit catulum horrida iuba, ardentibus oculis, rictu feroci minantem, aduersúsque Samsonem sæuientem: *Cum venisset ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sæuus, & rugiens, & occurrit ei.* (Iudic. 14. v. 5.) Samson ipso a lingente periculo; acerrimus namque timor sæpe indidit vires: pro vita decertat, & leonis catulum ad speciem dilaniaturum dilaniat: *Irruit Spiritus Domini* in Samson, & dilacerauit leonem quasi hædum *in frusta discerpens*: non obscurauit victoriam iactantia; sed silentij incrementauit modestia: post dies aliquot qui minabatur mortem, fragrantem mellis fauum victori appendit: *Ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauum mellis, quem cùm sumpsisset in manibus, comedebat in via.* Timore deuicto, & periculo subiugato faui gratis recreatur delicijs, ac saporatis vescitur epulis. Transi modò cogitatione ad Ionatham, qui cùm hostium terga mucrone feriret, mellis fauo allectatus tantisper hæsit, & virgæ summitatem dulcedine intinxit: *Intinxit in fauum mellis.* Quanta fella exiguum mel infecerint, audi: *Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.* (1 Reg. 14. v. 27.) Timori magnum soluit tributum, exiguum satis oblectamentum: ortum est de exigua voluptate magnum periculum, Samsoni de periculo securum oblectamentum: vt noueris peccatorem (Ionathas namque contra edicta patris comedit) post delicias manere tormenta; fortem verò post discrimina manere delicias: *Fortessis*, inquit Ambrosius (Ambros.) in Prologo lib. 2. de Spiritu sancto, hoc non solum virtutis miraculum; sed etiam Sapientiæ mysterium, prophetiæ *oraculum fuit*: mysterium fuit Samsonem post victoriam inuenisse delicias, Ionathámque post delicias mortis incurrisse pœnas: ad modicum tempus oblectatur fauo, & cùm in ipsis oblectamentis conscientiæ diuexarit stimulus, postea mortis etiam distorquet metus; iustus vel in ipso certaminis agone spe secura oblectatur, & post laborem præmiis lautissimis fruitur, Samson non caruit fauo; sed fauum coniunxit triumpho: Ionathas temerauit edicta, & ni resisteret populus, amarissima morte mellis soluisset oblectamenta.

120. Non solùm innoxiis virtus alumnos recreauit deliciis; sed quos sibi vendicauit ad apicem dignitatis prouexit: minùs humani splendoris, minùs volaticæ gloriæ quis habebit, dum allicitur vitiis; plus si virtutis addicatur obsequiis. Adest Moyses filiæ Pharaonis adoptatus in filium: *Suscepit mulier, & nutriuit puerum, adultúmque tradidit filiæ Pharaonis, quem illa adoptauit in locum filij.* (Exod. 2. v. 9) Inter Ægyptios versatus regnum fortunatus adiret, ambiret verticem Imperatorium diadema oculos lapillorum luminibus pulsans; sed semper tamen intra metas contineretur humanas; non attigisset diuinas; hic Ægyptiis generosè renunciat, sceptrum agolo, purpuram soloce, palatia rusticis casulis pastorum commutans. Deserto gregem agebat, ne sceleribus inseruiret. Quid tunc? *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, aiebat Deus, *& Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* (Exod. 7. v. 1.) O lucrum ingens! ó honestissimum virtutis fœnus! Ægyptus inaugurauit in Principem; sed virtus initiauit in Deum: sceptro hominibus imperaret; at comprehensa pastoris virga elementa sistit, imperiumque suum vel vsque ad cælum extendit: caruit Ægyptum fugiens periculo; non tamen orbatus est sceptro; imò dum superbiā denudat, & humilitatem excolit, quodammodò metas diuinitatis attingit: *Gloriosa virtutum regina humilitas*, scribit Rupertus (Rupertus.) lib. 1. in Exod. cap. 26. *quæ in cælum volare consueuit, locuta est in eo dicente se incircumcisum esse labiis, & idcirco dignum, ac pro sua reuerentia magnificum accepit responsum, vt audiret homo priuatus regnantis hominis se esse Deum.* Ægyptum incolens esset hominis Imperator, virtutis regiones habitans Imperatoris est Deus. Quàm verè aiebat Seneca (Senec.) epist. 21. *Magna hæc existimas, quæ relicturus es, & cùm proposuisti tibi illam securitatem, ad quam transiturus es, retinet te huius vitæ, a qua recessurus es, fulgor, tanquam in sordida, & obscura casurum. Erras Lucili. ex hac vita ad illam ascenditur. Quod interest inter splendorem, & lucem, cùm hæc certam originem habeat ac suam; ille niteat alieno; hoc inter hanc vitam, & illam.* (*Vitium nitet, sed virtus valet.*) Quid plura?

---

§. XXVII.

Infelicius, periculosiúsque est ignauo torpere otio, quam acri exagitari inimico.

OTium criminum parens stultitiæ officina, 121.
errorum conceptaculum est: qui inertem otiosus, non temerè reputatur peruersus: mortuus iacebit ad honestam vitam, vegetus verò, & præualens indecoram ad culpam. *Cæterum*, aiebat Plutarchus (Plutarch.) de tarda Dei vindicta, *vbi pecuniæ studium, vbi libido ardens, vbi impotens inuidia domicilium habet cum infausta improbitate; ibidem superstitionem, si attendas, offendas, latentem, languorem ad labores, ignauiam ad mortem, volumina incitata libidinum, biantem gloriæ sitim ex insolentia sui.* (*Pecuniæ amor vitiorum nutrix.*) Vitia reliqua comitantur ignauiam: otiosus namque prolixiùs carnis tractabit negotia, flabellabitque turpitudinis desideria: otiosus ferè semper maliloquus: quia, dum resolutus ignauia, & aliorum perscrutatur curiosissimè facta, & venenata abrodit,

abrodit, ac omnibus detestabili lingua: vitia cùm occupatum aliquę, & vrgentibus curis districtũ pulsant, aut ad fores diutiùs expectant, aut ad alios defatigata expectatione declinant: ignauus semper vitiorum hospitium; imo non hospitiũ, sed habitaculum. *Magni Imperatores*, aiebat Seneca epist. 56. *cum male parere militem vident, aliquo labore compescunt, & expeditionibus detinent: nunquam vacat lasciuire districtis, nihilque tam certum quam vitia otij negotio discuti.* Negotiis, occupationibusque vagans detinetur iners, & dum studet feriis, cupiditatibus se dedit [illegible] nocentissimis: otium virtutum venenum, morum corruptela, & probitatis est tinea. *Illud est penitus graue*, aiebat Cassiodor. 7. variar. 22. *si males viuat otiose, cui quęstus est [illegible] honor principalis iniunctio: similis enim districtio habetur, qui ignobili torpori relinquitur.* Vt labor honoris, ac diuitiarum est parens, ita torpor diuitiis ac honoribus inimicus: quia [illegible] patrocinatur malitię, aduersatur pugnantibus [illegible]; reliqua vitia famam obscurant, [illegible] gloriam, menti offundunt tenebras; torpor verò longe superat reliqua: quia veluti [illegible] appendices infert in torpentis animum cuncta. *Ex multis vitijs*, scribit Plutarchus de [illegible] *multo maxime ignauia, languor, & mollitia [illegible] grandaeuum.* Hinc vt eiusdem otij speciem à suis cominus ablegaret, [illegible] portionem ad tempus [illegible] [illegible] si acri exercent contrario, [illegible] otio. *Libani quóque regio contra Orientem a Baalgad sub monte [illegible], donec [illegible] Emath.* Abulensis [illegible] 8. [illegible] has omnes gentes, vt [illegible] non debellarit, sed per partes [illegible]: respondetque hoc prudentissimo consilio factum, ne sectarentur otia, si desiissent penitus bella: maius namque Israelitis discrimen ab otio, periculum leuius ab aduersario: *Quaeret aliquis, quare non fuerunt subiectae omnes istae terrae Israelitis viuente Iosue, cùm subiectae fuerint reliquae partes:* reddit Tostatus rationem. *Causa tertia fuit ad vtilitatem quandam Iudaeorum, scilicet, vt essent viri apti ad bellum, & exercitati in armis, ne penitus otio marcescerent.* Certe opus erat aut feriari otio, aut decertare cum inimico: adeóque graue periculum est nociuis feriari otiis, vt conducibilius fuerit belligerari aduersariis. Consonat Masius: *Sic nimirum illius consilia moderante caelesti instinctu Deo, vt superstites manerent, qui olim Israelitas malè feroces exagitarent.* Prouisum est Hebraeorum [illegible] permittendo, ne ignobilibus [illegible] torporem [illegible]: conducibilius est pati [illegible], quam damnabili vitia omnia [illegible] desidia: vulneratus adhuc alit vitam, otiosus culpabiliter patitur sepulturam. *Effeminatur animus*, [illegible] Seneca epist. 82. *atque in similitudinem [illegible], & pigritiae, in qua iacet, soluitur: quid ergo? [illegible] obrigescere satius est? Deinde [illegible] timent mortem, cui vitam suam fecere similem: multum interest inter otium, & conditiuum: quid ergo, inquis, non satis est vel sic iacere, quam, & istis officiorum verticibus volutari? Vtraque res detestabilis est, & contractio, & torpor: puto aequè qui in odoribus iacet, mortuus est, quàm qui rapitur vnco: otium sine litteris mors est, & hominis viui sepultura.* Profectò qui iacet conditiuo, immunis est à peccato; ast qui torpet, & maculatur culpa, & iacet sepultus inhonestè desidia.

Seneca. *Nunquam vacat lasciuire districtis.*

Cassiodor. *Districtio similis habetur, qui torpori relinquitur.*

Plutarch. [illegible]

Abul.

Masius.

Senec.

Otium est viui hominis sepultura.

122. Percurramus Dauidis historiam, videamúsque an bellum vtilius, an odium nocentius. Agebat sub dio oues curans, frigore adustus, ardoribus vstulatus: leo, & vrsus spe praedarum allecti egregio iuueni gloriam pepererunt: nam si quando innoxij agni sanguine dentes macularunt, vita, & sanguine audaciam etiam soluerunt: cum leonibus, vrsisque luctam illius procerae magnitudinis monstri excepere praelia, & Saülis fraudulenti certamina. Vicit omnia, & acerrima virtus ipsos per obices micantior eluxit; coronam pericula pepererunt, & immortalem famam dubia certamina elaborarunt. Is ergo toties victor, toties praeliator, aliquando censuit otio indulgendum, & a bellicis molestiis feriandum. *Eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab, & seruos suos cum eo, & vniuersum Israel, & vastauerunt filios Ammon, & obsederunt Rabba; Dauid autem mansit in Ierusalem. Dum haec agerentur, accidit, vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiae, viditque mulierem, &c.* Dauid dum tantisper indulget otio, dum lautiori studet prandio, suis oculis captus est: se homicidio maculat, adulteriique turpitudine obscurat, & tandem vel filiorum in se vltores explicat ente, & sustinet proditores. En Dauidi de certamine gloria, de otio magna pullulat ignominia. O quàm satius illi esset processisse in campum, & sustinere inimicum! rediret equidem nunquam caelo tactis, sempérque virentibus lauris redimitus; at lecto, somnóque indulgens occubuit miserabilius prostratus. Adest Basilius Seleucens. orat. 17. *Cum regiè Dauid epulatus esset, ac pollucibili mensa emollitus animo, meridiana sese oblectaret obambulatione, tunc Diabolus animi, curaque neruum remissum suspicatus, & mentem passionum aurigam indiligenter frenis succinctam, ac paruula quadam sui parte nudatum ab armis Optimatem, furtim cecidit ipsis iusti oculis vsus pro telo, & momento à via virtutis abreptum in adulterij praecipitium deturbauit.* Otij mollities ignominiosè subegit, quem nec ferae nec monstra, nec inuidia certaminibus deturbarant: vicit leonem, ab ignauia victus est: prostrauit gigantem, ab otio prostratus est; immortalem tulit campo coronam; torpens, lachrymis, sanguinéque detergendam sustulit ignominiam, vt plus blandum verearis otium, quàm saeuum truculentumque expaueris inimicum.

2. Reg. 11. v. 1.

Basil. Seleuc.

123. Vidit Ioannes Apocalypsis 12. signum illud venustatis elogium; verum dum micantiùs resplendet, & acriùs draconis inuidiam exacuit: mulier clamat, affligitur, & assumptis magnae aquilae plumis, desertorum ad inuia tendit, & montium horrores sustinet: *Datae sunt ei duae alae aquilae magnae, vt volaret in desertum locum.* Vides mulierem duri aemuli adurgeri versutiis, vexari praeliis, verte modò oculos ad Babylonem illam auro gemmisque refulgentem otio prorsus deditam, & desidiae mancipatam: *Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam.* Haec sedet otiosa auro, & pretiosis vnionibus redimita; illa draconis affligitur versutiis, & fugit impetita

Apocal. 12. v. 14.

Apocal. 17. v. 3.

impetita fallaciis: vtra tibi videtur felicior? quæ patitur otium, aut quæ sustinet aduersarium? Ad speciem facilis quæstio: nam Babylonia certaminis excusat molestias, & diuitiarum potitur delicias: ergo hæc longè fortunatior, & illa sorte deterior. Proh humanam cæcitatem! plus huic à desidia timendum, illi minus in certaminibus laborandum, illa periculis eruditur, metus aquilinas addidit alas, & alæ victo dracone peperere victorias: hæc dum torpet, dum otiosa sedet, dum purpura turpitudinem fouet, calamitatem asciscit, ac flammis immortalibus perit: ô quàm fulgidis illa redimitur stellis! o quam tetris luxuriæ hæc maculata sordescit fumis! satius illi esset prælium, periculosius fuit otium. *Mulierem sedentem*, inquit glossa, *id est illos molles, qui Eue, a qua peccatum inceptu, conformantur.* Sedet mollitie, torpet desidia, inerti quiescit ignauia; sed vlulatur & ignium pœna: *Ipsam igni concremabunt*: otiositas asciuit pœnam, labores, certamináque alteri elaborauere victoriam.

Labores pariunt victoriam, otia immortalem referunt pœnam.

Glossa.

114. Isaias populi calamitatem exaggerans, *Filij tui*, inquit, *proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum sicut oryx illaqueatus.* Et cur non deploret calcatos ab inimicis, duris oppressos catenis, ignotas ad regiones adductos? Cur non exaggeret dura cum hostibus prælia; sed tantummodo referat somnum? Profecto dormire, placidéque quiescere infortuniis non deputandum, sed inter felicitates censendum: cur ergo dormientes vocat proiectos, cum possit deplorare repulsis calamitatum vorticibus circumactos? *Filij tui dormientes*, inquiunt Septuaginta, *& indigentes in capite omnium viarum, sicut beta semicocta.* Exaggeratior populi miseriæ non erat hostile prælium, aut aduersariorum iugum; sed ignauissimus somnus. Hieronymum audi ad hunc locum: *Rectè dormire dicuntur illo somno, de quo scribitur: Dormierunt somnum suum, & inuenerunt nihil: quo somno consopiuit eos Rex Assyrius.* Certe dum indulgent somno, premuntur vinculo, sicut oryx illaqueatus: nec adeò illis infaustum esset ferreis premi vinculis, quam otiosis corripuisse oculos somnis, Rex Assyrius inerti sopit otio, vt æterno prestérit vinculo: conducibilius illis aduersum prælium, exitiosior extitit blandus somnus.

Isaiæ 5. v. 13.

Septuag.

Hieron.

125. Rex impius armatorum instruit phalangem, vt in vincula coniiciat Eliam: degebat ille tunc in montis vertice, cúmque appropinquarent milites, nec ab Angelo monitus, nec aliò translatus. *Misit ad eum quinquagenarium Principem, & quinquaginta, qui erant sub eo*: alibi cùm minantem Iezabel fugeret, ebriæque insano furore mulieris minas timeret, sub vmbra iuniperi defatigatus dormiuit, tuncque ab Angelo semel & iterum excitatur, & arripere fugam monetur. *Obdormiuit in vmbra iuniperi, & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge.* Et cur Angelus non suadet fugam, dum armatorum impetitur agminibus, si excitat eum fessis placidum somnum inspirat artibus? ibi opus erat admonitione, hic quiete; & qui interturbat placidam quietem, nullatenus fugientem admonet militum manum. Et quæ huius ratio? Quia hic somnus respondet glossa moralis torporem indicat, ac ignauiam. Angelus ergo vrgentiori subuenit articulo: quia plus à somno, & minus timendum erat ab inimico: *Obdormiuit in vmbra: tepor enim aliquando nominatur in Scriptura Sopor: & Ecce Angelus Domini tetigit eum: nam Angelus custos hominis eum excitat ad bonum exercitium.* Vt Angelus torporem excuti, ac plusquàm militum phalangas timeri: ideò alibi non suadet fugam, & alibi teporis medicatur ignauiam: vt discas plus verendum iners otium, quàm certaminis honesti periculum.

4 Reg. 1. v. 9.

3. Reg. 19. v. 4.

Gloss. mor.

§. XXVIII.

Nonnulli non semel vni denegarunt vitio, quò plus alij impertirentur piaculo.

NOn solùm inter virtutes, erroresque continua versatur rixa, sed scelera ipsa circi digladiantur arena: sibi refragantur in peius, & maligno peruersitatis studio aliud premitur angustius, quo aliud insaniat effrænatius: sic vni vitio impensius aliquando deseruit affectus, vt totus illi animi dedicetur conatus: luxuria sibi est parca, vt meretrici sit prodiga: non colit frugalitatem virtutis studio; sed saturatur stomacho, quod impenderit turpitudinis desiderio. Sapientis vitæ actiones amica pace concordant: ad legem viuunt, & ne rationi vita dissentiat, vnius semper coloris est: ambitiosi verò, luxuriosique vita sibi aduersatur contraria, & furit aduersa: vel quæ virtutis habent speciem, vitia sunt: quia non honestatis animo; sed impietatis militauere proposito. *Obserua itaque*, monebat Seneca suum Lucilium epist. 20. *numquid vestis tua domúsque dissentiant, numquid in te liberalis sis, in tuos sordibus, numquid cœnes frugaliter, ædifices luxuriosè.* Quidam se domi contrahunt, foris extendunt: nil edacitati permittunt, vt auaritiæ adulentur: alij cupiditatis detrectauere consilia, vt peregerint carnis negotia: non sunt ij virtutis asseclæ, sed vitiorum serui: itaque vitium non tollitur; sed vt colatur aliud, torquetur. Deus cùm Hebræorum populum in hæreditatem induceret non omnes incolas simul protinúsque deleuit; ad populi tamen vtilitatem postea deleturum promisit: adauctus paulatim populus possessos limites extendebat, hostésque diuino auxilio munitus depopulabat. Itaque initio eas solùm ab aduersariis ciuitates eripuit, quas commodè quiuerat habitare; reliquas verò opportuno tempore se traditurum promisit Deus: *Ego sum, qui delebo eos à facie filiorum Israel: veniat ergo in partem hæreditatis Israel, sicut præcepi tibi.* Rogat Abulensis, cur licet populus terras illas a Deo datas, quia numero exiguus, incolere non valuerit; in hostiles tamen habitatores non mouerit bella, & effuso cruore tinxerit arma? Respondétque hoc factum esse, ne ab vno ereptum inseruiret alij inimico: quod non solùm esset frustraneus labor; sed indecorus sudor: nam si ciuitates à possessoribus ereptas minimè habitare valeret Hebræus, vacuas, & scopis mundas post tot labores relinqueret, hostésque alij habitaturi inuolarent, inseruirétque deteriori fortassis hosti, quod non exiguo labore ab alio ereptum, & antiquis incolis denegatum: esset itaque & laboriosus conatus, & nullus fructus: quia desudarent certamina, vt alios abigerent, aliósque vocarent. Audi Abulensem quæst. 8. *Cum non possent totam terram populare, manerent vrbes vacuæ, & venirent*

116.

Seneca.

Nonnulli luxuriant ædificijs, sordent parcissimis ornamentis.

Abul.

tem alienigena, qui in circuitu habitabant, vel residui de populis Chananæorum ad occupandum oppida vacua: & sic semper maneret Iudæis bellum, essentque plura bella: melius ergo fuit, vt semel pugnarent contra habitatores terræ, & tunc occuparent terram totam, quàm vt expellentes illos à principio iterum pugnare deberent contra alios hostes nouiter superuenientes. Quid prodesset à Chananæis auferre, & Amorrhæis, aut alij genti parare? Inutile sanè bellum, quod hostes, vt inseruiret hostibus, depellebat, & vt pacatiùs alij degerent, in aliis depellendis sudabat.

117. Prodigus ille cùm in longinquam patriam excederet, paternisque se obtutibus denegaret, vitiis effrænis indulsit, & voluptatibus profusissime militauit: tandem seruire cogitur, qui patere contempsit, & imperium meritò sustinet durum, qui imprudenter detrectarat paternum: *Adhæsit*, inquit, *vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* (Luc.15.v.16.) Ibi torquebatur inedia, & discruciabatur porcorum cura: sibi vel angustum negabat victum, vt lautiorem porcis præberet pastum: *Ego*, exclamat, *hic fame pereo*: & cur si rusticis insinuas siliquas, non vesceris? Nullus vetat, inuitat copia, & torquet stomachum indigentia. Ergo fruere concupitis, nec ardentibus vim intuleris desideriis. O iuuenilem dementiam! Desiderium extinguit desiderio: cupit propriæ necessitati indulgere, sed & porcos discupit saginare, & ne quid immundis animalibus desit, viscera iniqua fame contorsit. Apte Chrysologus serm. 1. *Quam crudele ministerium, quia neque communis porcis. qui viuit porcis: miser qui porcorum esurit, & deficit in saginam. miser qui squalentis cibi cepit, nec ipso tenet qualitatem.* (Chrysol.) Fierit dure ieiunus luido vultu, vacuo ventre, sitientibus labiis, & hoc totum non in virtutis obsequium, sed in porcorum seruitium: sibi negat, vt quod porcis largiatur, habebat: *porcorum esurit, & deficit in saginam.* Redeat iterum Chrysologus serm. 5. *Misit*, inquit, *illum in villam suam, vt pasceret dæmones thure, victimis, sanguine.* Colebat adolescens Venerem, vtque Veneris pinguesceret ara, seipsum macerabat inedia: ipse sui carnifex, & amentiæ erat supplicium, & luxuriæ votum. Nudus alget, famelicus riget; & tamen sic Veneris aris deuotus, vt semper impia cumulerit sacrificia: sordet habitu; imò ipso denudatur vestitu, vt Venus aut Ceres fulgenti vestiantur purpura, & pretiosa è collo pependerit margarita. Gula torquetur, vt turpitudini amplius seruiatur.

Turpitudo cum dementibus habitationis præmium.

128. Non prodigo Nabuchod. dissimilis: somno illo depinxit mores pluralitatis penicillo; imò quod verius, somno mysterio: arborem intuetur proceram, foliis pomposam, floribus nitidam, fructuumque copia superbam: ibi volucres veluti opipara mensa pascebantur, ibi amdlos nidos inhabitabant, colorúmque varietatem comebant: *Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea: subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli, & ex ea vescebatur omnis caro.* (Dan.4.v.9.) Quid tunc? Ab hominibus exul deserta incolit, & pascitur angusto freno Nabuchod. *Ex hominibus abiectus est, & frenum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est.* Quàm miris coloribus spiritus depinxit ænigma! Ecce Nabuchod. inuestis, cæli rore tingitur, vt rapinæ auis vario colore pingatur: ecce freno nutritur insipido, vt illam fructu saginauerit saporato; imis degit homo, vt volucris garrula & plena vnguibus habitauerit altis. Quam miser homo, cui de nimio fructu edere nihil licebat, & quem superba largitas defœdabat; nihil defuit aui, nihil ex arbore fuit Nabuchod. Circæis cantibus illigatus infortunio suo iucundissimus inseruiebat, & sibi pœnam improuidus aggerabat. *Alligabitur*, inquit Hugo, *vinculo ferreo, & æreo, id est forti, & durabili, & indissolubili, sicut animal lasciuum & crudele.* Non potuit non sibi esse crudelis, qui insanæ studebat lasciuiæ, nec tot fructus suppetere potuerunt, vt frugaliter saltem viueret, & vt decebat luceret. Sibi defecit, ne intemperantiæ deficeret: frenum comedit, delicias præbet: temporum patet iniuriis, vt meretricum inseruiuerit desideriis. Quàm seruus, quàm vinctus, quàm illigatus, qui se effræni mancipauit luxuriæ, & deuouit immunditiæ!

Hugo hic. *Ligatur vinculis, qui se turpitudinis tradiderit desideriis.*

Proferamus iam aliud huius thesis non ineptum exemplum. Crinitus ille Absalomus luxui, fastuíque studebat: nutriebat comam, vt iam ex tunc humanæ se naturæ ostenderet ignominiam? aliquando tamen à vitio transibat in vitium, tondebatque comam, vt auro repleret bursam: temperabatur fastus, vt cresceret census, & quod negabatur vni, vitio dabatur alij: *Quando tondebat capillum, semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* (2. Reg. 14. v.16.) Auaritiæ cupiditatísque consilia in luxus armantur vota: nimius capillorum reprimitur cultus, vt aureus oblectauerit numus: quod à pompatico fastu præcidit, auaritiæ flammis deseruit: transit à capillorum luxuria ad numorum auaritiam, & quod alij aufertur, alij iniquissimè consecratur. Adest Drogo de Sacram. Domin. passion. *Qui sibi comam nutriunt, cæcitatis, & grauitatis sibi damnationem acquirunt: propterea lucis huius beatæ visionem perdidit Absalon, quia grauabat eum cæsaries, & non nisi semel in anno tondebatur, & crines suos ponderabat ducentis siclis pondere publico, vnde in eodem crine suspensus ad arborem interijt: Absalon patris pax ipse est & Iudas.* Ecce idem & Iudas & Absalomus, vt benè addiderit Drogo: *vnus est, & multi sunt*: erat vnus numero, multiplex vitiorum voto: ab Absalomo transibat in Iudam, & à Iuda reuertebatur in Absalomum: tondebat fastum, decurtabat capillos; sed vt Iudæ ad instar auaritiæ præberet aureos: vices vitiorum alternat, nec deserit; sed commutat. *Crines suos ponderabat ducentis siclis pondere publico.* Aut auaritiæ seruit capillos tondens, aut si non tondet, cæcitatis comam effœminatus enutrit. In mensa lucet frugalitas, apparet in vestitu modestia; sed census profunditur ad luxuriam. Carnem alius frænat, gulæ aduersatur; sed vt miserrimus cumularit pecunias, quas aut iniquus dissipet filius, aut dilapidaret extraneus. Si criminibus bella indigis, virtutibus serui: etenim infelicitatis summum, & virtutis subire ærumnas, & vitiorum mereri pœnas. Iure ergo Deus suos alumnos vetat ciuitates eripere ab hostibus, vt hostibus inhabitandas relinquant: nam cùm nulla Israelitis accresceret victoriæ commoditas, plurima certaminis afflixisset anxietas, melius quidem erat acquisita seruare, quàm

129. Drogo. *Qui comam nutriunt, cæcitatis damnationem acquirunt.*

quàm nunquam seruanda desiderio inutili acquirere.

130. Claudat hanc thesim Dauid ad speciem insaniens, & mysterio suo nostram insaniam apprime depingens. Fugit Saülem virulentissimum hostem, quem beneficia actiùs inflammarunt ad odia: in Regis Achis ditionem se recepit, si forte placatior sit inimicus, quem non vrgebat inuidia, quàm socer, quem liuoris desæuire fecerat temulentia. *Fugit in die illa à facie Saül, & venit ad Achis Regem Geth*: ibi à Regis ministris cognitus timet, vtque frustraretur pericula, prudenter affectauit deliria: *Immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum.* Suæ ad speciem insipientiæ coloribus nostram exprimere nititur insipientiam; sed videamus, cur hic insani mutuetur personam, retuleritque insipientis speciem: *Vidistis hominem insanum*, inquit Achis seruos alloquutus, *quare adduxistis eum ad me?* Si Dauid spelæa ingressus, vt artes inuidentis eludat; si montium iugis exul, si syluarum protectus latebris non insanit, cur in Achis ditione fuit? Ea mihi se ratio offert: scilicet quia confugerat ad Achis, prolixis namque viarum erroribus fatigatus hostem non fugit; sed commutauit: se Saülis subtraxerat inuidentiæ, sed se Achis deuouebat malitiæ: cumque anxio labore incrementaretur anxietas, nulla relucebat securitatis commoditas: quid enim amplius habebat Dauid post tot periculosos excursus, nisi hostem pati nouum, si non sustinebat antiquum? Insaniat ergo, dum se alteri subtrahit, vt alij mirifice deuouerit: appareret equidem prudens, si Saülis prauus frustraretur malitiam, atque in virtutis recepisset tutelam: at deterioris subire iugum pessimum erat commercium, & insaniæ testimonium. Iosephus lib. 6. antiquit. cap. 5. ita scribit: *Dauid ex omni regione Hebræorum fugit in Geth, quæ est regio Palæstina, vbi regnauit Achis: cùmque cognitus esset à famulis regis indicantibus quod multa millia Palæstinorum peremisset, metuens Dauid, ne periculum, quod declinauerat à Saül, ab illo susciperet, simulauit se esse furiosum, & rabidum, ita vt spumam ex ore proijciens, & alia, quæ furiosi solent, faciens, fidem regi veræ passionis ostenderet.* Summam prudentiam specie imprudentiæ texit: sed ad nostram eruditionem ibi audiuit insanus, vbi ex hoste ad hostem se contulerat fugitiuus: nec enim non esse potuit insaniæ species, se subducere malo, vt nequiori tradiderit. Si te denegaris vitio, alterius vitij colla non subdideris iugo. Fuge ad Nobe Dei tabernaculum, vbi inuenies alimentum; non fugias ad Achis: nam patefacies delirium. O quot satis cæci mores non corrigunt; sed nocentioribus sæpè commutant! Ille, ne domum frequentaret amicæ, se spectaculis dedicauit, & oblatrantium turbis adiecit? ille, ne detrectationi otiosorum gregi adiunctus materiam subministrarit, mulierecularum domum adiuit: hoc profectò non est vitia deicere; sed mutare. Animus efformandus est, & vel leuibus vitiis repurgandus: à vitio namque transire in vitium, criminis non erit probrosam fugisse notam; sed addidisse transmigrationis molestiam. Dauid insani speciem assumit, dum, vt fugiat aduersarium, recurrit ad inimicum.

1 Reg. 21. 10.

Ioseph.

§. XXIX.

Sæpissimè acceptum minus excitat ad obsequia, quàm acquirendum beneficium impulerit ad seruitia.

Non est homo adæquè cupidus & gratus; sed quasi violenter gratus, & innatè cupidus: hinc est vt si cupiditas votum impleuerit, torpeat, quantumuis gratitudinis ratio vrgeat. Nihil ingratis communius, cupidis nihil frequentius: dum spes allicit, obsequuntur, adstant, adulantur; si verò spes iam fructu percepta euanuit, aut nihil debentium indecorum quærunt odio testimonium, aut exhibent sanè debitum lentissimè obsequium. *Pompeius*, aiebat Plutarchus in præceptis politicis, *nondum in Senatum lectus triumphum postulauit: cum intercederet Silla: plures Solem, inquit, exorientem adorant, quàm occidentem: quod vt audiuit, cessit Silla.* Ambitiosè altercabantur de triumpho: quia triumphi quisque vrgebatur ardentissimo desiderio: Silla plurimos obstrinxerat beneficiis, verùm Sol occidens, quia iam obstrinxerat. Pompeius plurimos alliciebat spebus, quia tunc exoriens: hanc ergo vt exorientis Solis partem plures secuti sunt; cessitque Silla & disertus & multus: nec enim homines sic beneficiis excitantur acceptis, vt solicitantur promissis. Sol occasum intrat, postquam tellurem benignis fouit influxibus, ac proficuis illustrauit luminibus: cum orientis cunabulis micat, in spes erigit, & hæc ipsa beneficia promittit; at hominum plures orientem Solem, quam occidentem adorant: quia sæpissimè acceptum minus excitat ad obsequia, quam acquirendum beneficium impulerit ad seruitia. Cessit prudentissimè Silla: quia ipse Solis occidentis ad instar iam contulerat beneficia; at Pompeius orientis specie promittebat futura: & quidem homines quæ retrò sunt, ferè semper obliti, & futuris sæpiùs allecti. Hinc Deus, quò deuotiùs Hebræi suo manciparentur obsequio, non omnem protinus hæreditatem tradidit; sed non modicam illius partem in futurum largiendam tempus promisit: *Ego sum qui delebo eos à facie filiorum Israel: veniat ergo in partem hæreditatis Israel, sicut præcepi tibi.* Dum ambitio spebus inescata pendet, obsequitur; si nihil vltra conata, protinus obliuiscitur. Ergo Deus partem dedit, partémque promisit, ne spes longa votis fraudata vexaret, & ne possessio spebus nuda animos seruientium remitteret. Seruient, si quid sperauerint, ast si spes affulserit nulla, aut detrectabunt imperium, aut denegabunt seruitium: *Nouit*, scribit Masius, *quibus rationibus generi humano consulere debeat.* Deus non solùm gratulatur cupiditati possessis; sed & virtuti promissis: consuluit promittendo, quia minùs fortè consuleret dando: nam homines si iam desideriorum expleuerint vota, facilè negabunt obsequia, aut different gratitudinis digna tributa.

131.

Plutarch.

Sol oriēs adoratur, idem occidens contemnitur.

Masius.

Ecce sicut oculi seruorum, aiebat Psaltes, *in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Non ignoro illud *donec* tempus post impetratam misericordiam non exclusisse; ad mores tamen 132.

Psal. 122. v. 2.

sic

[illegible] est solum [illegible], vt accipias.

sic velitor: Oculi in spes suas expansi inuigilant, vt impetrarint misericordiam; at si semel misericordiam adepti, & fortassis obliti. O quàm aliò dirigentur tunc oculorum pupillæ! ó quàm tunc inerti prementur somno, & obliuionis immergentur lethæo! *Donec misereatur*, inquit, *nostri*. Certè dum ambimus, dum salutem desideramus, dum graue aliquod negotium gerimus, aras lautis oneramus muneribus, cælum frequentibus pulsamus suspiriis, patronos nobis adstringimus largissimis votis; at si ex sententia negotium cessit, dedecorosa statim irrepsit obliuio, & ingratissimo memoria marcebit somno. *Ad Deum*, inquit Euthymius, *assiduè, & constanter adspiciunt, quódque nullam aliunde habent auxilij spem; quinimo, & quod nunquam desistent, donec misericordiam consequentur*. Preces iterant, supplicationes ingeminant, vota repetunt, lachrymas cient; sed id totum, donec consequantur optata; posteà verò adhuc non extabit memoria. Segniùs plantam colit agricola, ex qua vltimum fructum decerpsit; curiosius ex qua in flore fructus arrisit.

Euthym.

133. Chananitis mulier sæuo dolore calamitatis vnicæ filiæ sauciata ad Dominum inuolat, tantæ stragi auxilium in lachrymas effusa deposcens: *Fili Dauid miserere mei: filia mea malè à dæmonio vexatur*. Aduersarij cum puella lamentabatur congressum, & à Domino supplex contra inuisum hostem anxie flagitabat auxilium: Dominus inhumanitatis specie silentium tegit humanissimum, luctu confectam limis aspicit, & commiserationem indulgentissimus differt. Apostolorum chorus cùm neque silentij Dominici sapientiam satis calleret, & luctuosæ mulieris voces benignas aures ferirent, vicarius intercessor apud Saluatorem conuenit, & mulieris miseræ fiût oratores discipuli Iesu Christi: *Dimitte illam, quia clamat post nos*: aptiùs fortassis, concede illi: tenebátne illam Dominus, vt dimitteret? Ad hæc cur dimitteret, si concederet? Imò votorum compos plantas deoscularetur citiùs accedens, & studiosiùs assistens. Ergo sententiam demutarint Apostoli, dixerintque: Annue miserrimæ votis, & opem fer desideriis. O Apostolorum de Domini schola sapientiam! *Dimitte*, inquiunt, id est, concede: adeò enim synonyma sunt accipere, & recessisse, vt indulgentissima concessio celerrima vocari quiuerit missio: tenetur, dum ambit; sed si impetrauerit, fugiet. Aptè Interlinearis Glossa: *Dimitte eam, quam tenes non exaudiendo*. Tenetur, dum non exauditur; fugiet quamprimùm, si exaudiatur. Aspice mulierem ad Domini pedes deuolutam, dum petit, votis insistentem, dum rogat, lachrymis exundantem, dum supplicat; ast post benignissimam Domini indulgentiam: *fiat tibi sicut vis*; quantumuis reuoluas sacras paginas, non inuenies aut gratias egisse, aut Domino se associasse: tenebatur non exaudita; fugit supplicatione impetrata. Non crediderim Scripturæ silentio inustam mulieri ingratitudinis notam; sed nobis præparatam doctrinam.

Matth. 15. v. [illegible]

Interlin.

134. Dum Christus Dominus tenderet Ierosolymam, opus fuit per mediam excurrisse Samariam: oppidulum ingresso decem occurrerunt leprosi morbo medicamenta exoptantes, vocéque ad commiserationem mouentes: *Steterunt à longè, & leuauerunt vocem suam dicentes: Iesu præceptor miserere nostri*. Dominus vt erat benignus, legísque cultor strenuus, ad Sacerdotes remisit; verùm in medio cursu extracta est macula, quia detersérat obedientia: *Factum est, dum irent, mundati sunt*: reliquis benefactoris oblitis vnus, ísque alienigena gratitudinis honesta impensurus tributa rediit; & ad Domini genua prouolutus beneficium testatus est: *Vnus ex illis vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum: & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens*. O miraculum modò non opinabile! Vocem leuarat, vt impetraret medelam, & auget vocem vt sanitatis euulgauerit gratiam: è pluribus vnus tantùm redit, ísque quodammodo Domino admirationi fuit: *Cùm decem essent*, inquit Theophylactus in catena, *nouem qui Israelitæ erant, ingrati fuerunt; sed alienigena Samaritanus reuersus voces emittebat benignissimas*. Ni à reliquorum ingenio, patriáque distaret, haud quidem gratias acturus rediret; imò animum diuertisset ad alia, nec debita ob acceptum beneficium Domino impendisset obsequia. Mira res: longiùs erat salutis ambitor, proximiùs gratiarum actor; cùm reliqui approximent, vt impetrent; longiúsque si obtinuerint, recedant: alienus quidem erat hic ab hominum consuetudine: ni enim esset alienigena, indecorum seruasset obliuionis stylum, & ingratitudinis modum. Aptiùs ad rem Maldonatus: *Antequam a lepra curatus esset, procul insistens clamauerat; postquam verò sanatus est, ad pedes vsque Christi accessit*. Stylus quidem insolitus, & hominum consuetudini aduersus: ideò Christi meruit elogia: & quidem mirabilius reditu accessúque, quàm abscedentis lepræ curatione miraculum. Verùm etsi altè hominibus insideat, dum ambiunt, exhibere seruitia, iámque adeptos detrectasse ferè semper obsequia; mos hic intimiùs hæret hominibus mediocris notæ, artificibus, & plebeiis: profectò si illorum operas anticipata solutione coëmeris, in sæculum different; si tamen expectauerint pretia, celerrimè consummabunt: vbi nullum nouum relucet illis emolumentum, & labor generabit fastidium; si tamen allexerit lucrum, oculis permittent minimè somnum.

Luc. 17 v. 12.

Obedientia optimum medicamen.

Theophyl.

Maldonat.

135. Adest Giezi Elisæi minister, qui missus ad suscitandum puerum, Sunamitidis scilicet filium, quamuis properare sit iussus, lentissimo gradu viam emensus est: *Giezi præcesserat ante eos, & posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus*. Non cucurrit, vt excitaret puerum; cucurrit verò, vt adiret leprosum: nam cùm Naaman lepra mundatus patriam repeteret, Giezi ocyssimo excurrit gressu; imò celeri peruenit volatu: *Sequutus est Giezi post tergum Naaman, quem cùm vidisset ille currentem ad se, desiliit de curru in occursum eius*. Vides celeritatem, attende moram: *Non erat vox neque sensus*. Vita puero restituta non est: & quidem ob Geizi negligentiam, & in itinere contra præceptum ignauiam. Audi Lyram. *Dicit R. Sa. quod hoc fuit propter demeritum Giezi, qui non seruauerit præceptum Elisæi*. Elisæus perurgebat ad cursum; sed minister cunctabundus ponebat gradum. Inquiramus modò cur adeò celer alibi, & alibi fuerit adeò morosus? Ea se mihi offert ratio, scilicet à Sunamitide illius itineris pretium

4. Reg. 4. v. 31.

4. Reg. 5. v. 21.

R. Sà. *Minister Domino non obsecutus, reipublicæ vtilitati est aduersus.*

pretium iam solutum: hospitio namque sæpiùs receperat, ac Giezi alimenta ministrarat: illi ergo nullus de itinere quæstus, ideò morosissimus gradus; ast dum accessit Naamano, lucrum quæsiuit, nec illum spes fefellit: ideò hîc arripuit cursum, cùm ibi repigrauerit gradum. O quàm morosus, quàm lentus, vbi spes animo non addiderat alas, quàm celer, vbi spes desideriis indidit plumas! Solutum pretium velocitatis fuit remora, spes pernicitati fuit ala. Verum hoc profectò infimis in hominibus; at in ingenuis contrarium.

136. Magi illi Domino recèns nato primitiæ astro fulgentissimo sunt perducti: peruenerunt ad tuguriolum feliciter, ibi sacratis primùm affectibus recens nato puero seruitutis testimonia munera obtulerunt ditissima: *Obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.* Oblationis fructus fuit subdolus Herodes frustratus: *Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Ductos per Angelum syderis specie vestitum censet Remigius apud D. Thomam. *Dicunt hanc stellam fuisse Angelum, vt ipse, qui apparuit pastoribus, apparuerit & Magis*: responsum iam non ab Angelo; sed ab ipso Domino acceptum tradit Hieron. hic: *Qui munera obtulerant Domino, consequenter responsum accipiunt non per Angelum; sed per ipsum Dominum.* Profectò non solùm regium; sed diuinum fuit se solicitiorem ostendere acceptis, quam muneribus expectatis: creaturæ namque, si iam perceperint emolumentum; remittunt ferè semper studium: multa offerent, dum sperant; at si cessarit spes, aut oblinionem affectant, aut colorant ignauiam. O quam pauci gratitudinis leges implerunt, quam plures negotia cupiditatis tractarunt! Rex proditur, Deus ostenditur, qui acceptis iam muneribus solertius Magorum tractat negotia, & securiùs disponit itinera: si enim tantummodò fuisset humanus, se diligentiorem ostenderet spebus allectus, negligentiorem muneribus iam donatus. Ergo Domino deuotiora impende seruitia, vt qui accepta copiosiùs remuneret, & cumulatius gratificetur: fuge morem gerere creaturis, quæ dum copiosioribus beneficiis obstrictæ argumentum nihil debétium quærunt odio, aut sanè contestantur fastidio. Spebus tantummodò alliciuntur; collatis verò beneficiis vtplurimum amandantur: nolunt creditorem beneficiorum aspicere, quia ingratissimè detrectant soluere: rarus inuenitur gratus; ingratus semper est obuius.

Matth. 2. v. 11.

Remig. Mag in stella Angelus.

Hyeron.

---

§. XXX.

Mortem non semel acerbiùs ampla dispoliari fortuna, & duro subdere seruitutis iugo colla.

137. AD tuendam fortunam alia fortuna opus est: plus minatur, quàm tribuit, & velut oborta repentè sæua procellâ, quæ modò placidis alludebant vndis nauigia, iam illisa ad cautem, aut compugnantibus ventorum flatibus scissa miserrima pertulere naufragia: ita sæpè qui fortunæ apice sublimes, ipso felicitatis pondere ruunt deiecti, aut odij inuidiæque pulsibus in præceps profundo subsident agitati. *Iam quanta sit in rebus externis obscuritas* (scribit Philo lib. 1. de Ioseph) *quis nescit? ingentes opes sæpe vna dies abstulit: multi honoratissimi antea versis rerum vicibus in contemptum venerunt cum ignominia, imperia regum maxima breui temporis momento subuersa sunt.* Quisquis caducis fidit, non tantùm audit imprudens; sed iure insanus, aut profectò stultus; solemne est orbi imitari Promethrum, vt varias crebrò inducere formas. Quàm bene Tertullianus lib. de pallio, cap. 2. *Quid non aliud ex alio mutat? & montium scapulæ decurrendo, & fontium venæ ebullando, & fluminum viæ obumbrando. Mutauit & totus orbis aliquando aquis omnibus obsitus: adhuc maris conchæ & buccinæ peregrinantur in montibus cupientes Platoni probare etiam ardua fluitasse; sed enatando rursus infima mutauit, rursus orbis alius.* Videas modò conchas profundiori mari detrudi; modò iugis montium altissimis eleuari: videas ingentes lapides omnis prorsus metus expertes è montium apice ventorum elocari violentia, & altis commutasse profunda. *Dionysius in Corintho*, addit Philo vbi suprà, *quondam tyrannus Siciliæ, mox pulsus, & Corinthum profugus litterator factus è tanto Principe.* Quid Principi miserius, aut quid ab antiqua fortuna longius? verùm nondum in Dionysium totam indignationis vim effudit, dum è throni fastigio vsque ad puerorum deiecit importunissimum magisterium: adhuc pharetra seruauit sagittas, quibus Cræsum indignata feriret, & in exemplum vltimæ calamitatis proponeret: *Cræsus rex lydiæ*, Philonem audis, *ditissimus regum, qui sperans se deleturum Persarum potentiam, non modo proprium regnum amisit; sed & ipse viuus in potestatem hostium redactus, minimum abfuit, quin exureretur.* Iniuriæ seruatus est, fortunatiùs cinerescеret vstulatus, quàm obtéperauit seruus: vt cumularet iras, seruauit, quem mitior exureret: morte namque acerbius amplas amisisse diuitias, & infames seruitutis pati catenas. Deus populi virtutes cumulatissimis præmiis remunerans aduersarios omnes se penitus deleturum promisit: *Ego sum, qui delebo eos*, à facie filiorum Israël. Non modica interpretibus quæstio circa promissum: constat namque plures gentes inter Israëlitas vixisse, sæculisque longissimis perdurasse. *Dicet aliquis*, scribit Abulensis quæst. 6. *quod istud verbum Dei non videtur verum: quia nunquam omnes istæ gentes deletæ fuerunt.* Vides dubium, audi responsum. *Respondendum est quod omnes istæ gentes deletæ fuerunt à facie filiorum Israel, non quidem quòd omnes occiderentur, aut è terra fugerent; sed quia eis subditæ fuerunt, & tributa soluebant, & hoc est delere: quia imponebatur gentibus istis quoddam genus seruitutis, & ista est mors ciuilis, vel deletio.* Ecce duriorem mortem, deletionémque luctuosam non carere vita; sed subdere iugo colla: qui vita cedunt, non delentur, sed moriuntur: aliquid supra mortem addit deletio: hi ergo qui iniuriæ sunt reseruati, grauiori morti ciuiliter occubuerunt occisi: quid enim durius, calamitosiúsque ingenuo, & purpureis fasciis orto, quàm nudari corona, nec denudari vita? habet enim sæuos, geminósque carnifices felicitatis antiquæ memoriam, & præsentis calamitatis miseriam. O quàm distorquetur recordatione, quàm discruciatur sæpè salute! Conducibiliorem

Philo. Imperia maxima non semel momento subuersa.

Tertull.

Philo.

Abulens.

rem sibi exoptat studiosissimè mortem, ne miserrimam ignominiis ac doloribus plenam sustinere cogatur vitam.

138. Componamus duorum idolorum casus: populus tam necessariæ Moysi absentiæ impatiens deos sibi producere cupit: vrgetur Aaron, & internæ ambitionis tumultu, & externi tumultus metu: iocalia postulat, flammis committit, & ignis defundit vitulum, insipientiam populi, & brutalitatem sugillans: Moyses monte descendens, & flagitium intuitus in idolum irruit, & flammis tradens nigras in fauillas redegit: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem:* proh politicum ignem, ingenium opportunitatibus temperantem, & studiis principum inseruientem! Vt Aaroni aduletur conflat vitulum, vt Moysi morem gesserit, redigit in minutissimos cineres, quod conflarat: quasi cum tempore ignis varietur natura, & cum Principum arbitrio ingenium exuerit, aut admiserit flamma. Denique vitulus infortunatus ipsa fortuna sordet sterquilinio, qui emicuerat, dum aurum, collo. Verte modo oculos ad Dagonem illum insanis sumptibus cultum, & superstitiosissimis ritibus celebratum. Cùm Arca veluti spolium eius in templo suspenderetur, è throno idolum deiecit, & in modum supplicis compulit leuare manus, inclinare ceruices: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* Abulensis quæst.11. hoc factum arbitratur, quò dilucidiùs idolum nihil esse ostenderetur. *Hic ponitur pœna, quæ secuta est super deos Philisthinorum, nam posuerunt Philisthini arcam apud Dagon ad laudem Dagon; Deus autem voluit ostendere Dagon nihil esse, & arcam suam esse gloriosiorem Dagon.* Iam pungit scrupulus: nónne melius nil esse idolum constaret, si ad nihilum Deus vti vitulum redegisset, si in fauillas, vt olim, leuissimas dissipasset? nónne hoc grandius haberetur supplicium, & durius censeretur tormentum? Profectò aliquid est Dagon, dum iacet, dum manus, quas leuet, habet, dum caput inclinat: nihil sanè esset, si aëre raptus, aut minutissimos in atomos comminutus: ergo si ardentior indignationis furor in idolum armatur, prorsus atterat, nec minima vestigia relinquat: imò vt grauiùs puniat, inquit Abulensis, relinquit: nec enim adeò acerbum idolo flammas sustinere, quàm culmine dignitatis detrusum arcam heri captiuam in modum supplicis colere, manúsque veluti fortunæ inducias postulando leuare. O quàm acerba sors è throno disiici, & ad heri captiui adorationem, & cultum cogi! Non dubium, si detur optio, deligendum fore nigras; ac horrendum ebullientes sustinuisse flammas, quàm deiectum, prostratúmque olim captiuæ arcæ corporis gestu profiteri victorias: celebrior arcæ triumphus, non sæuus adeò detriti idoli cruciatus.

Exod. 32. v. 20.

Vel ad inanimata transit ad speciem adulationis ambitio.

1 Reg. 5. v. 3.

Abul.

139. Modò se offerunt duo illa Nabuchodonosor supplicia. Statuam phantasiæ tabula ambitionis penicillo depingit hircoceruorum inuidiam, caput aureum pectus argenteum, corporisque reliquum durissimis variisque metallis conflatum; verùm dum imbecillibus plantis tanta moles nixa, & facillime vel lapilli ictu deiecta. *Abscissus est lapis de monte sine manibus & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos:* adeò vanitatis tyrannide tenebatur captiuus, vt ad saniorem sensum nec inopinus reduxerit casus. Arborem etiam videt superbiæ vndis floridam, & vanitatis irrigatione pomparicam; sed somniatæ proceritatis inane gaudium horrendum interturbat supplicium: folia auelluntur, disperguntur fructus, scinduntur ramorum brachia; solúmque radicum germen relinquitur, & ferreis vinculis illigatur. *Vinciatur ferro, & ære in herbis foris, & rore cæli conspergatur, & cum feris sit pabulum eius.* Præpostero sanè ordine mulcta videatur decreta, & pœna delictorum inflicta: priùs namque adhuc supplicio non monitus; posteà institit delinquere castigatus: & vt benè Cassiodor. 4. variar. 25. *Non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus.* Ergo grauiori supplicio dignus, dum superbas iterum animo gerit cogitationes, dum se fingit arborem Briarei adinstar centimanum, vt quem duabus statuæ non potuit vlnis rapere, thronum valeat multiplicatis eripere: si creuit furoris insania, cur supplicij non creuerit pœna? Antea statuæ non remansit memoria: *Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullúsque locus inuentus est eis:* modò, & seruatur germen, & viuit radix: ergo inuerso ordine decernuntur supplicia, & infliguntur tormenta; imò ob id ipsum debito modo decreta est pœna: durius namque erat Principi, qui olim nutriebatur in croceis, amplexari stercora, quàm redactum in minutissimos cineres excidisse prorsus memoria: pati vinculum, vesci fœnum, antiquúmque memorari thronum gehennalium cuinei bat furiarum in distorquendo sæuitiam: nec Sisyphus rupe, nec Ixion rota, nec fugitiua Tantalus aqua, nec Prometheus adunco vulturis rostro hanc exæquare præsumpserint pœnam, quandoquidem Nabuchodonosor, & sæuissima dilaniabatur felicitatis memoria, & infami arctabatur catena: adeò luctuosæ calamitatis mors profectò fuisset remedium, & productior vita cumulatius incrementabat supplicium. Repetere posset Seneca epist. 96. *Tutus contumeliæ causa:* non est seruatus ad vitam; sed grauiorem seruatus ad pœnam: quia extremam seruatus ad ignominiam: *Quia in cælum ascendere se somniauit,* inquit Theodoretus orat. 4. *illinc sententiam de se latam sensit, & quia non satis ei fuere ædes regiæ in terris deorsum; sed simul etiam superiores dementer appetijt, his etiam priuatur, quas deorsum obtinebat: & qui cælum rapere voluerat, è terra quòque expellitur: vox itaque de cælo venit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex.* Attendenda curiosiùs, quæ subdit: *Ipsum adhuc regem vocat, & præsentem adhuc gloriam, & haud multò pòst futuram ignominiam ostendens.* Alibi casu finita est pœna; hic casum est secuta ignominia: decentiùs prorsus finisset vitam; durius, inhonestiúsque pertulit seruatus infamiam.

Dan. 2. v. 34.

Naxera in Iosue Tom. 2.

Cassiodor. *Non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus.*

Dan. 2. v. 35.

Senec.

Theodor.

Cùm Arca in Hebræorum castra venisset, summo militum recepta est plausu: voces lætantium, Philisthinorum animos perculerunt, vtque stipendiariis militibus animos addidissent, ad acerriméque pugnandum Principes sufflammassent, præconis voce sic aiunt: *Hi sunt dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto. Confortamini, & estote viri Philisthiim,* 140.

1. Reg. 4. v. 8.

stabitim, ne seruiatis Hebræis, sicut, & illi seruierunt vobis. O quàm rationem turbarat timor! Quid referant Ægyptum omni plaga confractum, vt milites inflammarint ad prælium? Timoris exaggerent ignominiam; sed Ægyptiorum silentio occultarint vindictam. Profectò mirè seruitutis depinxerunt infamiam, dum Ægyptiorum referunt pœnam: quasi dicant: Verum est Hebræorũ Deum omni plaga Ægyptios concidisse; sed illi feliciùs occubuerunt, quàm nos mancipiis nostris seruiamus. Itaque si optio detur inter mortem omnibus doloribus plenam, & vitam infami seruitute obscuratam, nobis deligendum potius esset Ægyptios imitari, quam seruis nostris seruire: *Erant quasi desperantes*, inquit Abulensis quæst. 14. *propter fortitudinem Dei Hebræorum, ideo dixerunt quòd confortarentur, & viriliter pugnarent: quia etiamsi succumbere necesse esset, melius erat hoc subire viriliter moriendo, quàm seruituti se subyciendo.* Summam calamitatem reputant olim dominos seruis quondam suis modò inseruire, & alternante fortuna vices infame iugum portare. Vel pœnarum cumulum sustinere consueuerunt leuius, commutare seruitute imperium longissimè duriùs. Ergo Deus adimpleuit ritè promissa, dum gentes, & impendisse tributa, & iugo subdere coëgit colla.

Abul.

§. XXXI.

Sapiens princeps non semel comiter deposcit obsequia, quibus imperare posset seruitia.

141. COmitas, & vrbanitas animorum vinculum, & nobilis affectum captiuitas: iram frangit odium sopit, amicitias procreat, & ipsam rusticitatem; imò, & feritatem emollit. Vidit Abrahamus tres illos iuuenes pulchritudine eximios, maiestate vultus augustos, & accurrens pronus adorauit in terram: *Cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram.* Chrysostomus hom. 41. in Genes. veluti optimum industriúmque venatorem ad prædam inuolasse testatus est: *Currit, & volat senex: vidit enim prædam, quam venabatur, & nulla infirmitatis suæ ratione habita ad venationem cucurrit, & non vocauit famulos, neque imperauit puero, nihilque rusticitatis, nec desidiæ præ se tulit.* Ecce expansum ad venationem rete: vt enim venatores dulci cantu ad se aues alliciunt, & fallaci visco capiunt, sic Abrahamus comitatis reti Angelos est venatus: sic auis visco hæret, vt etsi conetur, diuelli, & auolare non possit: vrbanitas ergo glutinosus est viscus: illa enim ita vel ferocientis animus illigatur, vt nequaquam disrumpere comitatis quiuerit laqueum, quantumuis ira peruersum suggerat irato consilium. Adde pro vrbanitatis modo aliorum quémque sibi promereri obsequia, & lucrari sibi suffragia. Iidem Angeli, etsi breuiori numero, Lot apparent; ille surrexit obuiam, non cucurrit: rogauit vt apud se diuerterent; haud tamen annuerunt: *Dixerunt: minimè; sed in platea manebimus:* Abrahamo roganti annuunt, Loto renuunt: & quæ discriminis causa est? Profectò vtérque iustus, ciuilis vtérque; & tamen alibi facillimè exorari patiuntur, alibi vota rogantis suspendunt: Abrahamo dicebant: *Fac vt locutus es*; Loto, *minimè, sed in platea ciuitatis manebimus.* Fallar ni inuitantium vrbanitatis differentia hospitum responsionis discrimen effecerit: Abrahamus accurrit, Lotus surgit: Abrahamus seruum, Lotus se puerum appellat: vbi ergo illustrior comitas, ibi, & maior peregrinorum placiditas: *Nec existimauit sufficere*, addit Chrysostomus vbi suprà, *vt verbis dumtaxat adhortaretur: adorabat*, inquit, *super terram; quasi supplicans, & efficacem exhortationem afferens.* Consonat Ambrosius apud Lippoman. ad Genes. 19. *Ille* (Abrahamus scilicet) *occurrit, ille surrexit.* Abrahamus illustriora comitatis, vrbanitatísque prodidit testimonia; ideò Angeli faciliùs admiserunt hospitia: vrbanitatis visco illigati se expedire nequibant; in Sodomis verò, quia non adeò Lotus ciuilis, nec hospes annuit tam facilis. Verùm, etsi comitas magnes sit affectuum, honestúmque amoris philtrum, tunc præcipuè honestis ligat animos incantamentis, cùm superior rogat humanissimis verbis, cùm imperiosis compellere posset edictis. Aptè Cassiodorus 3. variar. 49. *Optabilis nobis est, & grata deuotio, quæ bonam præcesserit iussionem: si id quod possumus imperare, poscatur.* Dum poscitur, quod iuberi posset, ipsa petitionis vrbanitas seruientium spontaneum extorquet obsequium: quia plus vrgentur benignitate, minúsque exprompte superbæ obtemperauerint præceptioni. Deus omnem terram Chanaam Hebræorum populo pulsis habitatoribus tradidit, aut in posterum subigendam promisit: *Omnium, qui habitabant in monte, a Libano vsque ad aquas Maserephoth, vniuersique Sidonij.* Nonnulli interpretum in dubium vertunt, an Sidonij, alicuiúsque partis Libani habitatores aliquando subacti, aut Hebræorum ditioni submissi: nam si aliquo tempore, Salomonis præcipuè; tunc verò non subiectas apparet: quia Salomon pro ædificando templo, vt Sidonij ligna cædendi gnari cedros Libani apparent, Hiram humiliter deprecatus est. Misit Salomon ad Hiram dicens: *Tu scis voluntatem Dauid patris mei, &c. Præcipe igitur, vt præcidant mihi serui tui cedros de Libano.* Ergo Hiram non erat subiectus: nam si esset, alius Salomonis stylus. Hoc opposuit Abulensis quæst. 7. *De rege Hiram, qui dominabatur in Tyro, aliquis arguet quòd non fuit subiectus Salomoni: nam si subiectus esset, non potuisset Salomon obsecrans quod petijt de cæsione lignorum Libani.* Respondet tamen Salomonem hoc sapienter fecisse: nam licèt imperiosè posset iubere, voluit comitate obligare: *Quamquam terra Regis Hiram, sicut cæteræ per circuitum subiecta fuerint Regi Salomoni; tamen præferebat illum Salomon cæteris regibus habens non tanquam subditum; sed tanquam amicum, & sic loquebatur ei deprecans, & non iubens.* Imperare Salomon poterat; sed rogauit: & quidem quantum de imperij maiestate detraxit, tantùm ad submissiorem seruitutem rogatum adegit. Audi quid Hiram responderit: *Audiui quæcumque mandasti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis, & abiegnis: serui mei deponẽt ea de Libano ad mare, & ego componam ea in ratibus in mari.* Tantùm petiuit Salomon cedros de Libano, Hiram addidit

Gen. 18. v. 2.
Chrysost.
Comitas optima animorum venatio.
Gen. 19 v. 2.
Chrysost.
Ambros.
Cassiod.
3. Reg 5. v. 3. & 6.
Abulens.

didit & abiegna ligna : Salomon solum rogabat cæsionem, Hiram addidit & componere ratibus, & comportare vsque ad fluctus : fecit comiter rogatus multò plus quàm efficeret rigidè iussus : Salomoni sapientissimè non coëgit edictis ; sed humanissimis allexit verbis : quia nouerat ingenuos animos plus comitate adurgeri, præceptisque minùs cogi. Hiram petitionis honorem seruitiorum amplitudine compensauit : & qui iussus tantummodò obsequeretur præceptis, rogatus etiam adulatus est votis : *Ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & abiegnis.* Errant, qui adductis superciliis, seuero vultu, verbisque tumorem exhalantibus subditis, aut seruis imperant : nam vel ob id ipsum præceptis contraire exambiunt, aut saltem morosè inseruiunt. Sapientis est rogare obsequia, vt de ipsa vrbanitate plus compulerit ad seruitia.

141. Isaias Dominum videt excelso throno ; sed ipse thronus dum redimebat gloria, & subiectorum etiam salutis vrgebat cura : quasi anhela
Isai.6.v.8. diuexatus solicitudine dicebat Deus : *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Propheta labia iam purgatus respondit : *Ecce ego, mitte me.* Expromptè obtulit ; imò & se legationi lubens ac paratus ingessit ; verùm si Deus prophetam delegaturus erat, ad quid illa consultatio : *Quem mittam?* Et si propheta non iussus, cur laboribus adeò promptus ? Ob id ipsum, inquit Mediolanensis Doctor in Psalm. 118. octon. 14. si iuberet, fors Moyses ad instar legationem laboriosam quidem detrectasset Isaias ; desiderium verò insinuans, & quasi rogans sic vrbanitate coëgit, vt se libenter obtulerit : *Ecce ego, mitte me.* Noluit Dominus imperare seruitia, vt ex-
Ambros. promptiora lucraretur obsequia. *In libro Isaiæ dicit Dominus : Quem mittam? Vtique seruulo suo poterat imperare, quem dignum, qui mitteretur, inuenerat ; sed maluit eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui vt ipse se offerret, præstolatus est.* Abstinuit imperio, vt Isaias alacriori pareret animo : detrectabat Moyses, labiorum balbutiem opponens, parere iussis, quan-
Exod.3.v.10. do adurgebatur præceptis : *Veni, & mittam te:* hîc verò Isaias labia vstulatus nil opposuit ; sed laboribus se durissimis dedicauit. O quàm obsequiorum fuit negotiatio indicare, non cogere: non compellere, sed rogare ! Qui maiestatis suæ tumore redundantibus edictis, & superbissimis adulantur præceptis, seruos exasperant, subiectos irritant, & dum promptiorem discupiunt obedientiam, sibi elaborant pertinacissimam reluctantiam.

143. Redeat iterum Abrahamus : hospitibus delicias præparare gestiebat : cucurrit ipse vel refragante senio ad armentum, tulit inde vitulum,
Gen.18.v.7. deditque puero, qui festinus præparauit : *Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero, qui festinauit, & coxit illum.* Quidni festinet seruus, vbi inuolat Dominus ? Nil puero dixisse refertur; sed quid opus sermonibus, dum seruum ad Dei obsequium adurgebat exemplis ? Puer præceptum non accipit, & tamen festinus currit. Et cur Abrahamus seruo non iubeat, cur obsonia præparare citissimè non præcipiat ? Seruus, ni crebris stimulatus mandatis, tractis otiabitur de industria moris. Ergo si desiderat dominus præparari celeriter escas, seruum vrgeat, nec ora silentio premat. Imò, inquit Chrysostomus citata homil. quo seruus rem celeriùs perfecisset, imperiosa visione non compulit ; fors rogauit: nec enim adeò seruus festinaret seuera præceptione iussus, vt comitate, & ciuilitate obligatus : alas indidit superioris vrbanitas, fòrs moras procu-
disset seueritas : *Non vocauit famulos, nec imperauit puero, nihilque rusticitatis, neque desidiæ præ se tulit.* Chrysost.
Vt omnem prorsus vitaret desidiam, mandatis abstinuit, puerisque seuerus nullatenus imperauit : sciebat namque disertissimus Patriarcha oportere seruos compellere vrbanitate ad obsequia, cùm ardentiùs desiderantur officia, esséque non semel impedimento superba mandata, & diducta supercilia : *Neque imperauit puero, nihilque desidiæ præ se tulit.* Domini benignitate & fauore allectus currebat puer, vtque morem gereret hero, diligentissimè famulari discupit peregrino : *Festinauit & coxit.* Et quæ festinationis ratio ? *Non imperauit puero.*

Prodigus ille fame consulente paternos lares 144.
repetiit : oblitus est genitor offensæ, quia recordabatur naturæ : mensam apponit dapibus studiosè conditis differtam, demulcendis auribus sonoram asciscit harmoniam, & quæ lachrymis de abscessu iuuenis, tota repletur gaudio domus de reditu pœnitentis. Senior frater agrorum incumbebat culturæ ; cùm tamen syluesceret animus sentibus maleuolentiæ, spinis inuidiæ. Quid tunc ? Pater vel inuido patrem non esse nescit, vtque tumorem sedet, & indignationem emolliat, rogat introitum, & ad mensæ inuitat
vrbanitate discubitum. *Pater ergo illius egressus cœpit rogare illum.* Luc.15.v.28
Et cur non præcipere, non iubere ? Videt inuidentia obcæcatum, liuore adustum, & blandè rogat, quando opus est vrgere præceptis, & seuerissimis compellere edictis ? *Cœpit rogare illum.* Modò non est tempus rogandi ; sed iubendi : paterna potestas ius dat in filios : ergo cogat, non supplicet : qui vana elatione inflantur, plus, si rogati, intumescunt, & qui de aliena modestia debebant mitescere, ipso laborant remedio, & irritantur acri furoris stimulo. Cur ergo pater contumacem non reprimit, peruicacem non subigit ? Imò vt ad gratiam
reuocet, ciuilis inuitat. *O quid facit vis amoris!* Chrysolog.
(Chrysologum audi serm. 4.) *quamuis malo filio non esse nescit, non esse non potest pater : videt filium degenerasse animo, videt paternæ pietatis, paterni generis nihil habere ; & tamen nuncupat filium, suadet affectum.* Tota patris ars erat affectum suadere filio, inuitare ad mensam, & fratris reducere ad gratiam : ideò præceptis abstinuit, quia nouit indignationis tumorem verborum dulcedine deliniri, & vrbanitate curari. Imperare potest ; sed fòrs ægriùs exulcerauit animum indignati præceptum : fòrs seuera iussio præcipitaret insanum. Quid ergo ? Humanissimè rogat, vt ad obsequelam debitam trahat : est enim non semel summa prudentia subditum prolectare blanditiis, non irritare præceptis.

---

§. XXXII.

Nimium tributum est grassans reipublicæ incendium : pauperum incrementatur laniena: quia exactorum crescit rapina.

QVi omnibus præesse cognoscitur, cunctis 145.
impendere profutura censetur : regalis

maiestas regendo populo necessaria; dum iura tranquillitati seruantur dum à potente fræna procacibus iniiciuntur: magna Principum gloria, & magnis sumptibus fulciri necessum. Hinc debitum est dominantibus reddidisse tributum: quia dum quisque aurum domino æquissimo tribuit, se à fluctibus perturbationum redemit: armatorum agminibus pacis seruatur tranquillitas: & quod mireris, de certamine oritur vitæ ac diuitiarum imperturbata serenitas: vnde cùm Christus Dominus de tributorum solutione interrogaretur: *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: vbi notauit Theophylactus non dixisse, date dona; sed, soluite debita: *Non dixit, date; sed, reddite: debitum igitur*, inquit, *est: redde igitur debitum: custodit te Princeps tuus ab hostibus, viam tuam pacatam facit: debes igitur ei pro his tributum*: Non agimus hìc de iusta tributorum impositione, quæ & vt vides, debetur Principi, & ipsis sanè impendentibus expedit; sed de exactorum malignitate, quandoquidem sub regiæ seruitutis prætextu plus nocent rapiendo, quàm nocerent hostes depopulando: tributorum hìc carpimus solummodò nimietatem: necessum est enim vt oppressa seruientium succumbant dorsa, si irrationabiliter fuerint ponderosa tributa. Vt hanc veritatem Deus miris coloribus depinxisset, gentes, quæ in promissionis terra remanserant, se depopulaturum testatus est: *Ego sum, qui delebo eos à facie filiorum Israel: veniat ergo in partem hereditatis Israel, sicut præcepi tibi.* Abulensis rogat, quomodò hoc promissum fuerit impletum, quando constat gentes multis temporibus perdurasse, & Israëlitis seruisse: respondetque deletionem hanc factam non fuisse armatorum agminibus; sed vectigalibus: Chananæi namque magna tributa Israëlitis impendere cogebantur, & de tributorum impendio consumpti, etsi armatorum furoribus non occisi. Audi Tostatum quæst. 6. *Dicet aliquis quod istud verbum Dei non videtur verum: quia nunquam omnes istæ gentes deletæ fuerunt.* Respondet: *Omnes istæ gentes deletæ fuerunt à facie filiorum Israel, non quidem quòd omnes occiderentur, aut de terra fugerent; sed quia eis subditæ fuerunt, & tributa soluebant: & hoc est delere.* Ecce Chananæorum rempublicam prorsus deletam, dum magna soluere compelluntur tributa, & imparia facultatibus reddere vectigalia. O quàm gemebant homines illi ad summam egestatem redacti, hæreditatibus, prædiisque nudi, & auri copiam ministrare compulsi: hoc est terram rempublicámque delere, scilicet summam tributorum imponere: nec enim ad depopulandam rempublicam plus valet hostile ferrum, quàm regale, si nimium fuerit tributum: *Delebo*, inquit, *eos*: quomodò? non hoste feriente; sed exactore affligente.

Luc. 20. v. 25.

Theophyl.

Principi nō datur, sed tributum soluitur.

Abul.

146. Dæmon, vt Dei rempublicam artificiosè consumeret, vectigalibus iniustè impositis, sæuitiaque tributorum premebat; verùm Christus Dominus adeò molestum iugum à ceruicibus releuauit: Matthæum telonarium Apostolorum collegio adscripsit, telonio exemit: *Cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: sequere me.* Hanc Matthæi vocationem adeò molestè tulerunt dæmones, vt se prorsus perditos exertis clamoribus fuerint questi: *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos.* Basilius Seleuciensis has querelas excitatas ait, non tantùm quia ab obsessis depellebantur corporibus; sed quia iusti indignis iam exempti vectigalibus; quasi iustorum regnum abactis tributis floreat, & dæmonum respublica intereat: & è contra dæmon Dei populum decoquat, dum grauissimis vectigalibus onerat. Adest Basilius Seleuciensis orat. 23. *A tuo partu durauit, quod in nos excitasti bellum: nostris nos possessionibus nudasti: viderunt te natum Magi, nobisque in fugam actis adorauerunt: loquentem audierunt publicani, & nostram vectigalium tractationem defugiunt.* Dum meliora exactores sapiunt, se perditos dæmones conqueruntur: quia de improba vectigalium tractatione sic Dei populum atterebant, vt citissimè abolendum prorsus crederent, nec temerariè sperarent. Exactoribus deficientibus dæmones affliguntur: quia sciunt exactorum violentias, frequentissimásque rapinas vitæ pestes, nec hostiuum sæuitiæ impares. Circumcidenda est exactorum summa, & nunquam saturata violentia: armata namque regali tessera sæuit, & sub Principis obsequij specie est mera tyrannis, & populorum præscriptio; imò, & citissima depopulatio: non tam Principi, quam sibi vectigalia diripiunt, & sæpè fallaci misericordia tribuunt inducias, vt incrementarint expensas. Aptè sanè Cassiodorus 12. variar. 10. *Rationum publicarum reliquiæ infaustæ sunt ægritudini comparandæ, quæ grauatum debilitant, nisi sub celeritate discedant: reatus quidem est esse sub debito ... Summa futuræ indictionis, & quantitas exigatur: parcendo non pacitis, exonerando prægrauatis, & dum venales moras quæritis, tributi onera duplicatis. Relinquite tandem crudelem misericordiam, beneficia tota detestatione fellita: grauius percutit, qui blandiendo grassatur, & sub indulgentia lædit, qui consuetis temporibus exigere tributa distulerit.* Miseri sua ab exactoribus damna mercantur, & quas noxias moras exorant, auro redimunt, & duplicatur tributum, vnde ad speciem eleuabatur tantisper debitum. Detestandâ misericordiâ exactor debitori præstat inducias, vt induciarum accipiat pretium, & iam accepto exigat molestè tributum.

Mat. 9. v. 9.

Seleuc.

Cassiodor.

Exactores venales tribuunt inducias, & augent fellita benignitate miserias.

Cæsaris exactoris tributum à Domino deposcebant; imò non soluisse, antequam exigeretur, criminabantur: Dominus cum plusquam propriæ ingenuitatis consuleret priuilegio, vel alienæ teneretur virtutis studio: Petrum admonet tributum soluat, quod à piscis ore requirat: *Eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem.* Piscis soluit tributum, dum ore portat didrachmum. Diuus Hilarius apud D. Thomam piscem hunc primo Martyri comparauit. *Beatus ille primus Martyr Stephanus primus ascendit, & staterem in ore continuit.* Hieronymus ibi Adamum fuisse testatur: *Iste piscis primus captus est primus Adam.* In eandem sententiam Hieronymus, & Hilarius collimant: enucleemus mysterium. Quid Adamo cum pisce? Quid Stephano? Stephanus crepitantium duro percussus imbre saxorum terram purpureo sanguine decorauit, Adamus inuestis, & nudus: & piscis Stephanum referet, & Adamum? Profectò, & à grassatoribus dispoliati, & duris lapidibus impetiti imaginem refert, qui ore Cæsari tributa portauit 147.

Matth. 17. v. 26.

Hilar.

Hieron.

tauit: quasi idem sit in manus incidisse latronum, & in exactorum venisse manus piscis, qui Tributa Cæsari refert Martyris imago est, quasi idem sit tributis premi, & lapidibus obrui: *Beatus ille Stephanus primus Martyr ascendit.* Vis Stephani eleganti penicillo adumbrare tormenta: depinge Cæsaris exactoribus piscem impendentem tributa. Vis dispoliati Adami excudere imaginem? repræsenta oculis vectigalia soluentem piscem: nullis namque adeò viuis coloribus calamitatem exprimes, quàm si improbis exactoribus obnoxium protuleris.

Pharao ille nequissimus, fera truculentissima, & humano sanguine nunquam saturata Hebræorum populum indignis artibus atterere aggreditur: *Venite sapienter opprimamus eum.* Et quæ ad euertendum astutia? Summis grauare tributis, & plus exigere, quàm valeret populus reddere: *Præposuit itaque eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus* Sanctes-Pagninus legit: *Posuerunt super eum Principes tributorum, vt affligerent eos oneribus suis.* Ecce industriam artem depopulandi plurimis grauare tributis: citò enim consumitur, qui continuò ad solutionem vrgetur: res misera, molestis operis insudare, & nunquam à tributorum debitis expediri. Industrius malignitate Pharao prius decreuit tributa, quam puerulis recèns natis decreuisset naufragia: adeoque hæc tributorum solutio corda tributariorum exedit, vt Deus non tam miseræ filiorum se prouidisse exprimat medelam stragi, quàm tributorum dolori: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius descendi.* Ita vertit Sanctes-Pagninus: *Clamorem eorum audiui de exactoribus operum.* Dolore filiorum aquis naufragantium distorquebantur parentes, & tributorum exactione eodem tempore adurgebantur homines infelices: adeóque sæuus hic dolor, vt quodammodò alterum consopiret, calúmque clamoribus repetitis pulsaret. Huc voco Origenem ad præfatum locum Matth. in catena: *Sermo iste duplicem habet sensum: secundum vnum enim filij regum terræ liberi sunt apud reges terræ, extranei autem extra terram liberi non sunt (scilicet à tributis) propter eos qui deprimunt eos, sicut Ægypti filij filios Israël.* Hebræi nefariis artibus deprimuntur, dum nimiis vectigalibus prægrauantur: tyrannus Ægyptius hanc dei populi obliterandi adinuenit industrius artem, scilicet nimiis onerare tributis, vt tantis populus consumeretur dispendiis. O quam duri sæpè exactores affligunt, quam vrgent, quàm iniusta violentia extorquent! Mitior sæpe mors: nec enim Deus descendisse testatur propter carnifices, cùm se dixerit misericordia motum ob vectigalium durissimos exactores.

Exod. 1. v. 10.

Pagnin.

Origen.

149. Dauid cùm regnum suum à Domino pronunciasset stabilitum, & contra fortunæ vultus firmatum: *Firmasti tibi populum tuum Israel in populum sempiternum*, statim à populo retulit ablatum tributum; imò concisos hostes: quia vice versa tributa, quæ rapuerant, reddere cogebantur: *Factum est post hæc percussit Dauid Philisthiim, & humiliauit eos, & tulit Dauid frænum tributi de manu Philisthijm, & percussit Moab, & mensus est eos funiculo coæquans terræ.* De fræno tributi variæ apud interpretes opi-

2 Reg. 7. v. 24.

2 Reg. 8. v. 1.

niones: alij aquæductum intelligunt: Rabbini, vt delirant sæpè, equi capistrum: alij alia. D. Hieronymus per tributi frænum quinque Philistinorum intelligit ciuitates, quæ ita militibus, armísque refertæ, vt facilè irruptiones facerent in Hebræos, eósque ad vitam tributis redimendam compellerent, vectigalibúsque subiicerent; hoc ergo adeò onerosum iugum ab Hebræorum ceruicibus Dauid bellicosus depulit, cùm Hebræorum regnum stabile ac firmum dixit: quasi sub tributis nequeat stabiliri respublica: & prospera vigere fortuna. Philisthinos victoriosus concidit: quia versa vice vectigalibus onerauit. Ita Hieronymus in traditionibus Hebræis ad hunc locum: *Frenum tributi quinque erant ciuitates Philisthinorum, quæ frequenter Israel sibi tributarium faciebant, quas ab eis tulit Dauid, & humiliauit eos, fecitque eos sibi tributarios, vnde & in Paralipomeno legitur: Percussit Dauid Philisthijm, & humiliauit eos, & tulit Geth, & filias eius de manu eorum.* Tunc demolitus est inimicos, cùm effecit tributarios: tunc Hebræorum stabilitum est regnum, cum est depulsum tributum: vt enim equus fræno subactus nullas sibi actiones vendicat; sed ad equitis viuit arbitrium, solùmque oneri portando deseruit; sic tributarius oneri ferendo deseruit, nec sibi viuit. *Agri tributo onusti*, scribit Tertullianus In Apolog. cap. 13. *hominum capita stipendio censa ignobiliora: nam hæ sunt notæ captiuitatis.* Captiuus dicitur tributarius; & vt captiuus non sui; sed alterius est; ita vectigalis non suus, sed alienus. Concludat thesim Saluianus lib. 4. de prouidentia: *Quis locus est, vbi non a principalibus ciuitatum viduarum, & pupillorum viscera deuorentur?* Dixerat: *Exactio publica peculiaris est præda:* Ecce tot viscerum sunt lanienæ, quot exactorum censentur summæ, vt verum sit nimium tributum grassantia esse rerum publicarum incendia, & paupetum viscera exactorum iniqua deuorari rapina.

Hieron.

Tertull.

Saluian. *Exactio publica non semel peculiaris est præda.*

---

§. XXXIII.

Non semel conducibilius est honestum bellum, & deterius pacis otium.

BEllum inquieta res, animos solicitudine vexat, periculis discruciat, & suspensos semper timore exagitat: pax, placida quies, animorum concordia, vitæ solatium, perturbationis exilium, cuius fauore, & litterarum florent studia, & frequentantur ciuium commercia. Benè Cassiodor. 1. variar. 1. *Omni quippè regno desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua, & populi proficiunt, & vtilitas gentium custoditur: hæc est enim bonarum artium decora mater; hæc mortalium genus reparabili successione multiplicans, facultates protendit, mores excolit, & tantarum rerum ignarus agnoscitur, qui eam minimè quæsisse sentitur.* Digna pax, quæ ociis omnibus expetatur, si de illa prædicta emerserint commoda, & honesta cunctis accreuerint lucra; verùm non semel pax virtutum mater, litterarum cultrix, generis humani solatium ad morum ad virtutum, ad deliciarum detorquetur excidium; sæpe tentationum adsultibus non pulsatus miserabilius succumbit flagitiis, qui fors 150.

Cassiodor. *Pax bonarum artium decora mater.*

fors hostilibus imperitus detriumphauerit armis: pace abutuntur homines, vt effœminatas sectentur delicias, vtque fouerint noxias appetitus insanias; & internè sæpiùs circumsonat armati criminum agminis vitiosus tumultus: quia exteriùs hostilis obstrepere non timetur exercitus. Benè Cato: *Inertia & torpedo plus detrimenti adfert, quàm exercitatio: plus ferrum rubigine in alto otio, quàm exercitio conteritur.* Ferrum, dum exercetur, dum laborat, nescit rubiginem deponit situm, & de ipso exercitij labore splendida fulgurat claritate. Profectò bellum consilium atrox, crudele præsidium, ferina concertatio; verùm quale putandum est otium, cuius vel atrox bellum potest esse remdedium? Sanè ignaua pax multos prostrauit ignobilissimè, quos commendasset belli aut honesta ruina, aut decantanda semper victoria. *Ciuitates, quæ bellis finitimis* (scribit Plutarchus lib. *qua ratione ex inimico,&c.*) *& assiduis refrænantur expeditionibus sanam rempublicam, & bonis legibus rectè institutam cupidè amplectuntur; atquè illi, qui ex simultatibus coguntur pro vita excubare, defugeréque socordiam, & securitatem.* Romæ nocentior fuit pax, quàm bellum: nam bello domina, pace captiua: *Natura* (aiebat idem Plutarchus lib. *Quemadmodum sentias*) *sicut in statera vergere quærit, atque inclinari à rectoribus, aut contrarijs momentis ad deteriora depelli. Si igitur iuxta datas Tyrrhais ab Apolline sortes, noctes atque dies est omnes belligerandum.* In pacis habitu molliter eneruantur plures, vitiis addicuntur ignauiâ, & flagitiis animos implent desidiâ. *Paulatim*, aiebat Seneca epist.82. *effœminatur animus, atque in similitudinem otij sui, & pigritiæ, in qua iacet, soluitur. Quid ergo? Viro non vel obrigescere satius est?* Nulla calamitas adeò violenta hominem disiicit, vt pacis abusus: quia feras animo nutrit nocentissimas, quarum morsibus gloriæ perit laceratus, & famæ tumulatur attritus. Deus Hebræorum populum in terram promissionis inducens hostes penitus non subegit; sed se paulatim deleturum spondet: *Ego sum, qui delebo eos à facie filiorum Israel.* Et cur in posterum distulit beneficium? Profectò mora liberalitatis est nebula: qui diu distulit, inuitus dedit. Ergo vt suam cumulatiùs generositatem ostentet, terram metu liberam, & hostibus, tradiderit repurgatam; imò, inquit Masius, & Abulensis quæst. 8. non modicum beneficium fuit hostes aliquos permittere, ne Hebræi flagitiis obscurarentur malè feriati, & torporis, desidiæque pestibus disperirent otiosi, esséntque sæculorum fabula, qui strenuè dimicando immortali redimiri poterant gloriâ: *Eorum*, scilicet hostium, scribit Masius, *mihi opera vsus erit post tuum excessum, etiam ad castiganda populi mei flagitiosa otia.* Consonat Abulensis quæst.8. *Causa tertia fuit ad vtilitatem quandam Iudæorum, scilicet vt essent viri apti ad bellum, & exercitati in armis, ne penitus otio marcescerent.* Dum insectantur hostibus, vigilant, séque certaminibus ac laboribus studiosissimè exercent, discúntque in proprio, quæ hostili, agere congruit in campo: & quia semper timore vigiles, semper vigilantia soliciti, & sæpiùs de solicitudine coronari: si omnibus prorsus inimicis carerent, nec armorum haberent vsum, nec pacis commodum, essétque illis deterius otium, vtpotè virtutum omnium exilium.

Cato. *Otium plus quam exercitium exedit ferrum.*

Plutarch.

Seneca. *Satius obrigescere, quàm otiari.*

Masius. Abul.

Pugnabat Sisara cum Barach: magna vtrimque armatorum copia, magna decertantium caterua; Barach diuino auxilio hostem fugauit timore perterritum, & terrore exagitatum: *Perterruit Dominus Sisaram, & omnes currus eius, vniuersámque multitudinem in ore gladij ad conspectum Barach, in tantum vt Sisara de curru desiliens pedibus fugeret.* Periculo subductus Iaëlis intrat defatigatus tentorium: *Erat enim pax inter Iabin regem Azor, & domum Haber Cinei.* Iahel solatur trepidum, lacte sitis flammis potat adustum, & somno tradit delinitum: sopore ligabantur sensus, cum mallei repetiti cauis montibus sonuerunt ictus: *Percussum malleo defixit in cerebro vsque ad terram, qui soporem morti consocians defecit, & mortuus est.* Mortuus est inerti somno irretitus, qui non fuerat armatorum agminibus captus: alibi blanditur otium, vrget & alibi bellum: eo tamen periculosiùs fuit bello otium, vt periret otio, qui effugerat bellum. Sisara inimicorum armis impetitus anxiam arripit fugam, & timor pedibus addit alas: vbi verò florente pace mulieris tentorio dormit, vbi lactis potus dulcedine somno indulget, ibi miserandus interiit: inerti se somno tradidit pace securus, & clauo occubuit de securitate transfixus. Satius illi campo cum hoste pugnare; periculosius otio dormire. *Sisaram*, inquit Adamantius Origenes homil.5. in Iudic. *Cœpit insectari populus prior; sed interemptus est à muliere.* Arma fugant, otia prosternunt: nociua pace fruitus effuso sanguine sepultus est: armis vexatus hostilibus elusit pericula: quia non sectatus est otia. *Videtur quod fœdus erat inter eos,* inquit Nicolaus de Lyra, *propter quod Sisara securius intrauit tabernaculum Iahel.* Securiùs, quàm deceret, intrauit, & qui frustrauerat bellum, pacis regione miserandus occubuit. Aptiùs Abulensis quæst.19. *Quia Iahel cogitauerat occidere eum, quod non poterat nisi ipso dormiente; ideò procurauit quomodo cum cito soporaret, & istud erat dando lac.* Vt mortem incuteret, soporem illi conciliauit: quia nouerat Iahel otiosum somnum morti viam aperturum, quantumuis effugisset Sisara bellum.

151.

Iudic.4.v.15.

Origen.

Lyra.

Abulens.

Fallar nisi bellum timuerit Pharao. Filios Israël terræ premebat voluptatibus irretitos, fallaciisque voluptatum illectos, vtque possessionibus diuites semper vexat solicitudo, amittendi Hebræos timore discruciabatur, & nefariis artibus periculum propulsare est aggressus: *Venite sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra.* Israëlitis erat nequissima pax, Ægyptiis iucunda: timuit Rex Ægypti emblema vitiorum bellum; desidiæ exoptauit tranquillum: belli tempore credidit Hebræos renunciaturos desidiæ, & restituendos prudentiæ, qui pacis tempore premebat voluptatibus inescatos, & lenociniis fallacibus irretitos: Hebræis satius erat bellum, grauius pacis tempore premebat iugum. Adest Origenes apud Lippoman. *Sentit venturum, qui exuat principatus eius, & potestates, & cum fiducia triumphet eos, & affigat in ligno crucis suæ: sentit se derelinquendum a filijs Israël, & quia consentient aduersario eius, & adycientur ad Dominum: in his ergo præuenit, in his occupat mentes, quæ ad hoc facta sunt, vt videant Deum, & conuocata omni gente sua circumuenire,* &

152.

Exod.1.v.10.

Origen.

& circumscribere cupit in hominibus rationabilem sensum, qui nunc figuraliter dicitur Israel: prospicit tamen, vt dictum est, imminere sibi bellum, & matarum genti suæ affuturum sentit exitium. De bello timet, qui de otio gaudet: certè cùm premunt bella, cùm circumsonant arma, cùm appetentia vrgent anxios discrimina, Ægypti renunciatur carnibus; & quia non vacat viuere, nullus studet voluptatibus indulgere: dæmonum regnum, vitiorum principatus, respublica criminum de inerti pace fulcitur, & de ignauissimo otio firmatur. Dum omnia pro voluntate cedunt, dum fauorabilis adspirat fortunæ aura, dum diuitiarum exundat copia, discincta otiatur ratio, & quia degit incauta, fallaciarum mucrone sæpe sæpiùs occumbit occisa: prosunt non rarò classicum canentia discrimina, ad arma vocantur sensus, quia vigilat intellectus, dum hostilis timetur adsultus: plus aliquando de pace verendum, & de discrimine plus sperandum.

153. Dauidem, & gigas ille superbiæ exaggeratione in stadium vocat, & Saul persequitur inuidia percitus, & maleuolentia tinctus, nec classicaris terræ finibus permittit viuere, aut sustinet commorari. Beneficus, & populi salus vt reipublicæ pestis montibus exul exerrat, delitescit syluis, & stupens vagatur campis; verum strenuè militat sollicitis curis vexatus, & quia palpitantibus præcordiis viuit, properantia discrimina euadit, vigilans promeretur coronam, & æternat sæculis famam: *Nunc quia scio quod certissimè regnaturus sis*, clamat Saul, *& habiturus in manu tua regnum Israel, iura mihi in Domino ne deleas semen meum post me.* Rex inaugaratur in castris, qui penè est exauguratus in curiis: eo tempore, quo reges procedere solent ad bella, Dauid in Ierusalem ciuitate pacis remansit, pollucibili mensa emollitus otium captat, & qui alibi coronatus est armis, hic suis iacebat prostratus oculis: *Accidit, vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ, vidítque mulierem, &c.* Et vbi putat fortunatiorem Dauidem: campis oberrantem, aut regiis solariis otia capientem? Certè ad speciem Dauid felicior, cum lauta vtitur mensa, cum decrepitis vinis potatur, cùm purpura splendet, & diademate redimitur. Profectò vrgentibus inimicis, nec panis illi aliquando, nec arma: testatur Nobe ciuitas illa sacerdotalis, & stultus ille Nabal edulia mutuare rogatus: ergo fortunatior erat Dauid dum inuidiam irritat, quàm dum ad commiserationem impellit. O aspectus nostri cupiditatibus interpellati fallaciam! Dauid hostilibus armis vexatus, & adeptus est regnum, & immortalis famæ est lucratus elogium: otio tamen indulgens in se filiorum exacuit arma, & sustulit probra. O quam felicior dormiens sub dio, quàm infelix aureo recumbens strato: hic calamitatum fit præda; ibi calamitatum victor coronatus est gloria. Et quis hoc dicat? Audi Basilium Seleuciensem orat. 17. *Cum animaduertisset ipsum à recto paululum oculos deflexisse, subitò venustate mulieris obiecta confixit: cùm enim regiè Dauid epulatus esset, ac pollucibili mensa emollitus animo meridiana sese oblectaret obambulatione, tunc diabolus animi, curaque neruum remissum conspicatus, & mentem passionum aurigam indulgenter frænis succinctam, ac paruula quadam sui parte nudatam ab armis, optimatem furtim cecidit ipsis iusti oculis vsus pro telo, & momento à via virtutis abreptum in adulterij præcipitium deturbauit.* Victus est in pace, qui in bello triumphator: parum abfuit quin otio indulgens amitteret regnum, qui armis insistens acquisiuerat principatum. Plus vereri iners ac molle debuerit otium, quàm virulentum extimuerit contrarium. Pax otiique tranquillitas reddit incautum, quem hostiles adsultus viuere compellebant semper attentum. Ergo ne fidas paci, vt prudentiæ habenas remiseris, & falsa te securitate exarmatum casibus miserandis obieceris. Deus ad Hebræorum vtilitatem hostes debellare penitus distulit, ne malè feriatos altius desidia transfoderet, & ignauia vulneraret.

1. Reg. 24. v. 21.

2. Reg. 11. v. 2.

Seleuc.

Præstilatum telum mulierum venustas.

Dæmon hominis oculis pro telo contra ipsum vtitur.

---

§. XXXIV.

Extraneo deterior hoste domesticus inimicus.

Molestum sanè pati inimicum: inimicitia 154.
namque litium officina, periculorum mater, placiditatis venenum, anxietatis semper stimulus: qui aduersarij solicitatur timore vel dormiens vigilat, & quiescens semper laborat: vnde sponsus vt omnem felicitatem annunciaret sponsæ, *Vox*, inquit, *turturis audita est in terra nostra:* non vox illa veternosi serpentis, quæ vel paradisi gloriam maliloquiorum veneno infecit; sed turturis pacis, & charitatis ænigmatis: vocat in campum, vbi nec hostilis animum exagitet metus, nec aduersarij timeatur dolus: *Vox turturis audita est in terra nostra*, inquit Cassiodorus in Prolog. ad lib. amicit. *vox annunciantis pacem, annunciantis amicitiæ veritatem, atque dicentis: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Vbi pax, ibi corporis, & animæ quies, vbi aduersarius, circumagenda est sæpe ceruix, & à Iano mutuandi sunt vultus, vt vtrumque texeris latus; verùm etsi omnis inimicus vitandus sit, præcipuè domesticus, vtpotè nocentior pestis, & infelicitatum illuuies: in illum sæpiùs offenditur, & sub familiaris larua actuosiora disponit venena: nulla satis ad vitandos eius dolos cautela: quia vt domestico nequit negari fiducia: intimiùs actiones examinat, frequentiùs errata notat: & quia familiaris habetur, maior eius oblocutioni fides præstatur. Hostis apertus ad legitimum aliquando prouocauit certamen; domesticus tamen hostis, & latus obiectuat sæpè exarmatum, & occultum contorquet spiculum. Deus se hostes prorsus deleturum promisit, vt Israël terram omni timore depulso feliciùs incoleret, fortunatiusque inhabitaret: *Ego sum, qui delebo eos a facie filiorum Israel.* Hinc Numinis promisso Hebræi obstiterunt flagitiis, & contradixere peccatis, quæ vt actiùs puniret Deus aduersariorum plures in ipsis Hebræorum possessionibus viuere permisit: queis namque Israëlitarum patrocinabantur scelera, delere nunquam potuerunt arma. Philisthini semper Dei populo aduersi: Iebusæus Ierusalem habitabat Beniaminitis immixtus, & quodammodò intertextus: *Iebusæum habitatorem Ierusalem non deleuerant filij Beniamin, habitauitque Iebusæus cum*

Cant. 2. v. 12.

Cassiod.

1. Iudic. v. 21.

cum filijs Beniamin in Ierusalem vsque in præsentem diem. Quòd si inquiras, cur hos præ aliis hostes Dominus penitus non deleuerit, vt promissi fidem de interitu liberarit? Respondet Masius hoc factum, vt duriùs refractarij punirentur Hebræi: Dei promissum semper durauit illæsum, illam namque desiderabat conditionem, quòd sibi scilicet populus ipse non obsisteret, nec beneficia cœlestia ingratitudine repudiaret: cũ ergo Israelitæ se maximis implicuerint flagitiis, Numinísque contrauenirent decretis, hos pro vindicta præ reliquis aduersarios armauit. Audi Masium: [Masius.] *Manserunt vsque ad ipsa Dauidis tempora multi in Chananæa veteres coloni, neque id solum ne feræ bestiæ damnum darent electo populo nondum satis aucto; sed propter istius scelera quæ subinde à domesticis hostibus debebant puniri.* Benè: sit ita, puniantur Israëlitarum peccata aduersariorum hostilitate; sed non de quorum excidio fides oppignerata: armentur feræ in ingratos, desæuiant vrsi in flagitiosos, de extra promissos limites homines adducantur armati, quò arctissima obsidione puniantur obsessi, hostes tamen capitali pœna proscripti prorsus deterantur: sic enim & culpas puniet tormentum, & Numinis constabit promissum. Poterat quidem Deus, respondet Masius, ferarum dentes acuere, leonum ciere vngues, tigres armare, poterat de longè truces armatorum phalangas adducere; non tamen adeò seuerè punirentur delicta, vt domesticis inimicis castigantur errata. *A domesticis hostibus debebant puniri:* nulla truculentior fera, nulla molestior rabies, nulla intolerabilior pœna, quam domesticum fouere, & ab illo aduri: dura res aduersario conuiuere, & odium immortale pectore premere: dura res, quem auersaris animitus, semper videre, nec posse negare faciem, aut subtraxisse sermonem: dura res domesticus aduersarius, cui & plures nocendi suppetunt occasiones, & cui nullæ obsistere possunt artes.

155. Dauid cùm regiè epulatus esset, ac pollucibili mensa emollitus animo meridiana se obambulatione oblectaret, suis oculis captus est: erat in insidiis hostis, vtpote in natura immortali nequitiam exercens insomnem diurnas nocturnásque iusti obseruitabat actiones, cumque modò nimis curiosum in obiecta pulchritudine offenderit, ipsa venustate confixit: oculis pro telo vsus à via virtutis momento abreptum in adulterij flagitium impulit; cúmque imprudenti verecundia confusum, & pudendum vlcus celare artibus cupientem animaduerteret, pudorem misit grauioris flagitij pessimum consiliarium: cæde adulterium conatur occulere, cædisque, & edulterij deprehensus est auctor. Verùm Deus, cùm adeò strenuus miles prostratus iaceret, prophetam mittit, qui manum porrigat, & antiquam lucem discussis tenebris menti restituat. Dauid dolore soluit delectationem, & pœnitentiæ medicamentum assumit. Deus pepercit pœnitenti, sed pœnam pronunciauit necanti: [2. Reg. 12, v. 11.] *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua*; verùm si seuerior decernitur mulcta, cur aut gigantæus hostis non armetur, aut alius quidam Saül non prodeat in pugnam, vt cumulauerit pœnam. Saül inuidentia adustus nihil non tentat, vt Dauidem aduersis obruat: nec fuga satiatus est, nec calamitas inuidentiam imminuit; sed cum viuere nunciaretur, flammis ardentissimis vrgebatur, [Inuidiam nec inuisi opis absentia.] regni cogebat exercitum prædator iniustus, vt protinus occultum requireret, nec desertorum saltus, nec inuiorum errores, nec syluarum latebræ, nec telluris speluncæ profugum tutari valebant: ergò similis decernatur hostis inuidentia pressus, aut alius Goliath belli & armorum peritus. Absalon, quantumuis iuuenili ardore furat, & febribus ambitionis deliret, nec belli gnarus, nec armorum expertus: ergo mitior decernitur pœna, dum acrior procuratur vindicta; imò minus monstrum illud deterreret audacia, minùs Saül fœda affligeret inuidentia: illi externi hostes, non domestici aduersarij, at Absalon & domesticus, & filius, & aduersarius, adeóque deterior est hostis domesticus, quàm extraneus, vt extranei decreti sint ad coronam, domesticus ad vindictam: *Ego*, inquit, *suscitabo super te malum de domo tua.* Vtque videas quàm perniciosior fuerit domesticus inimicus, alij licèt inuiti procuderunt gloriam; hîc iniuriam passis mulieribus incussit infamiam: minus esset extraneis dolis vrgeri, quàm domesticis aduersariis aduri. Ergo Deus, vt grauiori mulcta vindicauerit pœnam, de externis non suscitat aduersarium; sed armat de domesticis inimicum. Ad rem noster Sanctius: [Sanctius.] *Durum est ab alijs vulnus, aut ignominiam subire; at ab illis pati, qui tibi sunt necessitudine, aut sanguine coniuncti multò durius.* Acerbum erat ab extraneis vexari, à domestico verò stricto adeò naturæ vinculo sibi coniuncto acerbissimum.

156. Serpens ille astutiâ subdolus, & malitiâ plenus bellum in superbiæ campo inferebat supernis, Michaël lucis armis, & veritatis scutis impiis se adsultibus temeritatis opposuit, gloriosissimæque deuicit: proiectus est draco, & iam faustis, iteratísque acclamationibus cælo decantatur victoria. Proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Sathanas, qui sedueit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt, & audiui vocem magnam in cælo dicentem: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri.* [Apocal. 12. v. 9.] Profectò triumphorum lætitia sic ad speciem animos occupauit, vt verbis mens non attenderit: proiectus est serpens; sed serpens remansit: punita est superbia; sed extincta nondum est contumacia: non cessat serpens, quantumuis cælo detrusus, inferre bella cœlestibus. Quæ ergo securitas nunc est cælo, quam antè non habuerit, vel quæ modò perturbari non possit? Serpens nequitia pertinax, inuidentia cæcus, implacabili odio inflammatus bellum ciet superis, & maiorem de iactatione fouebit pectore rabiem: ergo aut modò versutias cælites timeant, aut anteà despexerint: timorem namque prodit periculi, qui lætabundus plaudit victoriæ. Serpens nunquam cæli potuit serenitatem turbare: Dei primates placidissima quiete fruuntur, cum aspectu Numinis muneranture, vt tamen noscas quàm nocentior sit hostis domesticus, quàm extraneus, anteà domestico ad speciem quies interpellabatur serpente; modò verò iam extraneo non perturbabitur hoste: serpens modò æternas gerit inimicitias furens temeritatis insania; verùm cæli modò non incola: iam ergo detrusus, & cælo abactus nec serenitatem nebulis poterit inuidentiæ obscurare, nec stellis periculum ciere: pati ergo insidias ab extraneo serpente cæli non turbauit.

placidi

placiditatem; anteà verò, quia domesticus; serenitatem interturbabat, & omnia bellicis rumoribus adimplebat. Apte Rupertus ad hunc Rupertus.
locum: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: vnde constat ita factum esse? Quia proiectus est, inquiunt, accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Ergóne antequam ille proijceretur in terram, non erat salus, & non erat virtus? Non vtique salus erat; sed perditio, & mors: non erat virtus; sed infirmitas, & corruptio.* Tantùm discriminis est inter serpentem domesticum & ipsum prorsus abactum, vt anteà nec virtus, nec salus, nec quia florere valuerint imperturbata; modò verò, quantumuis desudent prælia, manserint prorsus serena: anteà serpens hostis domesticus; modò externus: ideò iam despicitur extraneus, & anteà timebatur domesticus. O quàm difficile est pacis, & quietis frui commodis, dum intestinis domus turbatur bellis! ô quàm sciunt iusti interna serenitate potiri, quantumuis hostes exteriùs conentur vrgere! Domesticum peccatum omnibus armatorum phalangibus est nocentius, quia periculum adducit grauius. Ciuis reipublicæ hostis pluribus aduersariis deterior: domestica pestis paci infesta, & concordiæ præ reliquis aduersaria. Ad Israëlitarum scelera grauius punienda Deus domesticos aduersarios decernit, non feras adducit.

157. In duas arbores sententiam video fulminari diuinam: Angelus in illam Nabuchod. armatur, ramos scindit, folia discutit, fructus dispergit: arbor tamen illa iterum repullulans comam nutrit, & antiquum sibi nitorem restituit: *Germen radicum eius in terra sinite.* Arbor Dan.4.v.20.
tamen illa, quæ Ionam circumtegebat, supra capútque oppansa veluti in modum pensilis prati obumbrabat, ita exaruit, vt antiquum nunquam recuperarit virorem, *exaruit.* Et cur Ion.4.v.7.
hedera vel spebus iterum virendi fraudetur, cùm arbor illa iterum decore circumuestiatur? Indicat sanè textus: *Præparauit Deus*, inquit, *vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit:* hedera tineam in visceribus fouit, vermem in radicibus ipsis aluit, adeóque ad nocendum plùs valet domesticus vermis, quàm, si extraneus, Angelus hostis, vt Nabuchodonosor arbor post securis ictus antiquum recuperarit statum; hedera tamen Ionæ nec reparare potuit virorem, nec antiquam sibi reddere venustatem: *Misit Deus* P.Sanctius.
vermem, inquit noster Sanctius, *qui arbusculæ radicem eroderet, & spem omnem oblatæ commoditatis elideret:* radice vermis natus omnem arboris abstulit elegantiam; cùm tamen Angelus vel ferro armatus arboris non extinxerit prorsus gloriam. Deterior extraneo desæuit in plantam domesticus inimicus, non ita nocere didicit Angelus. O quàm vel calamitatibus obrutus reflorebis, ni internis oppugneris peccatis, & quàm conscientiæ vermis venustatem omnem abrodet, & felicitatem consumet.

---

§. XXXV.

Gloriæ pars est, quantumuis remanserint imperfecta, tentasse egregia facinora.

158. MAgnis excidere ausis honestum infortu- Honestius
nium est, quandoquidem cordis eluxit magnanimitas in tentando, licèt audacia felix non fuerit in consequendo: honestius putem magna aggredi, quàm humilia consequi: fortis, & opportunitatis est ad finem vsque ardua perduxisse; sed animi pertentasse. *Hippodamus*, refert Plutarchus in apophthegmat. *cùm aduersus Archidamum Agis in acie staret, & mitteretur Spartam, vt illic necessaria Agidi administraret: Nónne hìc*, inquit, *pulchriùs occumbam pro Sparta strenuè pugnans? Nam annos natus erat plus octoginta: mox sumptis armis dexteram regis clausit, ac pugnans cecidit.* Gloriosior occubuit, quàm viueret: viuens Agidi ministraret, pugnans spartis coronam ambiuit: æternus ergo famæ de voto, non decantatus de Agidis absoluto seruitio. Non est fortunatè consecutus; sed est gloriosissima aggressus. Ad rem Seneca de vita beata cap.19. & 20. *Ego fortunam nec venientem sentiam, nec recedentem... Qui hoc facere proponit, volet, tentabit, ad Deos iter faciet; ne ille etiamsi non tenuerit, magnis tamen excidet ausis.* Infelicissimum est nunquam cadere, quia semper iacueris: casus supponit altitudinem, iacere mollitiem; imò aliquando altior quis remansit cadendo, humilior sorderet nihil tentando. Iosue eos vel senio confectus fouebat animos, vt omnes prorsus deterere cōsideret Chananæos: non potuit facinus adeò eximium senio impeditus perficere; fuit tamen satis honestum tentasse: gloria illa meliori Iesu Duci, gratiæque tempori seruabatur; at Iosue, dum aggreditur, & nomen meretur æternum, & æternat animositatis elogium. *Ego sum qui delebo eos.* Sibi deletionis gloriam reseruat Deus: Iosue concessit tentasse, Christo Domino perfecisse: *Senuisti, & longæuus es, terráque latissima derelicta est.* Senio impeditus, ingrauescentéque ætate confectus, quæ corde gerebat, nequiuit absoluere: magna tamen gloriæ pars fuit adeò sublimes cogitationes vel in illa ætate fouere: *Confert Deus*, inquit Masius, Masius.
Iosue ætatem parum ad bellicos labores aptam, cum amplissima bellandi, quæ supererat materia, vt ansam habeat sanctissimi senis animum, & consolandi, & leniter, quò vult, flectendi, inducendique: credibile enim est Iosuam existimasse omnes sibi prorsus Chananeos antè esse exterminandos, quàm partitionem posset auspicari. Adhuc corporeis viribus destitutus ea audet, quæ iuuenilem ætatem, & vires integras deposcebant: tentauit magna, morte non absoluit interpellatus; sed de intento semper gloriosus. Nobis accommodabit verba Philosophus de vita beata cap.20. *Interim non est quod contemnas bona* Seneca.
verba, & bonis cogitationibus plena præcordia: studiorum salutarium etiam citra effectum laudanda tractatio est. Quid mirum si non ascendunt in altum? Arduos aggressus virtutis suspice, etiamsi decidunt, magna conantur. Eximia gloria decenter temerarias animo cogitationes tractare, vt si nequeas ad finem vsque perficere, vel medium itineris gloriosum sit peragrasse.

Honestius est aliquando magna aggredi, quàm humilia consequi. Plutarch.

Post miraculum illud, quo Christus Domi- 159.
nus tantam hominum copiam exiguis panibus saturauerat, discipulos compulit nauim ascendere, & velut à beneficiatis hominibus fugere tempestas cum Apostolis mari depræliabatur, & ne vires longa fatigatione lassescerent, magister lenes vndas non abrumpens; sed supergressus accurrit. Petrus, vt erat ad virtutem intrepidus

trepidus, & ad difficilia magnanimus, de Domini venia fluctus gressibus celerrimis etiam
Matth. 14. v. 29. calcat. *Descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum.* Fertur per marinos vortices non naufragus sed viator: non audet pelagus intercipere non timentem; imò veritum generosas amoris flammas, solidandas substernebat gressibus vndas; non tamen dissimulauit in totum, ne pedibus super æquora siccis Petrus ambulasse non crederet: acri ventorum vndæ sollicitantur afflatu; etiam Petri constantia concussa titubat metu. *Videns ventum validum timuit, & cum cæpisset mergi, clamauit.* O ausus infortunatos! Nonne melius esset cæteris associatum æquioris vndas leui scidisse nauiglo, quàm singulari maculari naufragio? Vndas tantisper calcat; sed eius fides degenerat: non quidem obscuraretur Apostolus indecora animi diffidentia, ni vndas temerariâ ad speciem calcare pedibus discupisset audacia. Inde cæteris euasit obscurior, vnde futurus videbatur gloriosior; imò, inquit Ambrosius de negatione Petri, ibi cæteris longè gloriosior, vbi fidei titubatione tantisper obscurus: non absoluit sine offensa iter; sed longè cæteris maiora tentauit: ibi nutat, vbi nullus graditur; sed ibi ambulat, vbi nullus ascendit: adhuc post lapsum singulari gloria de marino itinere relucet Petrus: honestius esset sine offendiculo peruenisse; sed illustre fuit fluctuum tumida dorsa calcasse.
Ambros. Audi Ambrosium: *Titubauit quidem Petrus in mari; sed ambulauit firmior: titubatio Petri nostra est firmitudo: ibi cadit, quò nullus ascendit: ibi nutat, vbi nemo ambulat; & tamen inter vndas, licèt titubat, non labitur; nutat, non cadit: fluitat, non præcipitatur: felicius ille cecidit, quàm alij steterunt.* Petri titubatio fluctus calcantem obscurat; sed fluctuum calcatio vel titubantem deprædicat: nescio quid iniuriæ fuit in mediis conatibus stetisse; sed habuit gloriæ plurimum per marinos vortices vel aliquantulum deambulasse. Magna pertenta: quia te eximium deprædicabunt adhuc non absoluta, quia laudem afferunt vel tentata.

160. Producamus alium huius veritatis testem, Ionatham scilicet iuuenem illum exerto animo, & felici audacia magna aggredientem. Cùm Philisthinorum castra loci asperitatibus, montísque arduitatibus sub papilionibus degerent communita; ille nec locorum præruptis impeditus, nec hostium penè infinita multitudine territus rem aggreditur supra humanas ad speciem vires: manibus & pedibus reptans ad hostium munitiones contendit, & felici temerita-
1. Reg. 14. v. 13. te animos inimicorum perturbat: *Ascendit Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius post eum.* Hostes in se ipsos irruunt, & timore perterriti per desertorum latebras inordinatè sunt fusi. Saül opportunitate incitatus fugientium tergis hastis insistit, & indecoras fugæ notas cruore fugientium tergis impressit. Ionathas cùm per camporum planitiem hostes insecutus discurreret, inscius paterni edicti fauum mu-
Ieiunium victoriæ mater. crone prehendit, orique applicuit: de abstinentiæ iniuria diuinitas læsa est, & hostibus euadendi tempus concessum, decúsque triumphi interruptum, quia & ieiunium fuerat violatum: cúmque pater captum sorte Ionatham morti damnaret, populus vel in ipso infortunio virtutem maximam commendauit, mortique addictum eripuit. *Ergóne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? Hoc nefas est: viuit Dominus si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie.* Gloriam obscurauit tantisper intemperantia; sed post concupiscentiæ nebulam adhuc magna virtutis resplenduit pompa: *Fecit salutem hanc magnam in Israel:* non consummatur de errore victoria; sed adhuc imperfecta æternum Ionathæ nomen procudit audacia. Audi Abulens. q. 41.
Dicitur quòd ipse fecit hanc magnam salutem in Israel, id est liberauit nos ab hostibus, & dedit nobis victoriam de illis: nam sexaginta millia de Philisthinis ceciderunt die illa, vt ait Iosephus 6. antiquit. *Hanc vocant magnam salutem: nam verè magna erat, nunquam enim tanta Philisthinorum multitudo irruerat super terram Israel.* Non est absoluta victoria; sed depulsa est ignominia: adhuc retardato triumpho manet Ionathæ magnum de strage aduersariorum elogium, & salutem magnam deprædicatur fecisse, etsi cupiditate allectus impediuerit consummasse. Adde non semel gloriosius esse magna non consequenda aliquando aggredi, quàm tentata humillima consequi. Abul.

Degebat Moyses montis cacumine, cum Numinéque iucundos alternabat sermones: amicitiæ familiaritas suasit, vt faciei visionem deposceret, rem sanè humanas vires longè superantem: *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Dominus rem supra humanum captum asseruit, tergáque videnda promisit: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet: videbis posteriora mea.* Ecce non consequitur, quod anhelat; frater tamen eius in planitie perficit, quod desiderat: nam cùm ad conflandum vrgeretur idolum, rubescentibus tradidit flammis aurum, & conformem votis defudit vitulum: *Quas (inaures) cùm ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* Alter desiderata compleuit, anxiè alter non obtinuit cupita: & quis illustrior? Moyses profectò, cuius facies de studio solares euincit radios, & intuentium fulgentissimis ictibus perstringit oculos: Aaron de obtento desiderio sordescit, micat Moyses de ambito: huic faciei desiderare visionem, ingentem attulit gloriam, dum tergora aspexit: illi vitulus gradem attulit ignominiam, dum infeliciùs vota furentium absoluit. Perfecisse vitulum fuit inglorium, gloriosum Numinis exambisse conspectum: anhelis Moysis votis natura refragabatur humana: *Non videbit*, inquit, *me homo, & viuet*; at votum ipsum eximium pariebat decus naturæ. Quàm benè aiebat Stoïcus loco citato: *Generosa res est respicientem non ad suas; sed ad naturæ suæ vires conari alta, tentare, & mente maiora concipere, quàm quæ etiam ingenti animo adornatis effici possint.* Honesta res digna desideria cùm naturæ fragilitate pugnare, & supra ipsas vires audere: non potuit Moyses obtinere desiderata: quia longè ingenium hominis supergressa; verùm posteriora videt, dum faciem suspicat, & claret vultus de visu, etsi fraudetur conatu: fors ni desiderasset ardenter ora, nec inspiceret fortunatissimus terga; at videt terga, quia suspirat ora: necessum fuit aliquid concedere magna conanti, & felicissimus de concesso, etsi fraudatus ambito. Huc voco Gregor. Nyssen. apud Lippoman. *Est interminabilis*

161.
Exod. 33. v. 13.
Exod. 32. v. 4.
Senec.

Nyssen. *minabilis diuina natura, & interminabile comprehendi non potest: quare qui diuinam pulchritudinem videre desiderat: & ad id tendit, in hoc cursu semper consistat; & id est, verè Deum videre, vt nunquam id desiderium terminetur.* Moysis desiderium non didicit terminari: nec potuit votum absolui; sed Moysis facies sydera irradiauit luce de intento; Aaronis facies de opere confunditur absoluto.

162\. Certè iucundum Seraphini apud Isaiæ 6. nobis præsentauere spectaculum: Domino assistunt excelso throno insidenti, crispatas aëre expandunt pennas videndi Dominum desiderio, & oculos alis arcent, veluti luminum periclitantes naufragio: *Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Profectò sibiipsis opponuntur nobilis ambitionis conatu: nam si oculi fortunatam illam luminum tempestatem ferre non possunt; quid se profundiori luminum pelago immersisse contendunt? Vires non suppetunt, oculi luminibus viuidissimis naufragantur, opusque est alatum vmbra ardentissimum temperare splendorem. Ita Theophylactus in catena ad Lucæ 12. *Seraphim velari dicuntur propter excellentiam diuini splendoris*; & tamen semper studiosissimè insistunt: cur ergo inutili conentur ambitu, quam non capere possunt lucem oculorum intuitu? O dignam Seraphinis pugnam inter anxios animi conatus, & incapaces oculorum aspectus! Vltra vires audent de honesta temeritate felices, de felicitate sæculis celebres. Ad rem Bernardus serm. 5. de verb. Isaiæ: *Viuaci per naturam intellectu, & feruenti nihilominus affectu per gratiam, in eum, qui supra ipsos est, extenti iugiter, & intenti stare quidem, vt diximus, per ministerium; sed & volare per studium perhibentur.* Noscunt Seraphini rem supra captum aggredi, nec infinitudinem finita posse capacitate concludi; nihilominus feliciter tentant conatu vinci: quia etsi explere nequiuerint desiderium, vel inexpletum illos fortunauerit votum.

(Margin: Isai. 6. v. 2. — Theophyl. — Bernard.)

§. XXXVI.

Commune bonum lentiori tractatur studio; peculiare ardentiori geritur desiderio.

163\. COmmune bonum cunctorum salus: nullus à generalitate secluditur, cùm omnibus vtilitas consecratur: nihil aliud nostra sic meretur studia, vt bona omnibus generalia: benè occubuit, qui pro cunctorum salute periit; imò non periit; sed se nunquam moriturae famæ dicauit. *Decius*, scribit Valerius Maximus lib. 5. de pietate erga patriam cap. 6. *qui consulatum in familiam suam primus intulit, cùm Latino bello Romanam aciem inclinatam, & penè iam prostratam videret, caput suum pro salute reipublicæ deuouit, ac protinus concitato equo in medium hostium agmen, patriæ salutem, sibi mortem petens irrupit, factaque ingenti strage plurimis telis obrutus super corruit, ex cuius vulneribus, & sanguine insparata victoria emersit.* Omnium salutem digno pretio, scilicet sanguine, illustris fœnerator coëmit: purpurauit æternam famam, dum probrosam à republicâ morte depulit ignominiam. Communi bono vita post habenda est; verùm rari sunt Decij, plures aut oscitanter bona generalia tractant, aut peculiaria sua specie generalitatis sitienter anhelant. *Nec lucri, aut quæstus gratiâ*, aiebat Plutarchus in præceptis poltic. *ad rempublicam accedendum, sicut Stratocles, & Dromoclides ad auream messem* (ita ioco nuncupabant suggestum) *se mutuo hortabantur.* Censeres Consules reipublicæ incrementis inoculatos studere, & vigilantissimos insudare; illi verò lucri desiderio accedebant, & vt sibi consulerent, suggesta reipublicæ præoccupabant. Hinc Cassiodorus pietatem Amalasuenthæ exaggerabat Reginæ 10. variar. 3. vtpotè quæ sua posthabuit semper communibus, dum plus generalitatis solicitabatur cura, quàm demortui augeretur filij tristitia: *Post flebilem filij nostri diuæ recordationis occasum vicit animum piæ matris generalitatis affectio, vt non mœroris sui causas; sed vestra potius augmenta cogitaret.* Pauci sunt, quibus communis salus studio sit, quibus sit animo, quibus sit pretio: peculiaria lucra quæruntur, nec incrementa communia amantur. Hinc Deus cùm Israëlitas opportuno tempore ad depopulandos hostes inflammare discuperet, terram nondum captam sortibus diuidi prouidentissimis procurauit: *Ego sum, qui delebo eos à facie filiorum Israel: veniat ergo in partem hæreditatis Israel, sicut præcepi tibi.* Otiosum cui terram nondum subactam adscribi sortibus videatur: nam si posteà hostes sunt abigendi, posteà etiam, & limites quibus diuidi, describat terram, vt posteà communi impetu, studióque communi Hebræi hostibus eripuerint modò tamen inutiliter non diuiserit. O sapientiam immortalem! Si tellus illa indiuisa remaneat, ad omnes in communi pertinebit possessio; si iam tributim diuisa, quæuis tribus peculiarem sibi portionem agnoscet: ergo vt arma in hostes acrius mouerint, strenuéque decertarint, quisque peculiarem sibi, non communem omnibus nouerit adscriptam tellurem: aliter aut detrectabit pugnare, aut saltem se in certamine non geret strenuè: quiuis namque ardentior anhelat quæ sibi propria; oscitanter tractat, quæ reliquis sunt communia. Adest ad rem satis opportunus Masius. *Priuata ambitione leuiter ad quæuis tentanda excitamur, nullósque labores recusamus, si modò rem facere, atque augere spes vlla ostenditur; at quæ ad rempublicam attinent, ea paucissimi volunt attingere, certè negligentius tractant omnes.* Ecce magnus terræ diuisionis fructus, vt scilicet quisque spebus inflammatus hostes deterat propriæ vtilitatis percupidus: & quidem si tellus illa sub generalitate indiuisa mansisset, acquisitionis frigeret studium, aut forte extingueretur penitus desiderium. Quisque sibi peculiariter adscriptum tuebitur, nec ad communia vexabitur.

(Margin: Valer. Max. — Plutarch. *Improbis in dicibus est aurea messis suggestum.* — Cassiodor. — Masius.)

Christum Dominum vtpote miraculorum fontem, & salutis scaturiginem plures desertorum vsque ad inuia comitabantur: tandem cum fame vexatos, & labore fessos pastor prouidentissimus agnouisset: mensam explicat extemporariam: & si non varios; cibos tamen apponit turbæ copiosos. O quas tunc res videre fuit! panes pariebant panes, & mensæ alimento extemporario disertæ duris agricolarum laboribus insultabant, & fercula saporata vincebant: hic nec terra vomere scissa, nec aratorum satio, nec imbrium vicissitudines, nec astrorum commuta- 164.

tiones. Omnia solo Dominico contactu perfecta, & Domini voluntate absoluta. Supererant reliquiæ plures: nec enim ambitiosa hominum fames consumere valuit panis copiam & ciborum abundantiam. Quid tunc? Apostolis frustula diuersis cophinis imperat colligenda, ne indecorè ferarum pedibus conculcarentur relicta: *Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Quærunt Patres cur in vnum cophinum non redigantur reliquiæ: nec enim difficilius erat ingentis magnitudinis cophinum omnia illa capere, aut saltem eam tantùm reliquiarum copiam superesse, quibus vnus ex cophinis satis fuisset. Fallar, nisi præpositæ thesi locus militarit. Cupiebat Christus nullam reliquiarum despici derelictam; imò sitienter omnes colligi, & ad colligendum quæri, & ob id suo adimplendo cophino culligendi cuique facultatem largitus est: quisque namque, dum sibi intuetur acquirere, & gestiet sitienter quærere; at si omnibus communis cophinus, fortassis aut oscitans sperneret cura, aut ignauissima colligere parui faceret diligentia: *Pars cum Apostolis numero sunt cophini*, scribit Basilius orat. 33. *vt singuli singulos baiulando laborem miraculi testem subeant.* Singuli singulos baiulent: nam si vnus communis, aut humeros non apponent, aut reliquias minimè quærent. Ergo non superfluus fuit cophinorum numerus, vt in colligendis reliquiis sacratus luceret ambitus. Bonum sanè amabile; sed vnicuique amabilius proprium: vbi enim peculiaris spes animum allicit, nulla oscitantia detinet, aut negligentia deturpat: si verò res in communi gerantur, non ita solers inuigilat diligentia, aut indefessa sudat in negotiis tractandis cura. Ergo pari numero sunt cophini cum Apostolis, vt dum quisque laborem subit solicitiùs, & miraculi testimonium oculis ingesserit clarius.

Ioan. 6. v. 13.

Seleuc.

165. Magnus ille Moses in fertilibus Arabiæ desertis oues agebat: non lucebat quidem exteriùs regali purpurâ; sed nec interiùs anxia distorquebatur inuidia, aut suspensa ex alienis votis cura: ad interiora deserti gregem minabat, cùm illi Deus conspicuus obiicitur: *Cùm minasset*, inquit, *gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.* Notauit Philo lib. 1. de vita Mosis adeò solicitum in tractandis gregum pascuis, vt nullum laborem fugerit, nec montium prærupta horret, nec inaccessa timet, nec confragosa declinat; sed vt pinguiores, illibatásque gregibus herbas ministret, anxio desiderio, cui nihil non facile, desertorum ima fatigat. Adest Philo lib. 1. de vita Mosis: *Factus omnium ætatis suæ pastorum optimus, & vtilitatis pecorum prouidentissimus, nullum laborem fugitat.* Gregibus prospicienti horribilis visio apparet, frutex inualidus flammis vndequaque insertus, ipsóque periculo floridus: ille spectaculum propiùs videndi allectus desiderio plumis cupiditatis alatus inuolat, adeóque improuidè se periculo obiectat, vt opus fuerit oraculum celeres gressus vocis imperio reprimere: *Cernens Dominus quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Ne appropies huc.* Nescio an fortior apparuerit potentia in cohibendis ardentissimis desideriis, aut in frænandis vehementissimis flammis; stitit ille gradum, quem Deus in Ægyptum iubet acceleret, vt tyrannicis

Exod. 3.

Philo.

Bonus pastor pro gregis commodis nullis non dicatur ærumnis.

Magna peritia, quæ ardentissimum refrænare valet studiũ

oppressum vinculis exoluerit populum, ille vocis gracilitatem allegat, multisque imperium gestit excussisse, paruit tamen quia compulsus; ast viam carpenti Dominus iratus occurrit, & mortem non sine furoris significatione minatur? *Cum esset in itinere in diuersorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Quærunt Patres cur gradientem sit ferire aggressus, qui detrectantem imperium magnanimè passus? Estne honestius niti recusare imperiũ & iniurium lente peregisse mandatum? Ita fortè: habet namque illud humilitatis speciem, hoc despectus offensionem Theodoretus quæst. 4. causam discriminis suspicatur lentiùs viam carpsisse, & gressus non sine ignauia tardasse. *Quidam aiunt id in causa fuisse, quod Moyses missus ad liberandos gentiles suos, coniugem itineris sociam habere voluit.* Concinit Augustinus quæst. 12. in Exod. *Quidam putauerunt propter hoc Angelum terruisse, ne ad impedimentum ministerij diuinitus impositi fœmineus sexus comitaretur.* Paruulorum gressibus attemperabat suos, & qui ad augendum gregem, vel montium ascendebat prærupta, ad liberandum populum lentissimè gradiebatur per plana, vt quid à visione perciperet oblectamenti, inuolabat alatus; vt genti subueniret, morabatur tardigradus. O quàm propriis oblectamentis deuotus, quàm pecorum incrementis addictus! genti tamen suæ opem laturus, aut hospitiis immoratur, aut via lentissimus detinetur: nec mirum: nullus enim boni communis vrgetur desiderio, vt propriæ inflammatur vtilitatis studio. Nec hoc solùm videre licet in hominibus, sed etiam apparet non semel in animalibus.

Exod 4. v. 24.

Theodor.

Augus.

Columba simplicitatis norma; animi candoris exemplar bis ex arca emittitur elementorum temperiem indagatura, cúmque priùs non inueniret, vbi requiesceret pes eius, nulla mora arcam repetiuit solicita: *Emisit quoque columbam post eum, vt videret, si iam cessassent aquæ super faciem terræ: quæ cum non inuenisset, vbi requiesceret pes eius reuersa est ad eum in arcam.* Impedita nebulis, aëris caligine territa ocyssima quæsiuit refugium: posteà iterum delegatur, & iam ramum affert ad vesperam virentibus foliis in ore suo. *Venit ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo.* Perpende quæso hujus reditus tempus describi, illius autem reditionis taceri. Profectò columba iterum missa celeriùs cogebatur redire, priùs aliquantulum poterat immorari; totus mundus angustiis arcæ inclusus limitibus pendet à nuncia columba: ergo ramum celerrimè raptum gestet, vt visis floribus & cunctorum spes refloreat. Si ergo priùs adeò celer egressa est, cur posteà vsque ad vesperam immorata? Facili solutio: priùs sibi quærebat profugium, posteà lætum omnibus ore gerebat ramum, adeóque à se ipsa diuersa est vel columba, dum sui quærit, aut dum cunctis communia tractat, vt vesperascere iam Sole læta omnibus nunciatura redierit; at protinus proprium periculum fugiens volarit: tardiùs curauit commune bonum, celeriùs ambiuit suum. *Non absque ratione*, inquit Chrysostomus homil. 26. in Genes. *neque temerè adiunxit, ad vesperam; sed vt discamus quòd tota die fuerit pasta, & inuento sibi conuenienti cibo ad vesperam redijt in ore ferens siccum folium oliuæ. Animal est mite, & nostra familiaritate gaudens; & idcirco*

166.

Gen. 8. v. 8.

Chrysost.

eo rediit, & sicco oliuæ folio multum solatij insto attulit. Diem insumpsit oliuam depasta; ad vesperam rediit solatium omnibus allatura, vt videas vel ab animalibus oscitantiùs tractari communia, solicitiùs peculiaria. Ergo Deus iure diuidi terras præcepit, vt quemque ad sibi propria recuperanda ardentiùs inflammarit. Adde non semel homines carere oculis ad vtilitatem communem, habere tamen aspectus lynceos ad peculiarem. Cæci, & oculati sunt multi: oculati, vt ad se attinentia, perspicacissimè videant: cæci, vt quæ ad rempublicam, ignorarint.

167. *Oculi tui*, aiebat sponsus, *columbarum.* Magna huius columbæ felicitas, quod eiusmodi oculi eius fuerint, vt non sibi solis; sed toti columbæ & studiosè prospexerint, & gnauiter vigilarint: sunt enim multi, quibus oculorum plausus; sed oculorum nullatenus vsus: cæci sunt, vt alios ducant, inoculatissimi, vt sibi consulant. Opportunè Gillibertus serm. 25. in Cantica: *Oculi eius sunt vtrorumque interpretes, & doctores populorum, quorum officio spiritualia animæ vel commoda vel scandala & cernimus, & discernimus; sed nescio si omnes, qui oculi habent officium, teneant & vsum. Duces cæci, nec tantùm cæcorum; sed, quod indignius est, & videntium. Nonne videntur oculi habere & locum & speciem; sed virtute carere? Visuam vel id sufficeret, & virtute prouidendi bona carerent, essentque ad communes vtilitates cæci, dum non ad priuatas arguti commoditates.* Perpende quæ ingeniosissimè subdit: *Nunc autem & cæci sunt & callidi: hebetes ad Ecclesiæ lucra, ad propria acuti; sed quomodò oculus est columbæ, qui columbæ non inseruit, columbæ non videt, columbæ non prouidet?* O quàm plures oculorum sortiuntur honorem, nec tamen implere nouerunt munus! Nihil vident, quod columbæ proficiat: nihil non vident, quod illorum commoditates adaugeat: cæcutiunt lippitudine; imò clauduntur cæcitate ad communia, vincunt perspicacitate lyncem ad peculiaria.

Cant. 4.

Gillibert.

§. XXXVII.

Apud sæculum minùs impetrant virtutum facinora, quàm diuitiarum crementa.

168. SEnecæ vox, satis diserta est, aurum pecuniamque morum tineam; sæculorum corruptelam, dignitatum hamum, & virtutum quidem exilium. *Hæc ipsa res*, inquit epist. 115. *tot magistratus, tot iudices detinet, quæ magistratus & iudices facit: pecunia ex quo in honore esse cœpit, verus rerum honor cecidit.* Virtutis cecidit honor, quia auri oculos obcæcauit splendor: quisquis diues, dignitates obtinuit pecuniis, quos virtus gloriosis consequi nequiuerat factis: fastigia columnis nituntur aureis. Audi Ouid. 2. Met.

Senec.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis
Clara micante auro.

Ouid.

Eiusdem currum inspice, & videbis auro tegi, argentóque fulciri.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summa
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Nec Sol ipso claris adeò luminibus fulgurans dignitatis occuparet fastigia, si abfuisset aurum, si defuisset argentum: potentes dum ad aliorum placitum expendunt aurum: ad voluptatis suæ viuere possunt arbitriũ. Audi Eurip. apud Senec.

Sine me vocari pessimum, vt diues vocer

Euripid.

An diues, an bonus? nemo: omnes quærimus,
Non quare, & vnde: quid habeas tantum rogãt:
Vbique tanti quisque, quantum habuit, fuit.

Tantũ quisque fuit, quantum habuit.

O nimis verum! Quantitas qualitati successit: aurum pro merito, & argentum pro glorioso facinore cunctis fuit. Optimè Seneca vbi suprà: *Dabat in fabula pœnas Bellerophontes, quas in sua quisque dat.* Certè erat fabula, vbi homo ditissimus dabat pœnas, & luebat suppliciis culpas: omnia tegit diuitiarũ cupia, & admirationi sunt tecta carie exesa, si auro micanti perfusa. Moyses non mundialis styli secutus vitium; sed delineans nobis mysterium, Rubenitarum, Gaditarúmque tribus integras, tribus verò Manassè dimidiam amœnis ante Iordanem regionibus collocauit: *Et nunc diuide terrã in possessionẽ nouem tribubus, & dimidiæ Tribui Manasse, cũ qua Ruben & Gad possederunt terram, quam tradidit eis Moyses famulus Domini trans fluenta Iordanis ad Orientalẽ plagam.* Altiùs vt eruamus medullam, repetamus historiam. Tribus Ruben & Gad cùm pecoribus abundarent, & alendis gregibus irriguas fœcundasque ante Iordanem prouincias sitiẽter discuperent, ita Moysem interpellarunt: *Regio vberrima est ad pastum animalium, & nos serui tui habemus iumenta plurima, precamúrque, si inuenimus gratiam coram te, vt des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Iordanẽ.* Annuit Moyses petentibus, illisque dimidiam Manassè Tribum adiunxit, cuius rationem perscrutantur interpretes. Placet inter alios Masius ingenio & eruditione inter Iosue interpretes nulli secũdus. Ait ergo dimidiam Tribum ante Iordanẽ collocatam ob egregiam in hostibus debellandis virtutem, aduersariisque depopulandis præstantiam. *Mihi quidem*, verba sunt Masij, *ea consideranti, quæ ad istam rem pertinent, tum in Numeris commemorata, tum initio cap. 17. huius comment. credibile videtur Machiris virtuti hoc præmiũ à Moyse delatum vltrò esse; cùm simul Rubenitis, & Gaditis, quod ambiebant, concederet.* Audi quæ subdit: *Quippe vir diuinus & Dei spiritu mirabiliter afflatus intelligebat singularem fuisse in debellando Og Manassensium virtutem.* Manassenses has regiones ab inimicis eripuerant acerrimi, sed obtinuerunt Rubenitæ, & Gaditæ aliorum sudoribus parta, & singulari valentia erepta. Sed iam pungit scrupulus: videbatur enim rationi congruentius integram Manassensium Tribũ amœnissimis illis regionibus collocasse, & si quid superasset, Rubenitis & Gaditis dedisse: cur ergo Tribus illę ampliorem sortem acceperint, & præcipuã? Profectò Moyses nulla affectione obscuratus, nec legi iniurius, verùm afflatus diuino spiritu sic regiones partitus est, vt diuites Tribus sortes acceperint integras: & qui virtute belli pollebat, acciperet dimidiatum: vt venturis sæculis vulgaretur, citiùs obtineri præstantissima diuitiarum suffragiis; tardiùs vel exigua heroicis virtutum meritis. Ruben primus collocatur, quia pecorũ grege ditissimus: Manasses dimidiã accipit possessionẽ, quantumuis certamine strenuus. O quoties miles e bello rediens truncatus, exiguũ diu non valet consequi periculi præmiũ, cùm diues meriti, & periculi prorsus ignarus amplæ incẽdit dignitatis fastigium! Dimidiam hæreditatis accipit Manasses depræliator acerrimus, possessionem integram: Gad ditissimus adeò vitium hoc vel priscis sæculis fuit agnatum, adeò venturis erit æternum.

Senec.

Num 32. v. 4.

Masius.

169. Abrahamus, vt curabat honestam sponsam filio seruum sacramento obstrictum in patriam delegat: peruenit ille Mesopotamiam ad vrbem Nachor, adeoque Deus eius fortunauit votum, vt Rebecca illi occurrerit iuxta puteum: ille ingenuam adolescentulæ indolem expertus, & cognationis cum Domino suo gnatus puellam aureis muneribus donat: Gen.19. v.22. ***Protulit vir inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem***: illa celeri volatu domum repetit, & quæ acciderant, denunciat: inspectis donis Laban Rebeccæ frater obuius occurrit, & peregrinum hospitio excepit; verùm ille adeò gnauiter legationis curauit implere munus, vt nec rogatus acceperit cibum, donec itineris declarauit scopum. Laban à Domino rem speciali prouidentia testatur dispositam, & seruus prolatis iterum donis Labani deuinxit animum, allexit affectum. ***Prolatis vasis argenteis, & aureis, ac vestibus dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque eius, & matri dona obtulit.*** Celebrato conuiuio sequenti die seruo puellam nutrice associatam tradunt: ***Dimiserunt ergo eam, & nutricem illius, seruúmque Abraham.*** Vides quam celeriter, quàm ex voto cuncta peracta. Verte modò oculos ad Iacob: eandem ad regionem tetendit sponsam sibi dicturus; ipsiusque Laban domum ingreditur, nec tamen Rachel in coniugem à parentibus impetrat, donec septem annos posuerit pecorum cura vexatus, & ardoribus solis adustus; imò adhuc post longa adeò spatia Laban genero imposuit fallaciis, & totidem annos iterum inseruire necessum, vt staret Gen.29.v.19. socer promissis: ***Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis***; verùm si Laban citissimè sororem matrimonio locandam misit, cur differt modo promissam tradere filiam? cur post anxias adeò moras in futurum protrahit connubium, si Iacobo spopondit thalamum? Ibi vnica intercessit dies, hîc anni effluxere quamplures. Ecqua ergo discriminis ratio est? Animaduerte candidatorum differentiam: alibi seruus auri sponsam Isaaco petiuerat eloquentia, Iacobus meritorum instantia: ideò ille votum impetrauit celerrimè; hîc debitum tot laboribus tardè: Iacob amplo meritorum ambiuit censu; sed pauperis Gen.32.v.10. habitu: ***In baculo meo***, inquit ipse, ***transiui Iordanem***: seruus diuitias protulit, & amplis animos donis deuinxit: ideò ergo sequenti die impetrauit placitum, Iacob verò nec post longa tempora consequi valuit promissum. O quàm Laban diligens in tradenda sorore pretiosis muneribus subornatus! O quàm ipse in remunerandis Iacobi meritis filiæ traditione morosus! Lippom. ***Significat***, scribit Lippomanus, ***hoc in loco res pretiosas, puta vocalia aurea, lapides pretiosos & huiusmodi.*** Chrysost. Concinit Chrysostomus hom.48. in Genes. ***Honorat donis & fratrem, & matrem, & cum vidit negotium, & mandatum impletum tunc tandem refici se passus est.*** Donis fratrem munerat, & negotium felicissimè absoluit; at Iacob quia non poterat proferre dona; sed repræsentare merita, sæculum consumpsit in impetrando, & tulit labores durissimos in ambiendo. O nimis verum! Si quis dignitatem ambiat auro nudus, quantumuis dignus, necessum erit muniri patientia ad moras, & tolerantia ad superciliorum iniurias: auro ditatus lucet citissimè ad fastigia dignitatis euectus, cùm nec post longa sæcula inscendat dignus.

Zachæus corpore exiguus; auri tamen copia opulentus Christum videre ardenter discupiit: 170. optimum quidem votum; sed inexpertus aggressus est occupare fastigium. ***Ecce vir nomine Zachæus, & hic Princeps erat publicanorum, & ipse diues, & quærebat videre Iesum, quis esset, & non poterat præ turba: quia statura pusillus erat, & præcurrens ascendit in arborem sycomorum.*** Luc.19.v.2. Profectò Deus melius ab humilibus aspicitur, quàm ab altè incedentibus videatur. Ambrosius Zachæum non tam corporis statura, quàm meritorum putat exiguitate pusillum. ***Supra turbam ascendit***, inquit, ***& vidit, hoc est, plebem iam transgressus inscientiam meruit, quam desiderabat accipere: in quo & mysterium aduerte: nam statura pusillus, hoc est nulla nobilitatis ingenitæ dignitate sublimis, exiguus meritis sicut populus nationum.*** Ambros. Aliud sanè mysterium præfatis verbis explicuit Ambrosius; mihi tamen præscriptam ad thesim liceat eius adaptare sententiam. Ecce Zachæus meritis pusillus, originis nobilitate non clarus tot populos supergressus arboris fastigium inscendit: & quo ille ad tam sublimia valuit efferri? quo ad fastigia potuit extolli? Sanè diues erat: ergo quantumuis merita præpedirent ascensum, diuitiæ arboris obtinuerunt fastigium. Diuitiæ citò inscendere fastigia, virtutes morosè tenus excipiunt. Profectò ad videndum Deum nec humana valent fastigia, nec auri, nisi pauperibus erogata, proderit copia: ideò illi iubetur descensus: ***Zachæe festinans descende***: quia Domini visio debetur humilibus, non superbis; verùm vt noueris quam citò diuites, quantumuis indigni, altitudinis occupatint excelsa, Zachæus & meritis refertur pusillus, & arboris cacumine elatus: ***Præcurrens ascendit***, non dignus, sed opulentus: ***Et ipse diues.*** Quàm morosè arboris fastigium obtinuissent virtutes! quàm citò elatæ sunt facultates! Adde vel ipsam Numinis omnipotentiam, quò diuitiarum vires nobis prodiderit, ad tuendam aliquando dignitatem, diuitiis vti.

Aaron venerabili sacerdotis pacatè fungebatur officio; verùm inuidia infensum optimis 171. telum tumultuosas excitauit querelas, ambitiosas commouit populi turbas. Quid tunc? Virgas Deus tributim accipi imperat Principum inscriptas nominibus: Aaronis virga extemporaneis floribus adornatur, gratis virescit foliis, fructibus exundat dulcissimis: ***Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.*** Num.17.v.8. Virgam frondibus, floribus, ac fructibus opulentam seruari iubet Dominus ad repellēdas aduersariorum insidias, & occludendas iniquitatis querelas: ***Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur ibi in signum rebellium filiorum Israël, & quiescant querelæ eorum à me***; verùm si, vt multis placet, hæc fuit illa virga, quæ olim dracones Ægyptios obtriuerat, quæ vortices marinos frænarat, nec tamen querelas potuit compescere, quomodo in posterum iniquitatis criminationes eripiet? Magnum miraculum repentè sine succo florescere, & abortu felicissimo germinare; non tamen inferius erat portentum exuccam virgā fouisse spiritus, in vegetósque conformari artus: si ergo nōdum draco sopiit inuidiā, quomodo florescens exinceps arceat querelam? Profectò virga illa anteà opimis ad dignitatē meritis ornabatur; modò verò fructu ditescit; adeóque

que de sæculi more plus valet ad obtinẽdas, defendẽdásque dignitates diuitiarum copia, quàm meritorum proderit summa, vt in virgam fructibus exundãtem nullus audeat in posterũ bellum mouere, cùm meritis ornatam sæpè intenderint criminari. Ad rem Abulensis quæst. 11. *In ea ista semper conseruata sunt ... debuit dare signum, ne essent rebelles.* In virgam elementis imperantem, in colubrum humi repentem armabitur temeritatis audacia; excidet tamen auribus, si fructuum ditetur copia: tantum valent ad dignitates impetrandas, & tuendas diuitiarum auxilia, tam despiciuntur virtutum ac meritorum suffragia. Moyses ergo dimidiam Tribum Manasse ante Iordanem collocat ob strenuam in bellando peritiam, integras Rubem, & Gad ob ferè immensam pecorum summam. Quàm verè aiebat Drogo de Sacram. Domin. Passion. *Vbi pecunia, ibi rex, ibi lex, ibi clientium copia.* Leges cudit pecunia, aut, quod deterius, adulterat, & corrumpit leges: peruersè imitatur sapientiam, vt eius sibi furetur prærogatiuam. *Vendicat pecunia* (Drogonem audis), *quod sapientia dicere solet: Per me reges regnant, & conditores legum iusta decernunt.* Quodcumque pecunia imperat, iustum est: ipsa namque scelera adeò auro tecta resplendent, vt oculis facillimè imponant. Mira res quam nomine Theodorici scribit Cassiodorus in gnomologia. *Additur quod nostris temporibus scelerata pecunia non valebunt, nec culpam suam redimit, qui reum se esse cognoscit.* Profectò insolitum, & rarum: nam aurum nescio quam redimendi scelera potentiam habet; sed de miserorum sanguine, non de iustitiæ fonte.

Abulens.
Drogo.
Cassiodor.

---

§. XXXVIII.

Non est vulgare miraculum, si Magnates, quod semel animo inhæsit, erroris deposuerint iudicium.

171. Magnatem quendam monebat Seneca epist. 70. vt oculos suos tenebris mersos luci pateretur restitui, vt aures verbis senioribus commodaret: nec exigui temporis negotium censuit; sed vel insumendum illi sæculum æstimauit: *Sine dediscere oculos tuos, sine aures assuescere sanioribus verbis ... Vix effici toto sæculo potest, vt vitia tam longa licentia tumida subigantur, & iugum accipiant.* Sic erroris tyrannide, sic fallaciarum vinculis animus prenditur, vt ratio patiatur exilium, nec veritas inuenerit aditum. Verùm etsi aliis hic error inhæreat, Magnatibus, altéque gradientibus insidet altiùs, & conuiscerantur intimiùs, mirum erit, si mutarint sententiam: nam durities censetur constantia, & semel cœptis insistere adscribitur animi firmitudini, vt sententiam deponere leuitati: *Etiamsi ingeritur oculis veritas,* aiebat Stoicus lib. 1. de ira cap. 16. *amat, & tuetur errorem: coargui non vult, & in malè cœptis honestior illi pertinacia videtur, quàm pœnitentia.* Nouus error errorem tuetur, & falsitas ambitioso nomine armatur. Moyses cùm animo terram non diuidere firmiter decreuisset, nonnullis tribubus flagitantibus annuit, & vtiliore sententia inhærens decretum animo commutauit: & fortassis ob id honestis famuli Domini titulis decoratur; alioquin semel cœptis insistens, quantumuis vtilitate, & ratione reclamantibus duraretur. *Tradidit eis Moyses famulus Domini* (terram) *trans fluenta Iordanis ad Orientalem plagam.* Audi Tostatum quæst. 18. *Non erat intentio Moysi sic diuidere istam terram Orientalem Iordanis, scilicet dando eam duabus tribubus, & dimidia, vel duabus; sed magis quòd tota terra primò acquireretur, deinde diuideret eam Iosue: vnde quando dua tribus, & dimidia petierunt terram hanc, admiratus est Moyses, & exterritus, increpuitque valde petentes, vt patet Numer. 32. cap. ad extremum autem considerato rationabili motiuo eorum concessit, quod petierant.* Sapienter mutauit consilium, honestiórque illi visa est prioris decreti pœnitentia, quàm in semel anteà statutis indomabilis pertinacia: nec mirum: erat namque Domini famulus; alioquin nec semel efformatum deposuisset iudicium, nec quantumuis vrgeret ratio, demutasset intentum. Miraculo opus esset, vt Magnatis superbia pateretur consiliis sanioribus informari, aut ratione tumiditatem deflecti.

Senec.
Abulens.
Superior rationi obediat, nec propria sententia insistat.

173. Dauid honoris diuini mirè zelotypus generosè exposuit vitam; vt à monstro illo incussam Dei populo auferret infamiam; verùm (nec in curia rarum) strenuitatis præmium regis irrationabile perpessus est odium: ab eo, quem gnauiter adeò seruauit, ad necem sitienter inquiritur: beneficentiæ suæ recordatione attonitus, quòd per eam in se aduersarij regis concitauerit arma, intolerabili doloris morsu sauciatur: fugam vti huius ægritudinis aptum medicamen arripuit; verùm nec fuga sitit periculum; imò Saül absentia aduersarij ardentiùs exasperatus regni cogens exercitus prædator iniustus protinus occultum requirit: saltus peruestigat, ima vallium cingit indagine, summa montium lustrat curiosissimè; verùm incidit in foueam, quam fecit: nam cùm Dauid obiacens spelæum fuisset ingressus, & Saül ingreditur necessitate, compulsus: Dauid nactus hostem ad instar custodis seruat, & chlamydis oram testimonium generosæ beneficentiæ reportat: his etsi inuitus Saül conuincitur, & tandem copiosis lachrymis errorem deleuit, séque luci, & rationi restituit: *Leuauit Saül vocem suam, & fleuit, dixitque ad Dauid: Iustior tu es, quam ego.* Chrysostomus, vt erat acri ingenio has lachrymarum vndas cum illis à Moyse è saxo componit elicitis, rogátque quis mirabilior, Moyses dum silicem frigidas liquauit in vndas, an Dauid dum saxeum cor ardentes resolui fecit in lachrymas; Moyses virga illa omnipotentiæ æmula per rupis vulnera fontes elicuit aquarum; *Cùm eleuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Dauid cùm leuasset vocem, lachrymarum copiam eduxit; verùm illud vtpotè silicis genio violentum illustrius fuerit miraculum. Quid mirum si homo beneficentia fleuerit delinitus? at mirum si silex non flammas, sed vndas iactauerit repercussus. Ergo Moysis factum, & prodigio celebrius, & raritate nobilius; imò ob id, inquit Chrysostomus hom. 3. de Dauid, & Saüle, facinus Dauidis grandius: est namque facilius silicem dediscere ingenium, quàm Magnatem superbia turgidum, & tumiditate superbum,

1. Reg. 24. v. 18.
Numer. 20. v. 11.

superbum, si semel inhæsit animo, erroris denudasse iudicium: ibi namque solùm resistit natura; hîc & vana sapientiæ præsumptio, & arrogans vanitatis constantia. Audi Chrysostomum: *Quid esse possit hoc propheta beatius, qui breui temporis momento sic hostem è furore ad sobrietatem composuit, & animum nactus sanguinis ac cædis sitientem, repentè ad lamenta & eiulatus compulit.* Curiosiùs, quæ subdit, attende: *Non perinde miror Moysem quod è saxo prærupto fontes elicuit aquarum, vt admiror Dauidem quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lachrymarum: siquidem ille quidem vicit naturam; at hîc vicit animi decretum.* Quid aptiùs thesi? Decreuerat Saül Dauidem persequi, animo obdurato vexare; modò ad saniorem mentem receptus, & deposuit iudicium, & erroris obliterauit decretum: quod in Magnatibus superbisque adeò est perrarum, vt illo Moysis mirabilius fuerit prodigium: *Non miror Moysem quod è saxo prærupto fontes elicuit aquarum, vt admiror Dauidem quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lachrymarum.*

Chrysost.

Mirabilius est peccatorē impellere ad fletum, quàm in vndas liquefacere saxum.

174 Ætatis flore Lazarum pestilens morbus corripuit: quatriduanus iacebat in tumulo; at resplendens Domini vox gelidis artubus calorem restituit, & animam imperio visceribus inspirauit: *Venit ad monumentum; erat autem spelunca, & lapis super positus erat ei, &c. Voce magna clamauit: Lazare veni foras; & statim prodijt, qui fuerat mortuus* Domini voce, eåque miraculum perficitur sæculis retrò ignoratum; componamus verò cum inopina Sauli conuersione prodigium: ardentibus insani zeli æstuabat incendiis, & veritatem veritatis falsò patronus deterere contendebat, cum è cælo Christus clarissima luce circumfusus aduentat; eáque radiorum fuit efficacia, vt in præceps actum reprimeret, mentísque tenebras densissimas illustraret: *Subitò circumfulsit eum lux de cælo, & cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule quid me persequeris? Et tremens ac stupens dixit: Domine quid me vis facere?* Subitò mutatus resipuit, & in se reuersus, quam Deus illi ostendebat, viam arripere tutò decreuit. Ostendit Drogo de sacram. Dom. Passion. æquale censet & demortuo Lazaro præbuisse motum, & furentis Sauli frænasse gressum: *Hoc opus & in Lazaro, & in Paulo operatus es: illius facies sudario ligata erat, quia tenebræ erant super faciem abyssi; huius ab oculis, cùm baptizaretur, tanquam squamæ ceciderunt, vt reuelata facie gloriam Domini specularetur.* Idem opus censet Drogo alium repressisse, & alium ab inferis excitasse; verùm ni fallor, longè resurrectionis Lazari excedere videtur, prodigium, quandoquidem & abstabant mortis vincula, & antiquo sepulchri confirmata tempore iura. Quid mirum, si pedem referat error? Quid rarum, si micans lux mentis discutiat caliginem? Ergo Drogo Lazari gloriam imminuit, dum Pauli vocatione componit. O attende quis Paulus: furore percitus, sapientiæ, doctrinæque semper titulis celebratus: iudicium igitur vertere, antiquisque nota consiliis inurere sic arduum, vt æquale sit demortui excitationi prodigium: *Hoc opus & in Lazaro, & in Paulo operatus es.* Lazaro hucem mortis præpediebat sudarium, Paulo vanitatis velum; ast hærebat intimius velum, eratque exterius sudarium. Inglorium putat Magnates demutare sententiam; quia inceptis insistere decorum, etsi falsò, iudicauere constantiam. Ergo adæquum fuit sepulchralem à Lazaro auferre fasciam, & inhærentem Pauli animo excussisse sententiam. Ita prudentiæ suæ Magnatibus blanditur opinio, ita censetur quantumuis meliori commutare sententiam nota, ita vanitatis reputatur iniuria: Ergo Moyses cùm proprium denudat iudicium, & Numinis famuli meretur elogium. Adde hoc opus diuinæ omnipotentiæ quodammodo reseruatum, quantumuis mirum aliud humanæ potentiæ adscriptum.

Ion. 11 v. 38. & 43.

Actor. 9. v. 5.

Drogo.

Qui falso zelo stimulatus arripitur, haud quaquam gloriā Domini speculatur.

Pastor ille nobilis, qui agnō commutauit sceptrum, rude prehensa elementis imperat, ditionémque gloriosus extendit: diuina voce, omnipotentiáque velut tessera armatus populum deposcebat exolui: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* Pharao cupiditatis vinculis obcæcatus sic obbrutescit, vt ignorantiam protelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationem, aut vtrumque: *Quis est Dominus*, inquit, *vt audiam vocem eius, & dimittam Israël? Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Moyses virga Solem sistit, grandinem igne confertam iacit, loquacissimas ranas educit, intempestiuas aceti offundit tenebras, & densos calamitatis eiaculatur imbres, si possit emollire duritiam: ille verò obstinatione æreus, & peruersitate induratus, nec induxit animum, vt retractaret consilia, nec voluit emendare decreta. Quid tandem? *Non audiet vos*, inquit oraculum, *immittámque manum meam super Ægyptum, & ducam exercitum, & populum meum filios Israël de terra Ægypti per iudicia maxima, & scient Ægyptij, quia ego sum Dominus, qui extenderim manum meam super Ægyptum, & eduxerim filios Israel de medio eorum.* Sibi vendicat facere, vt Ægyptij errorem denudarint antiquum, quod in mediis maris rubri vorticibus fecit: cùm enim nubes illa nigras in Ægyptios eiacularetur tenebras, & obscuras vomeret flammas, dixerunt Ægyptij: *Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos, & ait Dominus ad Moysem: Extende manum tuam super mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios super currus, & equites eorum.* Ecce comprehensa virga Moyses vndas & resoluit & ligat; at Deus ipse Ægyptios sententiam mutare cogit: quasi hoc opus Numinis fuerit insigne; illud verò creaturis quiuerit delegari. Non potuit Moyses efficere quantumuis mutuatitia omnipotentia obarmatus, vt Pharao Numinis deponeret ignorantiam, stultámque demutaret sententiam: mare ad Moysis imperium sistitur, Sol tardatur; at Numen ipsum refractarium compulit Numinis fateri dominium, & in contrarium semel cœptum vertisse gradum. *Nomen est tetragrammaton*, inquit Caietanus, *& verificatur etiam in eis, quod dixerat Deus: Et scient Ægyptij quòd ego Iehoua: nunc enim confitentur quod non magica arte; sed ipse Iehoua est qui pugnat pro Israelitis contra Ægyptios.* Moysi tributum est domare elementa, patrare prodigia; at per semet ipse Deus Ægyptiorum repressit gradus, compulítque antiquam retro agere viam, priscámque mutare sententiam: quasi hoc omnipotentiæ sit speciale, illud creaturæ diuina munificentiâ commune.

175.

Exod. 5. v. 1.

Exod. 7. v. 5.

Exod. 14. v. 25.

Caietan.

Lucet inemolliendâ peccatoris duritiâ Numinis omnipotentia.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Stabili censu; imò, & grandi fœnore recuperabit in filijs, quæ quis largitur egenis.

176. Seneca. *In beneficijs duratura quærenda.* SI *arbitrium dandi penes nos est*, aiebat Seneca lib. 1. de benef. cap. 11. *præcipuè mansura quæramus; vt quàm minimè mortale munus sit: pauci enim sunt tam grati, vt quod acceperint, etiamsi non vident, cogitent. Ingratis quoque memoria cum ipso munere incurrit, vbi ante oculos est, & oblivisci sui non sinit; sed auctorem suum ingerit, & inculcat, eò quidem magis duratura quæramus, quia nunquam admonere debemus.* Stabilitatem quærebat Seneca muneri; sed aptiùs quæreret largitori. Felix ille, qui benè adeò sua collocauit obsequia, vt ampla honesti fœnoris responderint lucra. Dedit ille ingrato: non amisit beneficium, quia in ipsa actione percipitur: non, inquis, vllum sequetur emolumentum: non intendebat: nam si intenderet, non esset generosi animi munificentia; sed nundinatio; verùm quia, licèt non intendatur emolumentum, placet semper honestum lucrum; iuuat in donando honesta vti industria, vt ampla largitori attulerint incrementa: sic largire, vt nil ab accipiente speraueris; sic despera, vt copiosa fœnora obuentura tibi credideris. Si ergo in effœtum solum, & sterile semina non spargis: si, cui tutò commiseris grana, quæris: si mansura semper suspiras; egenis largire: habent enim diuitem fideiussorem, cuius nec memoria obliuione deteritur, nec animus vmbris ingratitudinis obscuratur: manebunt semper æterna, quæ ob Deum miseris contuleris beneficia: nec solùm habebunt virtuti annexum oblectamentum; sed lucrum. Moyses ab hostibus, quas tradiderit Israëlitis, eripit ciuitates; Ammonitarum tamen limites reueretur, & ne habitatores læserit, militaris ardor edictis imperatoriis frænatur: *Tradidit eis Moyses famulus Domini cunctas ciuitates Sehon regis Amorrhæi, qui regnauit in Hesebon, vsque ad terminos filiorum Ammon.* Quod siquis obijciat Moysem dedisse Tribui Gad dimidiam partem terræ filiorum Ammon, vt constat hoc ipso capite n. 25. respondebit Abulensis q. 16. hanc terram non esse tunc ab Ammonitis possessam; sed multò antè à Sehon rege Amorrhæorum armorum vi subiugatam. Itaque Moyses aliquam Ammonitarum terram ab alio, etsi violenter possessam distribuit; ab ipsis verò occupatam minimè inuasit: tutabatur namque Ammonitas regale edictum prolatum Deuteronom. 2. *Accedens in vicina filiorum Ammon, caue ne pugnes contra eos, nec mouearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon: quia filijs Lot dedi eam in possessionem.* (Deuter. 2. v. 19.) Videamus modò cur hæc regio Lothi filiis veluti indelebile patrimonium relicta, & inter aduersariorum arma priuilegio cælesti asseruata. Sementi statim offert illud conuiuium, quod Lot peregrinis Angelis præparauit: *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, & sedente Lot in foribus ciuitatis, qui cum vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram, & dixit: Obsecro domini declinate in domum pueri vestri, & manete* (Gen. 19. v. 1.) *te ibi.* Tantisper renuerunt, quò charitatis ardorem sufflammarint viuidiùs: *Compulit illos oppido, vt diuerterent ad eum; ingressisque domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt.* Peregrinis apponit cibos toto sapore conditos, & de affectus generositate pretiosos: accepit quidem citissimè præmium; verùm satis non fuit amplo patrem beneficio remunerasse; posteritati etiam prouidit, & Dei nomine Moysem allocutus, ne Lot filiis damnum intulerint, Angelus imperauit: *Sicut metuas Lot data fuit Moabitis*, inquit Abulensis quæst. 4. in Deuteron. *ita etiam Ammonitis: quia vterque fuit filius Lot.* Annuit etiam Oleast. ad Deuteron. 2. *Admonui frequenter, quid boni parentes valeant etiam malis filiis.* Latissimi regni ditione sumptus recuperantur conuiuij, & qui Angelos à scelesta Sodomitarum liberauit iniuria, Angelum habuit, qui filios ab armorum tutatus fuerit violentia. O quàm magnum illi fœnus ex eleemosyna accreuit! peperit panis regnum, filiorum protexit vitas, diuitiarumque ab aduersariis defendit copias. Ni Lot merita, misericordiæque opera murorum adinstar filios protegerent, militari hostium impetu compulsi cessissent; at inter aduersariorum tumultus, & armorum strepitus pacatè fruuntur deliciis: quia illorum pater opportunis Angelos sibi debitores obstrinxerat eleemosynis. (Abulens. Oleast.)

177. Psalmista, dum mira prouidentiæ opera euulgat, omnia animalia cælesti benedictione impleta decantat: *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* (Ps. 147. v. 9.) Speciatim de coruorum filiis mentionem fecit: quia speciale in filiis coruorum mysterium nouit. Animaduertit Incognitus: *Singulariter*, inquit, *pullis coruorum Deus escam ministrat.* (Incognit.) Magister de proprietatibus rerum agens, Isidorúsque apud Incognitum eam rationem afferunt, quòd coruorum pulli recèns nati, cùm nondum plumescant, parentibus suspicioni sunt: suspectos habent parentes de origine, quia desciscere à parentum intuentur nigredine: *Corui pullis ediis priùs escas non præbent, nec eos cibant, donec in his penna canescant, & per pennarum nigredinem similitudinem proprij coloris ipsi eos filios suos agnoscant.* (Magister, Isidor.) Drogo de Sacramento Domin. Passion. thesi opportunior putat Deum soluere coruorum filiis; quod Eliæ aliquando præstiterant patres: euoluamus historiam: ira pietatis adiutrice adsumpta sic cælesti zelo inflammatur Elias, vt nubes nobili ardore adusserit, & siccauerit; degebat in desertis, & ne iustus eandem cum peccatoribus inediæ pateretur sententiam, corui deponentes ingenium quotidianam ministrauere alimoniam: *Corui deferebant ei panem, & carnes mane, similiter panem, & carnes vesperi.* (Drogo.) Coruus Eliam Dei seruum pascit, & quod obsequium egeno præbuit, in filiis amplo fœnore recuperauit; nihil tunc redditum; modo tamen filiis largissimè persolutum; æternus filiis fuit in posterum census ille præstitus temporaneus Prophetæ pastus. *Non interficies fame animam iusti*, scribit Drogo: *quia in tempore siccitatis præcepisti coruo, & viduæ Sareptanæ, vt pasceret seruum tuum Eliam: tu enim pascis Domine pascentes te.* Pascit coruorum filios à coruo pastus: & cùm pater prophetæ fercula præbuit: amplissimum filiis censum reliquit: exigunt à misericordia filij, quod misericordiæ

ricordiæ mutuauerant patres : vt intelligas obsequium non amissum ; sed opportuno tempore reseruatum.

178. Exertis clamoribus afflicta vidua prophetam appellat, inhumanúmque creditorem pro fœnore seruituti tradendos à se filios viscerum frustra auellere violenter exclamat : allegat à marito præstita prophetis officia, exhibita Dei
4.Reg.4.v.1. ministris à patre orphanorum obsequia : *Nosti quia seruus tuus fuit timens Dominum, & ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi.* Elisæus oleum multiplicat, & misericordiæ reddit debitum ; soluit tributum. Pauerat parens angusto tempore Dei prophetas, & propheta vrgente periculo à filiis seruitutis depulit notam : non solùm est largitus, quo soluerent ; sed quo viuerent : *Mitte inde in omnia vasa hæc* (oleum) *& cùm plena fuerint, tolles* : erant filij prophetæ creditores ; & cùm à creditore, vt soluerent, vrgebantur, prophetam, vt solueret, precibus compulerunt : repetierunt à debitore, quod ab illis creditor exigebat : nec enim filij misericordiæ infelicibus debebant subdere ceruicem iugis ; quando eius parens aluerat prophetas opportunissimis eleemosynis. Adest To-
Abul. status quæst.2. *Respondent Hebræi, quod ista erat vxor Abdiæ prophetæ : nam Abdias fuit dispensator Achab : & ipse pauerat centum prophetas tempore persecutionis magnæ Iezabel contra prophetas Domini. Dicunt autem quod iste contraxerat debita multa, vt aleret illos prophetas, & postea mortuus est ; mansitque vxor sua cum filijs obligata ad illa debita, & recurrit ad Elisæum, vt liberaret eam.* Creditor exigit, vidua obsequia filiis à propheta solùm deposcit, vt Abdias recuperaret in filiis, quod angustiæ tempore mutuauerat genitore prophetis : ob paternum obsequium infame filios non pressit iugum ; quia misericordia reddidit pensum : seruitutis absoluti sunt vinculis, quia prophetarum vincula pater depulerat eleemosynis : est namque misericordia pauperibus impensa calamitatis exilium, libertatis tessera, vinculorum lima.

179. Absalomus ille naturæ infamia, peruersa ambitionis norma, cum piissimum in patrem mouisset arma, & iam præsentasset paternis phalangibus prælia, pro viribus vndique decertatum est : cessit rationi victoria, cumque fractis, concisisque eius partibus indecora salutem quæreret fuga, quercus veluti missa manu ramis pre-
2. Reg.18. v.9. hendit, & infamm tradendum neci ligauit. *Accidit autem, vt occurreret Absalon seruis Dauid sedens mulo : cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit.* Arbori refractarius filius, vt carnifici traditur, quercus Dauidis capite coronam fixit, dum ambitiosam Absalomi comam prehendit : & cur huic ministerio præ cæteris plantis quercus deligitur? Cur alia nobilior planta non resplendeat hoc fructu ; sed quercus cæteris sacro antecesserit ministerio : O historiam recole. Dauidis pater nempe Abrahamus charitatis exemplar, cum tres Angelos sub humana specie viam pedites carpentes Sole incandente vehementiùs, & radios iaculante viuidiùs aspexisset, accurrit pietatis alis, vrbanus inuitat, ciuilis cogit, & liberalis
Gen.18.v.4. frondosa sub quercu cibat : *Requiescite*, inquit, *sub arbore, ponámque buccellam panis, & confortate cor vestrum.* Arborem illam quercum fuisse apud auctores est tritum : ergo quia pater ad quercus vmbram Angelos pauerat, filium quercus à proditionis discriminibus liberat : Dauid inuenit quercu coronam, quia Arahamus sub quercu Angelis præparauerat mensam : ibi opportunum offertur auxilium, vbi pater peregrinis calore ad speciem æstuantibus præstiterat refrigerium. Quercus eligitur ad proditoris supplicium, quia quercus ad Angelorum electa vmbraculum. Adest Tertull. lib. aduers. Praxeam
cap.16. *Apud Abraham*, inquit, *sub quercu refrigerauit.* Apud Abrahamum sub quercu inuenit Tertul.
Angelus refrigerium, Dauid Abrahami filius in quercu inuenit contra proditorem auxilium. Vt videas ipsissimas reculas iuuamini egenorum dicatas, felicitati auxilióque filiorum etiam addictas. Angelus quercui ligauit patris infamiam, quia Abrahamus quercus Angelis commodauerat vmbram : nec quercus vmbra amissa est ; imò adeò illam grandi fœnore recuperauit Dauid, vt pro fugaci vmbra periclitantem stabilierit coronam. Ita soluit Deus quidquid pauperes suo nomine receperunt, tam ingenti lucro manent posteris reseruata, quæ egenorum leuamini præstita. Quam benè Paulus ad Corinthios:
In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas. Sancti præbent, quibus indigemus, auxilia, si diuites præbuerint, quibus iusti indigent, alimenta. O lucrosum sub hac stipulatione contractum! Angelus auxilio egenti filio suppetias tulit, quia Abrahamus egenti ad speciem Angelo cibos præbuit : *Hæc est æqualitas*, inquit Ambrosius
ad locum Pauli, *vt quia isti in hoc tempore ministrant sanctis, reddantur illis vices in futuro : debitores enim sibi faciunt sanctos.* Soluit Angelus opportuno tempore quercus auxilium : quia sub quercu antea acceperat refrigerium, & Abrahamus quæ tribuerat egeno, honesto fœnore recuperauit in filio.

2. Cor.8. v.14.

Ambros.

---

§. XL.

Fulcra Reipublicæ felicitatis sunt pauperes : vt lucroso commercio accipiat diues diuina, dum pauperi largitur humana.

Diuitiæ & mundialis gloria sunt fomenta criminum, irritamenta vitiorum : vnde 180.
Menander apud Plutarchum de audient. Poët.
Quidquid viget, Solémque nobiscum adspicit communem, id omne mancipatum est luxui. Auri copia aut erroris mater, aut filia est : pauper & inops Dei nomen laudant : & cùm illis durior ad speciem fortuna abstulerit copiam, & scelerum eripuit materiam : algido & famelico ad solandam famem desiderantur edulia, luxuriæ turpitudinísque fœda non obuersantur imaginationi commercia. Audi Sophoclem, vbi suprà:

Menander. Omnia luxus tenet.

Inops quid obstat, gloriam quin comparet? Sophocles.
Mendicus haud peior, probè modò si sapit.

Verùm adeò malè apud omnes audit inopia, vt sibi & aliis habeatur semper molesta : pauper diuitis seruus, aduersæ fortunæ scopus, legalis pœnæ exercitium, cunctorum probrum. Ob hoc decreui

decreui felicibus, vt possim, ostendere non modicam ex aliorum inopia illis accessisse fortunam: nam Reipublicæ, communisque felicitatis fulcrum est eleemosyna, quæ sine pauperibus vacat, & feriatur sine egenis. Firmat sibi felicitatem, & stabilit fortunæ rotam, qui opem tulit afflictis. Hinc Deus vt miseris, & opulentis benignè prouideat, miscet, & interserit egenos diuitibus, vt alterius abundantia alterius suppleat inopiam, & virtutis egestatem suppleat etiam alterius vita: dum egeno largitur stipem diues, pauperis leuat inopiam, & pauper dum accipit pecuniam, precibus impetrat gratiam. *Eleemosyna*, ait in prouerbiis Seneca, *non tam accipientibus, quàm dantibus prodest*. Marcet Reipublicæ felicitas, ni ciuium viguerit misericordia: qui è Republica edictis pauperes eiecerunt, prosperitatis fundamenta præter spem elocarunt. Vnde cùm Numen statam, durabilémque electo populo felicitatem decerneret, Leuitas exhæredes voluit, vt eleemosynis, decimisque viuentes, & Rempublicam murorum ad instar defenderent, & felicitatem fulcirent. *Tribui autem Leui non dedit possessionem; sed sacrificia, & victima Domini Dei Israel ipse est eius hæreditas, sicut locutus est illi*. O felix commutatio, cùm humanis diuina succedant! necessum fuit tribum aliquam hæreditate carere, vt reliquæ possent eleemosynas elargiri. Ita Glossa: *Cohabitare iubentur Sacerdos, & Leuita, qui non habent terram, vt percipiant ab Israëlita Sacerdos, & Leuita terrena, quæ non habent, & Israëlita à Sacerdote, & Leuita cælestia, & diuina, quæ non habet*. Felix commercium: terrenis coëmuntur cælestia, & humanis commutantur diuina, verúmque stabilitati Reipublicæ fuit necessum, & Leuita inops, & fortunatus Hebræus: nec adeò Rempublicam sustentarunt diuitiæ, vt firmarunt eleemosynæ.

Senec. *Eleemosyna plus dāti prodest, quàm accipienti.*

Glossa.

181. In Gabaonitas, quia ad Israëlitarum partem confugerant, plurimi conuenerant reges, instructi copiosis armatorum agminibus: Gabaonitæ auxilij inopes, & iam quidem fortuna pauperes, quippe, & cædendis lignis, & portandis liquoribus deputati, instans periculum Iosue, Israëlitisque denunciarunt: dux, vt erat zelotypus, quia in contemptum diuini cultus mouerat phalangas armari, citissimas statuit suppetias afflictis ferre: hinc inde pugnatum est; sed cùm in Iosue partem inclinaret victoria, Sol agitabat equos, vt Oceani vndis ardorem itineris temperarent: strenuus dux causa filius imperium pia audacia vsque ad planetas extendit. Solem remoratus est, ne obscuraretur victoria, si hostibus tenebrarum patrocinarentur subsidia: paruit Sol Domini nomen reueritus in conseruo: *Steterúntque Sol, & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis*. Non tantùm Sol sistitur; sed, & Luna, quæ continuis rotationibus variat, & iugem etiam temporalium mutationem designat. Et cur hoc præ cæteris bello tempus productum, & Lunæ ingenium cunctatum? Eximia profectò antea desudauerant prælia, continua ducem occupauere certamina; nunquam tamen huc vsque Sol hæsit, & stata Luna victoribus plausit. Ecqua ergo huius est causa? Quia reliqua certamina pro diuitibus, suísque gentilitiis suscepta; modò in pauperum defensionem, in miserorum auxilium arma tractata: ideóque, & productior Iosue vita, & stabilior fortuna, & sæculis celebrior victoria. *Moyses*, aiebat Procopius, *non dixit stet Sol, non suspexit in cælum, non signum cæleste ostendit; verùm Iosue dixit: Stet Sol; ac Scriptura testis est, nulli vnquam hominum Deum ita morem gessisse*. Moyses nunquam pro miseris, pauperibúsque arma mouit; Iosue, vt aquariis, lignorúmque bauiulis opem ferret alacriter decertauit: hic ergo, & longiùs produxit imperium, & Lunæ mobilitati iniecit fortunatissimè clauum. Theodoretus hoc bello, scilicet pro miseris Gabaonitis, Christi Domini testatur expressisse victoriam. Audi ipsum quæst. 3. in Iosue. *Illud porrò præsigurabat prodigiosum opus Saluatoris: sicut enim pugnante Iosue Sol stetit; ita dum Saluator morte sua mortem dissolueret, Sol meridie continuit radios, & tenebris repleuit terram*. Christus morte sua, dum misero, nudóque Adamo opem tulit, sanguine firmauit imperium: & Iosue, dum miseris tulit opem, imperium misericordia firmauit: exhibitáque pauperibus misericordia Dominici sanguinis quodammodò fuit vicaria.

Iosu. 10. v. 13.

Procop.

Theodor. *Eleemosyna Dominici sanguinis vicaria.*

182. Hebræorum populus siti desertorum erroribus æstuabat, flamma arentia depascebat præcordia, & querelis, maliloquiisque obscurabatur patientia: Moyses è rupe aquarum præbet scaturigines: petram hanc Christum Dominum fuisse, testatur Apostolus ad Corinthios scribens: *Bibebant de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus*. Non dubium pro symbolorum varietate varia significari mysteria: leo fortitudinem denotat, agnus redemptionem, & id similia. Ergo videamus cur aquas præbens sit petra: *Petra autem erat Christus*. Profectò petra stabile regnum, inconcussum acriùs adspirantium ventorum flatibus significat ædificium: *Ædificauit*, inquit de viro sapienti Matthæus, *domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram*. Itaque petra arietationibus ventorum insultat, tempestates illudit, & rapidos fluctuum vortices de firmitate contemnit: ergo sitientibus largitus aquam Christus Dominus rupis assumit figuram, vt inconcussam, firmámque sæculis denotarit constantiam: Christi regnum solidissimum, quia ipsius; verùm, vt noscas quàm misericordia ipsa stabilitas, si dici liceat, firmetur, sitibundos recreans petræ cognomen assumit: *Petra autem erat Christus*. Audi Anselmum ad hunc locum: *Propter firmitatem petra dictus est Christus*: præmiserat anteà idem Doctor: *Sequebatur eos per desertum petra spiritalis: quia vbi deficiebat eis humanum suffragium, aderat Christus, qui ideo sequebatur, vt vbi homo defecisset, ille subueniret*. Dum sitientibus ministrat poculum, firmitudinis symbola assumit: vt noscas felicitatem misericordiæ sobolem pietatis filiam. Hinc nosces cur statuam illam præsumptionis portentum, & malignum varietatis miraculum sub lapidis specie deleuerit, & terræ funditus coæquauerit. Clamat vigil vt pompaticæ secentur arboris rami: descendit humana specie ad fornacem, vt horrendum quid resonantes igneos refrenauerit globos, & illæsos seruauerit pueros; at lapis funditus statuam euertit. *Videbas ita, donec abscissus*

1. Cor. 10. v. 4.

Mat. 7. v. 24.

Anselm.

Dan. 2. v. 34.

scissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Petra sitientes potat, & petra inimicos euertit: sub illo ænigmate aduersarios arcanè deiecit, sub quo à sitis tormento homines liberauit: vt noueris exhibitam miseris eleemosynam,& æternare regna, & hostium vicisse castra. *Beatus Paulus Ephes. 2.1 Corinth. 3.*
Theodoret. *& 1. Corinth. 5.* scribit Theodoretus apud Glossam; *petram vocat Christum: hic excisus est à monte sine manibus.* Lapis vocatur ab Apostolo, dum scaturigines populo subministrat; & lapis est, dum aduersarios funditus terræ euersos coæquat: quasi potus irrigarit victoriam, & virescentem semper laticè nutrierit fortunam.

183. Iacobi felicitas tunc eluxit, cùm famelico opitulatus est fratri: donec alterum non pressit egestas, alteri non arrisit felicitas; at confirmatum est oraculum, dum famelico fratri præbetur auxilium: post longa certamina, post immaturos sudores, post anxia bella post salutis, vitæque pericula palmam præripuit Esau; verùm cum adurgetur fame, cum æstuat siti, à fratre accepit edulium, & Iacob lucrosissimum
Genes. 25. v. 34. Chrysost. perfecit commercium: *Accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abijt.* Huc voco Chrysostomum hom. 76. in cap. 15. Ioannis. *Si pauperes esse permisit, etiam hoc diuitum causa factum est, vt per eleemosynam peccata possent
Basil. *Eleemosyna, & donum, & fœnus est.* abluere.* Addit Basilius ad Psalm. 14. *Quod pauperi das in Domini gratiam, illud idem, & donum, & fœnus est.* Non videatur tibi ingens fœnus famelico lentis dedisse edulia, & accepisse primogeniti priuilegia. O quàm maneret Iacob secundus, ni frater premeretur famelicus: alterius satiata fames corona stabilis fuit alterius: nondum consummabatur Iacobi fortuna, quia nondum famelico exhibita fuerat eleemosyna: in magnum Iacobi commodum accidit Esaü sitis, & famis tormentum: defuisset namque alteri gloria, si famis alteri defuisset miseria. Vt nostra thesis luculentior appareat, & constet esse inopes Reipublicæ felicitatis fulcra, dum elaborant diuitibus de eleemosynarum floribus immarcescibilia serta: dum erogando stipem, triumphalem palmarum accipiunt diuites ramum.

184. 1. Reg. 2. v. 8. Mulier illa celebris Samuële filio, dum gratius Domino reddit sic ait: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Auctor quæst. Hebraic. transfert ex Hebræo: *Domini sunt*
Rupert. *afflicti terræ.* Rupertus lib. 1. in Reg. cap. 5. ita scribit: *In Hebræo ita habetur: Domini sunt afflicti terræ. Afflictos terræ Hebræi pauperes spiritu, & humiles corde intelligunt: super quos Dominum orbem posuisse dicunt: quia eorum meritis terram stare autumant.* Vt labentibus fundamentis ædificium labascit, & corruit; firmis verò stat temporibus inconcussum: ita terra, & quæuis regnorum monarchia pauperibus, & afflictis innititur non solum quia durabilis semper afflictio, quia grauissima onera pauperibus imponuntur: quia baiuli quodammodo Reipublicæ deputantur; sed quia dum illis subuenitur, veluti firmis, immotisque cardinibus securitas, & opulentia regni firmatur; si tamen pauperes desint, Reipublicæ tranquillitas veluti amotis columnis ac fulcris corruit. Pauperes itaque stabilis fortunæ sunt fulcra, securitatisque fundamenta. Ergo ne auerseris egenum; sed tuæ recogita non modicam felicitatis portionem, si compatiaris afflictis generositate largus, illorúmque ærumnas subleuaris largitate generosus.

Candente Sole três iuuenes Abrahamo non longè obiiciuntur: videbantur itineris defatigati labore, tantisper puluere sordidati, licèt satis adæquè venusti: accurrit pius senex, & 185.
vrbana violentia apud se diuertere cogit: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* Genes. 18. v. 3. Profectò plures faustum sibi non autumant ad se recurrere egenos, ac diuertere peregrinos. Quid hospite molestius? Vnus sufficit ad omnem domus quietem inter turbandam! serui parandis lectis laborant, condiendis cibis insudant: alios obsoniorum vrget cura, alios vexat hospitibus assistentia: quomodò ergo Abrahamus quasi beneficium maximum, vt apud se diuertant precatur: *Si inueni gratiam:* quasi gratia sit eius intrare tabernaculum, & non gratia respuisse hospitium: quia pauperes pascere, hospitari peregrinos, inquit Chrysostomus, subleuare miseros felicitatis est fulcrum, & prosperitatis augmentum. Damnum non modicum credidit Abrahamus, si eius despiceret mensam; quia ex misericordia credidit adaugendam sibi fortunam. *Beneficium,* inquit, *das non accipis*, inquit egregius Doctor Chrysost. hom. 42. in Genes. *verè enim eiusmodi res hospitalitas est, quæ magis accipit, quàm dat, qui illam promptè, & alacriter exercet.* Accepit beneficium, dum exhibet prandium: modò fœcundatur natura, modo senis coronatur felicitas, modò commendatur alacritas: vt videas illorum famem atque indigentiam æternam Abrahamo, & temporalem cudisse gloriam.

---

§. XLI.

Doctus superior fouet litteratos; minus sapiens parui æstimat eruditos.

Gloriosa est scientia litterarum, & in homine mores purgat, eloquentiæ gratiam 186.
subministrat, & multiplici luminis sui beneficio mirabiliter Rempublicam ornat: ad dignitatis fastigia conscientiæ puritate laudati, & scientiarum splendoribus eligi debent conspicui: quia tunc, & imminentia discrimina propellit prouida sapientis cautela, & aduersos fortunæ casus salutaris medicatur doctrina. *Curia*, scribit Cassiodorus 3. variar. 33. *disciplinis veterum patet, nec curia iudicari potest extraneus, qui bonarum artium est alumnus.* Dignè Cassiodor. *Qui bonarum artium alũnus, Principi non sit extraneus.*
eligitur, qui & parentum bono, & suo commendatur ingenio; qui superat saptientiæ meritis dignatem. Inconstans multa in felicem fortuna molitur; verùm quia sapiens dominatur astris, quod infaustè minabatur, sæpissimè prouidenter auertitur. Celsos cursus confidenter appetit sapiens: & generosi animi est ea facere, quæ in lucem non extimescat prodire. Addit relatis Cassiodorus 2. variar. 5. *Digna planè scientia, in qua mens honestissima conquiescat: quæ animo semper aliquid salutare complectitur: cui accidere nulla possunt ingrata, dum sibi commendat omnia mundanum rerum, sola cui labilis fortuna non imperat.* Fortuna dominatur stultis: nam *Scientia labilis fortuna non imperat.*
stultus

stultus sicut Luna mutatur: sapiens litteratúsque, & negotia tractat curiosius, & syderibus dominatur felicius: *Non mutat sapiens consilium*, scribit Seneca 4. de benef. cap.34. *omnibus his manentibus, quæ erant, cum sumeret: ideò nunquam illum pœnitentia subijt: quia nihil melius illo tempore fieri potuit, quàm quod factum est: nihil melius constitui, quàm quod constitutum est. Cæterùm ad omnia cum exceptione veniet, si nihil inciderit, quod impediat: ideò omnia illi succedere dicimus, & nihil contra opinionem accidere: quia præsumit animo posse aliquid interuenire, quod destinata prohibeat, imprudentium ista fiducia est, fortunam sibi spondere: sapiens autem vtramque partem eius cogitat.* Itaque sapiens nouit, quantum errori liceat, quantum fortunæ, quantum casibus, & certis consiliis contra incertos armatur euentus; verùm etsi his titulis sapiens, litteratúsque magni æstimari debeat, non semper dignam apud dominantes inuenit æstimationem: sæpe namque, si non adeò sapiens tenuit dignitatis fastigia, de industria litterarum nititur gloriosa innubilare præconia: doctus non timet habere consortes doctos, in quorum conspectu audeat proferre sententiam: indoctus ambitiosè quærit celare inscitiam. Moyses terram ante Iordanem diuidens Leuitis partem non dedit: *Tribus Leui non dedit possessionem*; Iosue verò ciuitates pro commoda Leuitarum habitatione descripsit: *Dederunt filij Israel de possessionibus suis iuxta imperium Domini ciuitates, & suburbana earum.* Quod ad mores adaptans Origenes sic ait apud Glossam: *Inuenio aliquam differentiam in his, quæ Moyses distribuit, & in his, quæ Iesus: Moyses enim duabus tribubus semis hæreditatem tribuens non dedit Leuitis portionem: Iesus autem non solum in his tribubus, quibus terram diuisit; sed etiam in illis quibus Moyses diuiserat, habitacula Leuitis in singulis tribubus decreuit: ordo enim Leuiticus vel Sacerdotalis, qui Dei sapientiæ, & scientiæ operam impendit, non potuit à Mose accipere sortem habitationis, qui non erat minister veritatis; sed vmbræ, & exemplaris.* Sequentia attende: *Iesus verò noster, qui est sapientia Dei, habitacula sapientibus præbet.* Omnia in figura antiquis contigisse conspicuum, Mosémque, quamuis omni sapientia Ægyptiorum ornatum, Dei verbo comparatum stultescere; nulli dubium: vt ergo noueris doctum Principem, superioremque sapientia exornatum doctis sapientibúsque consulere; minùs tamen doctum non adeò sapientes amare, Moyses habitacula sapientibus non præbuit; Iesus verò litteratis distribuit: superior minùs doctus sapientes depretiat; eruditus & magni æstimat, & illustrat. Sapientia Dei sapientibus præbuit habitacula. Moyses quia sapientia non erat, nec curauit sapientibus commoda.

Senec.

Imprudens sibi fortunã spondet; sapiens ad vtrãque partem paratus pendet.

Iosue 21.v.3.

Origen.

187. Deus, vt saluti populi in Ægypto dura tyrannide oppressi prouideret, Moysem & Aaronem delegat; eo tamen discrimine, vt Moyses Numinis vocabulo sortiretur honorem, Aaron prophetæ tantummodo dignitatem: *Ecce constitui te Deum Pharaonis & Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Et cur Moyses præ fratre elatus, quando frater tempore natiuitatis superior? & cur vt hanc Deus electionem promulget luce fulgentissima adornatus apparet: erat enim veluti regali solio rubo illo conspicuis luminibus cincto. Profectò Aaron & longiori experientia actior videbatur; nec Moysi inferebatur offensa, si fratri postponeretur antelato naturæ prærogatiua: ergo dignus erat Aaronem Pharaonis Dei titulo cohonestasse, & Moysem ad honorem propheticum delegisse. Huius discriminis, ni fallor, reddidit rationem Stephanus in Apostolorum actibus: *Eruditus est*, inquit, *Moyses omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus suis.* Et post pauca addit: *Hunc Deus Principem, & redemptorem misit cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo: hic eduxit illos faciens prodigia, & signa in terra Ægypti.* Moyses præ fratre eruditior, præ Aarone sapientior: hunc ergo Deus luce fulgens conspicua prætulit: esset namque indecorum minùs doctum ad excellentiorem dignitatem eligere, & doctiorem depretiare: pluris æstimauit sapientem, qui splendidissima refulgebat luminis claritate: elegisset fors minùs doctum, qui tantùm non possideret luminis censum: sapiens magni æstimauit eruditum; minùs sapiens fors prætulisset indoctum. *Pharaoni*, scribit August. quæst.17. in quæstionibus super Exodum, *dicitur Moyses datus Deus, & secundum analogiam propheta Moysi Aaron.* Sapiens Moyses digniori honoratur titulo: Aaron minùs sapiens non adeo illustri vocabulo. Nec spem fefellit euentus: Moyses namque filios Israel de captiuitatis eduxit iugo, & securos transmisit pelago: *Hic eduxit illos.*

Exod.7.v.1.

Actor.7. v.22.

August.

188. Cùm Moyses montis cacumine cum Deo versaretur, scribendisque dignis legibus vigilantissimus studeret, populus tumultuosis, stultissimisque clamoribus Deos sibi producere flagitauit: Aaron & timore perterritus, & ambitione obscuratus bouem stultitiæ ænigma, & ruditatis symbolum ad fastigium euexit in consultissimè dignitatis: *Fecit ex eis vitulum conflatilem.* Alibi Moyses serpentem conflat, & medendis de aspectu vlceribus eleuat: *Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo.* Et cur Moyses bouem non conflet, aut cur Aaron serpentem non finxerit. Bos tardigradus, & instituto prorsus ineptus: populus namque moræ impatiens Deos sibi deposcebat conflari, qui celeri volatu ad optatos nidulos ducerent: ergo decentiùs conflasset aquilam pernici volatu altiuagam: Moyses non conflat bouem, quem iam consueuerant adorare, & quem antea ducem nitebantur habere. Quisque sanè pro ingenij sui conditione extulit signa, & ad dignitatis promouit alta: Moyses sapiens & eruditus de Numinis mandato conflauit serpentem cunctis animantibus sapientiorem: *Serpens callidior cunctis animantibus terræ.* Aaron, cuius eruditio litteris non signata, bouem prætulit ruditatis exemplum, & inter rudia animantia sanè tardigradum: non potuit superior minùs eruditus erigere serpentem aut aquilam scientiæ ænigmata: nec Moyses doctissimus euexisse nuditatis exempla. Superior doctus magni æstimauit doctrinam; minùs gnarus depretiauit sapientiam. Iam quantum obsit, aut intersit eligi ignarum, aut designari eruditum ipse euentus clarissimè ostendit: cùm Aaron bouem præficit, viginti tria millia de populo optima fruentes valetudine cadunt: *Ceciderunt in die illa quasi viginti tria millia hominum*: cùm verò Moyses præfert serpentem, salutem consequuntur vel laceri:

Exod.32.v.4.

Num.21.v.9.

Gen.3.v.1.

Exod.32. v.28.

Num. 21. v. 9. laceri: *Posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Perpende discrimen inter insipientis, aut prudentis electionem: prudens namque est vitæ medicamentum; insipiens felicitatis naufragiũ: apud eruditũ Moysem magni æstimatur sapientia, apud Aaronem minùs doctum locum primum possedit inscitia: *Perpendes,* inquit Caietanus, *quod ex industria Aaron fecit figuram vituli.* Aaron non aquilæ; sed vituli figuram ex industria fecit, quid enim minus litteratus nisi bouem ex industria suffecisset?

Caietan.

189. Gemini fratres eodem nixu fusi; sed diuersimodè parentibus grati: Isaac caligante visu; imò oculis captus Esau præferre studiosissimè contendebat: Rebecca pulchris oculis exornata Iacob & dilexit teneriùs, & præficere curauit vrilius: *Senuit Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauitque Esau filium suum maiorem, & dixit ei,* &c. Parentum pro filiis decertabat studium; imò in parentum studio magnum nobis exprimebatur mysterium. Videamus fratrum ingenia: *Factus est Esau,* inquit, *vir gnarus venandi, & homo agricola; Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Paraphrasis Chaldaica sic legit: *Creuerunt pueri, & fuit Esau vir venator, vir egrediens in agrum; Iacob autem vir perfectus minister domus doctrinæ.* Ecce Esaũ rusticum, Iacob vrbanum; Esau rudem, Iacob sapientem: & quem illorum deligat pater? Profectò Esau & rusticum, & indoctum: & quæ huius electionis causa? Quia cæcus elector: nec enim oculis captus eligere valebat sapientem; Rebecca tamen, quia inoculata, repudiauit dignissimè rudem: parentum diuersa ingenia pro ingeniorum diuersitate certabant: parentem alter, quia cæcus, præferre agrestem doctúmque deiicere studuit; alter verò, quia inoculatus, & subiicere rudem, & prætulisse sapientẽ. O quàm aduersus diuinũ oraculum rudis à caligante honoribus donaretur, ni obstitisset prouidentia! Quàm depretiaretur sapiens, ni manus eleuasset diuina! Verùm Iacob à matre honoratus, quia præ fratre, & litteris & moribus eruditus: *Minister domus doctrinæ.* Audi Ambrosium de Iacob, & vita beata? *Pro affectu Isaac Patriarcha, & sancta Rebecca certabant, vt neutrum inferiorem facerent; sed vtrumque æqualem: vicit tamen ille, qui præferebatur oraculo, vicit impigritia tarditatem, mansuetudo duritiam.* Tardus ingenio, & in obsequiis parandis morosus excluditur: studio doctus, & moribus excultus præfertur, & pro parentum diuersitate filiorum plus aut minus valet diuersitas: *Vide obsecro hic,* scribit Chrysost. apud Lippoman. *Rebecca cum magna dilectione coniunctam raram sapientiam.* Sapiens erat Rebecca: ideò sapientem ad dignitatis apicem prætulit: Isaac eo tempore cæcus: ideò agrestem Esau anxiè prætulisse gestiuit: nam superior indoctus minùs æstimat eruditos, doctior plus æstimat litteratos.

Gen. 27. v. 1.

Genes. 25. v. 27.

Chald.

Ambros.

Chrysost.

§. XLII.

Non est completa felicitas, si deficiat doctrina, aut desideretur sapientia.

190. MVltis felicitas constat, plurima fortuna humana requirit; inter alias verò partes præcipua est, & salubre doctrinæ medicamentum, & immobile sapientiæ præsidium: sapiens dominabitur astris, & quæ minabantur, eludit: nauclerus arte aurigat nauim, & rapidos tempestatis vortices gubernaculum sapienter regẽs declinat. Respublica sine sapientibus veluti sine rectore nauis aduersis ventorum flatibus exposita, & naufragiis sustinendi obiecta. Litterati, doctique homines æquitatis præsidia, salutis medicamina, & Reipublicæ sunt tutamenta. *Effugere non potes necessitates,* monet Seneca suum Lucilium epist. 37. *potes vincere: fiat via, & hanc tibi viam dabit philosophia: ad hanc te confer, si securus, si beatus: denique si vis esse, quod est maximum, liber: hoc contingere aliter non potest: humilis res est stultitia, abiecta, sordida, seruilis, multis affectibus & sæuissimis subiecta.* concitatus equus, si fræno careat, vitæ suæ insidiatur, & quo rapidiorem arripuit cursum, & certius inuolauit ad præcipitium: ita homo, ita communitas, ita respublica, si sapientiæ fræno careant, sibi ipsis elaborabunt calamitates, infelicissimásque asciscent sortes. *Crœso de felicitate percontante,* scribit Plutarchus lib. de adulat. & amicit. *Solon Tellum quemdam hominem Atheniensem obscurum, Bitonémque & Cleobim esse affirmauit beatiores. Adulatores reges, diuites, & summos magistratus non felices tantum & beatos; verùm & intelligentiâ, arte, virtute præstare omni pronunciant.* Fœlicior est Crœso sapiens; quippe sapienti nihil deest ad beatè viuendum; Crœso tamen sapientia defuit ad imperandum; nec adulatores ausi sunt exclusa sapientia dicere fortunatum; sed vt dixerint felicem, mentiuntur esse sapientem. *Gloriosa est,* aiebat Cassiodor. 3. var. 33. *scientia litterarum: quia, quod primum est in homine, mores purgat: quod secundum, verborum gratiam subministrat: ita vtroque beneficio mirabiliter ornat & tacitos, & loquentes. Ducantur ergo ad penetralia libertatis laudati merito suo, ornati iudicio nostro, habituri sine dubio grauissimum Senatum, quorum ars est facere de ingrato beneuolum, de suspecto placatum, de austero mitem, de aduersante propitium.* Sapientes affectuum popularium sunt medici, arte morbos depellunt, & ad valetudinem incessanter perducunt. Hinc noscas mei Iosue præstantiam; quippe qui Israëlitici populi felicitatem compleuerit, & contra fortunæ impetus obfirmauerit. Moyses Rubenitis, Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse amplas ante Iordanem dilargitus est possessiones; non tamen Leuitis habitacula designauit: *Tribui autem Leui non dedit possessionem:* nec solum possessionem non dedit; sed habitacula non distribuit: Iosue verò Leuitas his tribubus adiunxit, dum inter illas habitacula designauit: *Nec acceperunt Leuitæ aliam in terra partem, nisi vrbes ad inhabitandum.* Quis tibi videtur tribuum trans Iordanem existentium cumulatiùs prosperitatem auxisse? Moyses, qui diuisit illis hæreditatis portiones; non tamen rituum adiunxit ministros, aut Iosue, qui adhibuit Leuitas doctos; non tamen hæreditatis illis adscripsit terminos? Facilis apparet solutio: nam quis dubitet Moysem amplioribus illos beneficiis obstrinxisse, cùm certum sit ad tantum diuitiarum cumulum eleuasse; verùm Origenes pro Iosue stabit: ait namque Moysem non adeò de illis benemeritũ, dum amplissimas possessiones distribuit, vt Iosue dum sapientes,

Senec. Sapiens semper liber, indoctus seruus est.

Plutarch. Felicior est Crœso sapiens.

Cassiodor. Sapiẽtia mores purgat, & verborũ gratiam subministrat.

tes, dum litteris ornatos adiunxit. Audi ipsum apud Glossam: *Inuenit aliquam differentiam in his, quæ Moysis distribuit, & in his quæ Iesus: Moyses enim duabus tribubus semis hæreditatem tribuens non dedit Leuitis portionem: Iesus autem non solum in his tribubus, quibus terram diuisit; sed etiam in illis, quibus Moyses diuiserat, habitacula Leuitis in singulis tribubus decreuit: ordo enim Leuiticus, vel Sacerdotalis, qui Dei sapientiæ, & scientiæ operam impendit, non potuit à Mose accipere sortem habitationis, qui non erat minister veritatis; sed vmbræ, & exemplaris: Iesus verò noster, qui est sapientia Dei, habitacula sapientibus præbet.* Non splendescebat integra Rubenitarum prosperitas, quantumuis diuitiarum exundauerint copia: quia carebant cœlesti doctrina. Iosue dum sapientes, dum litteratos Rubenitis, Gaditis, & semis immiscuit, illorum felicitatem cumulatiùs compleuit: esset namque Respublica illa sine sapientibus nauis sine gubernaculo, aerium flatibus ventorum exposita, & ad syrtes sæpè illisa.

Origen.

191. Occasione iurgiorum, quæ in Aaronem cæca excitarat ambitio, virgas Deus tributim accipi iubet, vt illis symbolis prælatum opportuniorem denunciet: colliguntur virgæ; sed Aaronis exuccis, & arentibus aliis frondescit viridis, floret grata, & fructibus emicat turgida: *Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Hoc signo virgæ cæteræ reiiciuntur, & Aaron in Principem auguratur: virga Aaron modò completa irradiat fortuna, de viridantium frondium ornatu, & de dulcium amygdalarum copioso censu: nec solùm virga Aaronicæ felicitatis est index; sed felicitatis etiam popularis. *Significat*, inquit Lyra, *bonum prælatum, in quo est potestas regendi, atque etiam corrigendi: hæc ergo virga germinat bonitate conscientiæ, frondet veritate doctrinæ floret celebritate famæ, & fructificat sanctitate vitæ.* Virga illa magicos abligurit serpentes, elementis imperat, vortices marinos refrænat; verùm adhuc querelas sustinet, & criminationes patitur obloquentium; verùm non doctrinæ frondibus viget sibi & aliis, suauissimos ac dulcissimos fructus parit: vt enim arboris folia maturandis seruandísque fructibus deputantur: sic sapientia & doctrina reipublicæ plantam ad instar frondium custodiunt, & fructuum suauitatem defendunt: *significat bonum prælatum.* Quousque doctrina Aaronem nobilitat, & sapientia cohonestat, an vtilis reipublicæ dubitatur; ast eruditione conspicuus vel iniquitatis linguam occludit: quia reipublicæ dubitari non potest commodus, qui doctrina prædicatur ornatus. Aaronis virga post tot mira inuidentiæ sustinet criminationes, doctrinæ tamen gratis flosculis exornata inuidiosas abscindit querelas, & venenatas occludit linguas.

Num. 17. v. 8.

Lyra.

In superiore & puritas vitæ, & honor requiritur famæ.

192. Iericho Lunæ ciuitatem fructibus exundantem; sed infœcundis aquis sterilem ingreditur Elisæus, habitatores accurrunt aquarum conquesti ingenium, cùm tellus optimum cæteroqui fructuum esset, & commoditatum emporium. Quid tunc? Salem deposcit propheta, immiscet aquarum scaturigini, & iam sanitas cunctis incipit emanare, & prosperitatis torrentes effluere: *Egressus ad fontem aquarum misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus Deus: sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ vsque in diem hanc.* Habitatio ciuitatis optima erat: testantur equidem ipsi incolæ: *Ecce habitatio ciuitatis huius optima est*; verùm quia sale non condiebantur aquæ, nec fructuum proderant copiæ. Sal sapientiæ symbolum, aquas in dulcedinem vertit, sterilitatem abigit, tumulum prosperitatis adsciscit: dissipabatur illa respublica, consumebantur ciues, & præ hominum inopia penè desolata lugebat terra: Elisæus sapiētiæ medicamina adhibuit, & quia florere cœpit doctrina, cœpit & ciuium vigere copia. Ad rem Ambrosius serm. 2. de Elisæo: *Non hoc facto vnum Elisæus sanauit hominem, aut vnius domus præstitit medicinam; sed totius ciuitatis populum reparauit: si enim tardiùs hoc fecisset, interueniente sterilitate senescentibus cunctis ciuitas sine habitatore remansisset. Igitur Elisæus dum curauit aquam, curauit & plebem.* Ecce sal, ecce sapientia adhuc temporalium commodorum est officina, & vel Lunæ ciuitatem suffulsit, & impetum calamitatis auertit. O quàm prosunt Reipublicę homines vera sapientia adornati! O quàm aquarum fontes, ni sale conditi, terram non fœcundant, dum rigant! Rectores, Præsidésque, si salem combibunt, terram amœnant, nitidos parturiunt fructus: en nitidissimi fructuum sapientibus aquis pullulauere prouentus: rector sine sale nociuus, salutaris verò sapientiæ salibus temperatus. Ergo Iosue dum Leuitis, sapientibúsque inter Rubenitas, Gaditas, & Manassenses præbuit habitacula, harum tribuum procurauit augmenta, Moyses felicitatem plenè non cumularat amplas possessiones largitus, Iosue verò cumulatiorem prosperitatem adduxit, quia & sapientes tribubus regendis adhibuit.

4 Reg. 2. v. 2. 1

Ambros.

Deus calamitatum imbres in populum effundere statuens, se prudentem ablaturum, puerósque in Principes daturum non sine irarum significatione promisit: *Dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem consiliarium & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici, & dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* Quid tunc? *Ruit Ierusalem, & Iudas concidit.* Componamus, si placet, hoc Iudæ & Ierusalem flagellum cum Ægyptiorum supplicio: Dominus in Ægyptum armatur, & varias pestes procudit. Egregiè vapulabat Ægyptus flagellis diuinitus immissis: flumen virga percussum rubebat, ranarum vndantia per Ægyptum agmina importunis aures clamoribus verberabant: locustæ in modum nubium è cælo volantes quidquid viride, depascebantur: tenebræ euincebant lumen, & diu tempestatem nox tenebrarum armata agminibus inuadebat, & intempestiuè occupabat: primogenitos mors depasta Reipublicæ concussit fortiter fundamenta; nec tamen Ægyptus ruit; licèt non modica pars aquis submersa perierit: quomodò ergo Iudas citò corruit, & concidit Ierusalem tam citò euersa, si Ægyptus tot plagarū vndis, & calamitatum perseuerat vorticibus impetita: Non obscurè indicat Isaias, quia scilicet doctrina & sapientia exulant, pueritiáque dominatur & ignorantia. Minùs calamitatum imbres concutere valuerunt Rempublicam, quàm doctrinæ, ac sapientiæ inopia, & stultè imperantiū summa dementia. O quàm in cineres populum optabit redigere, qui abactis sapientibus pueros insci..

193.

Isaiæ 3. v. 1.

permiserat imperare! Adhuc durabit Ægyptus calamitatum fluctibus obruta; ruent tamen Ierusalem, & Iuda sapientibus dispoliata: *Corruet populus*, inquit Hugo, *pueris regnantibus: quia vbi non est gubernator, corruet populus.* Adhuc mysticè exponit aptiùs: *Corruet populus in peccatum, in infernum propter defectum doctrinæ.* Ecce vbi doctrina desideratur, & populus irreparabili clade concutitur. Vt videas sine sapientia, & doctrina nihil æternum durare; eis verò veluti fulcris contra mortalitatem stabiliri.

Hugo.

194. Deus cùm Israëlitas tyrannide pressos exoluere compedibus festinaret, Moysem delegat, & voce veluti tessera imperatoria armatorum amandat: *Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum.* Profectò hîc non tam videtur studere populi commodis, quàm inuigilare Moysis excidiis. Quid possit vnus homo contra potentem tyrannum? Quid pastor contra frontem obstinatione obduratam? Quid leprosa manus contra peruicaciam duritie firmam? Multum sanè: erat enim Moyses sapientiâ conspicuus, doctrina egregius, adeóque prudentia est calamitatum exilium, vt quantumuis manu leprosus, ore balbus, populo sit certissima salus. Sapiens calamitatem emolliet, iram fortunæ ferocientis auertet, tyrannidis compescet ardores, dum suis gentilitiis nititur inspirare virtutes: vnus Moyses cælesti sapientia, & doctrina armatus instar adamantini muri populum mirè texit, & insaniam Pharaonis, ac ferociam potenter cohibuit; dum Hebræos pietaté edocet, dum litteris Numinis notitiam sæculis tradidit, catenas rupit, & Ægyptiorum vires confregit. Accipe Basilium Seleuciensem orat. 9. *Sic igitur Ægyptios Deus vlciscitur. Moyses populi magister creatus diuinæ cognitionis documenta tradit: volebat enim egressos de Ægypto nullum impietatis Ægyptiacæ secum exportare viaticum. Hic est conscriptor arcanorum creaturæ, qui mundi conditionem libro complexus est, qui longè latéque vagantem per creaturas impietatem compescuit, qui crimine creaturam exoluit.* In Moysem armatur Ægyptus; ille verò sapientia præditus, & Ægyptios naufragio tradit, & populum catenis exoluit: tantum valent Reipublicæ homines cælesti doctrina præditi, & sapientia diuinorum conspicui.

Exod. 3. v. 10.

Basil. Seleuc.

§. XLIII.

Non semel eodem loco, quo quis perpetrauit flagitia, & flagitiorum tulit tormenta.

195. EXprompta est natura humana ad delicta, & innato genio impellitur ad scelera: nunquàm dux potest, nec comes deesse; imò res ipsa sine duce, sine comite, sine Doctore procedit: parum dixi pronum esse iter: non tantùm est procliue; sed præceps; & quod plerósque inemendabiles facit, impunitas. Aliarum artium peccata artificibus pudori sunt; homines vitæ peccata delectant: gemit gubernator nauigio euerso, ægroto medicus erubescit elato: si patroni culpa reus cecidit, malè orator audit; at contra omnibus morum error voluptati est: alius lætatur adulterio, in quod ipsa est irritatus difficultate: alius circumscriptione furti gaudet: ferè nulli displicet culpa, etsi displicuerit pluribus pœna. Non veri ignoratio errores fouet; sed errandi cupido ignorationem prætendit: stupidis adhuc animis, & in pessima adductis boni prorsus non defuit notitia, nec subrepsit turpi ignorantia; plures tamen negligunt, plures peccata dissimulant, plures colorant. Profectò rectè Epicurus aiebat: *Potest nocenti contingere, vt lateat, latendi fides non potest.* Latent peccantes; verùm etsi latendi facultatem possint sortiri; latendi tamen fiduciam haud vnquam possunt habere: quia conscientia acerrimo metu pulsat, & timore sceleris notitiam publicat. Opportunè Senec. epist. 97. *Tuta scelera esse, secura esse non possunt.* Profectò prima illa, & maxima peccantium pœna est rationem erroribus tenebrasse, & in Numen deliquisse: nullum scelus, etiam quod fortuna indignis exornauit muneribus, impunitum est: quia in ipsa sceleris deformitate, & rationi anxia displicentia, & conscientiæ frequens angustia. Audi Senecam loco citato: *Prima illa, & maxima peccantium est pœna peccasse. Nec vllum scelus, licèt illud fortuna exornet muneribus suis, licèt tueatur, ac vindicet, impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est; sed nihilominus, & hæc, & illa secunda pœna premunt, ac sequuntur; timere semper, & expauescere, & securitati diffidere.* Profectò mala facinora conscientia non desinit flagellare, & plurima illis puniendis tormentorum genera asciscere: perpetua peccatorem adurget solicitudo, nec potest securitatis credidisse Sponsoribus, aut prosperitatis fucatæ testibus. Demus aliquem fortunam liberasse pœna: neminem quidem liberare potest angustia. Malè de nobis actum esset, multa namque scelera legem, & iudicem effugiunt, ni propria notitia, & trepida semper conscientia carnificis nobiliter exercerent officium, & quouis externo grauius incussissent tormentum: verùm rara adhuc externâ carent delicta pœnâ: quia à tergo, vmbræque ad instar sequitur mulcta. *Necesse est*, scribit Cassiodorus 4. variar. 49. *vindictæ subiaceat, qui prauis moribus obsecundat.* Adde plures arcanâ non semel prouidentiâ scelerum tulisse cruciatus, vbi perpetrarant adsultus, vt audaces metus comprimat, & iustos vindicta defendat. Balaam in Madianitarum terra textu nostro refertur occisus; cùm tamen regionem inhabitasset à linea tunc Israëliticæ hæreditatis exclusam. *Balaam filium Beor ariolum occiderunt filij Israël gladio cum cæteris interfectis.* Abulensis cur Balaami in hac terra contigerit vindicta, disquirit: respondétque fortè ibi prauum dedisse consilium, & ob id tulisse ibi consilij dignissimum præmium. *Respondendum est*, scribit quæst. 15. *quòd Balaam rediens de Moab primò venit in terram suam Aram; & tamen posteà videtur reuersus in Madian ad habitandum, vel manendum aliquo tempore, & fortè ibi dedit consilium, quomodò deciperent Moabitæ Iudæos: quia ipse dixit, cùm non potuit maledicere Israëlitis; verumtamen pergens ad populum meum dabo consilium.* Illuc Balaam diuina attulit prouidentia, vt ibi criminis diuexaret angustia: locus inflicta repurgatus est pœna, quia attaminatus fuerat commissa culpa; alibi Deus illum poterat punire tormentis; voluit tamen occidi, vbi ipse ruierat

Epicur. *Nocenti fides latendi nūquam est.*

Senec. *Scelera tuta esse possūt, secura non possunt.*

Peccati maxima pœna peccasse.

Cassiodor.

Abul.

inseruierat delictis: quò nostra thesis clariùs perspiciatur, vbi scilicet sustineri multoties delictorum tormenta, vbi, & perpetrata flagitia.

196. Achab Samariæ rex Nabuthæ vineam ardenter ambiuit, vt in olerum degeneraret hortum quæ nobilissimum hæreditatis pendebat Domino fructum. Naboth, vt Numinis seruaret legem, regis non attendit auctoritatem: Iezabel pessimi consilij artifex nefariis dolis Nabuthæ mortem ignominiosam disposuit: hæreditatem amisit ille simul cum vita: quia tyrannica tunc dominabatur violentia; verùm iustitiæ oculus, qui iniurias pauperum non despexit, & regno mulctauit violentum, & dispoliauit vita ambitiosum. *Ecce ad vineam Naboth descendit*, alloquitur Deus Eliam, *vt possideat eam, & loqueris ad eum dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti insuper, & possedisti: & post hæc addes: Hæc dicit Dominus: in loco hoc, in quo linxerunt canes canes sanguinem Naboth, lambent quóque sanguinem tuum.* Vitam pro vita soluit, regnum pro vinea. O quàm sibiipsi refragari solet cupiditas! præter intentionem Achab diuitiarum solicitauit sibi iacturam, cùm cæcè exambiuit copiam. Nec tantùm diuina vindicta satisfecit iusto; sed etiam loco, ne sanguine attaminaretur indignè effuso, quin dignè repurgaretur calcato: ibi sustinendum decernit cælestis vindicta supplicium, vbi perpetratum fuerat piaculum. *Diuina nocentur iustitia*, scribit Ambrosius lib. de Nabuthæ cap. 11. *& auarum digna seueritate condemnat. Quàm iusta, quàm seuera sententia, vt quam intulit alteri mortis acerbitatem, eam ipse mortis suæ horrore dissoluere proderetur: inhumatum pauperem Deus aspicit, & ideò insepultum diuitem iacere decernit.* Iusta in pessimum fulminatur sententia, & qui fuerat culpæ, idem decernitur locus pœnæ: ne si alibi sceleris pateretur tormentum, locus diutiùs sustinuisset opprobrium.

3. Reg. 21. v. 19.

Ambrof.

197. Expendebat acutissimè Ostiensis Drogo de Sacram. Domin. Passion. Christum Dominum humani generis vadem eodem loco ignominiosas tulisse alapas, vbi Petrus refractarias negationis commiserat culpas: *Erat Petrus in medio eorum: quem cùm vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat; at ille negauit eum.* Vides apud Principem Sacerdotum fidei, & veritatis iniurium: vide Dominum ibidem iniuriosè velatum, & inhonestis alapis cæsum. *Velauerunt eum*, inquit, *& percutiebant faciem eius.* Eadem in domo, & Petrus colaphizatur, & Christus, vt solueretur tormentum ea ipsa parte, qua perpetrabatur flagitium: *In domo Principis Sacerdotum velata facie colaphizatur Christus . . . & ibidem Petrus negauit.* Et post pauca addit Drogo: *In domo Caiphæ colaphizatus est Christus, quia in domo Caiphæ colaphizatus est Petrus.* Ibidem Dominus soluit alapas, vbi Petrus commisit culpas: eodem loco aures impia offendebat negatio, & digna offensam abstergebat negationis punitio. O quàm citò, & Petrum negatio, & decoram Christi faciem sordidum velamentum dehonestat, vt noueris culpæ coniunctissimam, non solum pœnam; sed ignominiam!

Luc. 22. v. 56. & 64.

Drogo.

198. Vir ille Dei, qui in mandatis acceperat nihil prorsus degustare; sed in Regem impium sen-

tentiam dicere; functus iam munere suo domum repetebat; verùm pessimus senex catabolicorum, & fatidicorum antistes maturat gressum, vt dehonestarit veridicum: in via illi persuasit, vt quid reuersus accepisset edulij. Annuit vir Dei, & forsan famis suffragio fidem præstitit catabolico. *Reduxit secum: comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam.* Quid tunc? Nondum angusto satis finito prandio senex idem mortis minatur sententiam, & admissam vindicat culpam. *Non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum.* Vera dixit, cùm rigidam denunciauit vindictam; falsa, cùm angustam inuitauit ad mensam. Quid tunc? *Inuenit*, inquit, *eum leo in via & occidit.* Et cur non in vrbe; sed in via tulit supplicium? Satis erat, si antequàm ciuitatem illam egrederetur, ferro occubuisset occisus, alienóque sepulchro delitesceret tumulatus. Cur ergo in via? nec enim credendum est vel supplicij locum vacasse mysterio, quando omnia arcano disponebantur consilio. Fallar, ni decreuerit Deus, vt via persoluisset tormentum, quia via nimiæ credulitatis perpetrauit delictum: via deliquit, & via iacuit. Innuit Chrysostomus in Psalm. 3. *Peccauit propheta, & leo in via inuentum morte affecit.* Inuentum à sene in via, in via etiam inuenit leo, vt ibi solueret reatum, vbi perpetrarat delictum; constarétque omnibus eo sæpe loco decerni sceleris pœnam, quo perpetratam fuisse constiterit culpam: vt è contrà accidere etiam solet, iustos eodem loco virtutis digna accepisse præmia, vbi & pro virtute miranda patrarunt opera.

3. Reg. 13. v. 19.

Chrysost.

Cainus ille mortis doctor, inuidentiæque protoparens fratris lenitate abusus in campum ducit oblectationis animúmque leuandi specie; sed ardentissima effundendi innoxij sanguinis siti. *Cùm essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Deus fratricidam visibili nota sugillat, & ne mors laborum fuerit medela, vitam producit, vt durior angeret mulcta: ciuitatem construit Cainus; verùm quem prodebat impietatis culpa, murorum tegere nequibat tutela. A Lamecho occiditur: *Occidi*, inquit, *virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum:* quo mortis genere, quo loco, interpretibus dubium. Rabanus ex Hebræis testatur apud Lippom. Lamechum vnationem exercuisse, vagáque sagitta errantem agro occidisse Cainum. Aiunt *Hebræi* (verba sunt Rabani) *Lamech diu viuendo caliginem oculorum incurrisse, & adolescentem ducem, & rectorem itineris habuisse: exercens ergo venationem sagittam direxit, quò adolescens indicauit, casúque Cain inter fruteta latentem interfecit.* Et cur mulctandus Cain à caligante occiditur? Cur non extructa in ciuitate, sed agro, inter frutetaque altissimè vulneratur? Faciliùs videbatur ab hominibus occidi, quàm deerrantem syluis vulnerari. O cælestem vindictam! Signum portat Cainus impressum, quod videntes moneat; sed signum à Lamecho non defendit: quia oculis ferè captus caligat: in agro interfecit fratrem malignè inuidus, & in agro occubuit improuidè vulneratus: quo terræ validissimus sopiretur clamor, & effusi indignè sanguinis effuso violenter macula abstergeretur cruore, etiam querelam prorsus abscidisset vindicta. Ciuitatem plures incoluere eius; sed agro tulit supplicium: quia ad agrum destinabat, vt pœnas exol-

199.

Gen. 4. v. 8.

Raban.

uisset,

uisset, peccatum violenter interfecit, & violenter occubuit: agrum iusti sanguine defœdauit; sed ornauit suo; & quod vernantius campi ornamentum, quàm in vindictam sanguinis iniustè effusi sanguine scelerato madere? Nituit campus de pœna, qui antè sorduerat de culpa.

200. Heli blandæ in filios correctionis pœnas dedit: illi, posterísque in scelerum mulctam dignitatis aufertur fastigium, & mortem fractis ceruicibus perpessus est iuxta ostium: Arca ab allophylis capitur: infausta stragis notitia senem grandæuum adeò perculit, vt acerbo nuncio obturbatus de sella retrorsum ceciderit, & iuxta ostium fractis ceruicibus expirauerit: *Cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* Nulli dubium adeò expressè mortis locum descriptum arcanum continuisse mysterium. Quid interest expiret iuxta ostium, vel ab ostio longè cadat? O attende vbi huius familiæ perpetratum fuerit flagitium, vt ibi noueris non sine rationabili causa inflictum fuisse tormentum. *Audiuit*, inquit, *omnia, quæ faciebant filij sui vniuerso Israeli, & quomodò dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Ecce iuxta ostium libidinis officina: ideò iuxta ostium effuso sanguine inscribitur turpitudinis pœna: ibi Heli familia corruit, vbi Venereis addicta voluptatibus anteà deliquit. Adest Gregorius lib. 3. in 1. Regum cap. 2. *Ibi* inquit, *cecidit, vbi deliquit.* Vbi fœda carnis intemperantia, ibi ablata est regiminis gloria: nec enim quæ passionibus regendis impotentior erat familia, aliis moderandis apta: regiminis in eodem loco priuata est laude, vbi se fœda carnis sordidauerat turpitudine, vt locus de lasciuia contaminatus, de infecto supplicio maneret mundus.

1. Regum 4. v. 18.

1. Regum 2. v. 22.

Gregor. *Turpitudo dignitatem arcedit & vitam.*

§. XLIV.

Non semel apud Principem impetrarunt oblocutores, adulatores, & maledici, quæ nequeunt consequi digni.

201. PRæmium & regum fauor virtutis est, verùm sic frequenter res virtutis defraudatur à vitio, vt adulatio præripiat præmia, & linguax occupet dignitatis fastigia: quisque nostrum sui primus adulator est, ideò & adulatoribus gratus, & maledicis generosus, quasi de alienæ gloriæ obscuratione nobis pullularit splendor, de adulationéque amplior emicuerit fulgor. Quàm benè Plutarchus lib. Quemadmodum adulatorem, &c. *Cum sit assentator quisque sui primus, & maximus, haud grauatim recipit externum, quem existimat, & vult testem iuxta atque stipulatorem sibi accedere.* Dignos inuidentiæ malignitate, aut vitiorum amore fastidiosè fugimus; grata dicentes, aliorúmque præclara gesta maliloquij veneno obscurantes donis allicimus, & muneribus prolectamus. Opportunè satis citato loco cossis, vermiculísque adulatores Plutarchus comparauit, vt enim cossus ab ipso, quod corrumpit, ligno alitur, & custoditur, sic pessimus, maledicus, & adulator oblocutionis, corruptelæque amplissimum accipere solet præmium, & admitti ad familiaritatis, & amicitiæ fastigium. *Vt cossi potissimum in teneris lignis, & dulcibus nascuntur, sic ingenia generosa, proba, & lenia adulatorem admittunt, alúntque adhærentem.* Ecce quos alant proceræ arbores, quibúsque lautissimum ministrent fructum, corrodentibus cossis, adhærentibúsque maledicis: non rarò amplissima viles facetiæ tulere præmia, quæ consequi non valuerunt vel ingentia belli pericula. Moyses deletis incolis terram ante Iordanem duabus & semis tribubus iusta distributione largitus est, vtque populi felicitas cumulatior, pleniórque luceret. Balaamus ille maledicus & pessimus adulator in Madianitarum terra refertur interemptus, cùm tamen alibi fuerit exortus? *Percussit Moyses Sehon cum Principibus Madian, Heueum, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe duces Sehon habitatores terræ, & Balaam filium Beor ariolum occiderunt filij Israel gladio cum cæteris interfectis.* O dignum maledica & serpentina lingua supplicium! felix populus non solùm de regno honestè possesso; sed de maledico deciso. Abulensis quæst. 5. rogat quomodò potuerunt inter Madianitas occidisse Balaamum, quem constat Numer. 22. habitasse super flumen terræ filiorum Ammon, cùm à Balaac fuit ad maledicendum vocatus, & amplissimis donis allectus. *Non erat Balaam de terra Madian, nec habitabat in ea, cùm vocatus est à rege Balaac; sed habitabat super flumen terræ filiorum Ammon.* Huic difficultati respondet, à Madianitis præminenti dignitate honoratum inter ipsos habitasse, & belli simul cum ipsis occubuisse: *Madianitæ erant medij inter regem Moabitarum, & Balaam: ideò satis verisimile est, quod fecerint eum habitare in terra sua dantes ei aliquam excellentiam, & cùm ibi maneret, Israelitæ potuerunt eum cum reliquis Madianitis occidere.* Ecce Madianitæ ariolum maledicúmque illustri donant prærogatiua, vt sua vel renitentem detineant terra, cum Israelitis pertinacissimè obstiterint, in illósque bella pugnacissimè mouerint: quasi hoc fuerit oblocutoris & maledici priuilegium, dignitatis occupare fastigium, cùm tamen dignus & oppugnetur armis, & pessimis maledicatur anguriis. Madianitæ de sæculi more Hebræum respuunt, & maledicum ad excellentiam dignitatis admittunt. *Verisimile est quòd fecerint eum habitare in terra sua dantes ei aliquam excellentiam.* Proh detestandum nefas, aduersari digno, largirique honorem peruerso.

Abul.

Princeps, aiebat Salomon, *qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habebit impios.* 202.
In Hebræo habetur *mendacij loco, susurri.* Profectò regi ministrare, & magnatibus inseruire habetur excellentia, & ducitur gloria, quando de domini magnitudine & honor crescit seruienti, dum ad imperiale seruitium tales eligendi videntur, in quibus & generis eluceat claritas, & constet virtutis probitas: itaque ambitiosa res est Principibus inseruire, & magnatibus famulari: vide ergo qui Principis à Salomone relati fuerint ministri. *Ministros*, inquit, *habebit impios*, id est, susurrones, adulatores, oblocutores, mendaces. Arcentur à videndi Principem beneficio morigeri, & præmiis alliciuntur maledici. *Verba mendacij*, exponit Iansenius, *quibus quidem Principes libenter auscultant, sunt adulationes, quibus falsò laudantur quædam in Principibus: item detractiones, quibus detrahitur falsò innoxijs & pijs: deinde praua consilia, quæ tanquam salutaria suggeruntur.* Principem videre, inseruire,

Prouerb. 29. v. 12.

Plutarch. *Quisque sui adulator est.*

Iansen. *Principes adulationibus oblectantur, & sic sapiuntur.*

Cassiodor.

Principem videre beneficium est.

uire, & alloqui beneficium est. *Certè munus est videre Principem* scribit Cassiodorus 10. var. 13. Hoc ergo munus, hoc præmium sæpè adipiscuntur indigni, nec obtinent benemeriti. Audit Princeps libenter verba mendacij, oblectatur maledicis oblocutionibus, adulationibus venenatis, & quia illi maledicentior semper est gratior, & munere censetur sæpissimè dignior.

203. Pharao quos allexerat hospites, veluti de lapide emptos improbis laboribus diuexabat: Hebræos iustitiæ oculus, qui pauperum nunquam labores spernit, prouidentissimus vidit: Moysem & Aaronem pro soluendo populo ad Pharaonem voce veluti imperatoriâ tesserâ armatos legat: illi populum deposcebant exolui, & potestatem patratis contestabantur prodigiis. Pharao magos ac maledicos vocat:

Exod. 7. v. 11.

Vocauit Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter. Vides vocari Magos, audi propulsari veridicos:

Exod. 10. v. 28.

Dixit Pharao ad Moysem: Recede à me, & caue ne vltra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi, morieris. O tumoris insaniam! ô vanitatis amentiam. Deo minatur mortem, à cuius nutu pendebat, Moyses Pharaonis est Deus:

Exod. 7. v. 1.

Ecce constitui te Deum Pharaonis, adeóque proiectissima superbit audacia, vt se Numine reputet superiorem, & interminetur pœnam, à quo efflagitare debuisset misericordiam: verùm redeamus ad thesim. En Moyses Numinis vicarius virtutis alumnus, innocentiæ vindex curiâ non admittitur; imò capitali pœna, si redierit mulctandus exterminatur; cùm tamen maledici & incantatores intra palatium degant admissi, & præmiis inuitentur allecti. Iam Pharaonis imperium vergebat in occasum, cùm apud illum pluris haberetur incantatrix maledicentia, quàm vera iustitia, plus figmenta, quàm miracula; plus Ægyptiaca arcana, quàm diuina mysteria. Adest Cyrillus apud Lippoman. ad Exod. 7.

Cyrillus.

Vocauit Pharao sapientes & maleficos: vt qui Moysem carperet, Magos adduxit. Magi veritatem imposturis obscurare, virtutem innubilare fallaciis, & potentiam ausi sunt mentiri præstigiis: hi ergo Pharaoni gratissimi, hi ad præsentiam regalem admissi; Moyses vero & Aaron virtutibus exornati repelluntur, vt aduersi.

Græcus.

Præstigia, addit ibi Græcus, *pro miraculis habebantur.* Præstigiatores & peruersi cum Principe iniuerant amicitiam; iusti, dignissimíque non solùm adipisci nequeunt gratiam; sed mortis pertulere sententiam: vt certum sit, non semel apud Principem impetrare præstigiatores & maledicos, quæ consequi non valent digni.

204. Adest Dauid huius veritatis testis: nam cùm vitam pro populo exposuisset, illúdque superbiæ monstrum proprio gladio trucidasset, eas regis iras sustinuit, quas Reipublicæ pestis posset; cùm tamen Doëg & regi acceptus, & inter eius ministros primus:

1. Reg. 22. v. 9.

Respondens Doeg Idumæus, qui assistebat, & erat primus inter seruos Saül: Vidi, inquit, filium Isai in Nobe apud Achimelech filium Achitob sacerdotis, qui consuluit pro eo Dominum & cibaria dedit ei Dauid sic inops, vt precariò emendicarit cibaria, Doëg seruorum primus regia fruitur opulentia. Inquiramus, cur Doëg, cuius nulla facinora litterarum monimentis expressa inter regis seruos referatur præcipuus, cùm Dauid tot coronatus triumphis montibus deerret exterminatus: Dauid contribules metu liberat, & antequàm indecorum subirent iugum, detriumphato gigante depulit, imputatum spiritum à rege abigit, citharæque melos, & psalmorum cantus pro telo iacit: & hic adeò sæuam sustinet iram, cùm Doëg origine obscurus, nullisque naturæ dotibus exornatus, & regiam promeruerit gratiam, & potiatur semper præsentiam? innuit textus: *Vidi, inquit, filium Isai in Nobe.* Infamauit maliloquio Achimelechum, obscurauit Dauidem, ideò de maledicentia gratus, quando strenuus de meritis inimicus. Prodest Abulensis quæst. 17.

Abulens.

Ista est accusatio Doeg contra Achimelech: dicit enim, quòd vidit Dauid in Nobe; & verum est, quia ibi erat Doëg, quando Achimelech & Dauid locuti sunt, sicut dicitur præcedenti capite: Vocauit autem Doëg Dauid filium Isai, & non vocauit eum Dauid, quasi ex indignatione, vel vituperio: quia non censebat eum dignum appellari nomine proprio. Attentiùs audi quæ subdit: *Et fortassè Doëg per istas adulationes peruenerat in magnum fauorem regis: quia hoc non est nouum nec insolitum adulatores in domibus Regum & Principum primas obtinere vices.* Doëg impetrauit maliloquiis, quod Dauid nequiuerat triumphis, imò post triumphos, post tot bellicos labores, post tot digna regio fauore pericula oculis veluti communis hostis notatur, & syluis deerrare compellitur. Peruenit maledicentia, & adulatione pessimus, quò egregiis facinoribus attingere nequiuerat dignus: pluris namque aliquando apud improbum æstimantur maliloquia, minoris habentur obsequia. Dauid mendicat panem tantas adeptus victorias, Doëg inter seruos refulget primus: quia gratas suggerit adulationis, & maledicentiæ fallacias.

205. Dæmon cùm Euæ gratiam inire discuperet, serpentis habitu personatus accedit:

Gen. 3. v. 1.

Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem. Proh obcæcatam malitiam! proh delirantem audaciam! Nonne satius columbæ mutuari speciem, qua faciliùs gratas Euæ aures corrumperet versutiis, & adulteraret fallaciis: columba Spiritus sancti habitus, quæ iam fouendis liquoribus inseruierat: Spiritus namque Domini, teste Hieronymo apud Lyram, in modum auis super aquas ferebatur: ergo gratior esset auis de beneficio, & suspectior serpens de veneno: induat ergo dæmon speciem volucris, non serpentis. O diabolicam astutiam! nouit columbam dignam, nouit obmurmurantem serpentem, vtque facilius captaret gratiam, non assumpsit habitum columbæ aquas calore fouentis; sed colubri obmurmurationis peste diuinam munificentiam obnubilantis: sciebat namque sæpesæpiùs demereri citiùs gratiam de maliloquio, & tardissimè de merito: ideò linguam sibi adaptauit serpentis. *Sæpè malignus spiritus* scribebat Petrus Damianus lib. 7. epistolar. epist. 19.

Damian.

velut auis in ramo arboris, sic in lingua ponitur adulantis ... Antiquus enim ille seductor Euæ per serpentem versutiæ suæ virus inuomit. Forsitan non inuomeret per columbam: quia columba apud Euam non iniret gratiam, cùm serpens de maliloquio, de adulationéque meruerit beneuolentiam.

Hugo.

Nota quod non est tentatus scribit Hugo de sancto Victore apud Lippoman. *per aliquam simplicem bestiam, vt est columba,*

lumba, vel agnus, ne posset scilicet excusare transgressionem. Timuit diabolus aures se non inuenturum, si benemeritæ auis mutuaretur speciem: ideoque maledicæ mutuatus est faciem, quasi certins fuerit gratiam per maledicum inueniendam, non ita certum per benemeritam auem captandam.

§. XLV.

Ille concinnandis moribus aptus, qui profert animo impressa, etsi florido stylo compta.

206. PEr cauernosos aurium anfractus salubris animo instillatur doctrina, & vtilis deriuatur scientia: hinc zelotypi ac industrij concionatores aures satagunt venanti sæpe eloquentiæ sapore inescare, & floridi styli lenocinijs deuincire, quo syrenarum ad instar ad virtutem faciliùs rapiant sermonis dulcedine delinitos, quos varij passionum flatus ad vitia impulerant erroribus circumactos; vt plurimum tamen is certè modus inter nimiam sermonis concinnitatem, & nuditatem tenendus est, qui nec artificiosè comptus, nec affectatè censeatur incultus. Ad hæc non idem semper; sed pro locorum audientiúmque opportunitate, & differentia varius. *Necesse nobis fuit*, aiebat Cassiodorus in præfat. variar. *stylum non vnum sumere, qui personas varias suscepimus admonere: aliter enim multa lectione satiatis, aliter mediocri gustatione suspensis, aliter à litterarum sapore ieiunis persuasionis causa loquendum est, vt interdum genus sit peritia vitare quod doctis placeat: proinde maiorum pulchra definitio est sic aptè dicere, vt audientibus possis concepta vota suadere.* Audientium varietas varietatem deposcit styli; id tamen, si merum vanus non intenderit plausum; sed vtilem cupiuerit fructum, necessarium semper dicenti est, vt quæ profert non solùm acri fulgeant elaborata ingenio; sed impressa agnoscantur animo. Plures video in styli stomachari concinnitatem: & quidem stylum calamistratum non probo, nolo nimia cura limari sermonem; ambio tamen præcipuè prædicatores verba animo impressa eructare: quia huius defectu maiora auditoribus damna crediderim imminere, quàm de splendore manare. Bellè Seneca epist. 75. *Nec philosophia ingenio renunciat; multum tamen operis impendi verbis non oportet. Hæc sit propositi nostri summa: quod sentimus, loquamur; quod loquimur, sentiamus: concordet sermo cum vita: ille promissum suum impleuit, qui, & cùm videas illum, & cùm audias, idem est.* Non nocuit Spiritus sancti linguis micare, quia didicerant iam ardere: dum proferat os, quod animo sibi impressit, audienti proficiet, & ipse internus ardor volaticas dictionis frondes consumet; at si concionatoris animo nullatenus sint impressa, quæ pro erudiendo populo sunt probata, nec agresti stylo relata proficient, nec florido, si fuerint impressa, lædent. Filij Israël cùm in hostes ex Dei præcepto irrupissent. Balaam etiam cum cæteris inuoluerunt: *Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filij Israel gladio cum cæteris interfectis.* Profectò Balaamum Dei prophetam fuisse nullus ambiget: nec enim expers cognitionis veri Dei videri possit, qui rerum omnium euentum ex huius solius mente pendere & agnouit, & prædicauit. Ad hæc non minus ac sacri Vates diuina oracula de statu populi Dei, de aliarúmque gentium excidio, & de Christi vaticinatus est ortu: cur ergo prophetam discrimini non eripiunt; sed gladio perimunt; cur ariolus vocetur, nec prophetæ honore fruatur? Quia licèt propheta fuerit, respondet Masius, non erat ex illis, qui auditores ad recta inflammant; sed qui gloriæ ambitione mera prophetiæ verba pronunciant: Balaam ore pronunciabat; sed virtutes illas impressas animo non gerebat: ideò non propheta dictus; sed ariolus appellatus. Audi Masium: *Balaam, Caiphas, huiusque conditionis alij, quibus quamuis vitiosis instrumentis Deus ad sua Ecclesia vtilitatem aliquando vti dignatus est, diuinorum consiliorum rudes atque expertes homines non aliter atque si mente moti fuissent, dederunt sine mente sonos, vt Poeta verbis vtar. Eructauit, inquit sacer Vates, cor meum verbum bonum. At Balaam nihil se in corde; sed ore dumtaxat tenus oracula, quæ fundit, concepisse ipsius fatetur.* Iure vti nociuum ariolum è medio sustulerunt, vt qui ore tantummodò oracula proferebat, nec impressas animo virtutes gestabat. Dauid sacratissimus Vates peccatorum turbas ad lucem veritatis conuertit, quantumuis metro illigarit stylum, quia impressum corde eructabat verbum: equidem ipse ait: *Eructauit cor meum verbum bonum*, at Balaamus, quia corde gerebat æstuantem gloriæ cupidinem, vel cùm pronunciat oracula, nociua populo dabit consilia; *Dedit sine mente sonos:* Dauid verò è corde proferebat conceptus.

Cassiodor.

Sic debet dicere, vt possit suadere.

Senec. Concinator sit idem, dum videtur, & dum auditur.

Masius.

Sicut vitta coccinea, aiebat Sponsus, *labia tua, & eloquium tuum dulce.* Dulcis eloquij elegantia non obfuit, quominùs labia funiculo illo coccineo, per quem Rahab exploratores emisit, & periculo liberauit, similis deprædicetur. *Notus est funiculus coccineus Rahab*, inquit noster Delrius ad hunc locum, *quæ cùm iussa, vt signum professionis fidei suæ de fenestra suspendisset, salutem sibi cognationique suæ attulit: hic funiculus figura fuit fili coccinei, de quo nunc agimus.* Vides multorum salutem à comptis, pulchrisque eloquiis pondere, & in Sponsæ labiis versari. *Labia tua sicut vitta coccinea:* & quæ huius causa? Audi ex Gilliberto serm. 24. in Cantic. *Ea enim labia ligant & rutilant, quæ de tali ventris fructu loquuntur: concepta in corde charitas quasi ignis flammigerans coccineo colore labia inficit, per quæ erumpit: calor de excelso missus in corde germanum labus præstat calorem.* En labia eloquia pulchritudinis eructantia, & simul salutem audientium animis infundentia, quia de cordis fructu loquuntur, & de calore interno inflammantur. Nil obfuerit prædicatores stylo decenter compto, & honestè polito vtantur, si quæ docent, animo impressa gestarint: si virtus, quæ sonat in labiis, fuerit sculpta in præcordiis: fructus inopiam non adeò crediderim natam ex compto concionatoris stylo, quàm ex vacuo virtutibus animo. Vernat florenti sermone Chrysologus, fulget elegantia Ambrosius, eminet Nazianzenus, profundus semper & ingeniosus Septimius; at hi veritatis patroni, & auditoribus salutares: quia rubebant labra, dum generoso igne adurerentur præcordia. Prodest Dauid audientibus; Balaam vel prolatis oraculis manet ariolus:

207. *Cant. 4. v. 3.*

Delrius.

Gillibert.

ariolus: quia alterius labia discordabant à corde; alterius verò & præcordia concordabant & labia.

208. Matth.14. v.4. Baptista virginitate Angelus Herodem de intemperantia liberis vocibus arguebat: *Dicebat illi Ioannes: Non licet tibi habere eam.* Quid interest, Ioannes, quod rex ipse satis nouerat, inculcarit; cur vocem timeat, qui vel phalangas armatorum spernat? Profectò vox Ioannis interno temperantiæ fulgore coruscabat, & corusco innatoque lumine vel cæcorum oculos perstringebat: non potuit vox regis intima non ferire: quia interna concionatoris temperantia didicerat refulgere. Audi Basil. Seleuc. orat. 18.
Basil. Seleuc. *Adulterantem naturam accusat, vocémque iacit temperantia fulgore coruscantem.* Si Ionnes temperantiam minùs coluisset, & regem adulterum minùs torqueret; ast grauissima est eius vox, dum constat exactissimè excolere, quæ in regem ausus est prædicare. O quàm feriebat aures vox casta non tantum veritatis pilo; sed & castitatis innatæ telo: *Vocem iacit temperantia fulgore coruscantem.* Si qui prædicationi vacamus, quas in aliis virtutes cupimus, exactiùs coleremus, vberior fructus,& cumulatior auditorum esset profectus.

209. Vidit Ioannes Apocalypsis 1. filium illum hominis vestitum prodere, zona aurea ad mamillas præcinctum, ex cuius ore gladius exacu-
Apoc.1.v.16. tus, & limitas prodibat: *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Profectò cùm Ioannem Angeli fuerint sæpè sæpiùs affati, ex nullius ore gladium prodire retulit: cur ergo ex filij hominis scilicet Iesu Christi ore, gladius fulgurat & limatus, & exacutus? O perpende. Homo ille, quia & simul Deus, Dei Verbum hypostaticè gestabat vnitum: Verbum ergo Dei, quod ore prodibat, gladij acumina peruincebat, quia dicentis intima penetrabat: creaturæ, quantumuis Angeli, quia non adeò intimiùs Dei verbum habebant, nec gladio simile ore gestabant. O quàm acutum verbum, quod eructatur à Verbo! O quàm feriunt labra, cùm Dei Verbo intimiùs adglutinantur præcordia! non potuit non peccatorum ferire vitia Dei Verbum quod vnitum hypostaticè dicentis custodiebant præcordia. *Quod de ore Domini ipse gladius procedere visus est*, exponit Ambrosius hîc, *illud significat, quod ipse dixit in Euangelio: Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Verbum à Spiritu inhabitante prolatum gladij adinstar vitia dissecat, cupiditates abscindit, audientium animos ferit, nec impediet fulgere limatum & exacutum, si constet animo dicentis impressum; at verbum à facundia solùm prolatum, & ingenij officina excultum animos fructuosè non feriet; sed aures inutiliter oblectabit. O quàm verbum efficax ab interno verbo prolatum! O quàm vanum ab ingenio solo compositum! Filij hominis acutus gladius est verbum ex ore: quia diuino prodit à pectore. Adde, quantumuis auditores sint saxei, quantumuis rudes, quantumuis sceleribus obstinati, non semel animo doctrinam excipere, & veluti sculptam seruare, si quæ concionator dictat, & animo impressa ostendat.

210. Moyses montis cacumen inscendens, sacro illo, quo mons flagrabat, incendio adeò feliciter arsit adustus, vt è vultu luminis promicuerit radius; hîc Dei leges tabulis lapideis insculpsit: *Scripsit*, inquit, *in tabulis verba fœderis decem.* Exod.34. v.28.
Legamus, si placet, primum præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Deut.6.v.5.
Dominum Deum tuum timebis,& illi soli seruies. Et quomodo potuit Moyses sine celte, & ferramentis præceptum hoc lapidibus incidisse? Velitemur ad mores: quia quod lapidibus inserebat, animo impressum gestabat: testis est huius veritatis contritus, & in puluerem redactus vitulus: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit,& contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam,& dedit ex eo potum filijs Israël.* Exod.32. v.20. Qui ergo vitulum sic deterere animosè studuerat, vel lapidibus leges insertas feliciter ostentabat: nec enim vel lapides quibant à se fœdus Moysis manu exaratum abiicere: quia à fœdere Moysis animo impresso liquebat omnibus emanare. *Fœdus pepigit Dominus Deus non alia ratione*, inquit Lippomanus, *cum Israël, quàm vt verba* Lippoman. *ipsius audiant, & perficiant Domini voluntatem & caremonientur illi soli; non idolis, donec ipsa quoque idololatria mundo auferatur per eum.* Ecce fœdus Numinis, vt populus scilicet illi soli cæremoniis, sacrisque ritibus inseruierit, & studiosè coluerit. Hoc ergo fœdus sic Moysis animo rutilabat impressum, vt zeli ardore in fœdos cineres aureum redegerit vitulum: huic ergo iubet Deus vel silicibus fœdus inserere: *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum,& cum Israël pepigi fœdus*: nam vel lapides ipsi ingenium dediscentes, mollitáque duritie admittent fœdera, quæ scribentis constat intimiùs custodisse præcordia. Consonat Augustinus apud Lippo- August.
man. *Cùm primùm legem accepit, cuius tabulas abiecit & fregit, nec ipse dictus est excidisse tabulas lapideas, nec ei dictum est, vt scriberet, sicut ei modò dicitur: nec eas ipse scripsisse narratur, sicut modò narrat scriptura.* Antequam vitulum minutatim confringeret lapideæ tabulæ fors fœderis sculpturæ refragarentur: nec enim adeò clarè, vt modò, Moysem in idola armari lucuerat; at nunc quia iam dilucidiùs animo resplenduerant insculpta, & lapidibus, quantumuis refragetur durities, videbuntur etiam impressa.

---

§. XLVI.

Apud bonum Principem, quantumuis taceat, semper valet meritum linguâ, & demeritum adhuc clamans caret loquela.

EGregia virorum merita ambitione prorsus sunt nuda, nec plenè resplendent opera, quæ 211.
insani huius appetitus obscurat vmbra: ambire est bellum meritis publicare: dedecet magnum virum dignitatibus inhiare; imò nisi honestè coactum, ad lumina dignitatum venire. Veteribus prouerbium erat teste Plutarcho de insti- Plutarch.
tuend. liber. *A fabis abstineto*: quia suffragia olim fabis calculorum vice ferebantur, iisque magistratus abrogabantur. A fabis docebant abstinendum, quasi qui ambitu obirent capessendi magistratum, ipsa cupidine prorsus tumulauerint meritum. Nec solùm Heroes, quos dignis antiquitas celebrauit elogiis, se dignitatibus non intruserunt; sed abstinuerunt etiam à fabis veluti

veluti ambitionis vmbris: decet eximiis adornatum virtutibus ad thronum rapi, non tendere, vt constet honesta possedisse violentia, non sagaci quæsisse industria. *Si vir grandæuus*, scribit Plutarchus lib. an seni sit tractan. Resp. *in Republica munera ciuilia cum ministerys coniuncta excipias, vt si auctionibus sis præfectus, vel portuum curæ, & fori: præterea si legationibus, & profectionibus ad præsides, & potestates inhiet, in quibus necessary est nihil; sed obsequium, & blandimentum; id miserum mihi, mi Euphane, & putidum videtur; alys forsan etiam odiosum, & molestum . . . nec ipsis* (dignitatibus) *est inhiandum; sed suscipiendum refugientibus, non appetentibus; imo deprecantibus; non quasi sibiipsi magistratum cupiant; cæterum quasi seipsos magistratui dedant.* Dedititios se reputant, cùm dignitatibus exornantur, & quasi iugo pressos, & durioribus ferro catenis constrictos. Aiebat Tyberius Cæsar: *Manum medico porrigere eum, qui annum excessit sexagesimum, turpe est; sed magis*, addit Plutarchus, *manum populo porrigere ad testulam, vel suffragium in comitys rogandum.* Rogant, qui non merentur accipere; deprecantur non semel non accipere, qui merentur: vnde boni Principis solertiæ, prouidentiæque curæ est, & meritorum taciturnitatem audire, & importunas non merentium preces repellere. *Erigat ad laudem*, scribit Cassiodorus 6. variar 20. *tuos animos quod vocaris: noli te profectò meritis imparem facere, si turpissima ambitionis delicta calcaueris: nam errores noxios vincere est vitia maculosa superare, & iste venere editus est de moribus consulatus.* Felix Respublica, vbi Consulatus eliguntur de moribus, non de precibus: vbi apud Principem edunt tacendo merita clamorem gratum, & loquendo demerita imitantur silentium. Moyses, dum ante Iordanem terram diuideret, non solùm Rubenitis, Gaditisque; sed, & dimidiæ Tribui Manassè dignas portiones est pro illarum numerositate largitus: *Dedit*, inquit text. *& dimidiæ Tribui Manasse, filysque eius iuxta cognationes suas possessionem.* Quærunt interpretes, cur Manassenses præ aliis ante Iordanem Princeps prudentissimus collocarit, cùm sedes illas sibi dari nullatenus efflagitarint, aut importunis precibus animum donantis impulerint. Respondet Masius hoc facto Moysem optimi Ducis, gubernatorisque gloriosiùs incrementasse famam, & cumulatiùs auxisse gloriam: nam cum videret Manassenses bellorum laude conspicuos, & inimicorum sanguine purpuratos, anteuertit illorum preces, vt remuneraret virtutes. *Credibile videtur Machiris virtuti hoc præmium à Moyse delatum vltrò esse, cùm simul Rubenitis, & Gaditis, quod ambiebant, concederet; quippe vir diuinus, & Dei Spiritu mirabiliter afflatus intelligebat, & singularem fuisse in debellando Og Manassensium virtutem, & tam ampla duo regna à Solis duabus tribubus neque tota occupari, neque satis aduersus barbarorum incursiones defendi posse.* Manasses terras illas acerrima, hostibus expugnarat virtute, & cum exigerent merita tacebat decenter lingua. Moyses ergo diuino Spiritu afflatus audiuit meritorum clamorem, non precum importunitatem, vt iam Reipublicæ admoneret Dynastas, aures præbendas meritis, potius quam linguis.

Magistratu ... est, qui non ... meritis ... ad comitiis.

Cassiodor.

Felix Respublica, vbi ad dignitate eligitur non de precibus, sed de moribus.

Masius.

Cæli regnum sæcula despicit, semper stabile, & quantumuis ambitio olim euertere nisa, firmum; verùm quasi quid stabilitatis illi Reipublicæ denuo accesserit, duodecimo Apocalypsis spiritus iteratis faustisque acclamationibus tranquillitati perturbationis gratulantur expertos: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri.* Et quare nunc? Quia & draco proiectus, & puer eximiis adhuc in ortu virtutibus micans ad thronum raptus: *Raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius. Proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus.* Profectò serpens ambitionis lingua cælum conscendere, & occupare thronum clamabat: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Puer nil ambit, nil infans loquitur, serpens plura tentat, plura molitur; & tamen serpens iactatus delitescit profundo; puer verò raptus resplendet in throno: modò ergo regnum Dei viget, quia dignus nulla edita voce apicem dignitatis raptus inscendit, & indignus, quantumuis clamet, aures non inuenit: *Quando raptus est ad Deum*, inquit Rupertus ad hunc locum, *& ad thronum eius, ipsa passione resurrectione, qua rapiebatur, & transibat ex hoc mundo ad Patrem, perditionem, & mortem corporum quoque mortalium corruptionem destruit, tunc facta est salus, & virtus.* Puer tacet quodammodò elinguis; rapitur tamen ad thronum, quia fulget meritis: draco clamat, *& in cælum conscendam*, ambitiosissimus iterat; verùm quia meritis vacuus, & ad profunda proiectus: *Proiectus est draco.* Tunc ergo firmatur regnum, cùm dignus sine voce ad dignitatum lumina effertur; & indignus, quantumuis clamet, deiicitur. O quàm destruitur mors, ô quàm exulat infelicitas, dum rapitur dignus! o quàm periret salus, ni deturbaretur peruersus: *Qua rapiebatur, & transibat ex hoc mundo ad Patrem, perditionem, & mortem corporum destruit.* Digna electione destruitur calamitas, indignâ perit tranquillitas.

Apocal. 12. v.10.

Isai. 14. v. 12.

Rupert.

Thesim probet opportunius Lucas 16. capite. Mortuus est Lazarus ille non minus exornatus virtutum cumulo, quam afflictus dolorum censu: *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Diues etiam moritur, & qui olim byssinis ornamentis, & fulgoribus rutilabat purpureis, in inferno delitescit ardentibus sepultus flammis: doloris vis oculos sursum erigere compulit, & Abrahamum rogare coëgit, vt experientia discat, quam acerbum sit mendicare, qui mendici olim Lazari preces contempsit. *Pater Abraham miserere mei.* Ecce filius rogat, nec tamen impetrat, cum Lazarus requiescat in sinu; nec tamen voce postulet refrigerium: & cur denegetur clamanti, quod fuit concessum tacenti? Clamet Lazarus, vt impetrarit solatium: taceat diues, si est opus pati supplicium: Abrahamus filium fusum in clamores spernit, & mendicum sinu tacentem fouet: vtrumque Abrahami politiam mirè commendat: pauperem fouet vel petere non audentem, non audit clamantem: pauperis est silentium clamosum, clamor diuitis est silentium: esset namque cælestis politices dedecus, si necessaria meritis fuisset lingua, aut si indignis profuisset ambitionis loquela. *Quid clamas*, inquit Chrysologus serm. 122. *quid postulas? Hoc loco iam non geritur*

213.

Luc. 16. v. 22.

Chrysol.

geritur postulatio; sed controuersia, vbi è diuerso consistit ipse, qui passus est; sed agentium diuersus est locus: hic agit de proximo; ille de longè: hic de sinu suggerit, clamat ille de tartaro: exorat ille de requie, quaeritur hic de pœna. Lazarus vel requiescens exorat: quia virtus, non lingua clamat: diuitis inanis est clamor, vox cassa: quia vocem eneruauerat culpa: vociferans diues repellitur; mendicus nil petens extollitur: quod cælestis Reipublicæ decus, ac semper stabile tranquillitatis est fulcrum, si non prosit scilicet negotiatio operosa indigno, nec obsit dignissimi [illegible]guaiia merito.

214. Luc. 23. v. 38. Emicabat crucis apice Christi regnum: *Hic est rex Iudaeorum:* Christi æmuli interius inuidentiæ cruciatibus duriùs dilacerati, quàm corpore crucifixus attritus: regnum de cruce tollere totis nisibus contenderunt, nec impetrarunt: *Noli scribere rex Iudaeorum.* Præses nullatenus adduci potuit, vt regnum Christi de cruce deleret; imò sententiam iterum confirmauit. *Quod scripsi, scripsi.* Ioan. 19. v. 23. Mira res: qui iniquis accusationibus potuerunt eripere vitam, corrumpere nequeunt exertis vocibus Scripturam: timor ambitiosum corruperat Præsidem, vt innocentiam damnaret; & tamen nec aduersariorum instantia, nec æmulantium inuidia, nec ipsius iudicis ambitiosa cautela illi suaserunt, vt regnum obliteraret: quid ergo firmauit contra adeò validos inuidentiæ flatus crucifixi Domini regnum? Diuina sanè prouidentia, & cælestis politia: Christus tacet; sed clamat virtus: inimici postulant; sed malignitas voces dissipat; annuisset equidem Præses, ni vel impij cor virtus solidasset cælestis; verùm quia iam regnum cœperat exoriri diuinum, tacens Christus possedit titulum; æmuli clamantes non obtinuerunt intentum. *O ineffabilem vim diuinæ operationis*, scribit Chrysostomus in catena ad Ioan. 19. (Chrysost.) *etiam in cordibus ignorantium: nonne occulta vox quædam Pilato intus quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tanto antè in Psalmorum litteris prophetatum est: Ne corrumpas tituli inscriptionem.* Meritorum vox inaudita defendit titulum, exerti clamores euertere valuerunt minimè regnum. Quid interest Christus taceat, si sanguis loquitur, & quidem meliùs, quàm Abel? Quid interest clamet peruersitas, si vocem obstructis labiis eripuit linguæ malitia? Benè est, si respectu Dei componas, & Christi dignum silentium, & clamosum aduersariorum delirium; sed quæramus aliam causam huius regni firmitudinis contra sæuas inuidentiæ procellas in ipso Christo: duobus mořitur stipatus latronibus, quorum alter exertè clamat, & voce blasphemiis scatente salutem orat: *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos:* alter non paradisum; sed veniam peccatorum deposcit: *Memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Huic Dominus paradisum statim offert: *Hodie mecum eris in paradiso*; (Luc. 23. v. 39.) illi responsum non reddidit. Et cur Dominus petenti non respondeat; annuat non petenti? Hic paradisum non flagitat; ille à tormentis exolutionem obnixè postulat: ergo vti pius Rex soletur afflictum, ac vti iustus, vt paradisum largiatur, petentis expectauerit votum; imò quia æternus rex, & quia immobilium regnorum formam præscribebat, nec indigni clamosum attendit votum, nec despexit modestum digni silentium. *In quo monstrabatur*, scribit Beda in catena ad Ioan. 19. (Beda.) *iam tunc regnum ipsius, non vt ipsi putabant destructum; sed potiùs augmentatum.* Consonat Chrysostomus apud D. Thomam ad Lucæ 23. (Chrysost.) *Erat videre saluatorem in medio latronum trutinam iustitiæ trutinantem fidem, & infidelitatem.* Infidelem despexit clamantem, fidelem euexit ad paradisum de paradiso tacentem: vbi ergo dignus sine voce auditus, & indignus, quantumuis clamet, despectus, regnum aduersus inuidentiæ insanientes fluctus immotum, & aduersus potentiæ adsultus stabilitum. Non poterat deleri titulus, quem sic firmabat, & Iusti remuneratio, & digni deiectio.

§. XLVII.

Peruicaciæ genus est semel iudicatis insistere, si plures videas contrarium amplecti.

NOn idem omnium iudicium est; imò non minùs homines iudicio solent discrepare, quàm vultus lineamentis distingui: aliter ille de re iudicat, aliter ille sentit: raro multorum concordant iudicia, etsi in idem sæpè collimauerint vota; prudens tamen non tantum prudentiæ suæ adscribet, vt semel præiudicatis insistat, si cordatos homines, si prudentes contrarium sentire noscat. 215. Fateor securiorem non esse viam, quam plures peruersi ingenio sequuntur: semita tunc, & limes aliquis inquirendus est, nec oportet pluribus credere; sed à pluribus separari: nihil magis nocet hominibus, quàm quod pecudum ritu præcedentium sequuntur gregem euntes, quò itur, non quò eundum est. Verùm licèt hoc circa vulgi sententiam verum, circa prudentum, cordatorúmque hominum decreta minimè tutum. *Morbus est*, scribit Seneca epist. 75. (Senec. *Iudicii in prauo pertinax morbus est.*) *iudicium in prauo pertinax:* & quidem peruicaciæ conuincitur, qui concordi sapientum sententiæ non applicatur: facilius est vnius iudicium latenti interpellatum deerrare affectu, quàm multorum studia ingeniáque obscurari maligni erroris pruritu. Hinc cordati homines facilè iudicium deponunt, suúmque sapientum suffragiis adiungunt: tumidissima, erroribúsque procliuis iactantia est, nimium sibi fidere, & propriæ prudentiæ credere. *Dedit*, inquit textus, *Moyses dimidiæ Tribui Manasse, filiísque eius iuxta cognationes suas possessiones.* Profectò Moyses maximè repugnarat has tribuere possessiones Rubenitis, & Gaditis, vt constat Numer. 32. ibi enim durè illos increpuit, quòd possessiones ambirent: *Cur subuertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus?* (Num. 32. v. 7.) hìc tamen iam adscripsisse refertur: Et cur consilium mutauit, nec priori sententiæ stetit? Abulensis respondet quæst. 18. suam reliquisse sententiam, quia vidit plures Rubenitas, plures Gaditas tenere contrariam. Censebant illi petitionem honestam, & censebat Moyses indignam, verùm ea erat ingenuitate, & prudentia præditus, vt suam retractans alienam fuerit secutus sententiam: quo optimo exemplo doctos superiores ac sapientes instruxit

struxit oportere præiudicatis non insistere; sed aliquando aliena sententia regi: *Quando duæ tribus & dimidia*, inquit Abulensis, *petierunt terram hanc, admiratus est Moyses, & exterritus, increpuitque valde petentes*, vt patet Numer.32. cap. *ad extremum autem considerato rationabili motiuo eorum concessit, quod petierant.* Renuebat vnus Moyses, prudentissimi viri faciendum iudicabant, fierique petebant: ergo Moyses, vt non agresti, peruicacique; sed prudenti erat ingenio, plurium est secutus sententiam retractans suam.

216. *Sicut turris Dauid collum tuum*, inquit sponsus sponsam alloquens. Certè collum à turri distare solet: collum namque flexibile, turris inflexibilis est: ergo collum non allaudat, dum turri exæquat. O animaduerte non turri tantum; sed Dauid turri comparasse. Turris Dauidica suam custodit fortitudinem; sed alienam prorsus à peruicaciæ nota, & ab obstinationis insania; imò ideò turris Dauid, ex qua clypei pēdent, quia nouit flecti, nec sibi nimium confidere. *Non turris Dauid*, scribit Gillibert. serm. 26. in Cant. *Sed magis aduersus Dauid, qui inflatus sensu carnis suæ extollitur; sed aduersus scientiam Dei sublime hoc collum; sed superborum & sublimium colla sapientia calcat.* Nonnulli sic superbia inflati, sic inflatione duri, vt turris adinstar flecti non valeant; imò propriis sensibus indurescant: quantumuis se veritas oculis ingerat, semel decretis insistunt, & pertinaci contra rationem constantia armantur. Non flectes illorum iudicium ad veritatis semitam apertissimis rationibus, non reduces discursibus; imò si aliam viam tentaueris ingredi, veluti iniurium, aduersariúmque rationis non desinent criminari.

217. Conquerebatur Dominus de populo illo Hebræo sic suæ sententiæ, erroribúsque tenaciter adhærere, vt ratione nulla, nulla aliorum prudentia, nullo exemplo permiserit informari: *Scio*, inquit, *quia durus es, & neruus ferreus collum tuum, & frons tua ænea: & annunciaui tibi olim antequam venirent super te.* Improba affectione obcæcati inclamarunt: *Hi sunt dij tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti:* & licèt audierint Moysem, licèt Angelorum voces obtisterent, licet tot prodigia in contrarium reclamarent, semper improbæ insistebant sententiæ, nec passi sunt demutare: *Feci*, inquit Leo Castro, *vt agnosceretis me verum Deum esse, neque referretis beneficia, quæ præstabam vobis, ad vestra idola, quemadmodum cùm dixistis: Hi sunt dij, qui te eduxere de terra Ægypti; & Iudæos ferreos, & duros, & adamantinos appellat, qui non flecterentur.* Addit aliquantulum post Leo Castro ex Vatablo: *Iudæi aut faciunt ad nihilum recidere prophetias, aut vanos se fuis, & fatuos erunnt ex litteris sacris.* Prophetæ clarissimè veritatem testantur; verùm Iudæi sic mente ferrea, iudicióque persistunt lapideo, vt suam nolint demutare sententiam, cum prudentiæ fuerit sequi tot doctos, tot sapientes, tot Numine afflatos, & fide dignos. Profectò aliquos vidi Angelorum referentes peruersè ingenium: diuelli in contrariam nullis rationibus patiuntur, nullis auctoritatibus inclinantur, si huic, aut illi parti adhæserunt: quasi illorum nequeat falli, & eludi sensum, nec possit imprudentiæ nebula vnquam obscurare discursum.

218. Sponsus sponsæ collum lepidè comparauit monilibus: *Collum tuum sicut monilia.* Et quidem monilia auro constant, quod facilè deduci patitur, quod flecti sustinet, etsi rumpi nesciat: & cur non comparauerit ferro, cur non æri? ista namque referunt inuictam constantiam, & aduersus omnes fortunæ vultus duritiam. Verum equidem; sed æs & ferrum difficilè cedunt arduè tractari patiuntur. Omnia ista difficilè cedunt, inquit Gillibertus loco citato: referunt quidem constantiam; sed duram; aurum verò constanti flexibilitate, & flexibili constantia ornatur. *Noli*, inquit Gillibertus, *in hoc collo inflexibilitatem & duritiem accipere: hæc enim non possunt ad laudem reflecti; sed ad maledictionis sententiam prouocant: maledictus, inquit, furor eorum, quia pertinax, & obstinatio; quia dura.* Caput, quod flecti non nouit, non est corporis ornamentum; sed pondus intolerabile. Ob id fortassis, quàuis alia membra variis Nabuchod. viderit conflata metallis, caput vidit aureum: esset enim membris reliquis & grauissimum, & infaustum, si flecti nescium, si ferrea obstinatione munitum. Sponsæ collum, capútque flexibile, vt in aliorum, si expediat, possit venire sententiam, nec suam velit vanissimè conseruare duritiam. Nunquam flecti, nunquam semel conceptum mutare, non est prudentis; sed peruicacis: si in contrarium probabilior elucet ratio, si docti homines aliter sentiunt, prudentis est cedere, & in contrarium transire. Vel Sol ad Ezechiæ votum solitum retractauit tenorem, & profuit subditi sanitati. Cessit Moyses, & conceptam semel sententiam mutauit: quia contrarium plures sentire vidit. O docile superioris ingenium! O dignam homine magno prudentiam, non insistere præiudicatis; sed alienis flecti decenter iudiciis.

Concepit semel Pharao populum vacare otio, 219.
ideóque promissæ telluris adurgeri desiderio: *Vacant, & idcircò vociferantur dicentes: Eamus & sacrificemus Deo nostro.* Moyses & Aaron non de otio voces ostendunt nasci; sed de præcepto: obsurdescit Pharao: Hebræorum proceres populi nomine iniquè contra se agi contestantur vnanimes, & flagellorum vtuntur infelicissimis testimoniis: *En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum.* Quid tunc Pharao? *Vacatis otio: & idcirco dicitis: Eamus, & sacrificemus Domino.* Conceptam semel tuetur sententiam, & contrariam experientiæ, rationi, doctissimis Moysi & Aaroni, Hebræorúmque sapientibus prosequitur peruicaciam. O quàm Pharao agnoscebatur non dominus; sed tyrannus: imò non tyrannus; sed fera bellua, cùm tantorum non est reduci passus sententia; sed perstitit semel decreta malitiâ. Audi Lippoman. *Indignantis itaque, & crudelissimi tyranni sententia exprimitur.* Annuit etiam Caietanus: *Proponunt* (scilicet præpositi filiorum Israel) *pœnam illatam, proponunt & culpam nullam, eo quod impossibile exigatur, vt hinc iniustitia manifesta appareat.* Apparet execranda de otio sententia: viri iustissimi, doctissimíque Pharaonis iudicio refragantur, Hebræorum proceres iniquissimum decretum improbant; & tamen persistit Pharao proposito, & lapidescit semel præiudicato. Non potuit de sententia cadere, nec doctis reclamantibus, nec iustis in contrarium euntibus, nec pluribus sententiam oppositam amplectentibus: *Vacatis otio*, inquit. Quid plures

Marginalia: Abulens. — Cant.4.v.4. — Gillibert. — Isai.48.v.4. — Exod.30.v.4. — Leo Castr. — Cant.1.v.10. — Gillibert. — Exod.5.v.8 — Lippom. — Caiet.

res præpositi? *Iniustè agitur contra populũ tuum.* Quid Moyses & Aaron? *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem.* Plures refragantur, persistit tamen tyrannica impudentia, & sæuissima peruicacia.

Exod. 5. v. 3.

110. Lucifer ille nunquam induxit animum, vt Verbum vestitum carne veneraretur: sic natiuis intumuit splendoribus, sic sua plenitudine obcæcatus desipuit, vt se supra humanatum Verbum tumidissimè efferret: & quidem hoc Luciferi fuisse delictum, constans Theologorum sententia est, quam vt exprimeret Ioannes Euangelista pugnam, dæmonem sub draconis habitu Apocalypsis 12. depinxit: *Michaël*, inquit, *& Angeli eius præliabantur cum dracone.* Pugnam fuisse mentalem nullus dubitat: ibi ratio pro armis, mentium, nostro modo loquimur, pro spiculis erant discursus; verùm si Michaël nulla assumpta specie pugnat, cur Lucifer draconis, brutique desumpta specie decertat? Profectò si iam aduersa fortuna detrusus, non mirarer obscuro nomine exprimi, & indigna serpentis forma adumbrari; ast dum prælium integrum, dum anceps victoria, dum incerta pugna cur ignobili dedecoretur symbolo, serpentisque dehonestetur vocabulo? O sapientiam immortalem! serpens ad speciem prudens, re tamen brutum: ergo vt noueris Luciferum vmbratili tantum fulgurasse sapientia; vera tamen hic obbrutescere ignorantia; appellauit draconem, tacuit Luciferum. Lucifer censebat tumiditate obcæcatus incarnato Verbo obsequia nullatenus exhibenda: Michaël copiosúsque Angelorum numerus testabantur deberi; nihilominus suam sententiam tutatus est: ideò ergo obbrutescit: nam insistere propriæ sententiæ, dum tot sapientes, tot iustos contrarium amplecti vidit, non erat prudentia, sed pertinacia. Ad speciem vocari poterit sapiens Lucifer, dum ostentat ingenium: reuera à tot Angelis dissidens se prodidit brutum; solùm namque insipiens nimium suo iudicio fidit, quantumuis probatorum acies resistat, & oppositum teneat: *Quomodo prælium hoc gestum est, aut geritur?* rogat Rupert. ad hunc locum, *quibus, vel qualibus armis acies illæ vtuntur? Et quidem in illa visione Ioannis huius armorum materialium quasdam similitudines videri potuisse non dubitamus; sed Angeli siue boni, siue mali cum sint spiritus, corporali, siue materiali armaturâ non induuntur.* Rationibus belligerant, iudicij contorquent spicula: Lucifer adeò fixè suæ sententiæ inhæsit, vt tot contrariam amplectentibus nullatenus assentiri maluerit: draconis ergo rationabiliter specie describitur, vt denotetur & vmbratili delusum sapientia, & brutalissima obscuratum pertinacia: est namque à rationis degenerare nobilitate, & in brutorum transire naturam fixè adeò semel decretis insistere, vt quantumuis alij aliter sentiant, nolit vanissimus iudicium suum retractare.

Apoc. 12. v. 7

Rupert.

§. XLVIII.

Ingenui, vereq́; nobilis viri genus censendum non tam de nascendi prærogatiua, quàm de morum elegantia.

111. NOn est cur te pusillum facias, & queraris infelicem, quantumuis tecum peruersè natura egerit, aut fortuna: potes; si masculus tibi animus, tibi producere genus vulgo quidem exemptum, & vera inuidentibus felicissimum. Omnes, si ad primam originem reuocentur, à Deo sunt, eques Romanus, & abiectissimus seruus. Non facit verè nobilem atrium fumosis maiorum imaginibus plenum; qui in nostram gloriam vixerunt, nostras dissimiles actiones damnarunt: ille nobilior, qui maiorum non stimulatus exemplis imitanda, vel heroibus ad posteros misit; qui verò generis solùm nobilitatem accepit, vt attaminaret sceleribus, & an ab ingenuis stemmatibus natus, factis in quæstionem, dubiúmque verteret, in probrum suum originis vertit claritatem, ac de luce elaborat sibi tenebras, vt alter de tenebris sibi lucem. *Animus*, scribit Seneca epist. 44. *facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere: puta itaque te non esse equitem Romanum, sed libertinum: potes hoc consequi, vt solus sis liber inter ingenuos. Quomodo? inquis: Si mala bonáque non populo auctore distinxeris.* Errant sæpè homines, dum nobilitatem censent de ortu, censendam quidem de actu, multi sunt, qui nobilitatem iactant, verùm instrumenta eius pro ipsa habent, & illam, dum se habere cogitant, confidentia turpissimâ amittunt. *Nobilitas*, scribit Plutarchus de instituend. liber. *res est honesta quidem, ac maiorum bonum.* Profectò non semel ditissimus parens filium gignit, qui in summa egestate erit: parum iuuat ad leuandam inopiam parentes habuisse fortunatissimos, imò de proauorum fortuna accrescit, & incrementatur sæpiùs ad dolorem miseria. *Cur in calceamentis lunulas, qui splendidis natalibus fulgent, ferunt?* rogat Plutarchus in quæst. Centur. Roman. respondétque: *Vtrùm, vt auctor est Castor, nota id est habitationis, quæ esse in Luna narratur, & quòd ab excessu rursus animi Lunam penitus habebunt subiectam?* Nobilis ille, qui casibus exemptus, qui Lunæ menstruas non sustinet variationes, qui lucis incrementum, decrementúmque non alternat; sed virtutis constantia serenitatis tenet fastigia. Benè Philo lib. de nobilitate: *Qui laudibus extollunt nobilitatem, vt bonum maximum, & causam magnorum bonorum ipsi reprehendendi sunt: vel ob hoc quod nobiles censent natos è familijs iam dudum claris, & diuitibus, cùm ne maiores quidem illi, quos iactant, propter opulentiam felices fuerint, quandoquidem verum bonum in nulla externa re, nec in corpore, imò nec in quauis parte animæ; sed in principali tantùm situm esse natura voluit.* Vera nobilitas, magnique æstimanda, non ab aureis incunabulis; sed à probis moribus dimetienda. Moyses cùm terram diuideret, inter alias dimidiæ Tribui Manasse adscripsit cuncta regna Og regis Basan, omnésque vicos Iair: *A Manaim*, inquit text. *vniuersam Basan, & cuncta regna Og regis Basan, omnésque vicos Iair, qui sunt in Basan, sexaginta oppida, &c.* Masius mirabile censet, quòd Iair sexaginta vrbes fuerit in Manassensium sortitione adeptus, cùm constet non Manassensem; sed Iudæum fuisse. *Admirabile profectò est*, scribit, *quod Iair totus sexaginta vrbes fuerit in Manassensium sortitione adeptus, quem certum est Iudæum, non Manassensem fuisse: erat enim Segubi filius, Esronisque nepos; sed respondere posse puto Iairum virum fortissimum Manassenses secutum esse.* In eam se familiam factis inseruit, quam secutus

Seneca.

Plutarch. *Nobilitas res honesta, sed aliorum bonum.*

Philo.

Vera nobilitas in animo collocanda.

Masius.

Nanara in Iosue Tom. 2.

secutus est opere, non natura: si Iair originem attendas, nullatenus illi hæreditas apud Manassenses tribuenda; verùm quia non tam origo, quàm virtus attendebatur, amplissimis hæreditatibus donatus est: obtinuit namque fortitudinis excellentia, quod apud Manassenses illi denegabat natura: vt noueris genus non per purpureas fascias; sed per virtutes egregias censendum.

222. Cùm Iacob apud socerum degeret, nec solùm erga matrimonium fraudem; sed etiam circa gregum mercedem passus esset violentiam, honestam in acquirendis sibi pecoribus excogitauit
Genes. 30. v. 37. industriam: *Tollens Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanu ex parte decorticauit eas.* Hac sibi restituit solertia, quæ indigna soceri rapuerat astutia. Vides hic referri virgarum stirpes: transi mihi modò cogitatione ad illam Moysis virgam, cuius non sine mysterio
Exod. 4. v. 20. tacetur origo: *Reuersúsque est in Ægyptum portans virgam Dei in manu sua.* Et cur non virga populea, aut cedrina; sed virga Dei? Quia apud Deum de gestis censetur, non de originibus æstimatur. In Labani regione, in sæculi prouincia refertur virgarum origo, vt nobiles, aut ignobiles reputentur; apud Deum verò gesta pro origine sunt. Moyses virga elementis imperat, dracones deuorat, mare sistit, miserísque viam, qua iugum excutiant, aperit. Dei ergo dicitur virga non de generosa radice; sed de nobilissi-
Abul. ma actione. *Vocatur virga Dei*, scribit Abulens. quæst. 10. *quia Deus in illa miracula facturus erat, scilicet conuertendo illam in colubrum coram Hebrais, & coram Pharaone, & postea vertendo fluuium in sanguinem ad tactum eius, & aperiendo mare rubrum percutiente ipsa.* Hæc virga ele-
Basil. Seleuc. mentorum erat imperatrix teste Basilio Seleuciensi orat. 26. *Comprehensa virga*, inquit, *elementis imperabat.* Et quidem eius magnitudo de propria actione, non de originaria manauit stirpe. Hæc ipsa virga, vt placet plurimis, florida refertur in tabernaculum; non tamen ob natiuos originis fructus; sed ob cælestes virtutum partus: nam cùm iurgium ambitio circa excitasset, de mandato Domini Moyses virgas tributim accepit, hæc ab stirpe sane præcisa, & ab origine separata gratissimis floruit viroribus
Num. 17. v. 20. redimita: *Inuenit*, inquit, *germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Moyses omnes virgas protulit; hanc verò tabernaculo postea restituit: *Refer virgam Aaron*, iubet Deus, *in tabernaculum testimonij*; hæc coram Domino lucet, gratum semper odorem exhalans aliis omnibus repudiatis: nec electa est ob flores ab stirpe pullulantes; sed ob flores, fructúsque virtutum irrigationibus prodeuntes. Fors aliæ virgæ truncis nobilioribus natæ; verùm dum propriis nudantur frondibus, notam ingerunt originibus; hæc verò, quantumuis stirps silentio tegatur, quantumuis olim agolum pastoritium, de propriis floribus redimitur. Domini præsentiam non merentur virgæ viridariis celeberrimis natæ; sed propria virtute floridæ. Apud Deum magni habetur, qui nobilioribus gestis illustior, non qui eximiis natalium ornamentis celebrior. Adde quòd quantumuis originis gloria nobilissimum, ingenuúmque protulerit, ni honestis factis, dignísque gestis nobilitatem conseruaret antiquam, ipsa equidem exauguratur, ignominioséque excluditur: qui auos, proauósque dignis non refert operibus, auitis se excluserit stemmatibus.

Pater familias vineam industrio labore plan- 223.
tauit, & quò rapinæ audaciam arceret, sæpè circumdedit: *Plantauit vineam, & sepem circum-* Matth. 21. v. 33 & 39.
dedit ei. Sanctus Hilarius can. 21. in Matth. se- Hilarius.
pem maiorum interpretatur nobilitatem: *Nobilitate*, inquit, *Abraha, Isaac, & Iacob intra fines suos tanquam septo aliquo custodia peculiaris incluserit.* Ecce agricolæ intra vineæ septa nobilitate resplendent; verùm cùm familiæ pater, qui fructus acciperent, seruos delegasset, ingratissimi coloni plagis semel & iterum ceciderunt: tandem cum aduentasset hæres, *Apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Ecce vt hæredem extra vineam eiiciant, sepem transibunt, tantúmque ab antiquorum nobilitate distant, quantum flagitiosissimis sceleribus se maculare non renuunt: hæredem eiiciunt; sed vt eiiciant, & ipsi sepem transiliunt: se patria nobilitate exuunt, dum patriam nobilitatem indignis actionum nebulis fuscant: dum intra vineæ septa vagantur, nobilitate fruuntur; at dum scelestissimæ neci incúbunt, sepem transgressi auorum stemmatibus excluduntur: à sepe distant, dum sceleri ingratissimi incumbunt: nec enim originis illustrare poterat claritas, quos actionum denigrabat peruersitas: nobilitatis gloriam disruperunt, dum innoxio se indigne fuso sanguine defœdarunt. *Auferetur*, inquit, *à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Gens fructus faciens, quantumuis obscura, venaque ignobili nata, sepe nobilitatis stemmate & cingitur, & ornatur; scelesti verò rapinis incumbentes, actionibúsque se maculosis dedecorantes, è vinea eiecti, & sepe nobilitatis priuati: *Si inueterata, & per genus ducta diuitia nobiles faciunt*, Cassiodor. 8. var. 19.
multo magis præstantior est, cuius origo thesauris Cassiodor. Pruden. viri nobilis.
prudentia locuples inuenitur. Prudentia excudit nobilem, virtus elaborat ingenuum; vitium è nobili reddidit libertinum.

Altercabantur matris vtero Esau & Iacob, 224.
Esau fruitus est nascendi prærogatiua, Iacob morum excultus est elegantia: iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius
reperti sunt: *Qui prior egressus est, rufus erat, &* Genes. 25. v. 24.
totus in morem pellis hispidus: vocatúmque est nomen eius Esau. Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob. Ortus Esau extulit ad apicem dignitatis, depressit Iacob ad obsequia seruitutis; verùm cùm alij essent fratrum mores, Deo satagente & minoris iugum transiit ad fratris ceruicem, & maioris sceptrum manum seruientis ornauit.
Esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur Genes. 27. v. 29.
ante te filij matris tua, inquit Isaac Iacobo benedictionem impertiens; verùm si Iacob coronâ donandus, Esauque seruitutis iugo premendus, cur non ab ipso natiuitatis exordio, & Iacob induit purpuram, & Esau fratri vti domino cessit palmam? Profectò mitiùs cum Esau egisset fortuna, si à principio laboribus dedicasset, nec dignitatibus extulisset. Oriatur ergo Iacob primus, & sit Esau natu secundus, vt eius tantisper leuigetur calamitas, dum fortunatioris, nobiliorísque ortus nunquam allexit sublimitas. O vtilē nobis doctrinā! Benedictio illa de Numinis beneplacito descendebat, vtque mortales didicerint

cerint apud Deum nobilitatem, maioritatémque de morum censeri habitu, non de natiuitatis ortu; & qui seruus dominus; & qui dominus anteà, iam seruus. Ad rem Philo lib. de nobilitate. *Minor vtriusque parentis beneuolentiam demerebat obsequijs, laudatus ob id Dei testimonio; maior verò ventri, libidiniqué addictior, quam parentibus, minori cessit ius primogeniti.* Cessit ius primogeniti, qui patriam nobilitatem actionibus confundebat, vt frater dignis actionibus illustraret. Addit Philo: *Sibi posterisque lucratus est magnam ignominiam, vt vita eius nulli optanda litterarum monumentis sit prodita, quo magis liqueret nobilitatem nihil prodesse indignis hac prærogatiua generis: quia mali è bonis pregnati nihil adiuti sunt paternis virtutibus, quòd ipsorum anima sit multimodis oblæsa vitijs.* Vitiosus, quantumuis antiquis Imperatoribus natus, nunquam ingenuus, vt è contra bonis moribus præditus veræ nobilitatis resplendet stemmatibus clarus, quantumuis venâ originis sit obscurus. — Philo.

225. Abrahamus postquam iusta coniugi demortuæ fecerat, filios Heth ius sepulchri sibi concedi rogat: illi hominis nobilitatem suspicientes optionem tribuunt liberalissimè: *Princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum.* Et quomodò Abrahamus nobilitatis potuit irradiare fulgoribus, cùm patre Chaldeo genitus, & auis vulgaribus natus? Si iam longa tempora originis detriuissent memoriam, nil mirum princeps haberetur ditissimus: nescio namque (ita corrupti sunt mores) an prima nobilitas ab auro, an ab ortu; at cùm notissimum esset Abrahami genus, audax adulatio videri potuit, appellitare Principem, & deprædicare nobilem: *Princeps Dei es apud nos.* Profectò sic Abrahamus genus moribus refutauit, sic nobilitati se ingessit, vt refragantibus etiam laribus, & Princeps debuerit suspici, & nobilissimus prædicari. Redeat Philo, citato loco: *E diuerso possum quosdam memorare viros melioris ordinis, qui orti ex illaudatis maioribus vitam vixerunt laudatissimam, adeò vt probitatis exemplar de se prabuerint posteris. Primus parens Iudæorum Chaldeus erat natione.* En Abrahamus ex illaudatis parentibus ortum; ob morum tamen concinnitatem nobilissimum: stemmata dereliquit posteris, qui nullatenus potuit accipere à præcedentibus Abrahamum non inseruit nobilitati ortus natiuitas, fecit tamen illustrem honestarum actionum comitas. — Genes. 23. v. 6. — Philo.

226. Finem imponant thesi duo illi fratres Zara, & Phares: ille manum protulit, in qua obstetrix ligauit coccinum victoriam quodammodò inclamans, & regiæ dignitatis insigni adornans: Manum coccino splendentem retraxit, & fratri cessit: *Illo verò retrahente manum egressus est alter.* En Zara purpuratus oritur, Phares sine purpura nascitur; iste tamen maceriæ diuisor electus est, cultior ille repudiatus. Et cur Deus non eligat purpura regia vestitum, & augustæ adeò insigni nobilitatis ornatum? cur euehat his ornatibus nudum? Retulit sanè textus, cùm dixit Zaram retraxisse manum: nil profuit, vt magnatum insereretur catalogo, ornari purpurâ, quia denigrabatur ignauiâ: nec Phares obfuit nasci splendenti nudum nigredine, quia se nobilem prodit actione. Phares maceriam diuisit, & manum Zara retraxit: ergo à magnorum serie expungitur, quem vestis ornabat regia; inseritúrque, qui morum irradiauerat elegantiâ. Opportunè Diodorus apud Lippoman. *Animaduertendum est quòd natura quidem primogenitus erat Zara, qui prior manum protulerat; at verò Deus ipsi Phares tribuit Principatum, ex quo genus regium profectum est.* Consonat Lippoman. *Frustra coccinum tenebat ad manum, qui primogenituræ notam portendebat, sed non gloriam.* Ignauus gloriam primogenituræ deperdit; Phares sine purpura ortus purpuræ honorem sibi acquisiuit. Vt noueris veram nobilitatem apud Deum æstimari de moribus, non de auorum imaginibus. — Genes. 38. v. 29. — Diodor. Lipponam.

§. XLIX.

Qui strictiùs iunguntur Deo, carent laborum expensis, fructuum aluntur medullis.

227. Omnibus sanè fortunatiorem vitam ducendi votum; non tamen ad callendum, in quo vita beatior consistat, ingenium: caligant plures passionum nebulis obscurati, & fallaciarum tenebris impediti: nonnullis via lapsus est; quia in contrarium ducit, & quò velociùs carpunt, longiùs ipsa velocitate discedunt. Alius diuitias aggerat, quasi beatitudinis sint materia: alius magistratibus inhiat: alius altè incedentibus importuniùs accedit: nulla res maioribus nos malis implicat, quàm quòd ad rumorem componimur, optima rati, quæ pluribus plausibilia: non viuimus ad rationem; sed ad similitudinem tantùm: ideò ipsæ nostræ cupiditates aduersantur sibi inimicæ, & digladiantur aduersæ: malam, noxiámque seruitutem seruiet, qui voluptatibus famulatur: sola virtus est, cuius non premit; sed subleuat iugum. Quàm bene Seneca lib. de vita beata cap. 3. *Licet itáque definire, vt beatum dicamus hominem illum, cui nullum bonum, malúmque sit, nisi bonus, malúsque animus: honesti cultor virtute contentus, quem non extollunt fortuita nec frangunt, qui nullum maius bonum eo, quod sibiipsi dare potest, nouerit: cui vera voluptas erit voluptatum contemptio.* Virtus animum continet, nec vagari permittit: qui virtuti non accedit, fors aliquando vmbratilem, fugacémque possidebit fortunam; verùm ægri laboris censu acquisitam, & doloribus semper vectigalem: virtus animum firmat, & contra dolores armat: virtute præditus extra metum, & cupiditatem positus requiescit; non caret honoris, diuitiarum, & quidquid oblectat, commodis; sed periculis: non potest non virtus potiri honoribus: nam honor, vt vmbra corpus, sequitur semper virtutem. Audi Christianum Politicum lib. 2. cap. 21. *Quisquis honores amas, virtutem amplectere: nemo vmbram sine corpore consecutus est: & non honor vmbra virtutis est? etiam inuitos, & refugos comitatur.* Qui ambitionis æstro caret, doloribus magnis se exemit. Itáque, & ambitionis fruitur modestus lucro, & ambitionis caret laborioso dispendio: placiditate gaudet virtutis seruus; voluitur cupiditatum rota, quisquis vitiosus Ixion. *Peccatum ex genere est læsionum,* inquit Plutarch. de Stoicorum — Senec. *Vera voluptas voluptatum contemptio.* — Christian. Polit. *Honor vmbra virtutis.* — Plutarch.

Naxera in Iosue Tom. 1.

Quisquis peccat, in se ipsum peccat. Plato. pugnis, *& quisquis peccat, in se ipsum peccat.* Qui à Deo recedit, circumactus vitiis exagitatur, & variis desideriorum æstibus raptus eliditur. Benè Plato vbi Plutarchus: *Cùm iniustitia,* inquit, *labes animi, & tempestas sit, ne in illis quidem, qui ea sunt suffusi, hanc abijcere vim suam; verùm ipsum secum committere, exagitare, & infestare peruersum.* Vides felicitatem à vitiorum regione extorrem, virtutis incolam: vide modò non solùm animũ communire, & oblectamentis immortalibus cumulare; sed & corporales noxas, & labores auertere: quò magis quis Deo proximat, à luctus, & miseriæ prouincia exulat, fruitúrque deliciarum medullis, caret ærumnarum, & molestiarum aristis. Diuina prouidentia opiparam iustis mensam apponit, & laboris censu excusato fruitur ferculo saporatissimo. Moyses, cùm terram ante Iordanem diuideret, Ruben, Gad, & semis Manasse tribui tractus longissimos designauit; Leuitis verò nullas possessiones sorte rationabili adscripsit: *Tribui Leui non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio eius.* Huius Dominicæ possessionis census suprà iam clariùs expresserat: *Sacrificia,* inquit, *& victima Domini Dei Israel ipsa est eius hæreditas.* Leuitæ Deo accedebant proximiùs templo inseruientes, & diuina tractantes: his populus decimas fructuum soluebat, in illorúmque partem victimæ, & sacrificia numerabantur. Compone modò, si placet, cùm tribubus aliis Leuitas, & videbis caruisse labore, non fructu. Tribus aliæ, vt de terra fructus perciperent, insudabant: terram aratro vertere opus, ligone colere, & duris laboribus semper insistere; at Leuitæ & huius anxietatis expertes, & fructuum semper participes; imò, si cum cæteris sortirētur hæreditatem, minimè tanta fructuum exundarent copiā, aut fruerentur abundantiā; nunc verò sacro otio fruentes nec carent diuitiarum copiis, nec commodorum deliciis. Audi

Abul. Abulensem quæst. 12. *Non fuit data terra, in qua agros colerent, aut vineas plantarent; sed solum haberent pascua pro pecoribus suis: & huius causa erat, quia Leuitæ recipiebant decimas Israelitarum.* Alij laborabant, & Leuitæ in illorum labores introibant: non incumbebant aratro, & cumulabantur aratri lucro: vt noueris Deo intimiùs approximantem laborum molestias excusare; vtilitates verò alieno labore metere.

218. Prodigus ille in se aliquando reuersus digniora sapuit, ad patrémque redire proposuit: Surgam, inquit, & ibo ad patrem meum, & dicam

Luc. 15. v. 18. ei: *Pater peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut vnum de mercenarijs tuis:* nec mora, iter arripuit ad patrem, cúmque inter dulcissimos eius amplexus quiesceret, solum se meminit filium, & oblitus est mercenarium: *Pater peccaui in cælum, & coram te.* Et cur meditatus est non dicenda, aut cur non prodidit cogitata? Certè humilior pœnitentiæ foret confessio, si se mercenariorum addiceret numero, nec filij adornaretur vocabulo. Cur ergo seruitutis officium tacet, & filij titulum solùm profert? Vtrumque sanè deseruiebat mysterio: desiderabat solari famem, & cùm remotior, labore acquirendum nouit; ideò subire labores mercenarij decreuit: *Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis;* posteà verò vitia excutiens, quia nouit Deo proximiores carere sudore rustico, fruíque pane siligineo, inter brachia charitatis oblitus est seruitutis: & quidem prudentiam comprobauit effectus: statim namque domum ingressus paternam, & chorum aures suauissimo accentu demulcentem audiuit, & differtam dapibus mensam famelici palato delicias præbentem inuenit. Aptè Augustinus in

catena: *Non addit, quod in illa meditatione dixerat: Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis: cùm enim panem non haberet, vel mercenarius esse cupiebat, quod post patris osculum generosissimè iam dedignabatur.* Mercenarium esse dedignabatur: quia nouerat post osculum, post amplexum panem tot laboribus non constare; sed sacris otiis fruenti superesse. Mercenarius erat remotior, pane fruitur sine labore proximior. Verte oculos ad illustrissimos religiosorum cœtus, vidébisque diuino seruitio prorsus mancipatos, strictissimè Deo coniunctos, quibus diuina prouidentia Eliæ ad instar alimentum ministrat, nullis anxietatibus acquisitum, nullis sudoribus comparatum: sine rustico, corporalique labore croceis nutriuntur, nec agriculturæ stercoribus maculantur. August.

Ruth Moabitis illa decantatissima post metentium terga remanentes colligebat spicas: *Colligebat spicas post terga metentium.* Anxio labore, ardenti æstu spicas pauculas collegit, domumque adduxit: *Collegit ergo in agro vsque ad vesperam; & quæ collegerat, virgā cædens & excutiens inuenit hordei quasi ephi mensuram, id est, tres modios.* Socrus puellam monet, vt pudicè ad Booz accedat: *Venies, & discooperies pallium, quo operitur, à parte pedum, & proycies te, & ibi iacebis: ipse autem dicet tibi, quid agere debeas.* Iussis obtemperat, & Booz, ne vacua reuerteretur ad socrum, sex modios liberaliter est largitus: *Expende,* inquit, *pallium tuum, quo operiris, & tene vtraque manu: qua extendente & tenente mensus est sex modios hordei:* & cur quo operitur, pallio agri diuitias reportet? Vt pudoris velamen, decoris integumentum diuitiarum sit receptaculum: vt nouerint adolescentulæ pudicæ velatas plus acquirere, & libera oculorum procacitate deperdere. Ni haberet, quo tegeretur, pallium, non reciperet hordeum. Verùm expendamus harum actionum differentiam: messores secuta post tot labores, post tot corporis inclinationes, post tot Solis æstus tres tantùm lucrata est modios; hîc verò ad Booz pedes placido somno quiescens duplicauit annonam, & incrementauit mensuram. Quæ ergo huius causa? Booz sanè accessisse: nam dum pudicè adhæret strictiùs, plus meretur: plus lucrata est Domino approximans, & minùs seruos messores sequens. Ad rem Interlinearis: *Ingressa est ciuitatem, ditata scilicet Christi donationibus, & virtutum ornata fructibus:* fructibus sine labore exornatur amplissimis, quæ multis afflictata laboribus, diuitiis fruebatur angustis: plus potita est ad pedes Domini quiescendo, quàm spicis colligendis sudando: caruit laborum molestiis, & fructuum est potita medullis. 229. Ruth 2. v. 3. Ruth 3. v. 4. Interlin.

Christum Dominum turbæ sunt per desertorum inuia secutæ: sic ab eius ore suspensæ, vt alimentis prorsus carerent oblitæ; verùm pius Dominus se sequentibus extemporaneam mensam explicuit: & impleti sunt Christum sequentes, qui famescerent mundum secuti: *Accepit ergo Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus, similiter & ex piscibus, quantum volebant.* 230. Ioan. 6. v. 11.

volebant. Basilius Seleuciensis ingeniosus arcanorũ indagator expendit quàm celeriter, quámque abundanter Christum secuti panum exundauerint copia, cùm opus sit alias agrorum premi cultura. O quam multa humanum pastum antecedunt! terra aratro proscinditur, semine proscissa ditatur, pluuiis madet, ventis alibilibus eget, tempestatum expectat vicissitudines, Lunæ desiderat varietates, & sexcenta alia, quæ vel relata fatigant: hîc sine retium iactatione, sine vndarum periculis, sine aratri sudoribus panes abundant, & pisces; cùm tamen à Christo semoti non modicis compararint cibos angustiis. Audi Basilium orat. 33. *Panes pariebant panes, & mensæ alimento extemporario differta erant: panes absque rusticano sudore parti non de spicis erumpebant; sed de Domini manu efflorescebant.* Labores excusant, dum panem accipiunt à Christo: sudassent egregiè, si recepissent à solo. *Quàm multa*, addit Basilius, *humanum pastum anteeunt, velut aratio soli, aratorum satio, aeris in nubes conuersio, &c.* Agrorum cultores fauente forte spicas meterent, quas aristis excussis, & mala granis depressis in panes conformarent; modò verò Domini manu omnia absoluta sunt, vt nouerint Christo approximantes non carere commodis; sed angustiis. *Basil. Seleuc.*

231. Imponat thesi finem Hebræus Philo. Fluuios aliquos celeberrimos prodit historia, Ægypti Nilum, qui in hoc ipso capite turbidus nuncupatur: *A fluuio turbido*: & illos paradiso prodeuntes, & emanantes: *Phison ipse est, qui circuit omnem terram Heuilath: ibi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est: ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus.* (Gen. 2. v. 11.) Quantas paucis verbis comprehendit diuitias! fluuius Paradisi auro ditescit; Nilus, etsi abundat fructuum copiis, alluuionum obscuratur, & maculis: *à fluuio turbido*: sine nota possedit Phison, plusquam Nilus turbidi acquisiuit infamia. *Per hos*, inquit Philo lib. allegor. (Philo.) *vult particulares virtutes designare: hæ sunt numero quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo iustitia.* Ecce virtus non caret auro; sed caret probro. *Phison hic nominatur*, addit, *id est, quod parcat animæ seruans eam à peccatis; circuit autem choreæ modo terram Heuilath, id est, placidam, mitem, propitiámque constitutionem conseruat. Sicut autem metallorum optimum, probatissimúmque est aurum; ita inter animæ virtutes prudentia habetur probatissima.* Prudentiæ ænigma est Phison, & Phison ditescit auro, vt noueris paradisæis fluminibus non deesse Nili pretiosa, nec inesse fluctuum turbidorum dedecora: dum fluuius proximior est paradiso, & nitescit ditior, & ditatur purior; at Ægyptius Nilus deturpatur maculis, nec tot exundat diuitiis.

§. L.

Cui vacare munus est litteris, à temporalium vacauerit curis.

232. Litteræ clariora humani generis ornamenta mores componunt, vitia purgant, modestiam instruunt, & hominem innoxium sceleribus reddunt. Audi Cassiodorum 3. variar. 33. (Cassiodor.) *Gloriosa est scientia litterarum: quia quod primum est in homine, mores purgat; quod secundum, verborum gratiam subministrat: ita vtróque beneficio mirabilis ornat, & tacitos, & loquentes.* Scientia, & diuinorum ministra, & humanorum schola, hæc futuris occurrit cauta, hæc præteritorum custodia, hæc præsentibus semper proficua; verùm vt fruges aliquæ feliciùs hac, quàm illa regione veniunt; ita litteræ otio, & solitudine vberiùs proficiunt. Litteras de trans mare allatas docet Plutarchus in lib. de aquæ, & ignis comparatione. (Plutarch. *Littera de trans mare allata.*) *Nunc verò hoc*; scilicet mare, *ab Indis vitem Græcis, ex Græcia fructuum commoditatem transmarinis nationibus per æquor tribuit, ex Phœnicia obliuionis monumenta litteras.* Profectò litteræ spatia longè dissita, ab oculísque inhabitauere remota: vt noueris, qui se scientiæ consecrauerit, ab omnibus, quæ perstrepunt, quæque sensus occupant, abstrahendum. Animus pusillis occupatus, & variis curis diuisus fors scientiam delibabit; sed ad sacratiora, abstrusioráque non perueniet: petunt otium musæ; & quidem nemora incolunt, & montana. Ad rem Seneca epist. 88. (Senec.) *Magna, & spatiosa res est sapientia, vacuo illi loco opus est... Quamcùmque partem rerum humanarum, diuinarumque comprehenderis, ingenti copia quærendorum, ac discendorum fatigaberis: hæc tam multa, tam magna, vt habere possint liberum hospitium, superuacua ex animo tollenda sunt: non dabit se in has angustias virtus; laxum spatium res magna desiderat: expellantur omnia, totum pectus illi vacet.* Ab omni curarum molestia, & negotiorum solicitudine abducendus est animus, vt dulcissimum litterarum percipiat fructum: vt enim stagnans aqua figuras reddit; si tamen vel salienti lapillo percussa, interturbatur, nec imagines ad liquidum; sed confusè repræsentat: ita si aliqua solicitudine interpelletur studium, solet non esse adeò crystallinum veritatis speculum: Hinc Deus Leuitas, quos sacris ritibus, & sapientiæ dicauit, rerum temporalium solicitudinibus interdixit: *Tribui Leui non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio eius, vt locutus est illi.* Audi Glossam: (Glossa.) *Hi sunt fortè, qui in populo saluandorum sapientiæ, & scientiæ operam tribuunt, & mentem suam puram custodiunt, & omnibus præclaris virtutibus excolunt, & simpliciores docent, quomodo veniant ad salutem.* Humana tractent, diuitiarúmque inuoluantur curis, ac commerciorum insudent emolumentis, qui operam scientiæ, & sapientiæ nullatenus nouant; ast doctrinæ alumni omni se occupationi negarint, & otio vtilissimo addixerint. Si Leuitæ curandis gregibus, excolendis aruis, colligendísque fructibus studuerint, minimè scientiarum limina tererent: amant enim scientiæ animum planè vacuum, & ab omni prorsus solicitudine liberum.

Sponsus mysticas sponsæ partes dignis extulisse elogiis contendens flauos capillos caprarum gregibus exæquauit: 233. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* (Cant. 4. v. 1.) Ambrosius hîc legit: (Ambros.) *Capillamentum tuum, vt grex caprarum, quæ reuelata sunt à monte Galaad:* Hoc capillamentum Ecclesiæ Doctores, & Sapientiæ deditos adumbrare attestatur. *Ideò capillamentum, quia virtus omnium sensuum in capite est. Profunda igitur Doctorum prudentia, quæ potest ea, quæ obscura sunt, reuelare, & alta ape-*

rire ſenſuum. Capillamentum verbi eſt altitudo. Benè: ſed cur Doctores capris, non ouibus comparentur? Ouis manſuetudinis emblema, & ſapientia manſuetudinis eſt magiſtra: ergo aptius ouis ſapientis ænigma. Profectò Spiritus ſanctus peculiarem hic ſapientiæ depinxit ſtylum, & reſerauit myſterium: capra per inacceſſa diſcurrit, vagatur montibus, paſcitur ſolitudinibus: vt ergo Spiritus ſanctus Sapientiæ cultores omnem ſtrepitum auerſaturos, & culturos ſacrum edoceret otium, capris, non ouibus exæquauit. Videas capram montium iugis verſantem, & vbi Sol trepidat, firmiter inſiſtentem, tumultu liberam; imò, & ſtrepitu prorſus alienam: huic ergo ſapiens debet aſſimilari: ni enim turbam diligenter effugerit, ad ſapientiæ verticem non perueniet. Audi Ambroſium: *Nec vilia tibi animalia iſta videantur. Vides quòd in altis grex iſte paſcitur, audax in monte.* Greges alij non adeò remoti ab hominibus commorantur, capra, & cælo vicinior, & à tumultu ſemotior: hæc ergo egregium ſapientiæ ænigma: otia namque, & laxa ſpatia requirit ſemper ſapientia. Hæc quidem ſapientiæ proprietas me, & excuſat, & arguit: ſcribo namque curiam incolens, vbi varia abſcindunt tempus negotia, vbi frequenter adeò interpellantur ſtudia, vt non raro; imò frequentiſſimè exiguo tempore ſepties, aut pluries opus ſit filum ſcribendi interrumpere, & properantem animum remorari. Hoc equidem ſatis mihi violentum; ſed neceſſarium: pro ingenioli mei exilitate nunquam mea opuſcula laude digna; verùm his impedimentis exigua adhuc mentis vis retardata impolitiora, rudioraque neceſſam eſt opera parturiuerit. Dices: cur ſcribendi non intermittis ſtudium? Certe, vt, quod fas mihi, tempus collegerim: nec ſemel, fateor, apud me ceſſare decreui; ſed neſcio quo perurgebar impulſu: ideòque malui corrigenda ſcribere, quam vrgeri. Parce ergo quiſquis legeris ſtyli inconcinnitati, parce conceptibus impolitis, & crede non ſolum in cauſa fuiſſe ingenij exilitatem; ſed occupationum congeriem. Redeamus ergo ad propoſitum, ſcientiam videlicet otia amare, & ſoliuagis capris deſcribi.

Ambroſ.

234\. *Nunquid non ſapientia,* inquit Salomon, *clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? In ſummis excelſiſque verticibus, ſupra viam, in medijs ſemitis ſtans, iuxta portas ciuitatis in ipſis foribus loquitur.* Priùs delegit montium iuga, poſteà declinauit ad ſemitas, cúmque pauci illac iter agerent, eiúſque clamores è ſummis montium vrbium rumoribus impediti minimè perciperent, ciuitatis portæ appropinquauit, nec ingreſſa eſt: quaſi expaueret armata in ſe tumultus agmina, & varia occupationum diſpendia. *In monte,* inquit Gloſſa, *diſcipulos ſimul, & turbas docuit.* Abſtrahebat ſæpiùs Christus Dominus Patris ſapientia diſcipulos à tumultu, vt expoliret doctrina, & cæleſtium imbueret intelligentia: ſolitudo namque, & otium mentem illuminat, exacuit ingenium, & incrementat ſtudium. Ipſum corpus mentis eſt ſarcina, & prout fas eſt, illud deponit ſapiens, vt expeditiùs, liberiúſque incubuerit ſapientiæ. *Corpus hoc,* ſcribit Seneca epiſt. 65. *animi pondus ac pœna eſt: premente illo vrgetur, in vinculis eſt, niſi acceſſit philoſophia, & illum reſpirare rerum naturæ ſpectaculo iuſſit, & à terrenis dimiſit ad diuina: hæc libertas eius eſt, hæc euagatio: ſubducit iterum ſe cuſtodiæ, in qua tenetur, & cælo reficitur.* Quemadmodum artifices ex alicuius rei ſubtilioris ſtudioſa, ac laborioſa opera defatigati curam intermittunt, & in aliquam partem amœnam oblectationis gratià ſecedunt: ſic animus in hoc triſti, & obſcuro domicilio incluſus, & terrenis curis defatigatus, quoties poteſt, apertum petit, & in amœniſſimæ naturæ contemplatione quieſcit: *Sapiens aſſectatórque ſapientiæ adhæret quidem in corpore ſuo; ſed optima ſui parte abeſt.* Vel ſenſus denudant, qui inuigilarunt ſapientiæ; in corpore vti domicilio viuunt; imò vti hoſpitio: & quemadmodum hoſpites tota die per ciuitatem vagantur, vt negotia gerant, & exigua temporis parte hoſpitio morantur: ſic ſapiens cogitationes ſuas ad ſublimia intendit, & vltra ſenſuum ſtrepitus iucunda ſectatur otia, & altiora ſcientiæ venatur myſteria. In montibus, ſummiſque verticibus ſapientiæ liberiùs percipiuntur præcepta, & iucundiùs capiuntur edicta: nam confuſaneus turbarum clamor, & vocis abrumpit ſonum, & auri ſæpe ſæpiùs vetat auditum.

Prou. 8. v. 1.

Gloſſa.

Senec. Corpus animi ſarcina ac pœna.

Senec.

Sapientia Scribæ, inquit Eccleſiaſticus, *in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, ſapientiam percipiet.* Vacantem ſtudioſi animum inhabitabit ſapientia: nam varijs diſtractus animus curis non eſt opportunus ſapientiæ locus: qui minoratur actu, ſapientiam percipit: nam ex humanarum rerum vaporibus nebulæ, quæ ſapientiæ lumini tenebras offundant, coagmentantur, claritatémque luminis intercidunt. Ita Cyrillus ad cap. 2. Habacuc: *In exercitatione mea, & conſuetudine excubabo; animum rurſum purgabo, curis mundanis exoluam: ſurſum volabo in ſtabilitatem, & ſecuritatem cogitationum: iſtinc ſpeculabor, quæ Deus mihi locutus fuerit.* Illigatur animus curis, diſtrahitur ſenſus negotiis, qui niſi in ſe fuerit collectus, ſibique in plenum reſtitutus, ſapientiæ lumine cumulatè non emicat illuſtratus: neceſſam eſt hanc corporis nauim è terra ſoluere, vt maris ſulcet profunda, & dimetiatur altiora. In tempore vacuitatis, nempe illecebrarum, nempe terrenarum cogitationum, nempe obſtrepentium ſolicitudinum Scribæ rutilabit ſapientia, & diſſipatis nebulis lucebit æthere ſereno doctrina. Nec ſolùm neceſſam eſt animum ſuperuacuis redimere; ſed, & maculis repurgare: opus eſt ſapientiam nobiliter ambienti fugere tumultum, & ad cælum arripuiſſe volatum: ſatis non eſt, vt plenè ex cumulóque tibi inuiſceretur ſapientia, terrenorum otia ſectari; ſed, & cæleſtibus acceſſiſſe. 235.

Eccli 38. v. 25.

Cyrill.

Adeſt Moyſes huius veritatis patronus, qui cùm copioſo Hebræorum verſaretur in populo, ſcriptoris nomen nondum adeptus eſt, quoúſque Dominus Sinai verticem ſua præſentia conſecrauit, & Moyſem aſcendere iuſſit: ibi per quadraginta dies Dei contubernalis cibo potúque abſtinens tabulas accepit, quas fœda populi ebrietas obliterauit: iterum in cineres redacto idolo, & punito dignè flagitio aſcendit in montem, ibique æquali ſpatio conſumpto iam Scriptoris gloriam adeptus, & indefeſſo lumine coronatus ad populum rediit: *Scripſit in tabulis verba fœderis decem* Et cur è nube oraculum Moyſi inter contribules commoranti non dictauerit leges, cur adhuc Ægyptum incolens non ſcripſit? Philo Iudæus lib. de Decalogo 236.

Exod. 34. v. 28.

logo vt erat disertissimus, ideò in vastam solitudinem ductum populum, & Moysem è populo eductum censet, ne impediretur rumoribus, aut falsitatis delusus desiperet imaginibus: *Hoc est cur extra ciuitates legem diuinam perferri placuit: hinc accessit causa altera, quòd ad sacras leges recipiendas animus purificatus requiritur, elutis maculis, quæ hærent ex miscellaneæ turbæ in ciuitatibus degentis contagio; id verò non est possibile aliter, quam in secessu efficere. & longo temporis spatio, donec exolescant, & euanescant veterum erratorum species ex animo.* Vel species erroris, & confusanei clamoris tinnitus deterendi sunt, vt animo lux illa cælestis veluti sigillata imprimatur, & manus litteris mentis sensa tabulæ purissimæ impresserit. O quàm vel lapidi legem imprimit, qui priùs animo impressam habet; sed alij thesi hanc eruditionem dicemus. Ergo vt Moyses scriptoris nomen sortiatur, doctrinamque ebibat, qua mores populares componat, cacumen inscendit, Deóque proximus, & a populo abductus vixit. Nec solùm monte degens thesim nostram firmauit; sed descendens actionum testimoniis edocuit. Solis ad instar refulgebat facies, cumque populus non auderet admirabundus accedere, velamine lux obducitur, dum inter populares versatur: *Videntes Aaron & filij Israel cornutam Moysi faciem timuerunt prope accedere.. posuit velamen super faciem suam:* Cùm Domino approximat, & vel à morigeris longiùs abscedit, lux emicat clarior: dum alloquitur populos, dum illis conuiuit, tantisper sordescit obscurior, vt repetere queat Seneca epist. 7. *Ego certè confiteor imbecillitatem meam, nunquam mores, quos extuli, refero: aliquid ex eo, quod composui, turbatur, aliquid ex iis, quæ fugaui, redit.. Vtique quo maior est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est.* Quid aptius? Quid certius?

Philo. Senec.

---

§. LI.

Sacerdotij munus, & gloria inuigilare sacris, nec obscurari terrenis.

237. SAcerdotes virtutis deputantur patroni, criminum vindices, & sacrarum legum defensores acerrimi: ob id omnis impurus affectus, omnes diuitiarum appetitus, ambitionisque fastus opus est relegare: aliter namque sacra adeò munia, vt fas est, minimè poterunt exercere: gloriæ ambitiosus, plausus cupidus orationem concinnat, qua possit auditores sermonis dulcedine allicere non correctionis asperitates terrere. Audi Christianum Politicum tom. 2. cap. 5. *Alia* (oratio) *ambitiosi & modesti: viuida illa, audax, & inuerecunda est, & metitur sua verba ambitiosus factus auditor sui; ad numerum nimirum oratio illi tota componitur, séque circumspicit, & auditorem, si fors admirabundum sentiat, & laudem aliquam referat.* Timebit displicere, qui nititur adulari. Iam diuitiaru cupiditatis seruus iniurius fere semper officio, vt diuitias cumularit, oblitus muneri non attendit: si fastigiis inhiet, vel peccantes delinire gestiet obsequiis. Ille solùm Sacerdotalis dignitatis officium implet, qui mundanas prorsus cur[illegible] nes repellit. Quam bene Attalaric[illegible] 6. variar. 24. *Vos, quos iudicia venerantur, Ecclesiasticis vinite institutis: magnum scelus est crimen admittere, quos nec conuersationem decet habere sæcularem: professio vestra vita cælestis est: nolite ad mortalium vota humilia, & errores descendere. Mundani coerceantur humano iure; vos sanctis moribus obedite.* Dedecent Sacerdotali dignitate fulgentem mortalium vota, terrena scilicet desideria: sacerdotes deuouentur diuinis, vt iam prorsus abstrahantur humanis. Moyses sacro spiritu afflatus cùm optatam diu tribubus terram partiretur, Leuitas fecit exortes, ne curis sæcularibus dediti a diuinis alienarentur abstracti: in aliis diuitiarum, aut dignitatis cupida sollicitudo, si debito modo, decentia; in sacerdote verò ignominia. *Tribui Leui non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio eius.* Sæculares possessiones accipiunt, quibus adaugendis, colendisque sollicitas impenderint curas: Deus est Sacerdotum possessio, vt illi omnia dicarint prorsus studia, & impenderint desideria. Audi Tostatum quæst. 12. *Non poterant vacare agricultura, cùm semper deberent ministrare multi illorum in loco sanctuarij.* Consonat Glossa: *Lex Dei sacerdotibus commissa est, & Leuitis, vt huic soli operam tribuant, & verbo Dei absque vlla sollicitudine vacent, laicorum ministeriis sustentati.* Sortem non dedit, vt se Leuitæ omnibus prorsus terrenorum curis nouerint denudatos, & cælestibus omnimodò adscriptos: agriculturæ, augendarúmque diuitiarum cura diuini operis esset nota, tantúmque detraherent sacerdotio, quantò studuissent attentiùs lucro.

Christ. Polit. Cassiodor. Sacerdos nec conuersationem habeat sæcularem. Abulens. Glossa.

238. Moyses a pecuarij gregis cura ad Dominici gregis curam transfertur, sacerdotióque deputatur: ait enim Psaltes: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius,* & congrua in eius electione sacerdotibus forma præscribitur: à grege tantisper seiunctus Dominum speculatur rubo illo inclusum, & fulgurantibus flammis cinctum: tunc manus leprosa miraculosâ virga obarmata: *Mitte manum tuam in sinum tuum: quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis.* Virgam manus priùs infecta lepra apprehendit, qua elementis imperauit, & nouas naturæ leges condiderit: *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Inquiramus, si placet, cur in eadem dextera & lepra, & virga? Nonne aptius, si valetudine manus constaret, & populi libertati inseruiret? debilis manus infecta lepra nec virgam quibit prendere, nec pro temporum opportunitatibus vti. Voluitne Deus, vt infirmitatum dolores præsentiret, vt mitiùs cæteris ægrescentibus imperaret; vt subditorum compateretur infirmitatibus in se infirmitatem expertus? Sæpè enim superior bona valetudine vsus duriùs imperat, & zeli species est charitatis offensa, & infirmorum iniuria. Benè; sed altiùs inuestigandum mysterium. Vtrumque profectò sacerdotis dexteræ aptissimæ congruebat: leprosus lege erat a reliquorum consortio seiunctus, & curare, aut tangere quid prohibitus: ergo, vt Moyses miris decentiùs inseruiat, vt sacerdotij muneri studiosiùs incumbat, lepra inficiatur, non quidem quæ maculas illi adsciscat; sed quæ à sæcularibus curis remoueat: quo bis gloriosa lucebit dextera, & quia virga elementis imperat, & quia lepra humanam sollicitudinem prorsus ignorat. Aptè Theodoretus quæst. 10. *Dextera, qua admiranda illa perpetrarat, cùm prius fuisset*

Psal. 98. v. 6. Exod. 4. v. 6. Theodor.

fuisset leprosa, signis diuinis inseruiuit, & elementa mutauit: Fors non adeò plenum diuinis impendisset studium, ni lepra ab humanis prorsus imperasset recessum. Elementa mutat, rebúsque inseruit diuinis: quia leprosi adinstar ferè relegatus est ab humanis. O quantus decor sacerdotali dignitati accrescit, dum Sacerdos nec augendis cupidus diuitiis insudat, nec ambitiosus inuigilat culminibus occupandis; sed omnimodò addictus seruit diuinis.

239. Iacob iram fratris fugiens dormit sub dio, cælestem ibi contemplatur scalam, iam candicante aurora somnum excutit, aram construit, & Deo vti Sacerdos ministrat: *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper:* (Genes. 28. v. 18.) posteà cum ipso Domino colluctatur non oleo inunctus; sed virtutibus obarmatus: cumque aurora tenebras iam discuteret, noctémque in abdita secedere cogeret, fugit Deus, & Iacob amnem transgressus suos reuisit, sed altare hîc equidem non erexit: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*, rogat, (Genes. 32. v. 26.) qui quiuerat imperare. Iam pungit scrupulus, cur hîc Iacob nec lapidem erexit, nec aram inunxerit: illic profectò sacerdotis munus impleuit gratus; hîc quodammodò omisit oblitus; nec mirum si ibi aram non construeret vrgente metu, & celerrimam profectionem consulente periculo; hîc verò, & triumpho redimitus, & nullo metu pulsatus: cur ergo hîc non vacat sacris, cum alibi studuerit diuinis. Rationem reddit Interlinearis: *Quasi dicat tempus est, vt ab inuisibilibus ad temporalia tractanda descendas.* (Interlinear.) Iacob modò temporalia cogebatur tractare; ideoque censuit altaribus abstinere; quasi sacerdotem dedeceat alia præter sacrorum curam; dum humanis quis impendit studia, incuriosiùs tractabit sacra: ideò Iacob vbi omni cura nudus, omni sollicitudine orbatus, erexit aram; ast vbi temporalibus vacare instituit; vbi gregum, armentorúmque augmenta curauit, hanc prorsus remisit curam, vt suo nos edoceret exemplo, Sacerdotes, si, vt fas est, muneri incumbant, debere curas omnes circa terrena amandare, & animum prorsus illibatum sacris ritibus custodire, aut abstinere debere sacris, si temporalibus studiosius indulgeant aris: quasi sacerdotale munus hæc duo sibi copulata contineat, consecrari videlicet diuinis, & abstinuisse, quantum mortalis conditio patitur, ab humanis. Erubuit, ni fallor, strenuus luctator sacerdotis agere officium, cùm temporalium vocabat animum desiderium. Adde honorabili Dei ministri titulo dignè priuari, qui ambitioni, aut aggerandis opibus inseruit.

240. Cum Deus Moysis ore Sacerdotibus formam præscriberet, sic ait: *Offeret eam, (similam scilicet) calidam in odorem suauissimum Domino* (Leuit. 6. v. 21.) *Sacerdos, qui iure patri successerit.* Petrus Damianus lib. 4. epistolar. epist. 14. huius ritè successionis iura moribus aptans, illum ait altaribus ministrum adscribi, qui antiquorum patrum virtutibus splenduerit, alitérque ab aris repelli, & sæculo relegari, quasi malè diuidat inter Sacerdotij officium, & ambitionis, cupiditatisque desiderium. Audi Damianum: (Damian.) *Ille quippe Sacerdos patri iure succedit, qui Sanctorum patrum ingenuitatem in conspicuis operibus exprimit, qui maiorum suorum prosapiam per spuriæ conuersationis ignominiam non confundit: alioquin quisquis ille est, qui velut à titulis proauorum, & clara generositate degenerat, qui se non legitimum; sed adulterinum, vel extraneum alienis moribus repræsentat, eiciendum se de sacerdotio euidenter indicat.* Non est Sacerdos voluptatibus deditus, aut cupiditatibus obscuratus; sed muneris probrum, & dignitatis tormentum. Audi Tertullianum Apolog. cap. 15. idolorum (Tertul.) antistites confundentem, & de ministris Deos ipsos nihili haud indignè sanè æstimantem. *Cæterum si adyciam, quæ non minus conscientia omnium recognoscent, in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerúmque ædituorum, & Sacerdotum tabernaculis, sub ijsdem vittis, & apicibus, & purpuris thure flagrante libidinem expungi; nescio plúsne de vobis, quàm de Christianis querantur.* Non adeò obscurat contrariis moribus æmulus, quàm indignis actionibus famulus. Sacerdos ergo, si probus, muneris gloria; improbus verò ignominia.

Adest Balaam huius veritatis infelix testis, 241. cuius mors hoc ipso capite refertur, & cuius vita titulo honoris mulctatur. *Balaam filium Beor ariolum occiderunt filij Israel gladio cum cæteris interfectis.* (Ios. 13. v. 22.) Certè Balaam Spiritu Dei non semel actum, & prophetali dignitate decorum ex Numeris constat, consonâtque Masius ad hunc locum: videas ergo cur non Propheta; sed ariolus nuncupetur. Profectò humani moris esse videtur honesta tegere, indecora vulgare; Scripturæ tamen diuinæ diuersus modus, & contrarius sæpissimè stylus: cur ergo Prophetæ Deique ministri exauctaret titulis, quem constat hæc aliquando implesse munera factis? O bonam nobis eruditionem! Balaam cupiditatis seruus, ambitionis vernula, diuitiarum mancipium, solùm inhiabat terrenis: Prophetæ ergo titulus ea ad speciem erubescebat notâ, vt deleri dignitatis sit gratia. Audi Masium: (Masius.) *Quamuis haud expers cognitionis veri Dei fuisse Balaam videri possit, & rerum omnium euentum ex huius solius nutu pendere agnouisse; nulla etiam nisi diuina oracula de statu populi Dei, aliarúmque gentium, déque regno Dauidis, & Christi ediderit tanquam sacer aliquis vates; tamen si quis vniuersam historiam pressiùs attingat, dicta, facta illius omnia excutiat, profectò intelliget turpi ambitione eum atque auaritia plenum fuisse, & à proborum vatum numero quàm longissimè esse submouendum.* Rubore sanè suffunditur vatis titulus, diuini ministri nomen in diuitiarum cupido, & honorum ambitioso: ideò ergo sacer textus, vt hanc à titulo remoueret iniuriam, nominauit ariolum, non prophetam: vt enim Sacerdotis, Deique ministri in homine probo gloriatur titulus, sic in indigno huius dignitatis sordescit ornatus: vt noueris eos solùm decora sacerdotum dignè vsurpare sibi vocabula, qui humana prorsus a se depulere negotia: nec enim plenè est Sacerdos, qui inseruit diuinis, ni rebus alienetur humanis. Adde humanarum rerum ministros Christo acerbissimam inferre non semel pœnam; improbos verò sacerdotes infamiam. Certè Christus, dum à sæcularibus patitur, faciem non abscondit; verùm si à sacerdotibus dimanet pœna, probrosa Christi vultus confunditur verecundiâ.

Apud Pilatum & Caipham patitur Christus: 242.
nam Pilatus timore corruptus, ambitioneque subornatus

subornatus morti damnauit, & vitam abscidit; hîc tamen liberis oculis adstat, nec velo sordido denigratur; Caiphæ verò in domo & vultus sordidissimo velo tegitur, & alapis iniuriosis percutitur: *Expuerunt in faciem eius & colaphis eum ceciderunt.* Colaphus honoris nota, nobilitatis infamia: cur ergo & in domo Caiphæ honori, & in Pilati domo inimicus est insidiatus saluti? Profectò quia Caiphas peruersa ambitione tinctus, & pretio iniquissimo electus. Innuit Ioannes annuum Sacerdotem appellans: *Vnus ex ipsis Caiphas nomine cum esset Pontifex anni illius &c.* Pretio sacerdotij dignitatem sibi comparasse tradit Augustinus tract. 49. in Ioan. *Potest mouere quomodo dicatur Pontifex anni illius, cùm Deus vnum constituerit summum Sacerdotem, cui mortuo vnus succederet; sed intelligendum est per ambitiones, & contentiones inter Iudæos postea constitutum, vt plures essent, & per annos singulos vicibus ministrarent.* Ecce cur in Caiphæ domo Christus quodammodo verecundiam non ferens velo tegatur, cur honor colaphis obscuretur, cùm tamen in Pilati prætorio nec rubor texerit vultum, nec ascitum velaminis fuerit remedium: nam Pilatus profanus iudex, forensis præses; Caiphas verò Ecclesiastica dignitate exornatus, & sacerdotali munere functus. Nec mirum profanus ambitioni deditus crucem compingat; at verecundum satis, si sacerdos dignitatibus inhiauerit, & pecuniæ artibus acquesierit. *In domo ergo Principis Sacerdotum*, scribit Drogo Ostiensis de sacram. Domin. Passion. *velata facie colaphizatur Christus.* Ingenuo nobilíque tolerabiliùs est pati acerbissimas mortis pœnas, quàm ignominiosas iniurias. Certè aduersariorum ictibus intrepidus animus pectus obiicit; at si acceperit facie iniuriam, vultum aperire non audet. Ergo vt noueris quantum distet malus Sacerdos ab improbo sæculari; in huius domo Christus aperta facie sustinet pœnas; in illius verò erubescens tegitur, quia patitur ignominias. *In domo Caiphæ Principis Sacerdotum velata facie colaphizatur Christus.* O quàm obscurat faciei Christianæ decorem Sacerdos improbus, & Ecclesiasticus ambitiosus!

Matth. 26. v. 67.

August.

Drogo.

§. LII.

Adeò sacerdotibus magna debetur reuerentia, vt speciem non semel habeat honoris, quæ ob culpam infligitur à Domino pœna.

243. Sacerdos quodammodo è reliquorum massa hominum segregatus, cœlestibus Angelorum choris Domini vicarius adscribitur; imò non semel ab ipsis cœlicolis honoratur. Munus hoc adeò sacrum est, vt cùm requirat natura hominem, vita & moribus exegerit Angelum: Sacerdos est diuinæ canalis misericordiæ, peccatorum arbiter, gratiæ administer, inextinguibilis luminis candelabrum, astrorum zodiacus, virtutis decus, Numinis facies. Hinc vel babaris mos semper fuit honorem, reuerentiámque amplissimam sacerdotibus impendisse, vtpotè Dei vicariis, & Numinis substitutis: *Sacerdotibus*, scribit Plutarchus lib. cum Principibus debere Philosophum sermocinari, *reuerentiam & honorem ciuitates tribuunt, quòd bona à dijs immortalibus non sibi tantùm, amicisque & necessarijs suis; sed omnibus in commune poscant ciuibus; licèt non efficiant deos sacerdotes bonorum largitores; sed tales natura cient.* Vt Regum priuatis familiaribúsque ab omnibus specialis honor tribuitur, sic sacerdotibus vtpotè Numinis familiaribus maxima reuerentia debetur. Profectò sacerdotes cælestis ædificij pretiosi lapides, cæteri homines aut rude lutum, aut ignobile cæmentum. Quàm benè Petrus Damianus lib. 2. epistol. epist. 1. *Vita vestra quadam sit linea, & velut adamantis signaculum, quod viuendi cæteris adhibeat formam: adamantinum quippe sigillum suam cæteris imprimit; à nullis verò metallis imaginem sumit.* Nullâ adamas sorde turpatur, nulla macula inficitur, extranea non adulteratur forma; sed propria lucis emicat elegantia. Sacerdos ergo pretiosus adamas à reliquis debet suspici, & decenti reuerentia adorari; quòd si humano nondum exuti ingenio sacerdotes deliquerint, sic illorum sunt corrigenda delicta, vt correctio fuerit nullatenus dignitatis offensa. Moyses cùm varias terræ portiones diuideret, Leuiticis sortem nullatenus adsignauit; illos tamen per totum corpus populi Hebraici diuisit, vt generosi ad instar sanguinis & spiritus fouerent, & distributis per membra integram corporis valetudinem conseruarent. *Tribui autem Leui non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio eius.* Interpretes autumant possessionem non dedisse, vt supplicium illud à Iacob intentatum adimpleretur: *Simeon*, inquit, *& Leui fratres vasa iniquitatis bellantia, &c. diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.* Verùm hæc dispersio, cæterísque tribubus Leuitarum insitio non videtur tam culpæ punitio, quàm honoris exaggeratio: erant enim Leuitæ totius Israëlitæ massæ quasi fermentum, omnes suo sapore condientes, scientiæque splendoribus illustrantes. Ergo paternum non impletur maledictum; sed honoris confertur augmentum. O vtilem nobis eruditionem! punitur culpa; sed eo modo, vt nullatenus splendoris videatur offensa: sic dispersi sunt, vt ipsa dispersio culpæ non sugilletur effectus; sed popularium deprædicetur ornatus. Accipe Masium: *Quamuis isthæc Leuitarum exhæredatio ob perfidiam, & crudelem cædem, quam huius tribus auctor, & primus parens apud sichimitas fecit, iustè facta in pœnam videri debet, si morientis Iacobi vltima verba memoria recolas, cùm de Leui, & Simeone sic loquitur: Detestabilis ira ipsorum, quia vehemens fuit, & furor ipsorum, quia fuit pertinax: diuidam ipsos inter Iacobæos, & dispertiam ipsos inter Israelitas; tamen quia Deus pro immensa sua misericordia illi iam peccato ignouerat, sanciuit quidem dispertiendos inter cæteras tribus illos esse, ne frustra esset Iacobi vaticinatio:* Ausculta auidiùs, quæ subdit: *Sed sic vt lucem præclarissimam ex medijs produceret tenebris, fieréique illa dispersio & cum summa, & amplissima ipsorum dignitate, & cum totius Israelitici generis maxima vtilitate: nec enim illi docere legem Dei Iacobum, & iudicia eius Israelem potuissent, nisi passim tota regione dispersi habitassent.* Culpa castiganda erat, sed eo modo, vt nequaquam dignitatis honor innubilatus obscuraretur: quam enim venerationem haberet populus, si in ipsa diuisione legisset

Plutarch. *Vel barbari exhibent sacerdotibus reuerentiam.*

Damian. *Adamas suã imagine imprimit; sed sibi extraneam imprimi non permittit.*

Gen. 49. v. 5.

Masius.

legisset culpam, & suis posset doctoribus obiecisse criminis notam, aut iactasse contumeliam: quia summam esse oportet magistrorum auctoritatem, altera illa dispersionis causa, quæ ignominiosa erat, vbique industriè dissimulatur: altera, quæ sanè gloriosa dilucidius ostenditur: *Non dedit*, inquit, *possessionem, quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio eius.* Non ait, quoniam illorum pertinax furor: quam enim habere potuisset gens Leuitica apud populares auctoritatem, si existimassent sceleribus decrrate exhæredem? Semel namque spretis Sacerdotibus, nullo haberetur pretio doctrina, nec illis exhiberetur à cæteris reuerentia. Itaque licèt gens Leuitica ob culpam dispersa sit; sic tamen punita culpa, vt nullatenus splendoris extiterit nebula, dignitatisve fuerit nota.

244. Zacharias Sacerdos illæ sæculis venerandus & sanctitate vitæ, & muneris dignitate, dum religiosa pro populo offert altaribus vota, sibi impetrat, quod diu anhelauerant desideria. Vel sub impio rege sacra est disciplina seruata; quia impietatem tyranni, temporis insolentiam, ambitionis rabiem, temeritatis insaniam, sacerdotis vincebat meritum, & vitæ dignum altaribus institutum, Sol Iudaico iam recedebat è templo, vt Lucifer matutinus exurgeret, orbémque purissimo lucis suæ candore radiaret. Zacharias ergo hora incensi incensum offert, quò temporis opportunitas commendauerit sacrificium, & ... beneficia copiosius dilargienda pulsauerit cælum. Preces offert, desideria explicat, vota commendat, promissa repetit, exolui captiuitatis exigit vinculum, & venire clamat iam Deum: oranti apparet Angelus, nec detrectat miscere cum Sacerdote colloquia, illique ignota sæculis reserare mysteria. Sacerdos stupore turbatur, admiratione stupet, insolita visione pallescit: quia licèt ad Angelicum ordinem muneris efferret dignitas, humilitatis ad infima depresserat veritas. Angelus aperit nomen, & qui Moysem sibi appropinquare vetuerat, qui Iacob nomen negantem vti audacem carpsit, Sacerdoti sacra ambitione propinquat, & nondū sciscitanti nomen profert, & explicat dignitatem: filium ætate iam ad occasum vergente promittit, vt nouerit Ioannem, plus quàm naturæ, deberi gratiæ: senex tantisper hæret, & ne incurrat fraudem, addubitat. Quid tunc? Angelus linguam occludit in pœnam, & ad tempus taciturnitatis iniungit mulctam: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.* Egreditur Pontifex in ore gestans incredulitatis indicium; pectore tamen prolis felicissimæ testimonium: & quia non poterat mysterium explicare verbo, se loqui non posse indicauit omnibus nutu. Quid tunc? *Cognouerunt*, inquit, *quòd visionem vidisset in templo.* Et cur non agnoscunt, quòd tulit incredulitatis pœnam; sed quòd gerat pectore prophetiam? Si silentium culpæ est supplicium, cur tantùm cælestis visionis agnoscitur argumentum? *Cognouerunt quod visionem vidisset in templo* O vtilem nobis eruditionem! sic Angelus culpæ incredulitatis inflixit pœnam, vt nullatenus dignitati inferret iniuriam; sic est punitum silentio delictum, vt silentium populus putarit mysterium: culpæ est adhibita pœna; sed dignitatis illæsa refulsit fama: & fors si populus taciturnitatem errari crederet pœnam, Antistitis exinceps depretiaret doctrinam. *Ille*, scribit opportunè Chrysologus serm. 86. *vbi sensit lingua sua vincula, sui ianuam clausisse sermonis, imperauit nutu, ne quis causas taciturnitatis inquireret.* Non erat inquirenda taciturnitatis causa, ne denigraret Pontificis dignitatem notitia. Opportuniùs Lyra: *Cognouerunt quòd visionem vidisset; tamen nesciebant qualem: ex hoc enim quòd videbant faciem eius mirabiliter mutatam ex collocutione cum Angelo, & ipsum loqui non potentem, coniecturabant ipsum habuisse visionem.* Angelus ora indicto clausit silentio; sed splendore faciem illustrauit adaucto, ne ob culpam punitus apud populum obscuraretur despectus: tanta debetur sacerdotibus reuerentia, sic illorum, vel dum punitur tegenda est culpa, & industriè infligenda pœna. Certè aliorum punite culpas proficit ad correctionis exemplum; sacerdotum verò infamari pœnis vitam popularium fouet scandalum.

Luc 1. v. 20.

Chrysol.

Theodoricus rex cùm aduersus presbyterum turpissimæ auaritiæ delationes acciperet, prudenti æquitate decreuit, sic industriè reprimeretur offensa, vt in dignitatis damnum nullatenus infligeretur vindicta: conducibilius censebat sacerdotis delictum manere impunitum, quàm dignitatis munus de supplicio sordescere dehonestatum. Audi ipsum 4. variar. 18. *Ad nos multorum suggestione peruenit Laurentium presbyterum effossis cineribus funestas diuitias inter hominum cadauera perscrutatum: concussionémque mortuis intulisse, quem oportebat viuentibus quietem prædicare. Non abstinuisse perhibetur tam crudeli contagio pijs dicata consecrationibus manus, aurum execrabili quæsisse fertur affectu, quem suam decuisset egentibus dare substantiam vel sub æquitate collectam: quod te diligenti examinatione præcipimus indagare, vt, si veritati dicta prospexeris conuenire, hominis ambitum eo tantùm fine concludas, ne possit supprimere, quod eum non licuit inuenire: scelus enim nos pro sacerdotali honore relinquimus impunitum.* Expende non vocari sacerdotem; sed hominem, vbi nota ambitus sugillatur; scelúsque ad dignitatis honorem multum relinqui, ne dignitatem apud homines contigerit obscurari. 245.

Cassiodor.

Auara auri cupiditas vel mortuos inquietat.

Heli de filiorum procacitate infelix, Ophni, & Phinees de flagitiis ignobiles sacerdotalis dignitatis gloria in pœnam flagitiorum nudantur: vir Dei durissimis Heli nunciis Dei nomine ferit: *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua.* Digna delictis sententia; sed examinemus quibus circumstantiis peccantibus fuerit inflicta: Arca ad Hebræorum campum defertur, Ophi, & Phinees custodes assistunt: Philisthæi armis reportauere victoriam, captáque arca Sacerdotes illam custodientes occidunt: *Duo filij tui*, refert infaustus nuncius è bello fugiens, *mortui sunt Ophni, & Phinees, & arca Dei capta est.* Heli sic expauit, dum arcæ captiuitatem audiuit, vt retrorsum decidens fractis ceruicibus concesserit vita, graui adeò ob stragem premebatur angustia: *Cùm ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* Adimpleta est diuina sententia: sed ad speciem Sacerdotum adaucta est gloria: quid enim Sacerdotibus dignius, quàm arcam defendentes bello 246.

1. Reg. 2. v. 31.

1. Regum 4. v. 17.

cadere,

cadere, & ad videndam captiuitatem non viuere? Gloriosus quidem interitus, quem eximia fortitudo commendat, & celebranda mors, quam causa dignissima illustrat. Cur ergo Deus eis rerum circumstantiis inflixit pœnam, quibus æternare dixeris gloriam? Si mulctandos nobilitate Sacerdotes promiserat, quomodò ipsa mulcta dignitas ad speciem rutilat clarior, & mors deprædicatur honestior? O vtilem nobis doctrinam! Excidio sunt castigata delicta; sed ex ipsa punitione dignitati ad speciem resultat gloria: non tam puniti videntur, quàm appareant deprædicandi, qui fortiter pro religione occubuerunt: feliciùs namque ceciderunt quàm viuerent: ergo hoc non tam sceleris supplicium, quàm honoris dixerit incrementum. Taliter Sacerdotum punitur culpa, vt nullatenus dignitatis marcescat fama: populus potuit deprædicare beatos, quos mors deglutiuit punitos. *Eliditur*, scribit Tertullianus aduersus Psychic. cap. 13. *pro templi foribus Heli: filij eius in acie ruunt, nurus expirat in partu. Hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens.* Tertull. Antiqua dignitate priuantur ob scelera sanè dispuncti; ipsa tamen mulctâ apud populum honorati: sic enim Deus dignitatis gloriam, & flagitiorum insaniam iustissima æquitatis trutina appendit, vt nec dignitatis sordesceret gloria, nec sceleris inulta maneret culpa. Delictum attulit mortis ruinam, dignitas suppliciorum arcuit infamiam. Sic cadunt puniti, vt ipso videantur casu honorati: *Eliditur Heli pro foribus templi, filij eius in acie ruunt.* Plus ad speciem videntur fortitudinis, zelique consecuti honestissimæ mortis præmium, quàm ob carnalium sacrificiorum rapinam passi supplicium. Ita sunt in acie puniti, vt apud populum fuerint nullatenus obscurati.



CAPVT XIV.

Vers. 1. Oc est, quod possederunt filij Israel in terra Chanaan, quam de-
derunt eis Eleazar Sacerdos, & Iosue filius Nun, & Principes
familiarum per tribus Israel. 2 Sorte omnia diuidentes, sicut
præceperat Dominus in manu Moysi nouem tribubus, & dimi-
diæ tribui 3. Duabus enim tribubus & dimidiæ dederat
Moyses trans Iordanem possessionem; absque Leuitis qui nihil terræ acceperunt in-
ter fratres suos. 4. Sed in eorum successerunt locum filij Ioseph in duas diuisi
tribus Manasse & Ephraim: nec acceperunt Leuitæ aliam in terra partem nisi vr-
bes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda iumenta & pecora sua.
5. Sicut præceperat Dominus Moysi, ita fecerunt filij Israel, & diuiserunt ter-
ram. 6. Accesserunt itaque filij Iuda ad Iosue in Galgala: locutúsque est ad eum
Caleb filius Iephone Cenezæus: Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysem ho-
minem Dei de me & te in Cades-barne. 7. Quadraginta annorum eram, quan-
do misit me Moyses famulus Domini de Cades-barne, vt considerarem terram,
nunciauíque ei, quod mihi verum videbatur. 8. Fratres autem mei, qui ascen-
derant mecum, dissoluerunt cor populi, & nihilominus ego secutus sum Domi-
num Deum meum 9. Iurauítque Moyses in die illo dicens: Terra, quam cal-
cauit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum: quia secutus es
Dominum Deum meum. 10. Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut polli-
citus est, vsque in præsentem diem. Quadraginta & quinque anni sunt, ex quo
locutus est Dominus verbum istud ad Moysem, quando ambulabat Israel per so-
litudinem: hodie quinquaginta annorum sum, 11. sic valens, vt eo valebam
tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo vs-
que hodie perseuerat tam ad bellandum, quàm ad gradiendum. 12. Da ergo
mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus te quoque audiente, in quo
Enacim sunt, & vrbes magnæ atque munitæ: si fortè sit Dominus mecum, & po-
tuero delere eos, sicut promisit mihi. 13. Benedixítque ei Iosue, & tradidit ei
Hobron in possessionem: 14. atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Ce-
nezæo vsque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israel. 15. No-
men Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim si-
tus est: & terra cessauit à præliis.

§. I.



§. I.

Commentarius litteræ.

Vers. 1. Hoc est, quod possederunt filij Israël in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar Sacerdos, & Iosue filius Nun, & Principes familiarum per tribus Israël.

1. IAM hæreditarius funiculus locatis ante Iordanem duabus,& dimidia tribubus incipit vltra Iordanem extendi, ac proprias cuique reliquarum tribuum possessiones rationabili sorte sacratiori in Chananæorum regione signare. Septuag. Septuaginta aliter legunt: *Et hi, qui possederunt ex filijs Israel in terra Chanaan*: Chald. Paraphrasis Chaldaica loco illius nominis, *Principes familiarum* transtulit: *Capita patrum tribuum filiorum Israel.* Hanc diuisionem & sortitionem castris ex Galgalis in Silo translatis accidisse putat Iosephus, videturque non obscurè Salian. colligi ex cap.18. huius libri: vnde N.Salianus petitionem Calebi, quæ facta est, dum Iosue adhuc moraretur in Galgalis, sortitionem putat antecessisse. Hæc terra vocatur strictiùs Chanaan; nam quamuis ante Iordanem regiones hac etiam generali voce appellentur; tamen eis Iordanem iacentes prouinciæ hoc specialiùs Abulens. nomine designantur. Vide Abulensem quæst.1. *Terra Chanaan quæ?* Sortitio hæc non solùm per Iosue; sed per sacerdotem summum, familiarúmque Principes facta est,licèt Moyses solus,nec sortibus in sortiariam vrnam iactis, sed diuino pulsu duabus & semis tribubus possessiones ante Iordanem diuiserit. *Considerandum est*, inquit Abulensis quæst.1. *quòd terram duarum tribuum, & dimidiæ ante transitum Iordanis solus Moyses diuisisse legitur.* An capita tribuum tantummodo fuerint per tribus vel per familias signanda,dubitarunt nonnulli; verùm Numer.34. solùm de tribu qualibet, non ex qualibet familia assumptum diuisorem conuincit. Voluit Deus omnem Hebræis innato genio maliloquis criminationem,detractionémque eripere, dum tot sortium iudices,& telluris diuisores statuit. Abulens. *Fuit ista ordinatio conueniens*,scribit Abulens. citata quæst. *quia si fortè vni soli commissa fuisset ista potestas, posset aliquis conqueri quòd ex affectione dabat plus vni tribui, quàm alteri; cùm verò erant multi simul diuisores, & de qualibet tribu aliquis, non poterat ita præsumi quod ex affectione daretur quibusdam tribubus plusquam alijs.* Adde omnem suspicionem sortibus summum sacerdotem auferre: nec enim dubio adhuc poterat rumore obscurari, quod sacra adeò dignitate omnibus constabat partiri: Cassiodor. *Tuta est conditio subiectorum* (aiebat Cassiodorus 1.var.9.de Episcopo Augustano) *vbi viuitur sub æquitate regnantium: nec dubio decet rumore trahi, à quo debent non mutanda constitui. Nihil in tali honore temeraria cogitatione præsumendum est, vbi, si proposito creditur, etiam tacitus ab excessibus excusatur.* Nihil de Summo Iudæorum Pontifice inquieta adhuc temerè suspicari quibat præsumptio, quando & terræ exhæres, & diuinitatis Antistes. Plurimum etiam ex qualibet tribu diuisores, eósque Principes electos fuisse ad securitatem concordiamque conducebat; nam, vt benè Cassiodorus 1. var. 10. *Vniuersis populis generalis impendenda iustitia, quæ sic nominis sui obtinet dignitatem, si æquabili moderatione per potiores currat.* Dum hæreditatis diuisio per potiores agitur, ritè iustitia coli sine tergiuersatione videtur. Iure ergo Deus qui erga illum populum non solum creationis dominium; sed veluti temporalis Regis munus exercebat, tot Principes diuidendis possessionibus adsignauit: nam licèt Iosue solus diuino pulsu motus sufficeret ad iustitiam,tot socios habere intererat ad concordiam.Et quidem,vt verbis Theodorici 1. var.21. loquar, *Decet Regalis apicis curam generalitatis custodire concordiam: quoniam ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid est enim quod nos melius prædicet, quàm quietus populus, concors Senatus, totáque respublica morum nostrorum honestate vestita?*

Cassiodor. Tuta est salus subiectorum sub æquitate regnantium.

Antistes nec dubia obscurare debet suspicio.

Iustitia melius custoditur, si per potiores administratur.

Plebis concordia ingens Principis laus.

2. *Eleazar Sacerdos, & Iosue filius Nun, & Principes, &c.*

Cùm Eleazar hìc loco Iosue præcesserit,nonnulli disputarunt, an Sacerdos Iosue regiam quodammodo excederet dignitatem. Abulensis quæst.2. censet in veteri testamento nec Sacerdotem summum dignitate Regibus anteire: Abulens. *Status sacerdotalis in veteri testamento non erat excellentior statu Regali; sed iudicabantur Sacerdotes per Reges: & non solum de Regibus,sed etiam Iosue, qui non erat rex, erat maior summo sacerdote.* Colligit hoc ex Numer.27. sed meo videri,ex illo capite potiùs colligere posset contrarium. Et quidem quòd sacerdotalis modò dignitas maior sit Regia, communis Patrum sententia est. Audi Chrysostom. hom.60. Chrysost. *Siue quis dux militiæ sit, siue præfectus, siue Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe.* Attende quæ subiicit: *Maiorem illo potestatem habes.* Et licèt hoc de noui testamenti sacerdotibus dictum, vtpotè horum vmbris; & veteris testamenti videtur conuenire ministris: nihil de his definio, quia Abulensis auctoritati plurimum defero.

Qualis sit dignitas sacerdotalis.

Vers. 2. Sorte omnia diuidentes, sicut præceperat Dominus in manu Moysi, &c.

3. Eò pertinet hæc clausula,vt ratio omnis cùm diuidentium, tum rerum diuisarum constare sibi intelligatur: nam cùm regionum varia fuerint ingenia, aliæque prouinciæ amœnis, lætisque campis ac vberi terra florerent, aliæ verò non adeò feraces; sed montosæ, colentiúmque plus laboribus, quàm frugibus aptæ, iurgia quærelæque excitari possent, si omnia diuino arbitrio cuique provt vult donanti, non censerentur adscripta sed humano fauore donata: dum verò diuino pulsu rationabilis sors sua cuique provt Dei voluntas erat,assignasse creditur, inuidæ criminationis causa præciditur: nam quantumuis vetus reclamarit prouerbium: *Nullus sua sorte contentus*; Iudæi omnia diuino arbitrio adscribentes tenebantur pacatè viuere, omnique amandata inuidia sua colore,nec alienis inhiare. Textus noster innuere videtur Ioseph filios in Leuitarum iura successisse: sic enim Septuag. ait: *Nihil terræ (Leuitæ) acceperunt inter fratres suos; sed in eorum successerunt locum filij Ioseph*

Chald.

feph in duas diuisi Tribus Manasse, & Ephraim. Paraphrasis Chaldaica ferè idem habet. Promissio Abrahæ Genes. 15. facta, etsi octo habuerit filios, in Isaac tantummodò impleta, quasi alij ad Abrahæ semen non pertinuerint: Isaac duos filios habuit Esau, & Iacob; sed Iacob fratris locum tenuit, & hæreditatis iura suis posteris dereliquit: Iacob duodecim filios suscepit, qui omnes, etsi plures ex concubinis nati hæreditatem paterno iure adierunt præter Leui aris sacrificiisque deputatum. An ergo ius Leuiticæ ad hæreditatem tribus ad Iosephi filios translatum, lis interpretibus est.

Abulens.

Abulensis q.3. Iosephi filios successisse Leuitis nisi largo modo non censet: nam antequam Leuitæ per diuinam ordinationem iure illo carerent, iam Ioseph ius habebat duarum sortium in terra Chanaan: nam vt patet Numer. 18. electi fuerunt filij Aaron ad sacerdotium, & humana hæreditate abdicati in deserto: Ioseph autem filij adhuc Ægyptum incolentes ad sortem admissi. Idem censet Masius.

Masius.

Itaque clausula illa: *In eorum successerunt locum filij Ioseph*, quantum ad numerum, non quantum ad ius intelligenda videtur, quasi sensus fuerit; Duodecim tribus terram sortitæ sunt: nam loco Leuiticæ Ephraim numerum duodenarium impleuit. Ita etiam N. Mariana.

Lyra. Marian.

Lyra ius primogenituræ Ruben ob flagitium illud Genes. 49. in patrem commissum ad alias tribus censet traductum, asseritque constare ex dupla respectu aliorum hæreditatis portione, regiáque dignitate, quorum alterum, scilicet regius honor ad Iudæ Tribum translatum, alterum scilicet possessionis duplum Iosepho in filiis concessum. Itaque quod alter ob intemperantiæ flagitium perdidit, alter ob pudicitiæ cultum acquisiuit. *Fuit egregij ac singularis beneficij*, inquit Arias Montanus; *imo, & præmij loco Iosepho diuinitus concessum, vt alterius vncia auctario cumularetur, vtpotè qui aduersis rebus, periculis, & laboribus, iisdémque fratrum reliquorum opera atque fraude procuratis exercitatissimus, & probatissimus non solùm cùm vlcisci suam vicem posset non stultus; sed non benè de se merentum vitæ, saluti, commodisque omnibus diligenter, studiosè, atque efficaciter consuluit.*

Arias Mont.

Abulens.

Abulensis q.4. hanc Lyrani sententiam multis reiicit; illum, si placuerit, consule. Et quidem licet Deuteron. 21. duplex primogenitis portio assignetur, lex illa non poterat ad elapsa, pristináque tempora retrotrahi: ac proinde cùm huius legis vi Ruben ius illud non haberet, neque ad Ephraimitas priuilegio aliquo transferri potuit. Adde quod licèt demus duplam primogenitis hæreditatis portionem, hoc solùm euincit Iosephi tribum vnicam duplici parte donandam; non verò in duas tribus diuidendam. Censet ergo Abulensis Ephraim in filiorum numerum adoptatum ab auo, adoptionisque iure hæreditatè adiisse. Itaque adauctus est, & annumeratus est reliquis, qui possessiones filiationis adibant titulo, adoptionis priuilegio: quod satis Ephraimitis decorum, dum non natura, sed meritis deliguntur. *Hi* (loquitur Theodoricus 3. variar. 2. de adoptatis) *gratiam non de natura; sed de solis meritis habent, quando vinculo animæ obligantur extranei, & tanta in hoc actu vis est, vt priùs se velint mori, quàm aliquid asperum patribus videatur infligi.* In iure adoptio naturæ leges sequitur. Vide l. Adoptio. ff. de adoptionibus: *Adoptio naturam imitatur:* & præcipuè hic vbi adoptatus non erat illi cognationi extraneus, sed sanguine coniunctissimus.

Cassiodor.

Adoptio naturam imitatur.

§. II.

Commentarius litteræ.

Vers 6. Accesserunt itaque filij Iuda ad Iosue in Galgala, locutúsque est ad eum Caleb filius Iephone Cenezæus: Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysem hominem Dei de me, & te in Cadesbarne.

CHALDAICA paraphrasis ita habet: 4.
Et accesserunt filij Iuda ad Iosue in Galgala, & dixit ei Caleb filius Iephone Kenizæus: Tu nosti verbum quod locutus est Dominus cum Moyse Propheta Domini super causam meam, & super tuam in Rekam Geah. Abrumpitur hìc cœpta sortitionis narratio: nam Iudæi cum suo tribuli Calebo tunc primùm interpellauere Iosue de Hebrone, cùm ad sortitionem iam iam paratum animaduerterent. Potuit equidem Calebus, cui locus, de quo hìc interpellat, debebatur, vereri ne si cum cæteris possessionibus in vrnam conijceretur, alteri cuipiam sorte eueniret, quod, & diuini promissi offensa, & dignæ honestissimæque eius olim audaciæ videbatur iniuria, quandoquidem irremuneratam manere, virilis constantiæ, masculæque fortitudinis, qua ignauos diffidentésque ad honesta prælia intrepidus animarat, haud modica videbatur exprobratio. *Tribuenda est iustis laboribus compensatio præmium.* (scribit Theodoricus 2. variar. 18.) *quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata transitur. Athletam populus palma designat esse victorem: sudores bellicos Ciuica corona testatur.* Mons ergo ille Calebo adscriptus æternum sæculis eius virilis animositatis extabat præconium, vt erat denegatus, si dicere licet, conuitium. Lis est inter auctores, an Caleb suæ Tribus Principes aduocarit; vt eis stipatus Iosue adiret, possessionémque sibi diuino oraculo promissam peteret; an tribus ipsa per proceres suos hæreditatem sibi in primis dari à Principe flagitarit, cuius petitionis opportunitate Caleb vnus è præcipuis, aut fortè Tribus Princeps promissorum sibi meminit; adeóque commodam occasionem nactus Iosue, & testem, & Principem interpellauit. Hoc vltimum verum censet Abulensis quæst. 5. Lyra, Arias Montanus, & Masius, & alij primum illud firmiter statuunt: pro his sto, & quidem si sorte hæreditates diuidendæ, nec Iosue arbitrium, sed vrnæ iudicium spectandum, inutile prorsus videbatur à Principe petere, quod erat sorte rationabili declarandum, Caleb verò quia sibi veluti priuilegio quodam mons ille debitus, promissam terræ portionem seclusa sorte grauissimis productis causis dari sibi prudentissimè efflagitauit. Vocatur Caleb filius Iephone Cenezæus, & filius Esron 1. Paralip 2. circa quæ nomina non vna omnium sententia est. Hæc ita componit Abulensis citata quæst. 5. scilicet

Chald.

Theodoric. Militia exprobratur, si irremunerata relinquitur.

Abulens. Lyra. Arias Mont. Masius.

1 Paralip 2. Abulens. Vnde Caleb dictus Cenezæus.

licet quòd mortuo Iephone Cenez acceperit in vxorem matrem Caleb: & quia tunc Caleb erat paruus, nutritus eſt à Cenez, & inde vocatus eſt Cenezæus. Alij aſſerunt quòd Cenez fuit frater Caleb maior ipſo, & quando mortuus eſt Iephone pater eorum, manſit Caleb ſub cura fratris ſui, quem habuit tanquam patrem, & inde vocatus eſt Cenezæus. Hanc ſententiam reprobat Abulenſis: primam illam vti dubiam admittit: quia exiſtimat à vitricis priuignos cognomina non mutuari, nec appellationes ſortiri. Arias Montanus auum vel proauum Caleb ſtatuit Cenez, vt Eſronem etiam, à quibus vt honorem nobilitatémque, & nomina Calebus accepit. (Montan.) *Horum patrum, & auorum nomina* (verba ſunt Montani) *vt apud ſuos illuſtria atque celebria in Calebi commemoratione laudantur, atque ipſum legitimum in familia ſuæ imaginibus, & faſtis agnoſcendum, aſſeuerandúmque probant.* Idem Mariana: (Marian.) *Pater Calebi*, inquit, *fuit Iephone, auus Cenez.* Thalmudici Rabbini (Rabbini.) in *Themorah* nomen non proprium, ſed appellatiuum teſtantur, quaſi filius Iephone nil aliud ſonet, quàm prudentem prouidúmque, vel diuerſionis filium, quòd ſe ab improborum exploratorum criminatione diuerterit. Ridicula interpretatio. Serarius (Serarius.) hic q. 3. duos arbitratur fuiſſe Calebos, alterum, de quo 1. Paralipom. cap. 2. alterum de quo hic. Caleb, ſeu Celeb, quod canem ſonat, quia exploratoribus illis ignauis ſanè dignis conſtantiæ vocibus adlatrauit. Rupertus (Rupert.) lib. 8. de diuin. offic. cap. 7. cor interpretatur: quia totus cor, vel quia ex toto corde veritatem amplexus eſt. Auctor quæſtionum in Paralipom. autumat Cenez locum eſſe quemdam, a quo Calebo nomen deriuatum. Pro hac ſententia videtur Hieronymus: improbat N. Salianus (Salian.) tom. 2. anno mundi 2589.

Noſti quid locutus ſit Dominus ad Moyſem hominem Dei de me, & te, &c.

5. Producit Calebus cauſam, & quidem iuſtiſſimam, ob quam mons ille ſibi debeatur, quòd ſcilicet Moyſes Dei nomine promiſerit, cùm exploratorum impiorum numero ipſe totis nitibus fideque plena in Cades-barne refragatus fuerit. An promiſſum hoc Moyſis ſacris litteris proditum, an ſolum nonnullis adſtantibus factum dubium eſt. *Sunt ergo qui exiſtimant*, inquit Maſius (Maſius.), *promiſſa illa, quæ Calebo Moſes tanquam Dei interpres tum promiſerat, cum ille fortiſſimè cauſam huius aduerſus ſociorum calumnias defendiſſet, non eſſe ſacris litteris proditâ memoria; quippe quæ ſeorſim, vnóque Ioſue conſcio fuerint dicta.* Et quidem interpellatio Ioſue vti teſtis hanc firmare cogitationem videtur: quid enim neceſſum erat Ioſue conſcientiam citare, ſi ſacris monumentis traditum, notitiaque publica ſtabilitum: Nihilominus forè omnes hanc promiſſionem cenſent illis contineri verbis Numer. 14. (Num. 14.) *Seruum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc, quam circuiuit, & ſemen eius poſſidebit eam.* Hæc verba non de tota Chananæa, vt liquet, accipienda ſunt, ſed de Hebrone, vt placet Rabbinis. Aſſerunt eam rationem, ſcilicet quia Calebus ad illum montem acceſſit, cùm cæteri propter gigantes comitari nequaquam auderent: Addit N. Salianus (Salian.) ex Rabbinorum ſententia, iuiſſe vt ſepulchrum Abraham, Iſaac, & Iacob veneraretur, in cuius pietatis fortitudiniſque mercedem Dominus Hebron ei promiſerit. Hæc prorſus nugatoria ſunt, vtpotè nullo Scripturæ nixa fundamento; ſed vt verbis Saliani vtar, innuunt piam Sanctorum locorum, & reliquiarum venerationem longè antiquiſſimam. (*Sepulchra Sanctorũ adire honeſtum.*) Maſius (Maſius.), cui adſtipulatur Salianus N. putat, cùm exploratores ob gigantum, quos in Hebrone viderant, metum turbas illas in populo excitaſſent, Calebum, quò efficaciùs ſedaret animos, turbidámque illam altercationem componeret, peculiariter ſibi pro ſua hæreditatis portione eum locum, qui ignauos homines metu exagitabat, conſtantiſſimè eflagitaſſe, Moyſémque in tantæ fidei præmium promiſiſſe, ſacramentóque interpoſito confirmaſſe. Moyſis nomine repetere poſſet Caſſiodorus (Caſſiodor.), quæ olim Stephano 2. variar. 28. Calebo noſtro: *Dignum hoc homini reddere, qui per honeſta cognoſcitur obſequia placuiſſe: per tot enim actionum lubricos caſus fixum tenuiſti militia probata veſtigium: & quod raro in ſeruiente prouenit, permutatio iudicum nunquam circa te variauit affectum ... Vocabulum Principis nulla ſorde maculaſti ſeruans dignitatem nominis exercitatione virtutis.* (*Dignitatis vocabulũ ſeruatur exercitatione virtutis.*) Notat Arias Montanus (Arias Mont.) licèt factam ſibi promiſſionem minis in ſceleſtos admixtam nouerit, nihil de expleto iam ſupplicio protuliſſe; ſed ea tantùm, quæ ad cauſam ſuam ſpectabant, commemoraſſe: *Iudicium*, inquit, *quanquam exercitum, atque euentu ipſo comprobatum; tamen à Calebo prudentiſſimo viro non recenſetur; ſed ea tantum referuntur, quæ ad rem ſuam facere propriè exiſtimabantur.*

§. III.

Commentarius literæ.

Verſ. 7. vſque ad 12. Quadraginta annorum eram, quando miſit me Moyſes famulus Domini de Cadesbarne, vt conſiderarem terram, nunciauique ei, quod mihi verum videbatur.

6. (Chald.) CHALDAICA paraphraſis ita legit: *Filius quadraginta annorũ ego, quãdo miſit Moyſes ſeruus Domini me ex Rekam Gead ad explorandam terram, & retuli illi verbum vt id, quod fuit cum corde meo.* Aliter Septuaginta (Septuag.): *Quadraginta annorum eram, quando miſit me Moyſes famulus Domini de Cadeſbarne, vt conſideraram terram: & reſponderunt ei ſermonem iuxta mentem eius.* Petebat Caleb eam ſibi dari poſſeſſionem, quæ prorſus non expugnata; ſed nonnullis incolis, eiſque giganteæ proceritatis fortitudiniſque munitam; & ne procera ætas, quæ minùs pugnæ videtur apta, ducis animum retardaret, ætatis, quam explorator habebat, meminit, eamdémque prorſus ſibi fortitudinem modò ineſſe ad debellandos hoſtes palam aſſeruit. Et conſultè quidem: poterat namque prudentiſſimus Ioſue ſenilem eius ætatem cenſere exuccam, præliiſque inidoneam? & quidem videri poſſet in populi detrimentum vergere, poſſeſſionem fortiſſimis incolis occupatam ſeni adſcribere: nam ab hoſtibus, vt ſuſpicari erat, facilè

cæſus,

cæſus, audaciam illis pareret, & Hebræis ignominiam afferret. Hanc ergo exceptionem præoccupat vegetum robur, & infractas vires oſtentans. *Ne fortè Ioſue*, inquit Salianus, *illius ſenilem ætatem, & infirmitatem excuſaret, præmiſit viuidam & virentem ſenectutem ſuam; ſed addit etiam ſpem in diuina ope nixam, cuius videatur intereſſe ſtare promiſſis, & dare media neceſſaria ad illum finem.* Profectò Calebus ſuam allaudat fortitudinem eo animo, vt ducem populique Principem certiùs informet, & viuaciùs inflammet; verùm licèt ea protulerit non laudis deſiderio; ſed certaminis noui ſtudio, magna ipſius erant panegyris: nec enim ſi per obſcœnas voluptaptes, ſordidáſque delicias vitam traduxiſſet, is membrorum vigor, viriúmque conſtantia duraret. De Catone Porcio ita Liuiùs decad. 4. lib. 9. *Inuicti cupiditatibus animi erat, & rigidæ innocentiæ, contemptor gratiæ diuitiarum. In parſimonia, in patientia laboris, periculique ferrei propè corporis, animique, quem nec ſenectus quidem, quæ ſoluit omnia, fregerit, qui ſextum & octogeſimum annum agens cauſam dixerit, ipſe pro ſe orauerit, ſcripſeritque.* Animi voluptatibus intacti vt vires non dilapidant, ſic fortitudine lapideſcunt. Pro ſe repetere poterat Calebus, quod Auſonij pater apud ipſum idyl. 3.

Salian.

Liuius.
Qualis fuerit Cato.

Auſon.

Nonaginta annos baculo ſine, corpore toto
Exegi cunctis integer officijs.

Aliter accidit his, qui noctis, luciſque officia peruertunt, & nouas oblectandis impurè animis voluptates architectantur. *Iſtorum*, inquit Seneca epiſt. 123. *corpora fœda viſuntur: quippe non ſpecioſior illis, quam morbo pallentibus color eſt: languidi & euanidi albent, & in viuis caro morticina eſt... Omnia vitia contra naturam pugnant.* Voluptates ſuas contra corporis valetudinem plures, in aciem adducunt, & dum abutuntur viribus, viribus etiam nudantur. Fomenta ſecum affert luxus, potus, libido. Calebus integris conſtat viribus, plenóque viget robore, etſi tot laboribus, tótque præliis exercitatus: quia vires potiùs eneruant delicioſa Veneris exercitia, quàm periculoſa Mauortis bella.

Senec.
In viuis aliquando caro morticina eſt.

Fratres autem mei, qui aſcenderunt mecum, diſſoluerunt cor populi: & nihilominus ego ſecutus ſum Dominum Deum meum.

7. Hebraica littera: *Liquefecerunt cor populi*, Chaldaica paraphraſis: *Fregerunt cor populi*. Septuaginta: *Diſſoluerunt mentem populi*, loco illius: *Ego ſecutus ſum Dominum*. Hebraicè: *Impleui poſt Dominum*: Chaldaicè: *Ego compleui poſt timorem Domini Dei mei*. Septuaginta: *Decreui ſequi Dominum Deum meum.* Mariana deſumptam putat metaphoram ab his, qui Deo exacte obediunt: quique eius mandata perfectè implere aſſeruntur. Quaſi dicat Calebus: ſecutus Dominum eius mandata impleui. Maius illuſtriuſque facinus puto in deprauatorum frequentia comitum adeò firmam retinuiſſe conſtantiam, vt nulla fuerit contagione inquinata, quàm in illa monſtra proceræ magnitudinis animosè bella tentaſſe, diſcerpendáque panis adinſtar crediſſe. Maſius aduertit nonnunquam iuſtos aliorum errata, ſuáque præconia proferre non vanæ gloriæ auidos, aut alienæ excellentiæ inuidos; ſed vt ea recordatione ſe animent, rectéque ſuperioris vitæ factis ad ſemper potiora accendantur exempla ſociorum Calebum fortiter impellebant: ideóque laudabiliùs ſtetit, vbi excuſabiliùs cecidiſſet. *Quæ ciuitas*, inquit Aurelius 10. var. 13. *non fiat excuſabilis, ſi Roma deliquerit? Rex minor ad potiorum currit exemplum, & alieni facti iure inuidiam ſuſtinet, qui peccatis præſtat exemplum; ſed gratias diuinitati referimus, quæ dona ſua veſtris potiùs ornauit exceſſibus.* Reliquorum exceſſus Calebi virtutem cumulatiùs ornarunt, & ornatiùs adauxerunt. Fratres vocat explorationis collegas, non quia idem omnibus genus; ſed quia idem omnibus munus: nec ab illa generalitate Ioſue excluſit, quia cum illo verba faciebat, & quia iam fidei virtutem Ioſue ſibique communem prædixerat.

Septuag.
Chaldaic.
Hebraic.

Marian.

Plus eſt à peruerſis non lædi, quàm in monſtra depræliari.

Maſius.

Aurel.
Aliquorum gratia de aliorum ornatur exceſſibus.

Iurauitque Moyſes in die illo dicens: Terra, quam calcauerit pes tuus, erit poſſeſſio tua, &c.

Sic Moyſes illo pietate fidéque fulguranti officio permotus eſt, vt quæ deſiderare poſſet Calebus & præmij loco promitteret, & iuramenti interpoſitione firmaret. Numer. 14. Dei nomine iuramentum patratum legitur: *Viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuerſa terra*, &c. Sed quia Moyſes verba illa Dei inſtrumentum protulit veluti diuinorum arcanorum interpres, nullo diſcrimine ipſi, quæ Dei erant, Calebus attribuit. De iuramentorum formulis plura apud interpretes paſſim occurrunt: ideò hìc abſtineo. Moyſis iuramentum eò ſpectabat, vt notum exinceps omnibus, ipſique firmum Calebo eſſet, terram illam, quam luſtrauerat, ipſi eiúſque poſteris in virilis conſtantiæ, qua ſe in tot pericula coniecerat, remunerationem tradendam. Et quidem vterque Moyſes & Calebus ſuo muneri exactiſſimè ſatisfecit; hic, quia non ſolùm laudabili audacia aduerſariorum vires animoſus deſpexit; ſed etiam inſanis populi furoribus, mendacibus ſociorum calumniis, temerariiſque ignauorum ſeditionibus ſe infractus oppoſuit: ille, quia nec debita diſtulit præmia, nec digna diſſimulauit elogia. *Efficit gloria* (ſcribit Plutarchus de tranquillitate animi) *atque in honorare eſſe adiuncta aliqua potentia laborem dulcem, ærumnáſque faciles.* Dulcorauit ſanè Moyſes induſtrios Calebi labores, dum & potentiam auxit, & laudes adiunxit. In æternam promittitur poſſeſſio; ſed Hebraicum verbum *Gholam* aliquando æuum, aliquando perpetuitatem, aliquando carentem fine æternitatem ſignificat. Et, vt benè Arias Mont. *Gholam iuxta argumenti rationem adnotanda ſignificatio eſt: quod nomen Latinus interpres interdum ſæculum, nonnunquam æternum, aliquando perpetuum, & non rarò nondum interpretatur rerum ratione atque ſententia id exigente.* Promiſſa terra Calebo Hebron erat, quam exploratã peragratámque, quãtumuis gigãtibus muniretur, ex diuini præſidij, quo nihil non facilè fit, certiſſima ſpe ſubigendã, expugnandámque prædicauerat. *Cõceſſit ergo Dominus vitam mihi*, &c. In diuini promiſſi argumentum vitam adeò prolixam ſibi conceſſam aſſerit, vt cum aliis viginti tunc annos agentibus limina illa ſalutare non licuerit, ipſi eiſdem viribus præualenti, antiquáque etiam refragantibus annis fortitudine prædito viſere, & calcare contigerit. Adde ſpes ſuas per quadraginta quinque annos dilatas ac proinde opportunitate iam inuitante nullatenus in vlteriora tempora retardandas, quandoquidem aliquibus ſatiùs eſt ſpes ſuas præcidi, quàm trahi. Audi Senecam lib. 2. de benef. cap. 5. *Nihil æquè amarum quam*

8.

Num. 14.

Plutarch

Montan.

Senec.

Amarum est diu pendere.

diu pendere: *æquiori quidam animo ferunt præcisi spem suam, quàm trahi.* Clausula illa: *Ex quo locutus est Dominus verbum illud ad Moysem, quando ambulabat Israel per solitudinem,* paulò aliter habetur in Chaldaica paraphrasi: *Verbum hoc cum Moyse, qui ambulauit cum Israel in solitudine,* scilicet, Moyses.

Chaldaic.



§. IV.

Commentarius litteræ.

Vers. 12 vsque ad 15. Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus te quoque audiente, in quo Enacim sunt, & vrbes magnæ atque munitæ, si fortè sit Dominus mecum, & potuero delere eos, sicut promisit mihi.

9. Chaldaic.

CHALDAICA paraphrasis: *Et nunc da mihi montem hunc, quem locutus est Dominus in die illo: nam tu audiuisti in die illo, quia fortes ibi, & vrbes magnæ munitæ, si forte erit verbum Domini in auxilium meum, & possidebo eas iuxta id, quod locutus est Dominus.* Septuaginta clariùs periodum reddiderunt: *Et nunc peto à te montem istum, sicut dixit Dominus in die illa, quoniam tu audiuisti verbum hoc in die illo: nunc autem Enachim illic sunt vrbes magnæ atque munitæ. Si igitur Dominus mecum fuerit, delebo eos, sicut dixit mihi Dominus.* Pulcherrimò, artificiosóque epilogo, quæ antea tractauerat, hîc concludit: concedendum videlicet sibi montem ob diuini promissi integritatem, ob oppigneratam Moysis fidem, ob ipsius Iosue supremi tunc ducis citatam de hac re conscientiam. Clausula illa, *Te quoque audiente*, in vulgata, nullatenus impedit sententiam; at verò quia in Chaldaica aliter interpungitur, videtur ad sequentem versum referri. Itaque si loquatur de iuramento, pollicitationéque sibi facta, illud *te quoque audiente*, propriè accipiendum est: nam Iosue tunc testis aderat, Moysísque verba auidis auribus excipiebat; at si illud *Te quoque audiente*, clausulæ sequenti adnectatur, erit sensus: Montem hunc à me efflagitatum gigantes occupant, vt tu audiuisti: nec absurdum est asserere Iosuam audisse, quasi non vna cum aliis speculatoribus ipse illuc accesserit: nam ibi *audire*, pro cognoscere sumitur: nec scripturæ insolitum vnius actum ad aliorum sensuum actus, & potentiarum extendere. A rei, quam ambit difficultate suam petitionem honestat; quippe quæ eiusmodi sit, vt impetrata cum summa difficultate, periculis, & laboribus sit coniuncta. Et quidem idem sibi robur inesse, eundémque diuini honoris zelum expertè ipsa petitio testatur, quandoquidem & difficilia aggrediebatur prælia, & horribilia diuino fretus auxilio aspernabatur proceræ magnitudinis monstra. Itaque eadem gens, quæ olim Calebi collegis terribilis atque immanis iudicata fuit, modo ciuitates incolit; imò plus bellorum experta, & munimentis ciuitatum adauctis tuta. *Interdum*, scribebat Cassiodor. 6. var. 12. *assidui labores etiam ipsas ingratas faciunt dignitates, dum imbecillitas humana citò solet sustinere fastidia: & quod prius ambisse creditur, posteà vitare velle sentitur... Dulce est aliquid sic mereri, vt nulla possit anxietate turbari: dum multò gratius redditur, vbi prosperitatis sola gaudia sentiuntur.* Ipsa montis, si hoc digna vocabulo, ambitio, virilem constantémque Calebi deprædicabat valentiam nullis difficultatibus impeditam, nullisque laboribus fractam.

Septuag. — Cassiodor. — *Assidui labores ingratas faciunt sæpè dignitates.*

10. Illud *si fortè sit Dominus mecum*, spem difficultate mistam continere videtur. Et fortasse dicat quis parum consentaneam istam Calebi rationem audenti illi fiduciæ, quam olim præseferebat apud Moysem, & vniuersam multitudinem, dum collegarum suorum calumniis fidus resisteret, hostésque quantumuis gigantea proceritate, vti panis frustula discerpendos animosus assereret; cùm dubitanter modò ad speciem de bellorum disputet euentu: & supernorum auxilio; verùm Masius Calebum ab hac iniuria doctissimè vindicat; imò ex his verbis humillimam eius modestiam, & modestissimam humilitatem dilaudat: asserebat olim de vniuerso populo: *Vt frustum panis deuorare possumus*: nam de vniuersa Ecclesia fiducia semper debet esse certissima: hic tamen quia de se tantùm sermonem fecit, conditionem illam apposuit, non quòd diuino diffideret auxilio; sed quia sciebat impediri sæpe sæpiùs peccatorum obstaculo. Itaque non dubitat secum diuino auxilio hostes, quantumuis gigantes profligaturum; veretur tamen ne ipse impedimento victoriæ sit, dum propriis flagitiis diuinis aduersatur auxiliis. Audi Masium: *Hic nihil de se priuatim; sed vniuersè de populi Dei victoria dicebat; hic autem de se modestè sentit, minimè ignarus mortalium quemque sæpe vel propensissimam Dei erga se voluntatem, & gratiam auertere suis vitiis.* Magallianus Noster illam, *si fortè* dubitationis particulam non ad Calebi, sed ad populi dubitationem referendam censet. *Obseruatum est*, inquit, *in sacris litteris plerúmque dubitationem non ex persona dicentis, cui firma est, & constans fiducia; sed ex parte audientis accipiendam.*

Masius. — Magalian. — *Aliquando dubitatio ex parte audientis non ex parte dicentis accipienda.*

11. *Benedixitque ei Iosue, & tradidit ei Hebron in possessionem, &c.* Benedicendi triplex in Scriptura inuenitur modus: aut enim creator benedicit creaturam, aut creatorem creatura, aut creaturam creatura. Deum creaturæ benedicere est paternam suam benignitatem reipsa conferre, palámque facere sibi curæ esse ea omnia, quæ ad creaturæ commoda, salutem, vtilitatémque pertinent: interdum hoc ad futurum tempus spectat, & propter promissionum Dei constantiam illæsámque veritatem ipsa promissio iure benedictio appellatur; at cùm Deo benedicit creatura, cùm nihil in ipsum commodi, aut vtilitatis à quoquam possit conferri; quippe qui ipsam rerum vniuersitatem dominio possidet, tantummodo denotat gratum erga Numen animum, ardénsque desiderium eius vulgandi nomina, prædicandique mirabilia. Tertium benedicendi genus est quando Dei nomine ritè inuocato per administrum Sacerdotem super fidelium cætum ipse Deus efficitur propitius, & ex se misericors benignúsque sanctissimè cietur, recordationéque suorum promissorum quadantenus, si dicere liceat, adigitur. Huius benedictionis formulam Numen ipsum Aaron & filiis eius

Quæ benedicendi differentia.

eius conceptis verbis præscripsit Numer. 6. Iosue ergo Dei quidem minister bona imprecatus est Calebo, laudes addidit, & quod desiderabat, concessit. Iam aliquis existimet Calebo eiusque posteris solemni ritu Hebronem iure hæreditario addictum traditúmque, qualem ritum foréses inuestituram vocant. *Nomen autem Hebron antè vocabatur Cariath-arbe. Adam maximus ibi inter Enacim situs est, & terra cessauit à prælijs.* Septuaginta nomen Adami siluerunt: ita vertunt: *At nomen Hebron prius vrbs Arbe metropolis ciuitatum Enachim hæc, & terra cessauit à bello.* Chaldaica paraphrasis: *Et nomen Hebron ab antiquis Kiriath Arbagh homo magnus in fortibus ipse, & terra quieuit à faciendo bello.* Hieronymus de nominibus Hebræis Hebronis nomen acceptum censet ab Hebrone filio Calebi, cuius mentio 1. Paralipom. 2. capite inuenitur. Masius in hac re hæret: num Hebraica verba אבי חברון significant idem quod pater Hebronis: quæ potius Principem, quàm nomenclatorem putat significare. Et quidem Principes Reipublicæ patres antiquitus nominari certo certius est. *Patrem quidem patriæ appellauimus*, inquit Seneca de consolat. Sap. cap. 14. *vt sciret datam sibi potestatem patriam.* Verùm cùm antiquum nomen huius vrbis Cariath-arbe apud omnes fuerit, imprudens coniectura non erit Hebronis tūc nomen recens, & vti antiquum ab antiquo, ita nouum à nouo possessore, & domino mutuari. Cariath-arbe, si Latinè reddas, vrbs Arbe est, id est, ciuitas, quam Arba potentissimus inter Enacinos extruxit: cur autem Arba iste, quem Chaldaica *homo magnus in fortibus ipse*: & vulgatus noster, vt videtur, *Adam maximus* vocauit, ea gloria apud suos excelluerit, dubium: fortassis de immensa corporis mole, qua gigantibus ipsis præstabat, sibi opinionem parauit: aut fortassis, quod textui congruentius videtur, apud gentem illam principatus dignitate præcelluit: nam Enacini à quodam viro nomine Enac, non ab Arba prognati videntur. Dicunt nonnulli Rabbinorum Arba vocatum quia quatuor ipse scilicet, cum Tribus filiis Achiman, Sesai, & Tholmai dominatum in Hebron habuerint; sed puerilis coniectura. Rabbi Salomon putat ciuitatem illam structam à Chan Noë filio. In Commentariis Hebræorum antiquis aliis litteris illud Arbe denotatur, scilicet ארבע *Arba*, hoc est quatuor, quod nomen ideò impositum asserunt: quia priscis sæculis quatuor pij viri, scilicet Aner, Eschol, Mamre, & Abraham ciuitatem illam inhabitarunt: & quia quatuor matronæ celeberrimæ famæ sepultæ, Eua, Sara, Rebecca, Lia. Item quatuor celeberrimi Patriarchæ Adam, Abraham, Isaac, & Iacob: item quia Abraham inde quatuor Reges insecutus percusserit; sed omnia ista parum firma, quia pro libito asserta. D. Hieronymus in ea est sententia, vt putet primum humani generis parentem Adamum illis fuisse humatum. Adstipulatur Abulensis quæst. 10. Hebræi de suo Abrahamo omnia intelligunt; sed inter tot Hebræorum nugas, *illud vnum*, inquit Masius, *relatu non est indignum, quod aiunt Abrahamum sub mediam conditi orbis ætatem in hoc mortalium theatro à Deo esse productum, vt sua ipse virtute, & quæ ante fuissent, & quæ post ventura essent sæcula, veluti fulciret.*

Septuag. Chaldaic. Hieron. Masius. Senec. *Principes appellantur patres.* *Vnde Hebron nomen acceperit.* R. Salomon. *Adam in Hebrone humatus.* Hieron. Abul. Masius.

Naxera in Iosue Tom. 2.

Mariana] noster ex his verbis natam opinionem de Adami sepultura testatur, licèt ipse nomen illud Adam pro homine sumat: *Adam*, inquit, *id est, homo magnus in Enacim fuit, scilicet Arbe, qui vrbi illi nouum nomen dedit.* Septuaginta teste Mariana illud Adam sumunt pro ciuitate, quasi dicant: ciuitatum illic sitarum metropolis, & maxima Hebron *Et terra cessauit, a prælijs.* Abulensis clausulam istam ex immediata non pendere testatur: nec enim sensus est terram cessasse à bellis, quia ibi maximus ille sepultus; sed more historico postquam relatum est vetustum ciuitatis nomen, conditorisque sepulchrum, addit textus terram cessasse à præliis, quia iam non pugnauit totus Israël contra Chananæos, sicut priùs pugnauerat; sed dato Hebrone Calebo totus populus exinceps cum Iosue, Eleazaro, & tribuum capitibus omissis tunc bellis ad sortitionem accinctus est, licèt posteà nonnullæ tribus expeditiones in hos, vel illos Chananæos adornauerint, prosecutíque prælia fuerint.

12. Marian. Septuag. *Omnia fulcit viri magni sepulchrū.* Abul.

§. V.

Sancti inuicem se diuinis excedunt prærogatiuis, & cælestibus superant excellentijs.

NOn omnia possumus omnes: hîc segetes, illic veniunt felicius vuæ, aiebat Maro: & quidem sic diuina prouidentia magnatibus egregias virtutum dotes est impertita, vt quisque aliqua deuictus aliqua alterum deuicerit excellentia, ita sacræ æmulationis digna flabellatur flamma, superbiæque propulsatur ruina, dum illorum quilibet, alterius prærogatiuam intuitus generosè confunditur, nec de propria virtute extollitur: alius animi constantiam commendat, alius virtutem castitatis exaggerat, alius fidelitatis laudem illustrat, cúmque omnia in omnibus, in singulis relucent singula. *Mutius*, inquit Tertullianus, in Apologet. cap. 49. *dexteram suam libens in ara reliquit: ô sublimitas animi! Empedocles totum sese Catanensium Æthnais incendijs donauit: ô vigor mentis! Aliqua Carthaginis conditrix rogo se secundum matrimonium dedit: ô præconium castitatis! Regulus ne vnus pro multis hostibus viueret, toto corpore cruces patitur: ô virum fortem, & in captiuitate victorem! Anaxarchus cum in exitium ptisanæ pilo contunderetur, tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis: ô Philosophi magnanimitatem, qui tali de suo exitu etiam iocabatur!* Ecce in alio magnanimitatem, in alio constantiam, castitatis in alio amorem: nullus omnibus fulgebat prærogatiuis; sed singularibus supergressus est excellentiis: quódque externis exemplis vides, in sacratioribus virtutis alumnis etiam contemplare Moyses terram ante Iordanem duabus tribubus, & semis diuisit: *Duabus tribubus, & dimidia dederat Moyses trans Iordanem possessionem*: reliquis, nouem scilicet, & dimidiæ, tribuit Iosue: *Nunc diuide terram in possessionem nouem tribubus, & dimidiæ Tribui Manasse.* En Iosue diuisæ quantitate telluris excedit, en Moyses primus diuisit. Moyses

13. Virgilius. Tertull. *Animi in arduis resplendet castitas fortitudo.* Iosue 13. v. 7.

sine sortitione, Iosue vrnâ. *Refertur*, scribit Origen. Adamantius hom.17. in Iosue, *itáque prima, & secunda hareditatis diuisio: prima quidem per Moysem, secunda, qua, & potentior, per Iesum facta est: Moyses trans Iordanem Ruben, & Gad, & dimidia Tribui Manasse dedit possessionem; alij vero omnes per Iesum accipiunt hareditatem.* Moyses primæ diuisionis sortitur gloriam, Iosue laudem obtinet amplioris: inuicem se vterque excedit: alter alterum tempore, & alter alterum amplitudine: sic disposuit cælestis prouidentia, vt Iosue Moysem, vtpotè primum, suspiciat, & Moyses Iosue, vtpotè amplioris sibi auctoritatis, præponat.

14. Deus Abrahamo humana effigie conspicuus apparet, arcanum Trinitatis mysterium reserans: Gen.18. v.3. *Cum eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cum vidisset, occurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram, & dixit: Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* Moysi idem Dominus flammanti, illæsóque rubo apparet; sed personas celans, gloriæ maiestatem conspicua luce declarans: Moyses nomen rogat, & Dominus beneficus aperit: Exod.6.v.3. *Ego sum Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* En Moysi nomen indicat, personas celat, Abrahamo nomen celat, personas indicat: si illorum quis de diuinis cum altero beneficiis contendat, & vincet, & alij cedet: vincet speciali beneficio, vincetur singularissimo dono. Adest Augustinus serm.68. August. & eodem tempore: *Cum illic positus amplius cælum intenderet Patriarcha, ecce subitò in trium virorum persona maiestas incorporea descendit: occurrit, properat, manus supplices tendit, &* Abraha Trinitatis cognitio. *transeuntium genua obsculatur. Videtis: Abraham tribus occurrit, & vnum adorat. Trina vnitas, & vna Trinitas: vt eo ergo quod tres vidit, Trinitatis mysterium intellexit; quod autem quasi vnum adorauit, in tribus personis vnum Deum esse cognouit.* Nomen nondum illi proditum; mysterium tamen Trinitatis est reseratum; Moysi nomen reseratum; sed Trinitatis rubo mysterium non proditum: excelluit Moyses sacri nominis notitia, Abrahamus agnita numeri sacrati differentia.

15. Hoc ipsum Ioannes, & Petrus testantur: marinis vndis Tyberiadis fluctibus noctem piscationis desiderio posuerant; sed multis retium iactibus nihil prendiderunt: illórum ambitum nondum infelix extinxerat experientia, quia flabellabat suspensa semper fiducia: laborabant in cassum, nec infausta sors laborandi mitigabat affectum. Dominus deuicta morte, vlulantibus inferis in littore gloriosus apparet, & cum de gloriæ fulgore posset agnosci, de collato maluit beneficio censeri: pueros vocat, quos defessis magni ponderis rebus spectabat fatigari paternis bus: illi non sine rubore operam se in piscatione testantur amittere. Iubet Dominus ad nauigij dexteram rete iactari, & iam vno iactu laborem cumulatè compēsant, & scapham gratis ponderibus onerant. Ioannes, vt erat perspicua intellectus acie, Dominum citiùs agno- Ioan.21.v.7. uit: *Dixit discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est.* Petrus sacra amoris impatientia feruens marinis se fluctibus commendauit: *Simon Petrus, cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se; erat enim nudus, & misit se in mare.* Intuere Petrum, & Ioannem de virtutis prærogatiuis certantes: Ioannes aquilino citiùs intuitu agnouit, Petrus ardentiori affectu per æquoris terga inuolauit. Petri gloriosissimi pedes, Ioannis oculi gloriosissimi: illorum neuter, & aspexit, & præcucurrit; sed qui visus excelluit perspicacia, honesta victus est impatientia: & qui vndas enauigauit pedibus, victus remansit luminibus: non defuit Ioanni in illa tanta oculorum perspicientia, quod elationem reprimeret, promptior scilicet condiscipuli audacia, suíque ad speciem oscitantis pigritia: eodémque modo Petrus, ne extolleretur per vndas gressu, de caligante confundebatur obtutu, quo vterque, & aliqua eximius excellentia, & ad speciem aliqua depressus culpa. Opportune Chrysostomus apud D.Thomam: *Petrus, & Ioannes suos proprios modos* Chrysost. *ostenderunt: Ioannes enim perspicacior erat, & ideo primum cognouit Christum: vnde sequitur: Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro Dominus est... Petrus autem feruentior erat, & ideo promptius venit ad Christum: sequitur enim: Simon Petrus, cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se: erat enim nudus.* Petrus affectus ardore Ioannem superabat, Gene.29. v.17. Ioannes Petrum intelligentiæ lumine peruincebat: illorum quisque, & eximior, & inferior: vt si forte Ioannem oculorum extulerit perspicacia, Petri depresserit diligentia, aut si Petrum efferre tentauerit diligentia, Ioannis iuxta modum refrenauerit perspicacia.

Geminæ Iacobi vxores nostram thesim dilucidius confirmant: Lia lippis oculis, sed 16. exundans filiis: Rachel pulcherrima aspectu; infœcunda tamen partu; de gloria altera cum altera decertabat: Rachel tenerius dilecta, Lia laudabilius fœcunda: *Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie, & venusto aspectu*: Chaldaica editio sic habet teste Lippomanō: *Oculi Lia* Lippoman. *erant pulchri, vt dicatur oculis tantum eam gratiosam fuisse, Rachel autem toto corpore, & toto vultu speciosam.* Aptius Gregorius Gregor. lib.6. Moral. cap.28. *Rachel pulchra; sed sterilis; Lia autem lippa est, sed fœcunda: quia nimirum mens cum contemplando otia appetit, plus videt; sed minus Deo filios generat; cum verò ad laborem se prædicationis dirigit; minus videt; sed amplius parit.* In illarum qua- *Prædicatoris felicitas de fructu contemplationis de affectu.* libet præminet excellens prærogatiua, & ignobilis quamque deprimit nota. Altera sterilitate afflictatur, dum pulchritudinis gloria effertur; altera se minus pulchram dolet, cum se fœcundiorem videt: victrices, & victæ, gloriosæ, & tantillum simul depressæ. O quam forte insolesceret Lia, dum copiosam reperit sobolem, si gratiosa oris venustate adspicientium oculos in se converteret! quàm fortè superbiret Rachel, si eleganti formæ dulci violentia oculos allicienti honorabilis suffragium addidisset fœcunditas, & filiorum numerositas; illarum quæuis, & triumphatur, & triumphat, & propriam securiùs possidet de aliena prærogatiua. Sororibus succedant fratres.

Moyses & Aaron educendis populis eliguntur, Moysis dextera virga illa prodigiorum offi- 17. Exod 4 v.11 14. & 20. cinâ obarmatur: *Reuersus est in Ægyptum portans virgam Dei in manu sua*: verum dum ma-

nus

nus Omnipotentiæ æmula, lingua ferè vocis vſu priuata, *Impeditioris & tardioris linguæ ſum*, ipſe teſtatur. Aaron virga vtitur veluti mutuatitiè, & precariè, voce tamen exerta & expedita adornatur: *Aaron frater tuus Leuites ſcio quod eloquens ſit*. Itaque Aaron quæ poſſit vel rebelles mouere animos, ſermonis exornatur facundia; Moyſes quæ elementa poſſit donare, præfulget dextera: alter dignioribus emicat actionum prærogatiuis; ſermonis alter expeditioris ſupergreditur excellentiis: vterque ſuas partes ad perfectionem affert: conſummata in neutro perfectio eſt: Moyſes mutuatur à fratre vocem, & mutuat virgam, Aaron accipit virgam, & commodat fratri loquelam: nullus ſuperbè extollitur, quia ſe altero indigere intuetur; nullus animo cadit, quia & laude aliqua præcedere videt. Aaroni, qui iracundiam ſopire queat, luculentus ſermo conceditur, Moyſes virga maximi vorticis fræno donatur. Opportune Lippomanus: *Ne deſereret Moyſes propter ineloquentiam ſuam, non mutat quidem tarditatem linguæ eius, non enim vult dare cuncta; ſed adiungit illi Aaron fratrem ſuum eloquentiſſimum*. Non cuncta largitur vni, ne vaniſſima intumeſcat ſuperbia; ſed res ita temperat prouidenter, vt Moyſi aliena deſeruiat ad humilitatem facundia, & Aaronis elationem fraterna auerterit dextera. Imò in ipſo ſermone hoc ſpectare fas eſt: Deus namque Moyſi inſpirat, quæ ad Regem proferri oporteat, Aaron quæ a Moyſe acceperit, luculenter depromit: *Ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent*: alter dictat, & alter profert, vt ſermonis inopiam ſentiat facundia, & facundiæ paupertiem ingenij ſenſerit elegantia: Moyſes inſpirat ſenſus, Aaron exornat afflatus: vt ſi quem aliqua ſupra alterum excellentia extulerit, alium aliis dotibus præcedere nouerit, ſicque aliena prærogatiua ſit propriæ humilitatis tutela.

Lippoman.

---

§. VI.

Salutis animarum miniſter & proximis quodammodò immixtus, & prorſus ab omnibus vixerit ſeparatus.

18. Senec. VOx Stoici eſt epiſtol. 5. *Suſpiciant homines vitam noſtram: ſed agnoſcant: quid ergo? Eadem faciemus, quæ cæteri? nihil inter nos & illos intererit? Plurimum: diſſimiles eſſe nos vulgo ſciat, qui inſpexerit propius*. Intus omnia à vulgari conſuetudine diſcrepent, quæ exterius nec diſſimiles fuguerint: id agamus, vt meliorem vitam ſequamur, quam vulgus, non vt contrariam. Ita nos cæterorum conſuetudini oportet excerpere, vt videamur ipſis diſſimilibus aſſociari. Qui animarum negotia tractat, hominibus vel flagitioſis debet intereſſe; ab illorum tamen vitiis longius diſtare. Inuidioſum eſt oſtentare auſteritatem, & quidquid peruerſa via plauſus ſectatur ambitio; periculoſum non amplecti, quas virtutes docet perfectio. Quid ergo? Frons noſtra populo conueniat; intus omnia diſſimilia ſint: ita cum hominibus agendum eſt, vt ad virtutis colorem trahas, vt illorum vitia induſtriè depuleris, aut ſaltem mitigaris; communi tamen via ita cautè virtutis ſtudioſo incedendum eſt, vt nullatenus inficiatur vitiis, aut attaminetur contagiis; imò virtutibus refulgeat eximiis. Cum hominibus conuerſandum; ab illorum tamen vitiis longè fugiendum. Animarum deſtinatus ſaluti, ſi ſectetur otia, ſi remotus incoluerit deſerta, nullum faciet cælo lucrum: ni exemptus vitiis, ni prorſus extraneus fuerit peccatis, amittet correctionis energiam, & nullam habebit contra errores efficaciam. Itaque parum eſt innoxiè viuere, ni ad virtutem conetur proximos trahere, & parum eſt trahere, ni curauerit ad perfectionis miraculum viuere. Ergo ſic induſtriè cautéque cum hominibus conuerſandum, vt nec ipſi medici refugiant conſortium, nec medico noceat contagium. Moyſes Leuitis peculiarem poſſeſſionem non dedit, cùm duabus tribubus & ſemis terram ante Iordanem diſtribuit: *Duabus tribubus, & dimidiæ dederat Moyſes trans Iordanem poſſeſſionem abſque Leuitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres ſuos*. Addit etiam poſteà textus: *Nec acceperunt Leuitæ aliam in terra partem, niſi vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda iumenta, & pecora ſua*. Maſius acri ingenio vir rogat quid neceſſum fuerit peculiares vrbes Leuitis adſcribere, quando ſparſi cæterorum vrbes poterant habitare: aut cur aſſignatæ vrbes non aliquo omnes regionis tractu locatæ; ſed per omnium tribuum ſortes diuiſæ: Reſpondétque Leuitas, vti ſacris deſtinatos, vulgique languoribus medicandis adſcriptos, oportuiſſe à reliquis non diſtare, nec etiam ægrotantibus populis admiſceri; ob eamdémque cauſam & vulgo immixtos, & peculiaribus ſibi vrbibus ſeparatos: & quidem dum diuiſas per totum tractum ciuitates incolunt, ſubuenire omnibus poſſunt; dumque diſcretis ciuitatibus continentur, vulgarium conſortio nullatenus contaminantur. Accipe Maſium: *Nunc vero etiam illud quæri poſſe videtur, cur certæ ipſis vrbes ſint aſſignatæ, neque permiſſum, vt paſſim habitarent, vbi collibitum eſſet? Verum expeditiſſima reſponſio eſt: ſic enim vitæ commoditates ſecuti facilè ſe omnes in amœniſſimas regiones contuliſſent: ad hæc, niſi ſeorſim habitaſſent, qui peculiariter cultui diuino dicati erant, verendum fuiſſet, ne vulgi vitiis aſſueſcerent: eorum enim facilè moribus informamur, quorum aſſiduo vtimur contubernio, atque conuictu*. Ecce ita Leuitarum habitationem cœleſtis œconomia diſpoſuit, vt nullatenus vitiis contaminati inter contribules degerent, neque curandis illorum vitiis diſtarent. *Iam vero*, addit Maſius, *multi vno in eis collegio ad eas virtutes magis incitabantur mutua cohortatione, doctrina, exemplo, & æmulatione, quæ ipſorum ordinem in primis decebant: erantque illius modi ciuitates quaſi gymnaſia pietatis, in quibus Dei colendi & ſacrorum rituum doctrinæ optimè conſeruaretur, ac vnde ciuitates vicinæ cœleſtis diſciplinæ ſemina, ſanctiorisque vitæ exempla petere poſſent*. Id vitæ inſtitutum coluerunt Leuitæ, vt cæteris veluti diſciplinæ cœleſtis magiſtri degerint admixti: ita certis ſedibus, vt prorſus viderentur abſtracti, quod animarum, proximorúmque ſaluti ſummè congruebat, ad ipſorúmque medicorum ſalutem prorſus ſpectabat.

Maſius.

Quorum conſortio vtimur, & moribus, vt plurimum informamur.

Signum magnum apparuit in cælo, mulier illa radiis ſolaribus veluti incluſa, argenteis Lu- 19.

næ cothurnis calceata, & tremulis aſtrorum luminibus redimita: mulier hæc exertis clamoribus veluti nixibus partum maturabat, & proximorum cordibus parturiebat: Apoc. 12. v. 2. *In vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat.* Hoc ipſo tempore altipetæ celeres mutuatur aquilæ alas, & iam deſertorum incolit inuia, quæ cælorum habitauerat frequentiſſima: *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum locum ſuum:* ænigma profectò parum adaptatur ad ſpeciem inſtituto: nam ſi mulier hæc cruciatur, dum Chriſtum in proximorum cordibus efformauerit, cur celerrimis ſolitudinem alis petit, aut ſi pernicibus deſerta contendit alis, cur clamore Chriſtum infudiſſe ſatagit proximis? Certè in inuiis audientium non erit copia: ergo clamoribus obſiſtit fuga, & refragatur ſtudiis ala: inclamet, aut inuolet: volatus namque fruſtratur clamores, aut clamor obſiſtet quidem volatibus. O dignum prædicatoris, ſalutiſque proximorum miniſtri ænigma, mulier videlicet & volans, & clamans: clamat, vt ſerpentinos conatus retundat, vt Chriſtum in audientium cordibus pariat: fugit, ne ſerpentino halitu faſcinata hæreat, aut obſcurata veneni nebulis ſordeat: clamat fugiendo, & fugit clamando: ita in populorum frequentia latet, vt abſtruſa deſertorum petierit, ita deſertorum delitescit erroribus, vt frequentiſſimis populorum inclamet cœtibus: ne, dum clamat, à ſerpente lædatur, pernices mutuatur aquilæ plumas, & ne ſibi vni viuat, dum celerrimis acta volatibus diſſecat, exertis vocibus clamat: *Clamat*, exponit Ambroſ. Ambroſ. *Eccleſia prædicando, clamat etiam pro auditorum ſuorum ſalute Deum deprecando; cruciatur vero, vt pariat, cùm luget eos, quos in peccatis iacere conſpexit, ſicut Paulus Apoſtolus infirmantibus diſcipulis loquitur dicens: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Clamoribus deſignatur prædicationis doctrina, alis a peccatorum cõſortio fuga: *Datæ ſunt mulieri duæ alæ*, exponit Hugo Cardinalis, Hugo. *tanquam arma, quibus ſe poſſet elongare: hæ alæ ſunt vita actiua, & contemplatiua.* Facilè percipitur in ala, quæ mundum fugit, vitam contemplatiuam ſignari; non tamen actiuam deſcribi: actiua namque ſolitariis non delitescit deſertis; ſed frequentibus populorum miſcetur turbis: ergo, ſi actiuæ vitæ ſtudet, incongruè deſerta petit: aut ſi opportunè petit, ſaluti nullatenus proximorum ſtudet. Imò vtrumque fugiens, luculentiùs abſoluet: periculoſum eſt populis conuerſari; quia illorum facilè erroribus infici: parum eſt elongari deſertis, ni Chriſtum proximorum pepererit animis: alterum ergo de altero cumulatius perficitur, & perfectius quidem abſoluitur: ita animarum ſuſpirat lucra, vt videatur remotiſſima habitare deſerta: ita incolit remota deſerta, vt animarum ſtudioſiſſimè exambiat lucra.

20. Extractum de duris ſeruitutis compedibus populum Dominus per deſertorum circuitus veluti per vias planiſſimas duxit, & nubis columnæ inſiſtens iam noctium tenebras depellebat, iam ardentes Solis æſtus viatoribus temperabat: Exod. 13. v. 21. *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Et cur nube tegitur, qui beneficiorum imbribus proditur? Cur non humana inter ipſos appareat effigie; ſed contectus nubis ſpecie? Nubes à terra eleuantur, & ab humano conuictu ſeparatæ cælum ſcandere ambitioſè videntur. Eximitne ab aliorum conſortio dignitatis faſtus, quantumuis ductationis cogeret munus? Cur ſemper veluti nubes terram deſerens inuolet, qui populis ducendis delegatus, & ſocietati illorum adſcriptus? Certè nubis habitus refragari videatur officio, aut ducendi ſanè inſtitutum nubis contradicere integumento: ergo nubis non induat ſpeciem, ſi populi ſe exhibere velit rectorem. Imò, vt luculentiùs ducendi munus peregerit, habitum nubis deſumpſit: nubes namque ſic hominibus ſuperior, vt cælo approximet; nec adeò remota, vt aſpectum mortalium fugiat: vicinatur quantum ſatis ad ducatum, diſtat remota ad conuictum: ſic populo aſſiſtit, vt fugere videatur; ſic fugit, vt frequentiſſimas populorũ turbas ad ſedes optatas ducat: ſe nube prudentiſſimis circumſcripſit, & texit, quò ab hominibus videretur exemptus, & certam viam deſignaret vicinus: *Nubes Domini incubabat*, ſcribit Abulenſis quæſt. 13. Abulenſ. *per diem tabernaculo, & ignis in nocte videntibus filiis Iſrael per cunctas manſiones.* Tabernaculo nubes ſic incubat eleuata, vt omnibus fuerit vicina: vtrumque igitur opportunè ad noſtram eruditionem diſpoſitum: quò ducendis populis deſignati magiſtri nouerint ſic à populo ſeparandos, vt Domini tabernaculo inſiſtant; ſic tabernaculo adſtituros, vt populos erroribus liberos prorſus ad ſedes cœleſtes ducant: nam ducendis populis aptior, qui Domini tabernaculo addictior: & ille fructuoſè Domini tabernaculo addictus, qui ducendis etiam populis occupatus.

Forte hanc cogitationem expreſſerat Iſaias: 21.
Qui ſunt iſti, rogat, *qui vt nubes volant, & quaſi* Iſaiæ 60. v. 8.
columbæ ad feneſtras ſuas? Septuaginta vertunt: Septuag.
Sicut columbæ cum pullis ſuis. Et quidem pars altera cui videatur alteram impugnare: ſi enim in nidulis aut feneſtellis ſuis oua fouent quouſque pullos excludant, aut excluſos refouent, quomodo nubium adinſtar ab omnibus expediti, liberique volabunt? aut ſi expeditè volauerint, quomodo immoti columbarum inſtar feneſtellis pullos enutrient? Imò ob id plures excellentioreſque pullos enutriunt, quia nubium adinſtar diſcedunt. O quàm apta decoráque vtriuſque partis coniunctio, & nubium remotio, & pullorum nutricatio! Sic nonnulli ſaluti proximorum incumbunt, vt ab hominum conſuetudine videantur prorſus excerpti, ſic contemplationi ſtudent, vt nutricandi pullos nullatenus ſtudium remiſerint: *Quæ ſunt nubes Dei* (inquit Auguſtinus ad illos Pſalmi 96. Auguſt. *Illuxerunt fulgura.*) *Prædicatores veritatis.* Annuit Gregorius hom. 18. in Ezechiel. Gregor. *Rectè prædicatores ſancti nubes appellati ſunt; quia verbis pluunt, miraculis coruſcant: qui volare quoque vt nubes dicũtur, quia in terra viuentes extra terram ſunt omne, quod egerant.... Volant enim, qui terram quaſi non tangunt: quia in ipſa nihil appetunt, qui & ad feneſtras ſuas, quaſi nubes ſunt, quia per manſuetudinis ſuæ ſpiritu in hoc mundo per oculos nihil concupiſcunt.* Dum extra mundiales concupiſcentias degunt, dum cælorum alta contingunt, dum nullis ſalebris, nullis montibus, quin volauerint, impediuntur, filios procreant columbinos, filios ſcilicet illius columbæ, quæ ad Iordanem candido volatu deſcendit.

Et

Et quidem quò maior Doctoris à concupiſcentiis puritas, & maior ſpiritualium filiorum Eccleſiam ornat numeroſitas : plures procreant caſte fœcundi, qui ab hominibus plus abſtracti.

Apoc. 5. v. 6.

22. Ioannes Apoſtolus inter alia Apocalypſis arcana agnum ſeptem oculis inſtructum conſpexit : *Ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram.* Oculi agno deſcribuntur inſerti, & ad terram ſimul legati : & quidem vtrumque captu difficile eſt : nam ſi in omnem terram miſſi, non erunt in medio throni, aut ſi in medio throni, in orbem non delegabuntur miſſi. Qui in throno, iam extra aleam ; qui in alea, nondum in throno : quomodo ergo & ad terram delegati, & agno adinſtar oculorum adſcripti ? Sanè quia ſpiritus ibi manent, vnde mittuntur ; ſic terram peragrant, vt cælo viuant : ſic cælo viuunt, vt hominum extirpandis vitiis, virtutibúſque adaugendis inſeruiant : *Miſſi in omnem terram,* ſcribit Richardus Victorinus ad hæc verba, *vt de omni terra aliquos ad ſpiritalis regni celſitudinem exaltent, & ad ſpiritualium bonorum contemplationem illuminent.* Vt exaltent, vt illuminent, præ cæteris probantur apti, qui cælo contemplationis degentes peragrant terram ; qui ſic circumeunt terram, vt cælo viuant : illi lucrandis proximis ſunt aptiores, qui mediis cœtibus conuerſati à cœtus conſuetudinibus alienantur longè ſemoti.

Richard.

Ioſ. 3. v. 3.

23. Ioſue cùm Sacerdotes populi doctores inſtrueret, iuſſit arcam humeris baiulare, & à populo ad duo millia cubitorum recedere : *Quando videritis arcam fœderis Domini Dei veſtri, & Sacerdotes ſtirpis Leuiticæ portantes eam, vos quoque conſurgite, & ſequimini præcedentes, ſitque inter vos & arcam ſpatium cubitorum duum millium.* Satius videbatur Sacerdotes arcam conuehentes vulgo approximare, nec longis adeò interuallis recedere : nam faciliùs populus oculis notabit approximantium veſtigia, & indubius ſequetur exempla : adeò diſtantium nec obſeruari poterunt exactè greſſus, nec curioſè notari paſſus : ergo proximiores ducant, ne ſequentes diſtantia fallat. O ſapientiam immortalem! eam Dominus populi ductoribus ac magiſtris definiuit diſtantiam, quæ à cœtu extraheret, nec illos cœtum ſequi impediret : ſic diſtant, vt ducant ; ſic ducunt, vt diſtent : quò didicerint proximorum dicati ſaluti longè moribus à populo degere, & viam vacantem erroribus deſignare. Dum arcæ intimiùs adhærent, plus populos iuuant, quia de vitæ puritate lucidiùs micant. Opportunè Origenes hom. 4. in Ioſue, & apud Gloſſam. *Sacerdotes ſunt, qui edocent populum exire de Ægypto, de erroribus ſcilicet mundi, & tranſire per eremum vaſtam, id eſt tētationum genera diuerſa tranſcurrere.* Qui edocent populum de Ægypto exire, à populo geſtiunt longo interuallo diſtare ; ſic tamen diſtant, vt ſe ſequentes ad terram valeant promiſſionis tranſmittere.

Origen.

* * *

§. VII.

Viget in cænobijs inter plures ſacra æmulatione virtutis obſeruantia ; de paucitate non rarò oritur negligentia.

Conſtat felicem eſſe communitatem, quæ multis, egregiiſque reſplendet ornata : nam ſicut ſtellis cælum redditur clarum, ſic piorum cógregatio multitudine fulget conſpicua : non fit homo alter honoribus ; ſed modeſtior efficitur, à quo ordo conuerſationis melior poſtulatur. Certat ſacra æmulatio decenter ambiens victoriam, & dum viuidiùs ambitur palma, cumulatiùs augetur gloria : *Sicut fortunatum fuit,* ſcribit Caſſiodor. 5. var. 41. *à nobis eligi ; ita laudabile erit veſtro cœtui bonorum lege ſociari ; hoc tamen curia felicius prouenit, quod nobis & impolitus tyro militat ; illa verò non recipit, niſi qui iam dignus honoribus potuit inueniri : conuenienter ergo ordo veſter exiſtimatur eximius, qui ſemper eſt de probatiſſimis congregatus.* Probatiſſimorum congregatio morum comitatem adauget : quia pudet inhoneſtè deſciſcere, cùm liquet cæteros dignis actionibus decertare : *Licèt cœtus veſter,* ſcribebat Aurelius 8. var. 19. *genuino ſplendore ſemper irradietur ; clarior tamen redditur, quoties augetur lumine dignitatum : nam cælum ipſum ſtellis copioſiſſimis plus refulget, & de numeroſa pulchritudine mirabilem intuentibus reddit decorem : natura ſiquidem inſitum eſt, vt honorum copia plus delectet : prata denique floribus pinguntur innumeris, laudatur pinguis arui denſior ſeges, antiquitas vos fecit nobiles haberi, nos Senatum volumus etiam de numeroſitate prædicari.* Hoc vitiis & virtutibus inuenitur commune, alienis ſcilicet exacui factis, probiſque aut improbis prouocari ſemper exemplis. *Inimica eſt multorum conuerſatio,* aiebat Seneca epiſt. 7. *nemo non aliquod nobis vitium aut commodat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit. Vtique quò maior eſt populus, cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt.* Verùm equidem ; ſed & de virtute dicendum : *In ſtrage hominum magna, cùm ſe populus premit, nemo ita cadit, vt non alium in ſe attrahat : primi exitio ſequentibus ſunt : hoc in omni vita intueri licèt accidiſſe : nemo ſibi tantùm proficit, aut errat ; ſed alieni profectus, aut erroris cauſa & auctor eſt.* Annuit etiam Tertullianus in Apolog. cap. 40. *Cùm probi, cùm boni coeunt, cùm pij, cùm caſti congregantur, non eſt factio dicenda ; ſed curia.* Probi ſi congregentur, curiam conſtituunt, & quiſque alienis etiam virtutibus exornatur, & propriis indeſinenter augetur. Leuitæ vrbes recipiunt ad habitandum cum pomariis, & ſuburbanis : *Nec acceperunt Leuitæ aliam in terra partem, niſi vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda iumenta & pecora ſua.* Diſputant interpretes cur Leuitæ varias ſparſim aliarum tribuum vrbes non incoluerint ; ſed ſpeciatim ſibi adſcriptas inhabitarint. Audi Maſium : *Illud quæri poſſe videtur, cur certæ ipſis vrbes ſint aſſignatæ, neque permiſſum, vt paſſim habitarent, vbi collibitum eſſet.* Varias ibi rationes adducit, quarum potior eſt, vt videlicet multi vno eodémque collegio habitantes ſacra æmulatione tacita actionum cohortatione, manúque quaſi facta & armarentur 25.

Caſſiodor. *Ordo de probatiſſimis cōgregatus iure deprædicatur eximius.*

Senec.

Tertull. *Nemo ſibi tātum aut errat aut proficit.*

Maſius.

in vitia, & viuidiùs sectarentur honesta: *Iam verò vno multi collegio ad eas virtutes magis incitabantur mutua cohortatione, doctrina, exemplo, æmulatione, quæ ipsorum ordinem in primis decebant, erántque illiusmodi ciuitates quasi gymnasia pietatis, in quibus Dei colendi, & sacrorum rituum doctrina optimè conseruaretur.* Conseruatur sacra legis obseruantia de electa multorum frequentia, dum quisque alieno exemplo munitus, & aduersus occasiones frequentes viriliter decertabat armatus.

25. Elias desertorum erroribus dum iram fugiens delitescit, bis quotidie carne, & panibus pastus est: *Corui deferebant ei panem, & carnes mane, similiter panem, & carnes vespere: & bibebat de torrente:* (3.Reg 17. v.6.) singularis Propheta ab omnium oculis remotus pane, & carnibus victitabat. Transi mihi cogitatione ad Elisæum, qui non dissimili fame terram adurgente filiis prophetarum de agrestibus herbis ollam iubet parari, mensámque angustam satis apponi: *Egressus est vnus in agrum, vt colligeret herbas agrestes, inuenitque quasi vitem syluestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & impleuit pallium suum, & reuersus concidit in ollam pulmenti.* (4. Reg 4. v.39.) Vides Eliam carnibus famis tempore saturari, cùm tamen Elisæus herbis victitarit agrestibus. Et cur Elias herbarum radicibus non alatur, aut cur Elisæus carnibus non sustentetur? Omnia quidem ad nostram eruditionem illis contigerant in figura. Ergo vbi Elias solitarius, vbi alterius oculis non arcetur, vbi nullus erat alter, quem excitaret exemplo, aut corrumpere timeret scandalo, carnibus, & panibus vescitur, idque sine virtutis iniuria; at vbi prophetarum conueniunt plures, durius colitur ieiunium, angustior victus, non adeò iucundus potus: austeritatis ieiunij viguit obseruantia, vbi prophetarum, & maior copia: nam alter alterum ad sobrietatem cogebat, & de alterius exemplo alter virtutis accendebatur studio. Innuit Ambrosius lib. de Elia cap.11. apud Glossam: (Ambros.) *Elias in deserto erat, ne quis eum ieiunantem videret, nisi soli corui, qui eum pascerent: Elisæus in deserto erat, vbi non inueniretur esca nisi amara.* Elisæus cum filiis prophetarum degit amaris escis, & angustissimis famem solatur eduliis; at Elias, vbi nullius patet aspectui, à coruis alitur, & mensa lautiori fruitur. Certè actionum semper habere testes circumspectionem edocet, vt carere testibus liberiorem vitam permittit. Si in sacris religiosorum cœnobiis electa multorum congregetur frequentia, cælestem referet curiam, exactissimamque regularum obseruantiam; ibi accuratior cæremoniarum cultus, ibi flagrantior charitatis affectus: quia de electa numerositate, & nobilior emicat ardor, & ardentior virtutis feruor; at si religiosi vel in cœnobiis paucissimi, vel inter seculares habitarint dispersi, facilè languet disciplina, & marcet sine obiurgatore obseruantia.

26. Dynastarum ferina rabies, & rabida inuidia Danielem nullius nisi Dei supplicem; imò quia Dei supplex, ferarum truculentiæ dicauit: Daniel leonibus obiectus grandi lapide sigillatur; verùm conclusa feritas non potuit inferre iniuriam, cui sanctitas contulerat reuerentiam: Daniel inter ferocientes brutorum rictus seruatus omnipotentiam commendat; ibi tamen hymnos cælestes non cantat: *Deus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo iustitia inuenta est in me.* (Dan.6. v.22.) Non dissimili causa tres illi pueri futuris sæculis decantandi rogis ardentibus iniiciuntur: Daniel leonum pastibus obiicitur: quia ingeniculatus orat; pueri camino traduntur, quia statuam adorare renuunt, & sacrilegos erecti cultus despiciunt: rubescebat alienis ignibus æther, flammarum globuli horrendo fornacem personabant mugitu; verùm armata fide religio horrisonam spreuit flammam, ne sacris cultibus inferret iniuriam. In medium caminum ceciderunt vinculis constricti; sed roscidæ flammæ auxilio iam in ipso periculo deambulabant soluti: *Ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.* (Dan.3. v.24.) Audis pueros fornace hymnos dulcissimos cecinisse, Danielem lacu hymnos non leges cantasse. Et quæ discriminis causa est? Profectò pueri roscilentis ignibus coronantur illæsi; sed, & Daniel inter indomitam custoditur sæuitiam, & ieiunij armis voracissimam subigit truculentiam. Ergo aut iste hymnos exertis vocibus concinat, aut illi sacris ora silentiis claudant. Non sine mysterio differentia: alibi namque Daniel solus, alibi plures iusti: de numero ergo creuit chori sacratissimi cantus, & de singularitate in leonum lacu non est auditus concentus? Daniel lumine virtutum resplendet ornatus; sed tacet, dum solus; at pueri inuicem diuinas ad laudes excitantur, & violentia honestissima compelluntur. Innuit Zeno Veronensis serm.8. de trib. puer. (Zeno.) *In caminum missi, vt submersi sunt flammis, statim inuisibili rore incendia temperantur: mors refugiens mutat officium, incensores cremantur, incensis hymnum canentibus flamma blanditur: Deus à creatura benedicitur vniuersa: in tribus vna mēs, vna virtus, vnus triumphus exultat.* Tres sacro numero communiuntur, & contra obscuros flammæ furores armantur: quisque canit, quia socium diuinas laudes modulari indefessè videt; de sacráque æmulatione, & dulcior resonat cantus, & productior durat accentus.

Petrus aliique Apostoli post celebre illud tot 27.
hominum cibationis miraculum marinis iactabatur fluctibus, & acriùs adspirantium repercutiebatur ventorum flatibus, scapha per momenta minabatur naufragium, nec iam ab arte subsidium; verùm pientissimus magister opportunus accurrit, & defessis opem offert: *Quarta vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare:* (Matth.14. v.25 & 29.) Petrus magistrum agnoscens sacros æmulari gressus exorat, & superbientis æquoris fluctus vestigio calcat: *Descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum.* Mare gradientis gressibus viam sternebat æquissimam, & fide ferebatur Petrus non naufragus; sed viator; alibi verò cùm accepisset à pientissimis fœminis defuncti magistri monumentum corpore vacuum, & impiorum militum loco sacros adstare custodes, rem miram visurus pergit, nec desideria exæquare valebant gressus, licèt pernix satis visum frustrauerit cursus: *Exijt ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum: currebant autem duo simul.* (Ioan.20. v.2.) Vides Petrum celerem hîc agitare volatum, cùm vndis impresserit solummodò gressum: & cur sat non erit incessu graui tendere spectatum sepulchrum,

ſepulchrum, ſi ſibi ſatis fuit magiſtrum adiiſſe greſſu, non curſu: marinum iter, vtpotè æqualius ſtratum aptius videbatur ad curſum: terrena via, vtpotè paſſim obicibus impedita tardiorem conſulebat inceſſum; & tamen Petrus per terram velocior, & per vndas graditur lentior: noua res hominem detriumphaſſe ſepulchrum; ſed, & peregrinè ambulaſſe per ſalum: ſi ergo alibi de nouitate accelerabatur curſus, cur etiam alibi de raritate non aſſumatur volatus? Profectò vndatilis via excurſibus erat aptior; ſed Petrus ſocio deſtitutus iter carpebat ad Dominum; poſteà verò non ſingularis; ſed Ioanne comite ſepulchrum tendebat viſum: vbi ergò duo, alter alterum prouocabat; vbi vnicus, aliquantulum marceſcebat. Dum æquoribus Petrus nullum æmulatorem ſortitur, per ſtratas æquabiliter vndas graditur; at dum Ioannes & Petrus, illorum quiſque curſus alteri palmam præripuiſſe contendit, & honeſto certamine prouocatus nititur vincere, & pudet ab altero ſuperari. Curſus acuebat curſum, & ne illorum aliquis greſſus moroſior repigret, alter pernicitatis calcari inuolare indefeſſe cogit: vbi ſolus Petrus, virtutem operatur ſegniùs; vbi plures, ad Dominum properatur viuidiùs. De ſingularitate hærebat greſſus, vigebat de æmulatore volatus. *Currebant duo ſimul*, exponit Euthymius, *ſimili feruore & ſe, & cætera deſpicientes*. Se Petrus non deſpexit in mari; ſed ad venti conſpectum timuit; hic verò ſocio honeſtè ſtimulatus cucurrit, citóque ad ſepulchrum peruenit. Vt noſcas quàm vigeat virtus de proborum frequentia, quàm langueat de æmulatoris inopia.

Euthym.

§. VIII.

Proba educatio naturâ nobilior: vnde non minùs debetur educatoribus, quàm parentibus.

28. MVlta ſunt, quæ ſagax polit induſtria, & quæ induſtria artificis aſſiduâ perpolit operâ: aurum terræ admixtum ſordeſcit: argentum ſilicis viſceribus obſcuratur incluſum; vtrúmque tamen aſpicientis oblectat oculos arte defæcatum, & lima mordaci excultum: & quando auri maſſa coaluiſſet in ſimulacrum, ſine runcinæ ſuffragio, & ſcobinæ præſidio; at dum purgatur, dum premitur, dum variis artis inſtrumentis angitur, clariùs emicat, & micantiùs ſplendoribus fulgurat: vt dubitare liceat, an plus naturæ, aut artis debeat induſtriæ. *Quod ſimulacrum*, ſcribit Tertullianus in apolog. cap. 12. *non prius argilla deformat cruci, & ſtipiti ſuperſtructa: in Deos veſtros per omnia membra validius incumbunt aſcia, & runcina, & ſcobina: applicatis ignibus urimur, hoc & illi a prima quidem maſſa: inde cenſentur dij veſtri*. Artificis induſtria ex auri maſſa Deum fingit ab omnibus ſuſpiciendum, dum perpolit, dum elimat, dum purgat. Itaque; licèt aurum non mutuetur ab arte pretium, certè mutuatur decorem. Non aliter hominibus cenſeas accidere: alius nobili licèt originis venâ natus, caret diſciplina, obbruteſcit morum ruſticitate, inconcinnitate denigratur verborum, ita vt prouocet odium, aut ſaltem patiatur deſpectum; qui verò magiſtrorum operâ excultus grata morum placiditate animos ſibi allicit, & vrbana verborum comitate deuincit: quod non naturæ, nam vtrique eadem; ſed diſciplinæ eſt elogium, & accuratæ educationis ſtudium. Peruicax aliquando ingenium ſolicita euincit opera, & intenta ac diligens cura: robora natura flexa in rectum aliquando reuocat pondus, & calor, vt quod videbatur ineptum, ſtrueris artis induſtria multis operibus adaptatum. Non aliter animus, quamuis improba indole deflexus, aut curuus, educatione informatur, & cura magiſtri excolitur. *Illis ſine dilatione præbenda ſunt*, ſcribit de ſtipendiis magiſtrorum Caſſiodorus 9. var. 21. *per quos & honeſti mores proueniunt, & palatio noſtro facunda nutriuntur ingenia*. Paulatim ingenij feritas magiſtri induſtria miteſcit, & ingenij ſcintilla doctrinæ fomentis nobilem incrementatur in flammam, vt verum ſit illud Poëtæ:

Tertull.

Caſſiodor. *Magiſtris ſtipendia debentur.*

Nemo adeò ferus eſt, vt non miteſcere poſſit,
Si modò culturæ patientem accommodet aurem.

Hinc non ſemel ſcriptura parentum, & educatorum nominibus adultos inſignit, quaſi adæquè ſeſe parentibus debeant, & magiſtris, illis vt naturæ fontibus, his vt optimis culturæ artificibus. Teſtatur hoc noſter textus, vbi Calebus nomen educatoris glorioſius vſurpat: *Locutus eſt ad eum*, ſcilicet Ioſue, *Caleb filius Iephone Cenezæus*, &c. ſibi videntur textus noſtri verba contraria: nam ſi Caleb Iephone agnoſcit parentem, non erit Cenezæus; ſed Iephonæus, aut ſi Cenezæus quidem, non Iephone; ſed Cenezæo (fuit enim alius à Iephone) erit vti genitus adſcribendus: vnum ergo aut alterum nomen opus videtur expungi, dum conſtet alteri alterum contraire. Hanc quæſtionem diriment Hebræi aſſerentes Calebum à Iephone genitum; ſed à Cenez educatum: ideóque nec Iephone nomen vtpotè parentis expungendum, nec Cenez vtpotè educatoris optimi obliterandum. Adeſt Lyra: *Dicunt Hebræi, quod mortuo Iephone patre Caleb naturali, Cenez accepit matrem eius vxorem, & quia nutriuit eum, vocatus eſt inde Cenezæus*. Sic Cenez educauit, vt Calebus didicerit Numini religioſum exhibere cultum, & Principibus fidele præbuiſſe obſequium. Ergo non minus Calebi gloria Cenez educatori adſcribenda, quàm Iephone vtpotè parenti danda: non enim minus educatoribus debet expolitus diſcipulus, quàm parentibus.

Lyra.

Sara cùm ancillæ filium ſanè petulantem, nec Iſaaco obſequium dignum præbentem conſideraſſet, domo filium & parentem expellendos monet; oraculum Saræ conſilia confirmat. Ergo Abraham, vt diuinis iuſſis, & conſiliis pareat humanis, matrem puerúmque non ſine dolore depellat: *Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem, & vtrem aquæ impoſuit ſcapulæ eius, tradiditque puerum, & dimiſit eam*: non dixit filium; ſed puerum: poſteà cùm Agar vrgente ſitis flamma ſubter vnam arborum proiecisset aduſtum, eundem textus non inconſultè repetiuit ſtylum: *Cum conſumpta eſſet aqua in vtre abiecit puerum ſubter vnam arborum, quæ ibi erant*. Tranſi, ſi placet, ad 3. Reg. 19. vbi, cùm impia illa Iezabel non ſolùm hiaret pientiſſimum Eliam torquere ſupplicio; ſed duro etiam vexare metu, ſub ſacramento ſequente die iugulandum teſtata eſt: timuit Elias, & qui intrepidus in prophetarum phalanges irruerat furentis fœminæ 29.

Geneſ. 21. v. 14.

1. Reg. 19. v. 3.

3 Reg. 19. v. 3.

fœminæ expauēs temeritatem aufugit: *Surgens*, inquit, *abijt quocúmque eum ferebat voluntas, venítque in Bersabee Iuda, & dimisit ibi puerum suum. & perrexit in desertum viam vnius diei.* Cùm nullum in Scriptura verbum mysterio careat, non erit abs re inquirere, cur alibi non dicatur Agar reliquisse puerum suum, aut cur satis non fuerit dixisse Eliam puerum amandasse: Et quidem puer Agar vtpotè filius præcipuo illi videbatur iure adscribendus, Eliæ verò minister vtpotè extraneus, non referendus vt proprius. Cur ergo Scriptura ademit parenti titulum quem exigere videbatur natura, Eliæque præbuit, quod eius respuebat euidentissimè æstimonia? Profectò Eliæ puer alienus erat filius; sed ab ipso sanè educatus; Ismaël ab Agar non benè educatus, quantumuis filius: vt ergo docuerit textus filios non tam esse parentum, si tantùm generatione præstiterunt naturam, nec morum curauerint politiam, quàm magistrorum, si honestam inseruerint politiam, licet non communicarint naturam, puerum ab Elia educatum suum dixit, ab Agar genitum suum nullatenus appellauit. Opportunè iterum Lyra:

Lyra. Elia puer fuit Ionas

Dimisit ibi puerum suum, scilicet filium mulieris viduæ, quem suscitauerat, & quem mulier ex deuotione ei tradiderat, vt eum erudiret, & puer Eliæ ministraret, & hic dicitur fuisse Ionas Propheta. Elias puerum e mortis faucibus miraculosius eruerat: Ethnicis nudatum moribus sacris aptauerat institutis, & moribus excoluerat propheticis: hic ergo plus debebat Prophetæ, quàm matri: & quidem quam à matre origine acceperat vitam, iam amiserat vi peccatorum correptam; at Elias, & temporali commodat luci, & æternæ consecrat veritati: ergo hic puer iure magistro adscribendus, & iure propriissimus nominandus: *Dimisit ibi puerum suum*; at famula illa seruilibus moribus prædita filium peperit; sed vitiis incuria expoliuit: quia ergo hic minus debebat parenti, quàm alter deberet educatori, textus ab Elia educatum suum dixit, in Ismaële non sine mysterio tacuit: vt discamus scripturam, dum tacet, audire, & dum loquitur, erudiri. *Solum bonum ferax est*, scribit

Plutarch.

Plutarch. de instituend. liber. *sed squalet neglectum, atque quò est indole præstantiore, eò magis per inertiam destitutum cultura senescit; sin quod horridius iusto est; & asperius, cultum tamen confestim præstantes edit fructus. Quæ autem non redduntur tortuosæ, & effœta arbores obliteratæ? Si vero tyrocinium nactæ probum fuerint, felices euadunt, ac præfœcundæ; iamque corporis robur non retunditur, marcescitque oscitantia, luxu, & socordia? Quæ contra mollis natura exercitatis, laboréque subactis non adoleuit in summas vires?* Solùm ingenio suo ferax sordescit incultum, & syluescit prorsus neglectum; senticosum tamen, & ignobile culturæ industria gratis amœnatur floribus, & saporatis ditescit fructibus: vt noueris plus debere artis industriæ, minus naturæ.

30. Cum Elias cælum inscendere, & quos auersabatur corruptos hominum mores fugere statuisset, Elisæo pergebat associatus, ea verò famæ est loquacitas, vt quæ vel studiosè occulta produntur, vt plures Elisæum de magistri citissimè raptu monuerint, ascensúmque appetentem nunciarint: *Egressi sunt filij prophetarum, qui erant in Bethel, ad Elisæum, & dixerunt ei:*

4 Reg. 2. v. 3.

Nunquid nosti, quia hodie Dominus tollet Dominum tuum à te. Quærunt interpretes, qui fuerint hi prophetarum filij, an habuerint antecessores prophetas, & quasi hæreditaria felicitate hac fuerint cælesti ornati prærogatiua, & cum ipsa vita prophetali præditi gratia. Respondet Abulensis non vocari prophetarum filios, quia à prophetis geniti; sed quia à prophetis instructi: itaque parentes filios suos ætate paruulos alicui Prophetæ eximiis sanctitatis dotibus adornato tradebant virtutibus informandos, & religioso cultu instruendos, adeóque magnum censebatur hoc beneficium, vt prophetarum appellarentur filij, quò denotarent se plus debere optimis educatoribus, quàm parentibus. *Quæretur*, inquit quæst. 9. *qui erant isti filij prophetarum? Respondent Hebræi, & Nicolaus quòd isti non erant filij prophetarum secundum carnem; sed erant discipuli eorum, & vocantur filij, quia discipuli vocantur filij magistrorum.* Parentes illos progenuerant vitæ, Prophetæ aptauerant disciplinæ, adeóque plus se magistris, quàm parentibus arbitrabantur debere, vt magistrorum titulis decreuerint nominari: filij vocantur prophetarum, vt à quibus virtutum acceperant disciplinam, filiationis soluerent gloriam: *Qui volebant esse perfectiores reliquis de populo*, addit Abulensis, *conueniebant in vnum locum, vbi erant Prophetæ, & ibi vacabant doctrinæ eorum, & laudibus Dei.* O quàm præ cæteris filij prophetarum illustres, virtute eximij, concinnis moribus probatissimi, populis reuerendi, vt plus, si fas est dicere, rationalitatis à magistris, minus acceperint à parentibus, veriúsque fuerint homines, quia exculti, & brutis viciniores, dum geniti.

Abulens.

Aduentat Gabriel felicissimum cœlitus afferens nuncium, scilicet Verbum ex purissimis Virginis Matris visceribus carnem sanguinémque, quem patibulo pro humana salute redderet, assumpturum: cúmque eximia Virginis prudentia huius rei mysterium ante consensum perscrutaretur sedula, & inquireret studiosa, ad dubitata respondit paranymphus cælestis: *Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero, & paries filium.* Iam ab exordio cælestis nuncius iniquitatis præclusit ora, & retudit hæreticorum deliria: *Paries*, inquit, *filium*: id est, ex te carne vestitum, & vt cæteri homines coagmentatum, quantumuis cæca perfidiæ denegarit audacia, blaterauerítque dementia. Ita sanè: Christus matris Virginis propriissimè filius; verùm, vt velitemur ad mores, inquiramus cum Chrysologo, cur Gabriel, cùm dixit: *Paries filium*, non addiderit nec tibi, nec tuum. Addubitauit idem Chrysologus serm. 142. *Concipies, & paries filium: Non dixit tibi, non dixit tuum. Quare? Quia sanctum vocabitur filius Dei.* Profunda sanè Chrysologi meditatio: *Non dixit tibi, nec dixit tuum*: quia non vni aut alteri; sed omnibus nascebatur. Itaque tacuit vocabulum, vt indicaret mysterium. Benè; sed altiùs Chrysologi verba meditemur: *Non dixit tibi, non dixit tuum. Quare? Quia sanctum vocabitur Filius Dei*: egebat Verbum materna carne, non institutione doctrinæ: erat enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ergo vocatur filius, quia natus est incarnatu

31.

Luc. 1. v. 30.

Chrysol.

incarnatus, non tamen additum est *tibi*, aut *tuus*, quia non nascitur erudiendus: *Non dixit tibi, non dixit tuum. Quare? Quia sanctum vocabitur filius Dei.* Christus humanam debebat matri naturam; sed nullatenus disciplinam. Vt ergo noscas quos parentes gignunt filios beneficio originis, suos quodammodò iterum efficere magisterio eruditionis, qui ex se omnino perfectus, & à matre erudiendus nullatenus nascebatur, vocabulo illi proprietatis subripitur: *Non dixit tibi, non dixit tuum.* Angelus nomen non addidit proprietatis, non quò veritatem denegarit naturæ; sed quo beneficium extulerit disciplinæ. Christus Virginis filius, quantumuis nobis natus, & datus sit; verùm vox illa *tuus* arcanè ablata, quo doctrinæ reluxerit excellentia. Itaque quodammodo non est totus filius genitoris, si disciplina non excolit, si virtute non format, si eruditione non limat: debet namque non modicam nobilioris, quod in homine est, partem magistris, qui efformauere ad virtutem, & qui in homine latentem excellentiorem hominis illustrauere portionem.

---

§. IX.

Optima regiminis politia est, si virtutibus præstantior, & præmijs effulserit excellentior.

32. HOnor alit artes, quæ profectò nisi affulserit honoris spes, aut prorsus corruent, aut saltem marcescent: faces ad virtutem iniecit, qui honoribus, præmiisque virtutis alumnos nobilitauit. Dignos excudit consules, qui benemerito largitus est consulatum. Euexisse ad honoris culmina dignum aperuisse est decertantibus honestè stadium. Tolle præmij spem, & prorsus virtutum regnum euertes, & honestatis studium labefactabis. Quam benè Cassiodorus 1. variar. 3. *Quamuis proprio fruatur honore, quod est natura laudabile, nec desint probata conscientia fasces, cùm gerat animo dignitates: omnia siquidem bona suis sunt coniuncta cum fructibus, nec credi potest virtus, quæ sequestratur à præmio; tamen iudicij nostri culmen excelsum est, cùm qui à nobis prouehitur, præcipuus, & plenus meritis æstimatur.* Dum æstimatur eruditione conspicuus, dum meritis prouehitur venerandus, pleniori virtus resplendet pompa, & firmiùs stabilitur Respublica: nam quantumuis benemeritus fasces gerat animo, regentem sigillat, ni dignitatis effulgeat throno. Æquale Reipublicæ detrimentum est, si merita manserint irremunerata, aut si præmium simile dissimillima fuerint sortita: marcebit namque vigor, nec communes ambibit superasse virtutes, ni communes supergredi speret laudes. *Æquitati conuenit*, scribebat Cassiodor. 7. variar. 30. *vt vnusquisque ad fructum militiæ emenso tempore debeat peruenire, & laboris recipiat præmium pro compensatione meritorum... Ideo hac auctoritate censemus, vt ille, quem locus videtur exposcere, vobis in supradicto honore præsideat, quatenus cùm ad tempus venerit constitutum, optato honore patiatur. Diuina sunt ista iudicia, non humana, vt quem superna ad tempus debitum opus voluerunt perducere, meritò videatur, & laboris sui præmia suscepisse. Excubiarum suarum igitur competentia priuilegia consequatur.* Numinis dignè æmulus Rempublicam administrat, qui pro meritorum qualitate, & priuilegiorum qualitatem dispensat, ne aut exiguus meritis tenuerit fastigia, aut eximium laboribus eximia non ornauerint priuilegia. Calebus, cùm Tribus Iuda pro hæreditate sua Iosue Imperatorem interpellaret, specialem sibi hæreditatis portionem exegit, vt qui inter cæteros eminere deberet præmiis: quia inter cæteros egregiis claruerat factis: *Accesserunt filij Iuda ad Iosue in Galgala, locutúsque est ad eum Caleb filius Iephone Cenezæus: Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysem hominem Dei de me, & te in Cadesbarne, &c. Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus te quóque audiente.* Masius speciale sibi promissum præmium hic exigere ab Imperatore testatur: nam cùm ipse, Iosuéque cæteris exploratoribus refragantibus pro virtute steterint, vt Calebus ipse testatur: *Fratres mei, qui ascenderunt mecum, dissoluerunt cor populi; & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum. Iurauitque Moyses in die illo dicens: Terra, quam calcauit pes tuus, erit possessio tua*; non est credendum communem cum cæteris de possidenda terra promissionem accepisse; sed specialissimam præ cæteris portionem captasse. *Quis non putet*, scribit Masius, *denuò hic Iosue promissum esse imperium, sicut Calebo Hebronem: nam perueniendi in Chananæam spes in veteribus promissis fuit, & vtrique cum cæteris omnibus communis, qui eam vltro non abyciebant.* Speciale præmium Iosue, & Calebo concessum est, & quia inter omnes incorruptæ fidei emicuerant constantiâ, & præ cæteris etiam speciali potiti sunt, & imperij honore, & Hebronis terra: esset namque egregia regiminis nota, si Calebus, & Iosue præmiis alios non excessissent, cùm eximiis fidei, fortitudinísque virtutibus superassent. Tota Iuda tribus hæreditatem irriguam quidem, & amœnam consequitur: erat enim hoc virtutibus illorum congruum; verùm Calebus pinguiorem, & excellentiorem sortitus est partem: quia eius excellentiæ debitum, & optimo regimini consentaneum. Idem sentit de vitæ diuturnitate Abulensis quæst. 7. *Dominus*, nomine Calebi loquitur, *voluit me conseruare vsque in præsentem diem, cùm iam sim annorum octoginta; in quo fuit singulare priuilegium.* Singulari prærogatiua protrahitur Calebo vita, quia præ cæteris micuerat constantia.

Dum varias Ecclesiasticæ Reipublicæ partes consideraret sponsus, sic ait: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Et cur diuersa pro muro & ostio? Cur muro argentum? Cur foribus cedrorum ornatus? Coronetur ostium argenteis laminis, aut murus operiatur tabulis cedrinis: si incepit ab argento, cur degenerauit in ligno; Certè beneficientiam obscurat, qui dona imminuit, vt qui adauget, liberalitatem exornat: ergo incipiat à tabulis cedrinis, vt addiderit propugnacula argentea, non incipiat à propugnaculis materia pretiosis; vt deficiat in non adeò pretiosis cedris. O egregiam regiminis politiam! Murus ostio altior, & eminen 33.

Cassiodor. *Proprio bono honore fruitur, quod est natura laudabile.* *Premia accipiitur congruent merita, non prodant dantis studio.* Masius. Abulens. Cant. 8. v. 9.

eminentior: ergo pro vtriusque rei qualitate decreuit ornatum: murum coronauit argento, & ostium pretioso ligno: fors non adeò constans contra hostiles impetus staret murus, si ornamenta argentea fores nobilitare spectasset, séque quantumuis cedrinis ornari tabulis aspexisset: satis est cedrina tabula ostio, dignè argentea altiori decernuntur propugnacula muro. Tilman. *Murus*, exponit Tilmanus in allegor. ad cap. 4. Iudith, *est beatus, ostium simplex aliquis*. Murus virtutum denotat excellentiam, ostium inferiorem in moribus elegantiam: ergo muro dignè propugnacula decernuntur argentea, & ostio cedrina lamina deputatur, vt præmiorum diuersitas, & virtutum diuersitatem signarit. Gregor. *Dato Spiritu sancto*, scribit Gregorius ibi, *murus sancta Ecclesia efficitur: quia quæ prius timida erat, instruente eandem spiritu omnipotente ad resistendum aduersarijs impenetrabiliter roboratur.* Ioan. 20. v. 19. Vide Ecclesiam exordio timidam. *Cùm serò esset*, inquit Ioannes, *die illo vna Sabbathorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum venit Iesus*: Vides Ecclesiam clauso ostio latentem, inimicorúmque insidias declinantem: vide Spiritu sancto accepto inexpugnabilem murum. Act. 4. v. 19. *Petrus & Ioannes respondentes dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quàm Deum, iudicate: non enim possumus, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui*: Petrus & Ioannes clauso ostio aliquando fugiunt aduersariorum audaciam; accepto iam spiritu impenetrabilis muri adinstar hostilem reprimunt insolentiam. Ergo dum ostium, cedrinis tabulis compingitur; & dum murus, argenteis propugnaculis coronatur: nec enim optimæ præmiorum distributioni congrueret, si nobilis cum aduersariis congressus, nil plus acciperet quàm propulsatus adsultus: murus coronatur, ostium compingitur.

34. In Abrahami familia hanc politiam allegoricis coloribus adumbratam agnouit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. Abraham duas sortitur vxores Saram, & Agar: Sara excellentioris scientiæ domina; Agar non adeò nobilis peritiæ serua: hæc & præcipuum sibi cultum exambiit, & dominam nobiliorem nempe scientiam despexit: querelas apud Abrahamum excitat Sara, & benè politicus dominæ famulam subiicit, vt pro libito corrigat petulantiam, & tumoris refrænauerit insolentiam: Gen. 16. v. 6. *Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, vtere ea, vt libet.* Eo pretio illarum quamque habuit, quod exigebat ratio, scilicet Saram præponens, & Agar subiiciens. Clem. Alex. Audi Clementem: *Est philosophia quidem exercitatio; sapientia verò scientia rerum diuinarum, & humanarum, & causarum ipsarum: est enim sapientia domina philosophiæ, sicut eius, quæ prius auditur, disciplinæ.* Addit posteà: *Vnde Abraham cùm Sara æmularetur Agar, quæ erat in maiori, quam ipsa existimatione, vt qui sæcularis philosophiæ solum id, quod est vtile, egisset: Ecce, inquit, ancilla in manibus tuis, vtere ea, vt libet. Quasi diceret: Sæcularem quidem amplector doctrinam, vt iuniorem, & vt conseruam: scientiam autem tuam, vt perfectam dominam honoro & colo.* Profectò non potuerunt non excitari in familia illa tumultus, dum minùs sapiens maiorem habere existimationem est visa, & doctior aut loco inferiori habita, aut de æqualitate despecta. Abrahamus generis Hebraici pater, & norma optimæ politiæ iuxta scientiarum qualitatem habuit etiam æstimationem: voluit vt Agar non adeò litterata haberetur serua, & Sara doctior coleretur omnibus domina: iniquè enim ageretur in Saram ipsa clamāte: *Iniquè agis contra me*, si scientia ignobilior ad honoris eueheretur fastigium, & inseruiret ipsa depressior: in Abrahæ domo omnia pacata, cùm Sara domina, & ancilla serua; at cùm communis vtrique honor, & excitantur tumultus, & seditiosus affligit motus. Adde politiæ pestem prorsus esse, si diuersa merita, aut confundantur in præmio, aut exæquentur in numero.

Adest procera illa Nabuchod. statua auro, argento, ære, ferro, & luto constructa, quæ dum 35. metallis aptas, pro qualitatéque debitas adscripsit sedes contra adsultus temporis perdurauit: caput quidem aureum, brachia argentea, argentum excipiebat æs, æs excipiebatur à ferro, ferrúmque luteis pedibus nitebatur. Et quidem dum pedibus deseruit lutum, stabilis basis; si capite auro superpositum, fors cæteris metallis ruina, quod accommodatum pedibus stabilissima ministrauit cæmenta: sic illa Reipublicæ imago constructa temporibus insultabat, vt humana ars nec asciscere posset periculum, nec calamitatum tempestas valeret excitare naufragium. Quid tunc? Lapis sine latomi opere è monte decisus statuam ferit, & metalla adeò diuersa in idem non sine mysterio confundit. *Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta, quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullúsque locus inuentus est eis.* Dan. 2. v. 35. Ecce vt ventorum ludibrium fuerit statua, necessum fuit lapidem cælestem excidi, & in statuam armari, quasi nulla humana vis euertere potuerit, quæ aptis locis collocabantur metalla; ast cùm adeò diuersa, eadem iam fauilla, & ventis rapitur, & dispergitur: dum omnia idem quin aureus honoretur fulgor, quin argenteus æstimetur splendor, quin æris valuerit nitor, imago corruit, & regnum labascit. O quàm opportunum excidio prænunciando ænigma, statua diuersis metallis constans, & in eandem fauillam redacta: dum in fauilla nulla differentia, nec in statua constantia, vbi omnia nullo ordine confusa, vbi indignissimè æqualia, & iactantur ventorum flatibus, & percutiuntur lapidis ictibus. *Materia differentiam apposuit*, scribit Theodoret. orat. 1. *non vt honoris; sed vt virium discrimen ostenderet.* Theodoret. Sanè, vires florent, dum & metalla discrimen habent; vbi verò omnia confunduntur, & ventorum flatibus dissipantur. Addit Theodoretus ibi: *Hæc apertè ostendunt præsentium rerum finem.* Vt finem dilucidissimè illius Reipublicæ Deus ostenderit, argentum, aurum, ferrum, æs, lutum confusa, æqualique æstimatione habita demonstrauit. Et qua ratione durare quiuerat œconomia, in qua & aureum caput æquali loco cum ferro, & argentum fauilla reputabatur vt lutum? Adiiciam æquali errore infici, pœnáque debere mulctari, qui & indignum effert, & dignum opprimit.

36. Adsunt duo fratres Moyses & Aaron. Degebat alter montis cacumine pro condendis legibus diu cum Domino conuersatus: solus enim, qui à terrenis abstractus, & quadammodo cælo immixtus æquas dignásque sapientia leges populis

pulis dare quibit, vitiáque abolere valebit: populus verò tumultuosis clamoribus Aaronem interpellauit, & Deo sibi dare poposcit: paruit ille dementium insaniæ, ne ambitiosi muneris deficeret gloriæ; vitulum conflat, thronóque sublimat: *Fecit ex eis vitulum conflatilem.* Exod 32. v.4. Posteà cùm populus siti adurgeretur, iubet Deus, vt vrbanis verbis latices efflagitarint à saxo; sed Moyses eleuata manu silicem repetitis ictibus verberat, & beneficum fontem vulnerat: *Cum eleuasset Moyses manum percutiens virgâ bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Num. 20. v. 11. Hic Deus pia assumpta ira fratres populi regimine priuat, & in promissionis terram transire vetat: *Dixitque Dominus ad Moysem, & Aaron: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis:* nec Moyses, quia lapidem Christum ferit: nec Aaron, quia vitulum ad dignitatis thronúm leuauit, populos introducunt; neuter namque aptus videbatur regimini; alter, quia extollendum laudibus incussis diuexauit verberibus; alter, quia brutum diuexandum verberibus indignis celebrauerat laudibus. Isidor. *Moyses*, inquit Isidorus apud Glossam, *Dominum offendit, & prohibetur Iordanem transire: turbatus enim murmure populi dubitanter petram virgâ percussit.* Moyses mulctatur regimine, quia percutit: Aaron ob eandem mulctatur causam, & ex adiuncto ob idoli conflati culpam; adæquè namque gubernatione priuari debet, qui dignum opprimit, & qui indignum effert.

---

§. X.

Apud bonum Principem nec amicitia ad honores contulit excellentiam, nec pati debet repulsam.

37. ERrant, qui omnia gratiæ, & fauori amicorum impendunt; vt etiam, qui maleuolentiæ linguas veriti nihil familiaribus conferunt, ne existimentur partiales: bonus princeps nec amico ob solam gratiam confert honoris præmium, nec ob suspiciosas gratiæ querelas à dignitate arcebit amicum. Regiminis tinea est, si quæ iustitiæ, arrogauerit sibi gratia, & bonæ politiæ nota, si arceat ab honoribus amicitia: familiaritas ad iustitiæ præmia nec prodesse debet, nec officere: Plutarch. *Cleon*, scribit Plutarchus in præceptis polit. *vt primum animum adiecit ad suscipiendam Rempublicam, amicos coegit, eisque renunciauit amicitiam, vt quæ magnopere rectum, & verum institutum emolliat, & peruertat in Republica tractanda.* *Amici gubernatorum sæpè regiminis tineæ.* Vt Principem ageret, se omnium abdicata familiaritate veluti ignotum amicis exhibuit. E contra *Themistocles*, teste ibi Plutarcho, *ad illum, qui declarabat rectè eum magistratum gesturum, si eundem se omnibus præberet: Dij prohibeant*, inquit, *vt ad conscendam solium, in quo nihilo melior conditio apud me futura sit amicorum, quàm alienorum.* Neuter sanè regendis populis aptus: ille, quia amicitiam reputabat demeritum; hic, quia ad omnia existimabat suffragium: *Ne hic quidem rectè*, addit Plutarchus, *amicitiæ despondit Rempublicam, communiáque, & publica priuatis fauoribus, & studiis submisit:* non erat benè politicus, qui omnia priuatis fauoribus, familiaribúsque dispensabat: nec bonus moderator, qui ne in hanc suspicionem incurreret, socios, & amicos non sine ambitionis affectatione abigebat. Amicitia à recto tramite non auertat; sed nec amicis ad honores officiat: Calebus, qui olim Iosue in exploratione socius ipsum interpellat, vt promissam sibi specialem terræ portionem publicis edictis adscribat: *Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysem hominem Dei de me, & te Cadesbarne*, &c. *Da ergò mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus te quoque audiente.* Antiquam familiaritatem in memoriam retulit illis verbis *de me, & te*, tunc quidem sociis, & amico pro veritate fœdere copulatis: nec tantùm allegat amicitiam; sed segetem meritorum copiosam: *Fratres mei, qui ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi, & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.* Ecce meritum, ecce familiaritatis suffragium. Quid tunc Iosue? *Benedixit ei*, inquit, *& tradidit ei Hebron in possessionem.* Cur non faueret socio, & amico, quando merita exigerent in extraneo? Indignum esset, si Iosue preces differret, ne quis fructabilem obmurmurasset gratiam, quando meritorum Calebus allegabat coram populis copiam. *Caleb*, scribit Adamantius hom. 18. *primum hæreditatem accepit à Iesu.* Origen. Postularunt omnes contribules simul cum Calebo, Iosue verò primum huic hæreditatem largitur, quia & meritis, & antiqua familiaritate exornatur: *Accesserunt*, inquit textus *filij Iuda ad Iosue in Galgala, locutúsque est ad eum Caleb.* Omnes hæreditatem sibi debitam deposcebant; at Iosue primùm dedit Calebo olim socio, & familiarissimo amico: indignum namque esset, si amicitia obstaret meritis, aut refragaretur dignis familiaritas factis. *Caleb primum hæreditatem accepit à Iesu*, meritorum sanè titulo, & amicitiæ suffragio: meritum protulit dignissimas causas, amicitia largitionis depulit moras.

Ioannes, & Iacobus fratres primos ardenter thronos sitientes per matrem à Domino postularunt: *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* 38. Matth. 20. v. 21. Cognationis titulus, consanguinitatis gradus animos illis indiderant, & confidentiam erexerant. Quid tunc Dominus? *Non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo.* Sanè nec exclusit, nec admisit: non dixit: Vobis nunquam dabitur; ne quis amicitiam, aut consanguinitatem prorsus arbitraretur exclusam: nec dixit: Dabo, ne suspicaretur prælatam illo verbo, *quibus paratum est*; in medio dignitatem reliquit, ne se à dignitate arbitrarentur eiectos, cùm viderent in illo *quibus* inclusos, neve se ob familiaritatis gratiam specialiter putarent admissos, cùm eodem verbo viderent cæteros inuitatos. *Quibus paratum est*, inquit, vobis scilicet, si ostenderitis merita, aut aliis, si attulerint virtutum facinora: nec enim de familiaritate fratres debebant excludi, nec solo humanæ amicitiæ titulo admitti. Opportunè Hieronym. apud D. Thomam: Hieron. *Regnum cælorum non est tantùm dantis; sed accipientis: non enim est personarum acceptio apud Deum; sed quicúmque talem se præbuerit, vt regno cælorum dignus fiat, hoc accipiet, quod non personæ; sed vitæ*

vitæ paratum est. Curiosiùs perpende, quæ subdit: *Si itaque tales estis, qui consequamini regnum cælorum, quod Pater meus victoribus præparauit, vos quoque accipietis illud : ideò tamen non dixit: neque non sedebitis , ne duos confunderet , neque sedebitis , ne cæteros irritaret.* Nec exclusit; nec admisit; vt nocerent , si afferrent merita , non impediri amicitia ; vtque crederent non adiuuari amicitia, si deessent merita. Certè si prorsus à thronorum ambitu excluderet, quia familiares sanguinéque coniunctí , cognationi intulisset iniuriam ; etsi, quia cognati, admitteret impressisset regimini notam. Quid ergo pro omnifaria sua sapientia ? *Quibus paratum est*, inquit, id est, vobis cognatis & amicis meis, si egregiis virtutum resplendueritis prærogatiuis, aut aliis quantumuis extraneis, si nobilioribus emicuerint excellentiis : apud optimum namque moderatorem nec amicitia , & familiaritas est amicis impedimento , nec ad indecora suffragio.

39. Populus ille idololatriæ furore ardens Deos sibi producere cupit : vrgetur Aaron , qui tandem timore compulsus Deum excudit brutalitate electorem sugillantem : *Fecit ex eis vitulum conflatilem.* O egregium Deum de brutalitate sculptum , & de tarditate ad pernicem cursum euectum ! O quoties ipsum ad dignitatem impedimentum reputatur prærogatiua ! O quoties infelici fortuna possidet fastigium inertia ! Nolunt homines superiorem , qui officio exactè fungatur ; sed qui cupiditatibus aduletur ; verùm si expeditum Deum , ad arduósque viarum tractus cursu celerem anhelarunt , cur tardigradum bouem finxerunt ? Certè aptior instituto aquila , aut accipiter, aut saltem columba : ergo conflauerint aquilam , nec ad fastigium bouis sustollant inertiam. Omnia animalia dignitatem ambiebant : quia tamen olim bos in Ægypto adoratus , ac Hebræis præ aliis notior , & familiarior , de eligentis affectione obtinuit, quod meritum denegauit : bos instituto prorsus inueniebatur indignus ; Hebræis tamen antiqua erat familiaritate coniunctus : illi ergo , quantumuis tarda reclamarit brutalitas , ad dignitatem profuit antiqua Ægyptio regno societas, quod illi denegarat natura , electorum contulit gratia : &, si fas est dicere, ascendit , quia notus, vnde detrudi deberet, quia indignus. Opportunè Interlinearis apud Lippoman. *Quia bouem adorauerunt in Ægypto , aliud forsitan idolum non susciperent*. Contonat Tertull. lib. aduersus Gnostic. cap.3. *Sapiens ignis effigiem vituli defundit illis sugillans illic cor habentes, vbi & thesaurum, apud Ægyptum scilicet inter cætera animalia bouis etiam cuiusdam consecratricem.* Aliquam iam in Ægypto cum boue familiaritatem contraxerant , nescio quam affectionem corde conceperant : ergo quantumuis aquila instituto aptior, quantumuis equus cursibus opportunior, bos eligetur in Deum, quia apud Aaronem plus obtinet amicitia, quam dignior aliorum valuerit causa : *Vitulum illis defundit sugillans illic cor habentes.* Non potuit non perire Respublica, quæ dignitates largita est non virtutum merito; sed affectionis studio.

Exod 32. v.4.

Interlin.

Tertull.

40. Centurio ille, qui cælesti meruit adscribi militiæ , Dominum pro famuli salute obnixis precibus rogat , patronosque ac intercessores præmittit : *Dignus est*, testabantur Seniores, *vt hoc illi præstes ; diligit enim gentem nostram.* Dominus adhuc sanitatem differt , & petere domum spondet ; centurio tamen, quia illo fauore se reputabat indignum, orat vt verbo potestatem testatorem faciat : tunc Dominus centurionis fide euulgata miraculum operatur, ac inopinam seruo sanitatem largitur : *Non inueni tantam fidem in Israel... Vade , & sicut credidisti, fiat tibi.* Et cur non dilectionem populi; sed fidem miraculi constituit mensuram ? Ne quis putaret non meritò ; sed aliorum obtinuisse suffragio. Cùm centurionis exegit fidem , concessit, & quia amicus , & quia eximiis meritis exornatus : iam si cum Chananæa conferas , & inquiras cur sanitatem centurionis seruo largitus ; Chananææ verò calamitati opem arcanè distulerit : ipsi Israelis seniores tibi sciscitanti respondent : *Diligit gentem nostram :* ac si dicant : Chananæa domi calamitatem patitur , & centurio sustinet: vterque fide resplendet ; citiùs tamen impetrare centurionem ipsa suadebat æquitas; nam amicus. O cælestem Domini œconomiam ! Centurionem audit amicum ; nec tamen amicitiæ solùm titulo patrat miraculum ; sed dum fidem spectat, & virtutis meritum prodit : *Non inueni tantam fidem in Israel* ; statim morbo medelam affert; vt nobis ostenderit nec nudam debere familiaritatem impetrasse , nec virtutibus exornatam repulsam ab amicó tulisse. Non dedit familiari familiaritatis solùm suffragio , nec fuit credenti amicitia impedimento. Aptè Eusebius apud D. Thomam ad Lucæ 7. *Seniores quidem Iudæorum pro modicis sumptibus ad opus synagogæ datis gratiam poscunt ; sed Dominus non propter hoc , sed pro maiori ; volens scilicet generare credulitatem in cunctis mortalibus propter suam virtutem , seipsum exhibuit.* Humana affectio miraculum non extorsit ; sed nec miraculum retardauit : concessit amico quia dignus ; non distulit digno, quia amicus : vt omnes miris actionibus erudiret, ostenderétque apud probum Principem nec amicitiam conferre ad præmij honores familiari excellentiam, nec debere ob familiaritatem , si dignus , pari repulsam : imò si duo concurrant, quàm ignoto, fauendum citiùs amico.

Luc. 7. v. 5.

Matth. 8. v. 11. & 13.

Euseb.

41. Seditiosis clamoribus contra Aaronis dignitatem furebat inuidia, criminabatur Moysem ad conferendam fratri dignitatem humanis potiùs affectionibus allectum , quam diuinis impulsibus incitatum. Quid tunc ? Virgas tributim de Numinis præcepto accipit, & coram tabernaculo ponit , diéque altero de coram Domino cunctas producit, & cæteris Aaronem fratrem præfecit. Et cur, si antea iniquitatis lingua fratrem euexisse criminabatur , causas murmurationis continnet ; aut cur , si despecturus querelas , à cunctis accepit virgas ? Virgarum perpende discrimen : *Inuenit*, inquit, *germinasse virgam Aaron, & turgentibus gemmis eruperant flores , qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Noluit optimus Reipublicæ Imperator sine cælesti testimonio fratri reclamantibus æmulis dignitatis tempus producere ; verùm cælesti præconio ornatum præfecit, quantumuis oblocutoribus durum. Suspectus esset Moyses , si fratri absque virtutum prærogatiuis dignitatem esset largitus ; si tamen ob criminationum metum dignum fratrem repulisset, sugillaretur ignauus; at dum fratrem , non quia frater ; sed quia præ cæteris dignior , extulit , deprædicatur semper perfectus.

Num. 17. v. 8.

perfectus. *Cum Sacerdotium Aaron, qui de tribu Leui fuerat, despiceretur,* scribit Gregor. lib. 14.
Gregor. moral. cap. 19. *&* *quisque alius, qui offerret holocausta, crederetur, duodecim virgæ iuxta duodecim tribus in tabernaculo poni iubentur, & virga Leui viruit, & quid virtutis Aaron in munere haberet, ostendit.* Frater est Aaron; sed dum eius virga præ aliis floribus emicat, Moyses fratrem dignitate nobilitat: indignum enim esset, si dignus repelleretur, quia frater, aut si quia frater, eligeretur indignus.

---

§. XI.

Honorabilis seruitutis diuinæ titulus exambit virtute claros, vitijs fastidit infectos.

42. Cassiodor. *Libertati genus est seruire rectori.* Libertatis genus est, scribit Cassiod. 5. var. 16. *Seruire rectori.* Principibus famulantes honorabili obsequiorum gloriantur titulo, & nobilissimo cæteris sunt spectabiles ministerio: accuratè legit aula, quos possit inspicere: quia vt magna est obsequentium gloria Principi famulari, ita & ingenuos habere seruos, rectoris est excellentia: digno constipatus famulitio in publicum Dominus procedit gloriosus, vt de familiæ vilitate sordet obscurus. Honor est regentis, quoties aspexerit seruum, approbasse iudicium, vt prudentiæ nota, quos antea elegerit, aut sordidos fastidire, aut de obscuris moribus depretiare? honestum seruientis obsequium approbat electionis suffragium, vt illiberalis damnat electoris iudicium. *Quia de claritate seruientium,* audis iterum Cassiodorum in gnomologia, *crescit fama dominorum, tales prouehere Principem decet, vt quoties Procerem suum fuerit dignatus aspicere, toties se cognoscat recta iudicia habuisse: moribus enim debet esse conspicuus, qui datur imitandus.*
Moribus debet esse conspicuus, qui datur imitandus. De seruientium claritate dominorum augetur pompa, vt de famulantium obscuritate sordescit fama: hinc non sine delectu famulos admittit prudentia, & quantumuis nonnulli seruire ad speciem gestiant, respuit illorum obsequium, quia cognoscit indignum. O quam eximia Moysis gloria deprædicatur, dum Dei seruus ore plenissimo dicitur: *Nosti,* ait Iosue allocutus Calebus, *quid locutus sit Dominus ad Moysem hominem Dei de me, & te in Cadesbarne.* Moysis seruitus proditur, vt laudibus amplissimis coronetur. *Libertatis genus est,* repetat Aurelius, *seruire rectori:* quia, vt de claritate seruientium crescit dominorum fama, ita de Domini maiestate famulantium rutilat gloria, & cæteris inuidiosa claret fortuna: non omnes admittit aula, quamuis ambitiosè gestiuerint inseruire, & studiosè ambiuerint famulari.

43. Ioseph, vt erat animo candidissimo, & fœdarum passionum prorsus ignaro, fratribus somnium retulit, non vt superbum affectaret dominium; sed vt proferret mysterium: primum à fratribus bellum obortum est: nam imperans illis inuidia naturæ persuasit in se ipsam insanire, & propria infamia seruituti fratrem dicare: peruenit in Ægyptum enauigatis inuidiæ fluctibus, vt ibi nouum adolescenti ibi cum petulantia certamen, maiúsque periculum, vtpotè quod voluptatis lenociniis corporis, & animæ insidiabatur saluti: tantisper ob virtutem nudus carcere delitescit; sed nuditas regalem illi elaborauit purpuram, & compedum infamia regiam attulit victori coronam. Huc cùm fratres aduolassent frumenti causâ, scyphum in iunioris sacculo iubet reponi, & pia fraude seruitute facit damnari. *Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum,* supplices ingeminunt fratres: *en omnes serui sumus domini mei & nos, & apud quem inuentus est scyphus.* Quid tunc Ioseph? Genes. 44. v. 16.
Absit à me, vt sic agam: qui furatus est scyphum, ipse sit seruus meus; vos autem abite liberi ad patrem vestrum. Dura profectò sententia: nam si fratres reliqui præter vnum Beniaminum inuidentiæ mancipia obiectos per somnium manipulos exosi, naturam sunt cauponati, & ingenuum pro notho puerum damnauerant seruituti, cur libertate donentur, & innocuus tantummodò vinculis seruitutis prematur? Cæteri in speciem cædis stolam variis colorum floribus gratam cruore defœdant, quasi sine sanguine nequeant inuidentiæ flammas extinguere: patris laceratam vestem offerunt manibus morte mentita ad verum luctum senem incendentes, & charitatis pœnas à generatore reposcentes; at Beniaminus nec malitiæ particeps, nec infami pretio ditatus, nec inuidentiæ flammis adustus: & huius seruitutem frater acceptat, cùm cæterorum repudiet? Cæteri seruos se ob iniquitatem fatentur: *Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum: en omnes serui sumus domini mei;* illos tamen Iosephus remittit ad patriam: *Absit à me, vt sic agam.* Beniaminus iniquitatis expers iudicis sententia addicitur seruituti: *Ipse sit seruus meus.* Reposcitne Iosephus de sæculi more à minori pœnas, cùm perpetrarint maiores culpas? O quoties potentiores opulentia aduersus leges armantur, & impunè peccant, cùm abiectioris fortunæ vel quæ non peccauerint, soluant! liberi cæteri permittuntur abire, cùm ob flagitia vinculis debuissent damnari, & vnus innocuus seruitutis tulit sententiam, cùm ille solus non perpetrauerit culpam; imò ob id ipsum regnantis Iosephi deligitur seruus, quia culpis nequaquam attaminatus: non nobilitat Iosephus honestissimæ seruitutis elogiis, quos conspicit attaminatos delictis: fratres reliqui, dum se iniquitatis fatentur reos, à seruitutis honoribus se imprudenter confitentur exclusos: non admittit Iosepus ad seruitutis honorem inuidentia adustos, infami lucro grauatos, mendaciis sordidos: *Absit,* inquit, *vt sic agam,* id est vt vos, quos turpis liuoris adussit flamma, quos infamis corrupit pecunia, quos simul fœdauit maleuolentia, seruorum meorum numero adiungam: hoc solus Beniaminus glorietur titulo, vtpote qui nec vitiorum maculis sordidatus, nec obscuris liuoris flammis adustus: de claritate namque seruientium fama rutilat dominantium, & de Domini excellentia seruientis censetur gloria. Innuit Tostatus quæst. 1. *Approbat hic sententiam eorum; sed non in totum, sed solum quantum ad primam partem: dixerunt enim duo filij Iacob; primum, vt ille qui furatus teneret, occideretur; secundo vt omnes alij serui efficerentur; quantum ad primam partem approbauit dictum eorum; sed non quantum ad secundam, vt patet in littera: & adhuc istam primam partem non recepit, vt ipsi dixerunt, scilicet vt habens scyphum moreretur; sed vt in seruitutem redige-* Abulens.

getur. Noluit Iosephus, nec procurator illos seruitute, quam exambiebant, nobilitare, & ideò in totum non approbauit illorum sententiam: quia vnico Beniamino hanc innocentiæ debitam reseruauerat gloriam.

44. Agar Abrahami domum incolebat vt famula exhibens dominis ministerium: hanc Sara eiiciendam è domo consulit: *Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Genes. 21. v. 10. Et cur diuitias suas proiecerit Sara, cur famulam manumittat eius repudians famulatum, & dedignans ministerium? Rationem reddit Lippomanus, scilicet superbam, & præsumptuosam Agar domi tumescere, & vanissimam superbire: *Eiice eam, inquit, superbam, & præsumptuosam cum filio derisore.* Lippoman. Quid interest superbè tumeat, si munus impleuerit inseruiendi? Serua non fugit, & domina ancillam proiicit? Quid interest ancilla non adeò concinnis moribus viuat, quandoquidem, & status conditio seruiles mores excusat? Multa permittuntur seruis, quæ non sustinentur in filiis: ergo seruam, quantumuis vltra conditionem superbientem sustineat, dum implere seruitutis officia cogat. O vide, amabo te: in Abrahami domo seruitus plus constat probis moribus, quàm ministeriis seruilibus: vult Agar, & famulæ nobilitari titulis, & superbiæ fœdari contagiis; at prudentissima Sara è domo eiicit, quam vitiis obscuram videt: non conuenit Abrahæ seruis superbiæ tumoribus denigrari, aut indecoris præsumptionis maculis infici: ergo quantumuis Agar seruire exambiat, Sara prudenter repudiat: quia Abrahami seruis congruit morum comitas, & actionum honestarum concinnitas: Agar externis ministeriis solertem adhibet curam; sed illam ablegat Sara: quia virtutibus non intuetur ornatam: *Eijce eam superbam, & præsumptuosam.*

45. Abrahamo, & Saræ ætas spem sobolis ademerat, verùm quem negabat natura, filium virtutis impetrat excellentia: nascitur Isaacùs generis fulcrum, & paternæ fidei elogium: hic infans, è cuius vita paterna salus, & maternus pendebat affectus, ad fidei explorationem diuinis iussis postulatur ad victimam: non contristat frontem deuotissimus Abraham, nec dolor extorsit lachrymas, nec anxias corde generauit angustias: de filio hostia parabatur festina, & ne vel leuis mora faciat peccatum, senex properat implere in montibus sacrificium: *Cum alligasset filium suum Isaac, posuit eum in altare super struem lignorum, extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* Gen. 22. v. 9. Ad hanc miræ fortitudinis alacritatem Abrahamum teneri tradit Zeno Veronensis serm. 1. de Abraham: quia constabat Dei serui titulis honorari: *O qui seruum Domini ita se esse meminerat, vt patrem se esse nesciret.* Zeno Ver. Agnouit Abrahamus nobilem seruitutis titulum non solùm de culpis, sed de humanis affectibus obscurari: & quia Dei seruos ad magna virtutis facinora teneri nouerat, naturæ felici ignoratione dedidicit iura: patrem se esse nesciuit, quia seruum se Numinis esse meminit: tunc potuit liberis oculis se Domini gloriari seruum, cùm intrepidè arripuit gladium, vt immolauerit filium: quidquid mortale, & terrenum, exurere, & præcidere discupiebat, vt honorabile serui nomen impleret: cogit namque Dei serui titulus ad heroica facinora, & ad opera compellit perfecta: opus fuit negare naturæ debitum amoris tributum ambienti seruitutis elogium, & sacrum in aula Numinis ministerium: seruitutis memoria, & manum acuit in filium, & humanum prorsus denudare cogit affectum.

Deus, vt dæmonem durissimè verberaret, Iobum seruum suum dixit, & tituli appendices egregias virtutes enumerauit: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* 46. Iob 1. v. 8. Dæmon inuidia adustus quem nequibat infamare prauis operibus, peruersis dehonestare aggressus est suspicionibus: *Nunquid Iob frustra timet Deum?.. Extende paulULum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Et cur dæmon serui dispoliauerit titulo, quem Dominus illo honorarat elogio? Inficietur eius virtutes; sed non abstulerit seruitutis honores; imò seruum appellet, vt obligationem exaggeret, & animum dehonestet. O vtilem nobis eruditionem: Appellat Deus seruum, vt omni probet virtute ornatum: dæmon honoris abstulit titulum, vt asseruerit vitiosum. Deus egregias Iobi virtutes, vt actiùs dæmonis malignitatem exaggeret, refert: è contra dæmon negauit seruum, vt virtutibus inficiaretur ornatum. *Hanc vocem diabolus nequaquam audire patitur,* scribit Origenes lib. 1. in Iob. Origen. *non tolerat nequissimus, vt aliquis Dei seruus sit, vel omnino nominetur... Quid hoc maius est, quòd superius, vt quis sit creatoris seruus, atque cælestis regis famulus: non est hac maior gloria: super hac autem ipsum diabolum increpat, deijcit, atque obiurgat, per id quod Iob puerum suum appellat.* Dei seruitus honoris titulus, virtutis insigne, perfectionis tessera, & dæmoni ardentissima semper sagitta: ille Iob protulit: *Nunquid Iob frustra timet Deum:* seruum tacuit: quia sciebat hac appellatione honoratos, eximiis fulgere virtutum prærogatiuis, & perfectionis elogiis. Disce hinc magni hanc appellationem facere, vt sacrè ambitiosus cures in seruorum numero recenseri; aut si iam sacro numero additus, te pudeat eximiis virtutibus non ornari.

---

§. XII.

Honesta multorum communitas præ singulari quouis alio suspicienda, & comiter honoranda.

Cælum ipsum, scribit Cassiodor. 8. var. 19. 47. Cassiodor. *stellis copiosissimis plus refulget, & de numerosa pulchritudine mirabilem intuentibus reddit decorem: naturæ siquidem insitum est, vt honorum copia plus delectet: prata denique floribus pinguntur innumeris, laudatur pinguis crudensior seges: antiquitas vos fecit nobiles haberi, nos Senatum volumus etiam de numerositate prædicari.* Profectò aliquando procera arbor gratis amœnissima floribus, saporatisque vsque ad gustus delicias exundans fructibus vel maximi tractus honor; felicissimum tamen deprædicamus agrum, quem, si non proceræ adeò plantæ, frequentiores tamen exornant, & varij flores

flores diuersis variegauere picturis: cælestis aliquando tractus luminoso illustratur astro; quæ tamen pars frequentioribus decoratur stellis aspectibus est iucundior, & ipsa confusione luminum gratior. Hinc quælibet honesta hominum congregatio præ singulari aliquo est suspicienda, ac de multitudine veneranda. Adest Calebus huius veritatis nobilis testis: nam quantumuis & factis gloriosus, & originis vena præclarus contribulum congregationi primas concessit, & secundum locum vrbanus obtinuit: *Accesserunt filij Iuda ad Iosue in Galgala, locutúsque est ad eum Caleb filius Iephone Cenezæus.* Abulensis tribum totam accessisse pro hæreditate sibi postulanda testatur, hacque opportuna occasione Calebum sibi etiam specialem promissam terram in memoriam retulisse: *Filij Iuda,* inquit quæst. 4. *qui erant populus magnus, accesserunt ad Iosue, qui erat Princeps populi, & Princeps diuisorum terræ, vt assignaret eis possessionem: & cum his fuit Caleb, qui erat de principalioribus in tribu Iuda: vnde postquam tota tribus accepit responsum, quod daretur ei ius terræ, & de loco determinato, in quo daretur, sicut patet sequenti capite, Caleb petiit sibi dari vrbem Hebron.* Terram sibi promissam poposcit; sed post petitionem tribus: quamuis enim ipse egregiis virtutum facinoribus exornatus, agnouit ciuilis primum locum toti tribui iure deberi, sibique secundum adscribi: & quidem vrbanitatem obscurasset, si tribum, quantumuis nobilitate præclarus, anteuertisset.

Abulens.

48. Sæua æmulorum inuidia Danielem rapidis leonibus statim deuorandum obiecit; truculentiæ tamen oblitæ feræ virtutem prophetæ, quam æmuli obscurare toto liuore sunt nisi, blandientis gestus lenociniis prædicauerunt humanæ. Descendit Angelus, qui rictus ferocium animalium concluderet, & exacutos vngues frænaret. *Deus meus,* inquit, *misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Vides Angelum in Danielis obsequium delegatum: vide modò ipsum Angelorum Dominum descendentem ad trium puerorum in fornace obambulantium auxilium: *Ecce ego video quatuor viros solutos,* exclamat barbarus, *& ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.* Et cur, qui viam ardoribus facturus descendit, Dei Filio similis prædicatur, & qui leoninos rictus comprimit, Angelus dicitur? Profectò Daniel inter egregios præcipuus, & dignitate præ cæteris honoratus: ergo si ad pueros flammis horrendum quid anhelantibus cinctos Dei Filius descendit; ad Danielem etiam trucibus leonum vultibus traditum Dei inuolauerit Filius: aut si liberando Danieli alatus decernitur Angelus, flammarum etiam sopiendis ardoribus cælestis descendat nuncius. Profectò numerus actionum induxit discrimen: leonibus vnus Daniel solummodò obiicitur, æstuāti rogo congregatio multorum traditur: in fornace tres communitatem constituere idonei reperiuntur vniti: in lacu præclarus; sed singularis versatur Daniel: vbi ergo honorabilis communitatis, præclaræque congregationis conspicitur forma, excellentioris etiam honoris videtur prærogatiua. Tres communitatem sacro numero conficientes Dei filij honorantur consortio, roscidæque flammæ deuoto nobilitantur obsequio; at Danielem, quantumuis prærogatiuis illustrem, apicibúsque dignitatis percelebrem, vtpotè singularem, nec communitatis titulis exornatum Angelus periculo eruit, cumulatiorique honoris gloriæ restituit: *Tres Hebræi venerabiles,* scribit Zeno Veronensis serm. 7. de tribus pueris, *numeri sacramento muniti, ætate teneri; sed fidei soliditate robusti, supplicio suffragante gloriosi, amore diuinæ religionis regis adorare imaginem contempserunt, vtpotè qui ipsum contempserunt regem, qui ira sufflammatus solito septies amplius caminum iussit incendi, ac ne quid immanitati sæuientis deesse videretur, pice & stupâ armatum citatur incendium: æstuantibus globis rubescit quoque ipsum alienis ignibus cælum.* Audi curiosiùs quæ adiecit: *Illo præcipitantur insontes, ibidémque propter quem præcipitantur, inueniunt.* Deum, propter quem præcipitantur, in flammarum insano furore reperiunt, quia numeri sacramento muniti: tres namque & sacram Triadem referunt, & honorandam congregationem constituunt; at Daniel, quia tunc communitatis titulis non ornatus, ab Angelo custoditus: maior ad speciem honor impenditur communitati; inferior, quantumuis præclarus, vni: quò nos Deus suis actionibus de hac veritate informaret, scilicet ferè semper maiorem communitati reuerentiam deberi, quàm vnico, quantumuis nobili, ipse ad tres pueros descendit, Angelum ad prophetam misit. Ergo prudentissimè Calebus post tribulium congregationem locutus, & promissa sibi deposcere aggressus.

Dan. 6. v. 22.

Dan. 3. v. 92.

Zeno Veron.

49. Signum magnum apparuit in cælo, mulier scilicet solaribus luminibus quodammodò inclusa, radiisque fulgentissimis exornata: *Signum magnum apparuit in cælo mulier amicta Sole:* Luna honestè superba famulabatur vestigiis, sacrásque adeò plantas gloriabatur osculari labiis: *Et Luna sub pedibus eius.* Tempora redimiebat micantissimum astrorum sertum: *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Profectò cui videatur loca minùs aptè luminibus his adscribi, ad instárque humani styli aut de fortunæ fauore, aut de malignitatis suffragio inuerti. Cur Sol capitis vertice non emineat, qui & fulgoribus ditior, & dignitate honoratior? Cur Luna vestigia, non tempora exornet, quæ & noctis præses, & pulchritudine commendabilis? Calceentur pedes stellis, Sol sertum elaboret fulgoribus capiti, lunáque splendescentem ministret corpori ornatum; vt ordo seruetur congruus, nec oculos offendat inuersus: si stellæ excelsa non adeò dignitate fulgentes, si munere ad speciem sunt inferiores, cur celsiori situ emineant, & altiores vertice clareant? Alias & subtiliores quidem pro concinnandis moribus alij rationes inuenient; mihi tamen ea se offert pro thesis nostræ instituto, stellas videlicet vnita congregatione fulgere, Solem verò ac Lunam de singularitate micare. Finge concurrisse Solem vnicum, singularem Lunam, & communitatis ordine stellas, Deumque, vt quantus debeatur honor nobili honestæque congregationi huius ænigmatis penicillo depinxerit, celsiorem locum communitati decreuisse, stellarúmque congregationi assignasse: vbi singularia concurrunt astra, Sol scilicet & Luna, ille vtpotè nobilior & loco, & munere nobilitatur prælatus; at vbi stellarum communitas, cedit vrbanissimus, quia tunc honor ille exhibetur numero, non excel-

Apoc. 12. v. 1.

lentiori merito: Non est animus suadere regulam hanc nullam exceptionem pati; sed ita ferè semper haberi: *In capite huius mulieris*, scribit Rupert. Rupertus apud Glossam, *corona stellarum duodecim patriarchæ: item in initio renascentis eiusdem duodecim Apostoli notissimi ac splendidi dinumerantur.* Stellæ numero plures, etsi claritate inferiores; quia tamen omnium claritates in vnum collatæ capitis obtinent gloriam, & vtilem nos edocent politiam.

50. Abrahamo ad ostium tabernaculi sedenti tres viri apparent viam candentissimo Sole carpentes: ille, vt erat pietatis alumnus, & charitatis nobilis seruus, alacriter, vt inuitet, accurrit, honestéque humillima adoratione adulatus apud se diuertere precatur obnixiùs: *Ap-* Genes. 18. v. 2. *paruerunt ei tres viri stantes propè eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram.* Non multò post duo Angeli ingrediuntur Sodomam, quos cùm videret Lotus, obuiam surgit, vultúque in terram prono reuerentiam ciuilissimam exhibet, Gen. 19. v. 1. *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere, & sedente Lot in foribus ciuitatis: qui cùm vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram.* Hic submissiorem exigebant ad speciem Angeli reuerentiam; ibi homines non adeò submissam, & tamen Abrahamus in terram adorat specie homines, cùm Lotus non in terram; sed pronus in terram cælestes adorarit spiritus. Ad hæc Lotus, etsi obuiam surgat Angelis, non accurrit; Abrahamus accurrit obuius ad speciem hominibus: & quæ huius discriminis ratio est: nec enim absque arcano mysterio accidisse putandum. Accidítne hoc de perpetuo sæculi more, vbi pluris habentur res humanæ, quàm diuinæ, & ignobiliores, quàm nobilissimæ? Omnes quidem Angeli, alibi tamen specie homines, & vbi homines, obsequentiùs habiti, vbi Angeli, non adeò reuerenter accepti: caligauítne præ senio Abrahami visus, vt censeret homines, quos Lotus acutior cælestes nouit ministros? Fuítne opportunus vesperi tempus, cùm iam cadente luce tumultarentur humana, vt fulgentiùs splenderent diuina? Sane terrena candicante luce ad cælestia hebetantur sensus, & caligare solent oculorum obtutus. Se forsan ciuiliorem exhibuit Abrahamus, quia, & dignitate nobilior, & nobilitate notior: excelsi namque viri faciliores se ad exteros honorandos præbent: non ita clari aegriùs reuerentiæ cæteris impendunt obsequium, & honoris testimonium. Cur ergo Abrahamus, & submissiori vultus gestu, & alacriori homines honorat, volat? Vt sanè ostenderet communitati maximam reuerentiam deberi, & vel solemnissimis obsequiis ritè honorari: duo communitatem non construunt, tres congregationem constituunt: vbi ergo communitas, ibi, & maior reuerentia est exhibita: vbi congregationi defecit tessera, ibi, & minor honoris forma. Vtrobique Angeli, Abrahamo tamen tres specie viri obiiciuntur; Loto, etsi augustiori habitu, indicantéque nobilitatem cælestem gestu, duo tantùm apparent: ideò ille excurrit, & ille surrexit. *Cucurrit ad eos*, in- Caietan. quit Caietanus, *quia magna reuerentia hominum illis signis prostrationis in terram: hic honor in tam sepe solùm fuisse exhibitum [illegible].* Annuit Lippomanus: *Tres* Lippoman *igitur viri isti tres Angeli fuerunt, quorum duo postcà Sodomam accesserunt . . . Vt viros vidit senex centenarius, minimè desidiosius ecurrit.* Curritur, dum sub communitatis forma spectantur; obuiam itur, cùm duo, quantumuis augustiori specie videntur.

§. XIII.

Qui eosdem passus, expromptè alienis laboribus subuenit: qui non passus, fastidiosè audit, & sæpius mercedem differt.

Patientiam misericordiæ matrem appellauit 51. Septimius: & quidem qui dolorum crebra Tertull. sustulit cruciamenta, misericorditer alienis doloribus medicaminis adhibet lenocinia, propriò dolore doctus est misereri, & propria angustia eruditus est compati. Ferrea viscera in voluptatum officina conflantur, in deliciarum exundantia non rarò marcescit misericordia: nesciút compati, qui non didicerunt affligi; at quem limitis velit angustia, fatigit opportuna diuexatum delinire medela. Laborum militiæ inexpertus cicatricosos milites, & mutilos limis aspiciet; qui verò aliquando sub strictis papilionibus degit, qui campi imbonitatem sustinuit, placido vultu illorum expediet causas, & præmiis curabit compescuisse querelas. Rusticanos labores agnoscit rusticus, & artis pastoritiæ ærumnas æquus censor ponderat pastor. Calebus præmium tot peregrinationibus, exantlatisque laboribus promissum exigit; vtque citius impetret, Iosue reuocat in memoriam eosdem potuisse in exploratione gressus, & populares tulisse adsultus: *Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysem hominem Dei de me, & te in Cadesbarne.* Calebus, & Iosue anxios pro veritate sustinuere, turbis in populo commotis, labores, hostiles peragrauere prouincias: horum ergo laborum præmium sibi dari Calebus deposcit, & optimus Imperator statim precibus iustissimis annuit: *Benedixit ei Iosue, & tradidit ei Hebron in possessionem:* vt qui apprimè nouerat, quàm ardua Calebus in illa exploratione tentarat, quámque, quæ remunerarentur, dignissima: citò ab ærumnarum consorte petitionis obtinuit votum, qui forsitan de industria ab alio traheretur in æuum: qui militare, séque periculis obiicere non nouerunt, pericula despiciunt veluti somnia, & de imprudenti despectu remunerationis differunt vectigalia, qui verò similes hausere labores, aut duras morborum sustinuerunt acerbitates, expromptè laboribus præmium, & necessitatibus nituntur adhibere solatium. *Iosue*, scribit Abu- Abul. lensis quæst. 7. *videns iustissimam esse petitionem Caleb non dubitauit concedere immediatè, quod petebat: & dicitur quod benedixit ei Iosue.* Itineris socius, laborum particeps iura firmissima censuit, & expromptè præmium exhibuit.

Cum amicus inopino amici aduentu nihil 52. domi ad tolandam famem haberet, non sine anxitudine ad amicum recurrere cogitauit: *Amice*, clamat, *commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.* Amicus, & importunum noctis tempus opposuit, & multiplices dandi excusationes prætendit: *Noli mihi mo-* Luc. 11. v. 6. *lestus*

lestus esse: iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi. O quàm molestus est semper, qui dari sibi deposcit! ô quàm fauendi alteri nunquam tempus! Pauperi postulanti ostium semper est clausum; tempus incommodum, & semper vrget impedimentum. Componamus, si placet, locum hunc cum latronis petitione: actus in lignum pendebat, vexatio illi dedit intellectum; imò copiosa gratia clarauit discursum: quia manus supplices nequibat tendere, oculos demisit ad pedes, & crucifixum Dominum videns obnixis precibus die iudicij meminerit eius afflictiônis, rogauit. *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Crucifixum aspicit, & regem deprædicat sæculorum: latentem diuinitatem Angelicis oculis clarè conspexit, & qui obseruabat viantes, vt absconditam furaretur pecuniam, vt felicissimo furto raperet, celatam etiam agnouit gloriam: quia delictorum suorum æquus censor expendebat enormitatem, crucis patienter tolerabat cruciatum, & beneuolo odio seipsum auersatus de se pœnas sumere vsque ad diem iudicij desiderabat, quia se posteà feliciter possidere exambiebat. Quid tunc benignissimus Dominus? *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*: vberior fuit gratia, quàm precatio, & quod orantis non præsumeret desiderium, dilargitum est donatoris studium; verùm perscrutemur, si placet, cur alibi amicus anxia amici distulerit vota; cùm hic Dominus vel nuper blasphemi supergressus sit donationibus desideria? O quàm vtilior nobis est vel iniuriis aspetatus Dominus, quàm humanus obsequiis delinitus amicus. Amicus tulit ab amico repulsam, latro à Domino citissimè impetrauit coronam; verùm quia amicus ille amici petitionem in futurum mittens ipse est sub ænigmate Christus teste Theophylacto: *Multi accedunt in media nocte, hoc est in extrema vita ad Deum, vt ad amicum, & dicunt ei: Da mihi tres panes*; altiora nos cogit perscrutari mysteria: si Dominus ergo sub amici nomine preces in futurum tunc distulit, quomodò tam citò latronis petitionem exaudit? Aut si petenti latroni liberalissimus annuit, cur postulanti amico ad speciem auarus renuit? O profundam nobis doctrinam! Vtrobique Dominus, & benignitatis forma, & vitæ officina; vt tamen noueris quam citiùs laboranti compatiatur laborum particeps, quàm serò propriis commodis indulgens, in cubili quiescens, dum seruis constipatus, dum plumeis refertur stigmatibus fotus afflicti, & petentis preces differt; ligno tamen pendens voces pendentis exaudit: petebat latro in futurum: *Memento mei*, inquit, *cum veneris in regnum tuum*; sed quibus lancinabatur Dominus, discruciatum citissimè absoluere instigauere dolores: quia ex his, quæ passus est, didicit quid latro pateretur in cruce; at molli lecto decumbens opiparè pransus incœnati, famelicique non adeò commouebatur angustiis, & ideò petentis obstabat votis. *Quam cito latroni venia relaxatur*, inquit Ambrosius ad hunc locum, *& vberior est gratia, quàm precatio: semper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur: ille enim rogabat, vt memor esset sui Dominus, cùm venisset in regnum suum; Dominus autem ait illi: Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso.* E cruce citissimè annuit votis, qui in lecto ad nostram eruditionem tantisper refragatus est postulatis.

Luc. 23. v. 42.

Theophyl.

Ambros.

Mulier Chananæa vnicæ filiæ ærumnis vrgentissimè diuexata, in lachrymas gemitúsque prorumpens tanto malo medicamen deposcebat à Domino, *Miserere mei Domine fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur*: Dominus arcano silentio ad speciem dedignatur preces, & luctuosam limis intuetur oculis: *Non respondit ei verbum.* Alibi cùm subornati inuidia, & ardentes maleuolentia manus in Dominum hostes iniecissent, Petrus educens gladium percussit seruum Summi Sacerdotis, & amputauit illi auriculam; at magister pro sua benignitate non solùm oratione non exoratus; imò iniuriis appetitus, & discipulum increpuit, & vulneratum sanauit: *Cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum.* Non adeò demiror Domini promptitudinem in vulnerato sanando, quàm repressam, vel dum sanatur infirmus, inimicorum ferociam in apprehendendo: mira res, vt ægrotus sanetur, expectant: validior refulsit omnipotentia remorata aduersariorum ferociam, quàm sanitati restituens auriculam. Verùm, si Chananææ preces distulit, cur citò adeò vel non rogatus aduersarium petulantissimum persanauit? Innuit Tertullianus lib. de patient. cap. 3. ita scribens; *Sanitatis restitutione ei, quem ipse non vexauerat, satisfecit per patientiam misericordiæ matrem.* In horto vexabatur Dominus, & afflictus compassus est diuexato; at dum Chananea clamat, similis Dominum angustia non vrget: & ideò forsitan, & alterius preces sanitatis restitutione antenertit, & in posterum postulatione inuitatus mulieris lachrymas mittit. Vbique, vt iam sæpiùs dixi, benignitatis fontes aperuit Dominus; vt tamen doceat, quàm moueantur viscera pietate, cum similes sustinentur labores, & horto vexatus citissimè sanat percussum, & Sidonis finibus, quia tunc angustiis non pressus, tantisper importunis precationibus surdus: patiebatur in horto Dominus, & patientia felicissimo abortu enixa est misericordiam, misericordiaque sanitati restituit auriculam: *Satisfecit sanitatis restitutione per patientiam misericordiæ matrem.* Consimilis dolor peperit compassionem, & compassio celerrimè est operata salutem. 53.

Matth. 15. v. 22.

Luc. 22. v. 51.

Tertull. *Patientia misericordiæ mater.*

Errabat Agar in desertis iustam dominæ indignationem effugiens, palabunda affligebatur, solaque mœrebat; verùm Dei Angelus, & consulit reditum, & promittit auxilium: *Dixit ei Angelus Domini: reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Theodoretus quæst. 2. in Genes. aduertit hîc Angelorum mentionem factam; cùm tamen anteà nulla Angelorum memoria: *Primum*, inquit, *sub Agar diuinus Moyses meminit Angeli, idque iustissima de causa: aptissimè profectò Deus omnium per Angelum seruitutis meminit.* Angeli administratorij sunt spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: & quamuis omnis iniuriæ expertes, & status titulo, & spiritualis naturæ merito; tamen dum ad aliquorum hominum deputantur custodiam, sic (si fas est dicere,) & morum inconcinnitate vexantur, & rusticitate improbitatis anguntur, vt amarè quodammodò fleant. Qui ergo famulandi quadamtenus labores experti, famulæ labores solantur: & quia noscunt, 54.

Gen. 16. v. 9.

Theodor.

quàm

quàm asperum sit, quámque intractabile aliquorum ingenium, afflictæ seruæ properasse præstitisse solatium: seruientis miseret, qui seruitutis labores nouit: forsitan si non Angelos, sed creaturam aliam, sed hominem Dominus delegasset, non adeò citò anxiæ famulæ subuenisset: docet misericordiam patientia, docet compassionem infirmitatis iniuria, docet seruitutis iugum seruientibus adhibere solatium: docet proprium meritum alienis laboribus præmium accelerare condignum: bellicos labores despiciet, qui resupinus otio bella Martia nunquam tractauit: afflictorum lachrymas vel aspicere dedignabitur, cui semper blandis est adulata fortuna, & deliciis creuit corporis indulgentia.

55. Modò memoriæ occurrit, cur Isaias optionem Ezechiæ dederit, an velit ad salutis confirmationem Solem reuisere orientem, an impigro gressu occasum anticipasse: *Vis ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?* Quærunt interpretes cur Solem in medio cæli Iosue adinstar non stiterit; sed aut angustiis occasus sustinétem, aut dubio ortus splendore micantem in argumentum salutis dederit? Ea se mihi ratio offert, scilicet Solem tota nitoris pompa fulgentem non adeò alienis morbis medicandis aptum symbolum, vt fuerit aliqua laborans infirmitate argumentum: Sol occasus sepulchro moritur, orientis cunabulis adhuc tenebrarum ictibus impugnatur; & noctis horrore percutitur: ergo occumbens aut oriens alienæ infirmitati adhibere non recusauit medelam: quia proprio labore didicit infirmitatis angustiam; at Sol in medio cæli fulgentissimo radiorum exercitu constipatus, candentibúsque luminibus rutilus, fors non adeò celeriter condoleret patienti, & exhiberet medelam infirmitatibus laboranti: in medio cæli candens necem hominibus protendit, non ægrotantibus salutem promisit; at retroactionis violentiam passus, aut sepulchri angustias expertus aptum misericordiæ erit symbolum, & beneficentiæ opportunissimum argumentum. Innuit Augustinus lib. 2. de mirab. Sacræ script. cap. 18. *Conuenienter tale signum euenit: quoniam sicut Sol in procinctu occasus sui superpositus in diei initium reducitur, sic rex in mortis expectatione constitutus, quasi ad incipientis vitæ gaudia reuocatur.* En ex Augustini sententia Sol iamiam occasu laborans subuenit mortis expectatione turbato, & attulit solamen afflicto: Rabbanus apud glossam descendenti verbo accommodat, & nostræ thesi oppurtunè quidem adaptat: *Quidam decem gradus linearum ad mysterium Christi transferunt, & vmbras figurarum in descensionem Christi interpretantur.* Christus Dominus indefessa misericordiæ ac pietatis scaturigo; verùm descendens, descensúque laborans salutem est impertitus ægroto: quasi ad nostram eruditionem aptior sit alienis medendis infirmitatibus proprio labore eruditus, quàm toto censu radiorum splendidus.

4. Reg 20. v. 9.

August.

Rabban.

§ XIV.

Diuitibus certatim omnes obsequuntur, & inopes auersantur: quia pauperes onerosi; imò quantò nudiores, plus graues.

56. Miramur puerorum more despicienda, & despicimus quidem miranda: diuitum splendor oculos fallacibus lenociniis prolectat, nimio auri repercutimur splendore, & paupertatis adæquè noxia acies nostra detinetur obscuritate. *O quam pulchram faciem*, scribebat Seneca epist. 116. boni animi venustatem, & concinnitatem depingens, *quámque sanctam, quam ex magnifico placidóque fulgentem videremus: hinc iustitia; illinc fortitudine, hinc temperantia, prudentiáque lucentibus: præter has frugalitas, & continentia, & tolerantia, & libertas, comitásque, & quod credas in homine rarum, humanitatis bonum splendorémque illi suum offunderent.* Paupertas & inopia optima non raro virtutum nutrix, & continentiæ mater, vt diuitiæ vitiorum officinæ, noxiarúmque cupiditatum fœcundæ venæ: ipsam naturam commutat superbia diues; & tamen fastidiosum omnes sequuntur, & qui abiiceretur ab omnibus, dignissimum comitantur: frater, si attrita veste, si exigua substantia, indecora affectatione ignoratur, aut contumelioso supercilio despicitur. Circa diuitum limina adesse videbis frequentiam: paupertas in obscuro iacet, veluti sine genealogia nata, aut in probum stirpis edita. O quàm sanguinis, & cognationis iura nesciuntur, si paupertatis premat miseria! Quàm exambitur affinitas, si auri pecuniarúmque exundauerit copia! Calebus promissam sibi possessionem prædiuitem sanè obtenturus Iosue addit, vtque maiori auctoritate accedat, tribus principaliores præ aliis contribulem suum comitantur: *Accesserunt itaque filij Iuda ad Iosue in Galgala, locutúsque est ad eum Caleb filius Iephone Cenezæus.* Posteà filiæ Salphaad eodem prorsus studio Iosue pro hæreditate interpellant; illas tamen, quod dignius videbatur, nec comitantur contribules, nec deducunt familiares: *Venerunt in conspectu Eleazari Sacerdotis, & Iosue filij Nun, & Principum dicentes: Dominus præcepit per manum Moysi, vt daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum.* Ecce Salphaad filiæ, & Calebus simili intentione adeunt Principes; Calebus tamen plurimis constipatus; filiæ verò Salphaad ab omnibus derelictæ. Et quæ huius discriminis causa est? Indicat Lyra: *Caleb enim*, inquit, *erat homo magnus, & famosus in illa tribu, & ideò maiores de tribu Iuda associauerunt eum, quando fecit petitionem suam.* Ecce cur Calebo assistat frequentia; Salphaadque filiabus nulla contribulium copia. Calebus magnus, potēs, Salphaad filiæ & orphanæ, & fœminæ; ideò has dedignantur vel familiares, illi certatim gestiunt assistere contribules: diuitum namque omnes sunt cognati, inopum non inueniuntur affines.

Senec. Humanitas in hominibus rara.

Ios. 17 v. 4

Lyra.

Petrus & Ioannes templum adoraturi petebant, cùm in mendicum ad speciosam portam sedentem inciderunt: *Quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.* Basilius Seleuciensis acri ingenio vir, & vernanti stylo facundus expendit verbum illud *baiulabatur*: quod oneris grauitatem aut pondus videtur exprimere: non ait textus, ducebatur; sed, *baiulabatur*, quasi humeros atterens, virésque defatigans. Audi Basilium orat. 21. *Manus alienas de more mutuabatur claudus, bisque vt pedibus incedens ægritudine præpeditus vno circumscribebatur loco, velut saxum aliquod in vestibulo proiectum: Quem ponebant*, inquit *quotidie* 57.

Actor. 3 v. 2.

Basil. Seleuc.

quotidie ad portam templi, vt exanimalem aliquam naturam claudum ibi collocabant, vtque onerosum quid in portam iaciebant, vt stipem peteret. Adeò longa baiulantibus erat via, vt grauissimo onere defatigati ad portam non tam deponerent, quàm proiicerent: pecuniarum inopia erat grauitatis causa; & quia parum habebat, plurimum humeros prægrauabat: qui caret auro, & rationalis carere videtur titulo, & naturæ priuilegio: iam pauperes nondum vt animata tractantur bruta; sed despiciuntur prorsus vt nociua & exanimata onera: *Vt exanimalem aliquam naturam claudum ibi collocabant.* O quàm apud sæculum dotibus caruere pauperes! nunquam ad munera præstant ingenio, nunquam ad dignitates alios superarunt litterarum studio, nunquam illis ingenij perspicacia, nunquam ad munera requisita prudentia. Exanimali natura constat pauper, & qui homo rationis priuilegio, saxum & lignum paupertatis est veneficio: tanquam quid onerosum proiiciebant ad ianuam: quàm alacriùs baiularent, si expectassent baiulationis aliquod præmium, aut roboraret humeros aurum!

58. Velitemur, si placet, ad mores duobus scripturæ locis collatis. Habacuc prandium ferebat messoribus, quò agri labores solati legendis messibus alacriores instarent; verum iubet Deus prandium Danieli inter feras versanti deferre, & longa viarum spatia citissimè peragrare: *Erat Habacuc propheta in Iudæa, & ipse coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo, & ibat in campum, vt ferret messoribus: dixitque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum.* Et quis alius præter Angelum causam ageret hominis tunc inuisi, & a culmine dignitatis eiecti? Propheta ignorantiam suam aperuit, se nec Babylonem vidisse, nec lacum scire fassus: dignus sanè Dei minister, qui munus detrectauit de ignorantia, non de auaritia. O quàm plures se ad munia experiuntur ineptos, qui reclamante conscientia se iactant aptissimos! Omnia nouerunt apprimè, quantumuis illis nulla notitia, nullàque experientia. Habacuc, vtpotè propheta Domini non est confusus suam ignorantiam fateri, nec detrectabat munus de commoditatis studio; sed de seruiendi ardentissimo desiderio. Quid tunc? *Apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui.* Non timet Angelus capillum tanto onere disrumpendum; imò tanquam nulla grauitate impeditum, leuissimo suspensum capillo fert. Vides Habacuc panibus, pulmentóque oneratum ab vnico Angelo, & singulari crine pendentem portari. Transfer modò cogitationem ad mendicum illum Lazarum, hominis ad speciem laruam, aut humani corporis vmbram: sic exesus vermibus, sic doloribus præconsumptus, sic famis & inopiæ tormentis debilitatus, vt potiùs constare videretur fauilla, quàm carne: mortuus est, & quem viuum sordida depressit miseria, dulcisona Angelorum demortuum honorauit Psalmodia. *Factum est autem,* inquit, *vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ:* Inuerso ordine hi casus videntur referri, aut inconsideratè depingi: Si Lazarus nullo exesæ carnis pondere prægrauatus, quid illum portet Angelorum exercitus? Et si Habacuc corpore robustus, messorúmque plurium eduliis oneratus, cur vnico portetur spiritu, non multorum Angelorum ministerio? Sanè si alicubi, pro Habacuc baiulando necessaria Angelorum videtur copia; pro Lazaro verò deportando superflua. Ergo inuertatur ordo, & Habacuc plures portarint spiritus: quia Lazaro deportando satis est Angelus. Profectò Angelos nulla culpæ maculat vmbra; suis tamen actionibus nostras solent mirè adumbrare, ac virtutum penicillo errores nostros depingere. Ergo Lazaro deportando quasi grauissimo oneri plures accurrunt; imò ipso verbo, *factum est, vt portaretur,* oneris exprimitur grauitas, & portationis euulgatur difficultas: Habacuc portationis laborem leuat spebus: nam dum à diuite quid speratur, non adeò molestè fertur: fert Angelus diuitem, & vnico fert capillo suspensum, quasi ipsum diuitiarum pondus grauitatem imminuat, & vires baiulo addat. Lazaro portando humeros Angelorum supponunt plurimi, quasi humeros grauissimus deterat labor, & socios requirat pondus: *Angeli ministrantes tulerunt pauperem,* scribit Chrisostomus apud D. Thomam, *& locauerunt eum in sinu Abrahæ.* Qui alieno in sinu locandus, & Angelis plurimis deferendus: quasi indigere hospitio, carere peculio hoc exigat dignum præmium, pluribus nempe Angelis portari, & sacro famulitio potiri Angeli paupertatem commendauere seruientes; sed & mores nostros adumbrauere portantes. Certè nobis grauior, qui pauperior: ad hoc ergo miris coloribus adumbrandum Habacuc diuitiis onustus ab vnico portatur, vt leuior; Lazarus verò corpore nudus à pluribus baiulatur vt onerosior.

Dan 14. v. 32.

Luc 16 v. 22.

Chrysost.

Redeat iterum mendicus ille ad portam speciosam proiectus, quem Petrus intuitus non nummum est dilargitus; sed pedes: pro obolo tulit salutem, plusquam rogabat, adeptus; imò vt acciperet, ipse rogatus: *Respice in nos,* sperabat argentum, accepit cursum: *Apprehensa manu eius dextera alleuauit eum.* Miraculum hoc in resurrectionis Dominicæ testimonium Apostolos effecisse, ipsa verba dilucidissimè declarant: *In nomine Iesu Christi,* inquiunt, *Nazarens surge & ambula.* Ad quæ citatus Basilius: *O Petri sapientiam, ô audaciam! Resurrectionis simulacrum procudit claudum consolidando, contráque mendaces linguas pedes veritatis indices producit in aciem;* verùm si Petrus Tabitham ab inferis excitauit, cur claudus resurrectionis imago. *In Ioppe,* scribit Lucas Actor. 9. *fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas: hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat: factum est autem in diebus illis, vt infirmata moreretur.* Quid tunc? Petrus orat, & oratione lucis officina lucem demortuæ restituit: *Dans autem illi manum erexit eam, & cùm vocasset Sanctos, & viduas, assignauit eam viuam.* Demortuam apprehensa manu ad vitam reuocat, veritatémque resurrectionis facit testatam. Ergo Basilij pace mortuam excitans resurrectionis excudit simulacrum, non claudo restituens cursum: ergo Basil. non de claudo persanato; sed de Dorcade vitæ restituta, quæ retulimus, verba scribat: *Resurrectionis,* repetit, *simulacrum procudit claudum consolidando.* Dorcas ditissima, claudus mendicus: ad resurrectionis ergo fidem confirmandam claudus assumitur, quasi inuisæ sæculis nouitatis

59.

Actor. 3. v. 4

Basil. Seleuc

Actor. 9. v. 41.

nouitatis opus fuerit inuisam tetrò sæculis nouitatem testatiorem facere fidem. Mira res Dorcadem inuenisse Petrum,qui porrigeret manum, vitámque refunderet; sed quia iuxta sæculum diuites omnia possunt, & omnia inueniunt, non adeò mirandum illis prodigium; at mendicum pauperrimúmque manum erectricem, auxiliatricémque habere sic insolitum, vt insolitæ etiam rei validissimum sit argumentum, ac indubium testimonium. Resurrectionis veritas à Christi æmulis improbabatur, & mendacibus linguis veluti res fidem exuperans deridebatur. Quid tunc Petrus? Vt contra mendaces linguas in aciem dilucissimum produxerit testimonium, pauperem erigit claudum: ac si dicat: si mendicus auxiliatrem inuenit manum, qua membrorum recipiat vsum, & Deus potuit Christum excitare demortuum: plus enim arduum, & humanam fidem vincens videtur pauperem ab homine erigi, quàm à patre, eóque omnipotente Filium meritissimum excitari. Vtrúmque miraculum, scilicet Dorcadis excitatio, & claudi sanitas eximiam arguebat virtutem; at quia non adeò insolitum diuites inuenire suffragium, vt mendicos auxilium, in resurrectionis argumentum ex Basilij sententia Petrus non produxit excitatam Dorcadem; sed persanatum mendicum: *Simulacrum resurrectionis procudit claudum consolidando, contráque mendaces linguas pedes veritatis indices produxit in aciem.* O quàm ostendebant Christi diuinitatem eius nomine bases mendici consolidatæ: si enim solus homo, non attendisset mendicum: nam homines solum demirantur potentiam, & despicere solent inopiam.

§. XV.

Regiminis nota est, si agnoscatur petentis meritum, & vel in diem sequentem præmium videatur dilatum.

60. Nihil inter homines frequentius est, quàm aliorum vota differre, & spes de industria aut diuexare, aut præcidere: & quidem irrationalis dilatio, quamuis benemerito sit tormentum, maius differentis est probrum: morosa dilatio spontanea gratuitáque adulterat beneficia, vt noscas quantum corrupetit præmia. Qui diu distulit, & diu noluit, & qui diu noluit, aut causæ irrogauit iniuriam, aut sibi imprudenter malignitatis impressit notam. *Ingratum est beneficium*, scribit Seneca lib.2. de benef. cap.1. *quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægrè dimittere visus est, & sic dare, tanquam si sibi raperet: etiamsi quid mora interuenerit, euitemus omni modo, ne deliberasse videamur: proximus est autem neganti, qui dubitauit; nullámque meretur gratiam: nam cùm in beneficio iucundissima sit tribuentis voluntas, qui nolentem se tribuisse ipsa cunctatione testatus est, non dedit; sed aduersus ducentem malè renuit.* Iam si mora deturpat beneficia, quantum obscurabit præmia. Quod quis post longa tempora, post trita magnatum limina, post suspensa multoties vota sortitus est, non accipit; sed extorquet. Malè de æquitate meritus est, qui in sequentem diem distulit dignum, ac dilatione

Seneca. *Proximus est neganti, qui dubitat.*

torsit benemeritum. Beneficia non debentur accipienti; & tamen de mora; imò de deliberatione sordescunt. Quanto ergo turpius erit negare virtutibus debitum, & inferre dilatione facinoribus probrum? Sanè qui distulit, aut æquitati suæ intulit notam, aut meritis alienis iniuriam. Calebus, qui virtutis aduersus turbas in populo natas constantia Hebronem sibi promeruit, modò interpellat Principem, vt acceperit: *Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysem hominem Dei de me, & te in Cadesbarne... Fratres mei, qui ascenderunt mecum, dissoluerunt cor populi, & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.* Quid tunc? *Benedixit ei Iosue, & tradidit ei Hebron in possessionem.* O quàm cælestis probatur œconomia, vbi merita non diuexantur dilata, nec præmia sordescunt longis interuallis suspensa: labor ambitus non semel ingratas facit ipsas dignitates, & pudet aliquomodò meruisse, quod constat dignum tam importunis precibus impetrasse: *Quia Iosue erat princeps in toto Israel*, scribit Abulensis quæst.7. *eo auctore, & discernente voluit assequi possessionem; Iosue autem videns firmissima iura petitionis Caleb non dubitauit concedere immediatè, quod petebat, & dicitur quod benedixit ei Iosue, id est, imprecatus fuit ei bonum.* Immediatè concessit, ne tot meritorum titulis exornatus æquitatem Principis obscuraret suspensus. Certè digni spes trahi, & ad futurum tempus produci est benemerito molestia; sed maior gubernatoris iniuria: non satis est, si virtuti præmia steterint, vt pœnæ vitiis; sed remuneratio de digna acceleratione decenter resplendet, vt punitio de matura consideratione refulget. *Quis virtutem amplectatur*, aiebat Publius, *præmia si desint?* Adde: & quis præmium exambiat, si prolixa suspensione distorqueat? Præmium de promptitudine decoris adauget gratiam, & pœna de prudenti lentitudine arcet querelam. Ergo Iosue immediatè concessit quod petebatur, ne merita sine præmiis inspecta aut languorem generarent strenuis, aut iniuriam inferrent moderatoribus.

Abulens.

P. Mimus.

Nabuchod. illi sic superbiæ fastu se sibi negauit, vt ab homine transiret in lignum: maluit proceram arborem eminere, quàm inter homines numerari: ab arbore somniat se transiturum in bestiam: nam Dominus pro immensa sua benignitate de somno supplicio procurabat medelam, vt teritus supplicij amoueret causam. 61.
O quàm proprius diuinæ bonitatis est genius seueritatis specie consulere, vtque consulat, prouidenter affligere! Daniel somnium interpretatus conducibiliorem docet pœnitentiam, quàm pertinaciam; ventosissimus tamen homo sic humanam denudarat naturam, vt intentati supplicij aboleret prorsus memoriam: *Post finem mensium duodecim*, inquit, *in aula Babylonis deambulabat, respondítque Rex, & ait: Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Arrogantia asciuit pœnam, & tulit superbia mulctam: ex hominibus abiectus campis deerrabat, montiúmque anfractibus miserandus, & palabundus degebat; sed quem eumida abstulit gloria, dura sensum restituit pœna: iam Deum glorificat, iam cæli ac terræ dominum laudat; iam oculos à terra auertit, & cælo figit: mira res, terram perdidit Babylonem

Dan.4.v.26.

Babylonem intuitus, & regnum recuperauit cælum conspicatus: *Ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui.* Quid tunc? *In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei, decorémque perueni.* Et cur post exomologesim duodecim menses non expectauit, vt fulgeret fasciis imperialibus restitutus, qui post immetatam arboris proceritatem non statim decertauit agris mulctatus? O diuinam cælestis gubernationis politiam! Nec peccatum accelerauit punire, nec distulit virtutem præmiari: *In ipso tempore*, inquit, *ad honorem regni mei, decorémque perueni*: quia iam agnoscebatur meritum, nullatenus dilatum est in aliud tempus fastigium. A feritate distat, qui peccatis de patientia quærit remedium, quasi plus doleat infligenti supplicium: inuidiosamque effugit notam, qui tarditate debita non adulterat præmia: in eodem tempore est restitutus, quo meritum ostendit confessus. Ita P. Gaspar Sanctius ad hunc locum: *In illo nempe tempore, cum illustrem illam confessionem edidit.* Confessionis dignitatem comitatum est præmium; somnium verò tumoris non statim tulit supplicium: verúmque rectè ne iusta mulcta de celeritate putari posset sæuitia, neve de tarditate ignauum notari posset remunerantis studium.

Sanctius.

62. Cassiodor. Attalaricus dignum remunerans sic scribit 8. variar. 8. *Tentasset, Patres conscripti, in candidatis copia meritorum, vt vereamur, ne tardius putemur elegisse, quem non sit iudicio comproba[illegible] [illegible] memoria auus noster optimos [illegible] [illegible] remuneratam prosperitatis fortuna [illegible] ille [illegible] Domino largissimo bene[illegible] aliqua remuneratione [illegible] esse derelictum. [illegible] dilata est [illegible] in [illegible], [illegible] : conueniat [illegible] : condignum est ab [illegible], quod [illegible] constat auctori.* Vt hæredes parentum debita soluere compelluntur, sic dignis præmia largiri tenentur. Sapienter veritus est Attalaricus, ne tardior videretur electio, quia vbi irremunerata meritorum copia, legitur regnantis ignauia, & iustitiæ auditur semper querela.

63. Christum Dominum in crucem egit truculenta aduersariorum inuidia, ibi contra gehennales inimicorum exercitus, cælesti deprælia- tus est tolerantia, inuictaque effudit hostiles acies patientia: crucis vertice eminebat titulus, qui Iudæorum Regem deprædicaret: *Hic est rex Iudæorum.* Inscriptionem hanc delere penitus, aut saltem à cruce remouere aduersarij totis nisibus sunt conati; verùm Præsidis suffragante diuinæ prouidentiæ superbia, in priore mente stetit, nec passus est inscriptionem deleri, aut à cruce titulum separari. Ambrosius in hoc titulo cælestem Numinis legi autumat politiam: *Meritò supra crucem titulus: quia non humani corporis; sed diuinæ potestatis est regnum, quod habet Christus.* O quàm diuina in hoc titulo se ostentabat Numinis prouidentia! In eodem crucis stadio digno offertur meritorum corona: quia ibi dignissima decertauerat causa: suspirabat fraudulenta aduersariorum versutia è crucis vertice auferre honorem, quo irremunerata

Luc. 23. v. 38.

merita aliorum ad virtutem retardarent conatum, & crucifixi tumularent sæculis meritum; verùm Deus supra crucem titulum voluit lucere, vt qui aspiceret victricem crucifixi pugnam, & videret in ipso stadio coronam. Sanè diuinæ potestatis probatur regnum, vbi nec titulus sine merito, nec meritum sine honorabili titulo: *Supra crucem ponitur titulus, vt non humani corporis; sed diuinæ potestatis sit regnum.* O quàm dignè terminabatur crux regno! ô quàm diuini regiminis prouidentia videretur deficere sine titulo! Et quidem titulus ponitur, non ambitur: Christus Dominus crucis stadio cum hostibus deprælia- tur, & dum ipse viriliter deprælia- tur, titulus prouidenter inscribitur: vtriusque honestissimum commendatur studium, inuicta scilicet decertantis constantia, & præmiantis prouidentissima cura: alter manus conserit, & alter præmium decernit: alter decernit, dum cum hostibus alter confligit: supra crucem titulus, vt dignum coronauerint citissimè præmia, & præmiantis curam commendarit decertantis victoria. Adde si quod aliud stabile contra acriores fortunæ flatus, regnorum fulcrum esse præmiandi dignos celeritatem: benemeriti namque remuneratio est anchora ad fundandam Rempublicam validissima.

Ambros.

64. Adest Balthasar huius veritatis infaustus testis hanc præmiandi politiam ruentis imperij casibus opponens, & quidem, ni tam serò, forsan fulcisset, & miserandum casum vitasset. Cœnabat ille magnatibus, concubinisque constipatus, vt de vini pretiositate, ac regalium eduliorum ingluuie foueretur intemperantia, & liberius coleretur luxuria; verùm paucis litteris grandis compescuit petulantiam sententia, & citharam in dissonum mutauit clamorem mulcta. Sapientes introducti sunt, vt legerent Scripturam: nec enim profanis adeò conuiuiis poterant adesse sapientes, nec noscere valebant mysteria, qui lautiora hausissent pocula. Sapientes Scripturam legere non valuerunt: sæculi namque doctiores cælestes nondum nouerant characteres. O quàm nec legere cælestia didicerant, qui euanidæ scientiæ magistri turgidissimi tumescebant! Præmium proponitur, vt mens studiosorum acuatur: *Quicúmque legerit Scripturam hanc, & interpretationem eius manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit.* Et cur non secundus; sed tertius? Cur præcedat indoctus, aut cur postponat humana gratia, quē cælestis præferret scientia? O quàm magnus labor abstrusa legere, & abscōsa sæculis perscrutari, & quàm exiguum iamiam labente regno deprædicari tertium, & purpura fulgere exornatum! Hoc quidem non ad gloriam; sed pertinere videtur ad pœnam: ægriùs namque torquet post felicitatem calamitas, post purpuræ splendorem miseria. Daniel ingressus mysterium venatur abstrusum, & regi prædicit infaustum: plus quidem mirabilis de audacia, quàm de sapientia: non adeò demiror veritatem litteris obtectam agnouisse, quàm nudā Principi declarasse: solent enim vel sapientiores dura regibus mellitis interpretationibus delinire, aut certè indignis adulationibus obscurare. Ergo Daniel sentētiam explicat, & rex eadem hora ornari præcipit purpura, & in regno tertij fulgere gloria: *Tunc iubente rege indutus est Daniel purpura, & circumdata*

Dan. 5. v. 7.

cumdata est torques aurea collo eius, & prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in regno suo. Certè sententiæ rigor imminentis supplicij metus sic regis animum cogitationésque distrahebant, vt dolori tantùm, & luctui tempus concederent, nec præmiorum prouisioni relinquerent; & tamen statim vestitur purpura, qui cæteros superauerat scientia? Hieronymus, & Lyra putant hoc modo imminenti malo castra se oppositurum putasse, & ruinam auersurum se credidisse, scilicet in sequentem diem non differendo promissum; sed reddendo statim meritis debitum: *Non mirum, si quamuis audiens tristia, præmium soluerit, cùm ventura, quæ audierat, non statim crediderit: Dei enim prophetam honorando se putauit veniam promereri.* Concinit Lyra: *Credebat per hoc iram Dei placare exhibendo honorem eius Prophetæ.* Dum præmiatur dignum, appetentem nititur auertere casum, & dum in futurum non differt, se coronam fulcire credit: & quidem, ni flagitiis adeò exundaret, hac industria calamitatem auerteret: est enim firmissimus regnorum nexus dignorum remuneratio, quam nec adulterat mora, nec fastidit defatigata patientia.

Hieron.

Lyra.

§. XVI.

Puerum florido iuuentutis ardore optimis moribus erudire, regnum peccati est euertere.

65. Florentes, felicésque Respublicæ non illæ sunt, quæ inanis murorum sumptibus cinguntur, & mœnium propugnaculis obarmantur: stata regni felicitas ciuibus optimis exundare, & probis moribus effulgere. Cogebat Pharao Hebræos ad durissimas fœdásque laterum supra vires operas, quò citissimè illorum memoriam prorsus deleret; verùm populus ille legibus, auitisque patrum institutis obsequens sobolem numerosissimam regerebat, & quibus innocentia contulerat vires, vaferrimæ virulenti hostis deterere nequibant artes: *Viris, armisque florentes copia*, aiebat Philo lib. 1. de vita Mosis, *sunt murus inexpugnabilis.* Saxei violentis machinamentorum euertuntur pulsibus muri; ast prudentia, virilis audacia, impauida fortitudo vt subiugari non didicit, ita aduersarios triumphare nouit. Hi ergo strenui viri, etsi plurimùm à nobili originis vena accipiant, multum ab eruditione, optimáque institutione pueritiæ mutuantur. *Adolescentem videns Diogenes furibundum, & vecordem* (verba sunt Plutarchi de instituend. liber.) *Parens, inquit, adolescens, te seminauit temulentus.* Originis relucent in prole non semel mores, nec à vena discrepant filij. *Lacedæmonij Regi suo mulctam dixerunt Archidamo, quod pusillam statura vxorem ducere sustinuisset, addito elogio, quòd non reges ipsis, sed dare regulos deliberasset:* quasi à pusilla parente magni procreari nequirent. Expetendum est naturæ suffragium; sed institutionis mirum est ad viros fortes educandos ingenium. Parum est telluri, quantumuis profundi sulci selectum agricolam granum commendasse, ni fauorabilis Solis influxus, & opportunus ventorum aspirauerit flatus. *Natura citra disciplinam*, addit idem Philosophus ibi, *cæca est, sine natura manca disciplina, exercitatio sine ambabus rudis.* Itaque quantumuis ingenua fuerit origo, suffragium eruditionis expectat. Maxima in Rempublicam contulit beneficia, qui instituendis pueris, virtutique insudauit aptandis. Adest huius veritatis testis Calebus Filius Iephone Cenezæus dictus: *Accesserunt itáque filij Iuda ad Iosue in Galgala, locutúsque est ad eum Caleb filius Iephone Cenezæus.* Non modicū interpretibus dubium circa hoc Calebi cognomentum; nam Cenez alium à Iephone fuisse non dubium: cur ergo Cenezæus dicitur, cùm gigantes expugnaturus aggreditur, eámque sibi partem regionis expugnandam exambit, cuius habitatores poterant vel toruitate vultus terrere. Placet Abulensis hic quæst. 5. *Vocatur Caleb Cenezæus: quia, vt quidam Iudæi dicunt, Caleb fuit filius naturalis Iephone, quo mortuo accepit Cenez in vxorem matrem ipsius Caleb, & quia tunc Caleb erat paruus, nutritus est à Cenez, & inde vocatus est Cenezæus.* Noluit textus à celebri Calebi triumpho Cenez excludi; imò partita est Scriptura huius victoriæ laudem inter Iephone generantem, & Cenez disciplinis optimis erudientem. O quanta missilia, catapultariaque pila Cenez in gigantum muros vibrauit, dum Calebum ætate tenellum probis moribus erudiuit! Calebus Deum timere doctus interritus monstra vidit, prudenter temerarius subegit, Numinis præceptis paruit: itaque dum Cenez puerum instituit, & gigantibus vires ademit.

Philo. *Viris armisque florentes copia sūt murus inexpugnabilis.*

Plutarch.

A vena nō discrepant vt plurimum filij.

Cæca est sine disciplina natura.

Abulens.

Ventosissimus ille Nabuchod. vel somno indulgens vigilauit vanitati: proceram contemplatur statuam, cuius caput aureum, brachia argentea, & ferreæ tibiæ: & quomodò pedes non sorderent, quando caput omnē sibi nitorem auri arrogauit? Verùm dum euanidis gaudet figmentis, veris euertitur infortuniis: lapis naturali grauitate deiectus pedibus percussam solo exæquauit statuam: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* O cælestis lapidis dignum ingenium superbis semper aduersum! non dixit Propheta lapidis casum, quia non cecidit ad ruinam; sed descenderat ad victoriam: hoc non est cadere; sed ferire; verùm nec his verberibus vanitas castigata detumuit: ferrum cessit ictibus, contrita namque sunt pariter aurum, argentum, & ferrum; & tamen inflatior restitit vanitas: inde infeliciter aucta ad ruinam, vnde faustissimè imminuta ad tutelam. Statuam iterum construit, quam nec ipsa potuit concepisse phantasia: satis non fuit superbiæ metas vsque ad somnia extendisse; sed gestiuit superasse. Auri nitorem aut metu territi, aut deliniti cantu omnes detestandis ritibus adorabant; verùm tres pueri patria nobilitate retenta, ne virtutis obscurauerint gloriam, vitæ non parcunt; globulis horrendum anhelantibus inseruntur; sed quibus morum probitas contulerat reuerentiam, rationabilis inferre nesciuit ardor iniuriam. Pueri quasi per amœna incedebant vireta, & ardor placidum roris imitabatur ingenium, vt virtuti debitum exhiberet seruitium: ibi Deus pueros custodiebat illæsos, & comitabatur placidos: feliciores sanè degebant inter anhelantes flāmas Deo comitati, quam 66.

Dan 2. v. 3;

quàm empyreo degerent Numine destituti. Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, & surrexit properè, & in voces confessionis gratas erupit: *Placuit ergo mihi*, inquit, *prædicare, & signa eius, quia magna sunt, & mirabilia eius, quia fortia, & regnum eius regnum sempiternum, & potestas eius in generationem, & generationem.* Ecce pueri hymnis detriumphant regis superbiam, Deus ictibus protriuit statuam; imò de puerorum optima disciplina plus tumentem refrænauit: nam post lapidis iactum aurea iterum virtutibus minabatur statua; sed religione puerorum & ventosus resipuit, & veritas religionis resplenduit. Opportunè Irenæus lib. 4. cap. 37. *Filius Dei visus est cum his, qui erant in camino ignis liberans eos de igne: aliquando lapis abscissus est sine manibus, & percutiens temporalia regna.* Vtrobique visus est temporalia regna percutiens, feriens scilicet & instruens: nam pueros optimis moribus erudire regnum est inflationis euertere: cecidit superbiæ imago, dum lapis deterit; sed etiam cecidit idololatria, dum puerulus diuinas Numinis laudes canit. Itaque Deus Nachodonosoris amentiam corrigit, mendaciique regna euertit & feriens lapidis ictu, & puerorum cantu: dum à libidinum ardentissimis æstibus pueros liberat, in dæmonis eiaculatur ministros flãmas. Non possum in æternis sacræ meæ Religionis, Iesu scilicet Societatis, elogiis deprædicare instituta, quando, vt pueriles instrueret mores, laboriosa litterarum edoceat rudimenta. Et quos labores putas perfert Societas in pueris instituendis? Profectò singulæ familiæ ægrè sustinent vel vnius pueri inquietudinem indefessam; quid ergo erit, vbi tot confluunt diuersa ingenia, ingénsque adeò efferuescentium iuuentute florida copia? Certè adinuenit Societas filiis suis incruentum martyrium, puerorum scilicet magisterium. Adde non quoscumque grammaticæ tradendæ adscribi; sed homines profectò scientiarum peritia, omnígenaque litterarum scientia conspicuos: tanti interest pueros optimis disciplinis imbuere, tantum Societas Reipublicæ discupit famulari.

Daniel 3. v. 100.

Irenæus.

67. Pharao ille male studens firmando regno, firmare aggressus est innocentium excidio: vidit naturam numerosissimam sobolem regerere Hebræis, vtpotè à luxuria alienis, obscuráque flamma libidinis non adustis, & ambitiosis distortus curis concilium cogit, & de accidendis nefariè Hebræorum viribus agit: *Ecce populus filiorum Israel multus & fortior nobis est, venite sapienter opprimamus eum.* O sapientiam peruersitatis scholis edoctam! O sapientiam veræ sapientiæ inimicam! Sic sapiunt politici, sic stultescunt peruersi? consiliarij innocentium oppressionem decreuerunt: quod enim aliud præberent ambitiosi consilium, quando Principis agnoscebatur desiderium, palámque contra iustitiam prodebatur studium: *Venite*, inquit, *sapientes opprimamus eum.* Non discutit an opprimere liceat; sed quomodo oppressio innocentum sit coloranda, vt iuri non videatur aduersa, cùm virtuti sit inimica. Proh detestandum consilium, vbi tragreditur limites humanos insania, & iustitiæ faciem assumit sæuitia! Quid tandem decreuerint, videamus: puerorum interitum: radicis morbus apparebat in fructu, & quantumuis improbitatem tegere curarit astutia, arcana cordis iniusta publicauit sententia: pueros cum nulla humanitate rapidis Nili fluentis, vndísque turbulentis iubet sepeliri, vt vel natiuitatis iubar anteuerterit nox sepulchri: *Quicquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite.* Hieronymus moralissimè quid aquæ allegoricè designauerint, tradit in catena S. Thomæ ad illud: *Sæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam*: ait ergo: Ignem succensa virorum corda, aquam exprimere voluptatis delinimenta: *In aquas scilicet voluptatum, vel cupiditatum.* Animaduerte astutia peruersitatéque plenum sanè consilium, vt Hebræorum, virtutisque regnum prorsus euertat, pueros satagit corporis voluptatibus indulgere, morésque peruersos sectari: quasi nullum peccati regni firmius stabibiliúsque firmamentum fuerit, quàm pueros pessimis disciplinis imbui, vitiísque turpissimis defœdari: sapienter quidem vt peruersitatem stabiliret, mores puerorum euertit: nam citò pueri adolescerent in iuuenes, citò iuuenes incrementarentur in viros, qui si ab exordio innutriti vitiis, ægrè probis informari quiuissent moribus. O quàm difficilè vitium cum homine ab incunabulis adultum, per longáque temporis spatia quodammodo inuisceratum auelli posset! Certè quæ diu adglutinata, & quodammodò immixta faciliùs quam separaueris, rumpes: in flumen ergo voluptatum, deliciarúmque pueros quamprimum solare iubar intuitos iubet immergi, hísque artibus imperium suum vaferrimus putat fulciri. Nec sua illum fefellit opinio: nam à puero optimè instituto Ægyptiacum regnum euersum est: turbida namque hac tempestate Moyses nascitur, vtque inoffensus fluuiũ cæteris naufragium traiecerit, magna solicitudine parentes incumbunt: fiscellam scirpeam aptant, iterum atque iterum liniunt, ne vel leuis rimula puero naufragium attulerit: *Sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice, posuitque intus infantulum, & exposuit in carecto ripa fluminis.* Lippomanus eadem diligentia parentes compingenda fiscella, ac Noë in elaboranda arca insudasse ait: *Omni diligentia incumbunt, vt tutò reponatur infantulus exponendus. Non minori fide, quàm olim Noë arcam quoque suam disposuit.* Profunda sanè huius Doctoris cogitatio, quam aliorsum fortassis expendam. Disquiramus modò quid fiscellæ cum arca? Arca mundi portus, maris insula, mundi reliquiarum profugium, spei seminarium: arcula puerili seruatrix, infantis baiula, & vnius salutis tessera: cùr ergo idem in arcula compingenda studium, cur similis fides? Noë credidit asseruatis arca reliquiis propagandum iterum mundum: ideò omni solertia in bitumine rimulas obturando sudauit, & ne vaga fluenti vnda aditum inueniret, studuit: & eadem fide Moysis parentes vnico puero disponunt arculam, parántque fiscellam? O vide. De Noëmi arca propagatus est mundus, & dum nec exiguæ guttulæ ad nauis interiora inuenitur aditus, spe certa vel inter vortices effloret mundus. Eodem ergo modo parentes dum nullis vndis aditum ad puerum concedunt, Hebræorum iterum regnum excudunt: vnicum puerum fiscella baiulat; sed vel puer vnicus probis moribus institutus vitiorum regnum euertet, & regnum virtutis restituet. De vnico puero benè instituto regni instaurationem præsumunt, vt Noë de tot animantium numero mundi faciem credidit renouandam

Exod. 1. v. 10.

Hieronym. *Aqua obscœnas voluptates, ignis furores iræ designat.*

Exod. 2. v. 3.

Lippoman.

Naxera in Iosue Tom. 2.

uandam, & ex nauis vtero edendam. Hanc etiam sententiam fulcit Gregorius Nyssenus de vita Mosis: *Fluctuum autem aquarum hanc vitam dico, in qua perturbationibus alternis multi obruuntur; at verò cogitationes rectæ, rationésque virilis partus parentes fiscella muniunt, quos genuerunt, ne vndarum impetu confringantur, atque submergantur.* Attentiùs auscultanda, quæ subdit: *Est autem veluti virgulis diuersis compacta fiscella doctrina, vt arbitror, ea, quæ multis atque varijs disciplinis in vnum collecta super fluctus huius vitæ fert, nec immergi patitur.* En parentes dum puerum optimis disciplinis instituunt, tyrannidis truculentæ regnum euertunt, & Moyses aquas inoffensè calcare doctus aquas docuit iter concessisse Hebræis, sepulchrúmque effodere Ægyptiis. Notauit etiam Philo de vita Mosis diuinitus optimam puero institutionem procuratam, vt tot calamitatibus pressis aliqua spes affulgeret, & salutis tessera scintillaret: non est institutus Moyses apud Ægyptios; sed apud ipsius parentes, vt proba de educatione vitiis minaretur aduersus, qui de origine nascebatur captiuus: *Ferunt infantem vt alienum suæ matri commendasse, eámque libenter pollicitam suam operam in nutricando tanquam mercedis gratia, Deo providente, vt prima educatio contingeret infanti domi apud hos ipsos, ex quibus procreatus fuerat. Post hæc nomen ei datur sumptum ex ipsa re, quod esset ex aqua sublatus.* Post institutionem vocatur Moyses, hoc est aqua: nam post institutionem iam habuerunt Hebræi aquam, qua anhelantes fornacum flammas extinguerent, Ægyptiósque sibi infensissimos tumularent: Tanti interest optima puerorum disciplina ad euertendam vitij tyrannidem, stabiliendáque rationis imperia.

Nyssen.

Philo.

---

§. XVII.

Infelix est, qui voluptatibus seruit; infelicior qui nec virtutis caret laboribus, nec honestatis potitur fructibus.

68. VT maxima peccatorum pœna ipsum peccatum est, sic, & virtutis ipsa virtus optabilius, & maximum præmium: quantumuis vitia fauore fortunæ sint tuta, nunquam tamen quieuere secura: vt etiam honesta facta externis licèt caruerint præmiis, secum afferunt honestatem egregium fructum. Itaque egregiè facta, quantumuis irremunerata, semper deliciantur hilari conscientia secura. *Proprio fruitur honore*, scribit Cassiodorus 1. variar. 3. *quod est natura laudabile, nec desunt probatæ conscientiæ fasces, cum gerat animo dignitates: omnia siquidem bona suis sunt coniuncta cum fructibus.* Verum hoc; sed præmia ferè semper laborum leuarunt ardua, & qui studuit honestis, allicitur etiam iucundis: vitia carent præmio; sed fallaci fruuntur gaudio: euanidis asseclas suos vitia prolectauere deliciis, vt æternis honesta præmiis. Itaque virtutis labor immortali redimitur præmio, fallaci vitiorum fœditas gaudio. Infelix quidem est euanidis obcœnísque voluptatibus seruiens; eius tamẽ infelicitas felicitatis nitet splendore crustata: laborat qui per arduam honestatis inscendit viam; sed præmiis labor fructuosissimus compensatur. Itaque qui vitio obsequitur, etsi fluidis, & malè securis potitur gaudiis; qui virtutem, dignis sudorem detergit præmiis. *Ita ab æuo dignissimum creditum est*, scribit Tertullianus aduers. Gnostic. cap. 6. *studiorum experimentum committere artes corporum, & vocum præstantiam expendere præmio indice, spectaculo indice, sententia voluptate: qua nulla sunt prælia, nonnulla sunt vulnera: pugni quassant, calces arietant, cæstus dilaniant, flagella dilacerant; nemo tamen agonis præsidem sugillauerit, quod homines violentiæ obiectet; iniuriarum actiones extra stadium; sed quantum liuores illi, & cruores, & vibices negotiantur, intendis: coronas scilicet, & gloriam, & dotem priuilegia publica, stipendia ciuica, imagines, statuas, & qualem potest præstare sæculum, de fama æternitatem, de memoria resurrectionem.* Itaque voluptas sententiam fert, nec semel pro vitiis: honestas, & æterna gloria vindicauere virtutem: felix qui fortitudini, & temperantiæ inseruiuit, vt qui memoriam æternet; infelix est corporis oblectamenta secutus; ad speciem tamen habetur beatus, vt qui deliciis exundet, & oblectamentis vitij fœditatem inauret; ille verò omnium infelicissimus, qui virtutis sine virtute exantlauit labores, nec vitij consecutus est voluptates. Calebus Iosue de præmio sibi promisso interpellat, & explorationis infelicissimos prodit socios, vtpotè qui nec duros adeò itineris excusauere labores, nec laboribus militauere virtuti: *Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysem hominem Dei de me, & te in Cadesbarne. Quadraginta annorum eram, quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, vt considerarem terram: nunciauíque ei, quod mihi verum videbatur: fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi, & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum: iurauítque Moyses in die illo dicens. Terra, quam calcauit pes tuus, erit possessio tua.* Ardua difficillimáque Calebus aggressus est; sed egregiis promissis, & lautissimis laborem solatur præmiis: infelix populus falso timore perculsus, vt ignauiæ indulgeat, gloriosa prælia detrectat; verùm certaminum caret angustiis, dum nociuis indulget otiis; exploratores tamen infelicissimi, vtpotè qui nec otij sectati commoda, nec difficilis peregrinationis consecuti sunt præmia: per montium prærupta incesserant per scopulorum ardua, & tanti laboris fructus excidium fuit: *Nec quisquam ex illis*, testatur Deus, *qui detraxit mihi, intuebitur eam: seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc.* Dispeciere socij digna mortis damnati sententia: accepit Calebus, quæ virtutis præmia merebatur, vt labores præmio soletur, de ipsóque, quod de Pycte, repetat Tertullianus, vbi suprà: *Calebus ipse non queritur, dolere se non vult, corona premit vulnera, palma sanguinem obscurat: plus victoriatum est, quàm iniuriatum.* Non quæritur Calebus arduos se exantlasse labores; imò plaudit sibi lætus de præmio: populus virtutis non est consecutus præmia; sed in deserto ignaua sectatus est otia; exploratores tamen Calebi comites sanè infelicissimi, vt qui otio non indulgentes; sed potiùs peregrinationibus, ac laboribus fatigati, & digna morti sententia addicti.

Cassiodor. *Omnia honesta proprio fruuntur honore.*

Tertull.

De memoria aliquomodo resurrectio præstatur.

Num. 14. v. 23.

Tertull.

Post

69. Post Baptistæ mortem, quam trux perpetrarat libido, Christus Dominus desertorum petit recessus, vt desæuientis turpitudinis frustraretur adsultus: malitia namque vno impie perpetrato non sopitur; sed ad scelestius piaculum incitatur, sequebatur turba plurima Saluatorem, vtpotè pastorem oues, depulsorem ægritudinis ægri, animarum serui liberatorem: vnicam videbant viam errore carentem, & certatim omnes confluebant: vbi illi collubitum, & illuc ab omnibus iter abreptum: morbidus eximebatur à morbo, afflictatus ab angustia liberabatur; denique cùm largissimi benignitatis paterent fontes, omnes fruebantur: iam [illegible]um dierum spatia annonam consumpserant, iam fames vexare cœperat, cùm benignissimus Dominus mensam explicat extemporariam, antiquam Moysis liberalitatem euincens: ille manna præbuit, Dominus cælesti panem gratia fragrantem, ac insuper piscium saporatas delicias addidit: Ioannes saturatorum expressit numerum:

Ioan.6.v.10. *Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.* Non dixit, quot secuti, expressit quot pransi vt aliquos secutos, nec pransos ostenderet, quia fors, & longiùs dissiti, aut dumetis illis [illegible] otiosi. Ita Bernardus in allegor. Tomo [illegible] 8. Marci. Quos vocat omnium infelicissimos, vtpotè qui nec miraculosis panibus fruiti, nec ciuitatis commodis ac delicijs sint oblectati, si ad desertorum vsque errores non contendissent, saporatis carerent panibus; viarum tamen laboriosis non defatigarentur sudoribus. Si Christum secuti, cælesti illa fruerentur mensa, iam laboris anxietatem saporato compensarent cibo; ac cælesti leuarent præmio; at dum laboriosa desertorum petentes, sequentium præmiis non fruuntur, infelicissimi comprobantur, vt qui nec sectari otia, nec laboris potiti præmia. Audi Bernardum:

Bernard. *Miseri, qui non exiere, nec in deserto secuti sunt Saluatorem; sed mirabiliores omnibus hominibus, qui procti sunt cum alijs, nec cum alijs sunt refecti. Porro si qui fuere, qui discumbentibus alijs post dumeta, siue diuersoria quanis ab condita latuere, homines huiusmodi ieiunos, vacuò que remansisse quis nesciat?* Ecce ex Bernardi sententia omnibus sunt miserabiliores hominibus, qui secuti, nec pransi, quandoquidem nec desertorum vitarunt ærumnam, nec cælestem adepti sunt mensam: miserabiles quidem, qui non exiere, quia cælesti caruere prandio; tamen indulserunt otio: felicissimi, qui licèt per ardua sequentes Dominum, cæleste meruere conuiuium; omnium tamen miserrimi, qui cum reliquis subiere laborem, nec post laborem accipere laboris meruere mercedem.

70. Bis arcam super boum humeros leges portatam: Philisthini duas vaccas fœtas, quibus nondum iugum impositum, iunxere plaustro, illæque in directum mugientes ac pergentes contendunt, cúmque plaustrum in agrum Iosue venisset, Bethsamitæ vaccas aræ impositas Domino odorem suauissimum obtulerunt:

1.Reg.6.v.14. *Conciderunt ligna plaustri, vaccásque imposuerunt super ea holocaustum Domino.* Dignæ habitæ sunt, quæ offerrentur Domino, charitatísque sacris ignibus non tam adustæ, quàm repurgatæ nitescerent cælo: portationis laborem excepit ara: consecrationísque Domino nobilitauit æterna gloria. Alibi arca boum humeris etiam imponitur; verùm boues ibi Domino in holocaustum oblatos non leges: quia calcitrantes excutere nisi sunt arcam, quam Oza dum temeraria præsumptione festinat erigere, mortis sententiam properauit accersere: *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrauerant boues, & declinauerant eam.* 2.Reg.6.v.6.

Et cur boues portationis fructum, scilicet aris imponi, non consequantur, cùm vaccæ Domino consecrentur? Si vaccæ, quia arcæ baiulæ præmium, æternum scilicet dicari Domino sunt consecutæ, cur boues post deportationem simili præmio nullatenus honorati? Innuit textus, quia scilicet calcitrantes declinauerant arcam: nisi sunt sacrum excussisse pondus, aggressi honestum frangere iugum; non tamen successit votum: nam Oza, ne excuteretur pondus, applicuit manum. Itaque boues humeros pondere attriti, de calcitrationis impatientia sunt laboris præmio priuati: vaccæ arcam supportarunt, nec excussisse exambierunt: ideò vastationis præmium honorem maximum consecutæ. Proh infortunatissimos boues arcam humeris portare compulsos, & de calcitratione honore vectationis priuatos! Quod ad mores adaptans Hugo Cardinalis sic ait: Hugo. *Hæc [arca] bobus calcitrantibus inclinatur, quando Prælatus subditorum susurris, & murmurationibus ad [illegible] p[illegible].* Ecce subditi infelicissimi obedientiæ iugum nullo modo frangere post emissa vota valentes, & obedientiæ meritum obmurmurationis, inuitíque obsequij calcitrationibus obscurantes: pondus velint nolint ferre necessum est, & cum calcitrationibus humero laborem excussisse non valeant, obmurmurationibus, impatientiáque à se vectationis præmium ablegant: onusti, & irremunerati, & ita inter omnes infelicissimi. O quoties ita accidere videas: ille obedientiæ nullatenus detrectare potest obsequia, ille doloris aut aduersitatis depellere nequit spicula: ille famæ aut diuitiarum nequit vitare naufragia, & cùm copiosum de patientia metere voluerint præmium, de impatientia, detrectationéque, & incrementauere sibi tormentum, & amiserunt imprudentissime fructum. Ergo si exantlare labores, si res aduersas pati opus, sic ferto, vt digna receperis præmia: est enim imprudentissima miseria, & oneribus atteri, & attritum posteà puniri.

71. Iobus patientiæ simulacrum omnes dæmoniacæ malignitatis euacuarat sagittas: diuitiis nudatus, seruorum satellitio orbus, filiorum morte percussus, sterquilinio vilissimo sordidus, carnibus exutus, & acribus vermium morsibus excisus; omnia tamen adeò patienter tulit, vt inimicum altiori referiat vulnere non pugnando; sed sustinendo: huic magnis calamitatum voluminibus impetito vxor improba in Deum iaciat dicteria suadet, quo pectoris furorem sedet: *Dixit illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere.* Iob.2.v.9. Quid tunc Iobus? *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es:* aptiùs forsan; quasi vna de impiis: plures mortis compendio remedium calamitatibus attulerunt: humana prudentia non semel censuit conducibilius esse mortem temeraria fortitudine oppetere, quam in aduersariorum manus venire, aut violentissimos

mos fortunæ aduersæ ictus sustinere. Ergo vxor, dum morte acerbam monet calamitatem finire, non sugilletur stulta; sed prodatur iniqua. Vtrumque sanè imprudentiam & stultitiam redolebat mulieris consilium; summè tamen apparebat imprudens: nam in Deum furens Iobus non auertebat calamitatis naufragium; sed propulsabat patientiæ præmium: si iactis in Deum maledictis calamitates mitescerent, vtilis censeri posset impietas: sustinere calamitates ob Deum, conducibilior erat patientia; at sacrilegis oblocutionibus infici, durissimisque ærumnarum telis feriri summa proditur stultitia, dum nec patientiæ captat præmium, nec laboris propulsat martyrium. Infelix esset Iob, si maledixisset Deo, quantumuis optimam sibi fortunam maledicentia procudisset; verùm si dolores maledicendo vitasset, aliqualem excusationem haberet; ast aduri doloribus, & dolorum amittere præmia visa sunt sapienti deliria. Adest Origenes lib.2.in Iob. *Cur*, inquit, *maximam insipientiam arripuisti, atque aggressa es? Cur te ipsam vas diaboli effecisti? Cur te ipsam habitationem maligni præparasti: Cur Diabolus locutus est per os tuum infestinas primum mentem tuam, atque animæ tuæ intellectum?* Summæ fatuitatis arguitur, quæ post ægritudinis sensum præmiis tantummodo aduersabatur: nec enim ait: Maledic Deo, & voluptuosis deliciis fruere; sed morere. Quid ergo stultius quàm laborem præmium amittere, & labores sustinere; imò & maius malum, scilicet mortem incurrerere.

Origen.

72. Concludat thema latro ille beatus, qui blasphemantem socium gloriosa voce coarguit: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es?* Quasi dicat: Christi æmuli Scribæ & Pharisæi hominem istum linguis percutiunt; verùm inuidentiæ euaporant tormentum: iniquitati deseruiunt; sed dolorem æmulationis emolliunt; at tu omnium probaris infelicissimus: sustines namque virtutis laborem, scilicet crucis lignum, & æmulatus Scribas peruersitatis induis ingenium: felix esses, si, vt Dominum imitaris crucis multa, imitareris patientia; aut saltem non adeò infelix, si quos refers impatientia, & improba referres victoria; verùm inter vtrosque infaustissimè medius, & sustines ligni cruciatus, & amittis cruciatuum fructus. *Fortè autem*, scribit Euthymius, *etiam id in gratiam Iudæorum faciebant, vt propter hoc ipsis deperirent; postmodum verò alter pænitentia ductus est*. Ad speciem excusabatur blasphemia, dum supplicia euadendi inanis illis erat fiducia; at dum inanis apparuit fiducia, laborum perdere fructum apertissima fuit insania.

Luc 23. v.40.

Euthym.

---

§. XVIII.

Honestum est adaugendis proprijs virtutibus incubuisse; gloriosius tamen pro sua & proximorum salute indefessis conatibus laborasse.

73. Senec. *Magna voluptas puro spi-*

PErsenera, vt cæpisti, monet Seneca suum Lucilium epist.4. *& quantum potes, propera, quò diutius frui emendato animo, & composito possis: frueris quidem etiam dum componis, etiam dum emendas; alia tamen illa voluptas est, quæ percipitur ex contemplatione mentis ab omni labe pura, & splendida:* Profectò se ipsum reformare, & ad diuini Numinis exemplar componi honestissimum & iucundum est: vt enim in cibis sapor laborem manducationis emollit, sic & in virtute profectus sapor, quidquid asperum, mellit. Pueri sumus, dum virtutis faciem vti seueram fugimus ac trepidamus: nec solùm in nobis pueritia remanet; sed infantia: pueri nanque leuia, infantes formidant falsa; nos vtraque: non semel, quæ plus metus nobis afferunt, non sunt timenda; sed exoptanda. Vitia detergere, noxiis animum repurgare facinus commendatione dignissimum: suspiciendi sunt, qui desertorum erroribus affliċtantur, qui austerissimis pœnitentiæ afflictationibus addicuntur; qui inter magna bona diuitias, prætextam, aut salutem enumerat, nondum animo depulit prorsus errorem; qui verò ab omni labe, omnique vitio mentem conseruare puram accuratè studuit, is sereno fruitur, & immarcescibili, innoxiáque voluptate lætatur. Qui tamen non solùm propriæ perfectioni; sed proximorum etiam attendit, quid sublimius aggressus est: duplicatum namque lucrum reportat, dum & præcinctus lumbos colit temperantiam, & lucernis armatus à reliquis depellit inscitiam. Tribus Iuda Iosue adit, vt hæreditatem exposcat: *Accesserunt itaque filii Iuda ad Iosue in Galgala.* Pro terræ portione accessisse tradit Abulensis quæst.4. *Vt assignaret eis*, inquit, *possessionem; & cum his fuit Caleb, qui erat de principalioribus in tribu Iuda: vnde postquam tota tribus accepit responsum, quòd daretur eis sors terræ, & de loco determinato, in quo daretur, Caleb petijt sibi dari vrbem Hebron: ponitur tamen prius petitio Caleb, & assertio, quam sors filiorum Iuda.* Expendamus cur Calebus, & excellentiorem aliis portionem, & amœniorem terræ tractum fuerit sortitus. Ipse equidem reddit causam, dum se cæteros animasse, & quantum in se erat, firmissimis spebus testatur trepidos erexisse: *Fratres mei, qui ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi: & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.* Citat historiam ad Numer.14.relatam: *Nolite*, aiebat illic, *rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius: quia sicut panem ita eos possumus deuorare: recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere.* Ecce Calebus non solùm virtutis sectatur studium; sed ab aliis ignauum nititur depellere metum: cæteri contribules sibi consulebant; Calebus & sibi, & aliis consuluit: ideò nobiliorem cæteris terræ partem, & excellentiorem accepit. Loco verbi illius: *Secutus sum Dominum*, legunt Hebræi: *Secutum sum complere post Deum:* quod interpretatus Masius, sic ait: *Complere post Deum est non solum priuatim piè, sanctèque viuere; sed Dei etiam gloriam, & proximi salutem, quibus fieri potest modis, ad vltimum vsque vitæ actum procurare.* En cur priùs meliorem partem Calebus accipiat, quia scilicet non solum propriæ virtuti studuit; sed & aliorum saluti attendit. Contribules amœnum satis terræ tractum acceperunt, ob virtutem cultam amœniorem tamen Calebus ob suam, proximiorúmque salutem studiosissimè procuratam: nam licet gloriosum sit sibi attendere, gloriosiùs est & sibi, & aliis consulere.

Virtus diuinorum contemplatio.

Abul.

Num.14.v.9.

Masius.

Quadrigam

74 Quadrigam vidit Ehechiel Propheta, cuius animalia de iugo nobilissima quaternis instruebantur alis: *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni.* Isaias Seraphinos intuetur sex alis armatos: *Sex alæ vni, & sex alæ alteri.* Quod si discriminis causas curiosius inquiras, ea se ad speciem offert, scilicet Cherubinos sacro Spiritu fruitos, ad eiusque impulsum motos, ac virtutis progressum semper sectatos; sibi tamen spiritum illum ebibisse: nec aliis communicasse: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur*; at Isaiæ Seraphinos non solùm extensis alis ad virtutum contendebant fastigia, sed libratis etiam volatibus Prophetæ purgabant labia: *Et volauit*, inquit, *ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Seraphini non solùm ab omni labe purgati virtutum alta extensis plumis conscendunt; sed, & à proximis lues studiosissimè auferunt: Cherubini spiritus motionibus se præbent aptos sectandisque virtutibus studiosos; verum vt noueris magnum intercesse discrimen inter eos, qui sibi viuunt, & eos, qui proximis etiam prosunt, Cherubini alis quaternis fulciuntur: senis verò Seraphini exornantur: illi inferiori ordine, scilicet Cherubinorum, annumerati; alij ad supremum, videlicet Seraphinorum euecti. Innuit aliquomodò glossa: *Quidam dicunt Seraphim virtutes in cælo Deo assistentes, & laudantes, quæ in ministerium mittuntur, maximè ad eos, qui purgatione indigent, & propter peccata aliqua ex parte supplicij.* Ecce Seraphini sunt, qui purgant, Cherubini, qui sibi volant: Concinit Rupertus lib. 2. in Isaiam cap. 19. *Iste vnus de Seraphim Petrus Apostolus extitit, qui gratiæ pennis aduolans dixit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christo.* Petrus Seraphinum refert, dum volat ad Numinis extendendam notitiam, & ad proximorum purgandam maculam: alij non Seraphinos; sed Cherubinos imitantur, dum contemplationi; non tamen purgandis aliorum maculis addicuntur.

Ezech. 1. v. 5. Isaiæ 6. v. 2. Glossa. Rupert.

75 Hœdis iuxta tabernacula pastorum decernuntur pascua: ita sponsus sponsam allocutus: *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Humiliora loca hœdis assignantur; cùm tamen capris celsiora, eminentissimáque deputentur: *Capilli tui*, inquit, *sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Et cur cùm eiusdem sint generis, & capræ & hœdi, hœdi humiliora sectentur: *iuxta tabernacula*, inquit, *pastorum*, & capris montium eminentiora adscribantur: *Quæ ascenderunt*, inquit, *de monte Galaad?* Mysterium odoratur Ambrosius, hœdos scilicet sibi viuere, suáque diligentissimè procurare; capras verò nutrire filios, nec alimentum sibi tantùm carpere; sed iam lac, & fœtibus distribuere. Quæ cogo non sibi solùm; sed aliis viuunt, perfectioris virtutis montem inscendunt; qui autem sibi consulunt, humilioribus iuxta pastorum tabernacula aluntur: *Vides*, scribit ingeniosus Doctor in Collectis ad Cant. 4. *quòd in altis grex iste pascitur, nudus ex monte.* Addit post pauca: *Spectantur à pastoribus suis dumosa de rupe pendentes, vbi luporum incursus esse non possunt, vbi fœcunda arbores fructum integrum subministrant. Cernere licet vberi lacte distentas super teneram sobolem materna pietate solicitas.* Montibus pascuntur matres, planioribus campis hœdi: quia nec aliorum curâ isti adurgentur, nec illæ sui tantummodò studiosæ vagantur. Capra dum materna pietate refertur solicita, & montium iugis legitur pasta: *Quæ ascenderunt de monte*; at dum hœdi referuntur improles, nec mons auditur, nec pro pascuis culmen refertur: *Pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Verùm, ne quis erret, dum proximis molitur consulere, placet in hac materia aliquantulum immorari. Certè proximis aliquando consulendum est non solùm in diuinis; sed in humanis: semper animæ attendendum profectibus; prout charitas consuluerit, opus est prouidere negotiis etiam temporalibus. Id ergo Dei minister præcipuè curabit, vt spiritualibus expromptissimè incumbat; temporalibus tamen nisi vrgente ratione, & inuitè quodammodò non attendat iuxta illud Apostoli: *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus:* Non negauerim aliquando ipsam charitatem ad sæcularia trahere, & ad humana compellere; consulat tamen Dei minister negotiis proximorum sæcularibus solùm charitate tractus, & necessitate compulsus.

Cant. 1. v. 8. Cant. 4. v. 1. Ambros. 2. ad Tim. 2. v. 4.

76 Fallar, ni hanc eruditionem miris diuersorum ænigmatum coloribus Deus expresserit; Hebræos de Ægyptiorum ergastulo, vbi idololatriis inficiebantur, educens, veloces nubis, actiuæque flammæ desumpsit habitum, vt duceret per desertum: *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore.* Vides speciem nubis, & ardentis flammæ induisse, dum ad cælestem patriam, ad promissionis terram impellit: vide modò diuersissimum symbolum, vt sitientibus succurreret, mutuari; túncque ictu duplici ad speciem vrgeri. Sitis flamma adurebatur populus, dum vagaretur in desertis, Moyses exertis clamoribus cælum pulsat; Deus è silice latices copiosos offert: bis saxum virgâ percutitur, & percussum in crystallinas vndas liquatur: *Cum eleuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta.* Hac petra significari Christũ tradidit Paulus 1. ad Corinth. 10. *Petra erat Christus.* Et cur lapis manat laticibus, idque post geminum virgæ ictum, qui vt Hebræos in promissionis induceret terram, & nubis, & flammæ mutuatus fuerat volatum? Profectò arcana hic, nulli dubium, continentur mysteria. Petra sitientibus ministrat aquam; nubes ad cælestem patriam ostendit viam: vt ergo doceat aliter prouidendum his, quæ ad virtutem; aliter his, quæ ad corporis spectant necessitates, ad promissionis terram ducens, expromptæ, volantisque flammæ mutuatur speciem; temporalibus verò succurrens, & habitum saxi induit, & repetitis ictibus ad speciem coactus seruit: ibi sine virgæ coactione ab erroribus liberauit; hic cogente virga sitientibus aquas tribuit: vtrúmque fecit; sed primum illud expromptè; hoc ad speciem coactè: *Columna nubis, quæ per diem præcedebat filios Israel* scribit.

Exod. 13. v. 21. Num. 20. v. 11. 1. Cor. 10. v. 4.

Drogo. ſcribit Drogo de ſacram. Domin. Paſſion. *columna verò ignis per noctem, Spiritus ſanctus eſt, qui ſuper Apoſtolos in igneis linguis apparuit, qui cæcitatis noſtræ caliginem illuminat, & ſurſum erigit, vt ſapiamus ea, quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram.* Vt ad quæ ſurſum ſunt, ducat, inuolat ſplendidiſſima flamma: vt aquas temporali ſiti miniſtret, quodammodo cogitur, & virga ſemel & iterum verberatur. O quoties deſciſcunt ab hoc exemplari miniſtri animarum ſaluti conſecrati. Certè nonnunquam temporales proximorum curas ſuſcipiunt, ſéque ſæcularibus negotiis intrudunt inſtitutum ſaltem adulterantes, ſi non prorſus obliuiſcentes.

77. Luc. 11. v. 1. & 6. Apoſtoli Chriſtum adeunt, vtque illos orare doceat, depoſcunt: *Domine doce nos orare, ſicut docuit & Ioannes diſcipulos ſuos, & ait illis: Cum oratis, dicite: Pater ſanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum,* &c. Vides poſtulata non diſtuliſſe, nec in futurum tempus ſeruaſſe: vide modò importunis crebriſque precibus, vt panem largiatur amico, noctis ſilentio pulſari: *Amice commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.* Quid tunc? *Noli mihi moleſtus eſſe: iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili: non poſſum ſurgere, & dare tibi.* Si eodem capite & diſcipuli, & amicus accedunt, cur amici poſtulata diſtulerit, importunitatéque fatigatus conceſſerit, qui Apoſtolis deſideria non retardauit? Hi ſtatim deſideratum exorant, ille preces ſemel & iterum ingeminatas multiplicat. Ecqua diſcriminis ratio eſt? Quia Apoſtoli, quæ ad animi poſtulauere profectum; amicus, quæ ad materialem popoſcit cibum: ideò etſi vtrumque perfecerit, primum ſpontaneè, vltimum ad ſpeciem inuitè, vt doceat proximorum ſaluti deditos, illorum munus non eſſe temporalibus miſceri; ſed ſpiritualibus informare. Non inficiabor, vt præmiſi, vrgentibus corporis neceſſitatibus, aut famæ, ſalutiſque negotiis conſulendum; id tamen vir ſpiritualis curabit compulſus; quæ ad animam verò, ſolicitabit exprom-ptus: virtutis namque cultus eſſe debet præcipuum ſtudium; aliud ſi virtuti conducat, &, ſi fas eſt dicere, ſecundarium. Innuit Nyſſen. apud

Nyſſen. D. Thomam: *Orationis doctrinam explicat diſcipulis, qui ſolerter notitiam orationis expoſtulant, oſtendens, qualiter implorari oporteat diuinum auxilium.* Innuit etiam ibi Gloſſa D. Thomæ:

Gloſſa *Non aufert impetrandi licentiam; ſed vehementiùs accendit deſiderium orandi, oſtenſa difficultate conſequendi. Sequitur: iam oſtium clauſum eſt.* Temporarius panis impetratur; ſed difficulter, orandi modus exprompté: vt diſcant Dei miniſtri præcipuè virtutum conſuluiſſe incrementis, & quatenus virtuti inſeruiunt, temporalibus etiam lucris.

---

§. XIX.

Nonnulli, quam animo ambitionem gerunt, honeſto alienæ vtilitatis colore veſtitam tegere ac diſſimulare diſcupiunt.

87. MVlti aliorum incolunt amicitiam; non vt amico aſſideant; ſed vt ſibi ipſis commodiùs conſulant: in ipſa amicitiæ virtute propriam ingerunt vtilitatem, & vt arbores inſitæ proprium deſueſcere, & alienum fructum compelluntur producere; ita nonnullæ amicitiæ temporalia pariunt commoda, cùm honeſta debuiſſent tuliſſe obſequia: Epicurus aiebat colendum amicum, vt aſſideret ægrotanti, vt in vincula coniecto ſuccurreret, vt manum periclitanti porrigeret: hanc iure optimo ſententiam improbauit Stoicus epiſt. 5. *Sapiens etiamſi contentus eſt ſe; tamen habere amicum vult, ſi ob nihil aliud, vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat; non ob hoc quod Epicurus dicebat in hac ipſa epiſtola, vt habeat, qui ſibi ægroto aſſideat, ſuccurrat in vincula coniecto, vel inopi; ſed habeat aliquem, cui ipſe ægro aſſideat, quem ipſe circumuentum hoſtili cuſtodia liberet. Qui ſe ſpectat, & propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat: quemadmodum cœpit, ſic deſinet.* Epicurus in ipſa amicitiæ honeſtate vtilitatē inſerebat, vt ſimul caperet, & vtilitatis fructum, & virtutis plauſum. Hoc idem plurimis in actionibus ſi intimiùs diſpicias, abſque dubio reperies. Curat ille, vt amicus dignitatis teneat faſtigium, vt munus honorabile obierit: & quidem ſeipſum ſpectat: nam dum alij ſuſpirat faſtigia, ſibi etiam exambit ardenter commoda. Splendor refulget extrinſecùs charitatis; latet tamen intrinſecùs flamma ambitionis: factio zeli laruam ſæpiùs aſſumit, & dum hunc præ alio procurat veluti digniorem eligi, ſibi opportuniorem, commodioremque ſuſpirat ad munera dignitatis aſſumi: ſub virtutis larua fœdi vitij tegitur tinea. Epicurus. Senec. Qui ob vtilitatē amicus, citò forſan erit contrarius.

Calebus Ioſue adit, vt promiſſam ſibi terræ portionem depoſcat, & iam cæteri contribules comitantur, eiuſque cauſam & auctoritate fouent, & ſuffragiis fauent: *Acceſſerunt itaque filij Iuda ad Ioſue in Galgala, locutuſque eſt ad eum Caleb filius Iephone Cenezæus.* Abulenſis putat Abul.
acceſſiſſe Iudæos, vt ſibi hæreditatem efflagitarent: *Acceſſerunt*, inquit quæſt. 4. *ad Ioſue, qui erat Princeps populi, & Princeps diuiſorum terræ, vt aſſignaret eis poſſeſſionem, & cum his iuit Caleb.* Lyra contrarium putat, ſcilicet Calebum, vt pro ſibi promiſſis interpellaret Ioſue, acceſſiſſe, alióſque tribules tribulem ſuum honoris titulo, & etiam propriæ vtilitatis cauſa conſtipaſſe: *Caleb erat homo magnus, & famoſus in illa tribu, & ideò maiores de tribu Iuda aſſociauerunt eum, quando fecit petitionem ſuam.* Itaque Lyra.
cum in hoc capite nulla de tribuum ſorte mentio habeatur, non videtur Lyræ ſententia litteræ cōtraria; ego tamen ſic vnam & alteram concordarem, vt ſcilicet Iudæi honoris titulo Calebum fuerint comitati: quia de contribulis præeminentia aliqualis ipſis etiam manabat gloria. Cauſam agebant Calebi; ſed quia contribulis, alius tamen, quantumuis meritis æqualis, cauſam fortaſsè non ſuſcepiſſent, aut ſaltem repudiaſſent: itaque dum accedunt honorandi Calebi titulo, acquirendi ſibi honoris feruntur etiam ardentiſſimo deſiderio, vt vtraque ſententia ſit vera, motos videlicet lucri ſtudio, & alieni honoris prætextu.

Duo fratres Iacobus, & Ioannes throni ambitores Chriſtum adeunt, ad dexteram, ſiniſtrámque conſidere depoſcunt: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Horum petitionem Chriſtus Dominus veluti ambitioſam ſugillat: 79. Math. 20. v. 20.

Neſcitis

Nescitis quid petatis. Conferamus, si placet, hanc fratrum petitionem cum alia Petri. Thaboris vertice fulgurans Dominus spectaculum edidit: solares radij honestè confusi splendescere dedicerunt, Petrúsque visionis oblectatus gaudio, in has voces importunus erupit: Matth.17. v.4. *Domine, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Hanc Petri in ædificandis tabernaculis promptitudinem eodem modo Lucas sugillat, ac Matthæus fratrum postulationem condemnat: Luc.9.v.34. *Nesciens quid diceret.* Et cur eadem imprudentiæ nota Petrus aliis exambiens thronos inuratur ac Ioannes sibi deposcens notetur? Profectò Ioannes dignus fuit, qui de ambitu proderetur nescius; Petrus verò, vtpotè qui ad speciem charitate fulgebat, dicendus videbatur sapientissimus: quæ ergo ratio tam dissita studia simili obscurauit nota? *Quia in hac terra, & in hac mortali carne*, inquit, Glossa, *sibi, & coapostolis suis dari cupiebat regnum, quod in cælis, & carne mortali expoliatis est promissum.* Concinit etiam Origenes apud D. Thomam ad Matth. 17. *Cogitabat etiam quòd Elias aderat, qui in monte ignem descendere fecit, & Moyses, qui intrauit nebulam, & Deo locutus est, vnde occultari poterant, vt nullus persecutorum sciret, vbi essent.* Petrus, & Ioannes regnum exambiunt, diuerso tamen modo, Ioannes videlicet aperto, & Petrus dissimulato: Petrus sibi prouidet, dum alienis commodis ad speciem studet: vult Moysem, & Eliam constructis tabernaculis degere: quia sperat se ab Elia flammis contra inimicos tutandum, & à Moyse nube tegendum. Eadem ergo est, & Ioannis, & Petri intentio, quamuis diuersis coloribus adumbrata. Sperabat Petrus à Moyse suppetias, ab Elia contra aduersarios cupiebat flammas, & ideò ad dignitatem satagebat eligi, & tabernaculis adornari; eadem ergo censurâ Petri votum, & Ioannis condemnatur studium: quia quantumuis diuersis viis, in eundem collimauerint terminum. Videbis non semel plures in cœnobiis, communitatibúsue aliorum causas suscipere, illisque huius, aut illius dignitatis infulas auidissime procurare; cùm tamen sub zeli larua non semel liberioris vitæ, maiorisque vtilitatis moueantur studio, non meritorum, æquitatisve zelo. Petrus rectè sibi commoda perquirit, Ioannes apertiùs exambit.

80. Purpuratus ille diues de purpura transfertur ad pœnam, & adhuc gehennalibus inclusus incendiis malitiam immortalibus non excoquit flammis: oculos leuat, & nondum antiquæ helluationis oblitus aquam postulat, & Lazarum ad infernum mitti clamat: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Cæca cupiditas tulit repulsam, & conatus irritus adauxit fortassè pœnam. Quid tunc? Iam veluti propriæ vtilitatis denudans affectum, ad speciem pietatis transtulit fraudulenter studium: obnixe rogat, vt Lazarus erga fratres suos prædicatoris subeat officium, ne & ipsi simile patiantur incendium: Luc.16. v.24. *Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne, & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Profectò censeas meliora sapuisse, & pietatis officio commoditatis ambitum commutasse; verùm idem sub diuersis vocibus animus, idem diuersis sub fraudibus malignitatis affectus: non ait: Mitte Lazarum, vt testetur omnibus, sed vt prædicet fratribus: quia in fratribus, & ex fratribus peculiaris sibi accrescebat superbia, & euanida resultabat gloria: sibi exambit, dum fratrum ad speciem commoda quærit. Audi Caietanum: Caietan. *Non proueniunt hæ preces ex bono affectu ad salutem fratrum (quoniam damnati habent voluntatem firmatam ad malum) sed proueniunt ex affectu superbiæ: superbus enim videns se deiectum in miseriam, quamuis omnes vellet esse miseros similes sibi, aut miseriores se; videns tamen aliquos euasuros miseriam, appetit suos esse, qui euadant miseriam, vt vel sic (hoc est in suis) exaltetur.* Sub obtentu alienæ commoditatis, sub charitatis specie delitescit animus ambitionis: priùs apertè sibi exigebat; sed quia occlusum prorsus inuenit viam, in aliis exegit sibi: exaltari discupit consanguineos, familiares, amicos, vt quia in se non poterat, saltem exaltaretur in suis: diuersis modis colorata; sed eadem semper ambitio: fastigium suspirat, culmen ardet, dignitatem anhelat, & quia nouit nullatenus sibi obtenturum, aliis studiosissimè satagit obtinere: quia in illis desiderat exaltari. O quoties simile in humanis desiderium, ac vernulæ huius gehennale studium! Vident nonnulli se hac aut illa ratione, ne dignitatem conscenderint, impediri, & omnem pro suis lapidem mouent, non tam suorum commodis consulentes, quàm sibimet adulantes: alienæ vtilitatis mentiuntur votum, cùm propriæ corde semper gestauerint desiderium. Non omnia pro aliis studia, non omnis diligentia charitatem parentem agnoscunt; aliquando mentito colore superbiæ fastu gignuntur, & ambitu nutricantur.

Laudabat iure Attalaricus rex aliquos, quamuis alium exoptassent, candido animo electum Episcopum recepisse: quia nouerunt muneri aptum, & regio suffragio electum: *Recepistis*, inquit 8. var. 15. *virum, & diuina gratia probabiliter institutum, & regali examinatione laudatum: nullus adhuc pristina contentione teneatur, pudorem non habet victi, cuius votum contingit à Principe superari: ille quinimò suum efficit, qui eum sub puritate dilexerit: nam quæ sit causa doloris, quando hoc, & in isto reperit, quod alteri in partem ductus optauit. Cruenta sunt ista certamina, pugna sine ferro, rixa sine odio: clamoribus non doloribus res ista peragitur: nam etsi persona summota sit; nihil tamen à fidelibus amittitur, cùm optatum sacerdotium possidetur.* Qui solùm, vt eligeretur dignus, laborabat, digno electo animo pacato requiescit, & purâ se intentione alteri consuluisse monstrauit; verùm si indignatione exasperatus irascitur, si iracundiæ flammis accenditur, ambitioso desiderio se prodidit motum, & dilucidè probauit corruptum: non semper eadem omnibus sententia est; verùm quæ puro iustitiæ zelo geritur, facilè digna electione pacatur; quoties non tam personæ, quàm dignitati consultum, omnibus semper est gratum, si dignitati constat prouisum: quando verò nimiùm pro huius aut illius electione contenditur, affectio specialis agnoscitur; & quantumuis quis industriè charitatis zelive mutuetur habitum, ambitiosum prodet

81.

Cassiodor. *Nulla est causa doloris, quando in electo reperitur, ob quod eligendus alius expetebatur.*

prodet affectum: *Nihil à fidelibus amittitur, cùm optatum Sacerdotium possidetur.* Non ait, cùm optata persona; sed, cùm Sacerdotium possidetur optatum: quia personam quærit ambitus, Sacerdotio dignum zelus.

81. Rachel cùm sterilitatis dehonestaretur nota, partes tutatur ancillæ, anxiè satagit vt Iacob ingrediatur ad Balam, vt hoc honore labores seruitutis compenset: *Habeo famulam Balam, ingredere ad illam, vt pariat super genua mea.* Censeres famulæ moueri studio, aut Iacobi commodi desiderio: nec enim ait, ingredere ad me; sed, ingredere ad ancillam meam; verùm sub hoc charitatis cortice amarus fructus latebat inuidiæ, & egregius ambitus arrogantiæ. Ecquis hoc ait? Ipsa sanè: *Vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios.* Se animaduertit à prolis gloria remotam, & marito domesticam offert seruam, vt sibi qualemcumque partus captaret gloriolam: propriæ mouebatur vtilitatis studio; videbatur tamen ferri alieni commodi desiderio: *Habuit aliquomodo pariente ancilla*, scribit Chrysostomus apud Lippomanum, *vel breuem consolationem.* Aptiùs Lippomanus nostro instituto: *Quæsiuit Rachel vel mediocre solatium, per zelotypiæ errorem contra sororem ex ancilla sua prolem ambiendo, cùm iuxta sanguinis propinquitatem sororis filios magis adamasse debuerit, quam ancillæ.* Si Rachel rationem consuleret, marito non ad famulam; sed ad sororem ingredi persuaderet; at cogitans vtiliorem sibi fore famulæ partum, hunc illi honorem sedulè procurauit propriæ vtilitatis voto, non charitatis suffragio. Ob charitatem Balæ causam videbatur suscepisse, cùm reuera consuleret sibi. In Bala exambiebat sibi honorem, solùmque cupiebat alteri, vt posset ipsa captare.

Genes. 30. v. 3.

Chrysost.

Lippoman.

§. XX.

Bonus Princeps nunquam huius, aut alterius personæ; vt semper fuerit iustitiæ.

83. GEnus & amicitiam denudet Præfectus, dum regiminis induit togam, si dignè administrare exambit rempublicam. Præclara Plinij in panegyri vox est, *Dijs simillimus Princeps*: vt enim Deus sine discrimine omnium est, quin humanis moueatur affectibus, aut alium præ aliis consanguinitatis efferat titulis: sic bonus Princeps nec sanguinis, aut originis honorabile suspicit priuilegium, nec paupertatis, aut inopiæ contemnit probrum: nullius est, vt sit omnium; & quidem omnium non erit, si huius aut alterius sit. *Cleon*, vt scribit Plutarchus in præceptis politicis, *vt primum animum adiecit ad suscipiendam rempublicam, amicos coegit, eisque renunciauit amicitiam, vt quæ magnopere rectum & verum institutum emolliat, & peruertat in republica tractanda.* Renunciauit amicitiam, ne adulteraret regiminis gloriam, quasi iam solius æquitatis coleret familiaritatem, tantummodóque erga iniquitatem foueret maleuolentiam. Cui amicorum veniabilis culpa, aut aduersariorum obscura gloria, non fungitur gubernatoris officio; sed aduersarij ministerio. *Egisti te per cuncta iudicem*, scribit Cassiodorus 1. var. 3. *totius erroris expertem, nec inuidia quemquam deprimens, nec gratia blandiente sublimans; quod cùm vbique sit arduum; tamen fit in patria gloriosum, vbi necesse est aut gratiam parentela pronocet, aut odium longa contentiones exasperent.* Apud bonum reipublicæ administrum nec blandiens gratia præripit dignitatem, nec inuidia procudit lamenti miseris occasionem. Seneca lib. 1. de clementia c. 4. Principem animum reipublicæ appellat: *Animus*, inquit, *reipublicæ est Princeps, illa corpus*: vt enim animus adæquè totus in capite & pede, nec minor pede, quàm capite; ita Princeps omnium membrorum est, totus omnium & singulorum totus: originem & parentelam denudat, quo se omnium parentem agnoscat: Calebus, vt terram peculiariter sibi promissam exposceret, Iosue adiit: *Accesserunt filij Iuda ad Iosue in Galgala, locutúsque est ad eum Caleb filius Iephone Cenezæus.* Et cur Calebi prodatur originis vena, cùm Iosue honorifica taceatur prosapia? Et quidem alio in loco originem video referri: *Factum est post mortem Moysi serui Domini, vt loqueretur Dominus ad Iosue filium Nun ministrum Moysi.* Si ergo cùm Dominus Iosue alloquitur, parentis honorabile proditur nomen, cur dum Calebus pro hæreditate interpellat, nec stirpis dignitas proditur, nec patris nomen refertur? Petentis recensetur genealogia; sed imperantis dissimulatur originis vena. Ita equidem; sed arcano mysterio: dum enim Iosue Moysis minister regiminis nondum inscenderat culmen, illustrem parentelam agnouit; Princeps verò iam electus originem prorsus denudauit: non proditur Iosue, dum imperat, illustris prosapia, quia Imperatoris solum æquitatis est vena, adæquè omnium, nam horum aut illorum speciatim esse, & dignitatis iniuria, & cæterorum esset querela: reipublicæ est animus Princeps, & quidem animus omnium adæquè membrorum est. Ad hæc, vt animus solum Deum veneratur auctorem, sic Princeps in quantum iudex solum agnouerit Deum parentem. Ergo licèt Calebi petenti recenseatur nobilis originis vena, Iosue, dum iudicis administrat officium, taceatur prorsus prosapia, vt animi induerit ingenium, & humanum penitus negarit studium. *Animus reipublicæ est Princeps, illa corpus.*

Plutarch.

Cassiodor.

Senec. *Princeps est reipublicæ animus.*

Iosu. 1. v. 1.

Michaël Archangelus stricto gladio Iosue in vrbis Ierichuntinæ aruis, apparet: ille vt erat erecto animo, & robore inuicto, intrepidè accedens, cuias sit rogat: *Noster es, an aduersariorum?* Quid tunc Michaël? *Nequaquam*, inquit; *sed sum Princeps exercitus Domini.* Profectò si diligenter attendas, responsum interrogationi minimè aptari reperies. Si alius esset interrogatus, propriæ forsan dignitatis gloria tumidus sic excellentiam discuperet euulgare, vt opportunè & importunè nihil aliud didicerit respondere: *Sum Princeps*, inquit, *militiæ Dei*: nonnulli namque sic suis inflantur prærogatiuis, vt illarum notitiam tertio quoque prodiderint verbo, ingesserintque negotio; verùm Michaël humilitatis exemplar ad rogata ad speciem non respondit, vt gubernatores sua responsione erudiret: Rogabatur, an Ierichuntinorum, an Israëlitarum esset; & quia Dei Princeps horum illorumve ad nostram eruditionem se ignorare ostendat differentiam, ineptæ responsionis subire non dedignatus est notam. Princeps Dei amicus 84.

Iosu. 5. v. 14.

amicus erat virtutis contrarius iniquitatis; non verò, si vitium, aut virtutem secludas, Iericuntinorum aduersarius, aut Israëlitarum amicus. Rogatur cuias, nec respondet, quia Dei se Principem appellauit: *Sum Princeps exercitus Domini.* Ierícho Hebræis tradere, ab incolentibúsque auferre, erat pro vitij aut virtutis merito, non pro diuerso huius, aut alterius populi studio. Prodest Abulensis quæst.69. *Ista negatio potest dupliciter referri: vno modo quòd sit sensus, nequaquam, id est, nequaquam sum de aduersarijs, & ita negauit vltimam partem quæsiti: alio modo quod referatur ad totum, scilicet nequaquam, id est, nec sum de vestris, nec de aduersarijs; sed princeps exercitus Domini, & iste est conuenientior sensus.* Vtrorúmque se negauit, cum Principem Dei asseruit: quasi Principis muneri officiat speciale circa amicos studium, & circa aduersarios odium: quia princeps, nullius erat partis in speciali, virtutis cuiuslibet in communi. Abulens.

85. Cùm Samuël hospitio recepisset Saulem, familiari associatum, velletque ad regnum sacro oleo inungere, vel vnico illo amico voluit carere: *Cum descenderent in extrema parte ciuitatis, Samuël dixit ad Saul: Dic puero, vt antecedat nos, & transeat; tu autem subsiste paulisper, vt indicem tibi verbum Domini.* Profectò si Dei præceptis vnctio parabatur populis statim euulganda, inutilis videatur scrupulus à ministro separare, ac ab amico seiungere; si socius ille optimum dederat Sauli consilium, si duxerat ad prophetam, cur eligi non viderit ad coronam? *Dic*, monet, *vt præcedat nos, & transeat.* O vtilissimam eruditionem! Omni iam familiaritate, omni peculiari affectione voluit nudari, vt dignè ad imperij fascias mereretur inungi: non quod superiores aut Principes omnem prorsum familiaritatem debeant respuere; sed vt tali exemplo præcipuè æquitatem didicerint adamare. *Transire ergo facit puerum*, scribit Gregorius lib.4. in 1.Reg. cap.9. *& paulisper subsistit, qui ad præceptum maioris illa etiam, quæ putat spiritualia, deserit, vt ea, quæ sibi iunguntur, efficere conuenienter possit... Prætermittat ergo non solum; sed transire faciat puerum; vt non arbitrium suum sequatur; sed illud suscipiat, quod ei melioris prouisione decernitur.* Vel socij familiaritatem respeat, qui regimen obire ritè suspirat: nam qui peculiari huius aut alterius mouetur studio, officio irrogare non detractauit iniuriam, aut saltem æquitatis fuscabit famam: nullius sit, nullius familiaritati iungatur, qui ad tam sacri muneris fastigium eligitur, ne de socij aut amici speciali beneuolentia malignis oblocutionibus obscuretur. *Quæ putat spiritualia, deserit, vt ea, quæ sibi iunguntur efficere conuenienter possit.* Si ergo vel quæ virtuti non refragatur affectio, aliquando relinquenda est, vt illæsa muneris resplendeat fama, à rectore, & Principe partiales, vitiosique longissimè distare debent affectus, vt omnis suspicionis arceatur prorsus iniuria. 1. Reg.9. v.27. Gregor.

86. Forsitan Herodes, dum innubilate recèns nati Regis exambit gloriam, vtilissimam præter intentionem docuit doctrinam. Natus est Christus Dominus arcto, ignobilique tuguriolo; verùm vt nubium tenebræ iubar prorsus nequeunt extinguere Solis, nec recenter nati humiles fasciæ, obscura incunabula valuerunt innubilare notitiam, nec sordida brutorum præsepia dissimulare potuerunt gloriam. Orientales illi Magi fulgentissima astri lingua ducuntur; sed cùm sydus tantisper sordidis, densisque curiæ nebulis faciem obscuratum subtraheret, de originis loco interrogare nascentis æmulos sunt compulsi: *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum?* Herodes inuidentia obturbatus, *Ite*, inquit, *& interrogate diligenter de puero.* Non semel inuidentia in suffragium impingit: puerum dixit, vt regem negaret; sed dum puerum vocat, omnibus natum confirmat. Natus est rex; sed quidem omnium, non Hebræorum tantùm, aut Syrorum: puer indifferenti benignitate, & communi vocabulo nec detrectat Syros, nec solùm amat Hebræos. Ergo corrigat præter opinionem inuidia, quod arctabat vocabulum pia ignorantia. Rex est; sed qui pastores recipiat, qui Magos aduocet, qui Hebræos illuminet: omnibus natus, & omnibus regnaturus. Benè Leo serm. de Epiphan. & apud D.Thomam: *Superfluo Herodes timore turbaris: non capit Christum regio tua: nec mundi Dominus potestatis tuæ cœpit esse contentus angustijs: quem in Iudæa regnare non vis, vbique regnat.* Dum Hebræorum regem denegat, vtque deneget, puerum vocat; regnantis extendit limites, nec vni aut alteri testatur natum; sed cunctis gentibus proditum: esset enim quadamtenus regnantis iniuria, & regiminis contumelia, si omnibus princeps datus Hebræos humana affectione coleret, aut supercilio Syros respueret. Matth.2. v.2. Leo.

87. Hanc fortassis eruditionem nobis cælestis ille paranymphus aduexit: Zachariæ apparet, & lætissimo nuncio muneris compensat obsequium, & Sacerdotis cumulatè præmiatur officium: *Vxor tua Elisabeth pariet tibi filium:* non multò post ritè peractum nuncij munus felicioris ministerium nuncij promeretur: ad Virginem inuolat Gabriël, & filium parituram testatur: *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* Et cur modò non addit paries tibi, nec paries tuum? Adulatúrne grandioribus verbis sacerdotali dignitate fulgenti, cùm parciùs loquatur Virgini? Angelus arcana loquitur, non terrena: quia Ioannes mancipandus non erat regno; sed sacro prædicationis addicendus officio, & patri potuit nasci, & specialiter origini adscribi; at quia Christus regno dicandus, nulli erat specialiter adscribendus: *Dabit illi*, inquit Gabriël, *sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*: ideò nec tuum, nec tibi Virgini dicitur, quasi neque specialiter sit parentibus, qui regiminis ornandus titulis, ac decorandus imperij fasciis. Adest Chrysologus serm.142. *Concipies, & paries: non dixit tibi, non dixit tuum. Quare? Quia sanctum vocabitur filius Dei.* Filius Dei Sanctus, id est, separatus omnibus dicitur, quia communis omnibus princeps datur: agnoscat Baptista originem, nascatur patri, quia regiminis non exercet officium; sed vocis habet elogium; at Christus, quia rex ab instanti conceptionis inauguratus, nec matris dicitur, nec matri nascitur; non quod respuat virginalem originem; sed vt doceat sic Principes omnium debere esse, vt nec humano parentum affectu muneris adulterent gratiam, aut regiminis sordidauerint gloriam. Luc.1.v.13. Chrysol.

Cæteri

Cæteri gloriosa originis agnoscant stemmata, iudex, superior, Princeps æquitatis tantummodò agnouerit incunabula: *Non dixit tibi, non dixit tuum.*

---

§. XXI.

Virtutis cultor, & veritatis assertor de peruerso sæculi more discrimini viuit obnoxius, & calamitati dicatus.

88. OMnes ambitio occupat, omnibus commoditas arridet, & vtilitas placet. Hinc & captare gratiam ambitionis studium, & quæ placere possint eloqui, desiderium: hinc cùm veritas moueat stomachum, & audientibus ingeneret sæpiùs fastidium, ferè omnes illam & animo & ore exterminant: nullus ex animo sententiam profert, sed adulandi & blandiendi certamen est. Si qui veraces, virtutisque cultores, videbis illos ingenter non semel periclitari, arduosque labores haurire. *Multa*, scribit Seneca lib. 4. de benef. cap. 34. *interueniunt, propter quæ & malus pro bono se probat, & bonus pro malo displiceat: fallaces enim sunt rerum species, quibus credimus.* Cùm fallentibus, fucatisque rerum speciebus credamus, sæpiùs decipimur, aut quod certius est, decipi studiosè affectamus: bonus displicet, quia bonus non fallit: fastidiuntur ferè ab omnibus salutaria, amantur nociua, nec volunt homines errores suos argui, sed melliri: ideò hoc cunctorum studium quis blandissime fallat, & verba ad gustum componat. *Possum hic numerari inter magnos*, scribit Christianus Politicus tom. 2. cap. 18. *Si assentiar Principi: melius est adhærere Deo, vt numerer inter cælorum magnos.* Addit postea: *Nescit generosa mens fallere, mentiri nescit: vtrumque adulatoris est, rejicit blandientibus, & mollibus ad magna properare:* fallaciis properatur ad magna, veris cuduntur discrimina: infortunatum veritatis apud sæculum semper studium, vt annexum adulationibus, & fallaciis augmentum. Ingenua mens pericula despicit veritatis semper alumna; verum dum veritatis alumna, & periculis ferè semper obnoxia: *Cum enim suis cæpit simul veritas*, scribit Tertullianus in Apolog. cap. 6. *atque apparuit inimica esse, tot hostes eius, quot extranei, & quidem proprij ex æmulatione Iudæi, ex concussione milites, ex natura ipsi etiam domestici nostri: quotidie obsidemur; quotidie prodimur, in ipsis plurimum cætibus, & congregationibus nostris opprimimur.* Callisthenes virtuti, veritatique consona Alexandro proferebat, quibus adeò magnum generauit tædium, vt illum maluerit perdere, quàm audire. Ita Plutarchus lib. de adulat. & amicit. *Alexander perdidit Callisthenem, Parmenionem, Philotam, Agnonibus propinauit sese sternentium, dum adoratur.* Alij blanda enunciabant, alij vera proferebant: hos perdidit, illos ad dignitatum apices eleuauit, vt iam funestum veritatis videatur fatum creare audientibus supercilium. Calebus, vt sibi promissam hæreditatem accipiat, se coluisse, protulisseque veritatem allegat: *Quadraginta annorum eram, quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, vt considerarem terram: nunciauique ei, quod mihi verum videbatur:* & quidem aptius videbatur arduos itineris labores, vt acciperet præmium referre, quàm asseruisse se, quod verum fuerat, testari. Ex animo enunciare sententiam & consulebat ratio, & debebatur exploratoris officio; at tot regiones excurrisse, inimicorum ciuitates considerasse, charam deseruisse familiam lautissimis præmiis dignum: cur ergo veritatem se dixisse ad consequenda præmia allegat, cùm anxios labores taceat; protulit sanè quæ virilem animum, & contra fortunam deposcebant erectum: hostilia explorasse regna arduum; sed enunciasse virtuti veritatique consentanea, difficillimum: vtque noueris quantò maius Calebum periculum vrserit, dum veritatem profert, quàm dum hostiles regiones circuit, consule 14. Numer. vbi postquam Calebus & Iosue retulerunt regiones illas omni destitutas præsidio, & exundantissimas alimento, sic in illos desæuiit insaniens cæco furore multitudo, vt, ni gloria Domini protexisset, dura illos saxorum grandine lapidisset: *Recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere: cúmque clamaret omnis multitudo, & lapidibus vellet eos opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filijs Israel.* Etsi in hostili regione circumagenda sæpè Calebo ceruix: nullum tamen est expertus vitæ periculum, aut salutis detrimentum; at cùm enunciat vera, grauissima incurrit lapidationis discrimina, ni Domini gloria protectus, durè iacuisset occisus: ergo ad impetrandum præmium prudentissimè allegat se protulisse veritatem, vtpotè maius de discrimine obsequium, certiúsque de sæculi abusu periculum: *Nunc Iosue & Caleb*, scribit Abulensis quæst. 43. *videbantur offendisse populum: ideo populus concitatus voluit eos lapidare... Quia resistebant desiderio populi: totus enim populus deliberauerat reuerti in Ægyptum; isti autem duo resistebant desiderio populi ostendentes illum non esse rectum.* Veritatis assertio omnibus habebatur iniuria, ideò omnes furebant, quasi irritaret offensa: adeò fastiditur veritas, adeò corrupti sunt mores, adeò deserta virtutis studia.

Christum Dominum in crucem egit inuidia, nec contenta est infami supplicio accidisse vitam, ni & alieno augeret infamiam: quia proprij reatus obscurare Dominum nequibat nota; architectatum est odium scelestissimos ac sanguinarios homines socios addidisse, vt illorum candidissimæ luci tenebras offunderet vita: adeò malorum innubilat virtutem societas, vt hanc vel contra Dei sanctitatem, Christíque innocentiam peruersè astuti inimici mouerint machinam. Latrones doloribus lancinati plusquam scelerum pœnitudine ducti medelam quærebant anxiè supplicio, inquirere despexere peccato; ergo blasphemiis Christum denigrant, & sacrilegis linguis veluti Reipublicæ pestem infamant: *Qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei.* Quid latrones in hanc impulerit amentiam venatur Euthymius ad Matth. 27. traditque excogitasse se hoc modo Principum inituros gratiam, duramque frustraturos mulctam. Accipe Euthymium: *Primum siquidem ambo priorum obliti laborum ex crudelitate exprobrabant ei, vtpotè & ipsi Iudæi: fortè autem etiam id in gratiam Iudæorum faciebant, vt propter hoc ipsos deponerent.* Agnouerunt latrones apud sæculum valere mendacium, felicitatémque assequi vt plurimum 89.

Marginalia: Senec. — Rerum species fallaces — Christian. Polit. — Fallacibus properatur ad magna. — Tertull. — Plutarch. — Abul. — Marc. 15. v. 32.

plurimum vitium, & pro mitigandis pœnis ad mendacia confugiunt, quibus, & Principum captauerint gratiam, & patibuli vitauerint pœnam. O quanta nos hac peruersitate docuerunt! Vel turpissima morte digni mendaciorum, scelerúmque patrocinium requirunt, quasi sceleſtis, & opitulari nouerint non semel Principes, & mendacibus auxiliari magnates. *Fortè autem etiam id in gratiam Iudæorum faciebant, vt propter hoc ipsos deponerent.* Ob quod affigendi erant, deponendo se sperabant: ad mendacia, dicteriáque vti ad vitæ patrocinium confugerant. Iustitiæ irridentes, innocentiam expugnantes putabant se placituros, & de fauore Principum digna sententia absoluendos.

Euthym. *Magnates sæpè sceleſtiſſimis auxiliantur.*

90. Deus hominum amans, illorúmque calamitatibus tactus sub specie supplicij misericordiæ fontes effundit. Niniue erat ciuitas inter Assyrios hominibus refertissima, & peccatis naturæ terminos supergressa; non tamen diuinæ misericordiæ vires exhausit. Prophetam mittit Deus, qui febrienti impietatis ardore applicet comminationis medelam: *Surge, & vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea: quia ascendit malitia eius coram me.* Propheta animo versat cogitationes, quibus latentem Dei misericordiam inuestiget: vidit indignando misereri, & minitando saluare, & timens notam inscendit nauim Tharsum petituram: *Inuenit nauem euntem in Tharsis, & dedit naulum eius, & descendit in eam, vt iret cum eis in Tharsis a facie Domini.* Seleuciensis Basilius testatur mendacis notam timuisse prophetam. Audi ipsum orat, 12. *Ego euersionem proclamans mendax vates inueniar: ex duobus hisce malis mœrore conficiar, & mendax videbor, & inimicam vrbem ab infortunio seruatam videbo. His dictis inscendit nauem: & imprudens inuenit machinam suâ multò validiorem.* Imprudentiæ nota sugillat Ionam, & verè quidem: detrectauit namque obedientiam; at, si ad mores velitari liceat, imprudens satis videbatur: quia mendacis refugere molitur contemptum, & fraudulenti conatur auertere probrum: *Nauem*, inquit, *ascendit imprudens*: quia quod verebatur, apud profanos non de mendacio; sed de veritate verendum: veracem auersabantur Niniuitæ, non mentientem: imprudens ergo inscendit nauem, quia diuinam detrectat iussionem, & quia timet refragante euentu notam; & contradicente mendacis opinione ignominiam. O quàm nimis hoc verum! valent apud profanos fraudum concinnatores, dolorum artifices, mendaciorum architecti: vilescunt, qui probitatem colunt, & veritatem sequuntur.

Ion. 1. v. 3.

Seleuc.

91. Ioanni candidus obiicitur agnus, quem centum quadraginta quatuor millia comitata sunt, nomine eius, & nomine Patris frontibus ad gloriam inscripto; imò indelebiliter impresso: horum ingenia describens Ioannes ait ex hominibus emptos, & durè sæuitia tyrannorum occisos: *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & agno.* Addit ora eorum nullam maculasse fraudem, nullum obscurasse dolum, nec dehonestasse mendacium: *In ore eorum*, inquit, *non est inuentum mendacium.* Martyres descripsisse tradit Richardus apud Glossam: *Virginitati adiunxit meritum passionis: illi nimirum agnum quocúmque ierit, sequuntur, qui eum in vtróque, id est, virginitate, & martyrio imitantur*; verùm cur, si martyres describat, quod alibi sæpiùs, non referat: *Hi*, scilicet, *sunt, qui venerunt ex magna tribulatione*: cur propter verbum Dei non dixerit interfectos, & ob religionem occisos? Omnia sanè, & breuiter comprehendit, dum sine mendacio dixit: adeò veraces omnes oderunt, vt prouerbium verissimum sit: *Veritas odium parit.* Breui summa comprehendit Ioannes, quod alibi latiùs explicuit: aiebat alibi: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione*; hic, *In ore eorum non est inuentum mendacium*: testabatur sub altari quiescere animas interfectorum propter Verbum Dei; hîc veridicos est testatus: quasi synonyma sint verax, & odiosus; sine dolo, & cum tormento: *Adiunxit meritum passionis*: Ecquod meritum? *In ore eorum non fuisse inuentum mendacium*: desæuiunt namque in veraces martyria, in simplices flabellantur sæpissimè odia.

Apoc. 14. v. 4.

Richard.

92. Samson ille fortissimus mulierem adamauit se non amantem, vtilitatis studio eius consuetudinem coluerat: ideò, vbi maior apparuit vtilitas, fidem violauit, & ad aduersariorum partes transiluit: semper parum firma mulierum fides; illarum tamen, qui se voluptatibus addixerunt, inconstantissima: meretriciis delinimentis animum Samsonis tentat, & in quo viribus adeò polleat, dolosa admiratione perquirit: ille fraude repulit fraudem, & dolum dolo submouit: *Si septem neruiceis funibus*, inquit, *necdum siccis, & adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero vt cæteri homines*: veluti veritatem experiri discupiens ligat, & seriò vinciens quasi iocata vinctum clamore expergefactum admonuit: rupit ille vincula, & muliebres spes virium valentia fefellit: iterum importuna rogat, falsam priùs se histrionicè conquesta: *Ecce illusisti mihi, & falsum locutus es*: iterum fallit cupidam, & iterum experitur dolosam. Denique, cùm per tres vices mentitus esset, tandem aperuit illi veritatem: *Tunc aperiens veritatem rei dixit ad eam*, &c. Statim ac vera locutus est, depilatur, vincitur, exoculatur, & molæ ad instar brutorum addicitur: *Statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.* Thesi adaptemus historiam, expendamúsque, quàm magnum intercedat discrimen inter Samsonem falsidicum, & veracem; dum fallit, dum arcanos concinnat dolos, dum mentitur, aduersarios superat, & crines capitis comit; at cùm verax, cùm ex animo sententiam dicit, cincinnis nudatus manus aduersariorum incurrit, numeróque bruti habetur: apud profanos namque sic verax tractatur. O quantum nocuit illi dixisse vera! quàm illæsus, dum loquitur falsa! vt noueris similia pati veridicos, & repellere à se mendaces. Satius quidem est à veritate non discordare, quantumuis pectines ferrei dilanient costas, quantumuis impietatis sæuitia cruentas intulerit pœnas: indignum namque est mendaciis redimere vitam, & feliciorem sibi parare fortunam; at id apud homines odium sustinet veritas, & gratiam captauit falsitas, vt Samson de veritate decaluatus, & vinctus, qui de mendacio, & comatus, & illæsus. *Per hoc Samson fuit deceptus*, inquit Lyra, *reuelando secretum suum mulieri, & ignorans quòd machinaretur in mortem eius.* Deceptus est, qui non agnouit de veritate sibi imminere periculum, &

Iudic. 16. v. 7.

Lyra.

M de

de dolo euasisse sæpè naufragium: verax deputatur pœnæ, falsidicus non patuit inimicorum infamiæ. Ergo Calebus pro sorte accipienda egregium proferat meritum, scilicet quod sibi verum videbatur, dixisse: quia minus graue in aduersariorum regnis de exploratione fuerat illi periculum vrgentiúsque apud suos de veritate imminebat damnum.

---

§. XXII.

Magnum meretur nomen, qui nec multorum exemplo trahitur, nec consilijs familiarium contra rationem obsequitur.

93. Senec. PAssim vagamur, aiebat Seneca lib. de vita beata cap. 1. *non ducem secuti; sed fremitum, & clamorem dissonum in diuersa vocantium: contritum vita inter errores breuis.* Sane minus fors peccaremus, si nostris solum obsequeremur cupedijs, nec multorum assentiremur consiliis: ducem sequimur ad praua tendentem; nec tantum [illegible], sed assentimur: quidquid in alio [illegible], placet, etsi aliquando pudor in [illegible] verecundiam multorum [illegible], & procacia exempla nutriunt [illegible]. Vt ædificia, si ruina decidant, proxima secum ad terram trahunt; sic homines non solum errant, sed errare faciunt, & sibi accedentes quodammodò prauis exemplis compellunt. Opportune Seneca loco dato: *Quod in strage hominum magna euenit, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, vt non et alium in se attrahat; primi exitio sequentibus sunt: hoc in omni vita accidere videas licet: nemo sibi tantummodo errat; sed alieni erroris causa & auctor est.* Libenter hanc disciplinam audimus, & de alterius exemplo, aut consilio conscientiæ sopimus latratus: nec iudicium interpellat solum proprius affectus, sed alienus etiam abusus: miraculi admiratione erit, si quis importunis amicorum resistit verbis, aut [illegible] non est pallius [illegible] factis: *[illegible]* scribit Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. [illegible] Olim Lacedæmonij Ilotas, hoc est, seruos inebriari cogebant, vt distincta illorum opera videntibus ad abstinentiam esset doctrina, sicque de alienis peccatis excudebant sibi virtutes. *Eorum* (verba sunt loco dato Clementis) *Lacedæmonij cogentes inebriari sibi subiectos, quæ faciebat ebrietas, correctionis, curationi que loco ostendebant: obseruantes ergo illorum turpitudinem docebantur, ne in idem, quod damnabant, vitium inciderent: ex ebriorum probro hos fructus consequentes, quod ipsi non peccarent.* Magni sanè Lacedæmonij, qui quantumuis seruorum, non peruertebantur exemplis: vereor quidem modò, ne dum de alienis doctrina quæreretur erratis, suaderetur intemperantia deliriis: adeò facile nos alliciant exempla, & impellunt quodammodo errata. Hinc Iosue & Calebi [illegible] depraedicanda constantia: nam cum plures exploratores delegarentur, cæterique præter ipsos, vt indulgerent otio, terræ statuissent detrahere, ab illis prorsus desciuere virtutis alumni, & veritatis patroni: *Fratres mei, qui ascenderant mecum, dissoluerant cor populi; & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.* Mira res,

Vita ex se breuis inter errores contenitur.

Nemo sibi tantum errat, sed aliorum auctor erroris est.

Clem. Alex.

nec fraternis à veritate desciscere exemplis, nec importunis veritatem deseruisse consiliis. Adest Masius ex Hebræorum sententia sic scribens: *Dicunt Calebum Iephone filium esse appellatum, non quia parente aliquo, cui id nominis fuerit, natus esset; sed quia fuit ipse circumspectus, cum ad scelerata speculatorum conspirationis societatem se nollet adiungere.* Magnum sibi nomen excudit, cùm ab aliorum se societate submouit: adeò efficacia sunt ad peruertendum exempla; & quidem quò plus dissona, fortiora. Masius.

Iobus patientiæ exemplar, vt fortitudinem suam cumulatiùs exaggeraret, sic ait: ***Frater fui draconum, & socius struthionum.*** Quæ expendens D. Gregorius lib. 20. moral. cap. 29. sic ait: ***Beatus Iob, vt ostendat, cuius fortitudinis fuerit, insinuat cum quibus vixerit; dicens: Frater fui draconum, & socius struthionum: quia minus esset, quòd ipse bona ageret, nisi & ad bonitatis suæ cumulum ab alijs mala toleraret.*** Parum esset dæmonis retudisse insidias, patienter tulisse plagas, filiorum tolerasse ruinas, ni constantia de prauorū triumphasset exemplis, obsurdesceretque consiliis: *Peruersi quique*, inquit ibi Gregorius, ***ventum quasi dracones trahunt, cum malitiosa superbia inflantur: qui autem struthionum appellatione intelligi, nisi simulatores solent? struthio enim pennas habet, & volatum non habet.*** Inducebatur Iob struthionum contubernalis virtutem simulare ad plausum, vitiisque inseruire cupiditatis ad lenocinium; ipse tamen simulationis prorsus ignarus virtutem coluit, nec plausibus ventosis studuit. Dracones superbia elati; Iob tamen humilitatis alfecla, & cognitionis propriæ semper schola: hoc ergo suam cumulatiùs seculis prodebat virtutem, extollebatque sanctitatem: Minus esset, quòd ipse bona ageret, nisi ad bonitatis suæ cumulum ab aliis mala toleraret; at dum inter superbos humilis, dum inter simulatores simplex, virtutis splendescebat elogium, & sanctitatis exemplum. Adde efficacem sic esse familiarium persuasionem, vt ipse dæmon, cui tot inflictæ Iobo plagæ non cesserant, veluti ad acerrimum arietem recurrerit, & hanc adamantinos muros machinam subruentem admouerit. Iobi vxor excandescentiam suadet, simplicitatémque abiurare sedulò docet: *Dixit illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere.* Iam cælestes repræsentati ignes oues absumpserant, iam hostiles Sabæorum irruptiones seruos captiuarant, iam denique coniurati domum euerterant venti, & frater fratris erat tumulus, qui paulò ante iucundabatur germanus: verùm cùm Iacob immotus persisteret, ad omnémque acerbum nuncium Deo gratias tantummodò responderet, dæmon mulieris armat suadelam, & in aciem producit linguam. Et quidem, ni seruum suum gratia seruasset, muliebribus consiliis, & suasionibus corruisset. Benè Origenes lib. 2. in Iob diabolum producens loquentem: ***Omnem sollicitudinem exercui, & in Iob nihil feci: omnia argumenta ostendi, & fortitudinem Iob non deuici:*** *omnes sagittas acquisitima pharetra mea euacuaui,* ***& animam Iob non vulneraui: filios,*** inquit, ***eius perdidi, & sensum eius à Deo non praeuaricaui: rem familiarem eius exterminaui; sed charitatem eius, quam habet circa Dominum Deum, non extinxit: carnem, & ossa eius vermibus, atque putredine consumpsi; sed fidem, atque synceritatem***

94. Iob 30. v. 29.

Gregor.

Iob 2. v. 9.

Origen.

castem animæ eius non violari. Quid igitur faciam illi adhuc, quod non feci? Quid in eo exerceam adhuc, quod non exercui? Ausculta quid prolixus inueniat discursus: *Ergo quia per vniuersa supplicia, atque tormenta cogere eum, vt Deum relinqueret, non potui; conferam*, inquit, *me ad seductionem, conferam ad persuasionem: forsitan enim quod non valuit pœna coactio, hoc nihilominus efficiet suasionis seductio.* Fidit de suasione, quod de violentia non obtinuerat, & quasi supremam machinam pessimum adhibuit consilium familiaritatis fuco illitum, & amica ad speciem manu vibratum: tantùm valet ad animos permouendos suasio, tantùm roboris habent exempla, præcipuè dum familiaria, & amica. Adiice miraculi ad instar esse amicorum persuasionibus non annuere, importunísque precibus refragari.

Quod aliquando non obtinet pœna coactio, obtinere solet suasionis seductio.

95. Daniel feritati traditur, & qui potuit leonum compescere rictus, nequiuit improbos inuidentiæ refrenasse conatus: conclusa, & visitata leonum feritas adulabatur Prophetæ, & cui vitæ puritas contulerat reuerentiam, truculentia inferre non audebat iniuriam: triumphans elogiísque celebratus spectatur eductus, qui omnes ad lamenta mouerat sæuitiæ traditus. Magnum quidem omnipotentiæ prodigium. Verte modò oculos ad specum alium, vbi Dauid commilitionibus, & amicis degebat cinctus, latitabàtque associatus: illuc Saül ingreditur, se imprudenter hostiles in manus tradidit, qui sanguinem Dauidis ardenter sitiebat: amici Dauidis nefariè proritabant, nec solùm proritabant; sed quodammodò impellebant; Dauid tamen, qui omnia gratiæ adscribere didicit, sanguine abstinere decreuit: *Confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt consurgerent in Saul; porrò Saul insurgens de spelunca, pergebat cœpto itinere; surrexit autem, & Dauid post eum, & egressus de spelunca clamauit.* En Daniel superatis leonibus antrum relinquit, & Dauid non auditis sociis speluncam euadit. Quid tibi videatur miraculosius? Danielem dices feratum repressisse conatus; verum Chrysostomus hom. 2. de Dauid, & Saule adæquè mirum censet Dauidem sociorum importunam superasse suadelam, & Danielem leonum vicisse audaciam: *Quemadmodum enim ille ascendit è lacu superatis feris leonibus, itidem hic è specu prodijt alijs bestijs longè sæuioribus deuictis: nam sicut iusto illi leones hinc, & hinc assidebant, ita hunc omnibus leonibus efferatiores, ac validiores.* Amici commilitiones futurum periculum proponebant, irrogatas iniurias commemorabant, Dei veniam, ne conscientia reclamaret, in medium proferebant; verum Dauidis generosum pectus, & soli gratiæ seruire gnarum, nec importuno potuit sermone vrgeri, nec ad necem consiliis allici: quod adeò humanæ naturæ insolitum, vt censeri debeat prodigium. Dauid truces leonum mitigauit vultus, in placiditatem vertit ferociam; sed non inferior Dauid, quandoquidem, & militum repressit audaciam, & amicorum obturatis auribus importunam non attendit suadelam. Dauid Daniele si non superior, æqualis: alter namque sanguineam vicit bestiarum truculentiam, alter orationem contubernalium, & militum importunam.

1. Reg. 24. v. 8.

Chrysost.

96. Sponsus, vt eximiam sponsæ suæ virtutis excellentiam dilucidiùs deprædicaret, lilio inter spinas exæquat: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et cur flori non comparet horroribus sentium alienam? Candet lilium; sed nescio quid de vicinis sentibus ad speciem horroris exugit: delicatus flos placidè prolectat oculos; sed armatæ cuspides accedentis lacerant manum: eandem ac sentes habere originem ignobilitatis videtur nota, quando de origine rebus fama. Ergo sponsæ non candicanti lilio; sed aliis floribus exæquarit, vt omnem prorsus obscuritatis vmbram depulerit. Imò de sentibus, ait Gregorius vbi suprà, maior flori accrescit nitor, & augustior nitescit splendor: qui inter spinas versatur, cum sentibus subuersoribus ambulat; nec tamen candorem infuscat: quod augustius constantiæ elogium, & ad speciem miraculum. Mirum est inter tot sentes florem perseuerare, nec de importuno naturam desuefacere exemplo, geniúmque de spinarum mutare consortio: mirum fuit lilium horrorem sentium non sequi, asperitatémque de proximo non exugere. *Illi ergo veraciter boni sunt* (verba sunt Gregorij) *qui in bonitate persistere etiam inter malos possunt; hinc etiam sponsi voce sanctæ Ecclesiæ dicitur sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias.* Illustrior sanctitatis pompa pessimorum non trahi exemplis, nec degenerare consiliis. Accinit Bernardus serm. 48. in Cantica: *Spina falsus frater, spina vicinus est malus: sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. O candens lilium, ò tener, & delicate flos, increduli, & subuersores sunt tecum: vide quomodo cautè ambules inter spinas*: proximæ subuertunt spinæ, vitiosi fratres peruertunt; & ne lilij rutilauerit candor, spinarum anhelat furor: inter has ergo difficultates seruare nitorem, nec vti contubernio ad culpam, quando illo degere necessum ad vitam, exaggeratius sponsæ encomium, & augustius constantiæ præmium. Ergo Calebus laudibus proditur celebrandus, quando nec sociorum à virtute desciuit exemplis, nec importunis præuaricatur consiliis.

Cant. 2. v. 2.

Gregor.

Bernard.

---

§. XXIIII.

Nec virtus commodis ostensis prolectat, nec vitium obiectis laboribus fugat.

97. VIrtus, quantumuis in arduo posita, quantumuis in confragoso sita, debuisset ardenter expeti, & sitienter exambiri: quantumuis procliue, & planum, iter vitiorum fugiendum esset: quidquid laboris virtuti annectitur, extrinsecum, & ascititium est: honestas intrinseca, & quæ veram semper lætitiam gignat: vitium fuco nobis imponit, & mellitis extrinsecus deliciis illudit: penes errorem in virtute verus labor, & in vitio veræ deliciæ. Multæ modò obsigillant aciem nostram, quæ aut splendore nimio repercutiunt, aut offusis tenebris retinent: si animi aciem impedimentis liberemus, videbimus virtutem interiùs grato splendore nitentem, quantumuis exteriùs attrita & pannosa veste. Audi Senecam epist. 116. *Cernemus pulchritudinem illam, quamuis sordido obte-*

Senec.

Omne ludicrum nobis in pretio est.

ctam. Rursus æquè malitiam, & ærumnosi animi veterum perspiciemus, quamuis multus circa diuitiarum radiantium splendor impediat, & intuentem hinc honorum, illinc magnarum potestatum falsa lux verberet. Tunc intelligere nobis licebit quàm contemnenda miremur, simillimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio est. Verùm, ne hinc nostra peruersitas aliquem excusationis mutuetur colorem, iam non solùm ludicra vt pueri miramur; sed laboriosa exambimus: aliquomodò nostrum leuaretur delictum, si à virtutibus ærumnosi arcerent labores, ad vitiáque, quantumuis euanidæ, allicerent voluptates: altiùs malum nostrum insedit; nec vitia nos laboribus ostensis deterrent, nec virtutes commodis indicatis allectant: malitiam sectamur laboriosissimam, virtutem refugimus commodam.

Tertull.

Quàm bene aiebat Tertullianus aduers. Gnosticos cap. 5. *Grauatur pati nunc homo ex remedio, quod non est tunc grauatus pati ex vitio: displicet occidi in salutem, cui non displicuit occidi in perditionem: nauseauit ad antidotum, qui hiauit ad venenum.* Certè ad venena hiatur, quantumuis agnoscantur venena; antidota fastidiuntur, & depretiantur. En Calebus non superbè gloriosus; sed fortunatè modestus gratiæ tribuit à sociorum sententiis discessisse, & pro veritate pugnasse: *Fratres mei, qui ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi, & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.* Reuocat in memoriam Calebus illud Numer. 14. vbi terra promissionis inspecta melle lactéque manante filiis Israël ad Ægyptios labores decreuerunt redire, ad promissionisque hæreditatem renuerunt commotis turbis ascendere: *Venimus in terram*, referunt exploratores, *ad quam misisti nos, quæ reuera fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognosci potest; sed cultores fortissimos habet.* Quid tunc: *Dixerunt alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* In hac rerum serie Iosue, & Calebus iterum inclamant: *Terra, quam lustrauimus, valde bona est: si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manentem: nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius: quia sicut panem ita eos possumus deuorare: recessit ab eis omne præsidium.* Ecce Calebus telluris amœnitate allectus, eiúsque habitatores præsidio nudos intuitus, sociis refragantibus hæreditatem honestè ambiebat; huiúsque honesti ambitus modò exegit præmium, quod tunc ob egregiam animi constantiam attestatur promissum. Verùm, si placet, altiùs huius petitionis iura scrutemur: si terra illa lacte & melle manabat, si habitatores omni destituti præsidio, quid mirum suam exambierit possessionem, cupiueritque vtilitatem. Ad hæc, si durus imminebat in Ægypto labor, si sæuissimi premebant hostes, si anhelantibus adurebantur flammis Hebræi, quasi serui de lapide empti, & maculosis luti operibus defœdati, quid mirum & Ægyptum fugiat, & promissionis terram suspiret: Contrarium dignum supplicio; hoc tamen haud videbatur donandum præmio: & Calebus compensationem exegit, quia deliciosam virtutem secutus, & quia vitium laboriosissimum auersatus? Eò vsque profectò hominum deuenit amentia, vt vitia laboriosissima commodæ honestati prætulerint: malunt in perniciem occidi, quàm virtutes excolentes re-

Num. 13. v. 28.

Num. 14. v. 4. & 7.

gnare: nec longè petendum nobis exemplum est: ecce populus de reditu in Ægyptum cogitat post tot in Ægypto ærumnas exantlatas: ecce promissionis terram detrectat tot à Domino commodis, ac deliciis promissis: sequi ergo virtutem adhuc commodis allicientibus, auersari vitium adhuc incommodis minitantibus sic insolitum, vt Calebus dignissimè de singularitate deposcat præmium. Esset aliquod malis nostris solatium, si vitia ostensis anxietatibus deterrerent, aut virtutes commodis ostensis vocarent; verùm sic peruersitatis assuetudine animi caligat obtutus, & præuaricatur affectus, vt malit sustinere pro vitio ærumnas, quam pro virtute potiri delicias. Ergo Calebus præmium deposcat, vt humani ingenij extremam peruersitatem petitione depingat. Aptè Masius. *Fuisse illud promissum tanquam mercedem huiusmodi constantis pietatis satis indicat, quando continuò addit: Iurauitque Moyses in die illo dicens: Terra, quam calcauit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum: quia secutus es Dominum Deum meum.* Secutus, explicat Abulensis, *scilicet bona dicendo de terra Chanaan, vt Deus dixerat, & dando spem de superando hostes, sicut Deus dederat.* Vides remuneratum præmio: quia allectus virtutis commodis: adeò enim homines & virtutis auersantur commoditates, & vitiorum sitiunt labores.

Masius.

Abul.

Fugit Iacob iram fratris, anxia gressus celeritate defatigatus, & obscuris noctis tenebris præpeditus sub dio requieuit tantisper, & quia felicitas, quem promouere cœpit, non semel commodis prosperitatibúsque cumulare prosequitur: ibi vidit celebratam illam sæculis scalam, & Deum faustissima promittentem, familiaritatémque gratis actionibus, & curis prouidentissimis indicantem. Iacob felicissimum sibi locum agnouit, & in possessionis gratitudinísque signum columellam erexit: *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum.* Viam iterum carpsit, auunculíque domum ingressus diu pro gregibus, & filiabus non sine molestia seruiuit: nec tot anxij profuerunt labores, quin & in sponsis fraudulentiam, & in gregibus semel & iterum pateretur fallaciam: animaduertit in leuitis erga se vultus in gratiam, in socero supercilium, & cogitauit de reditu compulsus diuino oraculo: *Animaduertit faciem Laban, quòd non esset erga se, sicut heri, & nudius tertius: maximè dicente sibi Domino: Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eróque tecum.* Paruit iubenti, & iam natiuitatis repetebat terram, cùm Dominus iterum allocutus viantem præcipit Bethel ascendere, illúdque felicitatis emporium inhabitare: *Interea locutus est Deus ad Iacob: Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, fácque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau.* Profectò vtrumque oraculum instituto videatur superfluum: nam quid necessum est monere, vt fugiat socerum leuitósque repetitis fraudibus ac iniuriis hominem diuexantes, verborúmque asperitate, tumoréque supercilij clarissimè repellentes. Profectò vel oraculo præcipiente ingenuus homo non sine patientia maneret; & vrgetur ad fugam, qui eximiæ probaretur virtutis, si vel iussus soceri ac leuirorum asperam sustineret præsentiam. Ad hæc quid necessum erat Bethel ascensum præcipere, quando locus ille, & copiosa

98.

Genes. 28. v. 18.

Gen. 31. v. 2.

Gen. 35. v. 1.

piosa felicitatum scaturigo, & humanæ vtilitatis patria, ac fœcunda salutis vena? illuc tendere honesta ambitio debebat compellere, vt ab soceri domo ipsa ratio suadebat diffugere: & adæquè mouetur Iacobus deserere incommoda, & procurare vtilissima? Profectò Iacobus vir perfectus; verùm his actionibus nostram thesim miris veluti coloribus textus depinxit. Laban mundi typus, sæculi ænigma, vitiorum emblema: Bethel felicitatis patria, prosperitatis origo, officina fortunæ; adeò tamen homines, & noxia vitiorum appetunt, & dulcia virtutum fugiunt, vt necessarium fuerit adæquè ab amaro præcipi fugam, & apud Bethel iuberi perseuerantiam. Homines vitiorum vectigalibus obnoxios, durisque ærumnis afflictos rebellaturos putes, & adhuc seruient: quæ Labanus agebat iniuste, fugere vel stupidissimum compellebant: Iacob post septem annorum spatia non solùm pulchram non impetrauit sponsam dignus; sed lippam est sustinere coactus. Post ardentissimos Solis æstus, post durissimos gelu rigores, post insomnes noctes, & pretium mercede fraudatur, & post fraudem asperrimis supercilii affligitur. Equidem ipse

Genes. 31. v. 40. ait: *Die noctuque æstu vrebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis; sicque per viginti annos in domo tua seruiui*, & tamen inseruire prosequeretur, ni fugere Numinis oraculum vrgeret: apud Bethel placide dormit: *Dormiuit in eodem loco*: & plurima vel dormiens lu-

Genes. 28. v. 11. cratur: *Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo*: visione cælesti fruitur: *Viditque in somnis scalam*: & cum terra allicerent, vt locum repetat, præceptis vrgetur imperiisque diuinis

Rupert. adigitur: *Dominus* inquit Rupertus apud Lippoman. ad 30. Genes. *& nos huic mundo, cuius typum Laban tenet, quoniam ipse fatetur, & dixit: Experimento didici, quod benedixerit mihi Deus propter te: dicamus, inquam illi ... Tu nosti quomodo seruierim tibi.* Ecce quomodo seruit mundo, cuius seruitutis labor est merces; & tamen pene non est profectus; sed eductus. Aptiùs Chrysostomus apud Lippoman. ad Genes. 31. *Quasi dicat: Satis diu versatus es in terra aliena: nam quæ tibi pridem promisi dicens: reducam te in terram tuam, ea nunc opere implere volo: reuertere igitur nihil timens: ego enim ero tecum.* Attende quæ sequuntur: *Vt igitur iustus segnior non fiat in proficiscendo; sed magna fiducia iter arripiat; ideo dicit: Ego ero tecum.* Vt laboriosam mundi fugiat familiaritatem Iacobus, præmiis allectat: nec parum fuit Labanum vel vrgente præcepto deserere, & Bethlehem ascendisse.

99. Scapha marinas vnda secabat Petrus aliis condiscipulis associatus: studebant piscaturæ: cassus verò labor spes illorum fefellit: tota nocte laborantes nihil prendiderunt; magister è littore discipulos allocutus iubet ad nauigij dexteram iactari rete, & iam vnicus sub obedientia iactus vacuos impleuit, nocturnósque labores cumulatissimè compensauit. Quid tunc

Ioan. 21 v. 7. Petrus? *Tunica*, inquit, *succinxit se: erat enim nudus, & misit se in mare.* Chrysologus hanc Petri vti virtutis eximiæ demiratur actionem.

Chrysol. *Mirum, fratres*, inquit serm. 78. *& verè mirum, quia qui in naui nudatus est, in mare se demergit indutus.* Imò contrarium videretur sanè mirum: nam si cùm ad Christum properat, fulget ornatus, & in naui versatur nudus, quid mirum relinquat nauim, qua vrgebat nuditas, ad Christúmque tetenderit, quò vocabat sanè commoditas: ni tendat ad Christum, algebit nudus; si tetenderit, fulgebit ornatus. Ergo non mirum petat, quò vocabat honestum ornatus lucrum, & nauim deserat, qua obscurum nuditatis premebat probrum. O profundum Chrysologi ingenium! verum est Christo propinquare exornatum, & naui versari nudum: adeò tamen hominibus peregrinum est relinquere mundiales fluctus, quantumuis anxiis laboribus premant, ad Christúmque inuolare, quantumuis, & ornatus splendor, & diuitiarum copia, & salus alliciant, vt singulare fuerit Petri virtutis præconium, quantumuis naui sorderet nudatus, ad Christum tetendisse vestitum: *Verè mirum, quia qui in naui erat nudatus, in mare se demergit indutus.* Ergo præmium exhibeatur Calebo: quia Ægyptum laboribus adurentem non suspirauit; sed promissionis terram refertam commoditatibus exambiuit.

---

§. XXIV.

Qui orationis asciscit auxilium, virtutis inuenit portum, & eludit culparum, & calamitatum naufragium.

Supplicandum nobis est, *Beatissimi Patres,* scribit Cassiodor. 11. variar. 2. *vt lætitiam,* 100.
quam per vos Deo largiente percepimus, custodiri nobis vestris orationibus sentiamus: quis enim dubitet prosperitatem nostram vestris meritis applicandam, quando honorem adipiscimur, qui a Domino diligi non meremur, & permutatione efficaci bona recipimus, dum talia non agamus: Ecclesiasticis siquidem ieiuniis fames est excussa popularis, decoris lachrymis tristitia fœda discessit, & per sanctos viros acceleratum est, ne traheretur diutius, quod grauabat. Orationibus propulsatur aduersitas, auertitúrque calamitas: nam oratio est auxiliorum diuinorum armamentarium, cælestium virium contra irruentes hostes exundans officina, & aduersus dæmonum technas prudens cautela: *Vigor ille rationalis animæ*, addit Cassiodorus, *nobis consilium præstet, faciesque veritatis albescat, nec mentem nostram innubilet caligo corporea: sequamur quod iustum est, ne foris à nobis simus: instruat, qui de vera sapientia sapit, illuminet quod cælesti claritate resplendet.* Deuotæ preces Deum attingunt, & lucem ineffabilem mutuatæ ad orantem reuertuntur, mentem de mutuato fulgore illuminant, ne passionum caligo aut rationis vigorem hebetet, aut densis tenebris faciem veritatis innubilet. Qui sine oratione viuit, quantumuis armatus, humanáque prudentia munitus, fiet hostium præda, & inimicorum gloria. Qui Deum exorat, iam æternitatis candidatus despiciet fortunam, & obtinebit sanè victoriam. *Illa Angelorum circumstantia non cessat dicere: Sanctus, sanctus, sanctus*, scribit Tertul- Tertull.
lianus lib. de orat. cap. 3. *Proinde igitur & nos Angelorum, si meruerimus candidati, iam hinc cælestem illam in Deum vocem, & officium cælestis claritatis ediscimus.* Oratio cæli breuiarium est: inde asciscit auxilium, quia cæli Domino gra-

Cassiodor. *Ecclesiasticis ieiuniis calamitas depellitur popularis.*

tum offert semper obsequium. Moyses exploratores ad terram promissionis delegat, illorum plures aut otiandi cupidine illecti, aut timore ignauo obcæcati terræ detraxerunt voracitatem eius inhumanam exaggerantes; Caleb verò filius Iephone neque peruerti potuit sociorum exemplo, nec inflicto cæteris est exterminatus supplicio: *Fratres mei*, inquit ipse Iosue Principem allocutus, *qui ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi: & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum: iurauitque Moyses in die illo dicens: Terra, quàm calcabit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum.* O cælestem virum, qui non est passus sociorum peruerti exemplo, nec adulari didicit Principum voto: cæteros monstra terruerunt; Caleb animos indidit difficultas, celebrioremque promisit victoriam aduersariorum proceritas. Et vnde Calebo adeò infracta constantia, & valentia animi inuicta? Profectò ex orationis armario se ad orationis contulit officinam; & ibi dignis cælestibúsque incantamentis prodiit diuinus, qui ingressus fuerat humanus: cæteri, quia ad orationis non confugerunt auxilium, timoris, præuaricationisque sustinuere naufragium. Adest Lyra: *Caleb videns alios exploratores præter Iosue inclinatos ad inducendum populum, ne intrarent terram promissionis, per aliquod tempus recessit ab eis, & venit solus in Hebron, vbi erat sepultura Patriarcharum principalium, orans ibi, vt non discederet à veritate, sicut alij exploratores: & ideò Moyses sub iuramento promisit ei Hebron in possessionem.* Constans pro veritate certauit, veridicus Hebronem sibi acquisiuit, nec sociorum peruertere valuerunt exempla, quem orationis muniebant arma: qui ad Deum preces non fuderant, fusi sunt inimicorum terrore, ac vitam amiserunt cum terra: quia nulla illis sine oratione constantia; at Calebus infelicitatem orationibus propulsauit, & felicitatem asciuit.

Lyra.

101. Duas fœminas fraudulentis versutissimi serpentis dolis contemplare impetitas: Eua paradisæis topiariis delectabatur: eratque voluptas innoxia, quia carebat serpentino veneno: ad inuidiam verò excitatus est dæmon, ac præceptis munitam, innocentiæ armis protectam turpiter adrepens mentitis adulationibus irretiuit: vnicus serpens humanam structuram per hominis latus subruere incepit, & Eua garrulitate oblectata, falsisque promissis delusa serpenti credidit séque & suos pessimo addixit inimico, ac duro subdidit ceruicem iugo: *Tulit de fructu illius, & comedit.* Vides vel innocentiæ statu, paradisóque mulierem à serpente seductam; vide modò aliam generosissimis de vaferrimo serpente triumphis coronatam; fœminam illam Sole amictam, Luna calcatam, & syderibus fulgurantibus redimitam idem ipse serpens palam aggreditur; verùm omnes eius conatus elusi, & machinationes frustratæ: &, ne loco, stipantibusque Angelorum agminibus adscriberetur victoria, mulier desertum petiuit aquilæ plumis tantùm armata: *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum locum suum.* Serpens turbidum pectore facit flumen, vt confusis vorticum voluminibus, cæruleisque altipetam trahat spumarum aggeribus: *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine.* Non successit serpenti ambitiosus conatus; sed ima pectora per terram trahit spiris fœdissimis inuolutus; & quæ discriminis causa est? Vtrobique idem serpens versutia armatus, ac fallaciarum, adulationúmque exercitu communitus: vtrobique fœmina sexu fragilis, natura mollis, conditione imbellis: cur ergo ab altera victus, qui superbit alteri dominatus? Sanè quia datæ sunt alæ: ita Hugo Cardinalis: *Datæ sunt mulieri duæ alæ, tanquam arma, quibus se posset elongare: hæ alæ sunt vita actiua, & contemplatiua.* Eua contemplationi addicta non legitur, mulier hæc orationi vacans conspicitur: vbi ergo desiderata est orationis valentia, ibi & miseranda spectatur ruina; vbi verò orationis præmunit efficacia, de serpente fortunatissima reportatur victoria. Vel innocentiæ armis suffultam serpentis detriumphabit versutia, si oratio desit; at extra innocentiæ statum versutum, callidissimúmque serpentem orationis protriuit ala. Immoremur tantisper in hoc ipso ænigmatico euentu. Quid stellis firmius? Quid fœminâ mollius? In hac tamen serpentis pugna stellas videbis cælo detrusas, & fœminam laureis virentibus floridam: *Cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Vel cauda refixit stellas, cùm totus serpens furoribus cataphractus fœminam deuincere non valuerit: & quomodo, inquiris, mulier adepta victoriam, cùm astra perpessa sint ignominiam? Iam causam attulit textus: *Clamabat*, inquit, *parturiens:* orationis clamor serpentis elusit astutiam; imò fascinauit audaciam: vbi auditur clamor, & victoriæ conspicitur honor; stellæ tamen splendore nudantur, quia clamare minimè audiuntur. O quàm alta secat æthera mulier, dum orat! quàm terra voluitur serpens, quantumuis furat! Inuincibile fœmina de oratione asciuit auxilium, cùm sydus rutilo luminis splendore fulgurans obscurarit naufragium. Astra sine voce ceciderunt, quantumuis conspicuis fulgurarint nitoribus; mulier triumphauit, quia fusis armatur precibus.

Gen. 3. v. 7.

Apoc. 12. v. 14.

Hugo.

Apoc. 12. v. 4.

Pharao, quam natura Dei decretis obsecundans regerebat, Hebræorum copiam aggressus est artibus nequissimis præcidisse: pugnabat ille technis, Moyses prodigiis; tandem cùm egressus populus & à tergo armatorum timeret arma, & coram aquarum immeabilia pateretur volumina ad orationis opem confugit: *Cum appropinquasset Pharao, leuantes filij Israel oculos viderunt Ægyptios post se, & timuerunt valde, clamaueruntque ad Dominum.* Et quid proderit clamor, quando aduersæ hastæ tergoribus iam insistunt, & aquarum vortices vel ausum temeritatis impediunt? O quàm erit populus feritatis hostilis præda, & tot incussorum Ægyptiis virga flagellorum vindicta! Citissimè populus ante triumphalem rhedam trahetur, breuiáque libertatis spatia prolixa durioris captiuitatis compensauerint tempora. Si Pharao virga illa miraculorum officina percussus feritatis non mitigauit ingenium, quomodo clamoribus confusaneis appetentem amittet triumphum? O eximiam orationis virtutem! Hîc Ægyptiorum phalâges impulsæ oratione nigris interiere vorticibus & qui resistere potuerat miraculis durissima peruicacia obarmatus orationi concessit triumphum vndis marinis sepultus. Citiùs elaborauit sibi populus libertatem precibus fusis, quàm Moyses obtinuit miris patratis. Contra virgam omnipotentiæ vicariam armatur detestanda 101.

Exod. 14. v. 10.

ſtanda Pharaonis conſtantia; contra orationis tamen frequentes ictus non potuit defendi duritia, orationis ſubſidium Ægyptiorũ innumeras euertit copias; cum tamen miraculorum copia Ægyptias penitus non euicerit peruicacias: *Timuerunt valdè filij Iſrael*, exponit Oleaſt. ad mo-
Oleaſter. res. *Credo Deũ eos tales elegiſſe, vt non ſibi ipſis; ſed ei ſoli fiderent; quales vult omnes ſeruos ſuos, qui nihil ſui animi habeant; ſed Dei.* Voluit Deus vt clamore imbecillitatem teſtarentur propriam, & in Domino fiduciam: *Clamauerunt*, inquit, *ad Dominum:* detriumphatus Pharao extat orationis præda, ſi miraculis anteà reſtiterat per-
Origen. tinacia. Concinit Origenes hom. 5. & apud Gloſſam: *Clamor Sanctorum auditur, iubetur Moyſes virga percutere mare, vt ingredienti populo Dei cedat, & aqua quæ timebantur, dextra læuáque murus effecta non ſolum perniciem neſciant; ſed etiam munimen exhibeant.* Sanctorum clamor inuenit vel in vndis munimen, cùm virga tot patratis miris contentioſum nondum abſoluiſſet certamen: de orationis ſubſidio triumphant victores, qui de miraculis iter ceperant fugitiui: vt noueris quàm ſecura ſit, quam regia ſecuritatis teſſera oratio, cuius induſtrioſa vi, & ſtabilitur felicitas, & propulſatur calamitas.

103. Adde orationem non ſolùm felicitatis eſſe officinam; ſed, & arcanorum Dei clauem: nihil orationi ignotum, etiam cùm vel heroicis virtutibus quid occluſum. Iacob egregius luctator nomen non audiit, etſi rogauerit impor-
Geneſ. 32. v. 9. tunus: *Cur quæris nomen meum?* Moyſi nomen reſeratur antiquis Patribus tectum; ſed quod totam maieſtatis pompam non explicaret, nec
Exod. 6. v. 9. blandi gratiam amoris prodiderit: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Moyſi Adonai nomen indicatur;
Matt. 6. v. 9. orationi dulcius nomen aperitur. *Sic ergo*, inquit Dominus, *vos orabitis: Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum.* Nomen Patris deprecantibus proditur, aliis aut omne nomen celatur, aut ſolùm maieſtatem euulgans aperitur. Notauit id Tertullianus Septimius
Tertull. lib. de oratione cap. 3. *Nomen Dei Patris nemini proditum fuerat: etiam qui de ipſo interrogauerat Moyſes, aliud quidem nomen audierat: nobis reuelatum eſt in Filio: iam enim Filius nouum Patris nomen eſt, & apertius: Nomen tuum manifeſtaui hominibus: id ergo vt ſanctificetur, poſtulamus.* Dum oramus, Patrem loquimur: nec enim Patris nomen ignorare potuit oratio, quantumuis virtutes aliæ nec valuerint indagare, nec obtinuerint audire.

---

§. XXV.

De peruerſo ſæculi more maiorem fidem exigit credere aliquando præmiatum dignum, quam remuneratum ignauum.

104. PRæmia ad meritorum fidem inuenta ſunt: quiſque impræmiatus notam tulit ignauiæ, remuneratus teſtimonium accepit gloriæ; verùm eò res deuenit, vt iam nec dignitatum culmina poſſidentem prædicent dign[illegible] nec ab-
Caſſiodor. iectio teſtetur ignauum: *Vſu quis[illegible]uenit,* ſcribit Theodohadus 5. variar. 3. *benemeritos dona noſtra ſuſcipere.* O dignam ſæculis politiam, vbi vſus præmia largiebatur dignis, non impertiebatur ignauis. Omnia in peius ruunt, nec ſemel merita irremunerata omittuntur; ſed deſides, & inglorij remunerantur. *Nihil inter homines inæqualius, & lethalius duco*, verba ſunt Cyri apud Xenophontem lib. 2. Cyripæd. *quàm & ignauum, & fortem virum æqualia conſequi.* Fors aliquando tolerabilius eſſet malum, ſi fortes, & ignaui conſequerentur æqualia; verùm non ſemel fortis abiicitur, & imbellis, inertiſſimúſque præfertur: hîc hîc vires defatigantur patientiæ, & fatiſcit robur conſtantiæ. *Æquitati conuenit*, ſcribit Caſſiodorus 7. variar. 30. *vt vnuſquiſque ad fructum militiæ emenſo tempore debeat peruenire, & laboris recipiat præmium pro compenſatione meritorum.* Hoc æquitas depoſcebat; verùm aliquando æquitatis dolore tranſeunt ad otioſos; vmbrámque ſectantes præmia, & exprobrata fortitudinis dehonorantur facinora. *Diuina ſunt iſta iudicia*, addit Caſſiodorus, *non humana, vt quem ſuperna ad tempus debitum opus voluerunt perducere, meritò videatur, & laboris ſui præmia ſuſcepiſſe.* Ecce quæ humanorum vſum dediſcunt, ecce quæ probantur diuina, ſcilicet merita lucere præmiata. Fateor plures eſſe, qui meritis digna præmia aſſequuntur; & tamen querelas excitant, & criminationes confingunt: quia licet remuneratio fuerit ſupergreſſa meritum exæquare non potuit ambitum. Plures nullius ingenij, plures mediocris fortitudinis, & laboris ſe cauſantur relictos, cùm poſſent ſe mirari præmiatos. Quàm benè Plinius lib. 4. epiſtol. *Deſidia ſua*, inquit, *prætendunt alienam:* benè dixit: nec enim deſunt, qui deſidiam, ignauiámque propriam alienæ ſolertiæ accuſatione ſolentur; cùm tamen vitium non ſit remunerantis; ſed immerentis. Hoc certum; ſed, & aliud vſitatum: ſtellio námque regias domos habitat, cùm altipeta aquila vepretis inſideat. Calebus ſic maſculo animo hoſtium phalangas deſpexit, vt vel ſociis ingenti turbas metu percellentibus fiduciam fortitudinémque oſtentarit, nec ora, vt fieri ſolet, tot repugnantibus indecoro ſilentio preſſerit. Digna ſanè animi fortitudo, quæ præmiis lautiſſimis coronetur. *Fratres mei, qui aſcenderant mecum, diſſoluerunt cor populi; & nihilominus ego ſecutus ſum Dominum iurauitque Moyſes in die illo dicens: Terra quam calcauerit pes tuus erit poſſeſſio tua, & filiorum tuorum in æternum.* Iure in præmium calcata tellus promittitur; verùm ſuperfluè ad ſpeciem ſacramentum addatur. Quid neceſſum erat debitas adeò promiſſiones adhibito iuramento munire, quando egregiæ virtutes compellebant vel ingratum præbere. Iuramento Moyſes abſtineat: nam licet qui benè iurat, ſcribatur in libris, teſte Philone; hic tamen iuratum, & promittentis veracitati videtur aduerſum, & accipientis fiducia ad ſpeciem indignum. O Moyſis prudentiam! Sciebat meritum; ſed nouerat etiam ſæculi ſtylum, & ne diffideret dignus adhibito ſacramenta promiſit. *Vt his aſſentiret*, ſcribit Abulenſis quæſt. 16. *iurauit ei ſic futurum.* Egregiæ Calebi virtutes promiſſum merebantur; verùm ne dubitaret ob meritum, iuramento firmauit promiſſum: ſic merita de ſæculi more irremunerata omittuntur, ſic

Xenophon. *Vbi ignauus præmium aſſequitur, virtus exterminatur.*

Caſſiodor.

Plinius. *Nonnulli deſidia ſua prætendunt alienam.*

Abul.

M 4 non

non semel inglorij inutilésque munerantur.

105. Abrahamo semel & iterum promiserat Deus amplam laboris mercedem : *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi : faciámque te in gentem magnam, & benedicam tibi.* Posteà Isaaci sacrificium iubetur, ille pede celeri cacumina montium fatigat : hostia innocens parabatur, &, ne mora faciat delictum vel obstante nocte montis maturauit ascensum : in admirationem cælestes rapuit, dum contra omnes naturæ niues sic flamma charitatis exarsit, vt encomiastem Deum ipsum haberet : *Per me metipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi.* Modò benedictio iureiurando firmatur, cùm olim iuramento non fuerit firmata promissio. Profectò modò iam Numinis veracitatem experto satis videbatur simplex promissio, & anteà aptiùs videri potuit iuramentum : ibi enim Abrahamus virtutis tyro; ibi terram dulcesque lares deserere iubebatur, quod vel obsequentissimo animo durum : si ergo tunc non firmatur iuramento promissum, cur modo promissioni additur iuramentum? Profectò Numinis veracitas semper eadem, stabilis semper fides, nec ab effectu dissociata promissio est ; verùm sic merita apud sæculum despiciuntur, vt facilius fuerit credere se immeritum plura obtenturum, quam dignum fore remunerandum : ideò ne de peruerso sæculi more dubius hæreret, tunc iuramento sunt stabilita promissa, cùm adoleuerunt & merita. Audiendus est in hac re, si qua in alia opportunus Rupert. lib. 6. in Gen. cap. 33. *In primordio, quando dixit illi : Egredere de terra & de cognatione tua, hoc promisit dicens : Atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ... Vbi nullum adhuc Abrahæ præcesserat meritum tantummodo promisit ; vbi verò iam per obedientiam emeritus est, cum interpositione iuramenti promisit.* Tunc additum est iuramentum, cùm creuit seruitium, quasi nutet plus fides præmio digna, quam meritis dubitaret nudata ; satis est digno promisisse ; iuramentum non adeò meritis exornato videbatur necessarium ; sed sic apud sæculum irremunerata quæruntur merita, vt minime sacramenta sint cassa : *Cùm nullum Abrahæ præcesserat meritum, tantummodo promisit* ; at cum legitur meritum, legitur etiam iuratum : fides Numinis iuramento non indigebat ; sed dum iurat, sæculi mores prædamnat : Iuret ergo Moyses Calebo, ne dubitet dignus, vt apud mundum non dubitaret ignauus.

106. Duo germani fratres maternis visceribus commorantur, Esau & Iacob : hic vel refragante natura prælatus ; ille natiuitatis ordine primus, asserente Numine : *Maior seruiet minori.* Felici partu effusi ambo solare iubar viderunt : ventum est tandem ad id temporis, quo iam benedictio largienda : Isaac caligante visu Esau præponere studuit ; at mater Iacob supponere festinauit : *Affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur, quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur.* Filium benedicendum mater præsumit, quod D. Ambrosio lib. 2. de Iacob & vita beata maternæ fidei grande elogium est visum : *Iustum, ait, præferebat iniusto : etenim apud matrem piam mysterium pignori præponderabat.* Dignus anteferetur indigno, adeòque sæculi moribus est aduersum, vt quodammodo fuerit miraculum. Hieronymus apud Lippom. ex Hippolyti Martyris sententia hic finale iudicium adumbrari verbis expressis edocuit : *Isaac portat imaginem Dei Patris, Esau populi prioris, & diaboli ; senuisse Isaac consummationem orbis ostendit...* Dum iustus præficitur, orbis consummatio signatur, quasi necessum fuerit mundum euerti, vt iustus dignúsque peruerso, & indignissimo præferatur. Apud sæculum merita conculcantur, virtutes despiciuntur, cùm non semel adulatores, nebulones, & parasiti præmiis cumulatissimis munerentur. Adde quòd Rebecca vel promissis fisa diuinis Iacob fratris similitudinem retulisse curauit : *Vestibus, inquit, Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum, pelliculásque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit* : indigni imagine induere filium studuit, vt Iacobi timorem sedaret, quasi obstet apparere dignum, vt à caligante acceperit præmium. Sic apud sæculum male audiunt merita, sic præferuntur errata.

107. Furente tyrannidis sæuissimæ edicto Moyses nascitur totus gratiarum manibus factus, & ad oculorum delicias genitus : parentes naturali amore suasi, & ardenti venustæ formæ pulchritudine allecti puerum seruant, séque periculo deuouent, vt recens natum ab vrgentissimo turbidorum vorticum naufragio liberarint ; tandem, cùm puer ipse flebili proderetur vagitu, & quia ignorabat periculum, colere nesciret silentium ; parentes vndis committunt ; sed vt apud ipsos tyrannos inoffensus puer degat, rapidósque carniuori fluminis adultus eludat, fiscellam compingunt, solertissimísque amoris oculis, ne vel stilla fluentis vndæ rimulas inueniat, satagunt communire : pretiosissimum vnionem rudi satis concha inclusum fluentis exponunt : *Exposuit eum in carecto ripæ fluminis.* Lippomanus hinc in compingenda capsula parentum solertiam Noë in arca elaboranda solicitudini exæquat, eiusdémque fidei asserit & pueri felicem expectare euentum, & credere turbulentum arcam euasuram fore naufragium : *Omni diligentia incumbunt, vt tutò reponatur infantulus exponendus non minori fide, quam olim Noe arcam quoque suam disposuit.* Profunda sanè huius Doctoris mens, & quæ acris deposcat viuacitatem ingenij ; verum diuina Numinis gratia sisi rimari conabimur. Adæquam fidem, inquit, hæc actio, & illa deposcit ; verum quid innocenti infanti cum vniuersi seminibus orbis? Credidit Noë rapidissimos nimbis eiaculantibus imbres mundum iterum de assetuatis reliquiis pullulaturum : credunt Moysis parentes puerum apud infidos alendum, & hoc æqualis confidentiæ meritum, fideique ardentissimæ testimonium? O vide, amabo te, Moyses imperio natus, & imperio dignus imperium apud refractarios inuenit adoptatus in filium : adeóque arduum est dignos mundialibus præmiis lucere, & ad digna meritis dignitatum fastigia leuari, vt æqualis sit fidei Moysem credere dignitate apud sæculum exornandum, & mundum de exiguis reliquiis iterum pullulaturum. Magnus Noë, qui naufragium credidit virtutibus eludẽdum ; sed nec minoris fidei, qui dignum fastigio puerum dignitatum luminibus crediderũt apud sæculum exornandum. Sic merita altissimo marcent deiectu pressa, sic indigni florent, ac vigent. Adde

Gen. 12. v. 1.
Genes. 22. v. 16.
Rupert.
Genes. 25. v. 23.
Genes. 27. v. ...
Ambros.
Hieronym.
Lippoman.

108. Adde vel apud probos Principes iuramento opus esse, vt digni promoueantur, & indigni mulctentur: Adonias, & Salomon de regni fasciis decertant: nulli iure sanguinis fascia debita: nam, vt Tostatus hic latè probat, imperij tunc ius Principis aut populi committebatur arbitrio, nec maioritatis adscriptum erat priuilegio: Dauid se iuramento obstrinxerat, vt Salomonem præferret: equidem testatur Bersabee:
3 Reg. 1. v. 17. *Tu iurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio, & ecce nunc Adonias regnat.* Adhuc post datam iuramenti fidem necessum fuit, vt Nathan Salomonis partes ageret; vt Bethsabee, & Nathan regem quodammodo vrgerent, cùm Salomon Sapientia longè præstantior, & à Domino etiam præ fratre electus: Adhuc illa loquente cum Rege Nathan Propheta venit: en iuramentum, mater, & Propheta concurrunt, vt felicem exitum sortiatur negotium, & præstantior acceperit regnum: *Adhuc illa loquente,*
Lyra. inquit Lyra, *ad complendum negotium* (venit Propheta (*non tamen statim intrauit cubiculum regis; sed stetit aliquantulum extra, quousque de voluntate regis vocaretur.* Merita Salomonis instabant iuramentum vrgebat, & adhuc dubitabatur de effectu, necessumque fuit Prophetam Domini habuisse patronum, ne eandem dignitatem ambiens non adeò dignus consequeretur: ne Bersabee diffidat, iurat Dauid dignum throno collocandum: nam difficilius creditu est præmiandum dignum, quàm remunerandum ignauum.

---

§. XXVI.

Apud sæculum plus fallacia: minus animi ac veritatis valet sententia.

190. Seneс. NIhil simulatio proficit, scribit Seneca epistol. 79. *paucis imponit leuiter extrinsecus inducta facies; veritas in omnem partem sui semper eadem est: quæ decipiunt, nihil habent solidi.* Non inficiabor veritatem in omnem sui partem semper eandem esse; negabo tamen nihil mendacium, & simulationem proficere; imò adeò corrupti sunt mores, adeò indictum veritati odium est, vt apud sæculum vigeat fallacia, & magni habeatur simulatoris persona: *In*
Tertull. *quantum odio flagrat veritas*, scribit Tertullianus in Apolog. cap. 46. *in tantum qui eam ex fide præstat, offendit. Qui autem adulterat, & affectat, hoc maximè nomine gratiam pangit.* Qui ad audientium gustum vult placere, è cordis domo veritatem vtpotè suis aduersam profectibus manumittit, & simulationis fucum; artificiúmque adulationis supponit. Laboriosum est suadere Principibus, quod ratio exigit, quod æquitas deposcit, quod dignitatis fastigium suadet; sæpe mores ab obligatione discrepant, & ne ruborem afferat discrepantia, displicet veritatis notitia. Quàm benè, & quàm vêrè Septimius Tertullianus lib. de spectacul.
Conscientia in dissimulationem corrumpitur. cap. 1. *Tanta est vis voluptatum, vt ignorantiam protelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationem, aut vtrúmque:* In voluptatis præiudicium viget vt plurimum veritas: cúmque homines hominibus placere desiderent, mendacij assumunt personam, quo apud illos indignam lucrentur beneuolentiam. Audi Politicum Christianum lib. 2. cap. 18. *Qui* P. Scribam. *in illam diem innoxiæ fuerint bonitatis, simulare discent, mentiri, fallere, adulatoria humilitate captare, mente aliud velle, vultu aliud polliceri: cum his moribus viam sibi ad magna sterni viderint.* Displicet verborum candor, & veritatis libertas: quia quisque aut corrumpere satagit veri notitiam, aut in obsequium ambitionis, voluptatísque dissimulare conscientiam. Prudenter, & nimis verè in hac re ad Pisonem Galba: *Irrumpet adulatio, blanditiæ pessimum* Galba. *veri affectus venenum sua cuique vtilitas: & ego, & tu simplicissimè inter nos hodie loquimur, ceteri libentiùs cum fortuna nostra, quàm nobiscum: nam suadere Principi quod oporteat, multi laboris: assentatio circa Principem quomodocúmque sine affectu peragitur.* Consonat his Plutarchus lib. de adulat. & amic. *Alexander perdidit Callisthenem, Parmenionem, Philotam, Agnonibus, Bogais, Demetrijs affatim propinauit sese sternendum, dum odoratur, excolitur vestitu, & conformatur ab eis ad instar simulacri barbarici: adeo habet obsequium vires magnas, & maximas; sanè in his, qui numerantur maximi: nam sentire de seipso magnificentissimè; itáque velle haberi se, id fidem assentatori, & audaciam tribuit.* Itaque mendacium quo lædit, placet; & quia sibi deuincit audientis animum, assequitur faciliùs præmium: Calebus, qui cor interpretatur, à cæteris exploratoribus discordauit, cùm ex animo sententiam retulit: *Fratres mei, qui ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi; & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.* Seipsum Calebus interpretetur: *Nunciaui, inquit, ei quod mihi verum videbatur:* Masius legit: *Referebam ad illum* Masius. *rem, vt erat in animo meo.* Cæteri exploratores multitudinis lucrati sunt gratiam: quia res enunciauere, non vt animo sentiebant; sed vt placere populis expectabant; at Calebus ex corde veritatem protulit: ideò hic multitudini ingratus, & reliquorum numerus (non loquimur de Iosue) exploratorum acceptus. A Deo obtinuit præmium non oris fallacia; sed vera cordis sententia: *Iurauit Moyses in die illo dicens: Terra: quam calcauit pes tuus, erit possessio tua.* Apud vulgus tamen gratiam non captauit conformis veritati Calebi sententia; sed fucata exploratorum fallacia: *Venit olim in Hebron*, scribit Lyra, *vbi erat sepultura Pa-* Lyra. *triarcharum principalium orans ibi, vt non discederet à veritate, sicut alij exploratores: & ideò Moyses sub iuramento promisit ei Hebron in possessionem.* Apud Deum adepta est præmium vera ex animóque prolata sententia; apud sæculum fucata solùm fallacia.

Iacob maternis visceribus cum Esau pugnacissimè belligerat, athleticéque decertat: maternis visceribus fratrem superasse frater testatus est fuga: egressus est enim Esau primus non victoriam assecutus; sed fratris valentiam fugiens, vt superatus: *Plantam, inquit, fratris* Genes. 25. *tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob.* v. 26. 110. Traxit nomen à victoria: quia victor extiterat pugna. Ita Rupertus lib. 7. in Genes. cap. 5. Rupert. *Vtriusque schema vel habitus prodidit quis, & in vtero princeps fuisset duelli, & post vterum intentator futurus esset inimicitiarum, vel odij,*

quisve

quisue & in vtero superasset, & post vterum victoriæ palmam iustè repetiturus esset. Itaque ex Ruperti sententia Iacob fratrem certamine materinis in visceribus superauit; parum tamen apud sæculum illum iuuabat victoria: quia frater primogenituræ gaudebat prærogatiua. Quid tandem, cum iamiam pater morti vicinus Esau amplissimis ditare donis gestiret, Iacob fratris personam induit, & benedictionem repetiturus accedit. Pater semel & iterum, an Esau fuerit, diligenter sciscitatur, & filius pio dolo patris fallit diligentiam, & astutia eludit astutiam: *Dixit*
Genes.27. v.19.& 29. *Iacob: Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi.* Cæcus pater Iacobum benedixit, fratrique prætulit: *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.* D. Augustinus arcanum in hac pia fraude subodo-
August. ratur mysterium decimo de ciuit cap 37. *Iste dolus Iacob, ne putaretur fraudulentus dolus, & non in eo magnæ res mysterium quæreretur, superius prædixit scriptura: Erat autem Iacob homo simplex, habitans in tabernaculis: quis est in ista benedictione percipienda dolus hominis sine dolo? Quis est dolus simplicis, quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis?* Ergo latens hoc inquiramus mysterium, & fallar egregiè, ni nostra thesis arcanum aperuit, scilicet adeò apud sæculum valere mendacia, adeò vilescere merita, vt Iacob qui certamine victor pij doli asciuerit industriè suffragium, vt certaminis consequeretur brauium: vidit Esau anteferri, quia patris animum epularum lenociniis sibi deuinxerat, qui sibi certaminibus imbellis cesserat: & repetere proposuit arcano dolo, quod se nunquam acquisiturum certaminis nouit merito: dum pugnat, dum vincit, postponitur, dum mentitur, antefertur: vt noueris apud sæculum plus meritis æstimari mendacium, impetraréque citiùs dolum.

111. Achior dux filiorum Ammon Holoferni ira in Israëlitas sufflammato consulit, vt antequam in arma ruat, de populi statu diligenter inquirat: nam si Deum, inquit, suum Hebræi debitis obsequiis habuerint propitium, acies nostras quantumuis militum copia & armorum valentia instructas, nullo negotio profligabunt, ac fundent, feremúsque egregiam ignominiæ notam, cùm captare properamus triumphorum famam; si verò Deum habuerint sceleribus irritatum, flagitiisque offensum, in captiuitatem facillimè redigemus, manubiisque ac spoliorum
Iudith 6.v.1. copiis ditabimur. Quid tunc? *Factum est autem, cum cessasset loqui, indignatus Holofernes vehementer dixit ad Achior: Quoniam prophetasti nobis dicens, quòd gens Israel defendatur à Deo suo, vt ostendam tibi, quoniam non est Deus nisi Nabuchodonosor, cùm percusserimus eos omnes sicut hominem vnum, tunc & ipse cum illis Assyriorum gladio interibis.* Mala Achior imprecantur, & vinctum restibus aduersariis obiecerunt: *Ligauerunt Achior ad arborem manibus & pedibus, & sic vinctum restibus dimiserunt eum.* Ecce veritatis fructus, ecce ex animo sententiæ merces compedes, vincula, catenæ, resticulæ. Transi modò cogitatione ad sæculis omnibus decantandam Iudith, quæ in aduersariorum castra transfugæ specie deuenit, & cùm insidias animo gereret, ore Holofernis gloriam deprædicauit: & cùm certa in Deum fiducia profligandos crederet inimicos, testata est se certissimè agnoscere subigendos fore Holofernis armis Hebræos:
Filia sum Hebræorum: ideò ego fugi à facie eorum: quoniam futurum agnoui, quòd dentur vobis in deprædationem pro eo quod contemnentes vos noluerunt vltro tradere se ipsos; vt inuenirent misericordiam in conspectu vestro. Iudith 10. v.12.
Hanc piam mulieris fraudem pro vero accepit Holofernes, illique in thesauros aperiri, & de regali mensa præcepit pasci: *Iussit eam introire, vbi repositi erant thesauri eius, & iussit illic manere eam, & constituit quid daretur illi de conuiuio suo.* Iudith 12. v.1.
Quàm aliter se cum Iuditha, & cum Achiore gesserunt! Et cur ducem egregium hostibus tradere non recusant, qui vel vnam fœminam ex Hebræis tanti secum habere, vtpotè manubiarum primitias reputant? Profectò Achior dignus erat, qui suspiceretur ab omnibus, vtpotè veritatis vtilissimæ assertor, insanissimæque arrogantiæ destructor: & tamen expellitur, vincitur, damnatur: Iudith cùm animo gerat odium, labiis simulauit obsequium: *Percuties eum ex labiis charitatis meæ*, inquit; *da mihi in animo constantiam, vt contemnam illum*: animo contemnit, labiis dilaudat: ideò apud profanos inuenit gratiam, quæ mortis sibi solicitabat sententiam. Iudith 9. v.14.
Achior tulit mortis sententiam, qui promeritus fuerat gratiam: mendacium apud Holofernem valuit; veritas limis oculis adspecta est: *Ligauerunt Achior ad arborem manibus*, scribit Lyra, *volentes se expedire de Achior.* Ingenti illis oneri erat Achior, vtpotè veridicus, & ex animo sententiam dicens. Addit c.12. de Iuditha: *Consequenter approbatur responsio Iudith per factum: nam Holofernes iussit eam introire ad locum, vbi erant sui thesauri tanquam charissimam sibi, & confidens de ea tanquam de coniuge propria.* Lyra.
Indignatus est Holofernes veraci, confidit fallenti, vt nostræ thesis apertè veritas illucescat, scilicet apud sæculum plurimum valere fallaciam, abiicique ex animo prolatam, consonamque veritati sententiam.

Deuicta morte, & detriumphato sepulchro 112.
Christus Dominus, quæ solarem vinceret, splendidissima luce redimitus surrexit: custodes ad funestum liuoris præsidium positos sic clarissima lux perstrinxit, vt exanimes penè prosterneret; vbi tamen illorum nonnulli sibi tantisper redditi, ad Principes accurrerunt infaustissimum illis nuncium afferentes: *Ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt Principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant; & congregati cum senioribus consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes: Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Matth.28. v.11.
Non omnibus excubiis copiosa datur pecunia; sed illis, qui & fraudibus veritatem obscurant, & stultam industriæ fraudem colorant: qui vera nunciarunt, iniquo illo præmio fraudati sunt; qui verò conficta, & fallentia, pecuniam accepere copiosam, vt agnoueris plus apud sæculum valere fallaciam. Aptè Hilarius in catena: *Pecuniam, quæ ad vsus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacij.* Mendacium copiosa pecunia venditur: quia plurimi apud sæculum æstimatur.

§. XXVII.

§. XXVII.

Iusti non semel proprias referunt excellentias non ad præsumptionis ambitum; sed ad virtutis profectum.

113. Cassiodor. *Ibi iudicia vera, vbi nulla timiditas sententiæ obstat.*

LAus in ore proprio vilescit, & quia putatur iactantia, de suspicione obscuratur: gloria: *Illud est omnimodis singulare*, scribit Cassiodor. 10. variar. 19. *in extranea gente laudes proprias inuenire: quia ibi sunt vera iudicia, vbi neminem comprimit vlla timiditas.* Adde non solùm timiditate; sed amore; sed ambitione affectuque interpellari vera iudicia; & vt aliena mauit, sic propria gigantæa mole depingere facta: nihil à modesto viro alienius esse debet, quam redolere iactantiam, aut respirare superbiam; imò nobili suffundi rubore, dum prædicatur, ingenui eximijque viri est.

Plutarch. *Odiosum est sua extollere, ac prædicare.*

Suam ipsius apud alios, scribit Plutarchus lib. de sui laude, *gloriam vel opus prædicare verbo esse dicunt omnes odiosum.* Mouent stomachum, iram concitant, iracundiam stimulant, suarum eximij actionum prædicatores, qui seipsos ore semper circumferunt, magnaliaque iactant, & gloriosa semper deprædicant. Aptè Pindarus.

Pindar.

Iactare se haud loco resonare furias.

Verùm, licet in plurimum laudes resonare proprias vaniloquentiam redoleat, aliquando honestum, & magnificum est, vt scilicet se herois antiquæ oppigneret famæ, & animus suis excitatus magnalibus maiora exambiat, aut certè à gloriosis tentandis non discedat: *Illos, qui in amicitia dis attollunt se, & ceruicem subrigunt, fatuos dicimus, & vanos*, scribit vbi supra Plutarchus: *contra commendamus eos, si in pugilatu, & bello erigunt se.* Se erigere ad vlteriora opera magnanimitati honestæ, non tumori inflato tribuendum: digna laus, quæ non tam de factis extollit, quam animum ad futura gloriosè impellit, & ne partam adulteret gloriam, cogit. Adest huius rei exemplar imitandum Calebus, qui, cum Iosue de promissa sibi terra interpellasset, sic ait: *Fratres mei, qui ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi; & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.* Addit postea: *Octoginta quinque annorum sum, sic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum. Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente: in quo Enacim sunt, & vrbes magnæ, atque munitæ: si fortè sit Dominus mecum, & potuero delere eos.* Fidelitatem suam commendat Calebus; roboris deprædicat constantiam, fortitudinisque valentiam; verum id totum non ad præsumptuosæ gloriationis elogium; sed ad maiora audiendi, ad gloriosiora tentandi pignus. Prodest Masius ad hunc locum: *Fortassè videatur alicui ista commemoratione officij, & pietatis propriæ laudem sibi assumere. Calebus arroganter nimium; verum non ita est: oportet enim existimare longè alia mente sanctos homines, alia improbos de suis virtutibus, vel apud Deum, vel apud homines loqui: hi enim vana gloriola audis seipsi prædicatione efferre student: illi ab omni rerum suarum inani ostentatione alieni, si quando fortè suas virtutes commemorant, id prorsus dissimile faciunt, & minimè malitiosè, vt vel seipsos ea recordatione animent, confirmentque, quo superioris vitæ suæ rectè facta continuò alijs atque alijs melioribus tutum, ornatúmque porgant.* Se Calebus laudat in ad vlteriora gloriosæ excitationis auxilium, non in cumidæ præsumptionis suffragium.

Masius

114. Cum Saul aduersum Philisthinorum phalangas in campum armatorum agmina produxisset, iámque proximum esset, & lituis accendi, & vtrimque aciem cõflictum miscere, vir apparuit spurius, immetata mole superbus, superbiæ vanitate immetatus; atrox vultus, sænum supercilium, truces oculi, insolens gressus: vel optimos de statione deturbabat Hebræos, & ignobili fugâ ante certamen quodammodò concedere cogebat triumphos; verum cum Dei causa aperto in discrimine esset, nullúsque plus religionem coleret, quàm salutem; Dauid, cui diuinus honor præ vita erat, ad se certamen rapit, & in campum prosilire iam gestit; verum Saul terrore victus ætatis excusationem prætexebat, & generosos adolescentis spiritus dilatione frænabat. Quid tunc Dauid? Triumphos suos refert, & partas montium latebris victorias prodit. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebámque eos: nam, & leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus: erit igitur, & Philisthæus hic incircumcisus quasi vnus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi.* Quam prolixus in suis deprædicandis laudibus inuenitur hic puer, qui decentiùs silentio tegeret, & humilitate celaret. Arrogantiam profectò sapit illa facinorum patratorum memoria, vt temeritatem hæc in gigantem audacia; imò vtrumque, respondent Chrysostomus, & Theodoretus, diuinum comprobauere Dauidem: a se gloriosè patrata sic hucúsque prudenter tumularat silentio, vt nec patri, nec fratribus, vt Ioseph olim, retulisset. Et quidem ille retulit licèt arcana somnia; hic egregia tacuit facinora; modò verò, quia de ætatis despectu animaduertit se reijci, & diuini honoris causam periclitari, ea retulit, quæ fortem, & industrium ostenderent, non insolentis vanitatis studio; sed religioso vindicandi Numinis desiderio: non retulit gloriæ ambitu; sed honesti zeli prurìtu. Audi Chrysostom. hom. 46. in Genes. *Coactus fuit vir diuinus hæc narrare, nolens vanam hinc gloriam aucupari; sed vt illis animos adderet, & ne spectaret rex ad vtilitatem eius; sed ad fidem, quæ intrinsecus latebat, supernúmque auxilium, quod docebat inermis viris armatis, & pastor militibus fortior erat.* Consonat Theodoretus quæst. 40. *Erat adolescens quatuordecim, aut quindecim annorum: necesse ergo habuit dicere, eorum reliquo tempore de victoria fiduciam concepisse: quomodò cùm gregem pasceret, suffocauit leonem, & vrsum cum iam dentes.* Necessitate coactus retulit egregia facta vt decertandi impetraret licentiam, non vt captaret gloriolam.

1. Reg. 17. v. 34.

Chrysost.

Theodor.

115. Ita ne obijcitur Dominus excelso throno præfulgens: duo Seraphim supremo regi assistebant

bant sex alis instructa, quarum duæ sacrè ambitioso motu aëra dissecabant, duæ oculos expansæ tegebant, duæ adinstar vinculorum gressus impediebant feliciter, vt pedibus faustè orba & perniciori subleuarentur volatu, & nobiliori in
Isaiæ 6.v.2. Deum raperentur affectu: *Sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* D. Bernardus alis expansis suam ipsorum felicitatem gloriosis exaratam plumis oculis obiectasse fatetur. Audi ipsum serm.4. de verb.Isaiæ.
Bernard. *Quibus putamus alis hoc caput Seraphim velant, vt nulla sua subtilitate naturæ, nulla rationis perspicacitate nequam oculus in illius queat irrumpere veri luminis claritatem: duabus, ni fallor, alis, sua videlicet ipsorum gloria & felicitatis.* Ecce Seraphim insculptas suas obiectant oculis excellentias: expandunt namque alas, vt oculos velent; sed dum velant faciem, suam omnibus oculis gloriam repræsentant; hoc tamen non est ad plausum vanitatis captandum; sed ad volatum acuendum; ne dæmonis liuidus in illam claritatem quiuerit irrumpere affectus, expansis proditur alis Seraphinorum tardatus, vtque celeriùs inuolarint ad Domini obsequia, à se produnt gloriosè facta: itaque insculptas alis proprias ostentare virtutes non est in vanitatis suffragium; sed in volatus pernicioris auxilium, in dæmonisque tormentum. Redeat iterum, ibi Bernardus: *Et nunc audi quemadmodum his duabus alis ipsum, quod diximus, caput Domini, ne iniquus ille inspiciat, velare Seraphim videantur: quoties enim sursum dirigit aciem, in Angelicam statim felicitatẽ & gloriam malignus offendit, & offundit oculum pessimus humor liuor proprius, vt penetrare vltra non possit.* Ecce cur Seraphini glorias, excellentiásque proprias cunctis mortalium ostenderint oculis, vt quasi egregiis anteà inflammati factis vlteriora adæquè nobiliora conentur, aut gloriosiora pernici volatu moliantur: vtque dæmonis malignitatem retundant, dum improbam æmulatoris aciem nimio gloriæ nitore reuerberant: proprias ergo ita explicare laudes non dedecet Seraphinos; imò probat spiritus generosos: dedeceret sanè, si propriam vanè affectassent gloriam, nec ad sacri capitis expandissent tutelam; at dum propriis aspectibus gloriosè facta obiectarunt, se ad vlteriora incenderunt: pudet enim excelsos animos ab antiqua gloria degenerare, & famæ notam non æquis factis imprimere. Bene ergo de patratis virtutibus gloriatur, qui refert ad virtutis suffragium, & ad laudabilis audaciæ fomentum. Non solùm prosunt laudes honestè prolatæ, vt iusti ad altiora quasi adhibitis igniculis incitentur; sed vt quæ impij captiosis insidiis obiectauere crimina, depellantur.

116. Iacob æquitatis exemplar socero prolixis annis seruiuit: tandem cùm iam cogente Deo terram repeteret, socer veluti manu facta insecutus est: furti crimen palàm imposuit, & iustum
Genes.31. v.30. verbis asperrimis dehonestauit: *Cur furatus es deos meos?* Quid tunc iustus? Non exaggerationis artifex, nec gloriolæ studiosus respondit: *Viginti annis fui tecum: oues tuæ & capræ steriles non fuerũt: arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi: ego dãmnum omne reddebam: quidquid furto peribat, à me exigebas: diu, noctúque æstu vrebar & gelu: fugiebátque somnus ab oculis meis.* Quàm egregiè oues se pauisse deprædicat, quàm munus solerter curantem, adaugendisque pecoribus studentem! Et cur proprias virtutes elogiis infuscat, qui honesto silentio adauxerat? Si tot sæculis teste conscientia contentus, cur modò indignè gloriosus? Imò dignissimè, inquit Rupert. apud Lippoman. necessarium namque erat solertiam suam commendasse, furtique notam de strenuitate solertiæ depulisse: *Vbi omnia fidelitatis suæ opera commemorauit Iacob, fortissimum tandem iustitiæ suæ inuexit argumentum: præmisso namque, Afflictionem meam, & laborem manuum mearum respexit Deus, proximus adiunxit: Et arguit te heri.* Vt iniustam famæ suæ deterserit notam, soceri retulit iniustitiam, suámque deprædicauit solertiam; vtrumque tamen non propriæ gloriæ, aut ignominiæ alienæ desiderio; sed iustissimo honoris vindicandi, tuendæque æquitatis studio. Huc voco quod aiebat Plutarchus loco allegato: *Criminatio iactationis suæ ignoscentem dedit dicendi libertatem.* Plutarch. Aliena criminatio laudes à modestia extorsit; præsumptuosa vanitas non effutiuit. Idem Plutarchus Ciceronem cum Scipione confert, aitque Ciceronem vtpotè nullatenus prouocatum suis importunè relatis laudibus offendisse Romanos, Scipionem verò, dum facta sua memorat, erectum animum, intrepidúmque spiritum, & robur honestè sibi fidens docuisse socios: *Romanos offendit frequenter actiones suas aduersus Catilinam in cælum ferendo Cicero: Scipionem, qui non decere ait, vt illi iudicium ferrent de Scipione, cuius beneficio omnibus gentibus iura darent coronati ad sacrificandum sunt in capitolium secuti: huic enim abstersit periculum inuidiam; ille non necessariò; sed gloria causâ in laudes erumpebat.* Profectò propriis inuidiam laudibus aufert aut crimen falsò obiectum, aut minitatum vitæ periculum: tunc enim constat prolata elogia non vanitatis ambitu; sed necessitatis impulsu. Disce ergo & egregia facta tacere, & temporibus opportunis vulgare.

---

§. XXVIII.

Oratio est heroicæ operationis energia, maxima facillimè orationibus perficiuntur, ægriùs minora sine oratione patrantur.

Opponebant ethnici Christianis meditari factiones, dum conuenirent ad preces. 117.
Proinde, scribit Tertullianus in Apolog.cap.38.
nec paulò lenius inter licitas factiones sectam istam deputari oportebat, à qua nihil tale committitur, quale de illicitis factionibus timeri solet. Tertull. Timebant ethnici precantes vtpotè factione adunatos, & fœdere vnitos; egregiè errabant illicitum præsumentes: vera dicerent, si hoc de licitis honestisque factionibus arbitrantes; est enim oratio veluti factio in vitia, & orantibus vel in Deum grata illi ministrat arma. Audi Septimium c.39. *Edam iam nunc ergo ipse negotia Christianæ factionis, vt qui mala reputauerim, bona ostendam: corpus sumus de conscientia religionis, & disciplinæ vnitate, & spei fœdere: coimus in cœtum, & congregationem, vt ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes: hæc* vis

Orationis vis Deo grata. Iustorum congregatio calestis curia.

vis Deo grata est. Hæc vis Deo grata; imò quia grata, maxima orationis vis: *Cùm probi*, addit Septimius c.40. *cùm boni coeunt, cùm pij, cùm casti congregantur, non est factio dicenda; sed curia*, imò quia curia factio. O quàm oratio audet, quàm fortunatè difficillima assequitur: inermis est oratione destitutus, fortissimus fusis precibus obarmatus. Calebus eos resumit animos, vt cum cæteri exploratores ad gigantum territi adspectum cor populi dissoluissent, ipse contrariam partem secutus præsidio vacuos, ad instarque panis frustuli deuorandos forè dixerit inimicos: *Fratres mei, qui ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi, & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.* Refert historiam clariùs Numer.13. descriptam: *Terra, quam lustrauimus*, inquiunt exploratores, *deuorat habitatores suos populus, quem aspeximus, procera statura est: ibi vidimus monstra quadam filiorum Enac de genere giganteo, quibus cōparati quasi locustæ videbamur.* Vides exploratores hostium terrore perculsos, & solo aspectu prostratos: audi Calebum, & Iosue: *Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius: quia sicut panem ita eos possumus deuorare: recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere.* Calebus intrepidè frustratur pericula, & sitit ardenter prælia, cæteri exploratores metu iam victi detrectauere certamina, & procera exhorruere monstra: & vnde tam erectus Calebo animus, cùm deiectus adeò cæterorum spiritus? Ab oratione quidem: discessit Calebus tantisper à reliquis, vt oraret, easque inuictas oratio ministrauit oranti vires, vt viriliter vel ipsa monstra despexerit, nec vanos sibi triumphos promiserit. Adest Lyra: *Caleb videns alios exploratores præter Iosue inclinatos ad inducendum populum, ne intrarent terram promissionis, per aliquod tempus recessit ab eis, & venit solus in Hebron, vbi erat sepultura patriarcharum principalium, orans ibi, vt non discederet à veritate, sicut alij exploratores: & ideò Moyses sub iuramento promisit ei Hebron in possessionem.* De oratione inuictas mutuatus est vires, alios verò gelidus concussit tremor: quia illis orationis defecerat vigor: est enim oratio operandi energia, & periculorum victoria. Ergo Calebus à veritate non recessit; sed hostes adinstar panis deuorandos non de præsumptionis superbia; sed de orationis affirmauit constantia: qui non orarunt, aduersariis comparati, locustæ; Caleb verò illud ab oratione robur exurit, vt hostes facillimè deuincendos; imò, & testatus sit deuorandos.

Num.13. v.33. — Num.14. v.8. — Lyra.

118. Egresso de captiuitatis compedibus Hebræorum populo aquarum volumina transitum impediebant: Ægyptij fugientium tergis iamiam insistentes validis clamoribus insultabant: medius populus inter Ægyptios mucrones, & profundos maris fluctus nec fugere poterat, nec redire. O quàm acri metu breue libertatis tempus compensant! ô quàm citò captiuitatis dolorem iterandum expauent! Quid tunc? Moyses clamoso silentio cæleste auxilium deposcit, & à tantis populum exolui periculis obnixè petit: *Dixit Dominus ad Moysem: Quid clamas ad me?* Tacita oratio gratam vim Numini intulit: iam iubet, & populum per medios vortices gradi, & fluctus virgâ percussos suspendi. *Loquere filijs Israel, vt proficiscantur: tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Israel in medio mari per siccum.* Nec mora: Moyses mare verberat, & aquarum fluctus vitreos saluo liquore suspenduntur in muros: *Cùm extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisáque est aqua.* Stupens ad virgæ contactum populi aduentum præstolatus est liquor, & iam solùm inest Ægyptiis tremor. Transi mihi modò cogitatione ad Numer.20. vbi cùm ardens viscera sitis depasceretur, iubetur Moyses aquam Dei nomine à petra exposcere: *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas:* Moyses populi obtrectatione turbatus manum eleuat, & repetitis ictibus referit silicem, vt emitteret liquorem: *Cùm eleuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressa sunt aquæ largissimæ.* Iam curiosè inquires, cur non semel ad làtices educendos virga verberauerit petram, qui marinam vnico ictu ad transitum suspenderat vndam. Ingens vtrobique miraculum; verùm rupto lapide aquarum fontem erumpere non adeò insolitum; imò sæpissimè visum; at mare suspendere, siccam inter medios fluctus viam gradientibus aperire de nouitate rarius, & de raritate quidem mirabilius. Cur ergo Moyses vnico ictu mare scindere solitus de petra repetitis ictibus gelidos educere latices sit agressus? Innuit, ni fallor, textus, scilicet oratione armatam super vndas leuasse manum; ad petram verò non prece munitam; sed murmure extendisse turbatam: clamabat alibi dicente Domino: *Quid clamas ad me?* Alibi verò cùm debuisset coram populo preces fudisse, orandi obturbatione est oblitus, & populi murmure est obturbatus: ad latices ergo e saxo educendos repetitis ictibus opus: quia desiderabatur orationis auxilium, ad findendum tamen mare satisfuit vnicus ictus: quia precum aderat opportunum suffragium: maiora ergo faciliùs oratione perficiuntur, ægriùs faciliora sine oratione patrantur. Innuit Cyrillus apud Glossam: *In Ægypto semel tantùm eadem virga vel aera, vel aquas diuerberans ostentabat; nunc quia insultanti populo succumbens de fide aliquantulum deturbatur, parum affuit quin Dominus negaret aquas.* Aptè Ambrosius in Psalm.118. *Dicit ad eum Dominus: Quid clamas ad me? Sonum eius non audio, vocem eius agnosco, silentium eius lego, clamorem eius in operibus deprehendo: Clamabat populus, & non audiebatur: tacebat Moyses, & audiebatur.* Expende illud: *Clamorem eius in operibus deprehendo*, in maris videlicet scissione agnoscebatur orationis energia, quia primo ictu vnda iter præbebat suspensa: vbi non exauditur clamor, & virgæ bina percussione est opùs: in operibus deprehenditur orationis efficacia: quia facilè perficitur, quod ægrè forsitan patraretur. Populus vociferatur, non orat; Moyses orat, non vociferatur, & quanta orationi insit ad consequenda magna energia, vndarum volumina attestantur suspensa.

Exod.14. v.15. — Num.20. v.8. — Cyrillus. — Ambros.

119. Ad Christi discipulos attulit pater lunaticum illum, cuius calamitas crebrò dolorem parentibus ingerebat: discipuli Domini, quantumuis tentarunt, obstinatam dæmonis pertinaciam depellere non valuerunt: testantur ipsi:

Math. 17. v. 18. *Accesserunt discipuli ad Iesum secretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere illum?* Vides Apostolorú apices Ioannem, Petrúmque ab inuisa dæmonis obsidione puerulum nó liberasse, cum iidem claudo ex matris vtero pedes resculpserint, & membrorum vsum præstiterint: Actor. 3. v. 6. *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula: & apprehensa manu eius dextera alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ.* Quàm facile in naturæ officina vitiatum reformat, qui lunaticum non liberat. Certè liberare obsessum vel non adeò virtute eximiis concreditum, vltra miraculum sæpè fit; at pedes resculpere, ex vtero matris claudo gressum reformare, & virtutem prodit eximiam, & in operando laudabilem efficaciam: cur ergo Petrus & Ioannes, qui mendico membrorum largiuntur vsum, à dæmonis obsidione non liberauerunt obsessum? Tradit rationem Basilius Seleuciensis, scilicet orationis asciuisse pro claudo consolidando suffragium, alibi tamé precum non deposcisse auxilium. Audi illum orat. 21. Basil. Seleuc. *Apostoli precationis opem non exemerunt; sed perpetuis rerum vsibus necessariam supplicationem ostendunt.* Addit postea: *Orationis appendix erat claudi curatio, & cæptum ad orationem curriculum claudo opitulationem consummauit.* Facile peregerunt, quod difficilius videbatur: nam vbi orationis adest auxilium, cedunt morborum difficultates, dæmones expelluntur adflictus, & vel claudo reformatur facile gressus, at vbi precatio quasi omnipotentia orationis desideratur, dæmon vel facillime abigitur: puerum alibi non liberant, alibi claudum consolidant: quia ibi orationis obliti testante Domino. Marc. 9. v. 28 *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio*; alibi tamen precum opem sibi deposcunt. O quam facilius vel ardua assequereris orando, quæ non vales assequi duris te curis, & laboribus atterendo.

120. Acceperat iam Elisæus duplicem Eliæ spiritum, acceperat pallium; cúmque cogitaret de reditu, perueniss etque ad Iordanem, aquas pallio ferit, nec tamen diuisit: desiderio frustratus iterum diuerberat aquas, & exclamat: 4. Reg. 2. v. 14. *Vbi est Deus Eliæ etiam nunc? Percussitque aquas, & diuisæ sunt huc atque illuc, & transiit Elisæus.* Abulensis rogat quæst. 28. cur primo ictu aquas non diuiserit, cùm rapidos fluctus verbere repetito frænarit: respondétque de orationis valentia, ac precum energia mare stitum, aëreque suspensum: Abul. *Vt compelleretur*, inquit, *orare ad Dominum, non fuerunt diuisæ in prima vice.* Profectò geminum Eliæ spiritum hæreditario iure acceperat, & clamoribus vel quod Elias non posséderat, impetrarat; cum verò orationis opem ad Iordanem sistendum non mutuatur, nec fluctus percussus sistitur: dum orat, dum ad Dominum mentem eleuat, dum propriis viribus non confidit, & mare diuidit, & vndas obedire gressibus cogit: vel duplici exornatus spiritu non potuit vorticibus imperare, precatus verò profundi gurgitis valuit rapiditatem reprimere. O quam fallitur, qui spiritu parentum sine oratione confidit, qui quasi transfusa hæreditarie virtute superbit: satis non est hæredem fuisse magnorum, ni orationibus hæreditatem exornes, & magna de precum auxilio patres. Nec Giezi sine spiritu puerum excitat, nec Elisæus accepto adhuc spiritu sine oratione profunda fontium nudat. O quot ictus, ni orasset, repetere fuisset opus! Oratione tamen perfecit, quod sine auxilio precum non valuit.

---

§. XXIX.

Virtutis euertitur regnum, dum plures improbum ad iniquitatem iniere consortium.

VItium virtuti semper aduersum est: pugnat cum castitate luxuria, cum liberalitate 121.
auaritia, ingluuies cum temperantia: verùm dum quodlibet seorsim vitiorum aggreditur, virtus immota non semel perstat; imò & superior gloriosè triumphat: si tamen improba scelestorum concordia, ac detestandum fœdus quasi manu facta virtutem oppugnet, miserè fere semper prosternit. Quam bene Seneca epistol. 7. Senec. *Facile transitur ad plures.* *Subducendus populo est tener animus, & parum tenax recti: facile transitur ad plures: Socrati, Catoni, & Lælio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset: adeò nemo nostrum, qui maximè concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest.* Satis est vnum, aut aliud exemplum, vt luxuriam doceat, vt auaritiam suadeat: comes delicatus robur paulatim eneruat, & constantiam emollit: vicinus diues insanam cupiditatem irritat, talis voluptatibus addictus, quantumuis candido & simplici comiti affricat rubiginem suam. Quid ergo erit, si publicè fiat impetuosus conatus, ac in bonos mores irruat multorum adsultus. Profectò quos marini vortices non terruerunt, quod vita sæpè miracula confirmarunt, pessimorum concordia sic exemplis, & sermonibus: vincit, vt in colorem suum vertat, proruatque faciat. Testatur Caleb, dum sociorum concordiam in detrahendo promissæ terræ, totius populi corda asserit liquefecisse: *Fratres mei, qui ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi.* Populus, ne ad promissionis terram transeat, marinis vorticum voluminibus impeditur, instat tamen, virgæque suffragio per ima gurgitum puluerulentus incedit: occurrunt hostes, sed fortiter depræliatus nobiles reportat triumphos, euertitque penitus aduersarios: Iericunthini muri O altitudine elati, & arte ad speciem inuincibiles casum fore laborem suadent: nec cœptis desistit Hebræus, sed clamoribus subruit muros, verùm cùm exploratores monstra mentiuntur, & nescio quæ figmenta ad terrorem architectantur, & populi euigoratur valentia, & penitus naufragatur constantia: *Dissoluerunt*, inquit, *cor populi.* Ecqua huius causa? Quia conuenerant in malitia, & illorum peracta concordia fortitudini, constantiæque fuit violentissima pestilentia. Adest Tostatus quæst. 6. Tostat. *Rabbi Sa dicit, quòd exploratores inter se conuenerant in itinere, vt mala nunciarent de terra illa.* Conuenerunt plures, vt terram monstris scatentem, suorúmque deuoratricem asserent, & quos marini vortices, quos laboriosi viarum anfractus pedem non fecerant retulisse, improba exploratorum concordia in Ægyptum sese compulit remeasse: maiorem passus est stragem populus à pessima exploratorum vnione, quàm à difficultatum illuuie:

vniri

vniti exploratores dissoluunt corda, quando ipsa rerum arduitas animos indebat ad magna.

122\. Deus, dum Iobum alloquẽt Leuiathan partes Job 41.v.14. describeret, *Membra*, inquit, *carnium eius cohærentia sibi*. In virtutem armatur; sed eius armatura præcipua hæc membrorum cohærentia. Ita Gregor. Gregorius lib. 34. moral. cap. 4. *Diuinus sermo in eo membra carnium sibimet cohærentia memorat: sic namque peruersa vnanimiter sentiunt, vt nulla contra se vicissim disputatione diuidantur. Nulla eos diuersitatis altercatio tunc scindit, & idcirco contra bonos vehementer præualent, quia in malo se concorditer tenent*: Credibilem ad speciem sententiam faciunt, dum omnium suffragiis fultam ostendunt, dum Leuiathan vnitis amico fœdere membris dogmata proponit falsissima, & pessima procudit exempla, omnes in errores trahit, quia verum faciendúmque credunt, quod sic concorditer factum, & affirmatum aspiciunt: vt optabilis est bonorum in virtutis operibus vnio, sic malorum in prauis detestanda confœderatio: nam quos vitia fœditate deterrent, iam vnione quodammodò honestata permulcent, consequitúrque pessima improborum concordia, quod nec eloquens voluptatum suadebat lingua: *Contra bonos vehementer præualent, quia in malo se concorditer tenent.*

123\. Moyses Hebræorum populum deposcebat exolui, Pharao obstinatissimè resistebat: de virga omnipotentiæ æmula prodeunt sæculis retro inuisa miracula: Sol intempestiuè contraxit lucem, crepitantis ruit grandinis cum igne admixtæ tempestas: ibi, quæ ab ingenio discrepant, contra naturam amica, præter legémque associata: aër importunis tenebris sordescebat, ranarum illuuies raucissimis aures clamoribus verberabat: cessit vel inuita durities: iam Hebræi capiebant iter alacriter, cùm se gradientibus marini fluctus opponunt, & ad antiquam redire seruitutem compellunt. Quid tunc Moyses? Aquas verberat, & ab se inuicem separari verExod. 14, v.21. bere percussas cogit: *Cùm extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisáque est aqua.* Basilius Seleuciensis orat. 9. expendit anteà tot miraculis Pharaonem minimè periisse, nec post vorticum diuisionem Seleuc. durasse: *Nec istius vindicta cursus ante potuit abrumpi, quàm virga percussum mare his iter, illis sepulchrum fuit.* Nondum extinguitur Pharao, nondum plena populi libertas relucet, dum sordidi turbidissimíque vniuntur amicè fluctus; at iam diuisi & Pharaoni dignum minitantur naufragium, & populo ad promissionis terram iter patet expeditum. Iam in fluctibus adunatis iniquorum signari concordiam docet vbi suprà Gregor. Gregorius: *Eripiuntur iusti, dum diuiduntur iniusti, & electorum vota ad perfectum perueniunt, dum reproborũ agmina per discordiã refunduntur: quod benè etiam maris rubri scissione designatur: dum enim in duas partes vnda diuiditur, ab electo populo ad terram repromissionis tenditur: quia dum malorum vnitas scinditur, bonæ mentes ad hoc, quod appetunt, perducuntur*: dum nondum scissa vnio, premitur populus, & persistit duritie tantis verberatus plagis Ægyptius: quasi nec ipsa miracula vnitos potuerint euertere, aut iustos ab vnitis fluctibus liberare; verùm dum praua scissa est concordia virtutis processibus [illegible] via: Pharaon extinctus est diuisione, qui contra miracula pugnauerat vnitate. Iam idem in virtutibus noueris accidisse: laudabilis namque iustorum concordia sæuissimi truculentiam tyranni calcat, & de pœnarum agmine triumphat.

Nabuchod. ille, qui nec dormiens vanitatem sopiebat, animo depingit imaginem, nec distulit, quæ interiori delinearat phantasia, exteriore cumulatiùs perficere industria: statuam construit arte & metallis operosissimam, & sensibus carenti, artificúmque studiosa operositate conflatæ diuinos cultus, frequentiáque thura insanus iubet offerri. Vicina fornax flammis horrendum quid ebullientibus plures obedire coëgit: quia plus vitam maluerunt tegere, quàm veritatem amare; verùm tres pueri conditionales regis minas derident, & flammas ob religionis tutelam pati ambitiosissimè gestiunt. Suam religionem obnixa deuotione custodiunt, corporis salutem despiciunt: rex barbarus indignatione suadente nimia crudelitate pueros flammis tradi imperat vstulandos; sed ô admirandum incendium! ô spectaculum Deo dignum! Inter flammas rosculenti hymnum Deo concinunt securissimi: ignium globuli fidei virtutem reueriti pueris contra naturam adulabantur: accesserunt tremuli, vt deuotè soluerent compeditos, ac luminibus coronarent illæsos: *Ecce video*, exclamat impius, *quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est.* Et cur allambit flamma, quos deglutiendos tradiderat ira? Quia concorditer vna deuotione conuenerant, & quasi ore eodem hymnos decantabant: quos ergo salutaris protegebat concordia, nec vstulare potuit fornacis audacia. Adest Zeno Veronensis serm. 4. & 5. de tribus puer. *Tribus in pueris fides puniri non timuit; immissis camino ignis exæstuans detulit, vt eos vnius virtutis esse persensit.* Addit serm. 5. *Trinitatis Sacramento præmuniti, vnitatis vna fide solidi, æqualitate pares, passionis victoria gloriosi.* Ecce quos ignis sensit vnitos, non potuit detriumphare ligatos; imò vbi iactati sunt in fornacem ignis ardentis, cupidus deuotè ignis excepit, & blandientes flammæ lamberunt roscidos, quos acceperant vstulandos. Mira res! vnio procudit sibi inter stridentes flammas opacitatem: non potuit malitia subuertere, quos vnio didicit custodire: tantæ sunt vel in malo, vel in bono vires concordiæ, tanta vnionis efficacia, tanta confœderationis valentia.

124\. (Daniel. 3. v. 91.; Zeno Veron.)

125\. Paulò imminebat mors, quam vt industriè Actor. 23. v. 6. effugeret, exclamauit sic in cõcilio: *De spe, & resurrectione mortuorum ego iudicor.* Hac voce prolata cùm illorum plures Pharisæi essent, qui resurrectionem testabantur; alij Sadducæi, qui cæci abnegabant, facta est inter eos diuisio, & de diuisione melior iam Pauli causa: *Facta est*, inquit, *diuisio inter Pharisæos & Sadducæos, & soluta est multitudo.* Veritas de peruersorum dispersibat concordia, Paulo procudit salutem rixa: veritas cœpit vigere, vbi cœpit vnio peruersorum scindi. Opportunè, vbi suprà, Gregorius Gregor. Magnus: *Cùm in duas partes tumultuantium multitudo diuiditur, Paulo via ereptionis aperitur: quia quem turba persequentium vnita constrinxerat, diuisa laxabat.* Occubuisset Paulus, ni aduersariorum anteà concordia occubuisset: veritas confundebatur de vnione, morti Paulus tradebatur veridicus: & quidem dedisset pœnas, ni

ni populus ab inuicem separatus: omnes diaboli machinationes euertit diuisio, & omnes veritatis vires improbitatis triumphabat anteà adunatio. Quæsiuit Paulus prudentissimè diuisionis potum: quia vnionis ineuitabile sustinebat naufragium. Plures adunati in vitio, quidquid volent, temeritate infelici audebunt, & infortunato adipiscentur successu: dum vnionis vires suppetierint vitio, & virtutis corruet regnum, & vigebit iniquitatis dominium. Exploratores dum impiè adunati, populi peruertunt animum, & ignobiliter degenerare quodammodò compellunt studium: *Dissoluerunt cor populi.*

126. Furens idololatriæ libido Aaronem vrget, quo vitulos sibi construat: paruit ille improborum imperio, ne Sacerdotis multaretur officio: vitulum conflauit, & columella elatum populo adorandum proposuit; verum qui criminis fauore fastigium dignitatis inscenderat, citissimè cinerescit, & flammis vstulantibus traditus sordet: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem.* Componamus celerrimam huius vituli stragem cum vitulis illis à Ieroboam affabre factis: *Excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra ascendere in Ierusalem.* Hos vitulos tam citò in puluerem redactos non lego; imò multis temporibus adseruatos adspicio: secundo namque Paralip. 13. adhuc durasse refertur: *Habetis grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Ieroboam in deos.* Et cur hi duo vituli longiùs, quam vitulus ille, durarint? Hos durabilis auri defendebat materia; sed eadem illum auri obarmabat constantia: si ergo scelus vitulum illum primum adeò citò valuit euertere, cur hos non didicit expugnare? Forsitan quia de simili studio, de vnionis fœdere sic armati, vt multo tempore durarint illæsi: vitulus ille Aaronicus vnione destitutus vtpotè singularis; at Ieroboami vituli amico fœdere vniti se inuicem defendebant, & contra virtutis vires durabant. Huc voco quod aliorsum aiebat Cassiodorus 10. var. 23. *Desiderabilis potest vnanimitas permanere, nunc est potius quod regna coniungat promissio sacra, & votiua concordia.* Votiua concordia etsi solum in virtute desiderabilis eas vires sortitur, & quodammodò vel in scelere sit inuincibilis: durant de concordia vituli, ille de singularitate nec valuit resistere, nec diu potuit permanere.

Exod. 32. v. 20.

3. Reg. 12. v. 28.

2. Par. 13. v. 8.

Cassiodor.

---

§. XXX.

Magna pernicies Reipublicæ, si quos elegit ad virtutis suffragium, vitiorum patiatur auxilium.

127. **F**Asces accipimus, scribit Cassiodor. 12. var. 2. *vt graues esse debeamus: tribunalia conscendimus, vt morum gradibus euehamur: nil vile, nil cupidum iudices decet: claras enim suas maculas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliqua reprehensione sordescunt... sit in nobis frons libera, vt aliorum possimus emendare peccata: æquat crimen omnes, quos inquinat, & ideò dissimilis ab accusato debet esse, qui iudicat.* Æquus iudex eligitur ad Reipublicæ conseruationis auxilium: & quidem dum noxiis terror, morigeris est suffragium: sub modesto iudice floret iustitia, sub venalitate viget libera fronte insolentia: si priuatos inquinauerit culpa, adhuc morbis adhiberi poterit medicina; at si medicus pestilenti humore fuerit attaminatus, dum asciscitur in salutis subsidium, mortis inuenitur augmentum, & laboratur grauiùs quàm damno, de adhibito infirmitati remedio: si rapinas exercuerit priuatus, iusta querela appellabit ad iudices; at si in ipsis tribunalibus vigeat rapina, æquitatis prorsus peribit causa: corrupti iudices ciuitatis sunt pestes, & quod in priuato morbus, in ministro reperitur excidium: *Rege incolumi,* scribit Seneca epist. 114. *mens omnibus vna est; amisso rupere fidem: rex noster est animus, hoc incolumi cætera manent in officio, parent, & obtemperant; cum ille paulum vacillauit, simul dubitat; cum verò cessit voluptati, artes quoque eius, actúsque marcent, & omnis ex languido, fluxóque conatus est.* Non nocet hanc aut illam passionem aduersus æquitatem & iustitiam insurgere, si animus incorrupte ius proferat, & in officio passiones contineat; verùm si ipse animus impotens, & passionum socius, iam tota affectuum respublica manufacta æquitatem oppugnat, & rationem pugnacissime dehonestat: *Cum honesta intuetur,* addit Stoicus, *salutem sibi commissi corporis curat, & nihil imperat turpe, nihil sordidum; vbi vero impotens, cupidus, delicatus est, transit in nomen detestabile ac dirum, & fit tyrannus, tunc illum excipiunt affectus impotentes.* Quam lugenda æquitatis causa, vbi quem desiderabat rectorem, animum inuenit voluptate prorsus corruptum, & prauitate vitiatum. *Quis ferat,* scribit Cassiod. 2. var. 19. *in domesticis præsidijs locum fuisse periculis, & ibi inuenisse dulcis vitæ exitum, vnde noscitur debuerat defensionis auxilium?* Quod igitur respectu hominis accidit, & in Republica euenit: si electi ad virtutis æquitatisque tutelam integri & incorrupti, floret iustitia, & priuata euincit obstacula; verùm si æquitatis, iustitiæque tutores vitiis subornati deflectant, iam quod erat virtutis suffragium, communi malo in vitiorum transit auxilium. Audi Calebum Iosue pro sibi promissa hæreditate interpellantem: *Fratres mei, qui ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi, & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.* Multa vulnera accepit ab impietate populus; hoc verò præ aliis cor dissoluit, & vitam prorsus abscidit: nullus ex illis, qui in Ægypto signa viderant, promissionis terram præter Iosue, & Calebum post longos itineris labores possedit: quia timor ignauus, & murmuratio impediuit. Testatur oraculum: *Omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa, quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices; nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum: nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur illam.* Cùm brutalem illum Deum magno auri dispendio conflant ad viginti tria millia cadunt de populo: *Ceciderunt in die illa quasi viginti tria millia de populo.* Cùm venenatis serpentibus lacerantur, plures; sed non omnes dolore morsus occumbunt; hic verò omnis prorsus multitudo vastatur, erroribusque desertorū proiicitur. Ecqua huius diuersitatis est causa? Quia alibi, respondebit Calebus, fors

Cassiodor.

Crimē æquat omnes, quos inquinat.

Senec.

Rex humanarum actionum animus.

Animus vitys inseruiens tyrannus est.

Cassiodor.

Aliquando in ipso salutis suffragio inueniri solet periculum.

Num. 14. v. 22.

Exod. 32. v. 28.

fors pro vitio turba; hîc verò, qui ad referendam veritatē electi, falsitate quidē corrupti: non potuerunt non populi corda feriri, dū electi ministri optimā terram conati sunt detractionibus infamare: *Qui ascenderant dissoluerunt cor populi:* dum ad veritatem enunciandam electi, mendacio ac falsitate corrupti; cunctorum corda vulnerantur vt constaret lethalem omnibus esse plagam, electos pro veritate veritatis existere corruptelam.
Abulens. Adest Abulensis quæst.6. *Dissoluerunt cor populi, id est, fecerunt timere totum populum: est sensus quod ante hoc totus Israel erat confortatus ad introeundum in terram Chanaan credens hostes leuiter subijciendos eis; cum autem exploratores dixerunt populum esse procera statura, & quòd non possent pugnare contra eos, totus populus extimuit nimis, & liquefactum est cor eius, atque iņ dolorem, & murmurationem versi sunt.* Elegerat populus exploratores ad telluris declarandum ingenium: cùm ergo falsitate corrupti, qui ad veritatem electi, totus populus cor amitit, & extremæ calamitatis fuit causa electos ad æquitatis auxilium timori, & falsitati fuisse suffragium.

118. Serpens vtpote astutia animalia cætera supergressus, vt totum hominum genus consulente inuidia ad terram deiecerit, Euam in sententiam
Gen 3.v 1. suam trahere est studiosissimè adortus: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus: qui dixit ad mulierem.* Mulierem fallere non tam serpentis prudentia, quàm ignominia, mulier conditione fragilis, mentis perspicacia debilis, quæ, & facile possit eludi, & apparentibus falli. Quæ ergo eximia serpentis astutia in mulieris fraude? Sane maxima: quia opportunissima media elegit, vt finem consequeretur intentum, & casum perficeret exoptatum: mulier námque in
Gen 2.v.18. hominis adiutorium contracta: *Faciamus ei adiutorium simile sibi:* dum ergo efficta in adiutorium: fraudis efficit instrumentum, genus corrumpit humanum, omnibúsque vniuersale procurat excidium: si per seipsum dæmon fraudem concinnasset, fori non adeò stragem vniuersalem hominibus attulisset; imò maneret victus, & triumpho Adamus gloriosus; verùm dum hominis adiutorium ad iniquitatis peruertit auxilium, miserandum toti generi adfert
Basil. Seleuc. naufragium. Adest Basilius orat.3. *Quid agis mulier? Iussa es virum fouere, & ad insidias peruenisti? formata es in vitæ societatem, & mortis conciliatrix inuenta es? Vt membrum sumpta es, & vt sagitta missa es?* Ecce miserandam totius humani generis stragem conciliatricem vitæ, auxiliatricem dæmonis euasisse, dum ad indebitos vsus auxilij adulteratur causa, vniuersalis homines depressit ruina: parum non esset, si priuatus quis fraudulentissimi, veternosique serpentis partes suscepisset; at cùm Eua in hominis auxilium creata arboris lenociniis, serpentis fallaciis, inuidiæque ambitionis corrupta, nil potuit inueniri firmum, nil labe non deprauatum. O quam experientia comprobata doctrina! Profectò si Reipublicæ fulcra firma, quantumuis pars hæc, aut illa labatur, adhuc perstat ædificium; verùm elocatis columnis, quibus innititur machina, iam omnes opprimet Samsonis industria. Querebatur Seneca epist.97. hanc Reipublicæ accidisse miseriam, scilicet vitium contra virtutem triumphasse, criminaque nullo rubore suffusa; sed impunè omnibus frequentata: quia censores æquitatis corrupti, & pecuniā castitatis vindices deprauati. *Credat aliquis pecuniam esse versatam in* Senec.
eo iudicio, in quo reus erat Clodius: ob id adulterium, quod cum Cæsaris vxore in aperto commiserat, violatis religionibus eius sacrificij, quod pro populo fieri dicitur, sic submotis extra conspectum omnibus viris, vt picturæ quóque masculorum animalium contegantur. Atqui dati iudicibus nummi sunt, & quod hac etiamnum pactione turpius est, stupra insuper matronarum, & adolescentulorum nobilium salarij loco exacta sunt: minus crimine, quàm absolutione peccatum est: adulterij reus adulteria diuisit, nec antè fuit de salute securus, quàm similes sui iudices suos reddidit... Quicquam fuisse corruptius illis moribus Olim adulteria frequentissima.
credis, quibus libido non sacris inhiberi, non iudicijs poterat: quibus in ea ipsa quæstione, quæ extra ordinem senatusconsulto exercebatur plusquam quærebatur, admissum est: quærebatur an post adulterium aliquis posset tutus esse: apparuit sine adulterio tutum esse non posse. En quos mores aluerit iudicum corruptela: en ministrorum prauitas fecit pro virtute vitium inoleuisse, pudoréque turpitudini debito pudicitiam aspergi, & virtutem ordine inuerso confundi. Quantumuis Clodius peccasset, si æquitatis iudices integerrimi, moribus floreret Respublica: esset enim pœna ob adulterium inflicta morbis adeò pestilentibus opportuna medela; verùm dum Consules, dum ministri, dum iudices turpitudinis euasere patroni, mores optimi Reipublicæ perierunt prorsus extincti. Addiderim non semel minus obesse probis moribus sæuientium aduersariorum, dæmonúmque fraudulentas artes, quàm obiit pro salute Reipublicæ dicati ministri peruersio, & in contrariam partem inclinatio.

Cùm Dauid summis Saulem, & Rempu- 129.
blicam officiis sibi obstrinxisset, ea Saulis pectore inuidentiæ exarsit flamma, vt nullatenus pateretur quiescere; sed in beneficium, Reipublicæque salutem decreuerit insanire. Saul dæmonis, suísque viribus confœderatis telum contorquet in Dauidem, quem præsentem nouerat, quò adeò sibi inuisum inimicum abstulerit: *Inuasit Spiritus Dei malus Saul, & prophe-* 1.Reg.18. v.10.
tabat in medio domus suæ; Dauid autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies, tenebátque Saul lanceam, & misit eam putans, quòd configere posset Dauid cum pariete. Verùm cùm expectatione teli per insidias iacti prorsus maneret frustratus, aliò vertit animum, & exosum sibi valde de medio tollere contentiosiùs adlaborat, filium Ionatham alloquitur, & mortis artificem efficere satagit studiosissime: *Locutus* 1.Reg.19. v.1.
est autem Saul ad Ionatham filium suum; & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid: porrò Ionathas filius Saul diligebat Dauid valdè. O improbitatem obcæcatam! si occidere discupit, cur Ionathæ fœdum adeò facinus committere gestit? Si dæmonis auxilio fultus, & peruersis machinationibus instigatus Dauidem nequiuit tollere hasta per insidias contorta, quid iubet Ionatham in Dauidem armari, sanguinémque sitire? Suppeténtne Ionathæ validiores vires, quam dæmoni? Iaciat Ionathas hastam indigna fraudulentia, inuisáque obsidione D[illegible]m imperat. Sane frustrabitur desiderio, q[illegible]

quidem Saul ipse hoc etiam in cassum iam vsus est artificio. Ad hæc seruos suos in Dauidem armat vtpotè inuidentiæ participes, æquitatis hostes; rem tamen Ionatham celat, vtpotè qui Dauidis partes inito fœdere susceperit tuendas, & salutem, vitámque conseruandas. Iam ante hæc Ionathas arctissimo fœdere Dauidis patronus fuerat constitutus: *Inierunt Dauid & Ionathas fœdus*: ergo pro salute & vita confœderatus imprudenter ad occisionem electus. Imò in hoc egregia Saulis proditur fraudulentia, & summa reperitur nequitia: ad odij tutelam vult deflectere vitæ medicinam, vt quod per dæmonis vires non potuit obtinere, per Ionatham faciliùs quiuerit impetrare. Et quidem si Ionathas improbis patris fuisset consiliis peruersus, Dauid forsitan periisset occisus, parum namque interest furat peruersitatis malitia, si incorrupta manserint salutis remedia; ast si in venenum transeant antidota, ineuitabilis est miseria, quando & à veneno emergit interitus, & pestilentior ab ipso antidoto casus. Innuit Abulensis quæst. 1. *Saul*, inquit, *commiserat mortem Dauid filio suo; ipse autem diligebat eum nimis.* Addit post pauca: *Quia diligebat Ionathas Dauid sicut seipsum, pugnaturus erat contra omnem hominem pro eo, sicut pro seipso.* Ecce pessime prudens Saulis contra inuisum sibi Dauidem desiderium, scilicet hostem ex defensore conflare, & ex patrono Dauidis aduersarium procudere: quod si impetrasset, acriùs quam per dæmonis vires in Dauidem præualuisset: nam cum Dauid ad Ionatham confugeret vti ad securum salutis portum, certum inueniret naufragium, & periret antidoto, dum fugeret perire veneno.

1. Regum 18. v. 3.

Ambros.

130. Cùm immanis hostis terribilis aspectu, immetata corporis mole, incessu horridus, vocéque terribilior. Israëlitarum phalangas arroganter lacesseret, nec in toto exercitu partes quis virtutis suscipere auderet, Dauid Dei zelo armatus certaminis prouocationem ad se rapit, & in truculentam humana facie belluam in arenam intrepidè prosilit: Saul propriis armis Dauidem loricat, & contra aduersarium munit: *Induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum loricá.* Dauid sub rusticitatis pastoritiæ cortice prudentissimus se experitur in otio, ne inexpertus periret in bello: cúmque se armis impeditum agnosceret, recusauit: *Non possum sic incedere, quia non vsum habeo, & deposuit ea.* Et quid audeat in truculentum hostem armis munitum, qui propriis armis grauatur? Profectò infelici auspicio aggreditur bellum, qui armorum repudiauit subsidium; imò hoc fuit non dubium victoriæ prognosticon, inquit Basilius Seleucienſ. orat. 15. Vidit quæ in vitæ auxilium arma deferebantur, esse certaminis certissima impedimenta, & qui gigantis despexerat armaturam, armorum suorum suspectam habuit tutelam: nil oberant Dauidi gigantis arma, vtpote virtuti clarissimè opposita, nocebant tamen plurimum sibi data in virtutis auxilia: quia virtutis inueniebantur impedimenta: ideò qui aliena non metuit, arma propria, vt quæ gestantem grauarent, prudentissimè extimuit. Audi Basilium: *Verum enim vero, cum Dauid regiè iuxta ac bellicè esset armatus, declarat Deus, vt nihil opus sit armis Deo bellum adiuuante: quare arma, tamquam victoriæ impedimenta Dauid exuit, recusat thoracem, galeam abijcit, scutum deponit, manum hasta liberat, bellicam stolam excutit.* O quàm indubiè fuisset Dauid aduersarij præda, si propria vires supprimeret armatura. Certè quæ grauabant, non erant Dauidi subsidia; sed præ suis vtiliora giganti arma. Proh miserum, si è virtutis armis virtuti emergant impedimenta; si in ipsa criminis medicina recrudescat intimior plaga.

1 Regum 17. v. 38.

Basil. Seleuc.

---

§. XXXI.

Mirum est, si fides rescindatur sæculo oppignerata, aut si impleatur Numini præstita.

Fides humanarum actionum anima, quando cuncti mortales fraudis auersantur fallacias, & violatæ fidei impatienter tolerare discunt iniurias: refractarius omnibus probatur aduersus, & dum eius actibus nulla firmitas inesse cognoscitur, iustis suspicionibus laborare sentitur: *Accessit meritis tuis*, scribebat Cassiodorus 5. variarum 40. *cunctis laudibus pretiosior fides, quam diuina diligunt, mortalia venerantur: nam inter mundi fluctuantes procellas vnde se humana fragilitas contineret, si nostris actibus mentis firmitas non adesset: hæc inter socios amicitiam seruat, hæc dominis pura integritate famulatur; hæc superna maiestati reuerentiam pia credulitate impendit, & si beneficium [illegible]sta rei latius quæris, immutabilis fidei est omne quod bene viuitur.* Hæc omnia profectò honestæ fidei congruenter aptantur, & pro digna actus firmitudine disponuntur; at quæ sæculo fides oppigneratur, non est seruanda, sed rescindenda; imò accedit laudibus huius fidei violatio: nam fidem eiusmodi auersantur diuina, & detestantur honesta: humana se fragilitas nullatenus continebit, si indignæ fidei inesse firmitatem constiterit: hæc fides, dum integrior, sibi & aliis perniciosior: verum ea humanis mentibus irrepsit lues, vt fidem nullatenus rescindant oppigneratam humanis, nec datam liberarint diuinis. Mirandus sanè Calebus, qui cum ex aliquorum sententia se sociorum fraudibus adiungere promisisset, postea prudenter resiluit, & se in castra veritatis recepit: *Fratres mei*, inquit, *qui ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi, & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum. Iurauitque Moyses in die illo dicens: Terra, quem calcauit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum: quia secutus es Dominum Deum meum.* In Hebræo habetur: *locutus sum ei iuxta cor meum* Sanè vt iustitiæ querela est, dignum irremuneratum relinquere, sic & vltra meritum muneribus adaugere. Calebus secutus est Dominum; fecit tamen quod ius & ratio consulebant: cur ergo tantis præmiis remuneratur, & præ aliis honoribus amplissimis adaugetur? Quia rem sanè insolitam, si Rabbinis credas, & à cæterorum vsu peregrinam aggressus est, datam scilicet sæculo fidem rescindere, & laudabili sententiam inconstantia mutare. Audi Abulensem quæst. 6. *Rabbi Salomon dicit, quod locutus fuit ei secundum cor suum, & non secundum os suum, in quo dicit quod exploratores duodecim inter se conuenerant in itinere, vt malè enuntiarent de terra illa, Caleb autem & Iosue, quamquam non intenderent*

131.

Cassiodor.

Cunctis laudibus pretiosior fides

Abulens.

Hebraic.

derent mala enunciare de terra; tamen timore mortis consenserunt in via alys dicentes quòd etiam ipsi detraherent: posteà autem non detraxerunt; sed enunciauerunt bona: ideò non locuti sunt secundum os suum, id est secundum quod ante promiserant. Timore compellente fidem suam Calebus malignis sociis oppignerauit, posteà verò meliora sapiens laudabiliter temerauit promissa, vt sequeretur honesta: adeóque hominibus arduum est datam sæculo fidem rescindere, vt Moyses veluti egregiæ virtutis facinus, & lautissimis cumulauerit præmiis, & dignis deprædicarit elogiis.

132. Componamus Pharaonis cum Iudæ fidem: Ascendebat nobilissimus ille Patriarcha ad tondendas oues, cùm Thamar deposito viduitatis habitu, & assumpto splendido velo sedit in biuio: meretricium simulat animum, cùm arcanum animo gerat mysterium: Iudas suspicatus scortum blanditiis allexit, & hœdo turpitudinis pretio promisso consensum non extorsit; sed facilè obtinuit: abiit tandem, & vt peruenit ad gregem, fidelissima solertia hœdum mittere festinauit: *Misit Iudas hœdum per pastorem suum Odollamitem*; (Genes. 38. v. 20.) imò cùm mulier non compareret, Iudas se promissis stetisse iactat, fidemque suam, ne aliquando temerata audiret, liberatam solutámque coram testibus euulgat: Ait Iudas: *Habeat sibi: certè mendacÿ arguere nos non potest: ego misi hœdum, quem promiseram, & tu non inuenisti eam.* Quam solicitè omnem fidei notam curauit detergere, & promissionem illæsam prorsus seruare! Transfer modò animum ad Pharaonem, qui flagellis diuinitus immissis percussus, semel, & iterum regiam fidem spopondit, séque hospites manumissurum promisit: (Exod. 9. v. 27.) *Misit Pharao, & vocauit Moysem, & Aaron dicens ad eos: Peccaui etiam nunc: Dominus iustus, & ego, & populus meus impÿ: orate Dominum, vt desinant tonitrua Dei, & grando, vt dimittam vos, & nequaquam hic vltra maneatis.* Moyses, vt erat ingenuus, maluit refractario credere, quàm peruicacis notam subire: palmas extendit ad cælum, & crucis habitu misericordiam implorat: se crucis dicauit angustiis, vt alienis leuamen afferret citiùs molestiis, verùm Pharao regiæ fidelitati inferre non dubitauit iniuriam, vt exitiosam sibi retinuerit iniustus prædam: *Ingrauatum est cor eius, & seruorum illius, & induratum nimis, nec dimisit filios Israel.* Expendamus, si placet, cur Iudas adeò anxiè fidem suam liberare soliciter, cum Pharao regiam fidelitatem nullatenus infamare timuerit? Regia fides, quæ liberaretur, dignior, & causa promissionis honestior: Iudæ promissio non adeò honestati congruens, & temperantiæ conueniens: cur ergo alter adeò solicitè fidem suam liberat, cùm alter fraudulentum animum prodat? Quia, vt exponit Lippomanus, hæc fides erat oppignerata sæculo, illa Deo: *Pro peccato carnis hœdus mittitur.* En non dimittitur populus pro regia seruanda fide, cum hœdus pro scortatione mittatur: maiori námque curæ est apud homines datam sæculo fidem seruare illæsam, quàm Domino oppigneratam; imò in hoc ipso Iudæ euentu notauit Lippomanus non curasse Iudam, an apud Deum sceleris foret arguendus; sed ne apud homines haberetur refractarius: (Lippoman.) *Notatur fides integritas ad proximos seruanda in promissis, cùm tam solicitus fuerit circa reddendum debitum pro opere fornicationis... Iudas hic magis de mendacio, quod non semper peccatum est ad mortem apud meretricem, vt ipse opinabatur, quàm de fornicatione, quæ semper est ad mortem apud Deum se reum haberi formidat.* (*Plus apud homines timetur nota, quam apud Deum culpa.*) O quàm timet Iudas apud homines reum violatæ fidei haberi, cum paruipendat fidem Dei legibus oppigneratam violare! omne studium erat, ne de irrito promisso haberetur contemptui, cùm nulla de perpetrato scelere vexaret cura, aut de fide Numini non seruata vrgeret molestia. Profectò Iudas humanos mores factis suis colorum instar depinxit: soliciti námque curamus, si quid hominibus spopondimus, illibatum seruare promissum, cùm nullatenus vereamur fidem Deo præstitam temerare, aut semel, & iterum iterata promissa scindere. Despexit Pharao fidem Numini præstitam temerare: curauit solicitè Iudas oppigneratam, vt rebatur, scorto implere.

Iacob Christi gessisse figuram nulli dubium: 133.
hunc post longos labores, post rigidos æstus semel, & iterum socer Labanus fefellit: promiserat filiam, varios masculatósque greges in laborum Iacobi præmium; sed generi labores potius nec promissis stetit, nec fracta fide semel & iterum imponere extimuit, *Immutasti*, exprobrat illi Iacob, *mercedem meam decem vicibus.* (Genes. 31. v. 41.) Vides sæpè sæpiùs datam Iacobo fidem violari: animaduerte modo impia religione promissa Herodiadis filiæ solui. Funestus accessit Herodi natalis dies, & cùm ad perniciem natus esset virtutis, natalitium celebrabat diem; quasi attulisset hominibus cumulum prosperitatis: ad maiorem natalis plausum Herodiadis filia maternos publicans, infracto corpore, surrectis in altum manibus, pedibus ad libidinis numeros motis ducens choreas, sibi adeò regis animum allexit, atque deuinxit, vt in illius optione præmium relinqueret, impiámque promissionem sacramento firmaret: *Die natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi: vnde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcúmque postulasset ab eo:* (Matth. 14. v. 6.) consilium iniuit puella cum matre, & vt à tali matre scelestum prodiit consilium: *Da mihi*, inquit, *hìc in disco caput Ioannis Baptistæ.* Proh detestandam audaciam! proh temeritatem sacrilegam! plus periuit, quàm superbia regis promiserat, & quàm multa regna valebant: postulatione audita, quàm fortasse ipse etiam Herodes fraude concinnauerat, promissis stetit, ne fidem videretur violare, aut in futurum differre: *Propter iuramentum, autem, & eos, qui pariter recumbebant, iussit dari.* (*Plus, citiúsque remuneratur rem apud sæculi vanum tripudii, quam laboriosissimè meritum.*) Inter ferculorum epulas, & generosi liquoris insanias impiè iuratur, & scelestius iuramentum impletur; verùm si puella immodestas ob choreas Ioannis caput infeliciter est adepta, cur Iacob tot prolixis sudoribus, tot anxiis ad greges custodiendos excubiis mercedem non impetrat dignam; sed sustinet sæpè sæpiùs mutatam? Vtrobique oppignerata fides: promisit namque Labanus, & Herodes etiam promisit: si ergo iste insanas promissiones impleuit, ne fides quæreretur violata, cur Labanus, & violatæ fidei aspernatur contemptum, & toties temerat iustè promissum? Facilis quæstionis solutio: Laban fidem oppigneratat virtuti; Herodes intemperantiæ: adeóque religiosi

fiunt homines in seruanda mundo fide, adeò in
promissis virtuti violandis faciles, vt nec He-
rodes ausus sit impia rescidisse promissa, nec
Labanus curauerit reddere virtuti præmia. Adest
Chrysost. Chrysostomus apud D.Thomam: *Testes habere*
periurationis formidant. Regiæ dignitatis pu-
tauit iniuriam obscœnis choreis non reddidisse
promissa, & impiæ puellæ citissimè impleuit
vota. Iacobus verò post mapalium labores, post
ardentes Solis æstus, post gelidos aquilonis ad-
fultus nec impetrare potuit promissa, nec valuit
implere vota. Chrysostomus apud Lippoma-
num sensit hic Christi Domini gessisse figuram:
Imago, inquit, *dilectionis Christi, quam erga*
Ecclesiam declarauit. Christum referebat Iaco-
bus Rachelem sibi despondens; sed Laban
Christo fidem violare non timuit; cum tamen
Herodes detestandam impudicæ puellæ implere
promissionis fidem curarit.

134. *Simile est regnum cælorum*, inquit Dominus,
homini Regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit
seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nole-
Mat.22.v.2. *bant venire.* Dum inuitarentur, venire pro-
miserant: nam si renuissent, nec appellarentur
inuitati, nec opportuno tempore per seruos
dicerentur asciti: ergo qui priùs honestius se
excusassent, turpius datam posteà disrupere fi-
dem: *Nolebant*, inquit, *venire.* Et cur non
timeant violatæ fidei opprobrium, & inconstan-
tiæ ludibrium? Vocabant, dicis, agri labores,
negotiationis commercia, & emptæ villæ ne-
gotia: plus tamen vrgebat oppignerata regi fi-
des, factaque promissio: quid ergo nec timent
Maiestati irrogare iniuriam, nec incurrere frau-
dis notam? Innuit textus, dum cælestis regni
describit similitudinem: rex iste Christus erat:
Christo ergo præstitam nullatenus verentur ru-
Gregor. pisse fidem. Ita Gregorius hom.38. in Euang.
& apud D.Thomam: *Deus Pater Deo filio nu-*
Chrysost. *ptias fecit.* Annuit etiam Chrysostom. hom.41.
in opere imperf. *Ergo quando misit seruos suos,*
iam inuitati prius erant. Iam se ad nuptiarum
venturos celebritatem promiserant, renuerunt
tamen, quantumuis temporis alliceret oppor-
tunitas, & deliciarum commoditas: vel cogente
nocte agri villæque noluerunt intermittere cu-
ras, cum regales detrectauerint ire ad mensas:
vt videas satis non esse hominibus, vt fidem
Deo seruarint tempore cogi, & honestis lucris
allici: cùm vt fidem hominibus datam seruent,
omni solertia depellere nitantur obstacula, ac
vincere impedimenta. Adest Iudas huius veri-
tatis infelicissimus testis: promisit Principibus
se illis proditurum magistrum; sed cùm pluri-
ma huius nequissimi adimpletionem impedi-
rent promissi, omni studio opportunitatem
quærebat, vt datam fidem Principibus libera-
Luc.22.v.6. ret, & veram Magistri fidem amitteret: *Abijt,*
& locutus est cum Principibus Sacerdotum, &
magistratibus, quemadmodum illum traderet eis:
& gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare,
& spopondit, & quærebat opportunitatem, vt
traderet illum sine turbis. Turba discipulo ad
fidei adimpletionem obstabat; nox inuitatos,
ne fidem frangerent, compellebat; & tamen
aduersus noctis impedimenta inuitati Domino
violauere fidem, cùm Iudas vel impeditus tur-
bis sacrilegam adimpleuerit promissionem: Iu-
das quærit opportunitatem, ne videatur refra-
ctarius; inuitatus vel occasione alliciente violat
promissionis fidem iniurius. O nimis verum!
rarus curat seruare fidem præstitam Deo, cùm
gestiant omnes datam non violare mundo. Audi
Theophylactum: *Hoc significat spopondit, hoc* Theophyl.
est perfectam promissionem, & pactum fecit: ini-
quam promissionem perfecit opere Iudas diffi-
cultatibus superatis; honestam inuitati ruperunt
vel allicientibus commodis.

---

§. XXXII.

Æternat regna dignorum remuneratio,
& iniquorum punitio.

PRæcipua regnorum fulcra nullis fortunæ 135.
varietatibus perturbanda non sunt ingentes
militum copiæ, aut innumera diuitiarum aug-
menta; sed virtutes, quibus nil æternius, nil
stabilius. Celebrata aliquando imperia, dum
criminum metas supergressa temporis excide-
runt momento, & stragem suam infelici sæculis
denunciauerunt excidio. Stat inconcussa vir-
tus, & quibus crebrò referitur fluctibus, soli-
diùs firmatur: euentus, & torui fortunæ vultus
solida non labefactant; sed ipsa oppugnatione
commendant. Inter sæuas ventorum procellas,
& minantia per momenta naufragia anchoræ
adinstar fundat rempublicam, qui studiosius
incumbit in egregiis virtutum facinoribus mu-
nerandis, & flagitiis dignè puniendis. Præmio
aluntur artes, & nutriuntur remuneratione vir-
tutes. Audi Theodohadum Regem 2. var.16. Cassiod.: *Nutriunt præmiorum exempla virtutes.*
Studij nostri est, P.C. remunerationem recto con-
ferre, & bonæ sedulos viros ad instituta meliora
fructu impensæ benignitatis accendere: nutriunt
enim præmiorum exempla virtutes, nec quisquam
est, qui non ad morum summa nitatur ascendere,
quando irremuneratum non relinquitur, quod
conscientia teste laudatur. Ardua gloriosè ten-
tantur, & faustissimè perficiuntur, vbi præmia
laborem emolliunt, & ad honesta vires accen-
dunt. Iam nocentium mulctam constat esse
salutis cautam: quia dum pestis arcetur, per sana
corpora non grassatur. *Clementer irascimur,*
aiebat Athalaricus rex 9. variar.18. *quando sola* Athalaric. *Clementer irascitur, qui sola vitia damnauit.*
vitia damnamus: crudeli desæuit ignauia, qui
feriato gladio vires inspirat delicto. Non est
salus in corpore, nisi quam membra participant:
nec floret salus, si vnius vitio tota corporis com-
pago laborat: nam tanta conuenientiæ vis est,
vt vnum vulnus membra omnia credas adurere,
quandoquidem de vnius damno cætera perspe-
xeris condolere. Contra gigantes immani cor-
poris proceritate diffusos bellum Calebus ag-
greditur, nec gelido timore concutitur; sed
spebus victoriæ certissimis prouocatur: *Da mihi* Iosue 14. v.12.
montem istum, in quo Enacim sunt, & vrbes
magnæ, atque munitæ. Et cur non timeat robu-
storum superbas vires? Ipse ait: *Fratres mei, qui*
ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi: &
ego nihilominus ego secutus sum Dominum Deum
meum... Concessit ergo Dominus vitam mihi:
quasi dicat: mihi Dominum secuto vitam est di-
largitus in præmium; cæteri verò fidei, reli-
gionique aduersantes citissimè experti sunt
mortem diffidentiæ supplicium: proiecit nám-
que Dominus in desertorum secessibus illorum
corpora: ergo da mihi depræliandi contra gi-
gantes

gantes licentiam: nec enim præualere quibunt contra adeò prouidenter administratam Rempublicam, in qua & duris delinquentes suppliciis mulctantur, & dignis probi remunerationibus afficiuntur. Hanc optimi regiminis œconomiam nec monstra gigantæa mole superba euertent: quia præmia & supplicia pro meritis dispensata contra hostiles incursus firmissima stabilis salutis sunt fulcra. Abul. *Cæteri fratres mei exploratores*, exponit Abulensis hic quæst. 7. *mortui sunt, & omnes alij coætanei, atque ætate iuniores data super eos sententia mortis; Dominus autem voluit me conseruare, cùm iam sim annorum octoginta quinque: in quo fuit singulare priuilegium.* Cæteri exploratores incusso metu populum deterruerunt; Calebus Domini partes secutus timidos & pauentes erexit, huic longissimæ, vegetæque salutis concessum est priuilegium; illis mortis est inflictum supplicium: hanc ergo Rempublicam, in qua virtutes remunerantur, & peccata digne puniuntur, nec milites euertent armati; imò nec præualebunt gigantes, quantumuis viribus sint robusti: nam quantumuis acribus fortunæ flatibus impetita, æternum durabit immota, vtpotè quam aduersus industrias inimicorum artes virtutis stabilit præmium, & sceleris fulcit supplicium.

136. Populum ad optatas sedes ducturus Dominus nubem veluti regale maiestatis solium delegit, Exod. 13. v. 21. quam in columnæ formam disposuit: *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis.* Profectò nubes columnæ imitari poterit formam; sed non referre constantiam: nam nubes contrariis sæpè ventorum flatibus circumacta rotatur, subtilibus compacta vaporibus, Solis sæpè ardore liquescit, innatæ leuitatis per aëra pennis librata, ac numquam consistens inuolat, & nubes firmitatem dicet columnæ? Fors nubis solum humanæ felicitatis inconstantiam coloribus miris depingit, quandoquidem regales throni tunc nubis adinstar dispareant, cùm æternitatem ad speciem promittebant columnæ. O quam innitimur leuibusquam fundamur fragilibus! Vel columna nubes est, quæ reflante vento aut dissoluitur, aut circumagitur, aut excutitur. Bene; sed abstrusiora venemur. Nubes hæc refractariis Ægyptiis aduersa illorum audaciam offusis morata est tenebris, & iactis adussit flammis; Hebræis verò tota lux, blandus splendor viam ostendit, & erroribus Exod. 14. v. 20. liberos ad dulces nidulos duxit: *Erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent:* nubes ergo indignos à dignis diuidens adeò stabilis contra acriùs adspirantes ventorum permanebit adsultus, vt columnæ fortitudinem referens hostiles frustretur semper conatus: parum firma consisteret, si tenebrosa solùm Ægyptios arceret; nondum stabilis, si placidis Hebræis viam splendoribus aperiret; ast dum aduersa pessimis, & dignis amica sic nubis didiscit ingenium, vt constantiæ retulerit symbolum: iam columna, quæ retro nubes: nam scelestorum firmata suppliciis, & stabilita dignorum præmiis: *Ecce effectus Angeli & columnæ: relatiuè* Caiet. *siquidem ad Ægyptios*, inquit Caietanus, *fuit nubes caliginis, & fuit obscuritas illuminatione cælesti suspensa quoad effectum lucendi, non absolutè; sed exercitui Pharaonis. Effectus autem columnæ relatiuè ad populum Israel dumtaxat fuit illuminare noctem illam.* Nubes lucet iustis, tenebrescit indignis: ideò columnæ adinstar stabilis perseuerat: quia quantumuis innata ingenij leuitate vacillet, iustorum præmiis fulcitur, & iniquorum mulctis firmatur. Non stabilis adeò esset rupes iniquorum auxilium, & iustorum scandalum, vt nubes iniquorum flagellum, & iustorum semper suffragium: quia rupes tunc nubis sortiretur naturam, & modò nubes rupis imitatur constantiam.

137. Thronum intuetur Ioannes ea firmitudine stabilitum, vt despexerit tempora, nec extimuerit temporum infortunia: *Sedenti in throno, &* Apoc. 5. v. 13. *agno: benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.* Agnus thronum possidet temporum nunquam lapsibus deterendum; sed ipsa diuturnitate firmandum. Et quæ huius inconcussæ firmitudinis causa est? Non solùm mansuetudinem agni ænigmate stantem retulisse; sed leonis decentem feritatem etiam adumbrasse: *Vicit leo*; dum curiosiùs Ioannes spectat, agnum sanguine intuetur respersum: *Vidi, & ecce agnum stantem*: sed leo, qui & agnus, & agnus, qui & leo: vbi ergo leonis feritati agnina iungitur mansuetudo, & agni humilitati leonis necessaria non semel miscetur toruitas, sic regnum stabilitur, vt nullis fortunæ impulsibus concutiatur: leo malos punivit, agnus bonos redemit, alterutrum sat non esset, vtrum profuit: Accipe Richardum Victorinum lib. 2. in Apocal. cap. 3. Richard. *Leonem audiuit in promissione, agnum vidit in exhibitione. Magna est differentia inter leonem & agnum: leo est magnus, agnus est paruus. Sed si vtrumque consideramus, vtrumque redemptorem nostrum comprobamus.* Attentiùs audienda, quæ subdit: *Leo malos puniendo, agnus bonos redimendo.* Ecce throni stabilitas malos adinstar leonis suppliciorum vngulis decerpsisse, bonos agni adinstar velleris cãdore adornasse. Non resplenderet throni firmitudo cumulatè perfecta, si solum agnus vestiret, nec si solum leo dilacceraret; cùm verò agnus bonos redimit, & leo flagitiosos punit, potestas in sæculorum sæcula stabilitur; sunt namque firmissima regnorum fulcra dignorum præmia, & scelestorum supplicia. *Vtrumque Redemptorem nostrum comprobamus: ipse est enim leo malos puniendo, agnus bonos redimendo.* Discant hanc Principes vtilissimam regiminis formam, si regnis suis æternam exoptauere constantiam. Discant etiam contrariam fore nocentissimam politiam, si aut leones desæuierint in dignos, aut agni damnanda mansuetudine pertulerint scelestos.

138. Nabuchod. turgidissimæ præsũptionis ænigma arborem illam proceritate sua sibi ipsi minitantem somniat, nec sine metu intuetur præcidi ramos, folia discuti, fructus dispergi. Verùm quem obcæcatum tenebat vanitas, resipiscere non suasit arboris deiecta proceritas: iterum somno indulgens statuam leui lapilli ictu prostratam videt, & correctionis medelam detorsit improbus in amentis furoris insaniam: statuam construit, & Numinis imperium auro expugnare molitur: tres illi decantatissimi iuuenes Regis conditionales minas animosè contemnunt, & ne sordidissimis idololatriæ seruierint culpis, horrendum anhelantibus concepta fiducia traduntur flammis: illic quasi per amœnos gurgites incedebant, & quibus puritas contulerat reuerentiam, ardor non inferebat iniuriam: ignis vaporibus

vaporibus viam quærens regios vstulauit ministros, cùm auræ mutuatus ingenium roscido splendore coronauerit pueros: *Erupit & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis:* (Dan. 3. v. 49.) tunc Nabuchod. æternum Numinis testatur imperium: *Regnum eius regnum sempiternum, & potestas eius in generationem, & generationem.* Inquiramus si placet, cur modò regnum sempiternum agnouerit, qui anteà insanus oppugnare nisus est regnum? Cur huius imperij stabilitatem nec de arboris excidio doctus, nec de imaginis euersione eruditus, modò deprædicet? Fallar, ni imperij æternitatem agnouerit, quia vidit iustos splendoribus redimitos, nebulones ardoribus vstulatos. Viderat antea superbam plantam excisam, statuam spectarat euersam; sed non viderat dignos luminibus coronatos: ideò anteà sceptra non credebat æterna; modò vtrumque intuetur; iustos scilicet luce fulgentissima redimitos, procaces crepitantibus flammis adustos: ideò modò regnum deprædicauit æternum, & sceptrum nunquam temporum detrimenta sensurum. *O magna potentia Dei*, exclamat Zeno Veronensis serm. 5. de Daniele, (Zeno Veron.) *incensores incendio concremati sunt, & qui incensi sunt, incendio suo superstites triumphatores de camino procedunt.* Anteà visa fuerant solùm delictorum supplicia; modò meritorum visa sunt præmia: ideò anteà barbarus potentiam durasuram non credidit, & modò æternam deprædicauit: sunt namque regnorum nullis concutienda casibus fulcra dignorum præmia, & iniquorum supplicia.

---

§. XXXIII.

Magnum virtutis præmium posteros habere felices; & doloris exaggeratio, habere felicitatis prorsus exortes.

139. AMor non semel innata hominibus ambitione miscetur, & ambitio insolita naturæ prolis dilectione exacuitur. Itaque his duabus alis inuolare perniciùs didicerunt semper affectus: amant homines & memoriam posteritati æternare, & anhelant suos apicibus dignitatum lucere: affectus euanidæ huius gloriolæ sic flatu serpentis humanis visceribus inspiratus adhæsit, vt faciliùs sit naturam denudare, quam hanc gloriæ anxiam cupiditatem depellere. *Conuenta statim illi mulier*, scribit Tertullianus lib. (Tertull.) de patient. cap. 5. *non temerè dixerim, per colloquium ipsum eius afflata est spiritu impatientia* (*Mulier tacendi impatiens.*) *infecta. Quid? non sustinuit sola conuenta; sed apud Adam nondum maritum, nondum aures sibi debentem impatiens etiam tacendi est, ac traducem illum eius, quod à malo hauserat, fecit. Perit igitur & alius homo per impatientiam alterius: perijt mox & ipse per impatientiam suam vtrobique commissam, & circa Dei præmonitionem, & circa Diaboli circumscriptionē illam seruare, hanc refutare non sustinens.* Vides ex Tertulliano gloriolæ amorem non facilè refutari; imò ipsi naturæ amori admisceri. Ergo quod à vitio stultissimè homines exambierunt, à virtute feliciter impetrarunt: ob crimen & honore, & prolis amplitudine sunt mulctati; virtus tamen parentes in filiis ignorari non patitur, dum maiorum felicitatem posterorum gloria cumulatiùs adauget, & dignitatum fastigiis copiosiùs implet. *Quid* Patres conscripti, *de vobis iudicemus*, scribit Athalaricus 9. var. 32. (Cassiodor.) *expendite, cum ad summarum culmina dignitatum germinis vestri viros, quos nunquam vidimus, eligamus, non fastidio negligentiæ; sed honorabili præsumptione naturæ.* Addit posteà eodem styli lepore: *Rerum causa semper in semine sunt, fructus editus prodit auctores, & quidquid à diuinitate meremur, de felici prole colligitur.* (*Fructus editus prodit auctorem.*) *Hinc est quòd Patritium Venantium sub admiratione pensemus, & fœcunda prole gaudentem, & Consularibus parem: educauit enim liberos nulla discretione laudandos, pondere moderationis æquales, ingenij viuacitate consimiles, & morum societate verè germanos.* Venantius sanè in æuum fortunatissimus, vtpotè qui de felici posteritate & honestè lucretur gloriam, & immortalem sibi elaborauerit famam. Moyses etiam, vt egregiam Calebi constantiam dignis muneribus honoraret, Hebronem sub iuramento promisit: non solùm ab ipso; sed à posteris possidendum, illorúmque nomini dedicandum. *Iurauit Moyses in die illo dicens: Terra, quam calcauit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum: quia secutus es Dominum Deum meum.* O fortunatam prolem de patris virtutibus coronandam! O felicem patrem de sobolis virtute gaudentem, & de æternis dignitatibus exultantem! Audi Abulensem quæst. *In hoc significatur magnum beneficium ipsi Caleb conferendum: quia non solùm certificabatur quòd ipse possideret; sed etiam quòd relinqueret posteros hæredes, & progenies eius duraret per multa tempora; & istud est magnum gaudium parentum, scilicet relinquere natos maximè cum sibi succedunt.* (Abulens.) Magna Calebi felicitas partes suscepisse virtutis, deuictis gigantibus gloriosis coronari triumphis, fœcundisque ditescere prædiis; cumulatiùs tamen resplenduit, cum filios didicit æternandos, dignísque virtutibus & dignitatibus adaugendos: non enim perfectè cumulata resplendet parentum felicitas, si prolis, aut eius felicitatis corda solicitarit dubietas: *Istud est magnum gaudium parentum, scilicet relinquere natos, maximè cùm sibi succedunt.*

Iam infelices videre filios adeò parentibus acre est, vt si gloria doloris capax, aut ibi necessaria patientia huic dolori procuranda, & calamitati quærenda. 140. Adest diues ille purpuratus, qui gehennali inuidentia turgens, & præ ignis liuoris adustus flammis Abrahami felicitatem, & Lazari requiem interpellare artificiosa malignitate contendit: leuat oculos importunè, quos infaustè olim depresserat, vt præpostera malitia & alibi de oculorum demissione cumularit reatum, & alibi incrementarit de eleuatione supplicium: felix, si ad medelam pauperis leuasset aspectum, & sanè minùs infaustus, si in gehenna depressisset obtutum; at dum inuertit intempestiuus oculorum actiones, sibi nouas excudit pœnas, & architectatur culpas: ergo, vt aiebam, oculos sursum erigens vidit Abraham, & Lazarum in sinu eius. Quid tunc? Pietatem simulat, cùm odium animo gerat: & ipse clamans, dixit: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* (Luc. 16. v. 3.) Chrysologus huius profundæ malitiæ ingenij acumine perscrutatus technas, asserit non tam flamma, quam inuidia torqueri: *Vt video,* (Chrysol.) inquit

inquit serm. 122. *quod agit diues non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui, & zelo magis incendium, quam gehenna.* Inuidet diues & Lazaro & Abrahamo, vtque vtriusque felicitatem infuscet, alterum molitur auellere, & gestit patrem alterum appellare : vt saltem, dum generis exaggerat clamore elato miseriam, patris inquietarit fortunam : hanc ergo intentionem diuitis fuisse, ipsa Abrahami responsio non obscurè indicat : Recordare fili, quia recepisti bona in vita
Chrysolog. tua. Ad hæc Chrysologus serm. 123. *Voco filium, vt in me mea patientia & in te tua maneat pœna.* Ecce vel in ipsa beatitudine patientiæ asciscit Abrahamus suffragium, cùm gehennale filij intuetur supplicium : nulla profectò doloris aut patientiæ causa beatis : eò namque delibuti lætantur gaudio, vt nec leui alicuius infortunij tangantur sensu; verùm si quid eius felicitatem quiuerit perturbare, esset profectò spectare posteros, summè miseros, flammisque nunquam morituris depastos : patientiæ, si fas est dicere, opus est Abrahamo, dum miserrimas filij vices aspexit : eóque diues liuore exarsit, vt Abrahamum parentem dixerit, non quo pietatem mouerit; sed quò parentis felicitatem, vt vt poterat, obscuraret : *Quod agit diues, non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui.*

141. Deus hominem fingit amplæ facultatis hæredem : recogita illum totum occupatum, ac imagini conformandæ addictum : sensus vigilat, mens studet, manus adlaborat, affectio ductat lineamenta, & omnipotentiæ consummat opera : vidit dæmon hominem non egentem vtero, non maternis in visceribus embrionem; sed Dei consiliis perfectè efformatum, & fictum, & ad inuidiam excitatus est : mulierem adit, & cum animus æstuaret odio, labia diffluebant humanissimo lenocinio : humanitatem simulat, cùm ad cædem accurrat, & commiserationis obtentu conatur hominem cum artifice suo committere : per latus hominis structuram subruere inceptat, & infeliciter assecutus studium, homini excitauit naufragium; iam tantarum diuitiarum dominus inuestis figulo suo astitit, & ficulneæ foliis, quod antea pudori indebitum, protegere festinauit. Hoc in statu generis erant parentes, cùm Deus plasmatis sui miseratus errores ad arrigendum currebat : *Cùm au-*
Genes.3.v.8. *dissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius.* Interpretes vocis venantur modum, & temporis scrutantur mysterium. Basilius Seleuciensis vocem lamento adsimilem, illi scilicet, quod occumbens in cruce edidit, suspica-
Seleuc. tur; *Adam, Adam vbi es?* scribit orat. 3. *ex immenso amore compellatio lamento adsimilis.* Consonat Oleaster ad litteram : *Loquitur Scriptura,*
Oleaster. inquit, *de Deo ad modum magni domini, qui in æstiuo tempore solet hortum adire, cum iam ventus cœperit flare, ad refrigerium.* In cruce sitit repudiauit refrigerium; hic refrigerij ad speciem asciscit auxilium : priùs pectus lamentis percutit horto, quàm ligno. Ecqua huius causa est? Vidisse similitudinem suam, Adamum scilicet omnipotentiæ primogenitum, egestate oppressum, criminibus denigratum, tribulis ac spinis addictum : minùs vices suas in crucem actus doluisse videtur, & plus Adami calamitates sentire conspicitur. O quàm vehemens amori dolor proles infausta, & fortunæ sagittis icta!

Nudus Adamus culpis subiectus, ac laboribus mancipatus adeò intimum ad speciem Deo dolorem attulit, vt animi sensum exertis clamoribus vaporarit, auræque refrigerium quæsierit. Iam è contra natorum felicitatem summam afferre voluptatem parentibus frequens sacræ Scripturæ testatur pagina, & sæculorum exempla. Audi Valerium Maximum lib. 5. cap. 7. de patrum amore & indulgentia in liberos : *Ario-* Valer. Max.
barzanes filio suo Cappadociæ regno cessit Cneij Pompeij, cuius cùm tribunal conscendisset, inuitatúque ab eo in curuli sedem consedisset, postquam filium in cornu Scribæ inferiorem fortuna sua locum obtinentem conspexit, non sustinuit infra se collocatum intueri, sed protinus sella descendit, & diadema in caput eius transtulit, hortarique cœpit, vt eò transiret, vnde ipse surrexerat. Exciderunt lachrymæ iuueni : cohorruit corpus, dilapsum diadema est, nec quo iussus erat, progredi potuit : quodque pene fidem veritatis excedit, lætus erat, qui regnum deponebat, tristis cui dabatur. Vterque rectè & Ariobarzanes & filius; hic quia patrem diademate coronati gestiebat, ille quia regni gloriam filio procurabat. O quàm lætus patri dies, quo filium vidit ad regni culmen euectum, & regali purpura ornatum.

Thamar viduitatis vestem deposuit, æstiualia induit, semet decorè concinnat, & qua Iudas 142.
transiturus, vianti sedet obiecta ille visam mulierem facie velatam suspicatus est meretricem. Proh fœminarum artes! velamen pudoris ornatum iam detorsere ad libidinis indicium : interpellat eam Iudas, poscit ingressum, séque promittit missurum donum : illa promissi expetit pignus magis illo contempta quam pretio : quia non tam carnis requirebat delitias, quam non violatæ pudicitiæ exambiebat argumenta : quæ celauerat faciem, non celat ventrem, imò de prole læta protendit notitiam & captat honestissimè gloriam. Hoc facto eximias virtutes tradit Zeno Veronensis coluisse sermone de Iu-
da : *Thamar,* inquit, *cùm esset in domo patris sui,* Zeno.
id est, in templis, in ambulisque spectaculorum omnium locis, vestem viduitatis deposuit, id est, ordinde religionis sordidos ritus abiecit : æstiualia induit. Æstiua vestis, fratres, & munda est, & expedita, cum qua facilè & opus fieri possit, & tolerari ardor æstatis, id est, tentationis, quam ipse vti, ne credulitatem non potest dubitari : quia hanc qui habuerit, necesse est vt expeditè viuat, & mundè. Itaque hoc facto Thamar abnegauit impietatem, coluit pudicitiam : quod ergo huius egregij facinoris præmium? Filios quidem habere felices : ecce instanti partu gemini reperiuntur, quorum quisque eximij honoris decoratur insigni : Zara nondum lucem intuitus, & iam purpura refulget ornatus : Phares regum pater oritur, & primogenituram possidens inuidetur. O felicem matrem, quæ plures vidit filios parentum stemmatibus dignos, imò & parentum gloriam nobiliter supergressos : *In ipsa,* inquit, Genes. 38. v. 27.
effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum dicens : Iste egredietur prior : ille verò retrahente manum egressus est alter. Ni manum arcano mysterio retraxisset, Phares seruus nasceretur, ni misisset Zara, non micaret purpuratus; ac dum mittit, & retrahit, & ipse purpuram, & frater maioris potitur gloriam, quo vtriusque pignoris felicitas matris cumulatius incrementauerit gaudium, ac signarit myste

Lippoman. mysterium. Adest Lippomanus: *Hora partus obstetrix deprehendit geminos nascituros: tam Deo placuit desiderium piæ mulieris, quod, & idem concesserat, vt pro vno duos filios pariter dederit: Atque in ipsa effusione infantium vnus protulit manũ, in qua obstetrix ligauit coccinum.* Hieron. Annuit Hieronymus: *Hoc nomen interpretatur oriens: siue igitur quia primus apparuit, siue quod plurimi iusti ex eo nati sunt, vt in libro Paralipomen. continetur.* Zara iustorum pater exoritur, Phares ad regalem honorem nascitur. Ita Diod. Diodorus apud Lippomanum: *Deus ipsi Phares tribuit Principatum, ex quo genus regium profectum est.* Vterque filius dignitatibus ortus pium matris honorauit studium, nobilitauitque desiderium: magnum námque erat filios habere nulla discretione laudandos, ponderé moderationis æquales, ingenij viuacitate consimiles, & morum societate verè germanos. O quàm repetere posset Cassiodorus loco citato: Cassiodor. *Quidquid in illa fœmina gratia diuina concessit, integra perfectione transmissum cernas in posteros. iactent se alij possessione locupleti, summúmque putent bonas solas esse diuitias; in hac autem domo non tantùm patrimonijs; sed & virtutibus aditur hereditas.* Si homines ornat semel accepisse palmatam, qualis illa censenda est, quæ tot meretur in filiis consulatus? Felix Rebecca, quæ suscepit Iacobum regalibus vestibus insigniendum; sed felicior Thamar, quæ alteri non abstulit, quem alteri mutuaret ornatum; sed regali dignitati vtrumque peperit filium. Magna igitur Caleb gloria dignos relinquere hæredes, & possessione prædiuites.

§. XXXIV.

Patitur quæ indecorè timet inertia, triumphat quæ honestè spernit, audacia.

143. Senec. *Honestum semper securum, & expeditum.* VIrtus, scribit Stoicus epist.74. *conuenientia constat: omnia opera eius cum ipsa concordant, & congruunt, hæc concordia perit, si animus, quem excelsum oportet esse, luctu, aut desiderio submittitur: inhonesta est omnis trepidatio, & solicitudo, & nullo actu pigritia: honestum enim securum, & expeditum est, interritum est, in procinctu stat.* Verè dixit: acerrima námque virtus humani periculi auida, honestéque contemptrix; ignauus torpor, & turpis imbecillitas sic timore iacet illaqueata, vt ad honesta opera nullatenus prodire quiuerit expedita. Quid ergo? non patietur virtus quid perturbationi simile? non abscedet vultu color, non refrigescent artus, aut solicitus agitabitur oculus? Profectò sapiens non semel patitur quæ cæco inconsultóque impetu naturæ geruntur: præualet tamen ratio pericula calcanda, & potiùs naturæ, vitæque, quàm æquitati deficiendum demonstrans. *Stultus ipsum quod facit, de contumacia deperdit.* *Omnia, quæ facienda erunt,* addit Stoicus, *audacter faciet, & promptè: hoc enim stultitiæ proprium quis non dixerit, ignauè, & contumaciter facere, quæ facit, & alio corpus impellere, alio animum, distrahique inter diuersissimos motus: si verò aliquod timetur malum, eò perinde dum expectatur, quasi venisset, vrgetur: & quidquid ne patiatur, timet, iam* Metus patitur quæ timet. *metu patitur.* Vt in corporibus futuri non semel languoris signa præcedunt, dum neruis inest segnitia, dum sine labore premit lassitudo, sic infirmus animus, antequam quatiatur malis, metu premitur, & dum præsumit sæua, infaustè asciscit, nec semel quæ indecora fuga vitare festinat, imprudenter accelerat: intrepidus animus virtutis ductum secutus, dum contemptor mortis exerto pectore tendit, ipsam mortem, eiúsque appendices labores de animositate fugat, de constantia eliminat. Adest huius veritatis Caleb testis sine exceptione dignissimus: nam cum aliis associatus exploratum promissionis terram delegaretur, honestè intrepidus proceras gigantum moles testatus est facillimè proterendas, gloriosissiméque triumphandas: *Neque timeatis populum terræ huius: quia sicut panem ita eos possumus deuorare*; alij verò inertissimo otio indulgentes, propriæque inertiæ adulantes monstra horribilia de genere gigantæo terram illam defendere sunt testati, in quæ mouere bella temeritatis esset audacia, & certissima audaciæ pœna: *Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos: populus quem aspeximus, procera statura est: ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere gigantæo:* quibus comparati quasi locustæ *videbamur*. Vides cæteros detrectare bella mortis horrore; Calebum tamen pericula despexisse intrepida mentis alacritate. Vide etiam ignaui timoris, & honestæ finem audaciæ: Caleb monstrorum detriumphator in sæculum vixit: *Iurauit Moyses in die illo dicens: Terra, quam calcauit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum: quia secutus es Dominum Deum meum: concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est, vsque in præsentem diem.* Solus Caleb, & quem alloquebatur, Iosue de illo exploratorum numero superstites; cæteri in deserto consumpti, vitáque priuati: *Non videbunt,* minatur Dominus, *terram, pro qua iuraui patribus eorum: nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam: seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc... in solitudine hac iacebunt cadauera vestra.* Ecce Caleb quæ animosè aggreditur, fugat pericula; cùm cæteri, quæ ignauè timebant, accersiuerint sibi damna: torpent detrectantes bella, ne à tellure deuorentur consumpti, & ipso timore iacent in solitudine deiecti: quæ conatur fugere, pericula asciscit ignauia, & Caleb, dum animosè intrepidéque despicit aduersarios, æternos sibi lucratur triumphos. Vixit ille superstes tellure deuoratrice: illi, quam ignauè timent, mortem sibi ipsa pigritia elaborant: vt vera sit nostra thesis, pati scilicet, quæ indecorè timet, pigritiam: triumphare quæ honestè spernit, audaciam. Repetat ergo Seneca: *Quidquid ne patiatur timet, iam metu patitur.*

Num.14. v.9.

Num.13. v.34.

Componamus Moysem illum populi ducem cum tribus illis celeberrimis pueris, qui audacter regis contempserunt minas, ne discant perhorrescere flammas. Degebat Moyses in Arabiæ desertis gregis curam solicitè agens: illi Deus flammanti rubo conspicitur, & voce contra Pharaonem imperiali veluti tessera obarmat: ille multimodis nisus est extraxisse imperium, vt imminens propulsaret periculum: Deus imbecillem solatur, & antiqua odia penitus testatur extincta: *Reuertere in Ægyptum: mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.* Exod.4. v.19. 144.

Nondum

Nondum metu liber viam pedetentim carpebat, ne in hostiles falces inuolaret; verùm dum vitare studet, mortem incurrit: *Cùm esset in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Ecce Moyses, dum periculum ignauè timet, accersit, gladiúmque exacuit: torpet, marcet, ingredi remoratur Ægyptum, ne hostile patiatur ferrum, & incurrit ferrum: quia ignauè petit Ægyptum. *Quia Moyses*, inquit Theodoretus apud Lippoman. *Pharaonem formidabat, ac sæpè numero formidinem hanc declarauerat, modò dicens: Quis sum ego, vt eam ad Pharaonem regem Ægypti: modò, mitte alium, quem missurus es: & rursus: tenui voce, tardáque lingua ego sum: idcirco supplicium illi Angelus comminatur.* Sanè dum varias excusationis causas colorat, dum morosus tendit, dum indecorè fugit periculum, maius sibi accelerat damnum: timor gladium in se armauit, cùm ignauè gladium auertere studuit: vides Moysem de ignauia sibi accersiisse periculum: inspice modo pueros de digna honestáque temeritate sibi procudentes æternum gaudium. Cum Barbarus ille Nabuchod. obcæcata adeò extolleretur superbia, indignáque homine præcipitaretur audacia, vt se vti Deum adorandum proponeret, tres illi pueri sacrilegum adeò cultum respuerunt: Rex ebullientes horrendum flammas, & ad cælum vsque superbientes minatur: illi verò conceptâ animo digna fiducia conditionales regis minas excutiunt, & intrepidis rogum oculis intuentur, animóque virili martyrium exambiunt; verùm quibus puritas contulerat reuerentiam, ardor timuit inferre membris iniuriam: refuga flamma, dum timet sacris corporibus proximare: consumptis impiis ministris nouit dignissimè augeri: inuenit debitum sibi incrementumq; uia sacrum deglutire noluerat pabulum: *Ambulabant in medio flammæ laudantes Deum.* Ignis ardore sopito sanctos splendoribus rutilis coronauit, vt gloriosa ibi inuenirent trophæa, vbi intrepidi optanda aspernati fuerant pericula. Vicit fides modestè ausa, ignauia cinerescit adusta: cessere ignis globuli animi valentiam reueriti, virtutisque constantiam semper intrepidam venerati. Adest Veronensis Zeno serm.6. de trib. puer. *Illo præcipitantur insontes, ibidémque propter quem præcipitantur, inueniunt: denique excipiuntur non flamma; sed rore, Dei dignitate, non pœna. O felix supplicium, quod incolumitate superante immortalitas prosequitur, & corona!* Nigris videbantur ignibus vstulandi; sed de animi fiducia globulos proculcant gloriosi, & quod animosè contempserunt periculum, roscidæ auræ illis adulatum est refrigerium. Moysem timore, adursit discrimen pueri animo intrepido extinxerunt incendia. O quoties dum in vitiorum castra transfugæ excurrimus, ne imminentes virtuti labores sustineamus, ipsa indecora fuga miserrimè asciscimus, fugæque ignominiam augemus, Calebus sibi vitam digna animositate procudit: socij effugere conati mortem citarunt, fine laudéque sustinuerunt.

Theodor.

Dan.3.v.24.

Zeno.

415. Saül in campo armatorum disponit agmina, quo Philisthinorum eludat militares conatus, hostiléque retundat adsultus: gigas ille origine spurius, proceritate vanus, vanitate superbus Israëlitas omnes ad singulare certamen alte vociferans prouocabat; verùm atrox hominis aspectus, visus horridus, insolitúsque incessus sic Israëlitarum castra timore percellebat, vt quisque ante certamen palmam concederet aduersario, ac periculum propulsare indecoro fugæ conaretur auxilio: verùm cùm totus exercitus stationem desereret, ac Saül in tumultu esset, cum hoste congredi non ausus, ac virtutis causam, vt vitæ consuleret, nullatenus defendere aggressus: militem suum in aciem producit gratia, bellique ignarum giganti opponit bellicosissimo, ne quid victoriæ laudis armorum sibi atrogaret elegantia, aut certaminis experientia, Dauid mapalibus innutritus virtutis suscepit certamen, & gloriosam credidit sibi mortem, si pro honestate occumberet aggressus pugnam: *Omnes Israelitæ cùm vidissent virum, fugerunt à facie eius timentes eum valdè:* Dauid sauciatum regis animum sic persanat: *Ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.* Vides iuuenem ætatis ardore ad speciem nimis audentem, vides sibi pericula temeritatis ausibus procreantem, quando Saül, ne in Philisthinorum manus incideret, certamini se subducit. Et quis horum mortem sustinebit à Philisthæis? Humanus coniector salutem annunciabit Saüli, mortem Dauidi, quandoquidem iste temerè ad speciem ausus, ille cautè prudentissimus: Dauid erit Philisthinorum præda, Saulem Philisthinorum non lædet iniuria. O inconsultas hominum cogitationes! Dum Saul pro virtute congredi detrectat ignauus, quam modò fugit, in posterum mortem sibi procudit meticulosus; Dauid verò quam honestè despicit vitam, illustri produxit victoria: *Praualuit Dauid aduersus Philisthæum in funda, & lapide, percussúmque Philisthæum interfecit, &c. Interfecit eum, præciditque caput eius.* Ecce Philisthæi caput à Dauide præcisum: attende modò caput Saulis à Philisthinis sublatum: *Præciderunt caput Saul, & spoliauerunt eum armis.* Contrarios expectasses effectus, Dauid videlicet trucidandum, Saulem verò longè illæsum prorsus victurum; verùm quam timuit mortem, in posterum sibi reposuit ignauia, & quam honestò intrepidè certamini Dauid obtulit, durauit longissimè vita detriumphauit pastor, quem honestè viriliterque despexerat inimicum: triumphatur Saul: quia virtutem despiciens, vitæ consulens ignauè refugit aduersarium: *Cum nullus è toto exercitu probaretur satis*, scribit Basilius Seleuciensis orat.15. *essétque in periculo Saul, tunc militem suum producit in medium gratia verè regem factis declarans, dum pugnæ prouocationem ad se rapit, & oratione consauciatum Saulis animum præsanat.* Ipsum periculum in laudis gloriosum cessit augmentum, Saulique quod vitæ videbatur augmentum, infame mortis accersiuit supplicium: Dauid honesto rex inauguratur certamine; Saul ignauo exauguratur timore: verè Regem factis declarat gratia; vt noueris quod animosè despexit, Dauid detriumphasse monstrum, & quem ignauè expauit, Saulem Philisthinorum in se durum exacuisse gladium; Philisthæus à Dauide capite est detruncatus, Saul capite à Philisthinis diuisus.

1.Regum 17. v.24.

1.Reg.17. v.50.

1.Reg.31. v.19.

Seleuc.

§. XXXV.

Qui exambit magna & difficillima, opus est grauissima sustineat prælia.

146. QVisquis dignitatis fastigio eminuit, in se inuidiæ oculos auocauit: competitores habent excelsa, & quia omnes dura distorquet ambitio, omnes vexat in adipiscenda, tutandáque dignitate immodicus labor: *Nulli potest secura vita contingere*, scribit Seneca epist. 4. *qui de producenda nimis cogitat, qui inter magna bona multos Consules numerat: hoc quotidie meditare, vt possis æquo animo vitam relinquere, quam multi sic complectuntur, & tenent, quomodo qui à torrente rapiuntur, in spinas & aspera: fac itaque tibi iucundam vitam, omnem pro illa solicitudinem deponendo.* Lubrica sunt excelsa; imò quæ excelsa videntur, abrupta sæpe inueniuntur: mediocris fortuna, quia cupiditatis igniculos non iniecit, pacatior & securior vixit: qui præ aliis eminuit, quo inuidia spicula collimaret ostendit. *Nihil securum*, scribebat Cassiodor. 10. var. 28. *nihil poterit stabile reperiri, si semper inuidentium vota ad illicitas accedere permittantur insidias.* Et quis illicitas inuidentium vitare potest insidias, si fortunæ possederit opes superbas. Certè ad tuendam fortunam alia fortuna opus est: rebus superbissimis annexa sunt competitorum certamina, & ambitorum dissimili via simillima inueniuntur studia: prudens fortunam suam tutiorem reddet in planum deducendo, & inuisa omnibus magnitudine denudádo. *Lacedæmone Princeps*, scribit Plutarchus ad Principem, indoct. *adiecit regnantibus ephoros: hinc cum eum vxor insectaretur, quod imperium filijs relicturus esset, quàm accepisset, angustius; imò amplius, inquit, quanto firmius, siquidem, vbi vim eius immodicam remisit, simul cum inuidia declinauit periculum.* Itaque quò plus quis pollet, & plus timeat necessum est: dum enim pluribus imperitat, & plures etiam formidat: qui alta possidet, se aduersus omnium armarit studia: nam pessimus ambitionis consiliis durissima accinguntur in prælia: quidquid excelsum, iter habet difficultatibus plurimis impeditum. En Calebus cùm munitissimas, Hebronisque vertice sitas ciuitates exposcit, ad bellandum animi robur ostentat; & prudentissimè quidem: sciebat namque magnas vrbes gigantum armis defendi, & muris saxeis muniri: *Hodie octoginta quinque annorum sum, si valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum: da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus te quoque audiente, in quo Enacim sunt & vrbes magnæ, atque munitæ:* vtrumque coniunxit, Enacinos, hoc est, gigantes vrbes illas magnas inhabitare, & infractum sibi ad bellandum robur inesse. O quàm difficillima ambiebat prælia, qui celsiora cupiebat oppida! Montis apicem defendebant gigantes: humiliora montis staturæ communis homines: vrbium amplitudo studium excitauit Calebi, & Calebus, dum expetit magna, gigantem etiam sustinere cogitur prælia: *Nihil humile, nihil deiectum sanctus requirit*, scribit Glossa: *sed montem excelsum, in quo sunt ciuitates magnæ & munitæ.* Consonat Masius: *Quasi à re, quam ambit conditione argumentum ducat Calebus; quippe quæ sit einsmodi, vt etiamsi impetret, nihil nisi quod cum summa difficultate, periculis, laboribus coniunctum sit, accepisse videri possit:* Ostentauit vires, quia egregias nouit difficultates: montium culmina defendebant gigantum agmina, nec Calebus potuit exambire summa, nisi exercendo vires ad prælia.

Senec.

Iucunda vita, quam non diuexat solicitudo.

Cassiodor. Nihil securũ, si inuidentia obtendat insidias.

Plutarch.

Glossa.

Masius.

147. Cùm Dauid sub strictis papilionibus degeret, & campis armatus sæpiùs obnoctaret, aut quæ præ manibus habebatur, aquæ imbonitatem fastidiens, aut Bethlehemitici dulcedinem liquoris exambiens, in illas voces subitaneas prorumperet: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam:* tres militum sanè fortissimi per inuolantes hostium mucrones irrumpunt, & aquam Principi offerunt. Aquam hanc excellentiorem aliis tradit Abulensis quæst. 19. *Causa desiderij fortè fuit duplex: prima quia non erat tam bona aqua in Ierusalem, sicut in Bethlehem; & istud erat in aliquo puteo speciali: quod patet, quia dixit: De cisterna, quæ est iuxta portam, & sic illa erat excellentior omnibus aquis, quæ erant in Bethlehem; & sic etiam erat excellentior alteris Ierusalem.* Quid tunc? *Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid.* Hostilibus se mucronibus non sine temeritatis nota obiecerunt, vt haurirent aquam vitæ periculis, quo regiis adularentur cupediis: excellentior cæteris: aqua armatorum custodiebatur agminibus, & opus erat aspernari quodammodo vitam, qui afferre anhelabat vndam: fontes alij, vtpotè non adeò dulcedine saporati, nec aquæ subtilitate conspicui ambitores tam arduam nullatenus cogebant ad pugnam: illa verò aquæ cisterna, quia excellentior, armorum opponebat desideranti custodiam: per hostiles falces, per strictos enses irrumpere, & inuolare fuit opus, vt excellentiori vnda Dauidis potiretur affectus: quisquis conatur magna, & sustinere cogitur prælia. Rosa purpuream venustatem aculeorum spiculis armata custodit, & dum manus audet rapere pulchritudinem, necessum est lancinata tribulis effuderit antea sanguinem; quicquid egregium accuratè etiam seruatur, & dum ambitionis temeritas nititur semper in celsum, non semel sibi solicitat præcipitium: prudenter ergo Calebus inuictas sibi veres inesse iactat: quia ciuitates montium verticibus sitas anhelat.

1. Reg. 23. v. 15.

Abulens.

148. Thronum elaborauit sibi Salomonis sapientia, cuius ascensus eleuabatur per gradus, sedilis manus duo leones prolixa iuba, & horrida vultu muniebant: leunculi duodecim reliquos gradus veluti in excubiis seruabant; *Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte posteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas, & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde.* Aliis gradibus leunculos statuit, in summo verò leones constituit: quod si discriminis rationem inquiras, ea se offert, celsiora scilicet maiori semper solicitudine custodiri. Profectò primum gradum tenere volenti, cum leunculis confli-

3 Reg. 10. v. 18.

gendum

gendum erat; at exambienti summum cum leonibus, eisque validissimis decertandum, exercuit cum altitudine altitudinis etiam custodia, & cum celsitudine celsitudinis etiam tutela: exambienti altiora, duriora etiam minabantur certamina, infimum, aut medium gradum nondum adulta defendebat ferocia; supremum impauida semper tutabatur audacia; imò putarim non omnes leunculos æquâ staturâ conflatos; sed pro graduum discrimine inæquali gradatim constare mole. Itaque primum gradum exiguus leunculus custodiebat, secundum iam tantisper maior seruabat, vt pro ascensus differentia leunculorum etiam cresceret statura, quousque ad torosos & validissimos perueniretur leones tanto reliquos vultus honore superantes, quanto & gradus aliis altitudine præcedentes: *In eo throno*, scribit noster Sanctius, *in quo præcipuè apparebat regia maiestas, & ex quo populus sui nominis terrorem ostentabat, leones expressit Salomon quasi vigiles, atque custodes, qui regis tuerentur auctoritatem.* Excelsa dignitas toruis leonibus obarmatur, & feris audacibus custoditur. Quam impauidas vires pectore fouere necessum erat excelsa throni petenti, & sedile aureum desideranti. Egregiè fallitur, & stultissimè sibi imponit, qui obtinere magna sine difficultate promittit: non datur conscendere excelsa, nisi per ardua, & prærupta.

Sanctius.

143. Hæc fortassis stultitiæ Luciferi sugillatio. Sapientiam obscurauit, quia altitudinem sine certaminibus exambiuit: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis.* Sapientiam perdidit, qui non de certamine; sed de sessionis otio cogitauit: vtque noueris quàm acre in excelsa cupientem exarserit prædium; audi Ioannem Apocal. 12. *Factum est prælium magnum in cælo: Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone.* In copiosas inimicorum acies incurrit, qui sedere culmine stultissimus cogitauit: stultus probatur Lucifer, dum altitudinis studiosus ad prælium non processit armatus: minus errasset, si dixisset: *Ascendam super altitudinem nubium*; viriliter & strenuè pugnabo, & subticuisset illud *sedebo*: in armatorum agmina fuit opus incidere, cùm animo proposuit scandere: *Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone*: nec sine vero prælio, vel ambitum imaginatione fastigium: *Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone*: armatas inuenit manus, dum animo excogitauit ascensus. Adest Rupertus apud Glossam: *Factum est prælium: vbi? In cælo: per quod significabatur Ecclesia terra longè altior, terrenis hominibus, & terram sapientibus longè superior.* Accinit glossa moralis: *Per hoc significatur repressio dæmonum per Angelos sanctos.* Opportunior Haymo ibi: *Factum est prælium, quando in initio temporis diabolus per superbiam eiectus est è cælo.* Dum affectauit dæmon stultè solium, coactus est arduum aduersantium ac defendentium subire prælium: non datur alta sine pugna prehensare: quia omnes conantur dignitatum lumina custodire. Adde pro celsitudinis qualitate & hostile, & militare discrimen.

Isai. 14. v. 12. Apoc. 12. v. 4. Rupert. Glossa. Haymo.

150. Paradisi custodiæ Cherubim igneo gladio designatur munitus, ne vitæ fructus turpi manu sordesceret defloratus: *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Vides vno milite communiri paradisum, expende modo apud Isaiam pluribus defendi thronum: *Seraphim*, inquit, *stabant super illud.* Iam Seraphinos in tutelam throni obarmati docet Bernardus serm. 5. de verbis Isaiæ: *Quid enim æstimare vetat deiecto Lucifero ad peruigiles excubias Seraphim constitutos, sicut eiecto homine, teste Scriptura, Cherubim ad custodiam posuit Deus?* Paradisi felicitatem vnus Cherubim igneo armatus gladio custodit: Dei thronum vtpote augustiorem, fortunatioremque non vnus Cherubim: sed multi Seraphini defendunt: *Seraphim stabant super illud.* Profectò armati inuigilant ad excubias, vt hostilem arceant malignitatis prorsus audaciam: non potuit Lucifer ad sedentis thronum peruenire, quin phalangas armatorum militum sustineret: Angeli in ambitionis insurrexerunt audaciam, vt dignam temeritatis ambitioso infligerent pœnam: draco si insidietur paradiso, Cherubin sustinebit armatum; at iam non vnum tantùm; sed armatos plurimos, si celsiorem exambiat thronum: pro celsitudinis modo & custodiæ modus decernitur, & militum numerus obarmatur: creuit cum throni dignitate custodia: vt noueris altiora maiori cura seruari, maioribúsque difficultatibus obtineri: paradisus Angelum opponit armatum; celsior thronus ambienti obiectat exercitum: nam quò maior celsitudinis altitudo, & accuratior armatorum custodia, & solicitior tutela.

Gen. 3. v. 24. Isai. 6. v. 2. Bernard.

---

§. XXXVI.

Nullus in Dei militia, quantumuis ætate grandæuus positis virtutis armis feriatur: quia veteranus vel in ipso vitæ exitu ad honestissima bella accingitur.

CONFECTIS & miles stipendijs arma deponit, scribit Ambrosius lib. de viduis prope finem: *Et relicto officio, quod gerebat, ad propria veteranus rura dimittitur, vt & ipse exercita laboribus vita requiem consequatur, & alios spe futuræ quietis subeundis faciat operibus promptiores. Agricola quoque maturior torquendam alij stiuam committit, & iuuenili grauatus opere prouidentiam curæ senilis explorat.* Verum equidem: nam bellica stola, & militare quoduis authoramentum definitum temporis sortiuntur spatium: feriatur post exantlatos labores veteranus miles, & confecti legitimè certaminis captat gloriam, cùm viribus destitutus procedere nequit ad pugnam: maturior quoque, & annis grauatus agricola torquendam aliis committit stiuam, & iam quietus, ac honestè otiosus nouit potiùs agri labores docere, quos præ senectute non potest subire; at in virtutis gymnasio nunquam feriandi tempus, nunquam placidum quietis otium: quia adurget semper periculum. *Militia est*, aiebat strenuus quidem athleta, *vita hominis super terram.* Et dum hoc fruitur titulo, non datur feriari prælio: non est somni tempus; quia timor vrgere solet nocturnus: *Viro forti graue*

151. Ambros. Iob 7. v. 4.

Caſſiodor. *grane eſt ſic viuere*, ſcribit Caſſiodorus 10. variarum 29. *vt nec mortem poſſit implere.* *Vir fortis mortem implet.* Certè ſtultus audiuit, qui de fructuum copia ſibi bláditus iners affectauerat otium, & lautius ſibi promiſerat epulum. Non ſunt laboris honeſti induciæ: quia paratæ ſemper vrgent aduerſariorum inſidiæ. Senec. *In carcere*, ſcribit Seneca epiſtol. 24. *Socrates diſputauit: non intermiſit vel ſupplicio imminenti officium: Catonem narrabis: quidni ego narrem vltima illa nocte Platonis librum legentem poſito ad caput gladio? Duo hæc in rebus extremis inſtrumenta proſpexerat, alterum vt vellet mori, alterum vt poſſet.* Non deſtitit Cato tenorem ſuum vel inſtante morte ſeruare: nouit nullum tempus inerti deberi otio, & ideo vel vltimum vtili dicauit ſtudio: ſed quid referam Catonem aut Socratem, cùm habeam animi non fucata fortitudine; ſed vera virtute præſtantiorem Calebum? Octoginta ſe annos vixiſſe fatetur, & bella exambit, nec arma ſenio confectus deponit: *Hodie*, inquit, *octoginta quinque annorum ſum, ſic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum: illius in me temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat tam ad bellandum, quàm ad gradiendum: da ergo mihi montem iſtum, quem pollicitus eſt Dominus te quoque audiente: in quo Enacim ſunt, & vrbes magnæ, atque munitæ, ſi fortè ſit Dominus mecum, & potuero delere eos.* O indefeſſum animi robur, ô bellicoſiſſimum virum, qui nec de prolixo tempore affectauerit priuilegium, nec renunciatis certaminibus cupiuerit otium. Octogenarius in aduerſarios accingitur, arma premit, & noua bella diſponit. Quàm alius erat Calebus ab iis, qui annos religionis plurimos iactant, qui omni ſe religionis officio eximunt, qui vacare ſolùm diſcupiunt! vel in ipſo mortis confinio arduos abrupti montis tractus nititur ſuperare, & hoſtiles triumphare geſtit adſultus, iuueniles ad virtutis opera animi conſeruans conatus: Hugo. *Sic clauſtrales debent facere*, ſcribit Hugo, *ita ſcilicet feruenter, & potenter ſeruire Domino in ſenectute, vt in principio. Iob. 3. dicitur: Qui expectat mortem, & non venit, quaſi effodientes theſaurum, gaudéntque vehementer, cum inuenerint ſepulchrum. Hoc eſt contra illos, qui tantum in principio faciunt; itaque poſtea aut nihil aut parum poſſunt facere: hoc etiam eſt contra illos, qui in nouitate religionis feruent, & in ſenectute torpent, vel minus feruent.* Omnem prorſus Calebus vel in veteranis ſugillauit ignauiam, dum octogenarius difficilem pro virtute aggreſſus eſt pugnam: docuit ſuo facto nullo tempore inerter otiandum; ſed ſtudioſè virtutibus inſeruiendum.

152. Pſaltes, vt gratias pro beneficiis retulerit, iuſtos aſſerit ſcutulis coronatos, & coronis ipſis Pſ. 5. v. 15. protectos: *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* Profectò locutus inconcinnè cui videatur: nam corona victores exornat, ſcutum prælíantes armat: ſi ergo poſt bellicos ſudores triumphali corona ornantur, ſcuto ſuperuacaneè muniuntur, aut certè, ſi ſcutis opus, coronarum nondum eſt tempus: cur ergo diſertiſſimus Pſaltes vtrúmque coniungat, & ſcutum ad hoſtiles repellendos conatus, & coronam ad feliciter confectos honorandum conflictus. O vtilem nobis doctrinam! Docuit nunquam à certaminibus ita ceſſandum, vt animus feriari prorſus proponat; imò ipſa deberi corona armari, vt iam de conſummatione renaſcatur principium: exordialis finis ſecuritatem parturit, & inimicos deterret: corona vices agit ſcuti, vt agnouerit triumphali diademate coronatus omnes prorſus non amandatos conflictus: *Scutum rotundum ſolebat eſſe*, ſcribit Incognitus, Incognit. *& ſignificat coronam gloriæ, quæ victoribus, & triumphantibus datur: vnde apud Romanos antiquitus erat conſuetudo, quòd cùm reuertebantur de bellis victores, in ſignum victoriæ, & coronæ ſcutum rotundum ſuper caput portabant.* Annuit Euſebius in catena Pſalmor. apud Lippoman. Euſeb. *Finis bonorum ſperatæ hæreditatis eſt corona iuſtitiæ, quam conſequentur, qui iuxta ac Paulus dicere poſſunt: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Quod ſupereſt: repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ: hac enim corona bonæ voluntatis Deus nos vti voluit tanquam ſcuto ad protegendum nos aduerſus hoſtiles impetus, qui contra domeſticos illius inſurgunt.* Ipſa corona redimitos vocat in pugnam, ne de glorioſo triumpho periculoſam foueant ignauiam, aut tulerint ignominiam.

Cum Redemptor noſter excuſſa peccatorum caligine omnia antiquis ſplendoribus reſtitueret, nouamque in mundum politiam ingereret, 153. veſperam luminibus illuſtrauit: *Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre ſepulchrum.* Match. 28. v. 1. Chryſologus vt erat profundo ingenio, & vernanti ac florido ſtylo, animaduertit inconcinnè veſperi claritatem adſcribi: *Quid hic intelligit humanus ſenſus?* ſcribit ſerm. 75. *Quid hic humana ſapit ſapientia? Veſpere, quæ luceſcit: veſper finit, non inchoat diem: nec lucem parturit; ſed tenebras; ſed hic elementorum auctor elementorum vices mutat, vt in reſurrectione Domini totum diuinum ſentias, nil humanum.* Idem ſcripſerat ſerm. 74. Chryſolog. *Veſpera Sabbathi, hoc neſcit dies ſæculi, hoc non habet mundi vſus: veſper finit, non inchoat diem, tenebreſcit veſper, non luceſcit; non in auroram vertitur, quia lucis ortum ignorat: veſpera mater noctis parturit diem, mutat ordinem, dum agnoſcit auctorem: radiat de nouitate myſterium; anhelat creatori ſeruire, non tempori.* Profectò veſper, ſi tempori inſeruiret, languida luce, & radiis tepidiſſimis curſum finiret: imò fœdis tenebrarum horroribus lucem denigraret; verum quia non de ſæculi vſu; ſed de diuino myſterio, veſper matutini ſplendoris rutilat æmulus, qui debuerat tenebris ſordeſcere occiduus. *Anhelat*, inquit, *creatori ſeruire, non tempori:* temporis ignorant ſtatuta, neſciunt priuilegia, qui exhibere anhelant creatori ſeruitium, & præſtitiſſe cupiunt obſequium. Profectò dies iam poſt longas horas poſt lucis prolixa ſpatia quieſcere veſpere feſtinabat. Radij videbantur antiquo munere denudandi, & iam quaſi confecto itinere quieturi; verum quia hæc eſt dies, quam fecit Dominus, ſumit iterum de fine principium; & quæ tempore ſerotina, lux candicat de feruore nouella: ignorauit temporis priuilegium, vt cæli edoceret vſum: *Elementorum vices mutat, vt in reſurrectione Domini totum diuinum ſentias, nil humanum.* Quid humanum ſapit, qui de plurimis in virtute poſitis annis iam otium vti laborum ſtipendium exambit, & feriari prorſus geſtiuit: diem refert ſæculi, qui veſpere

vespere tenebrescit, cùm manè illuxerit; at qui diuinam refert œconomiam, tunc viuidiùs lucere anhelat, cùm tempus teporem luminibus generabat. Hinc censendi sunt aut sæculi, aut cæli dies; dies sæculi rutilo in exordio splendore micat; sed vespere tenebris sordescens occumbit; at cæli dies, quia creatori anhelat seruire, sumit de fine principium, & cùm tempori congrueret tepor, virtutem commendat fulgor.

154. Iob 29. v. 18. Iobus patientiæ norma aduersus laborum tædia propositi virilis produxit arma: *Dicebam: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* Profectò qui moritur, dies non ingeminat; sed finit: mors abscindit tempus, senectus vocat sepulchrum, longæuitas vicinum testatur feretrum: & quomodo Iobus repugnantia sibi coniungit? *In nidulo meo moriar,* inquit, *& sicut palma multiplicabo dies meos.* Aduersus mortem armatur, & in ipso exitu viuere gestit non tempori; sed virtuti: refert similitudine palmam, vt iuuenilis feruoris nunquam denigrauerit gloriam: si diligenter inquiras, à reliquis plantis palmam hac distare proprietate reperies: plantæ cæteræ, dum à terra pullulant, robustiores emergunt; tenuantur, cùm in cacumen assurgunt; at triumphalis arbor, dum vicinior ætheri, viridior floret, & robustior viret: hanc ergo plantam imitari discupit iustus, vt cùm tempus consulebat languere, ingenium viuidiùs consulat emicare. Tempestiuè Gregor. Magnus lib. 19. moral. cap. 16. *Habet quidem aliud palma, quò a cunctis arborum generibus differt: omnis namque arbor in suo robore iuxta terram vasta subsistit; sed crescendo superiùs angustatur, & quantò paulisper sublimior, tantò in altum subtilior redditur; palma verò minor ab imis inchoat, & iuxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit, & quæ tenuis ab imis proficit, vastior ad summa succrescit.* Palma, si longam proceritatem spectes, superiùs angustissimam iudicabis; verùm quæ virtus videbatur tractibus minuenda, ampliùs inuenitur augmentis firma: robustior viget in fine palma, nec ad cælum volatibus fatigatur; sed cælo vicinior validioribus viribus communitur: viridior palma in fine, quàm in principio, & ab aliarum plantarum vsu semota: quia iustorum symbolum, & consummatæ virtutis, perfectionisque est argumentum: *Minor ab imis inchoat, & iuxta ramos & fructus ampliori robore exurgit.* Non grauatur annis, vt ad terram senex inflectat ceruicem; sed quo annosior, & cælum versus assurgit erectior: Iobus ergo vel in ipso vitæ occasu palmam actionibus refert quia maiori ad virtutes conatu exurgit: finit dies, non finit virtutes: sepulchro conditur, & adhuc semisepultus virtute multiplicatur. Non est animus suadere adæquis ac iuuenes senes oneribus prægrauandos in iis, quæ vires corporales requirunt; imò senibus cura solertissima prouidendum, vtque ratio exigit commodum procurandum; sed docere in his, quæ animæ solùm vires requirunt, senes de temporis longæuitate non affectaturos præ iuuenibus priuilegium; sed virtuti subituros alacriter famulatum.

Gregor.

155. Abrahamum prolixis annis grauatum tentat Deus, & sacrificium de filio iubet offerre, nec domi; sed asperrimis montibus vult litare, celeri pede sacrificij locum, expansisque oculis stadium senex requirit, ligna holocausti dilecti pueri tergis imponit; sed nec ipse vacuus pergit: *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum; ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. Pergebant ergo pariter, & venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus.* Ecce sacram Numinis œconomiam: quia Isaacus ætate validior, & grauiori lignorum onere pressior; at quantumuis grandæuus pater, ignem & gladium tulit in manibus: æquis passibus ad obedientiæ obsequium contendit vterque, & senex annorum longitudine incuruus, & iuuenis annis florentibus validus. *Pergebant,* inquit, *pariter* dissimili onere; sed æquo studio: inuerteretur profectò ordo, si vegetus puer leue onus, scilicet ignem, & gladium tulisset, & centenarius senex struem lignorum portasset; at concinnior seruabatur, dum pondus materiale dissimile, & animi propositum parendi æquale. Adest Philo lib. de Cherubim: *An non vides quòd & sapiens ille Abraham, quando incepit iuxta Deum metiri omnia nihil creaturæ tribuens, accipit ad ignei gladij similitudinem ignem & gladium, resecare ac exurere quidquid mortale habebat, cupiens, vt expedita cogitatione filius sublimis ad Deum euolaret.* Isaacus exurere cupit quidquid in se inueniretur carnale, & Abrahamus longissimi æui senex consimili ardore resecare, ac exurere discupit, si quid virtuti inueniretur aduersum, aut saltem minùs concinnum. Disce ergo à Calebo & Abrahamo vel indefessa annorum longæuitate virtutis prensare viriliter arma, nec de nociuo senectutis priuilegio ignaua sectari otia: nam in Dei domo nullus, quantumuis ætate grandæuus positis virtutis armis feriatur; sed vel in ipso vitæ exitu ad noua prælia animosus accingitur.

Gen. 22. v. 6. & 9.

Philo.

§. XXXVII.

Nonnulli meritorum suffragio cacumen dignitatis inscendunt; sed impulsibus posteà superbiæ ruunt.

TRaiani celeberrimum dictum illud: *Sume dictationem: si bonus fuero, pro republica & me; si malus, pro republica in me*: testatur Cassiodorus 7. var. 13. Securus celsa conscenderat, quia se in minoribus sæpè approbarat, nec incerto procedebat vestigio, qui virtutum ad apicem ascendebat suffragio; verùm quæ videntur celsa, sic possidentibus sæpè prærupta, vt prudentissimus Imperator sibi non fisus Dictatorem in se delegerit, ac iudicem constituerit: veritus est, ne dignitatis lenocinio superbiæ fastu, adulatorum certamine, copia deliciarum molliter effœminaretur animus, & ab æquo deuiaret aspectus: periculosa sunt præcelsa culmina dignitatum: quia dum quis stultiùs credit adulationis mendaciis, miserandis patet ruinis. Qui fortunæ ludo, aut fauoris artibus peruenit ad alta non semel posteris calamitatis reliquit exempla; qui verò virtutibus suffragantibus dignitatis ornatur apicibus, prudentiam, temperantiamque assidentes; & consiliatrices asciscat, necessum est: aliter namque infortunatissimus ruet, dum virtutis præmia ad vanitatis, tumorisque detorquet suffragia. *Hominem se esse,* scribit Tertull. de Imperatore in Apolog. cap. 33. 156. Cassiodor. Tertull.

Tertull. *Qui alta possident, se diuinos delusi putant.* *etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur: suggeritur enim ei à tergo. Respice post te, hominem memento te. Et utique hoc magis gaudet, tanta se gloria coruscare, vt illi admonitio conditionis suæ sit necessaria. Minor erat, si tunc Deus diceretur, quia non verè diceretur; maior est, qui reuocatur, ne se Deum existimet.* Proh periculosum fastigium, vbi ad instar Lethææ aquæ sic dignitas ipsius naturæ delet memoriam, vt necessarium fuerit à tergo suppeditasse notitiam: *Maior est, qui reuocatur, ne se Deum existimet.* Profectò cerebrum mouet fortuna, & dum se quis cæteris altiorem videt, diuinitati se intrusisse ambitiosè contendit. De Pio Metello sic Valerius Maximus lib. 3. scribit:
Valer. *In Hispania aduentus suos ab hospitibus aris & thure excipi passum.* Refert Tacitus lib. 3. histor. Domitianum seipsum veluti Numen sacrasse:
Tacit. *Mox imperium adeptus, Ioui Custodi templum ingens, séque in sinu Dei sacrauit.* Quàm benè, & quàm verè aiebat Seneca, altos facillimè se tam magnos, quàm proiectissima excudit adulatio, credere, ac insolentissimè superbire.
Seneca. *Ignorauere*, ait lib. 6. de benefic. cap. 30. *vires suas, & dum se tam magnos, quam audiunt, credunt, attraxere superuacua, & in discrimen rerum omnium peruentura bella vtilem & necessariam rupere concordiam, secuti iram, quam nemo reuocabat, multorum sanguinem hauserunt fusuri nouissimè suum.* *Magnates se tam magnos, quàm audiunt, credunt.* Qui ante dignitatem modesti, post dignitatem vanissimi sæpe & turgidi: virtutibus quidem meruerant inscendere; elati verò meruerunt ignominiosè deponi. Hinc laudanda est Calebi prudentia, qui cùm sibi promissam dignitatem exposceret, veluti periculi præscius conditionem adiunxit: *Da mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, & vrbes magnæ atque munitæ, si fortè sit Dominus mecum, & potuero delere eos, sicut promisit mihi.* Sibi ad speciem opponitur, ipsaque relatione aut nutat fiducia, aut relucet imprudentia. Si montis celsitudinem Deus illi promisit: ait namque, *Sicut promisit mihi*, cur conditione illa posita: *si fortè sit Dominus mecum*, obscurat fidem, aut prodit dubitationem? Profectò Calebus de Numinis non dubitauit promissis; quia tamen nouit ad alta euectos indignos se reddidisse suffragiis, conditionem illam apponit, qua non promissi fidem infirmat: sed periculum dignitatis declarat. Quàm benè aiebat Cyrillus Alexandrinus ad
Cyrill. Theodosium: *Supremum humanæ gloriæ culmen, Christianissimi Imperatores, longè maximo discrimine cæteris omnibus antecellens præstánsque.* Qui præeminet dignitatibus, antecedit similiter discriminibus. Ergo Calebus non de ignobili diffidentia; sed conditionem addidit de sæculis frequenti notitia: quasi vereatur, ne culminis altitudine se indignum diuino præbeat auxilio, dum elationis inflatur vento.

157. Flagitabat populus sibi Regem: Dominus precibus annuit, & Saulémque inaugurandum Samuelem docuit: ille recusabat imperium; sed ipsa honesta humilitatis verecundia addebat electioni suffragium: eligitur cunctis celsior,
1. Reg. 10. v. 24. & cunctis ad speciem humilior: *Certè videtis*, ait Samuel, *quem elegerit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* Non multò post
1. Reg. 16. v. 1. electum Deus reiicit, & repudiatum fastidit: *Vsque quò tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israel.* Ecce Saul priuatam vitam agens dignus habitus est populi imperio, post culmen verò dignus inuenitur supplicio. Ecquæ huius causa? Quia anteà cùm adulationibus non pulsaretur, nec falleretur voluptatum deliciis, nec deliciarum fallaciis, studiosè virtutibus inseruiebat, se indignum dignitatibus arbitratus; at posteà ad apicem celsitudinis iam prouectus talem se credidit, qualem perpetuis adulationibus esse se audiuit: intumuit superbissimus de mendacio, qui electus fuerat de merito. *Nonne*, exprobrat Deus, *cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es, vnxitque te Dominus in Regem super Israel, & misit te Dominus in viam, & ait: Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos vsque ad internecionem eorum. Quare ergo non audisti vocem Domini; sed versus ad prædam es?* 1. Reg. 15. v. 17. Dignitatis altitudo de mentis arce prudentiam detrusit, diuitiarum sitim incendit, vt iam de culmine reprobaretur abiectus, qui ad culmen fuerat de virtutibus eleuatus. Adest Gregorius lib. 26. moralium, cap. 19. Gregor. *Saul ab humilitatis merito in tumorem superbiæ culmine potestatis excreuit; per humilitatem quippe prælatus est per superbiam reprobatus, Domino attestante, qui ait: Nonne cum esses paruulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel?* Paruulum se ante potestatem viderat; sed fultus temporali potentia iam se paruulum non videbat. Potentiæ flatibus sic ad elationis tumorem peruenit, vt seductus cæteris se eminentiorem putaret, nec iam decentem paruitatem aspiceret: in culmine dignus fuit morte, qui priuatus dignus fuit culmine. O quàm aduersa nobis sæpè concupiscimus! O quàm facilè euanidis, & caducissimis fallimur! Quia cæteris præeminebat, elatione cogitationis intumuit, & dum pro libito intuetur cuncta disponi, dum iussa velociter ad votum compleri, dum vel in malè gestis se experitur à quamplurimis dilaudari, sui oblitus se existimat maximum, & de superbia se ostendit indignissimum. O quàm palpitantibus præcordiis ac pauidis semper animis culmina sunt sapientibus possidenda: vt enim qui imbecillo sunt cerebro, si ex alto ad ima respiciant, obturbantur, vertiginémque patiuntur, sic ni prudentes, qui alta dignitatis occupant, vanitate mouentur, & superbia exagitantur.

158. Fallar, ni pulcherrimis actionum coloribus duo illis Seraphini Isaiæ throno celsissimo obiecti culminis expresserint nobis periculum, vtilissimúmque tradiderint documentum: senis instruebantur alis, quarum duæ libratæ per liquidum pernici agitabantur volatu; quatuor verò veluti quibusdam manibus Dominum prensabant, séque figere contendebant: *Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Isaiæ 6. v. 2. Et cur sex pennis non captarint volatum, vt ad altiora feliciùs direxerint motum? Cur saltem quatuor alas non explicuerint, vt perniciùs ad felicitatis apicem inuolarint? O prudentiam immortalem! Vt nos doceant quàm periculosa sint culmina, quámque qui digno aliquando volatu inscenderat, casu miserabili ruat, sic alas disponunt, vt quatuor veluti quibusdam vinculis Domino alligentur, quo tute duarum volatibus efferantur. Antequam explicuerint volatum, alis caput ambiunt, pedésque complectuntur, ne, si vtilissimum

mum humilitatis pondus volantibus desit, ipso præcipitentur volatu; deiiciantúrque acrioribus vanitatis flabris elati, qui anteà dignissimè fuerant euecti. Seraphinis nullum periculum; nobis tamen præbere gestiunt exemplum: quatuor ergo fundari moliuntur anchoris, cùm felicitatis pelagus nauigantes bina alarum expandunt vela.

Cassiodor. *Grues se lapillis muniunt contra ventorum flatus.*

Hùc voco quod aiebat Cassiodor. 4. var. 47: *Grues pelagus transituræ paruos lapillos vncis pedibus amplectuntur, vt nec earum leuitas nimio vento rapiatur, nec natiua celeritas iniquis ponderibus ingrauetur. Hoc imitari nequeunt, qui se ad publicas necessitates electos esse cognoscunt.* Competentis humilitatis ponderibus gruum adinstar volantes Seraphini muniuntur, ne nimiis ventorum flatibus abducantur. Quatuor alis se prudentissimè illigant, vt Domino affixi ventorum flatibus non abducantur remoti.

159. Venerandus semper Elias flammiuomos cælestes equos inscenderat, & aëris liquidum celerrima agilitate secuerat: tunc prophetarum filij obnixis precibus Elisæum rogant, vt viros, ne fortè iaceat proiectus, quæsitum mittat:

4 Reg. 2. v.16.

Ecce cum seruis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, & quærere Dominum tuum, ne fortè tulerit eum spiritus Domini, & proiecerit eum in vnum montium, aut in vnam vallium. Et cur vereantur ab spiritu Domini proiectum, quem à Dei spiritu agnouerant eleuatum? Si quadrigam insertis splendoribus fulgurantem dignus inscenderat, cur equis excussus tumentibus iaceat? Malignus spiritus eleuat, vt deiiciat; diuinus verò erigit, vt firmarit. Profectò apud sæculum non semel fastigium miserandi casus exordium est; apud Dominum verò fixum perseuerat meritum; & virtutibus præmium collatum. O altitudinis fastigiique dignè exaggeratum periculum! Nouerant prophetarum filij plures virtutum alis alta contigisse; posteà tamen ipsa altitudine superbientes materiam casibus ministrasse: timéntque, ne iaceat dignè detrusus, qui flammanti fuerat quadriga vectus.

Gregor.

Huc voco Gregorium loco citato: *Plerúmque dum ex subiectorum affluentia animus inflatur, in luxum superbiæ ipso potentiæ fastigio lenocinante corrumpitur.* Tutè dignitatis ascendit culmen, qui quantò magis in altum se elatum cognoscit, præbere humillimum gestit, ne de inflationis superbia decidat, qui de virtute splendebat: timent prophetarum filij, ne dignitate elatus ad terram fuerit deiectus. Et quidem Elias in laboribus patiens, in periculis constans, in virtutum studio assiduus ab spiritu nequibat reiici; sed debebat sublimari; id tamen culmini discrimen minari solet, vt prophetarum filij, quem susperant clarum, Eliam è culmine vereantur proiectum. Ergo Calebus, qui dignitatum discrimen nouit, conditionem illam, *si fortè sit Dominus mecum,* prudentissimè adiecit.

---

§. XXXVIII.

Eximiæ virtutis viri ipsis difficultatibus irritantur, & honestis laboribus accenduntur.

160. INuitandum, scribit Cassiodorus 6. var. 12. *assidui labores etiam ipsas ingratas faciunt dignitates, dum imbecillitas humana citò solet sustinere fastidia, & quod prius ambisse creditur, posteà vitare velle sentitur.* Verùm dixit; sed quod reperiri tantùm solet in mediocriter ambitiosis, aut nondum masculæ & perfectæ virtutis: arcet imbecilles arduitatis molestia; & difficultatis deterret angustia; eximiæ tamen fortitudinis viri honesta præsumptione dedignantur difficultatibus vinci; imò ipsis consueuerunt accendi.

Humana imbecillitas citò solet sustinere fastidia.

Et cur strenuis non acciderit, quod vitiosis? Sordidæ libidinis appetitus, circa diuitiarum cupiditas, laboriosus fastigij ambitus eam enutriit temeritatem, quæ in gladios hostiles inuolet, quæ maris scrutetur profunda, quæ nulla non sustineat aduersa.

Senec. *Crimen voluptati est.*

Omnibus, aiebat Seneca epist. 97. *crimen suum voluptati est: lasciuus ille adulterio, in quod irritatus est ipsa difficultate: luctatur ille circumscriptione furti.* Difficultas adulterij cupidinem deterrebat; periculum crebris anxietatibus propulsabat audaciam; verùm sic alius luxuriæ deditus, vt nullis fuerit difficultatibus impeditus; sic alius auro inhians, vt ipsis ardeat periculis irritatus. Nouerunt hoc, qui pessimè heroica coluerunt crimina. Et cur egregij viri eadem non imitentur honestè, quæ scelesti anteà docuerunt inique? Virtus periculum spernit, quia periculi honestè auida, & victoriæ laudabiliter ambitiosa. Certè quantum arduitatis in opere, tantùm plus laudis relucet in fortitudine.

Senec.

Sapiens, scribit Seneca lib. 2. in sapientem non cadere iniuriam, cap. 8. *vicinus proximúsque deis consistit excepta mortalitate: similis Deo, ad illa nitens, petensque excelsa, ordinata, intrepida, æquali, & concordi cursu fluentia, secura, benigna, bono publico nata, & sibi, & aliis salutaria: nihil humile concupiscet, nihil flebit, qui rationi innixus per humanos casus diuino incedit animo.*

Sapiens per humanos casus animo incedit diuino.

Nihil humanarum deterret Numen: quia super omnes fortunæ casus consistat: ergo iustus, quia Deo similis, adeò nobile hoc imitatur ingenium, vt intrepidè honestum non solùm adierit; sed periculum prouocarit. Calebus integræ fidei, incorruptæque veritatis à Iosue in præmium ciuitates expugnatu arduas, & gigantæis hominibus munitas poscit: *Da mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus te quoque audiente, in quo Enacim sunt & vrbes magnæ atque munitæ, si fortè sit Dominus mecum, & potuero delere eos, sicut promisit mihi.* Profectò arrogantiam ad speciem olet petitio; imò & arrogantiæ sociam inscitiam: nam si laborum desiderat præmium, cur ciuitates petit montano situ expugnatione difficiles, gigantæis viribus obarmatas, murisque altissimis præmunitas? Certè vel rogatus ciuitates in præmium accipere prudentissimè detrectaret, & cordatissimè effugeret: quomodo ergo deposcit in præmium, quod concessum hostile videri posset studium. O intrepidum animum! Ipsi locorum anfractus, ipsi ciues gigantæa mole superbi metum videbantur incutere; verùm Calebus ipsis didicit difficultatibus irritari: eas præ cæteris vrbes petit, quia difficiliores expugnatu, vtpotè munitissimæ situ.

Masius.

Adest Masius: *Quasi à rei, quam ambit, conditione argumentum capiat Calebus; quippe quæ sit eiusmodi, vt etiamsi impetret nihil nisi quod cum summa difficultate, periculis, laboribus coniunctum sit; accepisse videri possit.* Vt petat, à difficultatibus argumentum sumit, & quibus alij vel masculi animi possent deterreri,

deterreri, Calebus se quasi additis igniculis asserit irritari. Itaque quibus imbecillis animus fatigatur, eisdem strenui studium ad virtutem accenditur.

161. Goliath ingens robore, cædes spirans, torvis oculis, supercilio truculentus, & aspectu totus sanguineus, altè vociferans Israëlitarum optimos ad singulare certamen arrogantissimus prouocabat, & vanissimus lacessebat: detriumphatorum seruitus in præmium proponebat victori: stabat hostis adinstar montis procerus, Hebræósque pugnam cogebat trepidè detrectare; imò aspectum ignominiosa fugâ non sustinere; verùm Dauid, qui fratrum tunc causa in aciem deuenerat, hominis insolentia prouocatus, & diuini honoris zelo nobilissimè adustus pugnæ prouocationem ad se rapit, & certandi licentiam petit: Saulj timore victus excusationes prætendebat, armorum imperitiam, parum firmam ætatis constantiam, iuuentutémque belli ignaram in medium vocabat, vt adolescentis refrænaret audaciam, & temeritatis ad speciem comprimeret impatientiam. *Non vales* (1 Reg. 17. v. 33.) *resistere Philisthæo isti, nec pugnare aduersus eum: quia puer es; hic autem vir bellator ab adolescentia sua.* Quid tunc Dauid? Non suis viribus fretus; sed auxilio diuino fisus: *Nunc vadam*, inquit, *& auferam opprobrium populi.* Eisdem, quibus videbatur arcendus, acriùs incitatus est, imbecillem ætatem opponebat Saul, armorum obiiciebat imperitiam; verùm Dauid iuuentutem laboribus aptiorem, expeditiorem pugnis considerauit: eisdem est impulsus, quibus videbatur nutriri metus. Dauid non superbit temerarius, nec exambit inanem gloriam superbus, ea tamen animi constantia obarmatur, vt honestis ob virtutem periculis oblectetur, & difficultatibus acuatur. Audi Basilium Seleuciens. (Seleuciens.) nomine Dauidis orat. 15. *Qua ratione à proposito certamine conatus es auertere, acrius ô rex ad pugnam exacuisti: hic quidem bellator: ego vero belli inexpertus: quæ res animos mihi facit.* Firmatus, & erectus est Dauidis animus terrore opposito, & ipsa difficultas prolectauit strenuum, quæ deterrere quiuerat timidum. Certè fortuna timet rationabiliter non timentem: virtutis naufragium est imprudens periculi timor, & parum rationabilis metus. Ergo Calebus certaminis terrore acuitur, & hostium mole incitatur.

162. Cùm magnus in Israëlitas compararetur exercitus, iámque deprœliaturæ cohortes sibi inuicem proximarent, rex impius lituis militum animos iussit accendi, elephantésque ostenso sanguine concitari: *Surrexit rex ante lucem,* (1 Machab. 6. v. 33.) *& concitauit exercitus in impetum contra viam Bethzacharam, & comparauerunt se exercitus in prælium, & tubis cecinerunt, & elephantes ostenderunt sanguinem vuæ, & mori ad acuendos eos in prælium.* Profectò ostensus sanguis aptior videbatur infirmandis animis, non acuendis: sanguis namque mortis testimonium, stragis indicium, & casus certissimum argumentum. Et quando mors vultu horrida, & acerbissimis sagittis armata vel fortissimorum animos metu non concussit, audacissimósque deterruit? Ergo non ostendant, quod mortis possit excitare memoriam, si acuere velint ad pugnam. Imò acriùs incitant, dum sanguinem elephantis ostendunt: sanguis testatur mortem, periculum prodit, docet casum, monet stragem; verùm is elephantum animus, vt ipsis periculis incitetur, illique, qui in aliis minuit, color rubeus vigorem alat. Ita Vallesius in sacra Philosophia cap. 82. *Multarum gentium opinione constat pugnaces* (Vallesius.) *feras intuitu rerum rubrarum irritari: nam & in Hispania qui tauros agitant, rubris tunicis induti in forum prosilire consueuerunt, quasi illos ita magis irritaturi.* Pugnax fera, validum robur, constans animus non mortis horrore lassescit; sed nobilem furorem concipit, quem spiret ignitum, & contra pericula intrepidum. Annuit noster Sanctius ad hunc locum: *Quidam* (Sanctius.) *aspectu vini nigri, & succo arboris mori furorem concipere putant elephantum, & ad certamen prouocari.* Prouocatur quibus arceri debuisset, & periculum visum audentis est animi testimonium. Opportunissimè Seneca de prouident. (Senec.) cap. 5. *His, quibus deterreri me putas, incitor: libet illic stare, vbi ipse Sol trepidat: humilis, & inertis est tuta sectari: per alta virtus it.* Nescit virtus irrationabili timore concuti; sed per aduersa triumphis procedere. Hoc monebat ille, qui ad virtutem animum præparabat:

Vtque viam teneas, nullóque errore traharis
Per tamen aduersi gradieris cornua tauri,
Æmoniósque arcus, violentique ora leonis.

Qui laboribus virtutísque difficultatibus deterretur, & animo cadit, se à magnorum numero exemit. Virtuti honesta vitæ ac corporis ruina est; & quia in ipsa ruina coronatur victoria, victoriam intrepida exambiuit semper audacia.

Duo gemelli fratres nixus tempore Thamar visceribus reperti sunt: illorum alter manum misit, in qua obstetrix filum purpureum ligauit; ille verò colorem extimens manum retraxit, fratrique non sine mysterio cessit: *In ipsa* (Genes. 38. v. 27.) *effusione infantium vnus protulit manum; in qua obstetrix ligauit coccinum dicens: Iste egredietur prior: illo verò retrahente manum egressus est alter.* A fortium numero excluditur Zara, dum fratri concedit primas, Phares exoritur Christi pater, stirps regum, & origo magnorum. Et cur qui manum in victoriæ signum protenderat, reiicitur, altérque præter spem subrogatur? Quia alter visa difficultate terretur; alter verò ipso terrore exacuitur: *Coccinum*, scribit Cyrillus (Cyrillus.) apud Lippoman. *Sanctissimum Christi sanguinem signat.* Concinit ibi Rupertus: *Vnus* (Rupert.) *ille, qui primùm manum protulit, Iudæus est, qui primus legem accepit, & qui primum oportebat loqui verbum Dei, at ille repulit illud, & indignum se indicauit æterna vita. Manum ergo coccino ligatā citò retraxit.* Agnouit, si prior egrederetur Christi tingendum sanguine; imò suum cum Christi sanguine mixturum: agnouit ad ardua vocari opera, ad virtutísque teneri facinora; & difficultatibus, laboribúsque perterritus manum retraxit, & cùm retraxit, à nominatorum serie se infelicissimè exemit. In Christi patrem non poterat eligi, qui ab ipso vitæ exordio timidus inceperat virtutis ærumnis vexari: Phares hoc titulo dignus, quia ad diuidendæ maceriæ labores intrepidus. Castra, quos ignauos vident, fastidiunt: vel ignauis dedignantur associari valentes. Non est sacro numero recensendus, qui virtutis laborem refugit meticulosus: strenuum virum, ac virtutis alumnum ipsæ difficultates exacuunt: mori dedicit, non timere: stare

ſtare cupit, vbi Sol trepidat, per ardua conatur aſcendere: ipſa viæ difficultate allicitur, & ipſa fatigatione oblectatur. Martyres beſtias incitarunt: *Ego vrgebo*, aiebat Ignatius: adeò ab ignauo timore diſtabat, vt honeſtæ proximaret temeritati.

164 Iob.39.v.20. Iob 39. eleganti equi ænigmatis penicillo ſic Deus fortem, & intrepidum animum depingebat: *Gloria narium eius terror, terram vngula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio.* Generoſus equus timere non diſcit; imò nobili audaciæ adulantur pericula, & pro calcaribus viſa aduerſariorum ſunt arma: *In occurſum pergit armatis*: non refrænatur metu, quia contemnit pauorem; non cedit gladio, quia oblectatur ſanguine effuſo: quibus videbatur terrendus, acrius incitatur, impulſus: certaminis ardet ambitioſiùs pericula, vt optabili coronetur triumphorum gloria: *Contemnit pauorem*,

Gregor. ſcribit Gregorius lib. 31. moral. cap. 17. *quia nullius tentationis formidine ad hoc vſque terretur, vt taceat: nec cedit gladio, quia etſi violenta illum tentatio percutit; à cura tamen proximi non recedit... Equus ergo Dei, & gladio percutitur; nec tamen percuſſione eadem à curſu prohibetur, dum fortis ſpiritualis certaminis miles, & ipſe vulnera ab hoſte ſuſcipit, & tamen ad ſalutem alios ſtringit.* Adhuc vulneratus corpore pergit in occurſum armatis ad proximorum ſalutem: timore nunquam eſt coactus tacere: quia ipſa morte, equuleo, & pœnis præuiſis geſtit aliis ardentiſſime prædicare: ipſis incitatur martyriis, & truculentis allicitur pœnis: vnde videbatur amittere, inde animos conſtat aſciſcere: plagæ alliciunt, carceres prolectant, ferrei pectines adulantur, & quidquid ingenioſa ad terrorem excogitauit malitia, impauida cæleſtis equi contendit audacia: vt conſtet noſtram theſim veriſſimam eſſe, ſcilicet eximiæ virtutis viros honeſtis laboribus incendi, & ipſis virtutum difficultatibus incitari.

---

§. XXXIX.

Pluris ſæpè conſtat debita ſibi iure recuperaſſe, quàm ſibi iura meritis acquiſiiſſe.

165. ADeò mortales auri ambitio detinet, adeò habere delectat, vt difficulter aliis debita

Pub. Mim. reddant, aut meritis acquiſita retribuant. *Bonus iudex eſt*, aiebat Pub. Mimus, *qui nouit diſpenſare, quod dandum eſt*: vel diſpenſare debita ſignum eſt egregiæ virtutis, ſic tenax, & auara noſtra natura eſt: mereri ſæpè facile; meritis obtinere difficile. Debebat pater filiis neſcio quam hæreditariam ſubſtantiam: petiuit alter:

Luc.15.v.12. *Da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit*: pater mox ambobus debitas eſt impertitus diuitias: *Et diuiſit illis ſubſtantiam*. Quàm beati, aiebat Chryſologus ſerm. [illegible] iſti fratres: non fuit opus tribunalia curſare, adire iudices, conteſtari lites: *Petente vno*, inquit, *ambobus totam*

Chryſol. *ſubſtantiam mox diuiſit.* Chriſtum ſenſiſſe hūc patrem teſtatur ipſe Chryſologus ſerm. 4. *Chriſtus ſic in oculis noſtris fuit homo, vt Deus ſemper in maieſtatis ſuæ maneret arcanis: duos filios habuit, duos ſcilicet populos, Iudaicum, gentilémque.* Certè ipſum factum clarauit Deum: nam ſi homo tantùm, adeò citò debitas non reddidiſſet diuitias; ſed captioſas diſponeret technas. Aſpice tribunalia noſtra, forum inſpice, dinumera, litigantes, quorum ferè ſemper altera pars, vt ſibi debita accipiat, & ſumptuoſas expenſas facit, & litium fraudibus dilatus ſuſpirat. Caleb, dum hoſtilem peragrat exploraturus tellurem, dum virtutis, veritatiſque partes agit, ſelectiorem ſibi terram promeruit; modò vt recuperet, Ioſue adit, & gigantes opus eſt depuliſſe. *Da mihi montem iſtum, quem pollicitus eſt Dominus te quoque audiente: in quo Enacim ſunt, & vrbes magnæ, atque munitæ: ſi fortè ſit Dominus mecum, & potuero delere eos.* Montem meritis promeruit, certaminibus acquiſiuit: illi debebatur Hebron, vbi eius patres ſepulti; verùm neceſſum eſt depuliſſe gigantes, vt hæreditariam ſibi, aut promiſſam quidem poſſeſſionem adierit. Terra illa Calebi eſt; ſed potentia iniuſtè occupat, & opulentia valenter defendit. Res ſanè ardua ab iniuſtis poſſeſſoribus eripere, res facilis promereri. O quot monſtra in Calebi iura obarmantur, quot arma poſſeſſum adeunti obiiciuntur. Deſudauere certamina, vt recuperaret prædia: nullum aut exiguum fuit in promerendo periculum; periculoſum in acquirendo fuit bellum. *Artes, quam ambit, conditione*, Maſius.

ſcribit Maſius, *argumentum ducit Calebus: quippe quæ ſit eiuſmodi, vt etiamſi impetret, nil niſi cum ſumma difficultate, periculis, laboribus coniunctum ſit, accepiſſe videri poſſit.* Montem petit ſibi promiſſis debitum, & tribunalia adiēs ea teſtatur petere, quæ ſumma ſint difficultate coniuncta, & vitæ periculis laborioſa: bello obtinuit, & poſt anxios explorationis labores maiores illum manent difficultates. Profectò ſic à nebulonibus, alienorum cupidis, vaferrimiſque hominibus vel Sole clariora iura obſcurantur, vt diu opus ſit digeſtorum armis in ſtadio tribunalium confligere, & aſcititiis patronorum clamoribus decertare: quod ſi iam patens veritas iuſtitiæ patrocinetur, iuriſque ſententia feratur, nondum finitum bellum; ſed iterum opus eſt ſuſtinere certamen: violentia minatur, fraus nouis, & de induſtria excogitatis technis munitur, & iterum atque iterum deſudatur.

Iacob cùm edulium ſibi paraſſet fratris venatione laſſi ſic famem accendit, vt anxiis exambierit ſuſpiriis, immodiciſque expetiuerit deſideriis: vendidit frater edulium, & quidem cariùs, quàm vendidiſſet extraneus: pactum ergo fuit, vt Iacob primogenituræ iuri ſuccederet, & Eſau accepto edulio mentitam famem ſedaret: *Iurauit ergo Eſau, & vendidit primogenita, & ſic accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abijt.* Vides Iacob lentis edulio benedictionis iura acquiſiſſe: vide modò quanti ſteterit impetraſſe. Pater morti vicinus Eſau quid de venatione iubet afferre, amplámque promittit benedictionem largiri. Nouit mater, Iacobque monuit, vt optimos hœdos afferat, quibus patri oblatis debitam ſibi benedictionem præripiat: fecit ille, pióque dolo adiuit hæreditatem: *Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum ... benedicens illi ait: Ecce odor filij mei, &c.* Perpende amabo te, quantis non ius, ſed iuris poſſeſſio ſteterit: ardua montium, vbi 166.

Geneſ.25. v.34.

Geneſ.27. v.25.

vbi capræ pascuntur, inscendit, hœdos affert, conditos offert, vinum ministrat, matris opera vtitur, patris dubietatem anxius veretur, & tandem sibi debita benedictione potitur: verùm quid necessum est hœdorum, vinique sumptibus exambire, quod lentis edulio emit? Domi sedens benedictionis obtinuit iura; sed laboribus non modicis benedicentis impetrauit suffragia: nec mirum: illud namque erat mereri, & hoc debitum sibi recuperare, plurisque stetit accipere, quàm mereri. Lippoman. *Religiosa & prudens Rebecca*, inquit Lippomanus, *Iacob magis amabat, cui audierat subyciendum ipsum Esau: Dei consilium didicerat, vnde promouere volebat, quod necessario futurum erat Dei ordinatione.* Adstipulatur ibi Isidor. Isidorus: *Hac omnia faciebat mater, quia primogenito debebatur regnum, & Sacerdotium, & patriarchalis dignitas; ad hanc autem necessitatem Esau adductus erat, vt primogenituram etiam volens vendiderit.* Sciebat mater venditam Iacobo benedictionem; sed sciebat debitum filio facilè nullatenus obtinendum: ideò industriè munerum asciuit auxilium, & arcanum fraudis dolum maiores expensas fecit Iacob in possessione impetranda, quam in primogenitura merenda: & fortè, ni matris sibi deuinxisset affectum, ni hœdos, vinumque obtulisset, aut dispoliatus doleret, aut diu retardatus ambiret. Adde facilius aliquãdo esse immanes deuicisse feras, quàm aureas recuperasse pecunias.

167. Iter agebat Tobias, vt debitam sibi pecuniam acciperet: ventum est ad Tygrin; cumque itinere fessos gelidis vellet pedes fluctibus recreare, immanis fera terrorem incutiens veluti ad prælium erigitur, & mortem oculis flammiuomis minitatur: Tob.6.v.1. *Exiuit, vt lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum.* Proh truculentam belluam! Proh pedum ablutionem charam! Sæpè carò constant deliciæ, & inde nascitur vitæ tormentum, vbi voluptatis allectabat illicium: anxios Tobias clamores ingeminat; sed comes monet timidè non diffugere; sed piscis branchiam animosè prehendere. Dignum supplicium, vt quæ innocuum fera lædere aggreditur, vndas & vitam amitteret: nil mirum si prouocatus piscis insurgeret, nil mirum, si hamo percussus arderet; at in iter inoffensè agentem insurgere sibi mortem fuit maturare. *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te.* Dignum Angelo consilium: nam innocentia audacibus est venenum, & quò plus nocituri sanctis appropiant, maiora sibi pericula peccatores conciliant: gulâ periit, qui gula piscis deuorare inhiabat, vt ibi pateretur supplicium, vbi sceleris sustinebat reatum. Vides Tobias consiliis tantum comitis deuicisse feram: vide quantis eiusdem gressibus, quantisque laboribus à Gabello obtinuerit pecuniam: Tob 9 v.6. *Raphael assumens quatuor ex seruis Raguelis, & duos camelos in Rages ciuitatem Medorum perrexit, & inueniens Gabelum reddidit ei chirographum suum, & recepit ab eo omnem pecuniam.* Angeli opera opus est, vt pecunia recipiatur: satis est Tobiæ industria, vt feræ immanitatis trucidetur. Ad hæc longa conficiuntur itinera, & ad seruorum camelorumque victum auri sustinentur dispendia. Solus quidem poterat Raphael viam confecisse; sed vt nos quantis constet pecuniam recuperare factis erudiat, & seruos defert, & secum camelos ducit. *Minor*, inquit Ambrosius lib.5. de fide cap.4. Ambros. *maiorem misit, & maiores ad minores missi sunt: Tobias Raphael Archangelum misit.* Belluam extinguere Tobiæ relictum; sed pecuniam recuperare Angelo demandatum. Minor misit maiorem, vt pecuniam acciperet: maior animauit minorem, vt belluam è mari extraheret: satis erat vel iuuenis ad immanem feram vincendam: necessarius fuit Angelus ad pecuniam instaurandam. Tobias Raphael Archangelum misit, vt sibi acciperet debita, ipse est monstri aggressus pericula. Adeò difficulter debitores soluunt, arduè adeò debita recuperantur. Adde non solùm Angelo opus, sed & Numine.

Seruiebat Iacobus socero eo pacto, vt quid- 168.
quid fuluum, maculosum, variùmque oues recens natas distingueret, in laboris præmium concederet: excogitauit artem illam virgarum, & nouit digna industria euertisse iura naturæ: vnicolores oues producere satagebat natura; sed aspersas maculis decorticata certis tractibus docuit producere virga; verum vbi malitia regnat, industria non prodest, merces immutatur, & coloratis sæpè causis laboris præmium auffertur: erat ibi auaritiæ regnum, quid prodesse quiret industriæ & ingenij studium, verum oculus omnia videns iusti non despexit labores: dormienti apparet, & fœtus ouium se multiplicaturum promittit: Genes.31.v.12. *Leua oculos tuos & vide vniuersos masculos ascendentes super fœminas, varios, maculosos, atque respersos: vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban: Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votu vouisti mihi:* Et quæ obnoctando, à lupinisque rictibus oues arcendo meruerat, auara soceri improbitas denegabat: nec pastori contra violentiam remedium, nisi omnipotentiæ affulsisset auxilium. Ipse Deus molitur compensationem: aliter Iacobus laboriosis dispoliatus lugeret fructibus. *Vidi*, inquit, *quæcumque tibi Laban fecit*, verba sunt Chrysostomi apud Lippoman. *quòd non solùm mercedem aufert; sed & quòd non, vt anteà, erga te nunc affectus sit.* Chrysost. Dura profectò res nullum sudoris habere præmium, & pati indignationis asperum supercilium: ni Deus ipse à Labano substantiam aufferret, quæ sibi debebantur, Iacobus minimè recepisset. Rupertus apud Lippomanum autumat illam virgarum stropham Numen ipsum docuisse, vt occultis artibus sibi debita iustus recuperaret. Rupert. *Manifestat*, inquit, *quòd stropham illam, quam de virgis exercuit, cœlesti auctoritate egerit: quia videlicet pro causa superiùs dicta iustum erat, vt tolleret Deus substantiam Laban, & daret illi.* Laban mercedem tot anxiis laboribus assignatam reddere tenebatur; verùm adeò captiosis differebat insidiis, vt nullum iusto remedium esset. Quid ergo? Artem occultissimam edocetur, vt sibi prouideat. Altiùs pensanda sunt verba Ruperti, quæ difficultatem debita recuperandi mirè & luculenter exaggerat. Naturale erat vt oues nigræ parturas etiam ederent nigras: ius naturæ quodammodò inuertitur, dum color mutatur. Vide ergo quid necessarium fuerit, vt Iacobus sibi debita acceperit, scilicet stata naturæ iure euertisse, legésque mutasse. Ni industriosis illis artibus oues dissimiles partus ederent; nunquam Iobo laborum stipendia obuenirent. Ergo vt acceperit debita sibi præmia, omnipotentiâ Numinis immutatur natura. Quid verius? Quid exaggeratius?

§. XL.

§. XL.

Ille meretur laudem, qui virtutis cursum perfecit, non qui alacriter captauit.

169. FErtur cursu perenni fontium vena vitalis, & hanc conditionem sustineant cuncta manantia opus est, vt nomina sibi parent, & famam æternent. Fons non appellatur, qui ipsa scaturigine sepelitur: necessum est vndas in processu adaugere, si fluuij nomen fons exoptauit acquirere. *Amamus nostra beneficia geminare*, scribebat Theodahadus 2. var. 2. *nec semel præstat largitas collata fastidium, magisque nos prouocant ad frequens præmium, qui initia nostræ gratiæ suscipere meruerant ... decorum est namque Principis arbitria non hærere: quia commendantur priora posterioribus donis, & firmatur omnis dubitata de repetitione sententia. Primum tibi honorum tribuimus gradum, nunc fastigium concedimus dignitatum, vt anteriora tibi meritò contulisse videamur, & in sequentibus constantiam tenere nostra benignitas æstimetur.* De leuitate aut imprudentia sugillatur, qui aut mutauit consilium, aut iners sectatur otium: magna gloria cursum alacritèr arripuisse; sed obscuratur, ni constiterit consummasse: plures leuitate animi iam virtutis sectantur disciplinam, iam colunt retractata sententia ignauiam. *Lectio certa prodest*, scribit Seneca epist. 45. *varia delectat: qui quo destinauit, peruenire vult, vnam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud; sed errare est.* Pro bonis mala amplectimur, in malis bona exoptamus: ambimus contra id, quod ambiuimus: pugnant cupiditates nostræ, nósque terunt vndique circumactos, & variis desideriorum flatibus conuolutos. Satis non est alacriter cœpisse, si mediis conatibus aut suspensus hæret gressus, aut captus retroagitur cursus. Concilio incipe, & viam deliberante prudentia cape, nec cœptis desistas, vt ad fastigium laudis peruenias. Calebus, aliique exploratores promissionis terram exploratum mittuntur; ille tamen solus: nam Iosue, vtpotè Imperatorem excipimus, explorationis præmium deposcit sibi promissum, & constat hoc capite acceptum: *Benedixit ei Iosue, & tradidit ei Hebron in possessionem.* Et cur alij exploratores explorationis quidem consortes sint largitatis præmiorum expertes? An quia Calebus vtpotè de regia tribu nobilior: plus námque apud sæculum valent in potérioribus; quàm in obscurioribus merita. O quàm extollitur diuitis virtus elogiis! Quàm laudibus deprædicatur magnificis! Verùm hoc de sæculi more; ast apud Iosue nulla personarum acceptio; sed digna pro meritis compensatio: *Fratres mei, qui ascenderant mecum*, inquit Calebus, *dissoluerunt cor populi, & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.* Omnes ascenderant; sed reliqui præter Iosue, & Calebum sic gigantum sunt conspectu deterriti, vt ante certamen aduersariis concesserint palmam; imò totis nisibus detrectare moliti sunt pugnam: ideò quamuis cursum alacriter cœperint, laude caruerunt: quia mediis conatibus subsistentes retractauere consilium, & aliorsum primum deflexere conatum. *Secutus sum complere post Deum*, legit Masius, & exponit: *Complere post Deum est non solum priuatim piè sanctéque viuere; sed Dei etiam gloriam, & proximi salutem, quibus fieri potest modis ad vltimum vsque vitæ actum procurare, & omnino munere eo, cui quémque Deus præfecit, attentè, grauiter, constanter defungi: nec enim vllus cursus, quantumuis alacriter cœptus, magnam laudem meretur, si per ignauiam aut leuitatem citra metam sistatur.* Cursum cœperant laude dignissimum exploratores; verùm citra metam hærentes, & exantlati labores obscurauerunt elogium, & amiserunt ignauia præmium. Calebus, & benedictus, & copiosis muneribus auctus: quia quem arripuerat laudabiliter cursum, consummauit constantia, ac obstaculis detriumphatis absoluit felix patientia.

Cassiodor. *Decorum est gratiâ Principis non hærere.*

Senec. *Qui multorum amplecti cupit sententias, non it, sed errat.*

Ios. 14. v. 8.

Masius.

Paulus Corinthios instruens sic ait: *Nesci-* 170.
tis quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt; sed vnus accipit brauium: sic currite, vt comprehendatis. Satis non est currere; sed ad metam indefessis conatibus peruenire: qui in stadio currunt, & præmium, & laborem amittunt, si media via aut defatigati hæserint, aut cursus pernicitatem minuerint: sic currendum est, vt comprehendatur brauium, & palmæ obtineatur præmium. *Licet omnes ibi sint in cursu, & labore similes*, exponit Anselmus; *tamen omnes inaniter currunt; præter illum solum, qui accipit brauium, quod est præmium cursus ... omnes currunt; sed vnus, qui currendo cæteros vincit, accipit brauium: quia fecit omnia, quæ pertinent ad cursum, & abstinuit ab omnibus, quæ impediunt.* Qui fecit omnia, victrici coronatur palma, non qui cursus initio velox, posteà tamen defatigatione morosus, & morositate tardus: non censetur cursus de exordio; sed ad metam aduentu: aliquando qui initio tardior, ad metam peruenit celerior; & qui initio celerior, medio substitit conatu morosior. *Sic currite*, inquit, *vt comprehendatis*: quasi dicat: In stadij termino palma emicat velocitatis brauium: currite ergo vsque ad metam, si studiosè exambitis palmam.

1. Cor. 9. v. 24.

Anselm.

Duo fratres in materno pectore athleticè col- 171.
luctantur Zara, & Phares: alter manum protulit fratris conatum feliciter anteuertens: *Protulit manum in qua obstetrix ligauit coccinum dicens: iste egredietur prior; verum illo iam certaminis palmam prensante*, retracta manu fratri cessit, & qui cœperat tardior, ortum consummauit celerior: *Illo vero retrahente manum egressus est alter*: qui partim egressus, præmio caruit; quia iterum retroactus; qui verò prodiit totus, præcessit, quantumuis initio victus: quia corona non debebatur oriri incipienti; sed orto: felicior incœpit, qui manum protulit; sed primogenituræ gloria non debebatur manum producenti; sed nato: celerior initio alter; alter verò morosior; hic tamen, quia ortum consummauit, felicior. Substitit ille media via, alter peruenit ad metam: ideò alterius coronatus est cursus, & alterius derisus conatus. Adest Isidorus in quæstion. in Genes. cap 29. *Primus, qui dicitur Zara, misit manum suam, & obstetrix ligauit coccinum, & deinde illo manum intrinsecus retrahente, posterior, qui Phares vocatur protexit manum, & nascendo præcessit. Figaraliter congruit quod extenderit Israel in legis opera*

Gene 38. v. 27.

Isidor.

opera manuum suam,& eam prophetarum & ipsius saluatoris pollutam cruore contraxerit; postea verò proruperit populus gentium, scilicet, vt futuri essent nouissimi, qui erant primi, & primi futuri essent, qui erant nouissimi. Non censendus cursus à primo stadij carcere, sed à meta: parum enim interest, si quis ostentata prius agilitate defatigatis posteà lassescat viribus, & tardis præcedentem gloriolam obscurauerit gressibus: vt è contra officit parum ad apprehendendum brauium, quis exeat lentiùs, si limites attingat perniciùs. Phares tardiùs misit manum ad opera; sed quia nascendo consummauit feliciter cursum, obstetricis est frustratus elogium: Zara misit manum; sed lassatus cessit gloriæ, & retractam dexteram dicauit ignauiæ: nullus glorietur de propositi valentia, de strenuis virtutum facinoribus, de arrecto animosè ad perfectionem cursu, si nondum attigit metam, ne ipsa iactatione impeditus post anxios labores amiserit palmam, & ignauiæ tulerit notam.

172. Cùm Magdalena generosis amoris flammis succensa demortuum anxiè magistrum quæreret; fœmineúmque de virtutis constantia sexum refutaret, sepulchrum vacuum conspicata; furenti vel cadauer subreptum credit inuidia: quia vel exanimis corporis requies non semel odio est tormentum, & maxima molestia honoratum ac frequentatum sepulchrum. Et quidem non est falsa, dum sepulchro credit ereptum: quia forti manu, scilicet Deitatis omnipotentia contra mortis iura constabat ablatum: largas in lachrymas fusa triste nuncium Apostolis inuolat allatura, & charas reliquias furtim nondum morte sopito odio ablatas testata est. Quid tunc? Petrus & Ioannes cursum monumentum versus

Ioan.20.v.4. arripiunt: *Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum, & cùm se inclinasset, vidit posita linteamina; non tamen introiuit: venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus; sed separatim inuolutum in vnum locum: tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum:* Ioannes Petrum Apostolorum verticem substitit venenatus, & anxium animi desiderium reuerentialis frænauit cultus; in hac verò tam exacta cursus; & aduentus descriptione arcanum ac figurale mysterium Magnus Gregorius latere testatur, scilicet in Ioanne adumbrari Synagogam, in Petro Ecclesiam. Audi ipsum hom-

Gregor. mil. 22. in Euangel. *Currunt ambo simul, quia ab ortus sui tempore vsque ad occasum pari & communi via, etsi non pari, & communi sensu Gentilitas cum Synagoga cucurrit. Venit Synagoga prior ad monumentum; sed minimè intrauit, quia legis quidem mandata percepit, prophetias de Incarnatione ac passione Dominica audiuit; sed credere in mortuum noluit.* Curiosiùs audi, quæ paulò pòst subdit: *Quid ergo est, nisi quia & citius cucurrit, & tamen ante monumentum vacua stetit?* Proh miseram Synagogam, quæ tantum cursum iuxta metam hærens frustrauit, quæ, ne vel gressum vnicum adderet, sudorem tantum deperdidit. Certè miser, qui ad Dominum non accurrit, miserabilior tamen, qui post longos celerésque volatus iuxta metam ignauus amplissimos amisit fructus. En Ioannes & Petrus ad Dominum cursum arripiunt: medio spatio Ioannes socij velocitatem frustratur, & volatu pernici cursus metas iamiam attingit; verùm hæsit à socio superari passus, & iam qui spatio tardior, termino cursus felicior: *Citius cucurrit* (Synagoga) *& tamen ante monumentum vacua stetit.* Non glorietur Synagoga iactabunda de cursu, cùm ante metam infelici substiterit gressu: nec Ecclesiæ tarditas imputanda: quia de glorioso ad sepulchrum aduentu tarditatis detersit maculam, & immarcescibilem, ac triumphalem cursus accepit gloriam. O quot in sacrarum Congregationum cœnobiis initio pernicibus virtutum alis inuolarunt; sed posteà aut antiquitatis grauitate, aut dignitatum occasione steterunt: finis certè coronat opus, gloriosum parum iuuat exordium, ni ad debitum finem perueniat; imò adauget ignominiam, vt fortunatus finis lentæ inceptionis detergit notam. Perge, si arripuisti cursum: ne, si hæseris, & laboris iam exantlati amiseris gloriam, & de ignauia tibi denegaueris palmam.

Vir Dei eos animos induit, vt Domini voce 173. armatus regiam non extimuerit potentiam; imò sacrilegam castigarit audaciam; audentem sacrilegè manum resolutis neruis exiccat, iterúmque oratione, antiquâ redintegrat sanitate: verbo saxeum altare scindit, & omnes ingenti stupore replet: rex de sanitate gratus, & de prophetæ virtute perterritus ad prandium in modum supplicis inuitat, & regia mensa honorare Numinis ministrum exoptat: despexit propheta regias preces, & domum repetens abiit: Propheta idolorum fatidicus sacrum in prophetam armatur fallaciis, & ominosam prædictionem eneruare molitur epulis: *Abijt post* 3. Reg. 13. v.14. *virum Dei, & inuenit eum sedentem subtus terebinthum.* Secum reuerti confictis reuelationibus persuasit; & propheta, qui regiæ despexerat mensæ delicias, ob angustissimas deliquit epulas: à propheta periit seductus, qui præceptum non temerarat à Principibus inuitatus. O quoties qui magna viriliter spreuerant, irretiuntur exiguis! O quoties qui restiterant animosè regibus, molliter annuere comitibus! A leone in via occisus iacuit, qui subter terebinthum desedit: faustum peregerat iter, ni vmbratile captasset refrigerium, & ignaue quoties ad labores solandos imprudenter exambisset suffragium. Anteactum verò obscurauit sessione cursum, & quia consummare non gestiuerat reditum, in ipsa via inuenit quietis, & epulationis supplicium. Satis non fuit itineris medium fausté peregisse, nec medium aliud eadem cursus felicitate captasse. Adest opportunè P. Gaspar Sanctius ad hunc locum: *Puta-* Sanctius. *bam sic hac dicendi forma propheta à Domino commendari constantiam, ne minis terreatur, neque vllo modo à commendato sibi negotio deficiat, aut in eo peragendo languescat, sicut illi faciunt, qui aut adducti promissis, aut exanimati minis retrorsum abeunt.* Subdit opportuniùs: *Quod quidem propheta cùm principio præstitisset, egregiè ad extremum defecit: cùm enim victor excessisset è Bethel, rediit tamen eodem repetitis vestigijs, & in ciuitate à Deo propter nouam illam religionem inuisa cibum sumpsit.* Via occisus à fera iacuit ante metam, qui triumphator

phator egregiam cœperat adipisci victoriam: vt noscamus parum interesse alacriter captasse cursum, si quis in medio itinere stiterit gressum.

§. XLI.

Exornat beneficium exprompto animo ac hilari vultu dedisse, dehonestat asperis verbis, & satua facie donasse.

174 IN beneficiis non idem est gratia & materia: accepit ille rem sibi vtilissimam; sed veluti à coacto, & tenaciter retinenti: non obtinuit beneficium, quamuis adeptus sit commodum: dedit alter rem exigui pretij; sed studiosè, sed liberaliter, sed iucundè; hic contulit beneficium, quantamuis exiguum præstiterit emolumentum. Censenda sunt beneficia non tam ex materia, quàm ex liberali donantis gratia. Qui placidè exiguum dedit, fuit beneficus, qui multum torvè, ac adductis superciliis, iniurius; imò vt plures donationem etiam gratiosam asperrimis verbis corrumpunt, & fastidio adulterarunt; sic plures vel rem debitam de præstandi facilitate, de alacritate vultus, de comitate verborum in beneficiorum numerum redigunt, & accipientem obstringunt. *Ingentia quorumdam beneficia*, scribit Seneca lib. 2. de benef. cap. 3. *silentium, aut loquendi tarditas imitata grauitatem & tristitiam corrumpit, cùm promitterent vultu negantium. Quantò melius adycere bona verba rebus bonis & prædicatione humana, benignáque commendare, quæ præstes, vt illum castiges quòd tardior in rogando fuit: adycias licet familiarem queream: Irascor tibi, quòd cùm aliquid desiderasses, non olim scire me voluisti, quod tam diligenter rogasti, quod quemquam adhibuisti.* O liberalem animum beneficium suum placiditate exornantem, & alacritate adaugentem! Industrij, ac liberales viri vel cum soluunt, benefaciunt: quia animi promptitudinem, & benignum erga accipientem studium produnt, alij è contra vel cùm donant, exasperant, & de supercilio in odium beneficium adducunt. Difficilius est à nonnullis beneficium accipere, quàm inopia premi; ab aliis recuperare debitum obstringit quodammodò, ac si esset beneficium. Adest Iosue vtilis œconomiæ magister? ad illum accessit Calebus, vt sibi Dei iussu, & Moysis sacramento promissa opportuno iam tempore solueret: *Fratres mei, qui ascenderunt mecum, dissoluerunt cor populi: & nihilominùs ego secutus sum Dominum Deum meum. Iurauitque Moyses in die illo dicens: Terra, quam calcauit pes tuus, erit possessio tua ... Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus te quoque audiente.* Quid tunc? *Benedixit ei Iosue, & tradidit ei Hebron in possessionem.* Debitum prǽstitit; sed ea vultus alacritate, ea felicitatis imprecatione, ea animi exprompitudine, vt Calebus eodem tempore, & recuperet sibi debitum, & debeat iustissimè beneficium. Adest Abulensis quæst. 7. *Iosue videns firmissima iura petitionis Caleb non dubitauit concedere immediatè, quod petebat, & dicitur quòd benedixit ei Iosue, id est imprecatus fuit ei bonum: erat autem iste imprecatio, vt diceretur: Dominus te adiuuet contra gigantes, vt properè deleas vrbes eorum, & disperdas homina eorum de terra.* En faustis iteratísque imprecationibus reddidit Calebo debitum, & ipsum debitum placida donatione vertit Imperator prudentissimus in beneficium. O quàm repetere posset Calebus, quod loco dato scribebat Seneca: *Magnum hodie lucrum feci: malo quòd illum talem inueni, quàm si multiplicatum hoc ad me, de quo loquebar, alia via peruenisset: huic enim animo nunquam parem referam gratiam.* Debebat Calebus gratiam, cùm tamen acceptum eius testaretur iustitiam. Prudentissimus Iosue liberalitatis officina in ipsa iustitiæ retributione animi sui placiditatem, ac beneficij formam excudit, & ad referendas sibi gratias humanitate coëgit.

Seneca. *Multi promittũt vultu negantium.*

Iosue 4. v. 8. & 12.

Abulens.

175 Petebat Iacob auunculi domum, vt iram fratris effugeret, cúmque ad terram patribus suis promissam deuenitet, somno impeditus, & itineris laboribus defatigatus recubuit: dormienti Deus scalæ innixus obiicitur, & amplissimis promissionibus animum recreat periculis anxium. Mane discusso somno beneficium deprædicat, & gratitudinis argumentum erigit columellam: *Surgens Iacob manè tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper, appellauitque nomen vrbis Bethel.* Post longa tempora patriam repetebat, cúmque intempestæ noctis silentium quieti dicasset, placidum non cepit somnum; sed difficilis certaminis inuenit stadium: *Ecce vir luctabatur cum eo vsque mane;* brachia conferunt, & pectora luctatores fortissimi iugunt, adeóque valenter contendunt, vt victoria non exiguo tempore fuerit dubia: prouocans luctator Iacob alto vulnere ferit, & acribus doloribus vrget; verùm sic Iacob strenuè belligerat, vt athletam ad benedicendum sibi valenter constrictum cogat. Fecit ille, & copiosissimis benedictionibus auxit: *Benedixit ei in eodem loco.* Hîc Iacob nec gratitudinis erigit columellam, nec locum illum cœlestem appellat aulam: & cur qui priùs vel benedictionis promissis adeò se exhibuerat gratum, iam acceptis se infamat oblitum? Apud sæculum non rarò ambitores exprompta præstant obsequia, cùm iam possesses denegent ingratissimè officia; verùm cùm Iacob ingenuos mores induerit, & peruersam curialium politiam ignorauerit, altiùs inquirendum est, cur alibi gratitudinis erexerit argumentum, alibi tamen non ediderit testimonium? Vide beneficiorum discrimen: alibi vel dormienti ingeruntur beneficia, alibi post certamina, post dolores, post lachrymas recuperat sibi debita: ideo hic gratitudinis indice non commendauit acceptum, cum ibi deprædicauerit beneficium. Profectò largitorem nulla obscurare potest tarditatis, aut illiberalitatis vmbra: erat enim Deus; verùm vt nos doceat quàm expromptè promanare debeant beneficia, quámque dedecoretur gratia, si obtineatur post longa prælia, vbi constrictus benedictionem largitus est, noluit columellam erigi, vbi promisit expromptè, gratitudinis voluit titulum eleuari. Sibi ad speciem Iacob debebat benedictionem, quam doloribus, certaminibus precibus, & testante Osea gemitibus impetrauit: *Fleuit*, inquit, *& rogauit eum;* at vbi beneficium, & desideria anteuertit, & roborem rogandi promissione anticipata impediuit, ibi se summè obstri-

Gen. 28. v. 18

Genes. 32. v. 29.

Osee 12. v. 4.

ctum ostendit, & sæculis gratum erecto indice
prædicauit. Innuit Chrysostomus apud Lippo-
Chrysost. man. *Postquam per visionem tam magna consecu-
tus fuit, vocabulo memoriam loco inscribere vult,
posterisque eum facere celebrem lapide pro colu-
mella erecto, superfusóque oleo.* Ecxpende illud:
Per visionem magna consecutus: non per lu-
ctam, sed per visionem: quasi quæ consecuta fuit
lucta, plus debeantur certamini, quàm gratitu-
dini. Vbique, vt dixi, ad concinnandos mores
arcanum depingebatur mysterium, nullibi libe-
ralitatem diuinam obscurare poterat nubilum.
Disce hinc beneficiorum decorem non lentitu-
dine adulterare, aut asperitate corrumpere; sed
placiditate vultus augere.

176. Amicum lego amici domum adiisse, & pro
cibando hospite panem obnixis precibus postu-
lasse: *Commoda mihi tres panes, quoniam amicus
meus venit de via ad me, & non habeo quod po-
nam ante illum.* Amicus quidquid necessarium,
Luc.11.v.6. dilargitus amico est: *Dabit illi quotquot habet
necessarios:* huius donationis nec relatam video
gratiam, nec animo fixam memoriam, cum ali-
bi pasti homines panis frustulis prophetam ac-
clamauerint depascentem. Christus Dominus
desertorum petit inuia, quia sciebat curiâ tutio-
ra: populorum cateruæ veluti oues pastorem
suum sequebantur, & allecti cælesti sermonum
doctrina, & inuisa retro in depellendis morbis
potentia. Dominus sic animabus apposuit cæle-
stes epulas, vt corporibus etiam saporatas pro-
uideret delicias: extemporariam explicuit men-
sam, & quinque panibus quinque millia homi-
num saturauit: homines ergo illi nouitate signi
attoniti, beneficioque grati faustis iteratisque
Ioan.6.v.14. acclamationibus gratias referunt, ad thronum-
que euehere benefactorem disponunt. *Illi ergo
homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum,
dicebant: quia hic est verè propheta, qui ventu-
rus est in mundum.* Deserto homines cibantem,
amicóque panes dilargientem eumdem esse con-
cors interpretum est sententia. Inquiramus ergo,
si placet, cur qui panis frustum acceperint, tot
gratitudinis signa ediderint, cùm amicus tres
panes ad minus adeptos improbo silentio aut
suam rusticitatem vulgarit, aut iniuriam largien-
ti intulerit. Expende arcanas vtriusque dona-
tionis circumstantias. Dedit amicus amico pa-
nes; sed post aspera verba: *Noli mihi molestus
esse*; post longas preces; *propter improbitatem*,
post tractas de industria moras: *iam ostium clau-
sum est*; at in desertorum erroribus non preci-
bus allectus, non oratione inuitatus; sed sponte
sua necessitati medetur, neque spectat vt rubor
cum petentis ore concurrat. Hoc ergo benefi-
cium, vtpotè nullatenus mora de venustatũ elo-
giis prædicauere gratissimis: accepit amicus ne-
cessitati remedium; sed importunæ adeò preces
largum dedecorant donum. Amicum dilargien-
tem non fœdauit vlla mora, vtpotè quæ arcano
deseruiebat mysterio, generoso non refragaba-
tur animo; voluit tamen Deus alibi gratias re-
ferri; & relatas alibi non scribi, vt noueris be-
neficentiæ decus esse animi promptitudinem,
vultus gratiam, ac verborum placiditatem. Ami-
cus tres panes accepit: panis frustulum accepe-
runt alij; sed quia frustulum datum, sine precum
tormento, sine dilationis martyrio animos gra-
titudine deuinxit; at triplex panis, quia post
longas moras, post anxias preces, post diu su-
spensa vota, gratum adeò animum non inuenit:
Adeò illum propter panes colunt, scribit Theo-
phylactus, *vt & eum non solùm prophetam prædi-* Theoph.
cent; sed & dignum regno censeant. Alibi bene-
ficẽtia deprædicatur, & alibi grati animi signum
non proditur; quia quamuis amico plus datum,
negantis quodammodò vultu concessum. *Ple-*
rique sunt, scribit Seneca lib. citato cap.4. *qui* Senec.
beneficia asperitate verborum, & supercilio in *Nil adeò*
odium adducunt: eo sermone vsi, ea superbia, vt *acerbũ, quàm*
impetrasse pœniteat: aliæ deinde post rem pro- *si impetranti*
missam sequuntur moræ; nihil autem est acerbius, *nimiũ rogan-*
quàm quod vbi impetrasti, rogandum est. Profe- *dum.*
ctò aliquorum iniuriæ præcipites, beneficia len-
tissima sunt. Iam aliquos regiæ potentiæ mini-
stros plurimum delectat superbiæ suæ longum
spectaculum; fastus putant pompam, si post se
magnam, diúque suspensam exambientium tra-
xerint turbam: cùm beneficentiæ gloria non
tam agnoscat parentem donum, quàm animum.
Gratias referunt in desertis cibati: quia panes
opportunè, & sine precibus distributi.

Moyses largissimos aquarum latices populo 177.
de silice eliciuit: *Egressæ sunt aquæ largissimæ,* Num.20.
ita vt populus biberet, & iumenta. Hic Deus li- v.10. & 11.
beralitatem suam queritur obscuratam, & fra-
tribus infert mulctam: *Quia non credidistis mi-
hi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non in-
troducetis hos populos in terram, quam dabo eis.*
Et quæ fuerit huius dignæ querelæ offensa?
Scilicet asperrimis verbis, & obiurgatoriis bene-
ficium impertiuisse: *Audite*, exprobrat illis
Moyses, *rebelles, & increduli, num de petra hac
vobis aquam poterimus eiicere?* Nonnulli faci-
liùs tolerassent sitis molestias, quàm verborum
ferrent iniurias: fors illos pœnituit accipere;
quia durum aspera verborum probra tolerare.
Adest Abulensis quæst.6. *Populus videns tantum* Abulens.
*miraculum laudasset Dominum; sed quia Moy-
ses & Aaron, vt venerunt, inceperunt obiurgare
totam multitudinem, & increpare eam vocando
incredulos, & rebelles; ideò multitudo turbata
animo ex dura reprehensione etiam videns mira-
culum, non laudauit Dominum.* Profectò mira-
culosum beneficium ad faustas acclamationes
cogebat; adeò tamen verborum asperitate in
odium adductum est, vt non solùm populus gra-
titudinis non dederit notas; sed tulerit mole-
stissimè verborum iniurias. O quàm magni æsti-
massent prodigium, si Moyses asperrimis verbis
non exulcerasset animum, nec irritasset affe-
ctum. Ergo ea placiditate beneficia confert, quæ
virtutis non adulteret gratiam; sed adauxerit
recipientis beneuolentiam. Adde Deum hîc ira-
tum, quia petra eius ænigma gemino ictu per-
cussa: nec enim haberi poterat beneficium, quod
violenter ad speciem apparebat extortum.

---

§. XLII.

*Despiciunt sæculorum adsultus virtute par-
ta: vel in diem non durant, quæ fauo-
ris, aut artificij elaborauit industria.*

QVidquid humanum, variis agitatur vici- 178.
bus, & continuis subiacet mutationibus:
arbores iam grata floriditate vestiuntur, iam
nudæ, & pallida macie cadauera sunt: riuus
continuò

continuo fluxu adaugetur, & quia semper alius, idem: Luna menstruis circulis variat iam corniculata, iam pertumida, iam diuidua: constat varietatibus mundus, quas si abstuleris, & illum tolles. Nihil est, quod non alternetur vicibus: quia ferè omnia temperata sunt varietatibus. Audi Tertullianum lib. de pallio cap. 3. *Laudans orbem, mutantem quid denotas hominem? Mutans, & bestia pro veste formam, quamquam, & pauo pluma vestis, & quidem de cataclistis; imò, & omni conchylio depressior, qua colla florent, & omni patagio inauratior, qua terga fulgent, & omni syrmate solutior, qua cauda iacent. Multicolor, & discolor, & versicolor; nunquam ipsa; semper alia, etsi semper ipsa, quando alia: totiens denique mutanda, quoties mouenda.* Ad leuem motum iam auis alia; imò semper ipsa, quia semper alia. Verùm etsi humanis rebus varietas concarnata, & conuiscerata sit; ea tamen, quæ virtutis merito parta, non modicè sunt firmiora, vt illa, quæ fortunæ fauore, aut artis studio elaborata, imbecillissima, ipsámque mobilitatem longè supergressa: *Honestum*, aiebat Seneca epist. 67. *nullam accessionem recipit: honestum est enim propter quod illa, quæ retuli. Quid porrò decorum, & iustum, & legitimum, non eiusdem esse formæ putas certis terminis comprehensum?* Non mutat formam honestas, nec certam habet voluptas. Testatur hoc Calebus animi virtute Hebronem hæreditatem adeptus: aduersus sæculi inconstantiam durat, & aliis variantibus perseuerat: *Benedixit ei Iosue, & tradidit ei Hebron in possessionem: atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo vsque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israel.* Durauit in longum tempus virtute acquisitum; citiùs cinerescerct, si aut industriæ arte, aut arridente fortuna partum: *Vsque in præsentem diem, id est, vsque ad diem quo liber iste scriptus est*, exponit Abulensis quæst. 7. *quod fuit tempore Samuelis: tunc enim pertinebat ad Caleb, id est, ad filios eius; quia non viuebat tunc Caleb, cùm multa tempora intermedia transissent.* Parta virtute possessio despexit tempora, & perseuerauit aduersus sæculorum insultus firma.

Tertull. Senec. Abulens.

179. Componamus duas arbores satis Scripturâ celebres, illam Nabuchodonosoris proceritate superbam, cælis minitantem, stellásque dilatis ramis veluti illorum fructus mentientem: *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia, magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius.* Vides torosam arborem firmis ad speciem suffultam radicibus, viriditate vernantem, pulchritudine comatam, altitudinéque superbam: audi modo repetitos securis ictus: iam horret dispoliata viridibus foliis, ramorum orbata brachiis, fructuum denudata diuitiis: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius.* In noctis spatio, & aruit, & germinauit; imò citiùs quàm germinauit, exaruit. Aspice modò virgam illam Aaronis nullum à terra succum trahentem, radicibus humanis non fultam; sacro tamen nomini dedicatam: *Sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Quanto tempore putas in virga hac floriditatem durasse? Sæculis in testimonium reponitur, à temporum iniuriis exempta, æternùm floret ornata. *Refert virgam Aaron in tabernaculum testimonii, vt seruetur ibi in signum rebellium filiorum Israel*: viridis, florulentáque iniquitatis ora præcludebat: aliter nec intentioni profuisset, nec rebellium suspicionem damnasset. Ita Abulensis quæst. 11. In virga frondes aduersus temporis insultus mansisse testatur. *In ea ista semper conseruata sunt, vt esset perfecta probatio: si enim post emarcuisset, cadentibus foliis, & fructibus ab aliis virgis nihil differre videretur.* Sanè in radicata, & fundata arbore viriditas, decórque foliorum videbatur in longum duraturus; virgæ terrenis succis orbatæ, & marcor debitus, & ariditas cognata; imò si aliqualis antiquæ pulchritudinis decor, citissimè deflorandus, & deponendus: quomodò ergo in exucca virga floriditas, & in arbore fundata deformitas? Quia comantem illam arborem non virtutis; sed vanitatis vndis irrigatam depinxit superbiæ tumor; at Aaronicæ virgæ ornatum sanctitatis fons irrigauit: vel leuis ergò flos virtute suffultus despexit sæcula; torosi rami sanctitatis humoris exucci citissimam sensere ruinam. *Virga Leui viruit*, scribit Gregorius lib. 14. moral. cap. 19. *& quid virtutis Aaron in munere haberet, ostendit.* Aaronicæ virgæ formositas durat in æuum contra fortunæ acriùs adspirantis flatus, & contra voraces sæculorum adsultus: quia virtutis vndis fœcundata, & sanctitatis brachiis fulsulta; at quia plantæ procerissimæ decus virtutis non erat fructus, infelicitati subiectum, & ruinæ, non tempori exortum. O quoties quæ videbantur fixè fundata, & sæculum despectura, veluti surgentium somnium disperiere vanissima! Cùm tamen virtutis fructus, & soliditate armetur, & aduersus temporis voracitatem muniatur. *Quid Aaron virtutis haberet, ostendit*; at arbor Nabuchod. quàm vanitas citò euanesceret, demonstrauit.

Dan. 4. v. 8. Num. 17. v. 8. Abul. Gregor.

180. Ioseph Pharaonis somnium interpretatus post enauigatos laborum fluctus thronum inscendit, & Ægyptum à famis ærumna seruauit: parum intererat copiosos arua tulisse fructus, ni opportunè reseruasset prudentia, & prouidenter reposuisset industria; & parum profuisset industria, ni suppeteret fructuum copia. Ioseph de peregrino ciuis, de seruo prorex, non solùm necessitatis tempore colitur; sed vsque ad mortem constanter dignitatibus exornatur: *Mortuus est expletis centum decem vitæ suæ annis, & conditus aromatibus repositus est in loculo in Ægypto.* Dignitas vitam comitata est: simul exuit corpus, & dignitatis ornatum; cùm ille Assueri priuatus in gratiam citissimè incurrerit; irámque meruerit: *Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo.* Finis respondit origini: priuatus iste, dum innocentibus captiosas tendit insidias, patibuli suffert infamiam: Ioseph, dum humanitate vel nocentibus remittit offensam, lucratur sibi Principis amicitiam. Aman fortunæ fauore euectus, & ad dignitatis apicem eleuatus: *Rex Assuerus exaltauit Aman.* Qua de causa? Nullam inuenies præter regis fauorem; at Ioseph de somnii interpretatione creuit, de sapientia placuit, de prouidentia luxit: hic ergò, cui patrocinabatur virtus,

Genes. 50. v. 25. Esther 7. v. 25.

virtus, vitam cum dignitate finiuit; ille, quia sola fauoris leuitate volarat, patibulo interiit suspensus, & luxit dignitate ante patibulum orbus. Quàm benè Basilius orat.8. *Per omnes virtutum gradus pedem promouens, ac velut inter ignes tentationibus colliquefactus, & probissimus athletes existens, præmium virtutis regiam tulit dignitatem: carcerem thronus excipit, & fit Ægypti dominus adultera captiuus, annonæ custos, & moderator in fame.* Ioseph post carceris patientiam thronum inscendit; Amanus dignitatis superbiam crucibus soluit. Ecce cur alter omni vitæ tempore, postquam inscendit thronum, purpurâ ornatus, & insignibus regiis irradiarit excultus: quia videlicet thronum tulit virtutis præmium; Aman verò humano solum fauore elatus corruit citissimè infami patibulo occisus: *Exaltauit Aman filium Amadathi. Iniquitas interpretatur*, exponit Interlinearis. Concinit moralis Glossa. *Aman interpretatur iniquitas.* Iniquus exaltatus sibi minabatur ruinam, iuxta illud Prophetæ: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum, & transiui, & ecce non erat.* Si vis despicere sæcula virtutis ambi patrocinia: nam quæ fauor peperit, in ipsis sæpe incunabulis extinguuntur: quæ prodidit virtus, vel in occasu firmantur.

Basil. Seleuc.

Interlin.

Glossa moralis.

181. Æneus serpens, & vitulus aureus thronum inscendunt, Aaron pretiosissimis conflat metallis brutum, & maximo auri dispendio ingens populo est architectatus periculum: Moyses serpentem fabricat, & pro populi medicamine leuat; verùm, licèt vtrique thronus, non throni consimile tempus: vitulus námque adeò citissimè disparuit, vt nondum flammarum calore sopito iterum flammis deuotus, ac in nigros, & sordidissimos cineres sit redactus: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem*: Serpens longo tempore perseuerat. Quod si inquiras discrimen, ipsa respondebunt initia: vitulus namque dementiæ, ac furoris popularis fuit partus: *Congregatus aduersus Aaron dixit: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant*; at serpens orationis fuit fructus: *Orauit Moyses pro populo; & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum.* Oratione elaboratum perseuerauit multis temporibus inconcussum; at populari aura; imò dementia sublime quàm citissimè periit, & velut somnium disparuit. Vitulus videbatur de materiæ pretiositate immunis, de soliditate æternus, ac de throno semper omnibus adorandus; serpens materia non adeò nobili videbatur facilius despiciendus, & despectu obliterandus; at quia orationis fructus serpens vitam elaborantis est supergressus, popularis tamen fauoris inuentum viuente artifice; imò exiguis horis ignominiosum tulit excidium. *Dicit R. Salomon*, scribit Lyra, *quòd Moyses recedens de castris, volens ascendere ad Dominum dixit se rediturum quadragesima die circa horam sextam; populus autem intellexit, quòd dies sui recessus esset de numero illo... tricesimo nono autem die, quem populus credebat esse quadragesimum, Sathan turbauit aerem, & ostendit similitudinem feretri dicens quòd mortuus esset Moyses, & tunc populus concitatus fuit ad fabricandum idolum.* Profectò hæc Rabbinorum deliria, aniles fabulæ, & mera commenta; verùm indicant quàm tempore exiguo vitulus auri pallore radiarit, scilicet per diei dimidium: si enim populus trigesimum nonum diem quadragesimum esse putauit, inter errorem, & descensum dies tantummodò vna poterat interesse, quo solo tempore, & vitulus inscendit thronum, & conculcationis tulit supplicium. Vno die durat vitulus insano populi fauore adoratus, manet in sæculum comminutus; at serpens diuturnior quia non populari aura ad dignitatis fastigium elatus; sed orationis fuit fructus.

Exod.32. v.20.

Num.21. v.8.

Lyra.

§. XLIII.

Vel apud sæculum fulget clarior, qui Numini appropinquat deuotior.

Omnes tenet claritatis ambitio; quia per originum traduces serpit in Adami posteros elationis cupiditas: quisquis mortalium nascitur, vel ab incunabulis ad altiora præsumptuosis elationis volatibus ascendere aggreditur: *Habet enim hoc in se generosus animus*, aiebat Seneca epist.39. *quòd concitatur ad honesta: neminem excelsi ingenij virum humilia delectant, & sordida: magnarum rerum species ad se vocat, & extollit: quemadmodum flamma surgit in rectum, iacere ac deprimi non potest, non magis, quàm quiescere: ita noster animus in motu est, eò mobilior, & actuosior, quò vehementior fuerit; sed felix, qui ad meliora hunc impetum dedit.* Errant profectò homines, dum splendida, altáque petentes vitiis indulgent, cupiditatibúsque adulantur: felix, qui animi generositatem ad honesta explicuit, & ad meliora applicauit: hic namque recto itinere perueniet, & quam desiderat honoris lucem, à virtutibus mutuabitur. Sola virtus durat, soláque honesta sæculis famam æternant, & fortunam prosperam firmant. Ecce Calebus possessionem adit celeberrimam, gigantum scilicet curiam, honoratissimámque gentibus antiquitus regiam. *Tradidit ei Hebron in possessionem, atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo vsque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israel.* Ecce virtutis fructus: inextinguibili dignitatis luce Calebus sæculis fulgurat, dum virtutis patronus leges implere amat: Hebraicè sic legitur: *Quia impleuit post Dominum Deum Israel.* Græcè: *Quia obsecutus est iussui Domini.* Legibus exactè parens prolixam vitam sibi procudit, & triumphis coronatus resplenduit; qui Deo deuotior, & apud gentem illam nobilior. Cæci profectò delirant, qui magnitudinem vultus toruitate ostentant, qui de pauperum rapinis operosas superbiæ moles ad æternam nominis famam ædificant: nam citò temporum adsultibus dilabuntur, quæ solidis virtutum radicibus non fundantur: Calebi durat memoria, nec extinguenda sæculis marcescet fama. 182.

Senec. Honestum animus ex se excitatur ad honesta.

Hebraica. Græca.

Moyses cùm Domino collocutus faciem ostendit luminibus coruscantem: viderunt filij Israël; sed ipso lumine, quo prolectari debuissent, fugati accedere renuerunt: velum interpositum nubis adinstar radiorum efficaciam obnubilauit, & fulgores aliquantulùm oculis humanis sopiuit: *Posuit velamen super faciem suam; quod ingressus ad Dominum auferebat, donec* 183.

Exod.34. v.33.

donec exires: Moyses Deo cæteris in monte propinquior, & cæteris etiam clarissimis luminum fulgoribus illustratus: accedentibus creaturis velum obducitur; at dum Deo allocuturus appropiat, velum reducitur, & tota luminis pompa vultus species ornatur. Hæc litteralissimè ad historiam; sed moralissimè etiam ad tradendam nobis doctrinam: tunc Moyses vel apud sæculum plus fulget; cùm à creaturis remotior, Numinique propinquior: de creaturarum accessu lumen infuscatur, & splendoribus velum obducitur: tunc velum habet, cum creaturis immixtus degit; tunc luce fulget clarissima, cum Numine secedens à tumultibus agit. O quantum claritatis vultui ademerant creaturæ. O quantum Numinis acquisiuit propinquitas! Deum alloquente velum reducitur, cum creaturis agente oppanditur, vt scias non interna solùm; sed externa luce plus honestiúsque fulgere, quos Numini præ cæteris videris propinquare. *Clarè manifestat vicissitudines apponendi,* Caiet. *& remouendi velum*, inquit Caietanus, *quandiu visa est facies eius, quasi cornuscando splendens.* Lippoman. Clariùs Lippomanus: *Vbi agnouit Moyses faciem suam splendore maximo afferre metum Israelitis, cœpit velare faciem verba faciens ad eos; velamen autem obductum faciei deponebat, cùm erat tabernaculum ingressurus*: fulgentior in tabernaculo, obscurior in populo: egredientis faciem splendoribus spectarunt promicantem: oppanso velo secum minus fulgidà colloquentem: accessus, recessúsque luminis erat mensura, vt nobis de lumine etiam promanaret doctrina: quo repetat Seneca: *Felix, qui ad honesta hunc conatum dedit*: & vt repetere nos possimus: *Infelix, qui ad turpia.*

184. Sponsus eximias dotes allaudaturus sponsæ:
Cant.4.2. *Capilli tui*, inquit, *sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Galaad transmigrationem designat ad Ecclesiam, eorum scilicet, qui de sæculi conuersatione iter ad Christum Dominum arripuerunt. *Meritò igitur*, scribit Ambrosius hic, *reuelata sunt animæ iustorum, & reuelata à monte Galaad, hoc est à transmigratione testimonij, eo quod à synagoga ad Ecclesiam testimonium cæleste migrauit.* Audis transmigrationem ad egregias semper virtutes: audi etiam quomodò transmigrantes ad luminis peruenerint splendores: nec enim mysterio caret capris comparari, vbi contingit transmigrationem audiri: capræ namque inter animantium greges altiora petunt, & claris montium culmi-
Ambros. nibus viuunt. Audi Ambrosium: *Vides quòd in altis grex iste pascitur audax in monte: ibi cibus dulcior, ibi fructus electior.* Putares transmigrantes, dum prata floribus fallaci viriditate vernantia relinquunt, horridis dicari, & obscuris tenebris sepeliri; falleris tamen: nam qui virtutes sectantur, & fructu dulciori exundant, & altiori dignitatis culmine radiant. Galaad cum capris coniunctum est, vt & culminis promittatur sublimitas etiam apud sæculum, quibus in pretio Numinis fuit mandatum: *Vbi alij præcipitia, ibi capris nullum periculum; vbi alij periculum, ibi gregis huius alimentum*, scribebat Ambrosius ibi. Quàm verè virtutis asseclæ, dum honestate muniuntur, dulciores fructus inueniunt, & aliorum præcipitia diffugiunt: non nutant, quia virtutis stabilitate fundantur: alta petunt, quia meritorum volatibus efferuntur: plures diuitias amiserunt voluptatibus indulgentes, plures viribus corporis destituti marcent, dum differtis mensis, & phalernis vinis dicantur: plures dum iniustè sibi dignitates exambiunt, dignè quos habebant, honores amittunt; qui verò virtuti student, legique obediunt, dum Numen habent propitium, salute fruuntur, & sæpè dignitatum luminibus adhornantur: capræ celerrimæ per prærupta montium tutæ discurrunt, virtutisque asseclæ pernicibus honestatis alis culmina dignitatis inscendunt: vel apud sæculum clari fulgent iusti; quibus malitia cordi est, vel apud sæculum obscurantur peruersi: *Vides quòd in altis grex iste pascitur audax in monte.*

Primi fratres, dum Numinis cultui tributa pendunt, huius veritatis formam præscribunt: 185.
Cainus, qui non tam placere, quàm conscientiam sopire studuit, fruges obtulit inanimè sacrificium, victimam vanitate inflatam, veritatis soliditate non fultam: *Factum est post multos* Gen.4.v.3.
dies, vt offerret Cain de frugibus terræ munera Domino. O stultam prorsus væcodiam: munus reputat, quod tributum exigebat religio: non dedit; sed soluit, & fortassè indecorè soluit: quia, vt ipse putabat, dedit. O quàm diu hæsit animo munus! *Post multos dies*, inquit: diu noluit, qui tardè dedit. *Post multos dies*: non maturauit victimam, vt offerret; non primitias detulit; sed deteriora iniquissimus obtulit: Abelus dociliori ingenio præditus sic Domino placere gestiuit, vt de primogenitis, eisque optimis litare sacrificium curarit: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Offerentium animis responderunt euentus: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain verò, & ad munera illius non respexit.* O Domini humanitatem! Oculos auertit, ne quodammodò offerentis culpam aspiceret: respexit ad Abel, vt grato vultu offerentis animum munerarer, dum oblata lubenter, lubenter acciperet; verùm qualis hîc respiciẽdi modus interpretibus dubium. Hieronymus ex Theodotione probat coruscam cælitus missam lucem Abelum, sacrificiúmque ambisse, pulcherrimisque radiorum
fulgoribus decorasse. *Vnde scire poterat Cain,* Hieron.
inquit in quæst. super Genes. *quòd fratris eius munera suscepisset Deus, & sua repudiasset, nisi illa interpretatio vera esset, quam Theodotio posuit: Et inflammauit Dominus super Abel, & super sacrificium eius; super Cain verò & super sacrificium eius non inflammauit*: itaque ex Hieronymi, & Theodotionis sententia corusca lucis inflammatio sacrificium absumpsit sitiente lingua, & Abelum diadematis instar caput redimiuit micanti flamma. Ecce vel apud mortales oculos, qui & Deo propinquior, lucidior; & qui indeuotior, abiectior: obscuratus est de ingenij prauitate Cainus; de animi probitate refulxit Abelus. Micat inextinguibili luce sanctus; non illustrandis tenebris dicatur peruersus. O quàm fallitur, qui, vt apud sæculum fulgeat, vitiis inseruit! Ille solùm claret, qui obedit virtuti.

Noë Christi Domini figuram gerens genero- 186.
so charitatis vino extra se actus dormiuit: vidit Cham nudum, & qui colere debuisset genitorem, vestibus despexit exutum. O quàm vel apud filios malè audit paupertas! non meminit se anxiis parentis laboribus asseruatum, & meminit patrem mysterio, non vitio ebrium: à parente

discessit, vt se foras proriperet, & fratribus non tam patris incuriam, quàm propriam denunciauerit petulantiam: *Nuntiauit duobus fratribus suis foras.* Fratres, ne visus aliquam doceret irreuerentiam, versis vultibus paternam pallio satagunt honestare ignominiam: *Incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui.* Res, quæ facta dormienti, cognita est liquidè à vigilanti: putabat Cham patrem non videre, vt indecorè insultaret; & vidit pater, vt suppliciis dignis puniret. Seruitutis iugum imponit Cham, qui à patre discesserat, vt rideret; Sem imperium firmat, qui patri accesserat, vt operiret: *Benedictus Dominus Deus Sem: sit Chanaan seruus eius.* Ecce accessus, recessúsque dignum fructum: qui patris tabernaculū egressus est, vt dedecus fratribus enunciaret, seruus luget, & ignobili adustus nota ingenuitatem deperdit; at Sem, Iaphétque, qui patri officiosis gressibus propinquarunt, & imperij dignitate emicuerunt: non solum virtutis incrementis resplendent animo; sed apud sæculum etiam honorantur imperio. *Multiplex peccatum congeritur*, inquit Caietanus in catena, *& quòd nunciauit non vni tantum; sed duobus fratribus, & quòd foras ad hoc exiuit.* A patre recedens quid aliud ageret, nisi illudere, & subsannare, & quæ breuissimi risus pœna, nisi dura seruitus, & nunquam solandus luctus? Chrysostomus Cham putat libidini intemperantiæque deditum: risit ergo in patre nuditatis opprobrium, qui se toties nudauerat, vt perpetraret peccatum. *Vt discas*, inquit apud Lippoman. *illum fuisse intemperantem, & incontinentem, & mente, qua in tanta turbatione procreandæ proli vacauit, eadem etiam nunc in contumeliam patris prorupit.* Mente corruptus, & corpore maculatus subsannauit, irrisitque genitori, quia nudus. O quàm leuia in aliis carpimus, qui in nobis grauissima non videmus! Quid mirum indulgeret Noë Bacchho in tanta iam cæli serenitate, cùm ipse Cham, dum vortices scapham premerent, Veneri intemperanter vacarit? Rupertus in Genes. cap. 37. nequitiæ mercedem ait fuisse posteris seruitutem. *Minorem illum appellat, qui patris pudenda diuulgauerat, cùm fuerit natu medius minorem, inquam, non tam ætate, quàm pro vitio, & morum indignitate: seruus seruorum*, inquit, *erit fratribus suis.* Seruitutem emit opprobrio, fratres dignitatem obsequio: vt verum sit vel apud sæculum de virtute nasci gloriam, æternamque sæculis procudi famam.

[Margin: Gen. 9. v. 22. — Caietan. — Chrysost. *Leuia in alijs carpimus, in nobis grauissima nō videmus.* — Rupert.]

§. XLIV.

Plurimum valent maiorum exempla, vt virtutem foueant, & ad egregia natos patranda alliciant.

187. Paterna vox animo vigorem inspirat: nota auditur, & libenter obtemperatur: mira res; perdices nonnunquam venatorum insidiis agitatæ oua deserta vitæ periculo reliquerunt: fouentur non semel extranea pietate, quæ materna nequiuerunt in pullos excludi solicitudine; verùm ea naturæ vis est, vt statim ac materni cantus illorum auribus instillentur, relicta nutrice veram parentem sequantur. *Perdicibus*, scribit Cassiodorus 2. variar. 14. *etiam mos est oua perdita per alterius matris damna sarcire, vt adoptione alienæ sobolis incommoda sua reparent orbitatis; sed mox vt nati fiduciam habere cœperint ambulandi, ad campos exeunt cum nutrice, qui, vt fuerint materna voce commoniti, suorum suorum potius genitricem petunt, quamuis ab alijs furtiuis fætibus educentur.* Naturæ ingenium à quibus accepit vitam, didicit præstare obedientiam: adulterina perdices relinquunt, vt genuina sequantur: inest paternis edictis nescio quæ ad mouendos animos efficacia, quò faciliùs præstentur obsequia; verùm etsi hæc insita voci vis sit, maiorem actioni inesse energiam non dubitamus: quia faciliùs oculis hauritur doctrina, quàm auribus transmittantur præcordiis monita. Quæuis magnorum exempla sunt ad virtutem stimuli, & ad simile patrandum calcaria: *Nec enim paruæ ad salutem momenti* (verba sunt Clementis Alexandrini lib. 3. pædag. cap. 8.) *sunt exempla:*

Vlyssis vxorem vide (ait tragœdia) haud letho dedit
Telemachus: haud marito namque iunxerat
Maritum: et cubile in ædibus sanctum manet.

Flagitiosum probro dans adulterium temperantiæ pulchram ostendit imaginem in maritum amorem. Penelope absente longa tempora Vlysse, licet tot procis prouocaretur, nunquam induxit animum, vt alij nuberet, & dum fidem marito seruat, Telemachum filium sibi reuerentiam, fidémque seruare docuit: vt Clytemnestra Agamemnonem occidens violentas etiam in seipsam inferre manus Oresten filium quodammodò impulit, dum factis instruxit. Quàm verè aiebat vbi suprà Cassiodorus: *Ferarum catuli sequuntur parentes: à cæspite suo virgulta non discrepant: propago vitis propria seruit origini.* Profectò vitis surculus dulces, Solísque ardoribus aureas producere gestit vuas, quia vitis mater, & vuas protulerit. *Rectè vobiscum agi credimus*, aiebat Romanis Attalaricus 8. variar. 3. *si aui veneranda vestigia subsequamur: nostra siquidem opinionis interest, vt quos ille benignissimè tuitus est, nos etiam statuta constantia, copiosa beneficiorum vbertate pascamus.* Interest aui sequi vestigia: quia posterorum semper vocant, aut accusant exempla. Non discrepant vt plurimum filij à parentibus; imò vel retardante ætate exiguis lineis imagines maiorum adumbrant. Lacedæmonij viri cum Argiuis de agro Tyreate certarunt; pluresque pro patria gloriosè ceciderunt: parta est à Lacedæmoniis victoria: Othryades solùm relictus fuerat, qui iucundum nuncium deferret; ille vero probro ducens pro patria vitam cum cæteris non profudisse, sibi victor manus iniecit, ne minus egisse pro patria videretur. In huius facti, triumphíque memoriam exstructa est Othryæ Dianæ ara, ad quam quotannis certatim pueri confluebant nuda corpora duris verberibus obiiciētes, cúmque coætaneis de patientia certantes: ibi sanguine se lætabantur aspersos, vbi nouerant maiores suos olim effuso sanguine tinctos. Audi Plutarchum in Laconicis institutis. *Pueri apud eos lacerari se flagellis totum diem in Dianæ Othryæ ara subinde ad necem vsque læti, & gestientes sustinent, atque inter se concertant de palma qui ipsorum diutiùs, & meliùs verbera tolerent: qui vicerit, est splendidus in primis.* Occisi

[Margin: Cassiodor. *Perdices ab alia nutrice fota maternam vocem agnoscunt.* — Clem. Alex. — Cassiodor. — *Othryades sibi manus victor iniecit.* — Plutarch.]

parentes

parentes, maiorum sanguis in hanc filios impulit dementiam, vt ambitiosi effundere gestiuerint etiam vitam: parentes ferreis se obruerunt mucronibus, duris se filij deuouere verberibus. Sic exempla alliciunt; imò sic maiorum facta compellunt.

188. Filij Iuda ad Iosue accedunt, & inter eos Calebus, vt sibi facultatem faciat, expugnandi Enacinos, vrbémque Cariath-Arbe subigendi, deposcit: annuit Princeps, & Hebron Calebo in possessionem adscribitur: *Ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo vsque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israel. Nomen Hebron antea vocabatur Cariath-Arbe.* Profectò res à Calebo expostulata ingentibus erat difficultatibus plena: *Da mihi,* inquit, *montem istum, in quo Enacim sunt, & vrbes magnæ, atque munitæ:* plenum petit periculis præmium: nec esset mirum, si tentasset expugnare ciuitatem ignorata immani gigantum proceritate, viriumque præstantia, mirandum tamen fuit rem sudore plenam, & periculo anxiam, in tot laborum præmium depoposcisse, senémque iuuenili ardore hostes ingenti robore præditos expugnare tentasse. Quid ergo Calebum in arduum adeò facinus impulerit, videamus. Fortè ipso vrbis nomine reseratur mysterium, scilicet Cariath-Arbe: hoc namque nomen vrbi inditum est, quia Abrahamus inde quatuor insecutus est reges: hæres ergo Abrahamitici imperij (erat namq; ex Iudâ Calebus oriundus) patris facinus imitari aggreditur: quia magnorum hæres egregia ad facinora prouocatur. Masius *Scriptum illic est,* inquit Masius, *ideo ab Arbe, hoc est quatuor, nomen isti vrbi esse: qui Abraham inde quatuor reges insecutus percusserit.* Abrahamus adultam satis ætatem ingressus sic masculo florebat animo, vt rem tentarit difficultatibus scatentem, scilicet reges partis insolentes victoriis insequi, prædámque furtiuam auferre: exemplo ergo patris sic accendebatur Calebus, vt ibi audacter tentauerit sibi gloriosos excudere triumphos, vnde illius parens valentes viribus persecutus est feliciter, aduersarios: Abraham inde quatuor reges insecutus percussit, & Calebus gigantes exterminauit. Quem egregia parentis allexerant facta, non potuerunt deterere pericula. Aggressus est ille quod olim est, & parens aggressus: sic per nobilitatis traduces quodammodò deriuantur & mores. Non sine iusta causa Diogenes adolescentem temulentum intuitus patrem Diogen. temulentum fuisse coniecit: *Parens,* inquit, *adolescens, te seminauit temulentus.* Relucent parentum ingenia in filiis, & à radice sugunt flagella aut fructus parere saporatos, aut gignere insipidos. *Lacedæmones regi suo mulctam dixerunt Ar-* Plutarch. *chidamo,* scribit Plutarch. de instituen. liber. *quòd pusillam staturâ vxorem ducere sustinuisset, addito elogio quòd non reges ipsis; sed dare regulos deliberasset.* Quasi quæ parentibus propria, & na- Cassiodor. tis sint generatione transmissa. Audi Cassiod. 9. var. 21. *Magnus verecundiæ stimulus est laus parentum, dum illis non patimur esse impares, quos gaudemus auctores.*

189. Iobus patientiæ speculum, sanctitatis columna sic inter affluentem auri copiam, & seruorum turbam egregias virtutes excolens dæmonem vulnerauit, vt excitatus sit ad calumniam; Deus facultatem inuito facit, quo athletæ sui inuictam sæculis virtutem prodiderit: quas non versutus virulentúsque hostis admouit machinas, vt constantissimam illam virtutis arcem subrueret? Filiorum deliciis orbat, greges anhelantibus flammis consumit, salutem pestilenti morbo depellit. Quid tandem Iob? *Scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit.* Iob. 1. v. 20. Origenes lib. 1. in Iob legit: *Aspergit terram super caput suum.* Origen. Se dæmonis artes imitatus viuum tumulauit, vt dæmonem tumulatus abigeret: marcent sanè machinæ, cornupetæ frustrantur arietes, dum sepulchri fœtidi hominis protegunt cineres. Rogat hîc Origenes ipsum Iobum, vnde in mentem venerit se vsque ad puluerem deiecisse, & comam puluere deturpasse, aitque à tritauo suo Abrahamo mutuatum exemplum, desumptúmque contra aduersarios auxilium. *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum,* aiebat Abrahamus, *cum sim puluis & cinis.* Genes. 18. v. 27. En auus Iobi se ad puluerem vsque deiecit, ne procellâ vanitatis, dum culmine fauoris micat, periret. Ergo nepos, ne infelicitatis fluctibus obruatur, caput etiam deturpat puluere. Audi Origenem: Origen. *Vnde hanc opinionem sumpsisti, ô beate Iob, vt terram capiti tuo aspergeres? A tritauo, inquit, generis mei Abraham dicente: Ego sum terra & cinis.* Suxit opportuno tempore exemplum, vt à cinere contra hostes efflagitaret auxilium: fecit filius, quod pater effecerat, & memor exempli gloriam etiam adeptus est triumphi. O quàm sugunt posteri, quod maioribus suis didicerunt exculptum! Aliorum exempla intuentium animos mouent, maiorum facta altissimis agglutinata visceribus hærent. Videant ergo parentes, quæ filiis exempla relinquant: nam faciliùs est ipsam naturam fallere, quàm à parentum factis, visísque exemplis natorum sobolem resilire. Se cinerem confitetur Iobus: quia scit tritauum protulisse se cinerem: sic animis posterorum originis insculpuntur facta, sic memoriæ traduntur exempla.

190. Quod filij exercuisse parentes norunt, imitatione adulatores exercent. Vineam plantauit Noë, ipsóque fructu ebrius, denudatus filiis pietatis, procacitatísque certamen exhibuit: Cham difficilis ingenij denudatum patrem irrisit: non legimus quem ex filiis mundi seruatorem laudibus extulisse, & nudum legimus Chamum indignis filio insultationibus denigrasse. O quàm celerior est ingenij peruersitas, quàm indolis probitas. Citiùs patrem vidit filius improbus, vt irridet, quàm probus, vt operiret. Digesto vino expergefactus rem omnem agnoscit pater: quis illi indicauerit, non refertur; verùm quæ in superiores Principésque vel clanculum perpetrantur, ab ipsis auibus deferuntur. In procacem filium pater optimus irascitur, vt omnibus ludibrio esset, cui pater contra naturæ leges fuerat ludibrio; verùm maledictio in nepotem iacitur ad speciem innocuum, prorsúsque immeritum: *Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis.* Gen. 9. v. 25. Profectò de sæculi more hæc fulminata videtur maledictio: cur puer pœnas dederit, si magnus perpetrauerit culpas? Adhúc vino occupatus videatur Noë, cùm maledicta congerit in innocuum, nec mulctauerit dignum. *Quia filius,* inquit Ambrosius apud Lippoman. *non minus ac pater auum irriserat, ignominiámque publicarat.* Ecce vbi patris refertur exemplum, & pueri punitur erratum: Ambros. *Qui doctrina paterna discipulus esset filius,* Ambrosium audis, &

& pessimarum amulus cogitationum vno corpore vterque vteretur, & mente, eadémque malitia. Indifferenter igitur vel paterna, vel sua malitia filius pretium luit: quoniam improbitatis commune consortium est. Eadem in auum perpetrat nepos, ac patrem conspexerat perpetrare: fecit ille quod exemplo doctus est: sic namque parentum exempla compellunt filios sic cogunt ad similia patranda natos.

191. Dei Filius sic hominum amore flagrabat, vt nullas in operãdo permiserit sibi inducias: Sabbathis etiam humanam miris operis procurabat salutem: quia Sabbatho etiam humanæ amore adurgebatur vilitatis: Pharisæi de malitiæ armamentario, vt quæ negare non poterant mira, calumniis apud populum infamarent, ingratis vocibus, exertísque clamoribus Sabbathi violatorem obmurmurabant: *Non est hic homo à Deo, qui Sabbathum non custodit.* O quàm peruersè Christi Domini honorem infuscant! Mira filium Dei asserebant; verùm vti Deo factis aduersam originem inficiari conantur: Patrem Sabbathis quieuisse constabat: *Requieuit*, inquit textus, *die septima ab vniuerso opere, quod patrauerat.* De operum ergo dissimilitudine opus improbant peruersi, & denegant virtutem maligni, adeóque apud populum hæc criminatio valebat, vt ipse Dominus cùm aliis criminationibus non responderit, huic de Sabbathorum violatione prudentissimus satisfecerit: Deus, inquit, nisi omni parte absoluto, perfectóque homine non quieuit Sabbatho: ideò ego, vt Sabbathis quiescam, medelam afflictis morbo hominibus adhibeo, eorúmque vtilitatem exopto. Ad rem Hieronymus in quæst. super Genes. & apud Lippoman. *Iuxta Græca exemplaria habetur: Et consummauit Deus in die sexto opera sua, quæ fecit. Pro die sexta in Hebræo dies septima habetur: arctabimus igitur Iudæos, qui de otio Sabbathi gloriantur, quod iam tunc in principio Sabbathum dissolutum sit: nam Deus operatur in Sabbatho complens opera sua, & benedicens ipsi diei, quia in illo vniuersa compleuit.* Deus Sabbatho quiescit, dum opera sua non sordent mutila; sed perfectè resplendent completa: Christus ergo vel ipso patris exemplo ad hominis absoluendã perfectionem alliciebatur, & quamuis aliis diebus opera similia aliquando intermitteret, Sabbathis Patris exemplum secutus humanam absoluebat salutem, quia eo die Pater curauerat hominis perfectionem. Pharisæi de peruersitatis ingenio dissimilitudinem in operando opponebant, vt originem denegarent; & quidem non esset leue argumentum, ni falsò innixum; verùm ipsa Patris quies Christum, ne imperfecto homine quiesceret, edocebat, quandoquidem nec Pater, nisi perfectis absolutisque operibus olim vacarat.

Ioan. 9. v. 16.

Gen. 9. v. 2.

Hieron.

192. Balaam, dum cupiditate allicitur, vt Dei populum maledictis euiret, exorientis fulgida pulcherrimi syderis luce sic illustratus est, vt maledicentiam debitam in benedictionem mutarit: *Orietur*, inquit, *stella ex Iacob, & consurget virga de Israel: de Iacob erit, qui dominetur.* Vides Balaam fulgidis stellæ vocibus informatum, Christi Domini imperium reougnante pessimo Rege exertis vocibus prædicasse: vide etiam quid longissima tempestate elapsa Magis acciderit: Christus nascitur, & Magi rutili ad astri conspectum adoraturi inuolant, & coram iniquissimo rege regnum recens exortum intrepida voce clamãt: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in oriente.* Eccur non timeant Magi coram ambitiosissimo Rege regem consalutare? Cur noui syderis aspectu mouentur, qui regia maiestate detinebantur? Quia posteri Balaam existentes, quod patrem fecisse sciuerant, effecerunt: *Sicut datur intelligi*, inquit Augustinus in catena, *traditionem Balaam sequebantur, qui dixit: Orietur stella ex Iacob: vnde videntes stellam extra ordinem mundi, hanc intellexerunt, quam Balaam futuram indicem Regis Iudæorum prophetauerat.* A maiori suo Balaam didicerunt syderis fulgore moueri, & in præsentia regis nouum regem consalutare: *Promissæ posteritatis hæredes in syderibus designati* (verba sunt Leonis serm. 3. de Epiphania) *ortu noui syderis excitantur.* Hæredes excitantur: fors, ni hæredes, minimè excitarentur: nam maiorum exempla alliciunt efficaciter posteros ad similia.

Num. 24. v. 17.

Matth. 2. v. 2.

August.

Leo.

---

§. XLV.

Sic in melius animus transformandus, vt nullatenus extet vestigium, nec leue vetustatis remanserit argumentum.

Liquere tibi hoc desidero, neminem videlicet posse non solùm beatè; sed nec viuere sine virtute: felix vita virtute perficitur; verùm licèt hoc animo firmandum, & alta meditatione iterum atque iterum sit figendum, satis non est meliora videre; sed necessarium sectari: masculo animo opus est, vt meliora exerceas, non obcæcata mente, vt honesta cognoscas: perseuerandum est, & assiduo virtutis studio robur addendum, donec animus sic omnibus se vitiorum cõtagiis exuerit, vt cupiditates despiciat, sensuum tumultus nesciat, & adsultus corporis vincat. Quos cæca adhuc cupiditas in nocitura iactat, quos satiata nunquam libido præcipitat, ad lucis nondum peruenere serenum miserandum passi naufragium: ille supra fortunam viuit, qui non solùm læuigat animi scelera; sed abradit penitus vitiorum vestigia. Quàm benè monebat Seneca epist. 10. *Variatur quotidie iudicium, & in contrarium vertitur, atque plerisque agitur vita per lusum: preme ergo, quod cœpisti, & fortassè perduceris ad summum, aut eò, quod summum nondum esse solus intelligas.* Non est modicè insaniendum, nec paululum febricitandum: robusta sanitas nec vultui infirmitatis permittit maciem, nec membris lassitudinem, nec gressibus titubationem: corpus firmat, & vegetum colore, & robore ostentat. O quàm citò prolabetur in peccata, qui adhuc incolit vitiorum confinia: transfigurandus est animus, & quidquid repræsentat mores antiquos, prorsus abolendum: Calebus possessionem adit, gigantum scilicet ciuitatem, & ciuitati vel antiquum nomen refigit, vt iam nihil dominos antiquos sapiat, aut memoriæ iterum ingerat. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe.* Cariath-Arbe vocatam à quatuor gigantibus ciuitatis erectoribus, aut sanè incolis apud interpretes vulgare est. *Quidam Enac Arba vocatum dicunt,* scribit Masius: *quia quartus cum tribus filijs Achiman, Sesai, & Tholmai dominatum Hebrone habuerit* 193.

Senec.

Masius.

habuerit. Itaque nomẽ Cariath-Arbe ciuitatẽ illam gigantũ imperio olim testabatur subiectam: ergo Calebus nomen deleuit, vt antiqui dominij abrasisset prorsus memoriam, nec extaret vel nomine monimentũ, quãdo in Dei populi trãsibat dominiũ: nec enim se perfectè possidere cẽsuisset, si vel nomen alium dominum indicasset.

194. Postquam Hebræorum populus tyrannicum Pharaonis excusserat iugum, ad mare deuentum est, vndarum volumina celeres fugientium gressus præpediebant; & quando, ne labores fugiant, miseris non obstacula, aut pauperibus impedimenta? Moyses extensa manu vndas verberat, & iam quæ impetrare non poterat à voluminibus virtus, impetrauit ab vndis tremor: ventus vehemens aquas congelauit in muros, & qui dissoluere solet petras, calor lapidescere fecit vndas: *Cùm extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum diuisáque est aqua.* Non semper virtuti militauit concordia, aliquando fuit conducibilior diuisio. Certè fallax aliquorum pax rescindenda, & concordia dissecanda: quod heri mare, iam puluis. O quàm vehementis spiritus fuit argumentum nec remansisse limum, nec vdis tramitibus imprimi fugientium gressum: per ima gurgitum populus puluerulentus incedit, & inter medios vortices nullum antiqui liquoris spectatur vestigium; imò contrarium potiùs argumentum: vehemens spiritus non permisit viam partim denudari vorticibus, partímque vndis humectari stagnantibus: in siccum vertit, & omne vetustatis signum abrasit. Adest Zeno Veronens. serm. 3. de Exodo. *Subitò diuinà prouidentià scinditur mare, aqua dextera, læuáque gelido stupore frænata vitreos diriguntur in muros præstolantes transitum Dei populi, vt persequentibus mare sint. Inducitur in viam Israel ingratus, in qua nec gladios possit timere, nec fluctus: mira res, medio puluerulentus in profundo.* Ecce Erythræum in geminas ripas diuisum mare ductis dextera læuaque vndarum aggeribus, in aciémque constipatis saluo liquore vorticibus, penitus arefacto profundo in semet contra se obnixa stupida pendet aquarum natura. Via inter fluctus patet terrena, & iam excitatus pedibus puluis aërem sordidat, vbi aqua heri vaporibus humectabat: vehementis spiritus fuit clarissimum argumentum nullum antiqui humoris itinere remansisse vestigium: gressus non maculantur lutosis sordibus; sed siccissimis albescunt pulueribus: minùs vehemens adspirasset spiritus, si antiquus aliquomodo perseuerasset status: *Abstulit illud*, inquit, *Dominus vento vehementi, & vrente:* Itaque vehementioris fuit spiritus argumentum nullum antiqui humoris reliquisse vestigium.

Exod. 14. v. 21.

Zeno.

195. Nehemias aquam inuenit crassissimam, qua sacrificium iussit aspergi: *Non inuenerunt ignem; sed aquam crassam, & iussit eos haurire, & afferre sibi, & sacrificia, quæ imposita erant, iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsâ aquâ, & ligna, & quæ erant superposita.* Aqua, quæ in profundo putei crassa, iam aris superimposita mutauit cum loco ingenium. Audi textum: *Vtque hoc factum est, & tempus affuit, quo Sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.* Ecce aqua, quæ crassitie sua tendebat deorsum, iam volucris flammæ naturam induens cælum tetendit, inferiora superbia nobili dedignata. O quàm refulsit verus Sol, quàm discussis nebulis canduit, dum aqua transiuit in ignem! Certè dum Solis lux terreis vaporibus impedita, & obscuris nebulis offuscata aqua crassitudinem conseruabat; at vbi micantior lux, vbi liberior radius iam desueuit naturam, & crassitiem mutauit in flammam. *Visu mirabile*, scribit Ambrosius lib. 1. offic. cap. 14. *cùm esset cælum intectum nubibus, Sol repentè illuxit, accensus est magnus ignis, ita vt omnes in tam euidenti Dei gratia factò stupentes lætitia perfunderentur.* Diuina coruscat gratia, dum aqua transiuit in ignem, dum proprium adeò nudauit ingenium, vt induerit prorsus contrarium: iam flamma leuis, quæ vnda crassitudine grauis: iam tendit sursum, quæ nuper tendebat deorsum: mutauit ara, quam accepit crassam naturam, vt prorsus crassitudinis deleret notam: iam de frigiditate ardor, de crassitie leuitas, de obscuritate splendor: quia quam sibi adoptauit gratia, non potuit non nobiliter à seipsa degenerasse natura. Hinc spiritualis profectus censendus, & hac æquitatis trutina mensurandus: nondum cælestis lux terrestribus nubilis expedita, dum aqua non transit in flammam, dum frigus non ardet, dum rigor non vrit: sic Solis candor mutauit vnde crassitiem, vt splendescentem verterit in ardorem. Teipsum examina, & videbis an sereno cælo fruaris: si antiquas cupiditates exueris, si passionum domuetis impetus, si noxij ardoris refrænaris adsultus: de mutatione censetur profectus, & proditur proficiens virtutibus animus. Qui eadem retinet actionum lineamenta, nondum peruenit illuc, quò peruenientes feliciter transfigurantur, & diuersos vultus assumunt.

2. Mach. 2. v. 20.

Ambros.

Fugiebat iram fratris Iacobus, inuidiæ absentia adhibuit medelam, ac huic morbo persanando opportunam loci distantiam: afflictum solatur Deus, humíque cubantem magnificis ditat promissionibus, supergresisſque humanas spes muneribus: *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo.* Columellam gratitudinis erigit testimonium, & loci appellationem titulo nobiliori commutat: *Appellauit nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur:* Iam antiquum aboletur nomen, vt Deum ibi adfuisse sæculis sit peruulgatum: esset námque loci iniuria, quam ante præsentiam Numinis habuit appellationem retinere, & Luzæ vocabulum conseruare. Benè; sed cum viatore excurramus. Peruenit Iacob ad auunculi domum, iámque susceptis filiis domum repetebat, cùm cælestis luctator in stadio pugnat, & præmij loco nomen indidit nouum sublato antiquo: *Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum; sed Israel.* Vide visionum differentiam. Modo nomen induit, priùs minimè commutauit: & cur anteà non Israël, aut cur modò non Iacob? Intimiùs perscrutemur visionis mysteriũ, vt quæstionis inuenerimus responsum. Cum scala dormienti obiicitur, Numen supremo gradu innixum distans longo tractu videtur: at cùm athletæ 196.

Genes. 28. v. 12.

Genes. 32. v. 28.

athletæ exercet officium, propior pectus iungit, & manus conserit. Ergo proximitatis, aut distantiæ certa mensura fuit antiquum retentum, aut vocabulum denuò inditum. Qui eodem perseuerauerit statu, Deum salutauit à longè, qui proximiorem amplexus est, & suspendit à terra gressum, & nobilius accepit vocabulum. *Tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit ... ipse verò claudicabat pede*: iam faustè claudicat marcidus, iam felicissimè pedibus orbus: proximitatis Numinis clara remansere vestigia, dum commutantur vocabula. A longè Deum vidit oculis somno signatis, qui eodem incessit modo, & eodem est appellatus vocabulo: cùm verò & aliter ponit gressus, & illustrius habet appellationis elogium, se Deum facie ad faciem spectasse testatus est: variatio, aut immutabilitas fuit distantiæ, aut proximitatis mensura, & de mutatione augustior resplenduit gratia. Innuit Gregorius lib. 24. moralium, cap. 6.

Gregor. *Prius a mentis acie exurente tristitia interposita malorum caligo detergitur, & tunc resplendente raptim coruscatione incircumscripti luminis illustratur, quo vtcumque conspectu in gaudio cuiusdam securitatis absorbetur, & quasi post defectum vitæ præsentis vltra se rapta in quadam nouitate aliquomodo recreatur.* Iam nouus Israel, qui vetus Iacob: iam sic absorptus à gratia, vt humana penè nudatus fuerit natura: aliud namque est Deum à longè aspicere, aliud proximè accedentem amplecti; nomen mutatur, & de contactu antiquus gressus deponitur: iam Israel non tangit, quam anteà tangebat terram: iam ferè totus mens, si anteà corporis malè grauatus: modò dedignatur humana, qui ardenter sitit diuina. Audi Rupertum apud Lippomanum:

Rupert. *Grandi quidem spiritus commodo; sed & magno carnis suæ vicit detrimento. Denique claudicat is, qui vicit: quia tetigit, qui victus est, neruum femoris eius, & emarcuit. Quomodo claudicat? Videlicet vno pede terra innitens, alterum à terra suspendens... Iste claudus salit, vel ascendit sicut ceruus, terrámque vix tangere dignatur: nam conuersatio eius in cælis est.* Totus mutatur, nec antiquæ manet conditionis vestigium: quia quidquid vetustatis, absorbuit felicitatis elogium.

197. Hoc idem, quod in eximiè perfectis vides, & in perfectè malignis inuenies: à se ipsis malignis vitiorum artibus desciscunt, nec lineamenta vel naturæ humanæ referunt. Aspice Nabuchod. superbiæ veneficiis brutum, ingeniúmque

Daniel. 4. v. 90. exutum quodammodò humanum: *Fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium.* Vide figmentum vitiorum contrarietate compactum bouem refert tardissimum, aquilam pernicem: aquila ad raptum, bos ad ventris appetitum. Homo erat; sic tamen humana denudauerat lineamenta, vt prorsus bruti animalis indutus videretur natura: vitiorum præstigiis prorsus oberrabat campis mutatus, & humana indole exutus:

Gloss. *Figura mea reuersa est ad me*, inquit ipse. Ad quæ Glossa Interlinear. *Humana, quam susanus vi us est amisisse.* Adeò vitiis seruiuit, vt naturæ exuerit lineamenta, & bouis visus sit vestire naturâ. Imitare hanc vitiorum metamorphosim in virtute. Nabuchod. ab homine transiuit in bestiam; tu à bestia ad humanam transi honestatis formam.

§. XLVI.

Quantumuis industria vitiorum effugerit pœnam, in morte patitur ignominiam.

Hic est inter mortalium errores præcipuus, in legem procacissimè audere, & calamitatem prorsus depellendam confidere, crimen suum omnibus voluptati est: alius lætatur adulterio, alius furto: alium delectat culmen prauis artibus possessum, alium perpetratum in honoris vindictam homicidium; hoc tamen gaudium olim tantisper pœnæ, imminentísque calamitatis interpellabatur metu, & anxietas refrænabat, ne vltra limites egrederetur, audaciam. Quisque olim peccatorum fructu oblectabatur; notitiæ tamen subducebat errata, aut dissimulare arte gestiebat crimina: iam in peius ruere omnia, & exclusa animis verecundia est, viget sine rubore castitatis contumelia, vitiorum audacia. Bona elapsis sæculis, conscientia in publicum non detrectabat prodire, nec verecundabatur videri: ipsas tenebras timebat nequitia, & latere satagebat impotentium affectionum petulantia: iam ipsa consuetudine frontem attriuere delicta, & desuetudine latere inceperunt merita: virtus ac si rea sit, latebras quærit; vitium non veretur lucem: ideò obcæcatis appetitu oculis ostendere nitar peccatum nunquam effugere pœnam, etsi ad tempus solers supplicium propulsarit industria: nam in ipso vitæ occasu manet peccatorum infamia, & sepulchro insculpta sæculis vulgatur culpa. Disertè aiebat Epicurus, quamuis criminum posset vitari pœna, nunquam perpetranda fore delicta: quia prauis actionibus inuisceratus est timor, & suspensus vrget semper infelicitatis metus: *Crimina vitanda sunt, quia vitari metus non possit*: vrget futuri solicitudo, notitiæ metus, creber conscientiæ præcordia referit ictus. Benè Seneca epistol. 97. *Hinc consentiamus mala facinora conscientia flagellari, & plurimum ille tormentorum esse, eò quod perpetua illam solicitudo vrget ac verberat, quod sponsoribus securitatis suæ non potest credere.* Nulli etiam inter tuta aliqualis deest timor, & quos pœnis liberauit fortuna, metu contorsit conscientia. Adhæc si in vita non presserit pœna, morti criminum reseruatur vindicta. Dum Iacob patriam onustus diuitiis repetit, Rachel idola patris latenter subripuit, fors ipsa diuitiarum copia ardentiorem auri sitim ingessit, & cupiditatum flammam validiùs inflammauit. Laban maiori forsan studio, quia aurea idola perscrutatur, quam quia opinione diuina; verùm filiæ industria patris delusit solicitudinem, & artibus paternas frustrauit artes: *Illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper, scrutantique omne tentorium, & nihil inuenienti ait: Ne irascatur Dominus meus; quòd coram te assurgere nequeo; quia iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi: sic delusa solicitudo quærentis est.* Vides tuta crimina; sed non secura: pater, ne filiæ afferret aliquod detrimentum, quærere desistit idolum, & diuinitatis amor humano cessit amori: gloriabatur Rachel nullas ob culpam dedisse pœnas; verùm licèt superstiti pœna non fuerit inflicta, post mortem sepulchri celeberrima gloria est in criminis vindictam

Margin notes (right column): 198. (beside "Hic est inter mortalium errores præcipuus"); Epicurus. (beside "infelicitatis metus"); Senec. Conscientia cõtinuis peccatorum morsibus laceratur. (beside "ferit ictus. Benè Seneca"); Genes. 31. v. 34. (beside "ternas frustrauit artes")

dictam priuata. Textus noster non sine mysterio expressit Hebron anteà appellatam fuisse Cariath-Arbe: *Nomen Hebron anteà vocabatur Cariath-Arbe.* Ciuitas hæc à quatuor celeberrimis viris cum coniugibus nomen mutuata censetur ab intepretibus: Arbe námque Hebraicè significat quatuor, Cariath vrbem: ac si dixeris vrbem quatuor: qui autem hi quatuor celebratissimi fuerint, tradit Hugo Cardinalis: *Interpretatur*, inquit, *ciuitas quatuor: quia ibi sepulti fuerunt quatuor Patriarchæ cum vxoribus suis, scilicet Adam cum Eua, Abraham cum Sara, Isaac cum Rebecca, Iacob cum Lia.* Quod si quæras cur Lia præ Rachele adeò celebri honoretur sepulchro, cùm Rachel, & teneriùs dilecta, & præ sorore à Iacobo semper honorata: respondebit Hugo in idolorum vindictam hanc tulisse in morte notam: *Rachel, licèt magis dilecta, non fuit ibi sepulta cum viro suo, fortè quia idololatra fuit, colens idola Laban patris sui.* Subripuit, vt veneraretur, idola, & quamuis industriè celauerit crimina; in morte tamen criminis insculpitur nota: vt noueris vel fortunatissima scelera soluisse in morte supplicia: celauit Rachel omnibus fortassis idololatriam; sed morte idololatriæ effugisse non potuit pœnam.

Hugo.

199. Heli populi Sacerdos nimiùm indulgens filiis iniuriam intulit aris: & quæ maior iniuria, quàm dissimulare scelera, & suorum nullatenus puniuisse delicta? quia populi iudex, quia dignitate supremus, nec ignauiæ pœna irrogata, nec mulcta violati muneris est inflicta. Verùm cùm acerbum nuncium, scilicet arcam ab allophylis captiuam, accepisset, retrorsum de sella cecidit, fractisque ceruicibus expirauit: *Cum ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est: senex enim erat vir, & grandæuus, & ipse iudicauit Israel quadraginta annis.* Inquirunt interpretes, cur iuxta ostium, & cur retrorsum ceciderit: nec enim putandum est vacasse mysterio Scripturam signasse situm, mortisque descripsisse modum. Recolamus quod fuerit huius supplicij meritum: indicat textus cap. 2. *Heli erat senex valdè, & audiuit omnia, quæ faciebant filij sui vniuerso Israeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Itáque peccatum erat filios sustinuisse per ministrorum manus exercentes rapinas, ad ostiúmque tabernaculi excubantibus coëuntes cum fœminis: in morte ergo huius culpæ patuit vindicta: quia vtpotè supremo iudici à nullo inflicta fuerat viuenti pœna. *Ibi cecidit*, scribit Gregorius lib. 3. in 1. Reg. cap. 2. *vbi deliquit, qui etiam cadens ceruices fregit. In ceruice tumor temporalis potentiæ designatur: fracta ergo ceruice moritur, qui perfidia magnitudine amissa regni potentià condemnatur.* Delicta regno deposcebant priuari, ne vlteriùs progrederetur potentia, cuius auxilio procacissima vigebat culpa; verùm cùm Heli iudex populi supremus ipsa dignitate dignitatem tueretur, morte dignè soluit, quod impunè viuens deliquit. Retrorsum cecidit: quia iam vlteriùs non poterat imperium perseuerare: iuxta ostium cecidit, vt de commissis iuxta ostium culpis dignas moriens dederit pœnas, & æquitas illatas sibi effuso sanguine lauaret iniurias. Quis in potentem auderet? Coacta gemebat oppressorum patientia, ne querelis acrius accenderetur audacia; verùm iustitiæ oculus morti culparum impressit notas, & mortis loco sculptas supplicij ostendit omnibus pœnas.

1. Reg. 4. v. 18.

1. Reg. 2. v. 22.

Gregor.

Seni succedat senex ille catabolicorum, & fatidicorum antistes: vt quam Propheta Dei homine delegatus regi comminatus fuerat, vindictam illuderet, contra præceptum vesci Prophetæ suasit, vtque etiam suasionis pœnam mortuus effugeret, in idem viri Dei sepulchrum cadauer suum filiis mandauit inferri: *Posuit cadauer eius in sepulchro suo.* Huius fraudis, quia in sacrilegis Regis obsequium perpetrata, nullum est inflictum supplicium; imò fors à rege collatum præmium: impietate námque regnante, & merita subiacere videas suppliciis, & scelera lautissimis munerari præmiis: senex, ne irrogaretur ipsi viuenti pœna, regis obarmabatur obsequio, & ne in morte culpæ mulctaretur supplicio, viri Dei cadaueris defendebatur consortio; verùm nullatenus potuit industria sepulchro propellere infamiam: in ipso námque lapide ex vno latere obortæ rosæ, & ex altero malè olentes exortæ herbæ sic simplicissimum diuisere sepulchrum, vt honor coronaret iustum, & contumelia dehonestaret fatidicum: Iosias in titulum hominis Dei incidens: *Quis est titulus ille, quem video?* rogat. *Responderúntque ei ciues vrbis illius; sepulchrum est hominis Dei, qui venit de Iuda, & prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel: & ait: Dimitte eum, nemo commoueat ossa eius.* Rogat Lyra, cur speciatim de hoc titulo rogarit Iosias, cùm passim in agro illo occurrerent multorum sepulchra: *Cùm essent ibi multa sepulchra, quæritur, quare ibi Iosias specialiter quæsiuit de illo?* Respondétque ex Rabbinorum sententia, quod nuper dicebamus, sepulchrum videlicet ex altero latere candicantibus fulgere liliis; ex altero verò fœtidis sordescere herbis. Audi Lyran. *Respondet R. Salomon, quòd vidit ex vno latere sepulchri herbas fœtidas, & pungentes ortas, vt spinas, & vrticas, & huiusmodi, ex alio verò latere herbas bonas, & suauiter redolentes, vt balsamum, & huiusmodi.* Ecce fatidici Prophetæ impunita, dum viueret, mansit audacia; imò laudata fors fraudulentia: ne pœnam sustineret in morte ingeniosa laborauit industria; verùm etsi ob Prophetæ meritum impij ossa acris non adusserit flamma, mansit tamen herbarum characteribus insculpta lapidi contumelia: non potuit delicti in morte effugere pœnam, qui viuens de scelere captauerat gloriam. Nulla valet ad arcendas pœnas in morte industria, nisi culpas deleuerit pœnitentia. Gaudeat quisquis volet, & sua impunita scelera insipienter glorietur: in morte dabit, quas in vita non dedit pœnas: delicta námque, etsi tantisper gaudeant inulta, nequeunt diu perseuerare impunita. 200.

3. Reg. 13. v. 30.

4. Reg. 23. v. 17.

Lyra.

E contra videbis, quantumuis virtutes irremuneratæ maneant in vita, in morte laudabili potiri fama, coronarique gloria. Adest huius veritatis testis ipse ille Propheta, qui nomine Dei in idololatram regem sententiam intrepidè fulminauit: *Ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel Ieroboam stante super altare, & thus iacienti, & exclamauit contra altare in sermone Domini.* Dei præceptis obediuit Propheta, vitam exposuit, regis audaciam coarguit, 201.

3. Reg. 13. v. 1.

ctum ostendit, & sæculis gratum erecto indice prædicauit. Innuit Chrysostomus apud Lippoman. *Postquam per visionem tam magna consecutus fuit, vocabulo memoriam loco inscribere vult, posterisque eum facere celebrem lapide pro columella erecto, superfusoque oleo.* Expende illud: Per visionem magna consecutus: non per luctam, sed per visionem: quasi quæ consecuta fuit lucta, plus debeantur certamini, quàm gratitudini. Vbique, vt dixi, ad concinnandos mores arcanum depingebatur mysterium, nullibi liberalitatem diuinam obscurare poterat nubilum. Disce hinc beneficiorum decorem non lentitudine adulterare, aut asperitate corrumpere; sed placiditate vultus augere.

Chrysost.

176. Amicum lego amici domum adiisse, & pro cibando hospite panem obnixis precibus postulasse: *Commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.* Amicus quidquid necessarium, dilargitus amico est: *Dabit illi quotquot habet necessarios:* huius donationis nec relatam video gratiam, nec animo fixam memoriam, cum alibi pasti homines panis frustulis prophetam acclamauerint depascentem. Christus Dominus de errorum petit inuia, quia sciebat curia tutiora: populorum cateruæ veluti oues pastorem suum sequebantur, & allecti cælesti sermonum doctrina, & inuisa retro in depellendis morbis potentia. Dominus sic animabus apposuit cælestes epulas, vt corporibus etiam saporatas prouideret delicias: extemporariam explicuit mensam, & quinque panibus quinque millia hominum saturauit: homines ergo illi nouitate signi attoniti, beneficioque grati faustis iteratisque acclamationibus gratias referunt, ad thronumque euehere benefactorem disponunt. *Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum.* Deserto homines cibantem, amicóque panes dilargientem eundem esse concors interpretum est sententia. Inquiramus ergo, si placet, cur qui panis frustum acceperint, tot gratitudinis signa ediderint, cùm amicus tres panes ad minus adeptos improbo silentio aut suam rusticitatem vulgarit, aut iniuriam largienti intulerit. Expende arcanas vtriusque donationis circumstantias. Dedit amicus amico panes; sed post aspera verba: *Noli mihi molestus esse*; post longas preces; *propter improbitatem*, post tractas de industria moras: *iam ostium clausum est*; at in desertorum erroribus non precibus allectus, non oratione inuitatus; sed sponte sua necessitati medetur, neque spectat vt rubor cum petentis ore concurrat. Hoc ergo beneficium, vtpotè nullatenus mora de venustatũ elogiis prædicauere gratissimis: accepit amicus necessitati remedium; sed importunæ adeò preces largum dedecorant donum. Amicum dilargientem non fœdauit vlla mora, vtpotè quæ arcano deseruiebat mysterio, generoso non refragabatur animo; voluit tamen Deus alibi gratias referri, & relatas alibi non scribi, vt noueris beneficentiæ decus esse animi promptitudinem, vultus gratiam, ac verborum placiditatem. Amicus tres panes accepit: panis frustulum acceperunt alij; sed quia frustulum datum, sine precum tormento, sine dilationis martyrio animos gratitudine deuinxit; at triplex panis, quia post longas moras, post anxias preces, post diu suspensa vota, gratum adeò animum non inuenit: *Adeò illum propter panes colunt*, scribit Theophylactus, *vt & eum non solùm prophetam prædicent; sed & dignum regno censeant.* Alibi beneficẽtia deprædicatur, & alibi grati animi signum non proditur; quia quamuis amico plus datum, negantis quodammodò vultu concessum. *Plerique sunt*, scribit Seneca lib. citato cap.4. *qui beneficia asperitate verborum, & supercilio in odium adducunt: eo sermone vsi, ea superbia, vt impetrasse pœniteat: aliæ deinde post rem promissam sequuntur moræ; nihil autem est acerbius, quàm quod vbi impetrasti, rogandum est.* Profectò aliquorum iniuriæ præcipites, beneficia lentissima sunt. Iam aliquos regiæ potentiæ ministros plurimum delectat superbiæ suæ longum spectaculum; fastus putant pompam, si post se magnam, diúque suspensam exambientium traxerint turbam: cùm beneficentiæ gloria non tam agnoscat parentem donum, quàm animum. Gratias referunt in desertis cibati: quia panes opportunè, & sine precibus distributi.

Luc.11.v.6.

Ioan.6.v.14.

Theoph.

Senec. *Nil adeò acerbũ, quàm si impetranti nimis rogandum.*

Moyses largissimos aquarum latices populo de silice eliciut: *Egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta.* Hic Deus liberalitatem suam queritur obscuratam, & fratribus infert mulctam: *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filys Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Et quæ fuerit huius dignæ querelæ offensa? Scilicet asperrimis verbis, & obiurgatoriis beneficium impertiuisse: *Audite*, exprobrat illis Moyses, *rebelles, & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere?* Nonnulli faciliùs tolerassent sitis molestias, quàm verborum ferrent iniurias: fors illos pœnituit accipere; quia durum aspera verborum probra tolerare. Adest Abulensis quæst.6. *Populus videns tantum miraculum laudasset Dominum; sed quia Moyses & Aaron, vt venerunt, inceperunt obiurgare totam multitudinem, & increpare eam vocando incredulos, & rebelles; ideò multitudo turbata animo ex dura reprehensione etiam videns miraculum, non laudauit Dominum.* Profectò miraculosum beneficium ad faustas acclamationes cogebat; adeò tamen verborum asperitate in odium adductum est, vt non solùm populus gratitudinis non dederit notas; sed tulerit molestissimè verborum iniurias. O quàm magni æstimassent prodigium, si Moyses asperrimis verbis non exulcerasset animum, nec irritasset affectum. Ergo ea placiditate beneficia confert, quæ virtutis non adulteret gratiam; sed adauxerit recipientis beneuolentiam. Adde Deum hîc iratum, quia petra eius ænigma gemino ictu percussa: nec enim haberi poterat beneficium, quod violenter ad speciem apparebat extortum. 177.

Num.20. v.10. & 11.

Abulens.

§. XLII.

Despiciunt sæculorum adsultus virtute parta: vel in diem non durant, quæ fauoris, aut artificij elaborauit industria.

QVidquid humanum, variis agitatur vicibus, & continuis subiacet mutationibus: arbores iam grata floriditate vestiuntur, iam nudæ, & pallida macie cadauera sunt: riuus continuò 178.

continuo fluxu adaugetur, & quia semper alius, idem: Luna menstruis circulis variat iam corniculata, iam pertumida, iam diuidua: constat varietatibus mundus, quas si abstuleris, & illum tolles. Nihil est, quod non alternetur vicibus: quia ferè omnia temperata sunt varietatibus.
Tertull. Audi Tertullianum lib. de pallio cap. 3. *Laudans orbem, mutantem quid denotas hominem? Mutant, & bestiæ pro veste formam, quamquam, & pauo pluma vestis, & quidem de cataclistis; imò, & omni conchylio depressior, qua colla florent, & omni patagio inauratior, qua terga fulgent, & omni syrmate solutior, qua cauda iacent. Multicolor, & discolor, & versicolor; nunquam ipsa; semper alia, etsi semper ipsa, quando alia: totiens denique mutanda, quoties mouenda.* Ad leuem motum iam auis alia; imò semper ipsa, quia semper alia. Verùm etsi humanis rebus varietas concarnata, & conuiscerata sit; ea tamen, quæ virtutis merito parta, non modicè sunt firmiora, vt illa, quæ fortunæ fauore, aut artis studio elaborata, imbecillissima, ipsámque mobilitatem longè supergressa:
Senec. Honestum, aiebat Seneca epist. 67. *nullam accessionem recipit: honestum est enim propter quod illa, quæ retuli. Quid porrò decorum, & iustum, & legitimum, non eiusdem esse formæ putas certis terminis comprehensum?* Non mutat formam honestas, nec certam habet voluptas. Testatur hoc Calebus animi virtute Hebronem hæreditatem adeptus: aduersus sæculi inconstantiam durat, & aliis variantibus perseuerat: *Benedixit ei Iosue, & tradidit ei Hebron in possessionem: atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo vsque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israel.* Durauit in longum tempus virtute acquisitum; citiùs cinerescere, si aut industriæ arte, aut arridente
Abulens. fortuna partum: *Vsque in præsentem diem, id est, vsque ad diem quo liber iste scriptus est*, exponit Abulensis quæst. 7. *quod fuit tempore Samuelis: tunc enim pertinebat ad Caleb, id est, ad filios eius: quia non viuebat tunc Caleb, cùm multa tempora intermedia transissent.* Parta virtute possessio despexit tempora, & perseuerauit aduersus sæculorum insultus firma.

179. Componamus duas arbores satis Scripturâ celebres, illam Nabuchodonosoris proceritate superbam, cælis minitantem, stellásque dilatis
Dan 4 v. 8. ramis veluti illorum fructus mentientem: *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia, magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius.* Vides torosam arborem firmis ad speciem suffultam radicibus, viriditate vernantem, pulchritudine comatam, altitudinéque superbam: audi modo repetitos securis ictus: iam horret dispoliata viridibus foliis, ramorum orbata brachiis, fructuum denudata diuitiis: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius.* In noctis spatio, & aruit, & germinauit; imò citiùs quàm germinauit, exaruit. Aspice modò virgam illam Aaronis nullum à terra succum trahentem, radicibus humanis non fultam; sa-
Num. 17. v. 8. cro tamen nomini dedicatam: *Sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui; & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Quãto tempore putas in virga hac floriditatem durasse? Sæculis in testimonium reponitur, à temporum iniuriis exempta, æternùm floret ornata. *Refert virgam Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur ibi in signum rebellium filiorum Israel:* viridis, flosculentáque iniquitatis ora præcludebat: aliter nec intentioni profuisset, nec rebellium suspicionem damnasset. Ita Abulensis quæst. 11. In virga frondes aduersus temporis insultus mansisse testatur. Abul. *In ea ista semper conseruata sunt, vt esset perfecta probatio: si enim post emarcuisset, cadentibus folijs, & fructibus ab alijs virgis nihil differre videretur.* Sanè in radicata, & fundata arbore viriditas, decórque foliorum videbatur in longum duraturus; virgæ terrenis succis orbatæ, & marcor debitus, & ariditas cognata; imò si aliqualis antiquæ pulchritudinis decor, citissimè deflorandus, & deponendus: quomodò ergo in exucca virga floriditas, & in arbore fundatâ deformitas? Quia comantem illam arborem non virtutis; sed vanitatis vndis irrigatam depinxit superbiæ tumor; at Aaronicæ virgæ ornatum sanctitatis fons irrigauit: vel leuis ergo flos virtute suffultus despexit sæcula; torosi rami sanctitatis humoris exucci citissimam sensere ruinam. Gregor. *Virga Leui viruit*, scribit Gregorius lib. 14. moral. cap. 29. *& quid virtutis Aaron in munere haberet, ostendit.* Aaronicæ virgæ formositas durat in æuum contra fortunæ acriùs adspirantis flatus, & contra voraces sæculorum adsultus: quia virtutis vndis fœcundata, & sanctitatis brachiis suffulta; at quia plantæ procerissimæ decus virtutis non erat fructus, infelicitati subiectum, & ruinæ, non tempori exortum. O quoties quæ videbantur fixè fundata, & sæculum despectura, veluti surgentium somnium disperiere vanissima! Cùm tamen virtutis fructus, & soliditate armetur, & aduersus temporis voracitatem muniatur. *Quid Aaron virtutis haberet, ostendit*; at arbor Nabuchod. quàm vanitas citò euanesceret, demonstrauit.

Ioseph Pharaonis somnium interpretatus post enauigatos laborum fluctus thronum inscendit, 180.
& Ægyptum à famis ærumna seruauit: parum intererat copiosos arua tulisse fructus, ni opportunè reseruasset prudentia, & prouidenter reposuisset industria; & parum profuisset industria, ni suppeteret fructuum copia. Ioseph de peregrino ciuis, de seruo prorex, non solùm necessitatis tempore colitur; sed vsque ad mortem constanter dignitatibus exornatur: Genes. 50. v. 25. *Mortuus est expletis centum decem vitæ suæ annis, & conditus aromatibus repositus est in loculo in Ægypto.* Dignitas vitam comitata est: simul exuit corpus, & dignitatis ornatum; cùm ille Assueri priuatus in gratiam citissimè incurrerit, irámque meruerit: Esther 7. v. 25. *Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo.* Finis respondit origini: priuatus iste, dum innocentibus captiosas tendit insidias, patibuli suffert infamiam: Ioseph, dum humanitate vel nocentibus remittit offensam, lucratur sibi Principis amicitiam. Aman fortunæ fauore euectus, & ad dignitatis apicem eleuatus: *Rex Assuerus exaltauit Aman.* Qua de causa? Nullam inuenies præter regis fauorem; at Ioseph de somnij interpretatione creuit, de sapientia placuit, de prouidentia luxit: hic ergo, cui patrocinabatur virtus,

virtus, vitam cum dignitate finiuit; ille, quia sola fauoris leuitate volarat, patibulo interiit suspensus, & luxit dignitate ante patibulum orbus. Quàm benè Basilius orat.8. *Per omnes virtutum gradus pedem promouens, ac velut inter ignes tentationibus colliquefactus, & probissimus athletes existens, præmium virtutis regiam tulit dignitatem: carcerem thronus excipit, & fit Ægypti dominus adultera captiuus, annona custos, & moderator in fame.* Ioseph post carceris patientiam thronum inscendit; Amanus dignitatis superbiam crucibus soluit. Ecce cur alter omni vitæ tempore, postquam inscendit thronum, purpurâ ornatus, & insignibus regiis irradiarit excultus: quia videlicet thronum tulit virtutis præmium; Aman verò humano solum fauore elatus corruit citissimè infami patibulo occisus: *Exaltauit Aman filium Amadathi. Iniquitas interpretatur*, exponit Interlinearis. Concinit moralis Glossa. *Aman interpretatur iniquitas.* Iniquus exaltatus sibi minabatur ruinam, iuxta illud Prophetæ: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum, & transiui, & ecce non erat.* Si vis despicere sæcula virtutis ambi patrocinia: nam quæ fauor peperit, in ipsis sæpè incunabulis extinguuntur: quæ prodidit virtus, vel in occasu firmantur.

Basil.Seleuc.

Interlin.

Glossa moralis.

181. Æneus serpens, & vitulus aureus thronum inscendunt, Aaron pretiosissimis conflat metallis brutum, & maximo auri dispendio ingens populo est architectatus periculum: Moyses serpentem fabricat, & pro populi medicamine leuat; verùm, licèt vtrique thronus, non throni consimile tempus: vitulus namque adeò citissimè disparuit, vt nondum flammarum calore sopito iterum flammis deuotus, ac in nigros, & sordidissimos cineres sit redactus: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem:* Serpens longo tempore perseuerat. Quod si inquiras discrimen, ipsa respondebunt initia: vitulus namque dementiæ, ac furoris popularis fuit partus: *Congregatus aduersus Aaron dixit: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant*; at serpens orationis fuit fructus: *Orauit Moyses pro populo; & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum.* Oratione elaboratum perseuerauit multis temporibus inconcussum; at populari aura; imò dementia sublime quàm citissimè periit, & velut somnium disparuit. Vitulus videbatur de materiæ pretiositate immunis, de soliditate æternus, ac de throno semper omnibus adorandus; serpens materia non adeò nobili videbatur faciliùs despiciendus, & despectu obliterandus; at quia orationis fructus serpens vitam elaborantis est supergressus, popularis tamen fauoris inuentum viuente artifice; imò exiguis horis ignominiosum tulit excidium. *Dicit R. Salomon*, scribit Lyra, *quòd Moyses recedens de castris, volens ascendere ad Dominum dixit se rediturum quadragesima die circa horam sextam; populus autem intellexit, quòd dies sui recessus esset de numero illo ... tricesimo nono autem die, quem populus credebat esse quadragesimum, Sathan turbauit aerem, & ostendit similitudinem feretri dicens quòd mortuus esset Moyses, & tunc populus concitatus fuit ad fabricandum idolum.* Profectò hæc Rabbinorum deliria, aniles fabulæ, & mera commenta; verùm indicant quàm tempore exiguo vitulus auri pallore radiarit, scilicet per diei dimidium: si enim populus trigesimum nonum diem quadragesimum esse putauit, inter errorem, & descensum dies tantummodò vna poterat interesse, quo solo tempore, & vitulus inscendit thronum, & conculcationis tulit supplicium. Vno die durat vitulus insano populi fauore adoratus, manet in sæculum comminutus; at serpens diuturnior quia non populari aura ad dignitatis fastigium elatus; sed orationis fuit fructus.

Exod.32. v.20.

Num.21. v.8.

Lyra.

---

§. XLIII.

Vel apud sæculum fulget clarior, qui Numini appropinquat deuotior.

OMnes tenet claritatis ambitio; quia per originum traduces serpit in Adami posteros elationis cupiditas: quisquis mortalium nascitur, vel ab incunabulis ad altiora præsumptuosis elationis volatibus ascendere aggreditur: *Habet enim hoc in se generosus animus*, aiebat Seneca epist.39. *quòd concitatur ad honesta: neminem excelsi ingenij virum humilia delectant, & sordida: magnarum rerum species ad se vocat, & extollit: quemadmodum flamma surgit in rectum, iacere ac deprimi non potest, non magis, quàm quiescere: ita noster animus in motu est, eò mobilior, & actuosior, quò vehementior fuerit; sed felix, qui ad meliora hunc impetum dedit.* Errant profectò homines, dum splendida, altáque petentes vitiis indulgent, cupiditatibúsque adulantur: felix, qui animi generositatem ad honesta explicuit, & ad meliora applicauit; hic namque recto itinere perueniet, & quam desiderat honoris lucem, à virtutibus mutuabitur. Sola virtus durat, soláque honesta sæculis famam æternant, & fortunam prosperam firmant. Ecce Calebus possessionem adit celeberrimam, gigantum scilicet curiam, honoratissimámque gentibus antiquitus regiam. *Tradidit ei Hebron in possessionem, atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo vsque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israel.* Ecce virtutis fructus: inextinguibili dignitatis luce Calebus sæculis fulgurat, dum virtutis patronus leges implere amat: Hebraicè sic legitur: *Quia impleuit post Dominum Deum Israel.* Græcè: *Quia obsecutus est iussui Domini.* Legibus exactè parens prolixam vitam sibi procudit, & triumphis coronatus resplenduit; qui Deo deuotior, & apud gentem illam nobilior. Cæci profectò delirant, qui magnitudinem vultus toruitate ostentant, qui de pauperum rapinis operosas superbiæ moles ad æternam nominis famam ædificant: nam citò temporum adsultibus dilabuntur, quæ solidis virtutum radicibus non fundantur: Calebi durat memoria, nec extinguenda sæculis marcescet fama. 182.

Senec. *Honestum animus ex se concitatur ad honesta.*

Hebraica. Græca.

Moyses cùm Domino collocutus faciem ostendit luminibus coruscantem: viderunt filij Israël; sed ipso lumine, quo prolectari debuissent, fugati accedere renuerunt: velum interpositum nubis adinstar radiorum efficaciam obnubilauit, & fulgores aliquantulùm oculis humanis sopiuit: *Posuit velamen super faciem suam; quod ingressus ad Dominum auferebat, donec* 183.

Exod.34. v.33.

donec exires : Moyses Deo cæteris in monte propinquior, & cæteris etiam clarissimis luminum fulgoribus illustratus : accedentibus creaturis velum obducitur; at dum Deo allocuturus appropiat, velum reducitur, & tota luminis pompa vultus species ornatur. Hæc litteralissimè ad historiam; sed moralissimè etiam ad tradendam nobis doctrinam: tunc Moyses vel apud sæculum plus fulget; cùm à creaturis remotior, Numinique propinquior : de creaturarum accessu lumen infuscatur, & splendoribus velum obducitur : tunc velum habet, cum creaturis immixtus degit; tunc luce fulget clarissima, cum Numine secedens à tumultibus agit. O quantum claritatis vultui ademerant creaturæ. O quantum Numinis acquisiuit propinquitas! Deum alloquente velum reducitur, cum creaturis agente oppanditur, vt scias non interna solùm; sed externa luce plus honestiùsque fulgere, quos Numini præ cæteris videris propinquare. *Clarè manifestat vicissitudines apponendi,*
Caiet. *& remouendi velum*, inquit Caietanus, *quandiu visa est facies eius, quasi cornuscando splendens.*
Lippoman. Clariùs Lippomanus : *Vbi agnouit Moyses faciem suam splendore maximo afferre metum Israelitis, cœpit velare faciem verba faciens ad eos; velamen autem obductum faciei deponebat, cùm erat tabernaculum ingressurus* : fulgentior in tabernaculo, obscurior in populo : egredientis faciem splendoribus spectarunt promicantem: oppanso velo secum minus fulgida colloquentem : accessus, recessusque luminis erat mensura, vt nobis de lumine etiam promanaret doctrina : quo repetat Seneca : *Felix, qui ad honesta hunc conatum dedit* : & vt repetere nos possimus : *Infelix, qui ad turpia.*

184. Cant. 4. 2. Sponsus eximias dotes allaudaturus sponsæ: *Capilli tui*, inquit, *sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Galaad transmigrationem designat ad Ecclesiam, eorum scilicet, qui de sæculi conuersatione iter ad Christum Dominum arripuerunt. *Meritò igitur*, scribit Ambrosius hic, *reuelata sunt anima iustorum, & reuelata à monte Galaad, hoc est à transmigratione testimony, eo quòd à synagoga ad Ecclesiam testimonium caleste migrauit.* Audis transmigrationem ad egregias semper virtutes : audi etiam quomodò transmigrantes ad luminis peruenerint splendores : nec enim mysterio caret capris comparari, vbi contingit transmigrationem audiri : capræ namque inter animantium greges altiora petunt, & elatis montium culmi-
Ambros. nibus viuunt. Audi Ambrosium : *Vides quòd in altis grex iste pascitur audax in monte : ibi cibus dulcior, ibi fructus electior.* Putares transmigrantes, dum prata floribus fallaci viriditate vernantia relinquunt, horridis dicari, & obscuris tenebris sepeliri; falleris tamen : nam qui virtutes sectantur, & fructu dulciori exundant, & altiori dignitatis culmine radiant. Galaad cum capris coniunctum est, vt & culminis promittatur sublimitas etiam apud sæculum, quibus in pretio Numinis fuit mandatum : *Vbi alys præcipitia, ibi capris nullum periculum; vbi alys periculum, ibi gregis huius alimentum*, scribebat Ambrosius ibi. Quàm verè virtutis asseclæ, dum honestate muniuntur, dulciores fructus inueniunt, & aliorum præcipitia diffugiunt : non nutant, quia virtutis stabilitate fundantur : alta petunt, quia meritorum volatibus efferuntur : plures diuitias amiserunt voluptatibus indulgentes, plures viribus corporis destituti marcent, dum differtis mensis, & phalernis vinis dicantur : plures dum iniustè sibi dignitates exambiunt, dignè quos habebant, honores amittunt; qui verò virtuti student, legique obediunt, dum Numen habent propitium, salute fruuntur, & sæpè dignitatum luminibus adhornantur : capræ celerrimæ per prærupta montium tutæ discurrunt, virtutisque asseclæ pernicibus honestatis alis culmina dignitatis inscendunt : vel apud sæculum clari fulgent iusti; quibus malitia cordi est, vel apud sæculum obscurantur peruersi : *Vides quòd in altis grex iste pascitur audax in monte.*

Primi fratres, dum Numinis cultui tributa pendunt, huius veritatis formam præscribunt: 185.
Cainus, qui non tam placere, quàm conscientiam sopire studuit, fruges obtulit inanimè sacrificium, victimam vanitate inflatam, veritatis soliditate non fultam : *Factum est post multos* Gen. 4. v. 3.
dies, vt offerret Cain de frugibus terræ munera Domino. O stultam prorsus væcodiam : munus reputat, quod tributum exigebat religio : non dedit; sed soluit, & fortassè indecorè soluit: quia, vt ipse putabat, dedit. O quàm diu hæsit animo munus! *Post multos dies*, inquit : diu noluit, qui tardè dedit. *Post multos dies* : non maturauit victimam, vt offerret; non primitias detulit; sed deteriora iniquissimus obtulit: Abelus dociliori ingenio præditus sic Domino placere gestiuit, vt de primogenitis, eisque optimis litare sacrificium curarit : *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Offerentium animis responderunt euentus : *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain verò, & ad munera illius non respexit.* O Domini humanitatem! Oculos auertit, ne quodammodò offerentis culpam aspiceret : respexit ad Abel, vt grato vultu offerentis animum munerarer, dum oblata lubenter, lubenter acciperet; verùm qualis hîc respiciêdi modus interpretibus dubium. Hieronymus ex Theodotione probat coruscam cælitus missam lucem Abelum, sacrificiúmque ambisse, pulcherrimisque radiorum fulgoribus decorasse. *Vnde scire poterat Cain,* Hieron.
inquit in quæst. super Genes. *quòd fratris eius munera suscepisset Deus, & sua repudiasset, nisi illa interpretatio vera esset, quam Theodotio posuit : Et inflammauit Dominus super Abel, & super sacrificium eius; super Cain verò & super sacrificium eius non inflammauit* : itaque ex Hieronymi, & Theodotionis sententia corusca lucis inflammatio sacrificium absumpsit sitiente lingua, & Abelum diadematis instar caput redimiuit micanti flamma. Ecce vel apud mortales oculos, qui & Deo propinquior, lucidior; & qui indeuotior, abiectior: obscuratus est de ingenij prauitate Cainus; de animi probitate refulxit Abelus. Micat inextinguibili luce sanctus; non illustrandis tenebris dicatur peruersus. O quàm fallitur, qui, vt apud sæculum fulgeat, vitiis inseruit! Ille solùm claret, qui obedit virtuti.

Noë Christi Domini figuram gerens genero- 186.
so charitatis vino extra se actus dormiuit : vidit Cham nudum, & qui colere debuisset genitorem, vestibus despexit exutum. O quàm vel apud filios malè audit paupertas! non meminit se anxiis parentis laboribus asseruatum, & meminit patrem mysterio, non vitio ebrium : à parente

discessit, vt se foras proriperet, & fratribus non tam patris incuriam, quàm propriam denunciauerit petulantiam: *Nuntiauit duobus fratribus suis foras.* Fratres, ne visus aliquam doceret irreuerentiam, versis vultibus paternam pallio satagunt honestare ignominiam: *Incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui.* Res, quæ facta dormienti, cognita est liquidè à vigilanti: putabat Cham patrem non videre, vt indecorè insultaret; & vidit pater, vt suppliciis dignis puniret. Seruitutis iugum imponit Cham, qui à patre discesserat, vt rideret; Sem imperium firmat, qui patri accesserat, vt operiret: *Benedictus Dominus Deus Sem: sit Chanaan seruus eius.* Ecce accessus, recessúsque dignum fructum: qui patris tabernaculũ egressus est, vt dedecus fratribus enunciaret, seruus luget, & ignobili adustus nota ingenuitatem deperdit; at Sem, Iaphétque, qui patri officiosis gressibus propinquarunt, & imperij dignitate emicuerunt: non solum virtutis incrementis resplendent animo; sed apud sæculum etiam honorantur imperio. *Multiplex peccatum congeritur*, inquit Caietanus in catena, *& quòd nunciauit non vni tantum; sed duobus fratribus, & quòd foras ad hoc exiuit.* A patre recedens quid aliud ageret, nisi illudere, & subsannare, & quæ breuissimi risus pœna, nisi dura seruitus, & nunquam solandus luctus? Chrysostomus Cham putat libidini intemperantiæque deditum: risit ergo in patre nuditatis opprobrium, qui se toties nudauerat, vt perpetraret peccatum. *Vt discas*, inquit apud Lippoman. *illum fuisse intemperantem, & incontinentem, & mente, qua in tanta turbatione procreandæ proli vacauit, eadem etiam nunc in contumeliam patris prorupit.* Mente corruptus, & corpore maculatus subsannauit, irrisitpue genitori, quia nudus. O quàm leuia in aliis carpimus, qui in nobis grauissima non videmus! Quid mirum indulgeret Noë Baccho in tanta iam cæli serenitate, cùm ipse Cham, dum vortices scapham premerent, Veneri intemperanter vacarit? Rupertus in Genes. cap. 37. nequitiæ mercedem ait fuisse posteris seruitutem. *Minorem illum appellat, qui patris pudenda diuulgauerat, cùm fuerit natu medius minorem, inquam, non tam ætate, quàm pro vitio, & morum indignitate: seruus seruorum*, inquit, *eris fratribus suis.* Seruitutem emit opprobrio, fratres dignitatem obsequio: vt verum sit vel apud sæculum de virtute nasci gloriam, æternámque sæculis procudi famam.

Gen. 9. v. 22.

Caietan.

Chrysost.
Leuia in aliys carpimus, in nobis grauissima nõ videmus.

Rupert.

§. XLIV.

Plurimum valent maiorum exempla, vt virtutem foueant, & ad egregia natos patranda alliciant.

187. Paterna vox animo vigorem inspirat: nota auditur, & libenter obtemperatur: mira res: perdices nonnunquam venatorum insidiis agitatæ oua deserta vitæ periculo reliquerunt: fouentur non semel extranea pietate, quæ materna nequiuerunt in pullos excludi solicitudine; verùm ea naturæ vis est, vt statim ac materni cantus illorum auribus instillentur, relicta nutrice veram parentem sequantur. *Perdicibus*, scribit Cassiodorus 2. variar. 14. *etiam mos est oua perdita per alterius matris damna sarcire, vt adoptione alienæ sobolis incommoda sua reparent orbitatis; sed mox vt nati fiduciam habere coeperint ambulandi, ad campos exeunt cum nutrice, qui, vt fuerint materna voce commoniti, ouorum suorum potius genitricem petunt, quamuis ab alijs furtiuis fœtibus educentur.* Naturæ ingenium à quibus accepit vitam, didicit præstare obedientiam: adulterina perdices relinquunt, vt genuina sequantur: inest paternis edictis nescio quæ ad mouendos animos efficacia, quò faciliùs præstentur obsequia; verùm etsi hæc insita voci vis sit, maiorem actioni inesse energiam non dubitamus: quia faciliùs oculis hauritur doctrina, quàm auribus transmittantur præcordiis monita. Quæuis magnorum exempla sunt ad virtutem stimuli, & ad simile patrandum calcaria: *Nec enim parui ad salutem momenti* (verba sunt Clementis Alexandrini lib. 3. pædag. cap. 8.) *sunt exempla:*

Vlyssis vxorem vide (ait tragœdia) haud letho dedit
Telemachus: haud marito namque iunxerat
Maritum: et cubile in ædibus sanctum manet.

Flagitiosum probro dans adulterium temperantiæ pulchram ostendit imaginem in maritum amorem. Penelope absente longa tempora Vlysse, licèt tot procis prouocaretur, nunquam induxit animum, vt alij nuberet, & dum fidem marito seruat, Telemachum filium sibi reuerentiam, fidémque seruare docuit: vt Clytemnestra Agamemnonem occidens violentas etiam in seipsam inferre manus Oresten filium quodammodò impulit, dum factis instruxit. Quàm verè aiebat vbi suprà Cassiodorus: *Ferarum catuli sequuntur parentes: a caspite suo virgulta non discrepant: propago vitis propria seruit origini.* Profectò vitis surculus dulces, Solísque ardoribus aureas producere gestit vuas, quia vitis mater, & vuas protulerit. *Rectè vobiscum agi credimus*, aiebat Romanis Attalaricus 8. variar. 3. *si aui veneranda vestigia subsequamur: nostra siquidem opinionis interest, vt quos ille benignissimè tuitus est, nos etiam statuta constantia, copiosa beneficiorum vbertate pascamus.* Interest aui sequi vestigia: quia posterorum semper vocant, aut accusant exempla. Non discrepant vt plurimum filij à parentibus; imò vel retardante ætate exiguis lineis imagines maiorum adumbrant. Lacedæmonij viri cum Argiuis de agro Tyreate certarunt; pluresque pro patria gloriosè ceciderunt: parta est à Lacedæmoniis victoria: Othryades solùm relictus fuerat, qui iucundum nuncium deferret; ille vero probro ducens pro patria vitam cum cæteris non profudisse, sibi victor manus iniecit, ne minus egisse pro patria videretur. In huius facti, triumphique memoriam extructa est Othryæ Dianæ ara, ad quam quotannis certatim pueri confluebant nuda corpora duris verberibus obiiciẽtes, cúmque coætaneis de patientia certantes: ibi sanguine se lætabantur aspersos, vbi nouerant maiores suos olim effuso sanguine tinctos. Audi Plutarchum in Laconicis institutis. *Pueri apud eos lacerari se flagellis totum diem in Dianæ Othryæ ara subinde ad necem vsque læti, & gestientes sustinent, atque inter se concertant de palma quis ipsorum diutiùs, & meliùs verbera tolerent: qui vicerit, est splendidus in primis.* Occisi parentes

Cassiodor.
Perdices ab alia nutrice fota maternam vocem agnoscunt.

Clem. Alex.

Cassiodor.

Othryades sibi manus victor iniecit.

Plutarch.

parentes, maiorum sanguis in hanc filios impulit dementiam, vt ambitiosi effundere gestiuerint etiam vitam: parentes ferreis se obtulerunt mucronibus, duris se filij deuouere verberibus. Sic exempla alliciunt; imò sic maiorum facta compellunt.

188. Filij Iuda ad Iosue accedunt, & inter eos Calebus, vt sibi facultatem faciat, expugnandi Enacinos, vrbémque Cariath-Arbe subigendi, deposcit: annuit Princeps, & Hebron Calebo in possessionem adscribitur: *Ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo vsque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israel. Nomen Hebron antea vocabatur Cariath-Arbe.* Profectò res à Calebo expostulata ingentibus erat difficultatibus plena: *Da mihi*, inquit, *montem istum, in quo Enacim sunt, & vrbes magnæ, atque munitæ*: plenum petit periculis præmium: nec esset mirum, si tentasset expugnare ciuitatem ignorata immani gigantum proceritate, viriúmque præstantia, mirandum tamen fuit rem sudore plenam, & periculo anxiam, in tot laborum præmium depoposcisse, senémque iuuenili ardore hostes ingenti robore præditos expugnare tentasse. Quid ergo Calebum in arduum adeò facinus impulerit, videamus. Fortè ipso vrbis nomine reseratur mysterium, scilicet Cariath-Arbe: hoc namque nomen vrbi inditum est, quia Abrahamus inde quatuor insecutus est reges: hæres ergo Abrahamitici imperij (erat namq; ex Iudâ Calebus oriundus) patris facinus imitari aggreditur: quia magnorum hæres egregia ad facinora prouocatur. *Scriptum illic est*, inquit Masius, *ideo ab Arbe, hoc est quatuor, nomen isti vrbi esse: qui Abraham inde quatuor reges insecutus percusserit.* Abrahamus adultam satis ætatem ingressus sic masculo florebat animo, vt rem tentarit difficultatibus scatentem, scilicet reges partis insolentes victoriis insequi, prædámque furtiuam auferre: exemplo ergo patris sic accendebatur Calebus, vt ibi audacter tentauerit sibi gloriosos excudere triumphos, vnde illius parens valentes viribus persecutus est feliciter aduersarios: Abraham inde quatuor reges insecutus percussit, & Calebus gigantes exterminauit. Quem egregia parentis allexerant facta, non potuerunt deterere pericula. Aggressus est ille quod olim est, & parens aggressus: sic per nobilitatis traduces quodammodò deriuantur & mores. Non sine iusta causa Diogenes adolescentem temulentum intuitus patrem temulentum fuisse conjecit: *Parens*, inquit, *adolescens, te seminauit temulentus.* Relucent parentum ingenia in filiis, & à radice sugunt flagella aut fructus parere saporatos, aut gignere insipidos. *Lacedæmones regi suo mulctam dixerunt Archidamo*, scribit Plutarch. de instituen. liber. *quòd pusillam staturâ vxorem ducere sustinuisset, addito elogio quòd non reges ipsis; sed dare regulos deliberasset.* Quasi quæ parentibus propria, & natis sint generatione transmissa. Audi Cassiod. 9. var. 12. *Magnus verecundiæ stimulus est laus parentum, dum illis non patimur esse impares, quos gaudemus auctores.*

Masius. Diogen. Plutarch. Cassiodor.

189. Iobus patientiæ speculum, sanctitatis columna sic inter affluentem auri copiam, & seruorum turbam egregias virtutes excolens dæmonem vulnerauit, vt excitatus sit ad calumniam; Deus facultatem inuito facit, quo athletæ sui inuictam sæculis virtutem prodiderit: quas non versutus virulentúsque hostis admouit machinas, vt constantissimam illam virtutis arcem subrueret? Filiorum deliciis orbat, greges anhelantibus flammis consumit, salutem pestilenti morbo depellit. Quid tandem Iob? *Scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit.* Origenes lib. 1. in Iob legit: *Aspergit terram super caput suum.* Se dæmonis artes imitatus viuum tumulauit, vt dæmonem tumulatus abigeret: marcent sanè machinæ, cornupetæ frustrantur arietes, dum sepulchri fœtidi homines protegunt cineres. Rogat hîc Origenes ipsum Iobum, vnde in mentem venerit se vsque ad puluerem deiecisse, & comam puluere deturpasse, aitque à tritauo suo Abrahamo mutuatum exemplum, desumptúmque contra aduersarios auxilium. *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum*, aiebat Abrahamus, *cum sim puluis & cinis.* En auus Iobi se ad puluerem vsque deiecit, ne procellâ vanitatis, dum culmine fauoris micat, periret. Ergo nepos, ne infelicitatis fluctibus obruatur, caput etiam deturpat puluere. Audi Origenem: *Vnde hanc opinionem sumpsisti, ô beate Iob, vt terram capiti tuo aspergeres? A tritauo, inquit, generis mei Abraham dicente: Ego sum terra & cinis.* Suxit opportuno tempore exemplum, vt à cinere contra hostes efflagitaret auxilium: fecit filius, quod pater effecerat, & memor exempli gloriam etiam adeptus est triumphi. O quàm sugunt posteri, quod maioribus suis didicerunt excultum! Aliorum exempla intuentium animos mouent, maiorum facta altissimis agglutinata visceribus hærent. Videant ergo parentes, quæ filiis exempla relinquant: nam faciliùs est ipsam naturam fallere, quàm à parentum factis, visisque exemplis natorum sobolem resilire. Se cinerem confitetur Iobus: quia scit tritauum protulisse se cinerem: sic animis posterorum originis insculpuntur facta, sic memoriæ traduntur exempla.

Iob. 1. v. 20. Origen. Genes. 18. v. 27. Origen.

Quod filij exercuisse parentes norunt, imitatione adulatores exercent. Vineam plantauit Noë, ipsóque fructu ebrius, denudatus filiis pietatis, procacitatísque certamen exhibuit: Cham difficilis ingenij denudatum patrem irrisit: non legimus quem ex filiis mundi seruatorem laudibus extulisse, & nudum legimus Chamum indignis filio insultationibus denigrasse. O quàm celerior est ingenij peruersitas, quàm indolis probitas. Citiùs patrem vidit filius improbus, vt irridet, quàm probus, vt operiret. Digesto vino expergefactus rem omnem agnoscit pater: quis illi indicauerit, non refertur; verùm quæ in superiores Principésque vel clanculum perpetrantur, ab ipsis auibus deferuntur. In procacem filium pater optimus irascitur, vt omnibus ludibrio esset, cui pater contra naturæ leges fuerat ludibrio; verùm maledictio in nepotem iacitur ad speciem innocuum, prorsúsque immeritum: *Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis.* Profectò de sæculi more hæc fulminata videtur maledictio: cur puer pœnas dederit, si magnus perpetrauerit culpas? Adhuc vino occupatus videatur Noë, cùm maledicta congerit in innocuum, nec mulctauerit dignum. *Quia filius*, inquit Ambrosius apud Lippoman. *non minus ac pater auum irriserat, ignominiámque publicarat.* Ecce vbi patris refertur exemplum, & pueri punitur erratum: *Qui doctrina paterna discipulus esset filius*, Ambrosium audis, & 190.

Gen. 9. v. 25. Ambros.

& pessimarum æmulus cogitationum vno corpore vterque vteretur, & mente, eadémque malitia. Indifferenter igitur vel paterna, vel sua malitia filius pretium luit: quoniam improbitatis commune consortium est. Eadem in auum perpetrat nepos, ac patrem conspexerat perpetrare: fecit ille quod exemplo doctus est: sic namque parentum exempla compellunt filios sic cogunt ad similia patranda natos.

191. Dei Filius sic hominum amore flagrabat, vt nullas in operãdo permiserit sibi inducias: Sabbathis etiam humanam miris operis procurabat salutem: quia Sabbatho etiam humanæ amore adurgebatur vilitatis: Pharisæi de malitiæ armamentario, vt quæ negare non poterant mira, calumniis apud populum infamarent, ingratis vocibus, exertísque clamoribus Sabbathi violatorem obmurmurabant: *Non est hic homo à Deo, qui Sabbathum non custodit.* O quàm peruersè Christi Domini honorem infuscant! Mira filium Dei asserebant; verùm vti Deo factis aduersam originem inficiari conantur: Patrem Sabbathis quieuisse constabat: *Requieuit*, inquit textus, *die septima ab vniuerso opere, quod patrauerat.* De operum ergo dissimilitudine opus improbant peruersi, & denegant virtutem maligni, adeòque apud populum hæc criminatio valebat, vt ipse Dominus cùm aliis criminationibus non responderit, huic de Sabbathorum violatione prudentissimus satisfecerit: Deus, inquit, nisi omni parte absoluto, perfectóque homine non quieuit Sabbatho: ideò ego, vt Sabbathis quiescam, medelam afflictis morbo hominibus adhibeo, eorúmque vtilitatem exopto. Ad rem Hieronymus in quæst. super Genes. & apud Lippoman. *Iuxta Græca exemplaria habetur: Et consummauit Deus in die sexto opera sua, quæ fecit. Pro die sexta in Hebræo dies septima habetur: arctabimus igitur Iudæos, qui de otio Sabbathi gloriantur, quod iam tunc in principio Sabbathum dissolutum sit: nam Deus operatur in Sabbatho complens opera sua, & benedicens ipsi diei, quia in illo vniuersa compleuit.* Deus Sabbatho quiescit, dum opera sua non sordent mutila; sed perfectè resplendent completa: Christus ergo vel ipso patris exemplo ad hominis absoluendã perfectionem alliciebatur, & quamuis aliis diebus opera similia aliquando intermitteret, Sabbathis Patris exemplum secutus humanam absoluebat salutem, quia eo die Pater curauerat hominis perfectionem. Pharisæi de peruersitatis ingenio dissimilitudinem in operando opponebant, vt originem denegarent; & quidem non esset leue argumentum, ni falsò innixum; verùm ipsa Patris quies Christum, ne imperfecto homine quiesceret, edocebat, quandoquidem nec Pater, nisi perfectis absolutisque operibus olim vacarat.

Ioan. 9. v. 16.

Gen. 2. v. 2.

Hieron.

192. Balaam, dum cupiditate allicitur, vt Dei populum maledictis euiret, exorientis fulgida pulcherrimi syderis luce sic illustratus est, vt maledicentiam debitam in benedictionem mutarit: *Orietur*, inquit, *stella ex Iacob, & consurget virga de Israel: de Iacob erit, qui dominetur.* Vides Balaam fulgidis stellæ vocibus informatum, Christi Domini imperium reougnante pessimo Rege exertis vocibus prædicasse: vide etiam quid longissima tempestate elapsa Magis acciderit: Christus nascitur, & Magi rutili ad astri conspectum adoraturi inuolant, & coram iniquissimo rege regnum recens exortum intrepida voce clamãt: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in oriente.* Eccur non timeant Magi coram ambitiosissimo Rege regem consalutare? Cur noui syderis aspectu mouentur, qui regia maiestate detinebantur? Quia posteri Balaam existentes, quod patrem fecisse sciuerant, effecerunt: *Sicut datur intelligi*, inquit Augustinus in catena, *traditionem Balaam sequebantur, qui dixit: Orietur stella ex Iacob: vnde videntes stellam extra ordinem mundi, hanc intellexerunt, quam Balaam futuram indicem Regis Iudæorum prophetauerat.* A maiori suo Balaam didicerunt syderis fulgore moueri, & in præsentia regis nouum regem consalutare: *Promissa posteritatis hæredes in syderibus designati* (verba sunt Leonis serm. 3. de Epiphania) *ortu noui syderis excitantur.* Hæredes excitantur: fors, ni hæredes, minimè encitarentur: nam maiorum exempla alliciunt efficaciter posteros ad similia.

Num. 24. v. 17.

Matth. 2. v. 2.

August.

Leo.

§. XLV.

Sic in melius animus transformandus, vt nullatenus extet vestigium, nec leue vetustatis remanserit argumentum.

Liquere tibi hoc desidero, neminem videlicet posse non solùm beatè; sed nec viuere sine virtute: felix vita virtute perficitur; verùm licèt hoc animo firmandum, & alta meditatione iterum atque iterum sit figendum, satis non est meliora videre; sed necessarium sectari: masculo animo opus est, vt meliora exerceas, non obcæcata mente, vt honesta cognoscas: perseuerandum est, & assiduo virtutis studio robur addendum, donec animus sic omnibus se vitiorum cõtagiis exuerit, vt cupiditates despiciat, sensuum tumultus nesciat, & adsultus corporis vincat. Quos cæca adhuc cupiditas in nocitura iactat, quos satiata nunquam libido præcipitat, ad lucis nondum peruenere serenum miserandum passi naufragium: ille supra fortunam viuit, qui non solùm læuigat animi scelera; sed abradit penitus vitiorum vestigia. Quàm benè monebat Seneca epist. 10. *Variatur quotidie iudicium, & in contrarium vertitur, atque plerisque agitur vita per lusum: preme ergo, quod cœpisti, & fortasse perduceris ad summum, aut eo, quod summum nondum esse solus intelligas.* Non est modicè insaniendum, nec paululum febricitandum: robusta sanitas nec vultui infirmitatis permittit maciem, nec membris lassitudinem, nec gressibus titubationem: corpus firmat, & vegetum colore, & robore ostentat. O quàm citò prolabetur in peccata, qui adhuc incolit vitiorum confinia: transfigurandus est animus, & quidquid repræsentat mores antiquos, prorsus abolendum: Calebus possessionem adit, gigantum scilicet ciuitatem, & ciuitati vel antiquum nomen refigit, vt iam nihil dominos antiquos sapiat, aut memoriæ iterum ingerat. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe.* Cariath-Arbe vocatam à quatuor gigantibus ciuitatis erectoribus, aut sanè incolis apud interpretes vulgare est. *Quidam Enac Arba vocatum dicunt,* scribit Masius: *quia quartus cum tribus filijs Achiman, Sesai, & Tholmai dominatum Hebrone habuerit* 193.

Senec.

Masius.

habuerit. Itaque nomẽ Cariath-Arbe ciuitatẽ illam gigantũ imperio olim testabatur subiectam: ergo Calebus nomen deleuit, vt antiqui dominij abrasisset prorsus memoriam, nec extaret vel nomine monimentũ, quãdo in Dei populi trãsibat dominiũ: nec enim se perfectè possidere cẽsuisset, si vel nomen alium dominum indicasset.

194. Postquam Hebræorum populus tyrannicum Pharaonis excusserat iugum, ad mare deuentum est, vndarum volumina celeres fugientium gressus præpediebant; & quando, ne labores fugiant, miseris non obstacula, aut pauperibus impedimenta? Moyses extensa manu vndas verberat, & iam quæ impetrare non potuerat à voluminibus virtus, impetrauit ab vndis tremor: ventus vehemens aquas congelauit in muros, & qui dissoluere solet petras, calor lapidescere

Exod. 14. v. 21. fecit vndas: *Cùm extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum diuisáque est aqua*. Non semper virtuti militauit concordia, aliquando fuit conducibilior diuisio. Certè fallax aliquorum pax rescindenda, & concordia dissecanda: quod heri mare, iam puluis. O quàm vehementis spiritus fuit argumentum nec remansisse limum, nec vdis tramitibus imprimi fugientium gressum: per ima gurgitum populus puluerulentus incedit, & inter medios vortices nullum antiqui liquoris spectatur vestigium; imò contrarium potiùs argumentum: vehemens spiritus non permisit viam partim denudari vorticibus, partímque vndis humectari stagnantibus: in siccum vertit,

Zeno. & omne vetustatis signum abrasit. Adest Zeno Veronens. serm. 3. de Exodo. *Subitò diuinâ prouidentiâ scinditur mare, aqua dextera, læuáque gelido stupore frænata vitreos diriguntur in muros præstolantes transitum Dei populi, vt persequentibus mare sint. Inducitur in viam Israel ingratus, in qua nec gladios possit timere, nec fluctus: mira res, medio puluerulentus in profundo*. Ecce Erythræum in geminas ripas diuisum mare ductis dextera læuáque vndarum aggeribus, in aciémque constipatis saluo liquore vorticibus, penitus arefacto profundo in semet contra se obnixa stupida pendet aquarum natura. Via inter fluctus patet terrena, & iam excitatus pedibus puluis aërem sordidat, vbi aqua heri vaporibus humectabat: vehementis spiritus fuit clarissimum argumentum nullum antiqui humoris itinere remansisse vestigium: gressus non maculantur lutosis sordibus; sed siccissimis albescunt pulueribus: minùs vehemens adspirasset spiritus, si antiquus aliquomodo perseuerasset status: *Abstulit illud*, inquit, *Dominus vento vehementi, & vrente*: Itaque vehementioris fuit spiritus argumentum nullum antiqui humoris reliquisse vestigium.

195. Nehemias aquam inuenit crassissimam, qua

2. Mach. 1. v. 20. sacrificium iussit aspergi: *Non inuenerunt ignem; sed aquam crassam, & iussit eos haurire, & afferre sibi, & sacrificia, quæ imposita erant, iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsâ aquâ, & ligna, & quæ erant superposita*. Aqua, quæ in profundo putei crassa, iam aris superimposita mutauit cum loco ingenium. Audi textum: *Vtque hoc factum est, & tempus affuit, quo Sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur*. Ecce aqua, quæ crassitie sua tendebat deorsum, iam volucris flammæ naturam induens cælum tetendit, inferiora superbia nobili dedignata. O quàm refulsit verus Sol, quàm discussis nebulis canduit, dum aqua transiuit in ignem! Certè dum Solis lux terreis vaporibus impedita, & obscuris nebulis offuscata aqua crassitudinem conseruabat; at vbi micantior lux, vbi liberior radius iam desueuit naturam, & crassitiem mutauit in

flammam. *Visu mirabile*, scribit Ambrosius Ambros. lib. 1. offic. cap. 14. *cùm esset cælum intectum nubibus, Sol repentè illuxit, accensus est magnus ignis, ita vt omnes in tam euidenti Dei gratia factò stupentes lætitia perfunderentur*. Diuina coruscat gratia, dum aqua transiuit in ignem, dum proprium adeò nudauit ingenium, vt induerit prorsus contrarium: iam flamma leuis, quæ vnda crassitudine grauis: iam tendit sursum, quæ nuper tendebat deorsum: mutauit ara, quam accepit crassam naturam, vt prorsus crassitudinis deleret notam: iam de frigiditate ardor, de crassitie leuitas, de obscuritate splendor: quia quam sibi adoptauit gratia, non potuit non nobiliter à seipsa degenerasse natura. Hinc spiritualis profectus censendus, & hac æquitatis trutina mensurandus: nondum cælestis lux terrestribus nubilis expedita, dum aqua non transit in flammam, dum frigus non ardet, dum rigor non vrit: sic Solis candor mutauit vnde crassitiem, vt splendescentem verterit in ardorem. Teipsum examina, & videbis an sereno cælo fruaris: si antiquas cupiditates exueris, si passionum domueris impetus, si noxij ardoris refrænaris adsultus: de mutatione censetur profectus, & proditur proficiens virtutibus animus. Qui eadem retinet actionum lineamenta, nondum peruenit illuc, quò peruenientes feliciter transfigurantur, & diuersos vultus assumunt.

Fugiebat iram fratris Iacobus, inuidiæ absentia adhibuit medelam, ac huic morbo persa- 156.
nando opportunam loci distantiam; afflictum solatur Deus, humíque cubantem magnificis ditat promissionibus, supergressísque huma-

nas spes muneribus: *Vidit in somnis scalam* Genes. 28. v. 12.
stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quóque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo. Columellam gratitudinis erigit testimonium, & loci appellationem titulo nobiliori commutat: *Appellauit nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur*: Iam antiquum aboletur nomen, vt Deum ibi adfuisse sæculis sit peruulgatum: esset námque loci iniuria, quam ante præsentiam Numinis habuit appellationem retinere, & Luzæ vocabulum conseruare. Benè; sed cum viatore excurramus. Peruenit Iacob ad auunculi domum, iámque susceptis filiis domum repetebat, cùm cælestis luctator in stadio pugnat, & præmij loco

nomen indidit nouum sublato antiquo: *Ne-* Genes. 32. v. 28.
quaquam, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum; sed Israel*. Vide visionum differentiam. Modo nomen induit, priùs minimè commutauit: & cur anteà non Israël, aut cur modò non Iacob? Intimiùs perscrutemur visionis mysterium, vt quæstionis inuenerimus responsum. Cum scala dormienti obiicitur, Numen supremo gradu innixum distans longo tractu videtur; at cùm

athletæ

dictam priuata. Textus noster non sine mysterio expressit Hebron anteà appellatam fuisse Cariath-Arbe: *Nomen Hebron anteà vocabatur Cariath-Arbe.* Ciuitas hæc à quatuor celeberrimis viris cum coniugibus nomen mutuata censetur ab intepretibus: Arbe námque Hebraicè significat quatuor, Cariath vrbem: ac si dixeris vrbem quatuor: qui autem hi quatuor celebratissimi fuerint, tradit Hugo Cardinalis: (Hugo.) *Interpretatur*, inquit, *ciuitas quatuor: quia ibi sepulti fuerunt quatuor Patriarchæ cum vxoribus suis, scilicet Adam cum Eua, Abraham cum Sara, Isaac cum Rebecca, Iacob cum Lia.* Quod si quæras cur Lia præ Rachele adeò celebri honoretur sepulchro, cùm Rachel, & teneriùs dilecta, & præ sorore à Iacobo semper honorata: respondebit Hugo in idolorum vindictam hanc tulisse in morte notam: *Rachel, licèt magis dilecta, non fuit ibi sepulta cum viro suo, fortè quia idololatra fuit, colens idola Laban patris sui.* Subripuit, vt veneraretur, idola, & quamuis industriè celauerit crimina; in morte tamen criminis insculpitur nota: vt noueris vel fortunatissima scelera soluisse in morte supplicia: celauit Rachel omnibus fortassis idololatriam; sed morte idololatriæ effugisse non potuit pœnam.

199. Heli populi Sacerdos nimiùm indulgens filiis iniuriam intulit aris: & quæ maior iniuria, quàm dissimulare scelera, & suorum nullatenus puniuisse delicta? quia populi iudex, quia dignitate supremus, nec ignauiæ pœna irrogata, nec mulcta violati muneris est inflicta. Verùm cùm acerbum nuncium, scilicet arcam ab allophylis captiuam, accepisset, retrorsum de sella cecidit, fractisque ceruicibus expirauit: (1. Reg.4. v.18.) *Cum ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est: senex enim erat vir, & grandæuus, & ipse iudicauit Israël quadraginta annis.* Inquirunt interpretes, cur iuxta ostium, & cur retrorsum ceciderit: nec enim putandum est vacasse mysterio Scripturam signasse situm, mortisque descripsisse modum. Recolamus quod fuerit huius supplicij meritum: indicat textus cap.2. (1. Reg.2. v.22.) *Heli erat senex valdè, & audiuit omnia, quæ faciebant filij sui vniuerso Israeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Itáque peccatum erat filios sustinuisse per ministrorum manus exercentes rapinas, ad ostiúmque tabernaculi excubantibus coëuntes cum fœminis: in morte ergo huius culpæ patuit vindicta: quia vtpotè supremo iudici à nullo inflicta fuerat viuenti pœna. (Gregor.) *Ibi cecidit*, scribit Gregorius lib.3. in 1. Reg. cap.2. *vbi deliquit, qui etiam cadens ceruices fregit. In ceruice tumor temporalis potentiæ designatur: fracta ergo ceruice moritur, qui perfidia magnitudine amissa regni potentiâ condemnatur.* Delicta regno deposcebant priuari, ne vlteriùs progrederetur potentia, cuius auxilio procacissima vigebat culpa; verùm cùm Heli iudex populi supremus ipsa dignitate dignitatem tueretur, morte dignè soluit, quod impunè viuens deliquit. Retrorsum cecidit: quia iam vlteriùs non poterat imperium perseuerare: iuxta ostium cecidit, vt de commissis iuxta ostium culpis dignas moriens dederit pœnas, & æquitas illatas sibi effuso sanguine lauaret iniurias. Quis in potentem auderet? Coacta gemebat oppressorum patientia, ne querelis acriùs accenderetur audacia; verùm iustitiæ oculus morti culparum impressit notas, & mortis loco sculptas supplicij ostendit omnibus pœnas.

200. Seni succedat senex ille catabolicorum, & fatidicorum antistes: vt quam Propheta Dei nomine delegatus regi comminatus fuerat, vindictam illuderet, contra præceptum vesci Prophetæ suasit, vtque etiam suasionis pœnam mortuus effugeret, in idem viri Dei sepulchrum cadauer suum filiis mandauit inferri: *Posuit* (3. Reg.13. v.30.) *cadauer eius in sepulchro suo.* Huius fraudis, quia in sacrilegis Regis obsequium perpetrata, nullum est inflictum supplicium; imò fors à rege collatum præmium: impietate námque regnante, & merita subiacere videas suppliciis, & scelera lautissimis munerari præmiis: senex, ne irrogaretur ipsi viuenti pœna, regis obarmabatur obsequio, & ne in morte culpæ mulctaretur supplicio, viri Dei cadaueris defendebatur consortio; verùm nullatenus potuit industria sepulchro propellere infamiam: in ipso námque lapide ex vno latere obortæ rosæ, & ex altero malè olentes exortæ herbæ sic simplicissimum diuisere sepulchrum, vt honor coronaret iustum, & contumelia dehonestaret falsidicum: Iosias in titulum hominis Dei incidens: *Quis* (4. Reg.23. v.17.) *est titulus ille, quem video?* rogat. *Responderuntque ei ciues vrbis illius; sepulchrum est hominis Dei, qui venit de Iuda, & prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel: & ait: Dimitte eum, nemo commoueat ossa eius.* Rogat Lyra, cur speciatim de hoc titulo rogarit Iosias, cùm passim in agro illo occurrerent multorum sepulchra: *Cùm essent ibi multa sepulchra, quæritur, quare ibi Iosias specialiter quæsiuit de illo?* Respondétque ex Rabbinorum sententia, quod nuper dicebamus, sepulchrum videlicet ex altero latere candicantibus fulgere liliis; ex altero verò fœtidis sordescere herbis. Audi Lyran. (Lyra.) *Respondet R. Salomon, quòd vidit ex vno latere sepulchri herbas fœtidas, & pungentes ortas, vt spinas, & vrticas, & huiusmodi, ex alio verò latere herbas bonas, & suauiter redolentes, vt balsamum, & huiusmodi.* Ecce fatidici Prophetæ impunita, dum viueret, mansit audacia; imò laudata fors fraudulentia: ne pœnam sustineret in morte ingeniosa laborauit industria; verùm etsi ob Prophetæ meritum impij ossa æris non adusserit flamma, mansit tamen herbarum characteribus insculpta lapidi contumelia: non potuit delicti in morte effugere pœnam, qui viuens de scelere captauerat gloriam. Nulla valet ad arcendas pœnas in morte industria, nisi culpas deleuerit pœnitentia. Gaudeat quisquis volet, & sua impunita scelera insipienter glorietur: in morte dabit, quas in vita non dedit pœnas: delicta námque, etsi tantisper gaudeant inulta, nequeunt diu perseuerare impunita.

201. E contra videbis, quantumuis virtutes irremuneratæ maneant in vita, in morte laudabili potiri fama, coronarique gloria. Adest huius veritatis testis ipse ille Propheta, qui nominè Dei in idololatram regem sententiam intrepidè fulminauit: *Ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel Ieroboam stante super* (3. Reg 13. v.1.) *altare, & thus iacienti, & exclamauit contra altare in sermone Domini.* Dei præceptis obediuit Propheta, vitam exposuit, regis audaciam

coarguit,

coarguit, cúmque domum repetens in leonis rictus incurreret, occisus iacuit. Quid tunc? Sepulchro conditur alieno, & titulo delitescit extraneo; verùm, nè vel temporali honore priuaretur, lilia sepulchrum amœnant, & rosæ in modum serti cadauer totum coronant. Sic inter frequentes, qui per campum illum videbantur, hic hominis Dei regios oculos ad se titulus traxit, vt de illo specialissimè interrogarit: *Quis est titulus ille, quem video?* Vidit titulo bene olentes rosarum characteres insculptos, quibus & coronabatur sanctitas, & Dei viri prædicabatur sæculis æquitas: in vita non acceperat præmium; in morte tamen æternæ laudis est sortitus præconium; ne irremunerata maneret virtus, sepulchro pullulauit rosarum nemus, quæ pluribus foliorum linguis aspicientes dignis informarent elogiis. Nulla malitiæ fraus, nulla fraudulenti senis industria, etsi dolosè abstulerit vitam, expungere valuit prophetæ famam.

202. Iob, quem sæua illa calamitatum tempestas
non solum diuitiis; sed etiam dispoliauerat
membris, sic sterquilinio sedens suo blandieba-
Iob 18.v.19. tur dolori, & adulabatur calamitati: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies: radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea.* Ecce in ipsa demessione radix pullulat, & ipsa mortis ignominia triumphali munitur palma: vbi reliquorum humanus legitur casus, ibi Iobi æternus virtutis celse insculptus videtur triumphus: ibi radices egit fama, vbi reliquorum sordescit gloria: non moritur iustus, vt pereat; sed mortis falce demeti-
tur, vt augustiori pompa resurgat: *Nec immeri-* Gregor.
tò, scribit Gregorius lib. 19. moralium, cap. 16. *iustorum vita palma comparatur: quia scilicet palma inferius tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obuoluta: superius verò & visu, & fœtibus pulchra: inferius corticum suorum inuolutionibus angustatur; sed superius amplitudine pulchra viriditatis expanditur: sic quippe est electorum vita, despecta inferiùs, superius pulchra.* Ipsa sterquilinij ignominia palmæ pulchritudinem incrementat; &, dum Iobus sæculo despectior, cælo iam propinquat viridior. In nidulo famæ lucratur plausum, quia in calamitate sustinuerat contemptum. Mortem coronauit præmiũ, si vitam calamitatis diuexerat naufragium.

CAPVT XV.

Verſ. 1. GITVR sors filiorum Iudæ per cognationes suas ista fuit: A
termino Edom desertum sin contra meridiem, & vsque ad ex-
tremam partem australis plagæ. 2. Initium eius à summitate
maris salsissimi, & à lingua eius, quæ respicit meridiem.
3 Egreditúrque contra ascensum scorpionis, & pertransit in
Sina: ascendítque in Cadesbarne, & peruenit in Esron ascendens ad Addar, & cir-
cuiens Carcaa. 4. Atque inde pertransiens in Asemona, & peruoniens ad tor-
rentem Ægypti: erúntque termini eius mare magnum, hic erit finis meridianæ
plagæ. 5. Ab oriente verò erit initium mare salsissimum vsque ad extrema Ior-
danis: & ea quæ respiciunt ad Aquilonem à lingua maris vsque ad eumdem Ior-
danis fluuium. 6. Ascendítque terminus in Beth-Hagla, & transit ab Aquilone
in Beth-Araba: ascendens ad lapidem Boen filij Ruben. 7. Et tendens vsque
ad terminos Debora de Valle Achor contra Aquilonem respiciens Galgala, quæ
est ex aduerso Ascensionis Adommim ab australi parte torrentis transitque aquas,
quæ vocantur fons Solis, & erunt exitus eius ad fontem Rogel. 8. Ascendítque
per conuallem filij Ennom ex latere Iebusæi ad meridiem, hæc est Ierusalem, &
inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Geennom ad occidentem in
summitate vallis Raphaim contra Aquilonem. 9. Pertransítque à vertice mon-
tis vsque ad fontem aquæ Nephtoa; & peruenit vsque ad vicos montis Ephron,
inclinatúrque in Baala, quæ est Cariathiarim, id est vrbs syluarum. 10. Et circuit
de Baala contra occidentem vsque ad montem Seir, transitque iuxta latus montis
Iarim ad Aquilonem in Cheslon, & descendit in Bethsames, transitque in Thamna.
11. Et peruenit contra Aquilonem partis Accaron ex latere: inclinatúrque Se-
chrona, & transit montem Baala: peruenitque in Iebneel, & magni maris contra
occidentem fine concluditur. 12. Hi sunt termini filiorum Iuda per circuitum
in cognationibus suis. 13 Caleb verò filio Iephone dedit partem in medio fi-
liorum Iuda, sicut præceperat ei Dominus. Cariath-Arbe patris Enac ipsa est He-
bron 14. Deleuitque ex ea tres filios Enac Selai, & Ahiman, & Tholmai de
stirpe Enac. 15. Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ priùs
vocabatur Cariath-Sepher, id est, ciuitas litterarum. 16. Dixitque Caleb: Qui
percusserit Cariat-Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.

17. Ce

17 Cepítque eam Othoniel filius Cenez fratris Caleb iunior: dedítque ei Axam
filiam suam vxorem. 18. Quæ, cùm pergerent simul, suasa est à viro suo; vt
peteret à patre suo agrum, suspirauítque vt sedebat in asino. Cui Caleb: Quid ha-
bes, inquit. 19. At illa respondit: Da mihi benedictionem: Terram australem,
& arentem dedisti mihi, iunge, & irriguam. Dedit itáque ei Caleb irriguum su-
rius: & inferius. 20. Hæc est possessio tribus filiorum Iuda per cognationes suas.
21. Erántque ciuitates ab extremis partibus filiorum Iuda iuxta terminos Edom à
Meridie: Cabseel, & Eder, & Iagur. 22. Et Cina, & Dimona, & Adada 23. Et
Cades, & Asor, & Iethnam. 24. Ziph, & Telem, & Baloth. 25. Asor no-
ua, & Carioth, Esron, hæc est Asor. 26. Amam, Sama, & Molada. 27. Et
Asergadda, & Hassemon, & Bethpheleth. 28 Et Assersual, & Bersabée, &
Baziothia. 29. Et Baala, & Iim, & Esem. 30 Et Eltholad, & Cesil, & Har-
ma 31. Et Siceleg, & Medemena, & Sensenna. 32. Lebaoth, & Selem, &
Aën, & Remon, omnes ciuitates viginti nouem, & villæ earum. 33. In cam-
pestribus verò: Estaol, & Sarea, & Asena. 34. Et Zanoë, & Engannim, & Ta-
phua, & Enaim. 35. Et Ierimoth, & Adullam, Socho, & Azeca. 36. Et Sa-
raim, & Gedera, & Gederothaim vrbes quatuordecim, & villæ earum. 37. Sana,
& Hadassa, & Magdalgad. 38. Delean, & Masepha, & Iecthel. 39. Lachis,
& Baschat, & Eglon. 40. Chebhon, & Leheman, & Cethlis. 41. Et Gideroth,
& Beth dagon, & Naama, & Maceda: ciuitates sedecim, & villæ earum 42. La-
bana, & Ether, & Asan 43. Iephtha, & Esna, & Nesib. 44. Et Ceila, & Achzib,
& Maresa ciuitates nouem, & villæ earum. 45. Accaron cum vicis, & villulis
suis. 46 Ab Accaron vsque ad mare omnia quæ vergunt ad Azotum, & vicu-
los eius. 47. Azotus cum vicis, & villulis suis Gaza cum vicis, & villulis suis
vsque ad torrentem Ægypti, & mare magnum terminus eius. 48 Et in monte
Samir, & Iether, & Sochot. 49. Et Ranna, & Cariethsenna, hæc est Dabir.
50. Anab, & Istemo, & Anim. 51. Gosen, & Olon, & Gilo ciuitates vnde-
cim, & villæ earum. 52. Arab, & Ruma, & Esaan. 53. Et Ianum, & Beth-
thaphua, & Apheca. 54. Athmatha, & Cariath-Arbe, hæc est Hebron, &
Sior ciuitates nouem, & villæ earum. 55. Maon, & Carmel, & Ziph, & Iota.
56. Iezrael, & Iucadam & Zanoë. 57. Accain, Gabaa, & Thamna: ciuitates
decem & villæ earum. 58. Halhul & Bessur, & Gedor 59. Mareth, & Betha-
noth, & Eltecon, ciuitates sex, & villæ earum. 60. Cariath Baal, hæc est Caria-
thiarim vrbs syluarum, & Arebba ciuitates duæ, & villæ earum. 61. In deserto
Betharaba, Meddin, & Sachacha. 62. & Nebsan, & ciuitas Salis, & Engaddi
ciuitates sex & villæ earum. 63. Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non
potuerunt filij Iuda delere: habiauítque Iebusæus cum filiis Iuda in Ierusalem
vsque in præsentem diem.



§. I.

Commentarius littera.

Vers. 1. Igitur sors filiorum Iudæ per cognationes suas ista fuit: A termino Edom desertum, sin contra Meridiem, & vsque ad extremam partem australis plagæ; *&c.*

1. INTERRVPTA semel & iterum eius, quæ trans Iordanem iacebat, telluris narratio iam tandem continuatur; sed ne postea perpetem sacrorum verborum explicationem aliqua nobis impediant, priùs explananda videntur, quæ desiderium curiosis poterunt excitare. Primùm quo ritu, quibúsque solemnitatibus sortitio & assignatio peracta: fuerítne alicui etiam inter ipsas tribus specialis prærogatiua; an verò simul vna hydria omnium receperit nomina, sortéque rationabili ac diuino pulsu reddiderit. Et quidem sortilegium vt in plurimum apud sacros & profanos reiectum; illud tamen quod cæca fortunæ temeritate proditur; aliter verò quod diuinæ prouidentiæ pulsu temperatur. De hoc Prouerb. 16. v. 33. *Sortes mittuntur in sinum; sed à Domino temperantur.* Et Paulus ad Ephes. 1. v. 1. *In quo etiam & nos sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum eius.* Ad quæ Chrysost. hom. 1. *Quando sors res est casus fortuiti; non item voluntatis liberæ, aut virtutis vllius (ignorantiam enim habet sibi adiunctam, & consecutionem rei optatæ; sed quæ à fortuna pendeat vt plurimum præterhabens eos, qui cæteris prælucent virtute; illis interim promotis, quos ne ratione vlla dignos iudices) vide vt nunc sortis mitiget, ac castiget: prædestinati, inquit, secundum propositum eius, qui omnia operatur, hoc est non vulgari sorte acciti sumus.* De illo, sortilegio scilicet vulgari, plura apud Poëtas. Sic Euripides.

Prouerb. 16. v. 33.
Ad Ephes. 1.
Chrysost.
Sors sacra ignauos fortibus, ac indignos præfert dignis.
Euripid.

Deus quidem tantùm per magna suscepit;
Verùm quod est paruum, fortuna delegat.

Plutarch. Et Plutarchus lib. de non iraſcendo: *Ego nihil fortunæ permittendum arbitror*, quaſi quæ fortuitò eueniunt, improuiſa cenſeantur. Audi Philostratum lib. 3. Apollon. cap. 9. *Nos Indi, qui Ægyptiorum in Sacerdotibus eligendis conſuetudinem audiuimus, & Græcorum etiam iudices, quos decem Iudis Olympicis præficitis, nequaquam laudamus, nec legem quæ in illis viris eligendis ſeruatur: ſorti namque electionem committunt, quæ prudentia nihil habet, ita vt poſſit etiam peſſimus quiſque ſorte eligi.* Itaque fortunæ iudicio iacta ſors improuida ſugillatur; at quæ diuina approbatione, rata cenſetur: *Ne per gratiam donaretur ſummi nominis prærogatiua*, inquit Egeſippus lib. 4. de excid. Ieroſol. cap. 6. *ſortitò creari Principem Sacerdotum expetunt, in quo nihil gratiæ, ſed diuino iudicio committi ſortis euentum æſtimaretur.* His ergo ſortibus, ſacris ſcilicet Numinis linguis, quæ cuique tribui hæreditas adſcribenda, commiſſum eſt. Modum tradunt Doctores Hebræi in eo tractatu, quo de hominum pactis agunt. *Fuerunt*, inquiunt *coram arca poſita vrnæ duæ, in quarum alteram cum ſorte ... alteram deſcriptarum regionum nomina ... Eleazer Pontifex Magnus ſpectante Senatu & vniuerſa Eccleſia ... ex altera ... regionis, prout Deus ... *

2\. Ioſeph. Alio modo iactas ſortes putat Ioſephus lib. 5. antiquit. cap. 3. ſcilicet extractam imprudenti manu ſortem huius aut illius tribus, prout Numini placuit, nomen retuliſſe, cui tribui tam ſorte præeunti ex portionibus propoſitis hanc aut illam delegiſſe liberum erat. Vnde Iudæi, quia ſorte cadente primi, ſuperiorem ſibi Idumæam conſulto delegerunt. Maſius veriorem primam ſententiam exiſtimat: quod ſi vnica hydria ſtatuenda eſt, in eaque regionum nomina fuerunt iniecta, ita peractam fuiſſe ſortitionem illi videtur, ſcilicet tribus pro cuiuſque prærogatiua aliis ad ſortem præponebatur, extractaque ab vrna ſors quam regionem eſſet occupatura, ſignabat. Hinc tribus Iudaica primam hæreditatem accepit, quia Rubenis loco erat Princeps; deinde Ioſephitarum, quibus Rubenis etiam ius in parte obuenerat: deinceps quæ ex liberis ortæ tribus, non habita licet ratione ætatis, ac tandem tribus illæ, quæ ex ancillis ſatæ. Arias Montanus duas has Rabbinorum & Ioſephi ſententias refert: diſſentit verò à Maſio, quòd putet tribuum nomina à Ioſue, & Eleazaro fuiſſe appellata, & ne tribus aliqua diuidentium fauore exiſtimaretur præpoſita, ex Vrim & Thummim petita; ſitus verò & confinia ex vrna ſorte ſignata, omnia hæc dubia, illud tamen certiſſimum nil in hoc genere factum præter diuini conſilij auctoritatem, ne vnquam inuidas ſortitio pateretur calumnias, aut qui poſſeſſione deteriores criminoſas excitarent querelas. Vtque videas quouſque ſe humana malitia profuderit, non defuerunt, qui apud Abulenſem quæſt. 2. putarint Ioſue morem geſſiſſe Iudæis vt in nobilioribus, Ephraimitis vti cognatis, eamdemque

Abulenſ. ob cauſam Manaſſæis. *Reſpondebit aliquis forte*, inquit, *quòd hic fuiſſet obſeruatus aliquis fauor, ſcilicet quòd Ioſue voluerit magis complacere filijs Iuda, quia erat honorabilior tribus: deinde dedit filiis Ephraim, quia ipſe erat de tribu Ephraim Numer. 13. poſtea autem dimidiæ tribui Manaſſe; quia etiam pertinebant iſti ad cognationem Ephraimitarum, cum Ephraim & Manaſſes eſſent filij Ioſeph; cæteris autem tribubus non curauit immediatè aſſignare poſſeſſionem.* O qui factioſas vitabit calumnias, cùm Ioſue adeò improbas ſuſtinuerit querelas.

Verſ. 2 vſque ad 13. **Initium eius à ſummitate maris ſalſiſſimi, & à lingua eius, quæ reſpicit meridiem.**

Chaldaic. Chaldaica paraphraſis ſic habet: *Et fuit ſors tribui filiorum Iuda per proſapias eorum ſuper terminum Edom ad deſertum Zin meridiem verſus à finibus auſtri.* Septuaginta: *Et fuerunt termini tribus filiorum Iuda per populos ſuos à terminis Idumææ ab eremo Sin contra meridiem vſque ad Cades.* Mariana noſter illud *ad deſertum Si* notat ſcribendum per Zade ad differentiam alterius, quod in magno deſerto occurrit, & per Samech ſcribitur. Definit textus lineam auſtralem, quæ ducta ab extremo maris ſalis, ſeu mortuo, & à petra ſeu promontorio ob ſimilitudinem *linguæ* vocato tendit contra aſcenſum ſcorpionis. Aſcenſus ſcorpionis dicitur aut quia Hebraicum nomen ſcorpio aſcenſum ſignificat, aut quia partem illam huius generis ſerpentum occuparat illuuies, aut denique quia ipſa loci natura ſcorpionis oculis refert imaginem: Sin illam, quæ deſerto proximo nomen mutuat, linea ducta pertranſit, pauloque in Septentrionem vergente ſpatio ... hinc iterum aſcendit. Itaque ſi tribus Iudæ limites quæras, habet à meridie montes Seir, quibus Idumæi incolæ, extenditurque hæc meridionalis linea altiſſimas per rupes ... in morem ſcorpionem incuruantes: deſcendit verſus orientem ad torrentem Ægypti, qui ſe in mare mediterraneum exonerat: orientem cingit totius maris mortui longitudo, à prædictaque lingua inchoata, & vſque ad Iordanis oſtium protenſa: Septentrionem definiens linea initium ſumit ab oſtio Iordanis, & ad mare vſque mediterraneum progreditur. Ab occidente denique mari mediterraneo cincta hæc regio clauditur. Notatu tamen dignum huius ſpatij multum poſteà Iudæ tribui demptum, eo quod Simeonis & Dan tribus ibi etiam ſortes acceperint, ſedéſque locarint. Vnde colligit noſter Salianus, Maſius, Arias Montanus, hanc Iudæ ſortitionem rudi veluti Minerua factam; poſtea verò accuratiùs definitam, attentiuſque deſignatam. Vrbes in toto illo ſpatio abſque vicis & villulis centum quindecim numerantur, in quibus Philiſthinorum etiam primariæ, Ieruſalem verò, in qua filij Iuda cum Iebuſæis diu habitaſſe dicuntur, in ciuitatem cenſum non refertur.

§. II.

Commentarius literæ.

Verſ. 13. **Caleb verò filio Iephone dedit partem in medio filiorum Iuda, ſicut præceperat ei Dominus Cariath-Arbe patris Enac ipſa eſt Hebron.**

PARAPHRASIS Chaldaica Arbe non vocat patrem Enacim, ſed patrem illorum fortium; 4.

Chaldaic. fortium: ita transfert: *Et Caleb filio Iephone dedit partem in medio filiorū Iuda iuxta dictum Domini ad Iosue. Kiriath-Arbagh patris illorum fortium ipsa Hebron.* Septuaginta sensum

Septuag. etiam variant: ita enim reddiderunt: *Et Caleb filio Iephone dedit partem in medio filiorum Iuda per iussum Dei: & dedit ei Iosue urbem Arbe metropolim Enac, ipsa est Hebron.* Fidem suam liberauit Deus,& quod olim ob egregiam quantumuis ab aliis oppugnatam constantiam Calebo largè promisit, iam per administrum Iosue cumulatiùs impleuit. *Debitum, quod non*

Cassiodor. *Debitum transit in beneficium, si absque compulsione constet illatum.* *potest euitari*, scribit Cassiodorus 12. variar.16. *prona debet mente semper offerri, vt fiat beneficium, quod sine compulsione constat illatum.* Exiguo precum sumptu impetrauit Calebus quod sibi honestissima temeritate acquisiuit. Datum refertur, vt præceperat Dominus Iosue, quò non humano fauori; sed diuino remuneratio tribueretur arbitrio. *Manifestos effectus nostra*

Non decet loqui Principem, quod nō videatur posse cōpleri. *debet habere præceptio* (scribit Cassiodorus in gnomologia nomine Princeps) *nec decet Principem loqui, quod non videatur posse compleri.* Compleuit Iosue quod promiserat princeps,nec dispendio aliquo hæreditatem accepit, qui fortitudine titulum acquisiuit. O quanta Iosue laus pro Domini arbitrio eius diuitias dispensasse, nec sibi quidquam largitionis titulo diripuisse. Reuerendissimum se omnibus fecit, dum quod Numen promiserat, irremunerata executione compleuit. O quanta micantia exeūt à dominis beneficia, quæ sordidis ministrorum manibus obscurantur: nec nisi fatigata fastidienteque patientia ad recepturos perueniunt. Iosue nec dominæ imminutauit sententiam, nec tardis donationibus adulterat gratiam. Hebraica lectio illud: *Sicut præceperat ei Dominus*, ita apud R. Leui F. Gersonis ambiguitatem tollit: *Ad os Domini ipsi Iosue.* De Arba siue Arbe iam suprà mentio facta: ibi maximum inter gigantes asseruit; hic gigantum fuisse patrem

Marian. littera videtur testari. Noster Mariana patrem Enac gigantumque Arbe fuisse colligit ex textu:

Magallian. Magallianus dissentit: ait enim nomen Enac pro gente Enaciorum poni, quæ à quodam Enac antiquissimo huius gentis auctore nomen acceperit. Et quidem si datæ suprà expositioni inhæremus nomen illud *Pater* non progenitorem, sed Principem aliquando denotat. Itaque illud *Patris Enac* erit idem quod gigantum Principis. Huius Arbe tres dicuntur filij Sisai, Achiman, & Tholmai, qui filij etiam Enac vocantur, non quòd Enac immediatum progenitorem habuerint; sed quòd originem ab Enac

Masius. antiquissimo duxerint. Masius cum formidine Arbe patrem horum trium gigantum non fuisse autumat: quia scilicet constat hos vsque ad Iosue tempora perdurasse: cum exploratorum tempore ciuitatem Arbe isti iam gigantes habitarent, quæ longissima videtur ætas. Itaque statuit non de ipsis, sed de ipsorum trium gigantum posteritate intelligendum esse quod hic, vel quod in Numer. 13. v. 22. traditur. Hæc mihi opinio non probatur, quia aliquantulam sacro

Caietan. textui vim afferre videtur. Aduertit Caietanus hoc loco attribui Calebo id ipsum quod supra cap. 11. Iosue similiter attributum. Et quidem vtrique meritò, Iosue vti Imperatori supremo, Calebo vti duci illius cunei siue aciei, quæ & incolas profligauit, & Hebronem detriumphatrix possedit. *In laude regnantis proficit* (scribit Felici Theodoricus 2. variar. 2.) *quod subiectus acquirit.*

Theodor. *In laudem regnātis proficit, quod subiectus acquirit.*

Vers. 14. 15. & 16. Deleuítque ex ea Caleb tres filios Enac Sisai, & Achiman, & Tholmai de stirpe Enac, atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ priús vocabatur Cariath Sepher, id est, ciuitas litterarum.

Mariana vocari ciuitatem hanc litterarum putat, quòd in ea fuerit schola publica. Confirmant Septuaginta: *Nomen Dabir priùs urbs litterarum*, id est ciuitas, in qua publicæ patebāt scholæ, & veluti gentium illarum extructæ erant vniuersitates. Masius Bibliothecam publicam, & antiquissimam illic asseruatam fuisse arbitratur: nam Sepher, & librum, & narrationem, & historiam, & lectionem aptè poterit denotare. Itaque ex Masij sententia Dabir erat veluti archiuum, aut tabellarium, in quo multa vetustatis monimenta post orbis diluuium reposuerunt homines illi primi, qui Hebronem vicinam Dabir satis inhabitarunt. Chaldæus consonare videtur: reddit enim *Kiriath-arche*: istud oppidum vocatur etiam Cariath-Sena, vt aliquibus placet, à quodam genere spinarum: quasi ciuitas spinarum sonet. Dissentit Masius: & quidem si in his seriis rebus velitari liceret, aptè coniungi hæc nomina dicerem, scilicet litteras, & spinas, aut quia litterarum difficultates spinarum adinstar pungant; aut quia nonnullis ipsæ litteræ (adeò ignaui sunt) fastidiuntur vt spinæ: cùm tamen, & felicitatis sint matres, & aduersæ fortunæ expertes. *Digna planè scientia*, scribit Cassiodorus in gnomologia, *in qua mens honestissima conquiescat, quæ animo semper aliquid salutare complectitur, cui accidere nulla possunt ingrata, dum sibi commendat omnia mundanarum rerum, sola cui labilis fortuna non imperet.* Plures apud gentem illam ciuitates hominum copia refertæ; sed metropoli vrbs litterarum vicinior. Arma cum litteris componit Plutarchus comment. de music. & gloriæ per arma partæ gloriam per litteras partam præfert. *Facta ducunt*, inquit, *splendidissima salutem tantùm ex repentinis periculis scimus paucis militibus, vel vni ciuitati, vel certè gēti vni adferre, quæ tamen haud quaquam milites, vel ciues, vel nationem eorum reddūt meliores: litteras verò, in quibus posita felicitas est, & quæ prudentiæ sunt auctores, non solum vni familiæ, vel ciuitati, vel genti frugiferas; sed vniuerso mortalium generi repertas.* Itaque quo ex eruditione, quam ex rebus bello gestis emolumentum accedit maius, eò memoria est eius commendabilior. Citiùs euertit fortuna Arbe gigantibus præmunitam, posteà Dabir litteris obarmatam Calebus vel senex audax in proceræ molis homines inuolauit. Dabir expugnationem Othonieli valentiori commisit.

5. Marian. Septuag.

Masius.

Chaldaic.

Cassiodor. *Scientiæ labilis fortuna non imperat.*

Plutarch. *Litteræ omnibus salutares.*

Vers. 16. Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.

6. Non est credibile Calebum viribus iam destitutum, aut bellandi studio nudatum expeditionem

ditionem hanc alteri ob arduitatem commisisse: fecit tamen vt ducis officia impleret, dum milites ad gloriosa prouocat bella, dum opulenta promittit victori munera. *Nec enim credibile est*, inquit Masius, *virum fortissimum, & qui certissimam in Deo fiduciam nuper habebat collocatam, præ turpi iam ignauia, aut diffidentia ex aliis hominis viribus pendere spe, præsertim maxima nunc belli difficultate superata post pulsos Hebrone gigantes.* Vicit ille priùs, aliósque non inuidus ad similem gloriam prouocauit. *Sciendum est*, inquit Abulensis quæst.6. *quòd Caleb conuenienter dixit verba hac propter duo: primùm quia ipse erat dux belli, vt supra declaratum est; ad ducem autem pertinet in bello proponere præmia benè pugnantibus, vel comminari pœnas aut inhonorationes fugientibus de acie.* Homerus de Hectore in Iliad. quem allegat Aristoteles 3. Ethic. sic ait: *Quem ego videro sine bello fugere, faciam quod non sit sibi sufficiens fugere canis.* Allaudat Arias Montanus Calebi virtutem, qui gloriæ socium non renuit; imò triumphorum consortem honestè ambitiosus quæsiuit: *Cum senior*, inquit, *tam totius regionis munitissimam vrbem sui ipsi virtute atque præstantia cepisset, eiusdem laudis & vtilitatis habere socios voluit, omnésque pariter viros strenuos ad pia honestaque gloriæ studium incendi curauit.* Nescio an maiori animo opus fuerit ad gigantes deuincendos, an ad consortes gloriæ procurandos: non anteà ad bella exciuit verbis, quam animasset exemplis: deuicerat ipse Hebronem, & Dabir expugnandam militibus dereliquit. *Primus ipse*, inquit Onesander cap.42. §.1. Strategici, *manu operi admota conspicatur: nec enim militum vulgus adeò potentiorum comminationibus cogitur, atque præstantium dignitate virorum exemplis verecundiam pulsantibus: conspiciens enim aliquis ducem suum in re attrectanda omnium Principem, festinandum esse animæ inertis, cessare erubescit; imperatisque non parere veretur: nec iam vt seruus, aut imperio subditus; sed commilitonis instar ad opus quoque prouocatus accedit.* Hebræorum cultiores Rabbini, etsi præmia militibus promittenda statuant, huius generis vota atque promissa sugillant, vt non rarò temeraria. *Eueniunt*, inquiunt, *interdum quidem feliciter; at sæpè secus.* Et quidem ni superiori pulsu filiam spondere, anceps satis erat, cùm posset miles probis moribus destitutus aut felici temeritate vincere, aut fortuna cæca triumphare; ast censuerim Calebum cùm suorum mores probè cognouisset, illum in suam familiam filiique ius (maribus namque filiis carebat) cooptari voluisse, qui fidei, virtutisque suæ esset imitator acerrimus: nam qui gener, filius ex more: & lege appellandus erat: *Per arma fieri posse filium* (scribit Cassiadorus in Gnomologia) *grande inter gentes constat esse præconium: quia non est dignus adoptari nisi qui fortissimus meretur agnosci. In sobole frequenter fallimur; ignauos autem esse nesciunt, quos iudicia pepererunt: hi enim gratiam non de natura; sed de solis meritis habent.* Præmio inflammatus, triumphorúmque gloria allectus, etsi plures ciuitatem subiugare tentauerint, solus Othoniel lauros promeruit, cùm primus aut muros fregerit, aut habitatores occiderit: *Cepit eam Othoniel filius Cenez.* Abulensis illis verbis: *Qui percusserit Cariath-Sepher, & ceperit eam*, significari testatur non omnes habitatores ab aliquo iugulandos, aut muros fortissimos euertendos; sed primum, qui irrumperet ad capiendum ciuitatem, in eámque ingrederetur hostili sanguine decorosè maculatus, & laudabiliter tinctus, Axæ celeberrimæ fœminæ copulandum. *Dicendum ergo est*, inquit quæst.6. *quod verba Caleb intelligebantur de eo, qui primo percuteret habitatores Dabir, & irrumperet vrbes effringendo portas, & intrando, vel ascendendo per muros.* Othoniel, vt dicebamus audacter strenuus, & strenuè audax rem, vt in votis erat, perfecit; non illa exhortatione Theodahadi 10. var. 11. ad Maximum Domesticum indigebat: *Meruisti coniugem Regiæ stirpis accipere, quam in tuis naturalibus nec præsumpsisses optare. Age nunc, vt sicut tibi est votiuus* (honor) *ita & nobis reddatur acceptus. Considera quid merueris, & dignum te nostra affinitate tractabis: nam qui familiæ regnantis adiungitur, in laudum gremio collocatur.* Magna Othoniel felicitas; nec tamen suis moribus maior. Duæ hîc occurrunt difficultates, an Axa pactum patris posset rescindere, & an Othonieli accipere in vxorem licuerit. Abulensis quæst.8. à primo se facilè expedit: nam cùm matrimonia spontanea esse debeant; quantumuis pater promisisset, victórque promissionem acceptasset, alio posset voluntatem vertere Axa, nec eis nominibus nubere tenebatur. Res hæc adeò est clara, vt non egeat auctoritate fulciri: consules tamen, si volueris Nostrum Sanctium de matrimonio. Secunda pars difficilior est: nam cùm Othoniel frater iunior Caleb dicatur, videtur quod Axa eius neptis ex fratre fuerit; cum nepte verò contrahere patruo lege prohibitum. Vt ab hac difficultate se expediant auctores, dicunt Othonielem fuisse filium Cenez fratris Calebi, ac per consequens Calebi ex fratre nepotem, Axæque patruelem, qui gradus lege non prohibiti. Nec obstat, inquiunt, vocari fratrem: nam Genes. 13. Abraham & Lot fratres appellantur, cùm tamen liqueat Lot non fratrem Abrahæ; sed fratris filium scriptura testante. Hoc effugium præcludit Abulensis quæst. 7. Primò, quia scriptura nunquam Abraham & Lot fratres vocauit, etsi Abraham, qua fulgurabat, nepotem charitate dixerit fratrem; hîc tamen scriptura Calebum & Othonielem exertè si non germanos, vterinos tamen appellat. Adhæc ni fratres essent, illud verbum *iunior*, superfluum videretur: nec enim de nepote quod iunior sit dicitur, sed de fratre. Lyra omissa illa in quæstione, an fuerint vel non fratres, respondet potuisse Othonielem ex fratre neptem in matrimonium ducere: nam licet Leuitici 18. prohibeatur matrimonium inter filium alicuius & sororem patris, & sint in eodem gradu patris frater & eius neptis: tamen non eadem de muliere & viro ratio: nepos namque cum seruare debeat erga amitam reuerentiam, lege prohibetur ne sit amita eius vxor: nam tunc sibi duo iura refragabantur, scilicet quia nepos tenebatur amitæ præstare reuerentiam vti superiori, & amita etiam cogebatur nepoti exhibere reuerentiam vti marito, ac per consequens eadem persona erga eamdem superior & inferior diceretur. Abulensis hanc rationem improbat: nam si solùm reuerentia attenderetur, posset quis accedere ad filiam vel neptem, quibus vti inferioribus nulla debetur reuerentia. Itaque lex sanguinis coniunctionem præcipuè

Masius.

Abulens. *Dux oblatis præmijs gloriosum militum furorem accendat.*

Homer.

Arias Mont.

Animi illustris est gloriæ non solum cõsortem admisisse, sed prouocasse.

Onesand.

Milites non adeò minis, vt ducis cõpellantur exemplis.

Cæca vota nõ emittenda.

Per arma fieri filiũ grande præconiũ.

Abul.

Qui primus arduam difficultatē aggreditur, omnem prorsus deuicisse laudatur.

Cassiodor. *Qui regnantis familiæ adiungitur, in laudũ gremio collocatur.*

Abulens.

An Othonieli licuerit Axã in sponsam accipere.

præcipuè attendit, & ob hanc causam Othonieli accipere Axam nullatenus licebat. Addit tamen Abulensis quæst. 7. illis temporibus ferè nullos fuisse, qui circa legis quæstiones scientia vigerent: ob idque sæpè sæpiùs multa quasi ex voto peracta; quæ tamen nisi ignorantia excusaret, non solum religiosa non essent vota; imò egregia fuissent piacula, vt patet de Iepte in filiæ sacrificio. Itaque cùm putarent multa sæpè sæpiùs licere: nec essent viri docti, qui vt fas erat, legum, votorúmque obligationes percallerent, à similibúsque fastis retraherent, multa æquitatis studio contra æquitatem perpetrabant: *Inter Iudæos frequenter eueniebat, vt rari vel quasi nulli essent homines sapientes circa quæstiones legis, vt scirent iudicare ad quod homo teneretur: & sic credendum est quod nullus fuerit, qui potuerit declarare Iptæ, quod non teneretur ad votum emissum.* Eodem ergo modo euenire Calebo potuit, si putauit se teneri promisso, nec fuit qui legem opponeret matrimonio. Aliam denique solutionem tradit Abulensis, scilicet istud matrimonium secundum se illicitum ex diuina tamen dispensatione factum, quæ licèt nobis non constiterit; fuisse tamen, & Calebi sanctitas, & Othoniëlis virtus non obscurè attestantur: aliter enim piaculum adeò clarum non perpetrassent. *Respondendum videtur quòd illud matrimonium secundum se illicitum erat; tamen ex dispensatione ad aliquid bonum factum est: & licèt non appareat illa dispensatio, credendum est quòd fuerit: iste enim est modus communis in sacra Scriptura, quia viri sancti, & magnæ auctoritatis faciebant interdum quæ erant directè contra præcepta legis; & tamen quia ipsi faciebant, totus populus credebat benè facta esse, quia existimabat quòd Deo iubente illa facerent.* Hanc viam expeditiorem censeo: quia aliæ scrupulosiores sunt, multóque impeditæ lapide.

Inter Hebræos rari sapientes.

Abulens.

§. III.

Commentarius litteræ.

Vers. 18. *vsque ad* 21. Quæ, cùm pergerent simul, suasa est à viro suo vt peteret à patre suo agrum, suspirauitque vt sedebat in asino. Cui Caleb: Quid habes? inquit: at illa respondit: Da mihi benedictionem.

7. Paraphrasis Chaldaica sic vertit: *Et fuit cum ea intraret, & incitauit illum, vt peteret a patre suo possessionem, & demisit se de asino, & dixit ei Caleb: Quid tibi?* Itaque iuxta Chaldæum videtur Axa maritum incitasse, vt à patre suo eas possessiones peteret, quæ commodam, bonísque affluentem vitam sibi promitterent, ne si steriles, solum vertere cogerentur. Itaque Consultus Othoniel hoc Axæ consilium dedit, petitionísque gestum, tempus, normámque præscripsit. Clariùs hoc tradunt Septuaginta: *Et factum est cum pergeret ipsa, & consuluit ei dicens: Petam à patre meo agrum: & exclamauit ab asina; & dixit Caleb: Quid est tibi?* Nunquam fœminæ ingeniosas non moliuntur artes, vt suis cupiditatibus adulentur; hîc tamen Axæ petitionem ex fide profectam censet Arias Montanus: nam cùm illi vir contigisset omnibus gratiis perfectus, fundus effœtus, & sterilis descriptus erat: quid enim adeò in hac vita perfectum, vt nil doloris vel anxietatis habuerit admixtum? Itaque timuit Axa, ne fundus multo labore excultus exiguum fructum redderet, & alio solo Othonielem commutare cogeret. Ne ergo id accideret, prospiciendum sibi prudens fœmina censuit, atque vt decebat iam nuptam, nihil nisi ex mariti sententia tentauit; imò illum consuluit, à quo quid, & quando opportuniùs petere deberet, accepit. Cúmque iam sponsi domum ex more duceretur, patérque filiam comitatus adesset, repentè demisso in terram vultu suspirauit, vt faciliùs pater eo repentino casu perculsus, & quid accidisset, anxiè sciscitatus filiæ adeò mœstæ desiderium largis donationibus honoraret: quod vt in votis erat, successit. Moris semper fuit, vt sponsæ recèns nuptæ ex patris domo ad nuptialem sponsi thalamum ducerentur, cognatorum, familiariúmque turba ad augustiorem splendoris pompam constipatæ. Quod si sponsi domus à parentis ædibus longiùs distaret, vel asinis, vel equis insidentes pro regionis consuetudine conuehebantur. Non erant illis temporibus deauratæ quadrigæ, nec gestatoriæ sellæ, quas nostris sæculis ambitiosior, pompatiórque luxus excogitauit. Pro Latino verbo *suspirauit*, Chaldæus *demisit se de asino* vertit. Vtrúmque amplectitur Arias Montanus, scilicet suspirasse, vnáque cum suspirio ex asello se demisisse, vt hoc gestu in magnæ solicitudinis anxietatem, gelidique suspicionem metus patrem impelleret, quò perturbatus vehementiùs postulata concederet citiùs. Plura apud prophanos de modo ducendi nuptas inuenies. Lege Cerdam in 4. Æneid. vers. 335. ibique inuenies ardentibus facibus alta nocte deductas non sine strepitu. His abstineo, quia ferè nulli ignota. Sanctus etiam Chrysologus serm. 22. harum facularum ad nuptias meminit: *Semper nuptijs amica sunt faces*, inquit. Harum numerum tantùm fuisse quinque tradunt eruditi, & à matribus, aut patribus amicisve ferè semper gestatas. *Rapi solet fax*, inquit Festus, *qua prælucente noua nupta ducta est ab vtriúsque amicis.* Fundum sterilem se accepisse testatur Axa: & quidem mirum est vnicæ filiæ à patre mascula prole carente adeò angustam donatam hæreditatem; ni fortè sequebatur illud cõsilium Lycurgi apud Plutarchum in apophthegm. *Roganti*, scribit, *quare puellas elocari indotatas sanxisset: ne*, inquit, *vel per inopiam vlla illocabiles sint, vel opum causa ambiantur; sed spectans quisque virginis mores ex delectu virtutem faciat: quare etiam elegantiam cultus vrbe pepulit.* Calebus non amplam dotem prômisit; sed filiam dumtaxat, vt ob puellæ amorem, non ob diuitiarum lucrum facinora perpetrata constarent. Terram australem, & arentem sibi datam causatur, vnde liquet ciuitatem Dabir ab Othoniele expugnatam in dotem ipsi non dilargitam.

Chaldaic.

Septuag. *Axa qualis petitio.*

Arias Mont.

Nupta asinis olim vectæ è paterna ad sponsi domum traducebantur.

Chald. Arias Mont.

P. Cerda.

Chrysolog. *Nuptijs amica sunt faces.* Festus.

Plutarch. *Lycurgus puellas sanxit elocari indotatas.*

Cultiorem fœminis cultum interdixit.

Da mihi benedictionem: Terram australem, & arentem dedisti mihi, iunge, & irriguam. 8.
Paraphrasis Chaldaica ita habet: *Da mihi possessionem: nam ad terram meridionalem dedisti*

Chaldaica. Septuag.

mihi : & dabis mihi locum domus irrigationum aquarum. Septuaginta : *In terram Nageb dediſti me : da mihi fontem aquarum.* Donum in ſcriptura benedictio communiter appellatur: vnde Iacob fratris indignationem munerum eloquentia deliniens ait : *Suſcipe benedictionem, quam attuli tibi :* non ſignificauit his verbis benedictionem illam, quam à patre lucratus fuerat, quia poſſeſſa, iam quodammodo faſtiditam ſe fratri reſtituere velle, vt ego auribus meis accepi à non infimæ notæ concionatore ; ſed ſe fratri munera, quæ Dei benedictiones vocantur, in amicitiæ argumentum attuliſſe : nam ille, cui benedicit Deus, largis donis cumulatè exornat, & ornatè cumulat. Arentem terram vocat auſtralem non quòd iſta terra incommodis auſtri flatibus areret, cùm ventus hic & nubes frequenter cieat, pluuiaſque reſoluat. *Ventus auſtralis,* inquit Abulenſis quæſt. 8. *eſt magis nimboſus, quàm quicumque alius.* Conſonat Ouidius 1. Metamorphoſ. *Pluuióque madeſcit ab auſtro.* Sed quia deſiderabat fundum, in quo emicabant aquarum viuentium fontes, quorum laticibus facile per clices deriuatis arua fœcundarentur. Noluit Axa à ventis, pluuiiſque pendere ; ſed eos fundos colere, qui aquarum abundantia copioſas producerent fruges. Notat Abulenſis non petiiſſe commutationem, ſcilicet quòd arentem illam terram iterum pater reciperet, eiuſque loco agros aquis ſcatentibus irriguos daret ; ſed ſuſpirauit irriguam, arenti tamen retenta ; quod proprium eſt mulieribus cupiditatis : ſemper enim quæ habent, faſtidire merentur, cum non premantur rei poſſeſſæ faſtidio, ſed vrgeantur acquirendæ deſiderio. *Non petijt Axa,* inquit citata quæſt. *quòd tolleretur terra ſibi data, & alia irrigua daretur ; ſed quòd adderetur alia.* Calebus filiæ anxiis delinitus ſuſpiriis largè, quæ petebantur, conceſſit ; imo & quæ non petebantur generoſius addidit : dedit namque non ſingularem irriguam terram ; ſed, vt textus indicat, geminatam : *Dedit ei domum irrigationum,* inquit Chaldaica, *ſuperiorem, & domum irrigationum inferiorem.* Septuaginta : *Dedit ei Caleb fontem aquarum, qui ſupra, & fontem qui infra.*

Ouidius.

Verſ. 21 &c. Hæc eſt poſſeſſio tribus filiorum Iuda per cognationes ſuas, *&c.*

9. Finitis iam quæ ad Calebum attinebant, iterum redit textus ad ſortem filiorum Iuda, cuius limites aperte definiuit. Initiumque ſumere ait in latere meridiem ſpectanti à parte lateris eius orientalis, vbi prima ciuitas Cabſeel occurrit, quæ ſonat congregationem fortis, aut fortium. In hac Banaias Ioiadæ filius refertur natus. Referam ciuitatum ſignificata, vt morem geram curioſitati. Eder ſiue Gheder gregem ſonat, Iaghur terribilem, Cina nidum vel poſſeſſionem, ſiue incrementum rei, Dimona ſtercaria, Adada prædam, Cades ſanctitatem ſiue ſecretionem, Aſor atrium, Ietham ſtipendium : notat Arias Montanus duplicem Cades in illis regionibus deſignandam ; hic autem eam deſcribi, quæ ſuperiùs Cadesbarne eſt appellata. Ziph picem vel bitumen, Telem opertam ſiue agnum, aut res eorum, Baloth ſubiectas ſiue poſſeſſas, Aſor noua. Montanus & Maſius duas diſtinguunt ciuitates, quarum vna eſt Aſor, altera Adatha, ſiue Noua : noſter verò interpres illud epitheton noua videtur adiunxiſſe Aſor, quò hanc ab altera Aſor diſtingueret explicatiùs. Carioth vrbes, Ieſron, vel vt Hebraicè Heſron, quæ quia eiſdem primis elementis, quibus Aſor, conſtat, vrbs eadem eſſe putatur, ſonat ſagittam, atrium, & fœnum, ſiue cantici diuiſionem. Omam populoſam, vel popularam, Same auditionem vel congregationem, Meloda familiam, ſiue progeniem. Aſergadda, vel vt alij Aſarpadda, hœdorum caulam. Eſſemoth tacitam, Bethpheleth domum euaſionis, aut ex Hebræo & Syro domum vomitus. Aſerſual atrium vulpis, Berſabee iuramenti & ſaturitatis puteum, Baziothia contemptum eius, Baala dominam, Humeſen fortitudinem Oſſeam, Heltholad fortè genus, Exul, vel vt alij codices, Chezzil ſtultum, Sarma anathema, Siceleg arctam menſuram, Medemna ſimariam, Seſenna rubum. Lebaoth leenas, Selim propagines Ghenremmon fontem mali granati. Arias Montanus vnam ciuitatem putat Ghenremmon : textus duas fuiſſe innuit Ahen & Remmon : Caietanus, Magallianuſque cum cæteris ſecuti Septuaginta interpretes duas putant, à Montanóque diſſentiunt.

Arias Mont. Cades duplex.

Arias Mont. Caiet. Magallian.

Omnes ciuitates viginti nouem & villæ earum. 10.
Ciuitatum ſummam ſi quis computet, triginta & octo reperiet, nouem vltrà à noſtro textu aſſignatas : ſunt qui exiſtiment illa oppida Iudæ non computari, quia ad Simeonis tribum pertinuerint. Montano ea ſolutio placet, ſcilicet viginti nouem tantum fuiſſe, quæ cinctæ muris, [illegible] frequentia vrbium nomina mererentur ; reliqua verò non in oppida numerari, quia licet vrbes non eſſent, magnitudine tamen, atque frequentia vrbium nomini iure accedebant.

Verſ. 33. In campeſtribus verò Eſthaol, & Sarea, & Aſena, *&c.*

Receſſitis à meridie terminis, quæ in lata planitie iacerent, ciuitates deſcribit textus. Eſthaol 11.
altera ſcilicet ab ea, quæ in Dan hæreditate cenſetur, ſignificat poſtulatam, Sarea Crabronea, Aſena dupla, vel duplicans, Zanoe ſemotam, Enganim hortorum fontem, Taphua pomum ſiue pomarium, Enaim ſcaturiginem. Ierimoth altam, vel fraudulentam, Adullam ornatam vel pictam, Socho protectionem, vel ramum, vel, vt placet Montano, pictam. Azeca foſſam, Saraim geminam portam, Adithaim geminum ornamentum, Gedera tabulam, Gederothaim geminum apriſcum : vrbes quatuordecim & villæ earum. Cùm quindecim ciuitates deſcribat numerus, & quatuordecim prodat textus, exiſtimant nonnulli Gedera binomiam eſſe, atque Gederothaim etiam appellari. Sanan ſpinam, Hadaſſa recentem, Magdalgad ſyderis turrim, Delean exilem, Maſepha ſpeculam, Iecthel fortis victoriam, Lachis conſtans ſeu clarium, Baſcath conſperſionem, Eglon reiectionem, Chebon extinctoriam, Leheman iniuriam, Cethlis iniuriam, Gideroth caulas, Bethdagon Dagonis templum, Naama delicioſam, Maceda inclinatam. Labana populetum, Ether denſitatem, Aſa fumum, Iephtha apertoria, Eſna duplex, Neſib cumulum, Ceila pendere, Achzib mendacem, Mareſa capitalem, Accaron radicoſam.

Verſ. 46.

Verf. 46. Ab Accaron vſque ad mare omnia, quæ vergunt ad Azotum, & viculos eius, *&c.*

12. Verſus occaſum Iudæ termini ab Accarone vſque ad agros Azoti protendebantur. Azotus celeberrima Paleſthinorum vrbs. Gaza capram ſignificat: hic a Gaza terminus ab extrema Septemtrionalis lateris vrbe ſecundum Paleſthini maris littus ad Rhinocoluram deſcribitur. Itaque occiduum & auſtrale latus Ægypti coniungebatur in fluuio. *Et in monte Samir & Iether*, &c. Hic locorum in montibus poſt in planitie extructorū habetur ratio. Samir ſignificat vepres, & duriſſimum lapidem, Iether copiam, Sochot ramum. Danna contentionem, Cariethſenna hæc eſt Dabir, vrbem ſpinarum, vel vrbem libri. Anab vuam, Iſtemo apertionem, Anim ſcaturigines, Goſen fructum, ſiue glebam, Olon feneſtram, Gireulum, Arab inſidias, Ruma ſilentium, Elaan innixum, Ianum dormitationem, Bethtaphua pomorum domum, Apheca rigiditatem, ſiue firmitatem. Atbinatha lima cum domum, Cariatharbe a quatuor, Sior anguſtum, ſiue anguſtiam, Maon habitationem, Carmel vinearum feracitatem, Ziph picem ſeu bitumen, Iota anguſtam, Iezraël alia ab ea, quæ Manaſſe contigit, delicioſam, Iucadam ſuccendentem, Zanoë protenſionem, Accain nidum, Gabaa cliuum, Thamna præparationem, ſiue præparatum, Halhui arenam, ſeu arenariam, Beſſur domum anguſtam, Gedor maceriatam, Mareth antrum, Bethanoth domum occupationis, ſiue vocationis. Eltecon fundum fortis, Cariath-baal Numinis vrbem, Arebba magnam, Betharaba ſolitudinem vel mixtionis domum, Meddin iudicium, Sachacha adopertam, Nebſan rubentem, ciuitas ſalis a lapidibus ſalem gignentibus, Engaddi hœdi oculum, *Iebuſæum habitatorem Ieruſalem non potuerunt filij Iuda delere.* Ignauiæ, Socordiæque tribuit Arias Montanus Iebuſæos expulſos non fuiſſe. Rabbini neſcio quod pactum cum Abrahamo initum comminiſcuntur, ob quod non depulſos teſtantur, fortaſſis hoc iuſtitiæ colore ſuam vecordiam excuſantes.

Arias Mont. Rabb.

---

§. IV.

Æternum ſtabilitur respublica, ſi pro meritorum ratione dignitatum tribuantur excelſa.

13. QVi reipublicæ gloriam, & tranquillitatem ſtabilire ſedulus cupit, pro ratione meritorum dignitatum largiatur lumina, & publica partiatur officia. Aſtra ipſa, vt aſtronomi volunt, aſſidua repetitione voluuntur, & leges concinni curſus definitas cuſtodiunt: nequit eſſe ambiguum, quod ordine competenti habetur diſpoſitum: Sol ſolio eminentiori perlucet, Luna peculiari nobis vicinitate proximior. O quàm ſtatus turbaretur ordo, ſi & Sol primo verſaretur in orbe, & Luna quarto micaret in cœlo: Lunæ namque lux interuallis impedita languidè in ſublunaria influxiſſet, & Sol nimia vicinitate radiorum viuentes ignibus tumulaſſet; at dum Sol Zodiaci circuli ſigna percurrit, dum competenti temperatur diſtantia, & competenti alit etiam calore ſemina, Lunáque, dum vicinior, radios eiaculatur proficuos, & ſalubres terris præbere valet influxus. Quam aptè Caſſiodorus 11. variarum 36. *Vt Philoſophi dicunt, & ipſa, quæ deficere nequeunt, niſi cum mundo, curſus ſui terminos rationabiliter acceperunt; hac tamen interueniente diſtantia, quod illa tempus ſuum finiunt, vt ad principium redeant.* Sol indefeſſo labore rotatur; quia locum ſibi congruum nactus competente ſibi altitudine excelſus: primo cælo fors quodammodò querulus aut retraheret lucem, aut extinxiſſet ardorem. Ioſue vt tribus imperturbanda pace ſtabiliat, Iudæorum genti primam poſt Iordanem ſortem conſultiſſimè adſcribit: *Sors filiorum Iuda per cognationes ſuas iſta fuit, à termino Edom*, &c. Beniamin etiam tribum competenti ſorte locauit: rogant interpretes, cur has tribus primas præ reliquis ſortes acceperint: alij ob dignitatem regiam Iudæ tribum accepiſſe coniectant, Beniaminque tribum, vtpote præ aliis ad imperatorem pertinentem ſuſpicantur prælatam; non inficiabor regiam tribum potuiſſe dignitatis ratione excellentiorem primamque ſortem occupaſſe: hoc enim & maieſtati debitum, & diuidenti decorum; nullatenus tamen credam Ioſue virum ſanctiſſimum omnique affectione humana nudatum, cognationis titulo motum; ſed diuina motione pulſum. Abulenſis quæſt. 2. docet præ aliis tribubus has bellicoſas, & armorum fuiſſe peritas, ideoque illas antetuliſſe, vt fumantem adhuc inimicorum iram incuſſo terrore extinguerent, audaciam edomarent: *Fuit factus modus iſte diuiſionis: quia tribus iſtæ duæ erant multum bellicoſæ, & ponebantur in lateribus, a quibus poterant venire hoſtes.* Si armorum non adeò peritas tribus primis ſedibus collocaſſet, & Iudæorum gens inani torperet otio, & tribus alia hoſtilibus irruptionibus impetita, indecore fugeret prælio; dupléxque detrimentum emergeret; nam imbellis primo loco ſita occumberet, & fortiſſima remota ab hoſtibus non pugnaret; at dum prudentiſſimus Imperator primam ſortem bellicoſis adſcribit, tribúſque alias competentibus prouinciis locandas differt, omnia pacatè componit: Iudæorum namque gens primatus gloriâ inflammata acerrimè pugnat, & quæuis alia munita fortibus longiùs timorem ablegat.

Caſſiodor. Ord. rerum conciliat & æternitatem.

Abulenſ.

Salomon & diuitiis potentiſſimus, & ſapientia ſæculis decantandus thronum ſibi operoſiſſimè elaborauit: *Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis: qui habebat ſex gradus, & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile, & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas, & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde.* Profectò thronus hic pluſquam auro, fulget myſterio. *Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis*, teſtatur Scriptura, verùm cum materia non adeò ſit peregrina, cùm non inferior aliis nationibus artificum fuerit induſtria, quid ſolium hoc ſic præ cæteris extulit, vt venturis ſæculis prædicarit? Plura in hoc throno Patres agnoſcunt arcana; ego tamen eius excellentiam, & durabilitatem coniicio ex leonum ordine & ſerie: inferiores namque gradus poſſidebant leunculi, ſupremum obtinuerant leones. Ecquis dubitet leones fortitudine, viribus, decentique iubæ 14.

3. Reg. 10, v. 18.

horrore leunculos superare? Leunculi nondum robore solidi, fortitudine nondum firmati, nondum ad occursum inimicorum intrepidi. Ergo dum superiorem gradum occupant excellentiores, dum inferiorem non adeò excellentes, & thronus inconcutiendus fulcitur, & futuris sæculis commendatur: *Duo leones stabant iuxta manus singulas: erant statuæ magnæ*, scribit Caietanus, *ita vt supereminerent duodecim leonibus, qui erant in gradibus vtpotè pertingentes vsque ad manus, quæ erant alæ sedis.* Inconcussus stabilitur thronus, dum eminentiores leones, & eminentiorem obtinent gradum: profectò si leones inferiores gradus occupassent, & leunculi superiores, cum exigui ad sedilis brachia non pertingerent sustentanda, nec thronus videretur solidus, nec in fortunæ casus armatus. Adde quòd si aliquando opus sit ad arcanum aliquod mysterium signandum stylum hunc ad speciem inuerti, statim ad nostram eruditionem desudant prælia, & minantur, si dici liceat, pericula: dum ea, ratione symbola disponuntur, vt loca pro ratione meritorum conferantur, pacifica tranquillitas ornat; si verò vel specie tenus aliter, bellorum tumultus inquietat.

Caietan.

15. Ioanni obiicitur Pathmos incolenti similitudo filij hominis podère vestiti, & ad mamillas præcincti, dextera septem luminosis ornabatur stellis, Sol facie fulgentissimos adeò eiaculabatur radios, vt vel aquilinos perstrinxerit oculos: *Habebat in dextera sua stellas septem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius sicut Sol lucet in virtute sua:* hîc nullos audies inimicorum adsultus; imò stabili æternatur Sol splendore; nec tortuosus coluber deiicere conatur stellas, nec mouet seditiosas in cælo turbas. Transi mecum cogitatione ad Apocalipsis 12. vbi mulier illa Lunâ emicat calceata; Sole induta, & stellis fulgurantibus redimita: *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Conspicua luminum claritas, dum veternosi oculos serpentis reuerberat, inuidentiæ acrius venenum inflammat, cœruleas spiras explicat, squamas ardore accendit, collum erigit, ardentibusque oculis, & obscurare conatur lumina, & nati sanguine inuidétiæ sopire venena: *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura.* Inquiramus si placet, quid hîc serpentem in audaciam adeò insanam impulerit, cùm alibi, & delituerit timidus, & ima habitarit contractus? Profectò si filius hominis ibi adornabatur diuinitate, & puer hîc diuinitate adornatur: si ibi solares radios extimuit, & hîc emicant solares radij. Ergo aut vtrobique prælium intentet, aut fugiat vtrobique. Profectò, & primo, & duodecimo capite omnia concinnè disposita, & arcanè semper concinna; verùm filium hominis adoriri nequaquam ausus: quia ibi aptis locis omnia lumina disposita agnouit, hic falsus non adeò aptè collocata autumat, & dum debitum non seruare ordinem credidit, & temerariis ausibus pacis tranquillum se deleturum putauit. Filius hominis stellis, & Sole ornatur; eo tamen ordine, vt stellæ manu fulgurent; Sol verò vtpotè nobiliore lumine cumulatiorique splendore irradians, superiorem partem, faciem scilicet occuparit; hîc verò stellæ ambiunt verticem, Sol inferiori situ locatur, Luna infimo; & licèt arcanè congruéque omnia fuerint vtrobique disposita, veternosus draco bellum cap. 12. adoritur, quia specie tenus videbantur inuersa. Adde, facilè, ni debitus seruetur ordo, vel robusta deiici, arduéque, si seruetur, vel infirma labefactari.

Apocal. 1. v. 16.

Apoc. 12. v. 1.

Duplex somnium vidit non sine terrore Nabuchod. futurorum quidem præsagium, proceram statuam, cuius caput ex auro, cuius pectus, & brachia argentea, cuius femora ex ære, tibiæque ferreæ, & vltima pedum pars imbecillis, & lutea: *Huius statuæ caput ex auro optimo erat; pectus autem, & brachia de argento; porrò venter, & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ: pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* Statuam hanc lapis sine latomi sudore decisus, Christúmque referens percussit, & terræ funditùs coæquauit: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* Lapidem hunc Christum adumbrasse, adeò est certum, vt testimoniis comprobare fuerit otiosum. Aliud somnium dormienti obiicitur, procera scilicet arbor viridantibus foliis vernans, gratis floribus coronata, fructibúsque saporatis ditissima: *Subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli.* Superbia non potuit firmis radicibus stabiliri: & quia in excelsam adeò plantam terrenorum nullius dicere audebat sententiam, cælestis vigil è cælo descendens ministris iussit meritissimam infligere mulctam. *Ecce vigil, & sanctus de cælo descendit, clamauit fortiter, & sic ait: succidite arborem, & præcidite ramos eius.* Iam se oculis ingerit difficultas. Si statuæ deiectio non ministris imperatur, sed à Domino ipso perficitur, cur arboris detruncatio immediatè ab ipso Domino non perficitur; sed ministris delegatur? Fors suspicaretur nonnullus causam huius discriminis fuisse aurum: fulgebat námque statua, sicque auri nitor ministros assolet prolectare, vt veluti auri præstigiis eneruati possidentem minimè valeant ferire. Ergo Dominus ipse exequatur in statuam pœnam, quia fortè ministri auri fascinis præpediti distulerint mulctam. Benè; verùm thesi nostræ accommodum perscrutemur mysterium. Statua plus de debito metallorum ordine, quàm de robore fulciebatur: dignis locis collocabantur metalla, adeóque contra temporum adsultus digna dispositione munita, vt opus fuerit Dominico ictu, vt concidissent euersa: fortis quidem arbor; at quia altis ramis collocatæ volucres non ob volatus agilitatem; sed ob adulatoriam gratæ assentationis vocem, inferiorique loco despecta militaris fortitudo, opus non fuit lapidis ictu; sed vocisono: ad vocem corruit arbor, vel specie robustissima, altissimísque radicibus obfirmata, cùm vel lutei pedes sine ictu nullatenus vacillarint; imò ni Dominico ictu percussi, minimè corruerent attriti. Faciliùs videbatur luteos pedes labefactare, difficillimum annosam plantam excidere; & tamen planta facilè à ministris succiditur; statua verò à Domino solùm euertitur: *In ramis conuersabantur volucres: per volucres*, inquit Lyra, *intelliguntur garruli, & mendaces ad alta tendentes: quia tales solent Principibus esse laterales.* Vbi garruli, & mendaces spretis fortibus, & proficuis occupauerunt excelsa, vel voce cecidit

16.

Dan. 2. v. 32.

Dan. 4. v. 9.

Quod debito ordine stabilitur, contra temporis adsultus armatur.

Lyra.

cidit pompa. Adeò rempublicam debitus roborat constitutionis ordo, adeò vel florentissimam exponit casibus dignitatum iniusta sine meritis elargitio.

---

§. V.

Ni opportunum patrocinetur auxilium, ad dignitatum lumina ægrè ascendere quibit meritum.

17. Cassiodor. TRibuenda est, aiebat Cassiodorus 2. var. 28. *iustis laboribus compensatio præmiorum: quia exprobatta militia creditur, quæ irremunerata transitur. Athletam populis palma designat esse victorem; sudores bellicos ciuica corona testatur: expectant etiam equi præmia sua, & tanta iustitia vis est, vt nec illis tardiùs detur laboris præmium, qui sentire non poterunt denegatum.* Vel animalia, quibus generosus ardor, præmio incitari noscuntur: miles de substrictis, angustisque papilionibus hostem inuasurus procedit, nec timet de honesto remunerationis studio mucronum audaciæ exponi; quia suspirat ciuica coronari: verùm ea est sæculorum peruersitas, vt iustitia tardiùs impetret, ni patrocinio fauorabili adiuta, & potentiæ manibus eleuata: ciuicam militares meruere sudores; sed ad alliciendum largientis animum plus valere solet potentis patrocinium, quàm decertantis egregiè meritum. Non credam præmium immeritis concedi, nec dubitabo meritissimis sæpè in tempus futurum mitti. O quàm sæpiùs qui ferum hostem valuit magnanimus trucidare, nequiuit à regiis ministris importunis præmium precibus extorquere! Quàm rari Artaxerxes in mundo! is cùm ab eo cubicularius ingenti nummorum summa acceptâ præmium largitori petiisset, imperauit tot nummos cubicularium suis de thesauris accipere, ne redemptus pecuniâ fauor, accipientis denigraret causam, aut largitoris corrumperet gloriam. *Satibarzanem cubicularium*, scribit Plutarchus in Apophthemat. *qui petebat quid ab eo, quod dare iure non poterat, vt adoratum est tribus millibus daricorum redemptum id facere, præcepit quæstori, vt ter mille daricos afferret, largiénsque eos illi: Cape, inquit, Satibarzane: hos enim cùm dedi, nihilo ero pauperior: illud si fecissem, essem iniustior.* A fauore emere cupiebat immeritus, quod deberet ob facinora præclara obtinuisse dignus; vetuit tamen sapientissimus Imperator, ne fauor aut suspecta redderet munera, aut remuneraret flagitia. O dignum Artaxerxe factum! Vbi namque fauore opus, nec meritum nec demeritum censetur de indigne, aut egregiè factis; sed de validioribus patrociniis. Quid se discriminibus vellet obiicere, qui Satisbarzanem tribus millibus daricorum potuerit emere? aut quid conduceret cicatricibus corpus honestè pingi, si cubicularij fauor præmia pro libito faceret dispensari. Iosue in sortium descriptione ante alias Iudæorum, Beniaminitarúmque genti sortes assignauit: *Sors filiorum Iuda per cognationes suas ista fuit*, &c. Quærunt interpretes, cur ante tribus alias hæ tribus sortes acceperint: *Quomodo sortes istæ non fuerunt simul factæ*, rogat ex illorum sententia Abulens. quæst. 2. *Sed primò datæ fuerunt sortes possessionũ tribui Iuda & Ephraim & dimidiæ Manasse.* Respondétque in eam nonnullos deuenisse suspicionem, vt id fauore putauerint actum. *Respondebit aliquis fortè quòd hic fuisset obseruatus aliquis fauor.* Adeò omnia fauore solicitant obtineri, vt de peruerso sæculi more, vel Iosue virum sanctissimum fauore allectum sortes putauerit impertiri. Adscripsit meus Iosue primas sortes bellicosis præ aliis tribubus: testatur Abulensis citato loco: *Fuit factus modus iste diuisionis, quia tribus istæ duæ erant multum bellicosæ.* Ob strenua in prœliis facinora dedit; sed cùm tardiùs apud sæculum obtineant merita, ni illa adiuuerint patrocinia; quia bellicosæ tribus citò consecutæ præmium, suspicatus est nescio quis apud Iosue virum sanctissimum valuisse potentię, fauorísque patrocinium: *Respondebit aliquis fortè quòd hic fuisset obseruatus aliquis fauor*, Sanè hoc malitiæ delirium, sed delirium indicat stylum apud largitores munerum consuetum.

Plutarch.

Abulens.

Sapientissimus ille Salomon thronum artificiosissimè elaboratum construxit, thesimque nostram mirè throno huius veritatis symbolo demonstrauit: ascendebatur per sex gradus, erat in summitate subsellium, quod duæ veluti protensæ exornabant manus: *Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte posteriori, & duæ manus hinc atque inde.* Rogant interpretes quod manuum illarum munus? Iosephus lib. 8. cap. 2. cum vsum videtur illis tribuere, vt sedentem videlicet Regem exciperent. Noster Sanctius putat Salomonem, cùm summam sedem inscenderet, manus illas prehensare, illarúmque adminiculo faciliùs throno eminentissimo considere. *Fortasse*, inquit ad hunc locum, *Salomon cùm ad summã suã sedẽ ascẽderet, illas apprehẽdebat manus, quarum adminiculo minus habebat difficultatis ascensus ille.* Et quid opus, vt sapientia thronum inscenderit, prolatis manibus? Nónne Salomon æui sui homines prudẽtia longissimè superans? Nónne sapientia vincens, & eruditione excedens? Ita equidem; at vel Salomoni manuum adminiculo fuit opus, vt thronum sibi debitum inscenderit citiùs, & occuparit celeriùs. Fortè licèt manuum careret adminiculo, solium prudentissimus obtinuisset, sed tardiùs, & morosiùs; at dum manus ascendere fauent nitenti faciliùs locum sibi debitum occupat, & ad fastigium celeriùs inuolat. Caietanus manus appellauit sedis alas: *Manus*, inquit, *quæ erant alæ sedis.* O quam alatus erat thronus ille, dum manibus fultus, & patrocinio promotus: pro alis erant manus: fors non adeò eminens præfulgeret, ni manibus instructus, alisque super gradus reliquos eleuatus. Profectò supremus gradus, & inferiores alii ex eadem materia, nec dissimili artis elaborati resplendebant industria: carebant tamen inferiores manibus, fortassis ob id remanserant inferiores; at supremus gradus, licèt materia æqualis, dum subsellij emicat manibus, & præ reliquis eminet splendoribus. 18.

3. Reg. 10. v. 18.

Ioseph.

P. Sanct.

Caietan. *Manus seruire solet pro pennis.*

Duo illi fratres apices Apostolorum, Iacobus, & Ioannes dum regnum Christi appetere autumant, matris auxilium asciscunt: illa senectute grauis, canitie reuerenda, sanguinis cognatione cõiuncta Christum Dominum adit, & 19.

& primas filiis cathedras demissis adorationibus rogat: *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filijs suis adorans & petens aliquid ab eo.* Et cur Apostoli præ aliis dilecti, præ aliisque prærogatiuis ornati, non allegant, quod Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Si Petrus audit se possessurum thronum, quia relictis retibus Domini adhæsit vestigiis, deberi sibi primos thronos allegauerint fratres, cùm non solùm retia reliquerint, sed parentem: *Relictis retibus & patre secuti sunt eum.* Qui ergo primas sedes de patre relicto sibi poterant exambire, cur de matris accessu tentauerint præoccupare? Heroicum relicti patris producant meritum, respuant fœmineum matris auxilium. Chrysostomus ideò matris ait asciuisse auxilium, quia regnum cogitabant humanum *Putabant*, scribit apud S. Thomam, *quod regnum Dei esset in ianuis, id est aliquid sensibile, vnde manifestum est, quod nihil spiritale petebant, nec intelligentiam superioris regni habebant.* Ecce quæ illos ratio ad matris asciscendum auxilium impulerit, scilicet temporale regnum cogitasse: nouerant illi apud mundiales parum obtinere merita, ni fauoris patrocinentur auxilia: ideo & sanguinis fauorem, & matris reuerentiam producunt; verùm Dominus de discipulorum errore regni sui ostendit ignorantibus excellentiam, dum prætermittens matris patrocinia filiorum deposcit merita. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Ostendit regnum suum prorsus cœleste, quandoquidem sola valebant virtutum suffragia, non ascititia, aut empta fauoris auxilia. Ad rem Basilius Seleuciensis orat. 4. *Omissa matre cum filiis verba facit: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, aut baptismo quo ego baptizor, baptizari? Mater regnum postulauerat obtentu facilè arbitrata, sperat atque, quod sperabatur, ex sola postulatione rogantibus obuenturum: Christus Dominus regni acquirendi modum docebat.* Christus Dominus, vt spiritale regnum ostenderit, requirit merita, ascititia despicit auxilia; at discipuli, dum temporale credunt, confugiunt ad patrocinia, licèt eximia sortiantur merita. Et quidem si temporale regnum fuisset, multum haudquaquam errassent: apud sæculum namque tardè consequitur meritum; ni fauoris breuiauerit patrocinium.

Match. 20. v. 20.

Matth. 19. v. 7.

Math. 4. v. 22.

Chrysost.

Basil. Seleuc.

20. Cùm Hebraicæ gentis modestia, lasciuiæque ignorantia numerosissimam prolem regereret, ad inuidiam excitatus est Pharao, vtque indignum rege odium factitiis colorauerit causis, posse imminere bellum confinxit, nec Hebræis, vtpote peregrinis fidendum; imò vires illorum ait quibusuis artibus fore præcidendas consulere prudentiam & optimam regiminis politiam: iniquum euulgatur edictum, lex in naturam armatur, & cum nulla commiseratione generationis obseruabantur fructus, vt miserrimus recèns natos tumulauerit casus. Vbique erant genituræ speculatores, fluuius natorum carnifex potentiæ adulabatur, lex seruabatur, & natura mulctabatur. In hac temporum angustia natus Moyses eximia adeò pulchritudine ornatus, & peregrina oris venustate conspicuus: vt ipsa oris venustas imperatorium præsagiret ingenium, & animi excellentia pulchra reluceret in facie: verùm cùm parentes maius, quàm de sanguinolentis aquarum vorticibus, de regiis ministris puero periculum vererentur, arculæ fluctibus marinis exponunt, Deum obnixè euentum fortunatissimum deposcentes: Pharaonis filia, quæ tunc leuandi mœroris causa fluminis ripas adierat; arculam conspicata misit vnam de famulabus suis, quid arculæ inesset, innata scire curiositate discupiens: *Cum vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis:* Chaldaica paraphrasis ita legit: *Extendit brachium suum, & tulit eam.* Cuius brachium? Putarim ipsam sororem, scilicet Mariam, quam inter puellas Pharaonis filiæ adfuisse constat, quæque nutricem matrem vocauit: *Perrexit*, inquit, *puella, & vocauit matrem suam.* Profectò Moyses vitâ dignissimus; at, ni brachium, sororem scilicet suâ apud filiam Pharaonis haberet, nec flumine extractus, nec accuratè nutritus. O quantum sua interfuit obtinere in palatio brachium: periissent aliter fortè innocentis pulchritudinis merita, ni Deus apud prophanos prouidenter puero disponeret patrocinia. Et, ne opinionem ad pueri sororem restringamus, de ipsa filia Pharaonis intellige: *Misit*, inquit, *brachium suum*: dum apud Pharaonem Moyses sortitus est brachium felicissimè euasit excidium: parum aliter innocentiæ profuissent merita, ni adeò potentis brachij obtinuisset auxilia. Ad rem Augustinus apud Lippomanum: *Cum passim paruulorum corpuscula deijcerentur in flumine Moysem manus excepit humana, quem pro totius vindicta causa quærebant.* Ni manus excepisset humana, Hebræorum salutis causa præcisa fuerit: liberatus est de brachij auxilio qui forsan non liberaretur de merito.

Exod. 2. v. 5.

Chaldaic.

August.

§. VI.

Ferè semper qui primis eminet locis, & multis obijcitur aduersarijs.

Arcades lunulas calceamentis inserebant, ne gressus primum exambirent locum; sed contenti resplenderent secundo. Ita Plutarchus in quæstion. centur. Roman. *Cur in calceamentis lunulas, qui splendidis natalibus præfulgent, ferunt? An disciplina est ea obedientia consulentium, vt non ægrè feramus; sed sicut auscultare Luna vult præstantiori, & esse secundaria respectans assiduè iuxta Parmenidem Solis radios; perinde in secundo loco acquiescamus sequentes ducem, potentiaque & honore ab eo concesso fruentes.* O quàm sæpiùs sibi ipsa ambitio inimica est! ambiunt celsiora homines, nec exiguis difficultatibus sibi acquirunt munia, quæ inimicorum existimari potuerint vota: distenti anxia cupiditatis rota, stabili labore, instabili quiete ad vlteriora raptantur, séque ipsos & sequuntur & fugiunt: se semper habent, vt dura sustinuerint tormenta, cùm nunquam illorum sitim vel cumulatissima satiet fortuna; cupiditates namque dum implentur, acriùs flabellantur, nec aspiciunt, vt placata ambitione quiescant, quæ possederint dignitatũ lumina; sed quæ possidere valeant, immetata ac insanissima vota. *Adijce nunc*, scribit Senec. epist. 74. *quod nemo eorum qui in republica versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur, aspicit, & illis non tam iucundum est multos post se videre, quàm graue aliquem ante se.*

21.

Plutarch. *Quid lunulæ in calceamentis significent*

Senec.

se. Qui secundi, primis instar scutorum aduersus inuidentiæ æmulationisque adsultus muniuntur: primi sine tutela, & audaciæ, & malignitati obediantur: graue ambitiosis aliquem ante se habere; sed omnes post se habere periculosum. *Nec ambitio tantum*, addit Stoicus, *instabilis est; verum cupiditas omnis, quia incipit semper à fine*: fini proxima est primæ dignitatis ambitio, quia vt primum deturbent, peruersa omnium conatur intentio. Iosue, vt erat prudentissimus, primam sortem Tribui Iudæorum adscripsit: *Sors filiorum Iuda per cognationes suas ista fuit: A termino Edom*, &c. Itáque Iudæorum gens primam occupauit sorte tellurem. Rogat Abulensis cur primos in hac sortium adsignatione Iudæos prudentissimus Dux locarit: respondétque primam dedisse sortem, quia sciebat bellicosissimos, rebatúrque opus esse, & erecto animo, & inuicta fortitudine, vt prima loca defenderent, in quæ omnes conspirauere inimici: *Fuit factum in diuisione ista*, inquit quæst. 1. *quia tribus istæ duæ erant multum bellicosæ, & ponebantur in lateribus, à quibus poterant venire hostes.* Reliquæ tribus ex altero latere Iudæorum gente, ex altero Ephraimitarum agminibus cinctæ securæ ac imperturbatæ degebant; at loca illa respectu diuersorum laterum prima bellicosissimam gentem desiderabant, vtpote quibus assiduè minarentur hostiles irruptiones, & inimicorum acies: necessum fuit Iudæorum genti in excubiis semper viuere: quia dum prima occupant loca, & inimicorum in illos perstrepent frequenter arma.

Ambitio cupiditas incipit à fine.

Abulens.

22. Petrus naui aliique condiscipuli cum tempestate depræliabantur: insanientis procellæ fluctus verberabant scapham, magnæ sanè tempestatis vires, quandoquidem in panibus exundantes (collegerant namque duodecim cophinos fragmentorum) voluminibus fluctuum armatæ. O quàm valida procella, quæ desæuiebat in diuites, quando de sæculi more tempestates adoriuntur validius pauperes. Christus Dominus, ne laborantibus defuerit, marinos vortices calcat: ingens quidem miraculum; verum si tardasset auxilium de nouitate esset rarius. Discipuli: vt erant periculi metu perculsi, discriminibúsque obturbati, non agnouerunt magistrum: ò quam est arduum recurrere ad Deum, dolorum, calamitatum, aut discriminum procellosis vorticibus circumactum! ipsis quodammodo discriminibus discipuli absorpti solùm curabant expedire se fluctibus, & portum solicitis appulisse conatibus: periculosè falluntur, qui pœnitentiam, Deíque memoriam vsque ad infirmitatum fluctus, ad extremos mittunt mortis articulos: tunc namque vel approximantem Deum non agnoscunt, remediis intenti, aut doloribus occupati. Ecce Apostoli vrgente tempestate non solùm magistrum ignorant; sed & putauere phantasma. Magister voce placida sedat animorum tumultus: *Habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* Petrus sacra impatientia stimulatus scapham deserit, & per vortices marinos incedit non naufragus, sed viator. Quid tunc? Acrius adspirat ventus, vt soliciter vndas, & in Petrum cæruleas armet spumas: *Videns ventum validum timuit.* Et cur modò validior ventus irruat in Petrum, cum non adeò sæuus scapham anteà concusserit: *Nauicula*, inquit, *in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.* Ecce alibi ventus non refertur validus, alibi refertur acerrimus: si Petrus idem, dum versatur scapha, & dum illæsè graditur vnda; cur alibi solum patitur ventum, alibi tamen acriorem sustineat ventorum flatum? Facilis quæstionis solutio: alibi petrus cæteros non præcedebat, sed æqualis omnibus laborabat? Iam reliquis excellentior, iam Principi proximior, iam de singulari priuilegio micantior: modò ergo quia substernitur vnda, immanior surgit procella. Fluctus Principi proximiori adulantur, in dignitatis obsequium, vestigia deosculantur spumæ in obsequij testimonium; verùm acrior etiam ventus insurgit aut æmulatione incitatus, aut ambitione furiosus: *Videns ventum validum timuit* plus timuit Petrus cæteris antelatus, quam timuerat naui adæquè cum reliquis impetitus. Veronensis Zeno censet periculum miraculi fidem firmasse: nam si peruenisset illæsus, per vndas se pedibus ambulasse non crederet; sed somnium, aut imaginationem putaret. *Petrus*, scribit eleganti stylo serm. de timore, *est à marino fertur non naufragus; sed viator: timet profundum intercipere non timentem: nec tamen in toto dissimulat, ne per mare pedibus se ambulasse non credat.* Profundum rimemur Zenonis sensum: Cur Petrus se per vndas pedibus ambulasse non credat, si acres ventorum flatus sustineat? Quia adeò frequens est, inquit, in primos, in Principibus proximiores, in reliquos longis interuallis præeūtes periculorum armari adsultus, adeò sine timore viuere rarum, vt ni in Apostolum Principi proximum longe cæteros euincentem armaretur ventus, & procellæ desæuiret adsultus, quantumuis vndas premeret, putaret somnium, nec crederet priuilegium. Ergo vt se ante alios Domino approximasse, vt marinos æstus calcasse crediderit, non dissimulet ventus; sed acrior insurgat flatus: *nec in toto dissimulat, ne per mare pedibus se ambulasse non credat.*

Matth. 14. v. 27.

Zeno.

Rex Israël arma mouet in Ramoth Galaad: Iosaphath Iuda Regem sibi auxiliarem asciscit, cúmque iam signa conferenda essent, honoris specie, & vera sanè malignitate Rex Israël communem habitum sumit, Iosaphátque Regium habitum induere vrbanus specie monet: *Sume arma, & ingredere prælium, & induere vestibus tuis: porrò rex Israël mutauit habitum suum, & ingressus est bellum.* Et cur regiam maiestatem Achab deponat, & Iosaphat regio ornatu vestitum præliari cupiat? Proh fraudulenta cogitatio! vt belli declinaret periculum, & regium nudauit factum: cæteris voluit assimilari, ne in se inimicorum manus acuerit, & studia flagellarit. Iosaphat primum resplendere voluit, non vt cohonestaret ornatu; sed vt obiecisset periculo. Euentus cogitationem, etsi iniquè, prudentem ostendit: nam in vnum Iosaphat iacula sagittarij collimabant, & impetum equites conuertebant: *Rex autem Syriæ*, inquit textus, *præceperat Principibus curruum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis contra minorem, & maiorem quempiam, nisi contra regem Israel solum.* Ecce in primum hostiles armantur gladij, huius tantùm sanguinem sitiunt, huius euersionem exambiunt. Ni Iosaphat clamasset, séque vocibus prodidisset, de medio fuisset sublatus; adeò 23.

3. Reg. 22. v. 30.

adeò periculosum est primis eminere sedibus, ac fulgere dignitatibus: in vulgares, plebeiósque homines desæuit etiam aliquando fortuna; sed veluti casu; in primos tamen excogitato consilio: *Suspicati sunt*, inquit, *quòd ipse esset Rex Israel, & impetu facto pugnabant contra eum, & exclamauit Iosaphat.* In purpuratum, dignitatéque excelsum facto impetu, & consultè pugnant plures; in alios singularis miles, aut casus. Audi quis percusserit. Achabum regio ornatu nudum, & communi veste tectum: *Vir*, inquit, *quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israel inter pulmonem, & stomachum.* Casu percutitur, qui specie gregarius: facto impetu inuaditur, qui ornatu primus. *Dicunt aliqui*,
Lyra. scribit Lyra, *quòd hoc fecit ad honorandum Iosaphat, qui venerat cum eo in eius adiutorium, & ideò volebat sibi attribuere principalitatem belli. Adyciunt quòd licet hoc videatur secundum apparentiam litteræ, tamen intendebat aliud, scilicet quòd pondus belli verteretur super Iosaphat:* Vt belli pondus Iosaphat premeret, primum, ac exercitus Imperatorem videri voluit: sciebat námque subdolus, & peruersus in primos excellentésque omnium armari manus: quia omnes adurget inuidentiæ æstus, & adurit appetitus.

24. Cùm Deus quadrigam illam gloriæ suæ Ezechieli obiecisset, quatuor vidit animalibus duci: erant homo, leo, bos, aquila; omnes tamen nescio an de aquilæ consortio alati didicerunt volare: prodest námque comes virtutis studiosus, vt rubiginem suam affricat delicatus: quas non ferebat bouis natura, alas indidit societas aquilæ: sub his alis manus hominis videbatur, quæ & pennas fulciret, & discolores
Ezech 1.v.8. plumas quodammodò sustentaret: *Manus hominis sub pennis eorum.* Et cur manus non sub leonis iuba, sed sub ala? Profectò ala altior extollitur, discolor lucet, & dum aëra sublimis dissecat, intuentium oculos in admirationem rapit. Hæc ergo pars, in qua, & volatus celsitudo, & celsitudinis denotatur excessus, præ reliquis partibus auxilio indigebat manus: nam in altius volantes, & præ reliquis excellentes, & aduersariorum conspirant odia, & ad speciem amicorum ardet sæpe sæpiùs inuidia: *Neque sine causa dictum esse arbitror*, scribit noster
Sanctius Sanctius cap. 10. v. 21. *cùm præcessisset cuilibet animali quaternos esse vultus, & totidem alas, nihil de numero manuum esse definitum.* Alas definit, de numero manuum tacuit: fors vt ostenderet ad altiùs volantium defensionem facile non posse definiri numerum manuum. Certe antiquitas in suis etiam fabulis doctrinalis giganti illi Briareo centum adscripsit manus, quia nouerat de excellentia sibi conflare inuidiam, ad inuidiæque insidias necessariam esse magnam tutelam.

25. Thronus ille Salomonicus celeberrimus ita affabrè elaboratus, vt æternam sibi acquisiuerit famam, ascendebatur per gradus, in quorum quolibet duo visebantur leunculi arte naturam ipsam quodammodò superantes; in vltimo tamen gradu, vbi Regis solium, iam non
3. Reg. 10. v. 20. leunculi; sed leones: *Duodecim leunculi stantes super sex gradus:* prædixerat: *Summitas throni rotunda erat in parte posteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas.* Gradus à rege remotior leunculis quibat defendi; at summitatem, gradúmque supremum oportebat leonibus communiri: vt maius defensionis esset suffragium, vbi maius inuidentiæ, æmulationísque suspicabatur periculum. Leunculis retundi potest mediocrium ambitio: quia non omnes intendit neruos; at summitas, quia ardentius inflammat inualidam, & maiorem opponere debet tutelam. Insaniunt homines cæteris præcedendi desiderio, & propinquandi Principi præ aliis studio; vnde supremus gradus regi proximus prudenter non leunculis, sed leonibus fortissimis communitur. Ad rem moralis Glossa: *Et duo Leones, per quos significatur duplex fortitudo, scilicet in aggrediendis arduis, & in tolerandis aduersis.* Glossa. Ad aduersa toleranda necessum est præmuniri, qui summa occupat: nam excelsis, & æmulationis minantur fulmina, & in suprema arietatur cupidinis semper machina.

---

§. VII.

Sæpè munus, si ad plures spectet lentiùs efficitur: nam quisque marcet ignauia, dum alienâ fidit industriâ.

NOn semel quod credebatur remedium, fieri solet de abusu contrarium; & quæ censebantur vtilissima media, experientia indicauit obstacula: munus aliquod si spectet ad plures, 26. celeriùs dixeris peragendum, & accuratius tractandum, verùm dum crescente, numero quisque alterius fidit industriæ, propriæ negligens blanditur ignauiæ. Singularis iniunctum sibi studiosiùs adlaborat perficere, & nititur vigilantiùs implere, quia scit de solertia gloriam, de ignauia cudendam sibi ignominiam: pluribus tamen indiuisè commissum tardius absoluitur; quia illorum quisque ad operas appellat alienas, & ignauè subtrahit proprias: iam si quis minùs diligens reliquis generat laboris fastidium, & perniciosum præbet exemplum: qui argumentosè operi incubuisset, alget sæpè de aliena desidia, nec vult adæquè partiendam gloriam industriosa, laboriosáque acquirere diligentia: dum quisque ad alium operis remittit laborem, nullus commissum perficit opus, aut absoluere curat munus. Fortè Iosue huius non ignarus styli in latissima adeò sorte, vt posteà Simeonis tribum admiserit, solam Iudæ Tribum locauit, oppositámque Ephraimitis adscripsit. Rogant interpretes, cur à principio Iudæ fuerit sorte adsignatum, quod postea collocanda Simeonis Tribui præcisum: *Sors filiorum Iuda per cognationes suas ista fuit*, &c. Adscriptos Iudæ limites adeò fuisse latos, vt Simeonis Tribus, quantum sibi satis, de hac sorte acceperint, constat cap. 19. *Hæc est hæreditas filiorum Simeon iuxta cognationes suas in possessione, & funiculo filiorum Iuda: quia maior erat, & idcirco filij Simeon possederunt in medio hæreditatis eorum.* Ios. 19. v. 1. Fortè quis ducis prouidentiæ notam inurat, cùm duarum tribuum sortem vni concesserit iniustè largus, aut manifestè improuidus: verùm si illius temporis intimiùs dispexerit circumstantias, non sugillabit prudentiam, sed

sed allaudabit industriam; aduersariorum arma ea parte imminebant, vtque faciliùs reprimerret inimicorum adsultum, non geminam, sed vnicam tribum lata tellure locauit, veritus ne si duplex illarum quælibet alieno sudore fissa,
Abulens. noxia torperet ignauia: *Fuit factus iste modus diuisionis*, scribit Abulensis quæst. 2. *quia tribus istæ duæ* (scilicet Iudæ, & Ephraim) *erant multum bellicosæ, & ponebantur in lateribus, à quibus poterant venire hostes.* Ne dum perstreperent inimicorum arma, Simeonis Tribus ad Iudæ gentem resistendi laborem delegaret, Iudæque Tribus ad Simeonis copias remitteret, vnicam tantum pro illo temporis articulo tribum terrâ latissimâ collocauit, quia munus ad plures spectans non semel incuriosiùs tractari vidit: *Fuit factus iste modus diuisionis, quia poterant venire hostes.* O quoties in religiosis bellis, in commissis generalitati officiis viget ignauia: quia quisque alterius perficiendum æstimat cura, & quod à pluribus efficiendum videbatur faciliùs, remanet sæpè imperfectum, aut perficitur certè tardiùs.

27. Fugiebat Iacob fratris iram, cúmque ad orientalem terram venisset, puteum vidit grandi lapide obseratum, & pastores plures, gregésque circumcirca otiosè cubantes, & tempus importunis ad speciem moris tenentes: vtque erat iuris, ac rationis patronus, pastorum carpsit ignauiam, maiorémque in curandis ouibus
Gen. 29. v. 7. monuit solertiam: *Adhuc multum diei superest; nec est tempus, vt reducantur ad caulas greges, date ante potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite.* Pastores laborem in amouendo lapide omnibus esse communem respondent, ob idque reliquos expectasse, ne alij suo labore fruiti adaquarent greges, cum nullas in amouendo lapide locassent operas, *Non possumus*, respondent, *donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges.* Ecce testantur se lapidem amouere non posse, donec sodales reliqui suam adhibuerint industriam, amouendóque lapidi locauerint operam. Quid tunc? Vnicus Iacobus amouit lapidem, & Rachelis gregibus gelidos copiosóque latices ministrauit: *Amouit lapidem, quo puteus claudebatur, & adaquato grege*, &c. Iam curiosum pungit scrupulus: si Iacob lapidem valuit amouere, gregémque sitibundum Rachelis consobrinæ adaquare, quomodo tot pastores greges siti patiuntur aduri, quando faciliùs videbatur à pluribus quantumuis prægrandem lapidem amoueri? Scio plures interpretes pastorum responsum, impotentiámque ad aquarum referre penuriam, quasi dicant ob aquarum inopiam prohibemur cuncto lapidem sustollere, & gregem singulariter adaquare: ne dum quis lapidem remouet profusius, quàm par est, aquas gregibus suis præbuerit liberalitate noxia, aut maligna erga pastores alios inuidia. Bene; sed si ad mores velitari liceat, censerem illam pastorum impotentiam non ad vires corporis referendam, sed animi propositis applicandam. Ardenter sitiebant greges, crebrísque balatibus pastorum aures percellebant; verùm dum quisque nouit alterum, eodem iure ad lapidem amouendum teneri, recusat humerum applicare, illorum quisque renuit fontem anxio labore aperire, vt alter nullo sudore aquá suis gregibus ministraret; dúmque illorum quisque ab omnibus laborem subeundum sperat, & sitis greges adurget, & copia pastorum torpet. Vnicus Iacob dum aliorum non expectat operas, citiùs valuit absoluere, quod pastores plures posse nullatenus attestabantur perficere. *Non possumus*, inquiunt, *donec omnia pecora congregentur.* Et quare? quia cum adæquè ad omnes
amouendi lapidem labor spectet, nullus in alterius socij suffragium applicare sustinet humerum: *Isti pastores*, scribit Oleaster hic ad mores, *pecora, longa expectatione vexabant; cùm tamen facilè seorsũ possent adaquare* Quod Iacob fecit, quisque posset, verùm dum sodaliũ laborem spectat, adaquare greges differt, & tẽpus otiosè terit. Oleaster.

Apostoli sepulto Domino antiquam repetunt artem, & laboriosam piscium suspirauere capturam: insomnes obnoctant, fluctus variis retium iactibus feriunt, abstrusioráque examinant; verùm in cassum sudabat labor, & frustrà terebatur studium. Dominus, vt fluctuantes confirmaret discipulos, littoris stetit soliditate, & ne dedecorosa fuga percellat attaminatos, pueros vocat, & blandissimè antiquum ad sta- 28.
tum prolectat: *Pueri nunquid pulmentarium habetis?* Non sine rubore frustra se obnoctasse testantur: *Responderunt ei: Non* Dominus in nauigij dexteram rete mitti imperat, & iam tot piscium confluxit copia, vt Numinis illis dilucidè testaretur imperia. *Iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Vides à pluribus retè non solùm ægrè trahi; sed quadantenus non moueri; aspice modò hoc ipsum retè ab illoram vno non solùm per mare duci; sed ad terram etiam trahi: *Ascendit Simon Petrus, & traxit retè in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus, & cum tanti essent non est scissum retè:* Si retè fuisset aliqua parte disruptum piscésque aliqui carcerem euasissent, nil mirum traheretur à solo Petro, quod ab omnibus trahi ante rupturam nequibat; verùm si integra fila, & eadem vtrobique piscium copia, quomodò ibi non poterat educi, cùm hic potuerit facillimè trahi? An quia Petrus ad littus tetendit, & reti educendo operam non adhibuit. Languerunt fortè sociorum vires, dum Petrus, & piscium partem discupit, & socios adiuuare neglexit? An quia quisque dum alterius expectat operam subtraxit suam? Crediderim magnum hìc latere mysterium; sed sic etiam ad nostrum apto propositum: vbi ad plures rete extrahere pertinebat, quisque non adeò studiosè robur, & animum applicabat; vbi tamen vnus Petrus negotium aggreditur, faciliùs, & feliciùs absoluit, quia toto animi laborauit conatu, nec alieno fidit auxilio: Non valebant illud trahere præ multitudine piscium, & fors etiam præ multitudine comitum. Hac voco, Ioan. 21. v. 5.
quod aiebat Chrysologus aliorsum serm. 78. *Ibi enim erat Petrus, qui negauerat, Thomas, qui dubitauerat, Ioannes, qui fugerat.* Si virili omnes similique educendo reti incubuissent studio; quod postea vnus illorum perfecit, facillimè perfecissent; at dum quisque alterius socij committit labori, ignauiùs trahit, & oscitantiùs eijcit: plures non poterant, quod perficere valuit vnicus: quia ibi multiplicitas singulis suadebat ignauiam, hic vero singularitas exacuebat industriam: *Non valebant illud trahere: ibi enim erat Petrus, qui negauerat, Thomas qui dubitauerat, Ioannes qui fugerat.* Chrysolog.

29. Cum Dominus seruos suos de terreni famulatus exemplo ad vigilias erudiret: sic ait: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, vt cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Profectò cui videantur præcepta fastuosam indicare superbiam. Non est satis, vt seruorum vnus pulsanti Domino aperiat? cur ergo omnes inuolare requirat? Non ait: *Vt cùm venerit, & pulsauerit,* aliquis statim aperiat; sed *aperiant ei?* fastus superflua consueuit ambire, Christus verò solùm nouit iusta imperare. Ergo non omnes ad aperiendum compellat, quod ad speciem superfluum; sed ab illorum vno aperiri præcipiat, quod videtur necessarium. O sapientiam immortalem! Domini verba superbiæ non redolent fastum, sed vtilissimum imposuere præceptum. Multi sunt serui: & quidem si ab vno tantùm pulsanti Domino sit aperiendum, illorum quisque, dum socium inuolaturum putat, aut sedebit otiosus, aut differet somnolentus; sicque moras ad limina trahere Domino erit per longa tempora necessum: quia quisque ad alterius remittit curam, omnes adæquè fouent ignauiam; si vnicus tantùm esset seruus, curreret, vt aperiat Domino solertissimus; at dum plures, accurret nullus. Ideò ergo Dominus iubet portam ab omnibus reserari, ne omnes torpeant, dum ab altero expectat quisque recludi, *Cùm venerit, & pulsauerit confestim aperiant ei:* omnes ad eamdem actionem vrget: ne pulsans molestissimus prolixisque temporis interteruallis expectet. Aliqualiter innuit Nyssenus apud D. Thomam: *Vt nos vigilantes ad obedientiam promptos nos faciamus, cùm aduenerit pulsans.* Vult omnes ad aperiendum teneri, ne si vnum tantummodò ad excipiendum Dominum opus esse crediderint; omnes ignauissimè dormitarint, obstat namque non semel rectè obeundis muniis famulorum copia, & ministrorum caterua.

Luc. 12. v. 35.

Nyssen.

§. VIII.

Terreni quæ longo tempore anxijs acquisiuere laboribus, citissimis amiserunt sæpè calamitatibus.

30. NOn præcipio, vt necessarium naturæ neges: contumax est, nec patitur vinci, sibi debitum inceperit flagitare: scias tamen quidquid naturam excedit, non solùm laboriosum, sed periculis, & laboribus plenum: finem coaceruati non sine molestia pretiosi metalli expecta, vt non foueris desiderium, sed nutrieris prudenter fastidium. Aptè Cato: *Sapiens diuitiarum naturalium est quæstor acerrimus.* Adde: minùs prudens anxiis sibi laboribus procudit pericula, & auget de cumulo diuitiarum incommoda: qui multum habet, plus cupit, & dum cupit, haud delectatur possessis: quia torquetur animus discupitis: *Qui satis habet,* aiebat Seneca epist. 120. *consecutus est, quod nunquam diuitis contigit, finem: an has ideò non putas esse diuitias, quia propter illas nemo proscriptus est? Quia propter illas nulli venenum filius, nulli vxor impegit, quia in bello tuta sunt, quia in pace otiosa, quia nec habere illas periculosum est, nec operosum disponere?* Nebulis profectò cupiditatum lux obtenebrescit rationis, nec dispicere licet, quàm laboribus plenum sit diuitias congerere, quámque facilè congestas amittere. Pennatæ sunt, dum extendis manus, vt prehendas, ambitionis frustrantur studia, aut si fortè defatigatus prehenderis, non longo possidebis spatio; quia veloci discedunt cursu, & pernici inania eludunt gaudia volatu. Itaque quæ longo tempore, quæ prolixis vigiliis, operosissimisque laboribus parta, dum auidiùs manu prehenduntur, per digitorum rimulas effluũt, & penè miscetur citissimè amissarum dolor, & importunis acquisitarum labor. *Post Darium & Indos,* scribit Seneca vbi suprà, *pauper est Alexander Macedo: quærit quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in Oceanum classes mittit nouas, & vt ita dicam, mundi claustra perrumpit.* Quàm longis temporum interuallis disponitur classis! Quanto nauis sudore compingitur! & quod anxio labore partum, tantisper acriùs reflante vento marinis vorticibus est absorptum. Adest noster textus huius veritatis certissimum testimonium: *Sors,* inquit, *filiorum Iuda per cognationes suas ista fuit: à termino Edom desertum Sin contra meridiem,* &c. Vides vno sortis iactu Edom diuitias regnáque aliis adscripta, & in possessionem firmata. *A termino Edom,* inquit Interlinearis, *qui interpretatus terrenus.* Terrenus Esau difficillimis præliis continuisque laboribus hanc obtinuerat ditionem: amisit sorte, quæ acquisiuerat, si dici liceat, præliorum æternitate: vel matris vtero molitur prælia, longa exinceps temporum expectat spatia, vt hæc obtinuerit certaminibus regna, sed quæ longo tempore, anxióque labore possedit, aduersa sorte citissimè amisit. *Viues,* aiebat pater senex, *in gladio, & fratri tuo seruies: tempúsque veniet, cum excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis.* Ecce longo tempore armatur in prælia, aggreditur periculosa certamina; sed quod terrenus longo certamine acquisiuit, exiguo tempore ad alias alis volucribus euolauit: iam celeritatem admiratus est in pio illo Iacobi dolo prudentissimus pater: *Quomodo tam citò inuenire potuisti?* Citissimè inuenit frater, quo fratrem dispoliaret possessis, cùm tamen Edom prolixis obtinuisset angustiis. Postcà arma prẽfat, & in gladio longa sæcula viuit, vt sibi regni gloriam, & diuitiarum cumulauerit summam. Verùm quæ tot certaminibus quæ tot fatigata patiẽtia prolixis temporum tractibus acquisita, vnico sortis iactu deperdita: *Sors filiorũ Iudæ à termino Edom.* Huc voco quod aiebat Phil. lib. de Ioseph. *Ingẽtes opes sæpè vna dies abstulit: multi honoratissimi anteà versis rerum vicibus in contemptum venerunt cùm ignominia, imperia Regum maxima breui temporis momento subuersa sunt.* Citissimè Edom dispoliatus est adquisitis, cùm tamen certaminibus acquisiuerit periculosis, & præliis comparauerit importunis: vt noueris omnia terrena & citissime labi, & laboriosissimè acquiri.

Cato. *Sapiens diuitiarum naturaliũ est quæstor acerrimus.*

Senec. *Qui nihil cupit, satis habet.*

Senec. *Cupiditas mundi claustra perrumpit.*

Interlin.

Gen. 27. v. 40.

Gen. 27. v. 20.

Philo.

Seruus ille Pharaonis carcere detentus huius veritatis elegans somnij penicillo depinxit nobis emblema. Defatigabant vires tria canistra regiis refertissima dapibus, lautitiæ vocarũt aues, illæ, & numero plures, & volatu pernicissimæ diripuerunt gustus delicias, & studiosæ industriæ fœdauerunt morsibus operas: *Vidi somnium, quòd tria canistra farinæ haberem* 31.

Gen. 40. v. 16.

rem super caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auésque comedere ex eo. Immoremur, si placet, in huius enodatione ænigmatis. Non vidit canistra simplicibus; sed arte elaboratissimis plena: *Quæ fiunt*, inquit, *arte pistoria.* O quot insomnes noctes vigilantissima posuerit cura, vt saporatas condiderit dapes, vt artificiosa, & mille condituris carô corrupta efformauerit fercula, & celerrimo dissipantur volatu, quæ prolixo concinnata fuerant studio. Vide quanta sæcula consummantur, quantáque anteeant, vt de farina confici possint dapes, soli aratio, satio sementis, nubium imbres, ventorum flatus, syderum influxus, culmorum exeretio, durus metendæ segetis labor, molæ attritio, & alia sexcenta sine quibus, nec candicare potest farina, nec condiri possunt fercula: & cum tanta dapum requisierint canistra, ocyssimis sunt auium insultibus dissipata: *Auésque comedere ex eo.* Perierunt momento, quæ laboriosissimo, operosissimóque compacta fuerant studio. *Ecce tria canistra plena pane principali erant super caput meum*, scribit Chaldaica paraphrasis, *& in canistro superiori erat de omni cibo Pharaonis, qui fit arte pistoria, & aues comedebant ea.* Basilius Seleuciensis orat.33. solito acumine expendit quantas vigilias exigat, curásque deposcat vel solum panis conformatio: audi ipsum: *Quam multa humanum pastum anteeunt, velut aratio soli, aratorum satio, aëris in nubes conuersio, imbrium ortus, ventorum alibilium latio, tempestatum vicissitudines, Lunæ commutationes, stellarum radij tremuli, culmorum ad census, opportuna segetis maturatio, legendæ messis durus labor, area miseria, molæ auxilium, superflui excretio, artis conformatio, simul ignis adspiratio.* Moras, vigilias, anxias curas deposcit voluptati præparare cupedias; citissimè tamen aues perpetrauere rapinas: nimia celeritate est direptum, quod anxiis fuerat vigiliis elaboratum.

Chaldaica.

Basil. Seleuc.

32. Ioanni obiecta est mulier illa Babylon circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis. Regius thronus erat bestia, & sanè brutali competit appetitui thronus brutalis. Decem emergebant cornua, quorum Ioannes edisserens Sacramentum sic ait: *Decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt; sed potestatem tanquam reges vna hora accipient post bestiam.* Ecce anhelis desideriis regnum expetunt, & exambiunt: opus est occubuerit primum bestia, vt ipsi potestatem acceperint, longa cruciatur expectatione cupiditatis insania: audi iam quanto tempore durarit prosperitatis fortuna: *Vna hora accipient post bestiam.* Breuissima temporis mensura est amissum, quod sæculis longissimis expectatum. Prodest Ambrosius ad hunc locum: *Significant quippe (cornua) ea regna per quæ Romanum imperium destructum est: partem namque Asiæ per se primitius abstulerunt; postea vero Sarraceni totam subegerunt, Vvandali Africam sibi vindicauerunt, Gothi Hispaniam, &c. Hæc ergo regna eo tempore, quo visio ista Ioanni demonstrata est, potestatem nondum acceperant; sed vna hora tanquam reges potestatem acceperunt, quia singularum istarum gentium potestas pauco tempore permansit.* O quot annos in disponendis præliis, in cogendis armatorum agminibus ambitio obcæcata insumpsit! Quàm citò quæ summis periculis parta, amisit! *Pauco tempore permansit*; sed non exiguo tempore ambiuit. O nos miseros, qui caducis fidimus, & euanidis inhiamus! ventos insequimur, prehendi difficillimos, facillimos labi. Vna hora sunt regna subuersa, quæ innumeris annis parta. Sortis iactus alteri Edonis ditionem adscripsit, quam Edom arduis difficillimisque certaminibus subiugauit.

Apoc 17. v.12.

Ambros.

33. Aggæus hominum miseram exaggerans cæcitatem, illorum labores vernæ comparauit mercedibus, quæ afflictionem incrementarunt amissæ, cùm vires detinuerint partæ: *Qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.* Non inquit mercedem; sed mercedes. Aspice vernulam solis ortum anteuertentem, vt mugientes sequatur boues, & durissimas telluris glebas proscindat aratro: glacies sustinet, Solis patitur æstus, ventorum iras, omni imbonitate innutritus, omníque ruris labore defatigatus: anni suspirat exitum, vt exiguam mercedem accipiat; sed quam tot ærumnis lucratus est, dum in pertusum sacculum misit, mora instantanea deperdit: citiùs quàm missa, merces foraminibus est elapsa: plurium annorum mercedes anxio labore partas, momento vides amissas. Quàm citò è sacculo pertuso quicquid immissum, elapsum! Quàm duris laboribus, vt elaberetur quæsitum! *Si quis*, exponit Interlinearis, *vel negociatione, vel mercenaria manu mercedes congregauit, ille pecunia ita defluunt, ac si mitterentur in sacculum pertusum.* Consonat Gregorius 3.part. Pastoral. admonit.12. *Qui quanta largiuntur, aspiciunt; sed quanta rapiunt, non perpendunt, in pertuso sacculo mercedes mittunt: quia profectò has in spem suæ fiduciæ intuentes congerunt; sed non intuentes perdunt.* Diuitiæ non modicis laboribus aggerantur; sed celeriùs quàm aspicere valeat oculus, amittuntur. Cogunt ad anxios, vt congregentur, labores, & post labores ad gemitus compellunt amissæ. Vt noueris hæc fucata bona torquere desiderium ambita, citissiméque cogere ad gemitum auolantia.

Aggæi 1. v.6.

Interlin.

Gregor.

34. Populus ille idololatria furens Deos sibi producere gestiens Aaronem adit, tumultuosisque clamoribus idola sibi conflari cogit: formauit ille de vxorum, filiorum, ac filiarum iocalibus vitulum illum, qui amatorum vitam non solum cornibus, sed membris omnibus dissipauit: vocantur artifices, stylo prius describitur forma, & tandem inanis vtpote fusus vitulus, non sine mora formatur, eiúsque solemnitas in diem alterum non sine vrgentis desiderij tormento mittitur: *Cras solemnitas Domini est.* O quanta sæcula sudauit patiêtia luteis operibus addicta, & inhumanis verberibus lacerata, vt in aures ab Ægyptiis acciperet. Quàm expectauit inauribus ad Aaronem delatis, vt artifices conuenirent, insania! prius exemplar formatum est, inaures ignium ardoribus liquefactæ, iam liquor fusus, formæque adaptatus, tandem adhuc conflato vitulo in sequentem diem differtur votum. Quid tunc? Moyses de monte descendit, & ardentibus zeli flammis adustus arreptum vitulum minutissimos redegit in cineres, & qui nuper Deus, iam fauilla: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit*

Exod.32. v.5.

Exod 32. v.20.

vsque ad puluerem. Quàm sine mora amissus, qui prolixis adeò moris formatus! Longis temporibus, duris angustiis, aurum illud est comparatum; posteà vicatim non sine labore collectum, nec sine vigiliis in vitulum efformatum; verùm citissimè auolauit deperditum: eadem die & regali luxit throno, & acti nigros in cineres est conuersum incendio: momento non sine vitæ etiam supplicio amiserunt, quod prolixis sæculis compararunt. Abulens. *Arripiens vitulum*, exponit Abulensis quæst.30. *Arripere est violenter, & cùm impetu rapere: sic Moyses valde iratus accepit illum vitulum, & conculcabat, & comminuebat.* Impetu violentérque Moyses comminuit, Aaron non sine mora artificiosè efformauit: vt videas peccatores, quæ longis temporibus iniustè compararunt, citissimè amittere, & ad doloris incrementum deperdere.

---

§. IX.

Perfecti trepidant, vbi etiam nullus peccandi timor: vltra possibile extendunt virtutis affectum, impossibileq́; verentur etiam delictum.

35. NOndum attigit perfectionis supremum, qui virtutis limites non discupit ardenti extendere affectu, quique vel maculas impossibiles non refugit toto conatu. Seneca. *Post Darium & Indos pauper est Alexander Maced.*, scribit Seneca epistol.120. alias 119. *quærit quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in Oceanum classes mittit nouas, & vt ita dicam, mundi claustra perrumpit: quod naturæ satis est, homini non est: in-* Nonnullis nihil satis. *uentus est, qui concupisceret aliquid post omnia.* Ecce prolatum vltra possibile ambitiosæ cupiditatis studium. Et cur honestus ardor non conetur etiam vltra possibile extendere desiderium? cur vehemens virtutis studium vltra humanas vires non protulerit etiam votum. Cur non exambiat virtus honestè conficta, quando vitium confingit monstra. Habet etiam virtus suos hircoceruos, non de erroris fallacia; sed de affectionis vehementia, vtque impij trepidant sæpè, vbi nec timoris vmbra, attestante Psal.13.v.5. Propheta: *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor*; ita etiam iusti, vbi nullus timor, trepidant laudabiliter, nec tremor matrem agnoscit culpam; sed purissimam testatur conscientiam, vel impossibilia deterrere solent perfectos, & quidem in hac parte honestè imitantur pueros: hos aliquando deterret vmbra, angit larua, illos etiam & larua deterret & vmbra. Deuictis hostibus tellus quieuit prorsus à Iosu 14.v.15. præliis testante Scriptura: *Adam maximus ibi inter Enacim situs est, & terra cessauit à prælys.* Hostes Hebræorum vita decinerescebant priuati, illorúmque, vt nonnullis placet, dux Adam maximus iam sepultus: terra florenti pace tranquilla: quid tunc? Prima sorte Iosue Iudæorum collocat tribum, cæteris quidem bellicosiorem: *Sors filiorum Iuda per cognationes suas ista fuit*, &c. Interpretes Regiam tribum fronte asserunt collocatam contra inimicorum ad- Lyra. sultus, & aduersariorum conatus. Ita Lyra: *Sic tribus Iuda, quæ erat bellicosior cæteris, parata esset resistere eis.* Queis restitura, si iam bella cessarunt, si hostes non solùm detriti; sed & sepulti? *Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Ergo stultissima inuigilat prouidentia, dum fortiores eligit, quando hostes nullatenus imminère cognoscit? Imò ô perfectam virtutem, prædicandámque perfectionem! Quiescente iam terra à præliis, deterritis hostibus secura floret tranquillitas; verùm meus Iosue timore trepidat, vbi non erat timor, nec metum imbellis generauit ignauia; sed laudanda semper cautela.

36. Sæua illa tempestas, quam peruersè confœderata hostium excitauit inuidia, sic in mundi redemptorem desæuiit, vt à summis plausibus vsque ad extremas patibuli iactauerit ignominias: nec adhuc contenta duro peremisse ligno, ni aspectibus subtractum obscuro tumularit sepulchro; verùm cum hostium sæuitia mulierum pietas decertabat, inimicorum odium ardebat in mortuum; sed etiam fœminarum obsequia colere inuolauere sepultum. Veniunt cum aromatibus, nec tenebris impeditæ, nec ferocia militum retardatæ; verùm sepulchrum vident non horroris frontem; sed indefessam lucis scaturiginem: iam tremefactus abscesserat miles, quia veste candida præfulgens descenderat Angelus: ergo cœlestis nuncius mulieres blandè alloquitur, & timoris iubet depellere nubilum: *Nolite* Mat.28.v.5. *timere vos: scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis:* ac si dicat: Timeat Iudæus, qui tradidit, miles, qui illusit, præses, qui ambitiosus damnauit: paueat, quæ transfixit impietas, expauescat quæ amara pocula gestiuit propinare inhumanitas: vos timorem excutite, quia & humanum sepulturæ defendit obsequium, & Angelorum obarmat auxilium. Quid tunc? *Exierunt*, inquit, *citò de monumento cum timore & gaudio magno currentes nuntiare discipulis eius.* Duo imperauerat Angelus, scilicet: *Nolite timere vos, & citò euntes dicite discipulis eius.* Si ergo adeò exactè hanc festinant impleuisse obedientiam, vt non solùm celeri ambulauerint gressu; sed viam pernicissimo carpant volatu: *Currentes nunciare discipulis eius*; cur timorem non deponunt, sed pectore anhelo conseruant: *Exierunt citò de monumento cum timore?* Profectò timor laudem obsequelæ ad speciem innubilat; nam si commendat denunciandi celeritas, adhuc pectora quatit timiditas: cur ergo non deponant timorem, quæ timoris causam agnoscebant de resurrectione prorsus sepultam? Chrysologus serm.80. illum primum, inquit timorem expulsum, & laudabili commutatum. *Et vbi est, nolite timere? Quia timor non* Chrysol. *ablatus est, sed mutatus: timor abscesserat de reatu, sed de seruitio manebat: Malus timor culpa, bonus reuerentia timor.* Digna attentiori auditu, quæ subdit: *Adam datum perdiderant, ne perderent ipsum redditum pertimescebant.* O timorem! Adam antea per mulierem deperdi potuit, iam verò resuscitatus per Christum nescit casum, quia cœleste adeptus est regnum. Ergo inani prorsus concutiuntur timore, si protoparentis suis fraudibus iterandam vereantur ruinam. Iam si Adam non pro hominum principio, sed pro ipsa desumatur natura, instaurata per Christum, nec casui exposita, nec errori mancipata: faciliùs esset Adamum ipsum, quantumuis cœlitem deturbare, quàm Numini vnitam hypostaticè naturam, vel vmbra fraudis inficere. Ergo

go siue de Adamo, siue de natura, quia impossibilis prorsus casus, & stultus erit metus. O vtilem nobis doctrinam! adeò se Numinis obsequiis addixerant: adeò vel criminis vmbram deierauerant, vt vel impossibilia timeant; non de imprudentia nota; sed de conscientia purissima. *Adam datum perdiderant, ne perderent ipsum redditum, pertimescebant.* Bonus timor, qui cursum exacuit, qui volatum ad mandata implenda non impedit. Quàm parum timebant vel armatos ad sepulchrum milites, quàm metuebant parum reipublicæ æstuantes odio potentes! Humana pericula generosè despiciunt; sed vel criminis vmbrã prouidentissimè metuũt.

37. Iacobus & Esau gemelli fratres à vitæ exordio dissidebant etiam ingenio: maternus vterus pro stadio erat, & fraterna lucta fœcunditatis gaudium interturbabat. Quàm rara sine anxietate felicitas! Oraculum consulitur, respondétque minorem benedictionibus præferendum, natuque ad speciem maiorem; quantumuis inuitum, fratri nasciturò posteriùs subiectandum: *Maior seruiet minori.* Ecce secundum nasci erat prosperitatis tessera, & felicitatis summa, qui ortum humanis oculis æstimaret, posterius nasci calamitati adscripsisset, primo namque gratioso vultu alludunt omnes, quia suspicantur felicem; qui in secundis est, quantumuis eodem sanguine natus, eisdémque seminatibus genitus, quia diuitiis nudus, & obsequiis etiam eribus; verùm hic Principem nasci erat seruituti subiici: tandem cum iam oraculi promissa opportuno forent tempore implenda; Rebecca filium monet, vt sibi debitam benedictionem exembiat. Quid ille: *Timeo, ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionẽ pro benedictione.* O rusticam pueri ignauiam! Ipse matri obediens inducere sibi maledictionem nequibat; diuinum oraculum omnes metus fibras præciderat, nec poterat maledictionis vexare mulcta, quem honestissima vocauerat causa. Cur ergo inani timore felicitatem retardat, & oraculi fidem trepidatione tantisper obscurat. Ad hæc vel rationabilis ad speciem timor videri posset, si dixisset; timeo ne inducat pater super me maledictionem: nam pio dolo comperto pater posse videbatur maledicere; at Iacobus matri obsequens nullatenus poterat in se maledictionem afferre: cur ergo ait: *Inducam super me maledictionem pro benedictione?* O perfectionis excellentiam! Timor hic vrget genitus non de oraculi dubietate; sed de eximia procreatus virtute: scit Iacobus oraculum, vtpote diuinum nullatenus posse frustrari; scit consilio Numinis se fratribus præferendum, nec maledictionis incurrere posse mulctam, quia in stadio ventris adeptus fuerat victoriam, & quia pro se diuinam tulit sententiam, verùm adeò maledictum exhorret, adeò vel imposturæ speciem detrectat, vt timore paueat, vbi nullus timor, non de oraculi fide dubius; sed de conscientia purissimus. Adest Isidorus apud Lippomanum: *Hæc omnia faciebat mater, quia primogenito debebatur regnum, & sacerdotium, & patriarchalis dignitas.* Esau primogenituram vendiderat, quàm profectò non habebat. O quàm multa constant opinione, cùm caruerint veritate. Aptius Caietanus: *Hinc clarè apparet bona Iacob intentio exequendi matris præceptum diuina reuelatione fultum, facta olim*

Genes. 25. v. 23.

Genes. 27. v. 12.

Isidor.

Caietan.

Naxera in Iosue Tom. 2.

matri de ipso fratri præponendo. Ita quòd non animo fallendi patrem; sed animo assequendi diuinum promissum: manifestat se rem hanc attentaturum; sed vereri, ne in paternis oculis mentis appareret illusor. Rem aggreditur, vt oraculo obsequatur, & tamen timet: quia iusti ad tenuem culpæ expauent vmbram. Et profectò si Behemoth vmbras tutantur vmbræ asserente Iobo: *Vmbræ protegunt vmbram eius*, etiam Christi exornant gratiam, dum timentur nescio quæ vmbræ. Impossibile erat maledici; & tamen Iacobus nouit timere; vt noueris perfectissimum quemque laudabiliter, vbi non est timor, trepidare, & ad leuissimas, & confictas sæpè vmbras imperfectionis timere. Iam quàm ardenter vltra possibilitatis lineas extendant affectum perpende.

Iob 4. v. 7.

Vidit Isaias thronum illum excelsum & eleuatum, cui Dominus insidebat, non primis throni gradibus, sed ipsa verticis summitate alatos Seraphinos volitare conspexit: *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Profectò importunus videtur volatus, quando alis, quantum fas est, extrema cingunt, & quodammodo comprehendunt: si pedes tantummodò possiderent, nil mirum honorem capitis exambirent, si caput solum obtinuissent, nil mirum & extremum aliud optassent; at si à fine vsque ad finem attingunt fortiter, quò studiosum explicuerint volatum? Vertice eminent, vltra quem nihil aliud apparet; & tamen cùm vltra solium nihil esse cognoscant, volatum nihilominus semper librant. Quò tendunt, ipsa natura detenti, creatáque capacitate tardati? ambiuntne quod superbissimus Lucifer? gestiuntne diuinitatem sibi arrogare, thronóque insidentem detrudere? Non abs re existimes digniori causa; sed simili, ac olim Lucifer, adustos studio, & flagrantes desiderio: hiabat ille ad diuinitatem, non vt adæquè factorem redamaret, at viribus immetatis seruiret; sed vt Numine obscurato superbissimus ipse fulgeret; at Seraphini nobilissimis flammis possessi habere diuinitatem discuperent, non in Numinis detrimentum; imò in obsequiosum seruitium: vnicum esse Deum gaudent; ad hoc tamen solum eius vellent immensitatem æquare, vt adæquè possent diligere: noscunt impossibilia se appetere; sed in hac re amor de impossibili sibi confingit remedium, & amori quærit solatium. Ad rem Bernardus serm. 3. de verbis Isaiæ: *Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Volo ergo Seraphim fabricari, vt ibi stent, vnde tu corruisti.* Corruit de diuinitatis præsumptione Lucifer; sed ibi fixè constitit Seraphinus, qui ad impossibile Luciferi ad instar produxit studium, non vt raperet diuinitatem aduersus; sed vt famularetur deuotus. Nec solùm Seraphinis hoc desiderium; sed etiam iustis, audi Dauidem.

38.

Isai. 6. v. 2.

Bernard.

Quis mihi dabit, inquit, *pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Cuius columbæ desiderauerit pennas, quærunt interpretes. Anastasius Sinaita lib. 6. anag. contemplat. ambiisse testatur pennas illius columbæ, quæ ad Iordanem descendit, vt candidissimis pennis Christum Dominum coronaret: *Volucrem*, inquit, *desiderabat fieri, qui dicebat:* 39.

Psal. 54. v. 7.

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, quæ descendit in Iordanem. O immetatum, audacissimúmque ad speciem desiderium? Nónne quæ ad Iordanem, descendit columba, Spiritus
Ioan. 1.v.32 sanctus erat? Testatur Ioannes: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum.* Si ergo illa specie columba Spiritus sanctus erat, quæ humana præsumptio Spiritum fieri exambiat, & descensum in Iordanem discupiat? Terrea conditio, luteus homo, imbecillis naturâ poterit adeò vanitatis, præsumptionísque erroribus inflammari, vt Spiritus sancti ambiat naturâ vestiri? Corruit Angelus, dum ambitionis pennis mutuatis, & requiescet Dauid columbinis volatibus concupitis? O studium non præsumptionis, aut superbiæ filium; sed ardentissimi amoris, deuotionisque testimonium! Vel diuinam cuperet Dauid induisse Spiritus sancti naturam, quò Christum Dominum dignis celebraret elogiis, non quò temerariis illum denudaret rapinis: vltra humanæ naturæ terminos euolauit studio, vt deuotiori Christum veneraretur obsequio. *Volucrem desiderabat fieri, qui dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, quæ descendit in Iordanem!* Vides studium vltra possibile intentum, & timorem ad impossibile etiam dilatum.

---

§. X.

Nobilitas præferenda, vbi nulla æquitatis obstiterit causa.

40. OMnes eodem patre, Adamo scilicet nati, omnes ipsissima originis vena geniti: plures tamen adeò egregiis se facinoribus famæ, æternitatique consecrarunt, vt nobilium, heroúmque sibi procuderint nomina; & inter reliquos virtutum refulserint excellentia: ex his origo semper laudabilis, quia dignis moribus exornari creduntur, qui decorosis natalibus
Cassiodor. procreantur. *Agnoscat curia*, scribebat Cassiodorus 2. variar. 1. *transalpini sanguinis decus, quæ non semel coronam suam nobilitatis eius flore vestiuit: numerat inter reliquos fasces viros inde surgere Consulares, qui longo stemmate ducto per trabeatas lege temporum originem suam est honorum: nam quis bonorum indolem nesciat esse felicem, qui primus auspicijs hinc prodidit meritum, quod ad patriam virtus est sequuntur virtutum.* Ad virtutes creditur nobilitatis stimulis agitari, qui nobilissimis stemmatibus agnoscitur exoriri: hinc solemnis sæculorum mos est speciali reuerentia honorare conspicuos, & rusticitatis incuria origine postponere claros. Nobilis, vbi æquitatis non obstiterit ratio, cæteris ad dignitatum culmina præferendus, vtpotè non solùm propriis; sed dignis etiam maiorum titulis exornatus: nobilem nasci fortunæ est, inter æquales præferri quodammodo deputatur iustitiæ, nec natalium potest despexisse splendorem, qui rationis oculis non orbatus, aut malignitate impeditus. Cùm tribus post longos certaminum sudores, prolixósque desertorum circuitus, post celebres de inimicis triumphos terram possessionis pertingerent, variæque tribubus sortes adsignari deberent, prudentissimus Iosue dignis sedibus Iudæorum Tribum ante alias quiescere decreuit, primámque sortem adscripsit. *Igitur sors filiorum Iuda per cognationes suas ista fuit*, &c. Huius primatus causam reddunt interpretes, Iudæorum scilicet gentem regia nobilitate micare. *Hic agitur*, scribit Lyra, Lyra.
de partibus assignatis singulis tribubus, & primo de assignatione terræ Tribui Iudæ, quia erat tribus regia. Prima telluris portio necessariò alicui adscribenda erat; aliæ tribus regia nobilitate non ornabantur, Iudæi hac prærogatiua fulgebant: ergo prudentissimus Iosue nobiliorem prætulit, ne rusticitatis incurrisset opprobrium, ni nobilitatis suspiceret priuilegium, iure námque nobilitas, ni virtus aliis inferior, partem sibi vendicat primam, quia sanguinis constat possidere excellentiam.

Ioathan, quò Sichimitas acriùs sugillaret, ipsísque stipitibus, ac truncis rudiores ostenderet, è montis verticè ænigma illud satis celebre de rege ab arboribus salutando depinxit: *Ierunt*, inquit, *ligna, vt vngerent supra se Regem,* Iudic. 9. v. 8. 41.
dixerúntque oliuæ: Impera nobis. Renuit illa imperium, vt sine obtrectationum nebulis splendorem seruaret semper illæsum. Tendunt ligna ad ficum, quæ eodem modo, ne spoliaretur dulcedine, imperium abiecit: ad vitem confluentes plantæ iterum tulere repulsam: denique rhamnum inaugurant, & lignorum sceptro exornant: *dixerúntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera super nos.* Quid Ioathan hoc ænigmate intenderit, haud difficile: nam cum Sichimitæ Abimelechum spretis Ierobaal nobilioribus filiis elegissent, adeò stultos emblemate ostendit, vt vel truncis hebetiores extiterint: trunci namque, cùm de salutando Rege cogitarunt, & nobilem oliuam, & antiquissimam ficum, vitémque generosam studiosè quæsierunt, nec senticosum ignobilémque Rhamnum elegissent, ni nobiliores plantæ imperium animitus detrectassent: adeò námque solemnis naturæ mos est nobiles anteferre, vt inanimæ plantæ non rhamnum; sed prius oliuam, ficum, vitémque consalutare studuerint: iam hunc ænigmatis fuisse scopum, docet Lyra: *Per oliuam, de qua exprimitur oleum, &* Lyra.
ficum, quæ habet dulcem fructum, & vitem, quæ facit fructum plurimum, intelliguntur alij filij Gedeonis, qui erant pingues in diuitijs, dulces in mansuetudine; & multiplicati in prole: per rhamnum autem, quæ est arbor vilis, intelligitur Abimelech, qui erat de ignobili matre. Itaque Ioathan ingeniosum excogitauit ænigma, quo assereret Abimelechum ignobilem rhamnum à Sichimitis electum nobilioribus plantis, nec à truncis fore prælatum, adeóque rationis antipodas Sichimitas existere, vt reiectis nobilioribus ancillæ filium gestiuerint ad dignitatis apicem eleuare.

42. Cùm Moyses detriumphato iam Pharaone populum duceret per desertum, Iethro Sacerdos Madian illi occurrit, eius felicitatem faustis iteratisque acclamationibus gratulatus, cúmque ibi animaduerteret Moysem omnium causas labore importunissimo iudicare, sapienter admonuit, vt dignitatem partitus partiretur etiam labores: *Prouide de omni plebe viros potentes,* Exod. 18. v. 21.
& timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, qui iudicent populum omni tempore. Placuit Moysi populóque

que consilium, elegitque nobiles ad dignitatum lumina possidenda: Ecquis hoc ait? Ipse quidem Moyses Deuteronomij 1. *Tuli de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos Principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac decanos*: Rogant Interpretes cur Moyses, aliis reiectis, elegerit nobiles, cùm in tanta illa multitudine ex omnibus potuerit eligere. Abulensis quæst. 7. ad caput primum Deuteronom, hanc quæstionem etiam proposuit: *Quare nobiles Moyses constituit Principes, potius quàm plebeios?* Respondétque: *Et hoc propter multa; quia magis noti sunt mores nobilium, quàm ignobilium; quia propter generis altitudinem famosiores sunt.* Liberum erat Moysi plebeios aut nobiles ad dignitatum apices elegisse; ille verò cælesti motione pulsus nobiles prætulit, quos virtute naturæque dotibus plebeiis non inferiores agnouit, quò optimæ politiæ regiminisque futuris sæculis formam præscriberet: inter æquales namque ingenio, sapientia, virtutéque semper nobilis præferendus in electoris, & electionis suffragium: quia nobilitas quamdam videtur ad virtutem necessitatẽ imponere, quandoquidem qui præclaris natalibus noscuntur oriri, renuunt sordidis moribus deturpari; pudétque committere erratum, cuius in maioribus nullum inuenire possint exemplum. Semper nobilitas de maiorum meritis venit, vnde veluti decoro fræno, ne peccauerint, cohibentur, qui nobilitatis titulis exornantur. Ergo Moyses nobiles prætulit, vt posteros edoceret: quod Iosue secutus exemplum primam telluris regali tribui sortem adscripsit.

Deut. 1. v. 15.

Abulens.

43. Matthæus Christi Domini genealogiam describens: *Liber*, inquit, *generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* Patres ferè omnes rogant, cur Matthæus seriem temporum non fuerit secutus; præcessit namque longis sæculis Abrahamus: ab illóque vtpotè generis radice generationis ducenda videbatur linea, ne inconcinna sugillaretur historia. Hieronymus hîc id factum putat, ne Abrahamus bis in illa serie repeteretur. *Ordo*, inquit, *præposterus; sed necessario commutatus: si enim primum posuisset Abraham, & postea Dauid, rursus ei repetendus fuisset Abraham, vt generationis series texeretur.* Chrysostomus profundiorem excogitauit causam, scilicet Dauidem regia emicuisse dignitate exornatum, ob idque vtpotè nobiliorem vel Abrahamo antiquissimo fuisse præpositum. *Altera ratio est*, scribit apud D. Thomam, *quia regni dignitas maior est, quam naturæ: nam etsi Abraham præcedit in tempore, Dauid præcedebat in dignitate.* Dauid regio exornatus sceptro, ac fasciis imperialibus redimitus, Abraham verò regia nondum nobilitate fulgebat clarus. Ergo dum series texitur, nobili antefertur nobilior, quò nos Euangelista doceret, vbi æquitas non refragatur, primas nobilitati concedendas, & antelationis prærogatiua exornandam. Non adæquandi sunt minus claris originis vena clarissimi, esset namque æqualitas inæqualis, ne dicam iniqua. Alexander cùm agilis, & expeditus cursus pernicitate superaturus omnes facilè crederetur, à patre incitatus est, quò ludis olympicis decertaret: renuit ille quasi eius nobilitati indecorum, si minus claris adæquaretur: audi Plutarchum in Apothegmat. *Alexander [illegible] cùm foret ac velox, atque à patre ad currendum ludis olympiæ stadium excitaretur.. Sanè, inquit, si reges habiturus sim aduersarios.* Visum est in nobilitatis maiestatisque probrum vergere, si vel in cursus carcere non adeò nobiles competitores haberet: renuit adipisci victoriam, quia componi minùs claris censuit suæ dignitatis iniuriam. Adde maiora obsequia nobilitati iure quodammodò naturæ deberi: quod vt ostenderet Christus Dominus, suisque nos informaret exemplis, aliter cum plebeiis aliquando hominibus, aliter se cum nobilioribus gessit.

Math. 1. v. 1.

Hieron.

Chrysost.

Plutarch.

Pater quidam sæuissimis doloribus lancinatus, eo quòd filium per ætatem puerulum, immaniter distorquebat dæmon, Christum dolorum depulsorem adiuit, tragicámque calamitatem exposuit: Christus Dominus eius incredulitatem sugillat, & remedium calamitatibus parat: non vt quidam, qui cùm medelam nullatenus morbis adhibeant, asperrimis verbis exulcerant, & deductis superciliis exasperant: *O generatio incredula, quamdiu apud vos ero, quamdiu vos patiar? affer te illum ad me.* Hîc ipse Dominus maria transfretat non videndi varias regiones curiositatis studio; sed ferendi medelam miseris desiderio: *Venerunt transfretum maris in regionem Gerasenorum, & exeunti ei de naui statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo.* Vides alterum dæmone obsessum adferri; ad alterum ipsum Dominum euolare. Et quæ discriminis causa est? Vterque intestinum malum patiebatur, vterque hospitis sui geniũ miserabili strage prodebat. Ergo aut vtrumque iubeat afferri, aut ad vtrumque decreuerit inuolare. Augustinus discriminis causam innuit, scilicet Gerasenum nobilem esse: *Vt intelligas*, scribit apud D. Thomam, *vnum eorum fuisse personæ alicuius clarioris, quem regio illa maximè dolebat.* Gerasenorum dæmoniacus clarior, & nobilior, cuius stragem omnes iniquè ferebant: alter puerulus, nec adeò clarus. Ergo ad nobiliorem tetendit, allatúmque plebeium curauit. Scio Augustinum ibi puerum cum dæmoniaco Gerasenorum non comparasse; sed animaduertisse à Marco Lucáque in Gerasenorum regione tantummodò commemoratum vnicum, cùm Matthæus retulerit geminum: cuius ratio est, à Marco Lucáque descriptum nobiliorem fuisse; alios verò integrum numerum obseruasse. Itaque cùm constet ex Augustino ad Gerasenum nobilem aduentasse, ad séque afferri puerum iussisse non absque ratione conicio honorem alteri præ altero exhibitum, non quòd Dominus mundialem fastum prætulerit; sed quò suis factis homines edocuerit, in causis scilicet æqualibus, vbi, nec iustitia vetat, nec virtus maior exposcit, nobiliores digna politica præferendos, ne optima reipublicæ constitutio patiatur iniuriam, si sanguinis, originísque cæcè prætermiserit excellentiam.

44.

Mar. 9. v. 19.

Mar. 5. v. 1.

August.

§. XI.

In superiore aut iudice æquitatis studium, consanguinitatis, adulationisque censetur sæpè suffragium.

QVidquid naturâ laudabile, vt proprio potitur honore, sic etiam maleuolentiæ sustinet 45.

net dentes, & æmulationis faces. Omnia bona suis sunt coniuncta cum fructibus; imò, & coniuncta sunt semper alienis cum detractionibus: verùm, etsi omnia oculis inuidentiæ noscentur, & maledicis obloquutorum linguis abrodantur; illa tamen inuidiæ plus patent, quæ à iudice quantumuis æquo, & superiore quantumuis probo patrantur. Semper actio iudicis improbis displicuit suspecta, & superioris probitas discolis videtur iniqua. Quidquid agunt, consanguinitatis amori vertitur: quidquid distribuunt, ambitionis voto applicatur. Multorum natura facillima est ad querelas, alij aliorum infuscant murmurationibus merita, vt sua tueantur errata: quæruntur omnia tribui consanguinitatis suffragio, aut adulationis studio, ne, dum interdicuntur ipsi dignitatis fastigio, denudati putentur merito. *Vt de vix solet reportari patientiæ silentium*, scribebat Cassiodorus iudicem alloquens 1. variar. 3. *voces tibi militauerunt laudantium: nouimus enim teste Tullio, Siculorum natura quam sit facilis ad querelas.* Mira res! iudicem adeò se probabiliter gerere, vt nec suspicionibus accusetur, nec obmurmurationibus impetatur. Et quidem licèt hoc vbique sit arduum, in patria sanè videtur plus difficile: nam aut parentela odia prouocat, aut inuidiam superiori conciliat. *Egisti te per cũcta iudicem tertium criminis expertem*, addit Cassiodorus, *nec inuidia quemquam deprimens, nec gratia blandiente sublimans, quod cum vbique sit arduum; tamen fit in patria gloriosum: vbi necesse est aut gratiam parentela prouocet, aut odium longæ contentiones exasperent.* Quidquid cognatis impenditur, ablatum cæteris æstimatur: si quid tribuitur extraneis, longæ oriuntur concertationes ex propriis. Subacta iam non modica promissæ telluris parte Tribus Iuda sortem concedi sibi deposcit: *Accesserunt filij Iuda ad Iosue in Galgala*, &c. Quid tunc Iosue? Partem prout fas iusque videbatur, Regali Tribui concessit. *Igitur sors filiorum Iuda per cognationes ista fuit.* Ioseph Tribus Iudæ Tribus secuta exemplum sortem etiam sibi dari efflagitauit, quod, & Iosue fecit. Itaque Tribus Iuda, Ephraim Tribus, & dimidia Manassè æquissimo sortis iudicio hæreditatis partes acceperant, cum aliæ ignauia sua sortem non rogarent; imò otio inertissimo oscitantes torperent. Quærit ergo Abulensis hic quæstion. 2. cur sortes cæteris tribubus non diuisæ, cum illis fuerint assignatæ: Respondétque quòd dum bella desudarent, solum Iudæ Tribus, Ephraim, & dimidia Manassè partes dari sibi petierint aliis tribubus id non curantibus: verùm ea est obloquentium malignitas, vt hanc Iosue æquissimam distributionem ambitioni verterint, aut cognationis amori adscripserint. *Respondebit aliquis fortè quòd hic fuisset obseruatio aliquis talis, scilicet quòd Iosue voluerit magis complacere filiis Iuda, quia erat honorabilior tribus: deinde dedit filijs Ephraim, quia ipse erat de Tribu Ephraim; postea autem dimidiæ Tribui Manasse, quia etiam pertinebant isti ad cognationem Ephraimitarũ, cum Ephraim & Manasses essent filij Ioseph, cæteris autem tribubus non curauit immediatè assignare possessionem.* Iosue æquitatis decus, & probitatis præconium ea egit, quæ ius fasque fieri postulabant; imò alios ignauiæ arguit, & ad hæreditatis sortes accipiendas stimulos efficaces satis iniecit; eas tamen linguas vel probatissimi iudices sustinere coguntur, quæ omnia cognationis facta obmurmurarint studio, & causentur distributa adulationis suffragio. Æquissimus Iosue has improborum criminationes vitare nequiuit, & quæ ignaui ipsi despexerant, aliis malè distributa affirmabant.

Cassiodor.

Ios. 14 v. 6.

Abulens.

Plurima Numinis oracula Moysis ab ore populus accipiebat: fides verbis meritò adhibebatur, & quem luminibus aspexerant cœlitus honoratum, fallaciæ nullatenus arbitrabantur suspectum; verùm cùm aliquando ambitionis temeritas vel metas transiliret audaciæ, Aaronémque non ad culmẽ dignitatis electum; sed ambitiosè causarentur intrusum, litem dirimere parat Deus, virgísque tributim acceptis eam electam docet, quæ, & vernantibus coronata micaret floribus, & saporatis ditesceret fructibus: *Quem ex his elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me querimonias filiorum Israel.* Verùm quid necessum est electum attestentur miracula, quando Moysis sufficerent testimonia? Si leges scribit, si edicta Numinis prodit, cur litem hanc discernere non valebit? Sanè quia fratris electio erat: adeò namque omnia à superioribus, iudicibúsque dispensata infamantur cognationis arbitrio, vt opus fuerit ad sedandas oblocutorum criminationes miraculo: quantumuis Moyses fratrem cœlitus electum assereret, pertinax inuidentium procacitas reclamaret. Ergo vt lingua malignitati occludatur, de omnipotentiæ thesauris miraculum vernans proditur. Adest Oleaster cap. 17. ad mores: *Ne quis diceret eum acceptare personas, voluit rem committere iudicio sortium: quoniam de his, quæ nobis sorte accidunt, non conquerimur; sed quisque patitur infortunium sortium æquo animo. Vt ergo omnes scirẽt Aaronẽ sacerdotium sorte adeptum fuisse, voluit omnes in virga suam experiri fortunam.* Moyses vt erat æquissimus, ea solùm Dei nomine proferret, quæ Numen ipsi dictaret: nec ad Aaronis electionem consanguinitatis delusus adurgeretur fascino; sed mero alliceretur æquitatis studio: verùm sic iudices superioresque improborum obmurmurationibus denigrantur, si cognatis quid quantumuis benemeritis, adscripserunt, vt, ne Moyses temeritatis deuenustetur audacia, electionem miraculo comprobarit omnipotentia. *Ne quis diceret eum acceptare personas, voluit rem committere iudicio sortium.* Imò putaris excellentius quodammodo miraculum occlusas oblocutorum tacuisse linguas, quàm repentè productos flores, conditas amygdalas, virgámque omni venustate excultam, & grato virore ornatam: sæculis retrò inuisum miraculum à Deo Aaronem testabatur electum; se nouum miraculi genus fuit in miraculum ipsum linguam maliloquos non armare; sed floribus ac fructibus credere.

46.

Num. 17. v. 5.

Oleaster.

Cùm Deus Saulem impuritatis spiritibus inseruientem sceptris mulctare decreuisset, Dauidémque miris virtutibus exornatum sceptris regalibus adaptasset, Samuëlem ad vnctionem parari iubet: *Imple*, inquit, *cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi regem.* Deus adolescentem tegit cum Propheta de Propheta locutus:

47.

1. Reg. 16. v. 1.

cutus: Vidi, ô propheta, inquit, animam gratiæ recepttricem, adoleſcentem non vti Saul iniquis ſpiritibus famulantem; ſed virtutibus aduerſus ætatis conſilia fideliter inſeruientem: ornauit figmentum meum rebus benè geſtis, gratiam fœcundam actionum dignitate monſtrauit, & quàm eius cordi virtutis ſtudium fuerit, oſtendit. Profectò arcanum aliquod ſuſpicantur Patres in hac procreandi regis occultatione: nam ſi Samuel ad regnum eſt electurus, quid intereſt Dauidem nouerit? aut quid intereſt Numen celarit? Profectò ipſo ſilentio non ſolùm prouidebat eligendo; ſed electori; imò, vt Baſilio Seleucienſi placet orat. 14. electio perfecta eſt non tam prophetæ arbitrio, quàm olei ſtupendo miraculo: Ne quis diceret Samuelem aliqua familiaritate motum, alicuiúſve commodi ſpebus allectum Dauidem ſceptris exornaſſe, ita eligi voluit, vt vel iniquis animis omnem ſuſpicionem ademerit. Cùm propheta Dauidē ignorauerit, cúmque fluxa olei natura ſurſum, quantumuis cornu inuerteretur, detenta, electio fauori tribui non poterat, gratiæve humanæ adſcribi nequibat.
Seleuc.
O ſapientiam immortalem (Baſilium audis) *ô arcanam miraculi editionem! & filium tegit: non clarè dixit: Vngatur mihi rex David; ſed prouidi in filijs Iſai: ne enim humana videatur eſſe gratia vnctio, néve electio Samuelis regni adiectio.* Si Samuel Dauidem agnoſceret, ſi electum ad regiæ dignitatis ſolium præſciret, eius vnctionem fortaſsè quis infamaret, ac ab ambitione, adulationeque fuiſſe profectam aſſereret: ergo dum Numen eligendi nomen arcanè texit, & electoris honori prouidenter conſuluit; imò miraculo electionem adſcribi voluit, quò prophetam ab omni ſuſpicionis nota liberaret. *Cornu inuergens reiectaneum*, addit Baſilius, *vt vngeret cogebat; ſed oleum fluere recuſabat.* Accedebant fratres, & propheta naturæ ordini parens eligere feſtinabat; ſed ipſe ad ſpeciem error electori, & eligendo vtiliſſimè conſulebat: voluit Deus teſtatum omnibus facere Samuelem Dauidis prorſus inſcium ad thronum delegiſſe, quò iniquis linguis omnes obmurmurandi cauſas præcideret, ne quis Samuelem aut cupiditate motum, aut ambitione aliquomodo allectum temerè adſereret: is namque eſt hominibus de iudice ac ſuperiore obmurmurandi pruritus, vt miraculum nequaquam fuerit ſuperfluum ad cohibendum detrectationis delirium. *Non clarè dixit: Vngatur mihi rex David; ſed, prouidi in filijs Iſai: ne humana videatur eſſe gratia vnctio, néve electio Samuelis regni adiectio.* Ergo Ioſue ſortibus hæreditatem adſignat, ne dum fauori adſcribitur electio, honoris euaſerit imminutio.

48. Ionathas fœderis memor Dauidis cauſam modeſte tuebatur; verùm ea eſt cæcitatis malitia, vt defenſio non fuerit æquitati adſcripta;
1 Reg. 20. v. 30.
ſed affectui applicata: *Iratus Saul aduerſus Ionatham dixit ei: Fili mulieris virum vltrò rapientis, nunquid ignoro quia diligis filium Iſai?* In Principe æquitatis infamabatur affectio, putabatúrque Dauidem defendere non ob iuſtitiæ legem; ſed ob amoris paſſionem. Certe tutabatur cauſam; quia conſulebat æquitas; ſed æquitas putabatur procacitas: ab affectionis ſtudio infamabant defenſionem profectam, non à iuſtitiæ legibus ortam: *Diligis filium Iſai:* Quaſi dicat: non tutaris iuſtitiæ cauſam; ſed improbi amoris amentiam: ſic ſæpè ſæpiùs de magnatum actionibus iudicatur, ſic vel honeſtiſſima actio affectioni tribuitur.

---

§. XII.

Qua quis aut vitijs ſubiectus, aut impetitus, ea parte præcipuè inuigilare debet armatus.

OMnia vitia veluti facto impetu copioſáque tētationum manu in animum irruunt, 49.
nec ſemel captiuum ducunt: inanibus irretimur, peſtilentibus venenis hiamus, alium tenet inſanus turpitudinis amor, alium laborioſa vexat ambitio, alium inextinguibilis nummorum adurit ſitis. *Quid tu accidere his moribus credis,* Senec.
ſcribit Seneca epiſt. 7. *in quos publicè factus eſt impetus?* Impetu in nos effrænatæ paſſiones irruunt: obſident cupiditatis deliria, & premunt ambitionis negotia; verùm licèt vitia omnia
In bonos mores impetus publicus fit.
extimeſcenda prudenti ſint; ea tamen præcipuè, quæ præ aliis infami colla noſtra depreſſere iugo, deteſtandóque ſubegere preſſa ſeruitio: tunc enim, licèt ſemel abacta, aut infirmiorem ea parte inueniunt animum, aut fortiorem appetitum. Qui diu libidini addictus, ad pulchræ formæ conſpectum facillimè flabellatus, iterum inardeſcet, pernicioſóque aduretur incēdio. Qui auaritiæ quantumuis aureæ ſubdit colla catenæ, ad nummorum conſpectum æquitatis iura diſrumpet, in vindictam pronus oblata occaſione facilè inſano furet correptus odio. Ergo prudens, licèt omnes animi affectus præmuniat; illos tamen præcipuè obarmat, quos auxiliares præcipuè expertus eſt inimicos contrarios Domino. Antigonus, cum Philippus iuuenis pulchras mulieres deperiret, apud viduámque tres filias eleganti forma habentem excipiendus eſſet hoſpitio, pulchellas iuſſit longiùs abduci, ne de aſpectu libidinis flamma tunc ſopita iterum inardeſceret flabellata. Refert Plutarchus in Apophtegmat. Plutarch.
Contendente iuuene Philippo diuerſorium ſibi aſſignari apud mulierem viduam, cui filiæ tres ſpecioſæ erant, vocato qui ſ. per hoſpitijs erat: Educes ne, inquit, iſtis ex anguſtijs filium meum? Curauit prudens pater, ne filius apud pulchellas haberet hoſpitium, veritus, ne antiquum ſuſcitaretur incendium. Prauo obuiauit affectui, ne ſubiaceret Philippus caſui. Ioſue etiam cùm promiſſæ terræ ſortibus portiones diuideret, Iudæorum tribui præ aliis ſanè bellicoſæ meridionalem partem adſcripſit: *Initium eius à ſummitate maris ſalſiſſimi, & a lingua eius, quæ reſpicit meridiem.* Cùm omnia etſi ſorte, fuerint nihilominus prouidentiſſimè diſtributa, quærunt interpretes, cur Iudæorum tribus hac præ aliis parte locata? Lyra exiſtimat partem illam proximiorem Ægyptiis, quorum iugo longis interuallis populus inſeruierat ſubiectus, & laborarat afflictus: ideóque bellicoſiori illam partem agmine præmuniſſe, ne iterum facilem Ægyptij inuenirent aditum, antiquúmque tentarent recuperare dominium. *Hoc dicitur*, ſcribit Lyra, Lyra.
adſignandum, in quo ſitu ſors Iudæ fuerit, reſpectu aliarum ſortium; quia fuit in parte meridionali terræ promiſſionis, ad quam partem erant Ægyptij eorum aduerſarij, vt ſic tribus Iuda,

Iuda, quæ erat bellicosior cæteris, parata esset resistere eis. Fors hostes alij adæquè ac Ægyptij pollebant viribus: fors armorum magiis periti, & plus bellis forsitan exercitati; at quia semel populus Ægyptiis subiectus, ea parte præ aliis muniebatur armatus. Vitium multis temporibus inuisceratum im morem transit, & vel expulsum animum relinquit imbecillum, & in antiquam ægritudinem labi exprompturn: ea ergo parte solicitiùs præmuniendus, & accuratiùs armandus. Si quis magnanimus, & libidinosus, quantumuis proritet pecuniarum cupiditas, non adeò facilè allicitur, quia nummos generosè aspernatur; at si luxuriæ proritet occasio, faciliùs tentationi succumbet, & manus pellaci aduersario dabit: prouidentissimus ergo Iosue, quà irruere valebant Ægyptij, iubet armentur milites bellicosiores, veritus, ne praua seruiendi consuetudo Ægyptium non recusauerit iugum, & acquisitum amittat imperium.

50. Sanctus Iob patientiæ columna, & diuinæ gratiæ decus, cùm inter tot turbines tantisper ad speciem linguæ gubernaculum amisisset, actus pœnitentia, sic ait: *Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? Manum meam ponam super os meum: vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem, & alterum, quibus vltra non addam.* Et cur labia tegat, quæ ab inimico seruabantur illæsa, nec tegere potiùs curet, quæ membra vermibus, & fœtoribus maculata? Ad hæc, si linguæ lapsus firmo emendauit proposito: *Quibus vltra*, inquit, *non addam*; cur manum veluti custodem silentij apponat? *Manum meam ponam super os meum?* Aptiùs super oculos, ne, & defluentem corpore videret saniem, & regium sterquilinio commutatum contemplaretur honorem: visum ergo superposita manu arceat, ne vlcerum dolorem irritauerit inspecta calamitas, sed ignorata mitescat aduersitas, ora non presserit dextera quæ solum vlceris carebant iniuria. O eximiam perfecti viri prudentiam! Iam cum oculis fœdus percusserat, ne de virgine cogitaret: iam cum vlceribus pepigerat, ne patientiam, vt carnem attaminarent; at lingua inueniebatur leuitate tantisper attaminata, & reprehensioni subiecta: ibi ergo præcipuam apposuit custodiam; quia ibi aliqualem senserat culpam. Credidit faciliorem linguæ lapsum, vtpotè quæ aliqualem iam admisisset defectum, quasi de macula manserit debilitata, & noxia quadam procliuitate iterando lapsui subiecta. Opportunè Gregorius lib. 32. moral. cap. 2. *Ac si dicat: sermonem meum defenderem, si hunc cum rationis pondere protulissem; at postquam lingua leuitate vsa conuincitur, quid restat, nisi vt conticendo refrænetur? sequitur: Manum meam ponam super os meum.* Leuitate vsam manu constringit, innoxios oculos constanti firmarit proposito; polluta verò ora, & firmo munit proposito, & manus præmunit auxilio.

51. Sponsus, vt pulchritudinem dignis elogiis commendaret sponsæ: *Nasus tuus*, inquit, *sicut turris Dauid, quæ respicit contra Damascum.* Quærunt studiosè Patres in hac contra Damascum oppositione latens mysterium. Theodoretus putat gentem illam tunc imperio impietatis vigere, & Iudæos malignis artibus diuexare; ideoque sponsam, ne illa parte impetita succumberet, adamantina turris fortitudine se hostilibus copiis opposuisse; aliquando sub Damasci impietate vixit, ideo accuratiùs Damasci impietatem satagit impedire, & à se prorsus arcere. Aptè Theodoretus ad hunc locum: *Auferet Damasci fortitudinem, scilicet puer natus, hoc est idololatriæ robur euertet, & ipse captiuis sub diaboli potestate constitutis potietur; Auferet enim*, inquit, *fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ, id est, Iudæos gentilésque liberans, & ab erroribus abducens deuicto tyranno in suam rediget potestatem.* Attendenda quæ subdit: *Meritò igitur ad sponsam ait: Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit faciem Damasci: prospicis enim, ne diabolus sub specie rerum diuinarum te decipiat, & pro veritate mendacium obtrudat.* Obtrusit diabolus sæpè sæpiùs pro veritate mendacium, Iudæísque ac gentilibus diuinum suasit idolorum cultum. Ergo Ecclesia per Christum Dominum ex Iudæis, gentibúsque collecta, se in Damasci idololatriam, tantò studiosiùs obarmat, quantò se antiquitus idolorum erroribus minimè subiectam ignorat: idololatriæ erroribus olim seruiebat ligata, modò mediante gratia viget soluta, ideò studiosissimè in omnem prorsus idololatriæ speciem turris ædificat munimenta, quia lapsus ibi frequentiora nouit pericula. Damascum solicitis in excubiis prospectat, & eam partem peculiari studio munit: quia idololatriæ aliquando subiectam fuisse cognoscit. O vtinam qui frequentes in aliquo vitio lapsus sustinuimus, remedia speciali cura prouideremus; verùm ea est perniciosa hominum ignauia, vt speciale nullatenus specialibus vitiis adhibeant medicamentum, aut à solertia, orationibúsque cæleste asciscantur auxilium. Sponsa, quia se idololatriæ culpis aliquando defœdatam cognouit, & turris contra idololatriam fortissima propugnacula erexit. Et cur hoc studium non erit virtuti, quando constat inesse fraudi: adeò peruersi homines delinquendi desiderio capiuntur, vt qua parte suspicari possunt virtuti patuisse aditum, cōgerant peruersitatis impedimentum.

Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter. 52. Tangit Propheta tragicum Saulis delirium, & producendi calamitatem ambitiosissimum desiderium: repetamus historiam. Saulis animum nactus dæmon mente alienabat, suæque tyrannidis notas vel ipsa facie prodebat, oculi obturbabantur, obrigebant digiti, collidebantur artus, & tota se corporis concussione vexabat: commiserandum erat spectaculum rex exteriùs placidè purpureus; interiùs tamen sæuè distortus: tanto malo à seruis procuratur remedium: è pascuis Dauid adducitur, qui melos vice medicaminis malum leniens regem rationi restituat: *Quandocúmque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.* Lyra, & psalmus erant in dæmonem arma, & auris cantionem excipiens animo communicabat medelam, & dæmonis frænabat audaciam. Quid tunc? Saul ipse morbi studiosus adeò calamitatem exambiit, vt in medicum telum contorqueat, periculóque perterritum longiùs exulare compellat.

Iob 39.v.34. Gregor. Cant 7 v 4. Theodor. Psal.57.v.5. 1. Reg 16. v.23.

1. Reg. 18. v. 10. lat: *David psallebat manu sua sicut per singulos dies, tenebatque Saul lanceam, & misit eam putans quod configere posset David cum pariete, & declinauit David à facie eius secundò.* Ecce psallentem abigit, ne cantione deliniatur malum, quod vt egregia similitudine diuinus Psaltes depinxerit, serpenti aptissimè comparauit: Euthym. *Aspis, & illa potissimum, quæ Palamnea appellatur*, scribit Euthymius, *certis id coniecturis prænoscens, obstruere aures suas solet, atque hoc pacto eorum artes euadere ... commodè verò serpentis, & aspidis exemplum adducit, cùm Saul, & irasceretur vt serpens, & obsurdesceret velut aspis, cùm blandos ac mellitos beati Dauid sermones sperneret, quibus tanquam suauibus quibusdam, atque efficacibus carminibus emollire illum, ac delinire contenderat.* Ecce peruersæ studiositatis ænigma: quia Saülis auris cantionis recipiebat medicamentum, illi parti obturationis accuratiùs opposuit obstaculum, studiosiùs autem surditate præmuniuit: quia carminis medicinæ aurem patere cognouit: adeò egregiè improbus, adeò studiosè peruersus, vt quo malum produxerit, medicaminis instrumentum ad instar serpentis obstinata surditate, & malitia artificiosa obturauerit. Ergo meus Iosue adæquè virtute eximius ac Saül ambitiosa malignitate peruersus, eam partem armatorum præmuniuit agminibus, quæ illorum faciliùs patere nouit adsultibus.

53. Abactus Domini potentia dæmon loca inaquosa frequentat; verùm antiqui hospitij amor inuisendi illud curiositatem allexit: inuenit domum scopis mundatam, & ornatam, fortunæque suæ gratulatus alios septem spiritus secum nequiores assumit, & ingressi habitant ibi: ita Euangelista Lucas cap. 11. Luc. 11. v. 26. *Vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi.* Et cur improbus dæmon antiquum solus non occuparit hospitium? cur septem furiis, séque scelestioribus muniit? O argutam cæcitatem! ô peruersitatem astutam! nouit inde abactum, & ideò vires maiores adhibuit, ne iterum pateretur exilium. Cor hominis, quia aliquando aditum luci præbuit, tetris adeò tenebris circumfudit, vt quantum nequitiæ, & peruersitati licuerit, iterum amittendi nec solicitetur timore, nec torqueatur Chrysost. recuperandi anxietate. *Tunc*, scribit Chrysostomus apud D.Thomam, *aderat eis, Iudæis scilicet diuina prouisio; & gratia Spiritus sancti; nunc verò etiam hac cura priuantur, propter quod virtutis maior penuria nunc, & ærumna asperior, & dæmonum excidio sæuior.* Ne iterum amiserit, timor sic peruersam malignitatis prouidentiam exacuit, vt iam non vnus Spiritus diuersorium occupet; sed aliis septem præmuniat. Disce ergo à malitia viam occludere vitiis, & quibus aliquando culpis frequentiùs subiectus, resiste solicitiùs armatus.

§. XIII.

Laudabilis prouidentia non solùm inimicorum vicit adsultus; sed industriè anteuertit etiam conatus.

44. ALexander, cuius admiranda sæculis dexteritas, cuius orbem occupauit felicitas, dum instruerentur acies, militem conspicatus hastam tunc parantem iussit ab exercitibus exulare, vtpotè improuidum, & ignauum: testatur Plutarchus in apophtegm. Plutarch. *Arma antè pugnam paranda.* *Dum instruitur acies, conspicatus militem quemdam, qui iaculum amentaret, exegit eum vt inutilem aciè, qui pararet arma tunc, cum eis esset vtendum.* Docuit bellicosus Imperator satis non esse euertere inimicorum adsultus; sed anteuertere ausus: si miles ille hostem deuicisset, coronaretur lauro fortitudinis audacia, subiret tamen notam prudentia. Virgines illæ apud Matthæum stultæ oleum coëmisse videntur, aut saltem sine oleo reuersæ non referuntur; dignissimam tamē sunt passæ repulsam, quia somnolentā improuidè produxerunt ignauiam: armari opus est, non solùm vt hostem vincas; sed vt deterreas: decentiùs vicit, qui hostes, ne consereuerint manus, prouidenter abegit: qui in arenam descendit, etsi vicerit feliciter aduersarium, aliquale tamen subiit periculum. Qui ante certamen hostem cōpulit terga vertere, didicit, & gloriosus triumphare: accrescit laus partæ ante conflictum victoriæ, si hostis terrore deuictus manus conserere detrectauit; qui congreditur, possibilem sibi arbitratur victoriam; qui ante certamen terga vertit, nullam fassus est contingentiam, robur est confessus inuictum, qui se certamini, ne periret, subduxit: itaque gloriæ pars est arena non vincere; sed hostem, ne in arenam descenderit, cogere: *Vt illic quisquis ab igne proprior stetit*, scribit Seneca Senec. *Tristitiam facit quæ alij pertulerint, pati posse.* epist. 75. *de fulminis subiti casu percusso similis obstupuit: sic in hic per aliquam vim accidentibus vnum calamitas opprimit, cæteros metus, parémque passis tristitiam facit pati posse:* felicitatem interpellat discriminis metus, nec pleno fruitur gaudio, qui se fortunæ expositum agnouerit telo. Hinc prouidi magnique viri ita prouidenter contra fortunam armantur, vt se non tantùm fortuitis exemerint casibus; sed & casuum discriminibus. Adest Iosue, qui cùm sortes tribubus diuideret, Iudæorum gentem primam collocauit: *A termino Edom, desertum Sin contra meridiem, & vsque ad extremam partem australis plagæ initium eius à summitate maris salsissimi.* Cur tribum hanc primis sedibus collocarit, rogant interpretes. Abulensis q. 2. bellicosiorem tribum ea considere voluisse parte testatur, vt hostes nullatenus pacem interturbare præsumerent. Abulens. *Fuit factus iste modus diuisionis, quia tribus ista duæ erant multum bellicosæ, & ponebantur in lateribus, à quibus poterant venire hostes.* Inutilis ad speciē cura: nam si fractis iam aduersariis, regnisque depulsis generalis tranquillitas efflorebat, parum interesse videbatur, si bellicosior, aut imbellior tribus locaretur; iam terram cessasse à præliis, dilucidè asseruit textus: *Terra*, inquit, *cessauit à prælijs.* Si ergo nec Iosf 14. v. 15. prælia desudabant, nec arma inimicorum vllatenus perstrepebant, cur Iosue adeò accuratè meridionalem partem communit, bellicosisque agminibus cingit? O prouidentiam heroe dignissimam! Contentus non est inimicorum copias subiugasse, vicisse adsultus, ni frænarit ad præliandum iterum ausus. Cauit ne hostes irruere possent: esset namque, vt aiebat Seneca, felicitatis næuus exponi periculo, quantumuis micuisset triumpho: *Parem passis tristitiam facit pati posse.* Ab hostibus abstulit non solùm quæ ceperant arma; sed, & iterum arma prensare

prensare posse: aciem bellicosam instruxit, non aduersus hostes, qui tunc essent; sed ne pacem tranquillitatémque interturbare potuerint hostes: non solùm illos depulit in exilium; sed spei futuri aliquando certaminis eripuit etiam solatium. *Istæ duæ tribus erant multum bellicosæ, & ponebantur in lateribus, à quibus poterant venire hostes.* Poterant, ni bellicosæ tribus illic collocarentur; at locatæ non solùm potiebantur victoriam, sed prouidenter refrænabant audaciã.

Postquam Adamus vetitæ arboris cupidus serpentinóque flatu obcæcatus paradisum temerauit, Dominus delinquentem exterminat, nec contentus est exterminare raptorem, ni repres-
Gen. 3. v. 24. serit etiam audacem: *Eiecit Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Ecce Dominus, vt mores instruat, contentus non est inimicam depulisse culpam, ni culpæ etiam repressisset audaciam: culpæ obturat vias, ne vel impia manus possit audere, si iam inceperat temerare. Adest Chry-
Chrysost. sostomus apud Lippoman. *Nec absque causa addidit versatilis ille; sed vt doceat nos quod omnis via illò ducens præclusa sit, eò quod gladius ille, dum versatur, obturet, & præmuniat omnes vias, quæ illuc ferunt, vt continuam memoriam & timorem incutere illi possit.* Exilio puniuit culpam, gladio cohibuit audaciam, vt iam ignea arma euenerterẽt iniquitatis studia. Consonat Theo-
Theodor. dorus apud Lippoman. *Cherubinos dicit quasdam formas animalium horrificas non mediocriter aspicientes terrentes, ne aliquando, qui iam exilio mulctatus iterum in paradisum auderet irrumpere:* gladius flammâ ab studio conatur auertere, vt videas & punitos culpæ adsultus, & vel futuros repressos ausus. Adde non solùm hostilem reprimendam audaciam; sed ad cumulatiorem victoriæ laudem eneruandam prorsus potentiam.

56. Cùm Christus Dominus hominem dæmone obsessum liberasset, furens plausu obcæcabatur inuidia, clarissimúmque eximiæ virtutis testimonium in fraudis conuertebat indicium. *In*
Luc. 11. v. 15. *Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* O peruersitatem obcæcatam! ipsum remedium infamant morbum, qui hiabant ad morbum, quasi ad remedium: tunc Dominus fortem armatum à fortiori testatur victum; non tamen eam sibi victoriam exertè adscripsit; sed se fortioris cuiusdam nomine texit. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet; si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Vides se communi nomine tegere, eximiè fortis scilicet: transi mecum ad Ioannis 12. vbi dilucidè se Principem mundi huius foras asserit depulsurum, omniáque in victoriæ præmium sibi in posterum pos-
Ioa. 12. v. 31. sidenda: *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras; & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Inquiramus, si placet, cur adeò exertè hanc sibi victoriam adscripserit: ait enim: *Et si ego exaltatus fuero*, cùm ibi nomine suppresso fortem deuictum retulerit: Plura alij venabuntur mysteria; ego sic instituto adapto: scilicet nomen alibi celasse; quia quamuis dæmonem hospitio depulerit, reuertendi tamen potentiam non abstulit; imò iterum assumptis nequioribus spiritibus violenter irrupisse testatus est: *Vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi*; at morte sua non solùm tulit victoriam; sed inimici prorsus fregit potentiam: adeò inimicus Christi sanguinis naufragio periit, vt in antiquam nullatenus valeat potestatem redire. Ergo Dominus primam illam victoriam, vtpotè qua vires inimici prorsus non fractæ, expresso sibi nomine non adscripsit, aliam verò, quia iam hostis penitus subiugatus, sibi dilucidè vendicauit. Depulso forti non manebant antiqua vasa; manebat tamen reuertendi potentia; ideò fortioris nomen potulit; sed arcanè proprium suppressit; at quia post mortem suam, nec antiquum imperium, nec recuperandi facultas remanserat inimico, nomen suum gloriosè prodidit, & dignissimo triumpho impressit. *Ego video*, scribit Theophylactus, *& foras eiecto, & re-* Theophyl.
sectis neruis potentia eius contra homines, traham etiam nolente illo: id alio loco etiam rapinam nominauit: nullus enim, inquit, potest vasa fortis diripere, nisi alliget fortem. Itaque miraculo dæmon est ligatus; sed morte resectis neruis potentiæ attritus; ergo se communi aliis nomine tegit, cum reuerti potentem ligat, se verò prodit dicendo: *Ego traham*, cùm non solùm ablata vasa; sed & detrita est potentia. *Eiectus foras dicitur*, scribit noster Maldonatus... *itavt si ho-* Maldonat.
mines vellent, nihil prorsus in ipsos haberet potestatis.

Lazarus pestilenti morbo corripitur, quin 57.
medicorum profuerint studia, quin medicamentorum auxilia, quin florentis iuuentutis ætas torosa, quin sororum iuuerint solicita obsequia. Aduentauit Christus, vt incredulos resuscitaret in fide, dum quatriduanum donaret luce: sepulchro proximus lachrymas humanissimus fundit: *Lachrymatus est Iesus.* Cuius lamenti cau- Ioa. 11. v. 35.
sas adæquè ingeniosi ac pij venantur interpretes. Chrysologus serm. 64. existimat lachrymas testari gaudium, quod ex generalis memoria resurrectionis capiebat: fremitum indicare dolorem, quia Lazarum morti iterum soluturum tributum caducam reuocabat in vitam: *Illius* Chrysost.
lætitiæ recordatione lachrymauit, qui voce sua voce vna omnes est mortuos perpetuam suscitaturus ad vitam: fremit spiritu, & tota se viscerum commotione conturbat, quia adhuc solùm Lazarum, & non iam omnes mortuos suscitabat. Suscitat Lazarum; sed iterum moriturum, aufert à morte spolium; sed non aufert exinceps instaurari posse prælium: hæc ergo victoria non adeò singularis, vt gloriæ cumulo toto resplendeat; voce tamen omnes suscitare ad vitam, quæ iterum nesciat occasum, quæ putridum ignoret sepulchum, victorem testatur eximium, vtpotè qui non solùm tulerit ab hoste prædam; sed æternùm tumularit audaciam: *Illius lætitiæ recordatione lachrymauit, qui voce sua voce vna omnes mortuos perpetuam suscitaturus ad vitam.* Hanc Dominus lætus ostentat victoriam, mortem scilicet adeò funditus euertisse, vt in homines iterum nequeat audere: *Perpetuam suscitaturus ad vitam.* Ingens sanè miraculum è sepulchri faucibus quatriduanum Laxarum eripuisse, abigere vermes, prorsúsque depulisse fœtorem; verùm dum adhuc mors arma in Lazarum valet capere nescit triumphus plena laudis luce fulgere.

Pharao ille nequissimus improbis artibus 58.
Hebræorum

Hebræorum gentem accidere aggressus est: generationis fuctus aquis obliterandos condemnat, nondum pueri iubar solare contuiti, & iam miserandam stragem passi, fluuius recèns natorum carnifex constituebatur: viri flagellis proscissi à ministris in perniciem natis lamentabantur, erátque dignissimâ commiseratione calamitas, quin humani auxilij spes dolorem leniret, acerbitatémve temperaret; verùm iustitiæ oculus, quamuis suos pati tantisper permiserit, nullatenus prorsus despexit; imò Moysem virga miraculorum officina obarmat, & in tyrannum delegat: Moyses populum deposcebat exolui, Pharao, quia nec simulata à ratione poterat adsciscere auxilia, fraudulentus refractariúsque efflagitauit miracula: Moyses & Aaron elatam priùs virgam proiiciunt, ne fraudem aliquam latere causarentur aduersi: viga vt solùm attigit, draconis induit naturam, & flammiuomis oculis, ne morsu feriat, conatur vincere pertinaciam. O quàm Numinis probabatur virga, quæ missa est prius deterrere, quam lacerare! Pharao Sophistas Magósque vocat, qui ad speciem Moysis imitantur virtutem; verùm Moysis draco arrecta ceruice Magicos dracones quasi obiectos pisces vndequaque peritos absorbuit; neque adeò miris portentis peruicacia deuicta: imò opus fuit iterum in aquam, vt in arenam descendere, & rubeo etiam colore inficere: tandem icta terra baculo sciniphum produxit examina: magi idem tentarant efficere; sed casso studio, & irrito penitus artificio: *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, vt educerent sciniphes, & non potuerunt, eratque sciniphes tam in hominibus, quàm in iumentis, & dixerunt malefici ad Pharaonem. Digitus Dei est hic.* Exploremus, si placet cur hic Domini victoriam proclament, digitumque vel inuiti agnoscant, cùm toties deuicti, nec confessi agnouerint, nec agnoscentes laudauerint. Draco Moysis illorum dracones penitùs deglutiuit: ergo conuicti Numinis virtutem agnoscant, ne suo iterum discrimine sentiant. Ecqua huius discriminis causa est? Attende vt noscas diuersitatem: Draco deglutiuit dracones, fraudulentissimæ artis imposturam ostendit, à magis tamen non abrasit potentiam: iterum namque in pugnam descendunt, iterum oculos specie fallunt; hic tamen non sunt illorum opera victa; sed ipsi victi sunt ne confingere possent opera. *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, vt educerent sciniphes, & non potuerunt:* cùm ablatam senserunt prorsus potentiam, Deo dignam prædicauere victoriam: *Digitus Dei est hic;* quasi partus antea triumphus potuerit videri humanus; hîc verò clarissimè agnoscatur diuinus. Aptè Augustinus in quæstionibus super Exodum quæst. 25. *Quod dixerunt Magi ad Pharaonem: Digitus Dei est hic, quoniam non potuerunt educere sciniphes; senserunt profecto, cùm artium suarum nefariarum scirent potentiam, non talibus artibus, velut potentior in eis esset Moyses, suos conatus fuisse frustratos, vt non possent educere sciniphes; sed digito Dei, qui vtique operabatur per Moysem.* Antea se Moysem putabant artibus illis excellentiorem; videbant fraudes suas superari; quia tamen superati adhuc quibant repetere, & iterare, nondum iniquam ab animis suspicionem abiecerant; at modò, quia non solùm victa impostura; sed ne imposturam fecerit, fraudulenta auferebatur potentia, se clamant penitus victos, cùm se antea perfectè non putauerint superatos: est namque victoriæ cumulatissima laus non solùm ab hoste reportasse victoriam; sed certaminis abstulisse potentiam.

Exod. 8. v. 18.

August.

---

§. XIV.

Quo quis Dei laudibus, contemplationique studiosiùs impenditur, & proximis vtiliùs sacratur.

MEntis lux actionum gubernaculum est, & 59.
quidem qui per marinos vortices, & procellosos vndarum sinus scapham aurigare sine discrimine anhelant, oculos continuè ad sydera attollunt, & dum attentiùs astra contemplantur, nauigantes ad optatum portum securiùs ducunt. Ad rem Basilius Seleuciensis orat. 8. *Longa maria traycientibus ad cursum regendum pro tessera sunt astrorum vndequaque splendentium motiones, & gubernator incumbens gubernaculo tollit in cælum oculos, astrorum motibus aurigans nauim, cursúmque per mare cœlesti lumine contorquens fertur in portum.* Ægre inter confusas noctium tenebras obscuratásque tenebrarum caligines scapham per viam sine via aurigaretur secura, ni ad cælum oculos continuò sustulisset proreta. Itaque feliciùs nauigantes portum appellunt, dum gubernatoris oculi lumina cœlestia studiosiùs respiciunt. Leuare ad sydera aspectum non est inerti indulgere otio; sed aduersari naufragio. Theodohadus Iustiniano Imperatori scribens, tunc feliciùs testabatur gubernationis explere munera, cùm vel per litteras salutifera miscebat colloquia, quasi de tanto Imperatoris eloquio & reluminaretur prudentia, & gubernandi incrementaretur peritia: *Constat*, inquit 10. var. 15. *desiderium nostræ voluntatis expleri, quoties ad pietatem vestram salutiferas apices contigerit destinari: quia semper felici gaudio repletur, qui vobiscum syncera mente colloquitur:* quò regale munus perfectiùs posset implere, ac rempublicam pacatissimè gubernare, Theodohadus cum summo miscebat Imperatore colloquia, quasi de eius affatu & mentis reluminaretur oculus, & vires hauriret affectus. Itaque tunc credebat munus cumulatiùs impleri, dum licebat Imperatorem tantùm affari. Ob id fortassis Iosue ad apices dignitatis Iudæorum tribum designat, quia Iudas ex ipso nomine laudis ac contemplationis sortitur vocabulum, & prodit felicitatis auspicium: *Sors filiorum Iuda per cognationes suas ista fuit*, &c. Prima sors adscribitur Iudæ, vtpotè Deum allaudanti & confitenti: quia illa proficuè ad apicem dignitatis assumitur, qui vel ipso nomine contemplationé testatur. *Per Iudam exponit.* Glossa moralis; *qui interpretatur confitens siue laudans potest intelligi bonus Prælatus sæcularis vel religiosus, qui de confessione laudis in obsequio diuino debet esse solicitus.* Ad regni culmen eligitur tribus, cui Numinis perpetua laus, non solùm vt ipsa lumine dignitatis refulgeat; sed vt alias commodiùs regat, quasi de cœlesti alloquio venetur gubernationis peritiam, qua & reipublicæ felicitauerit causam. Ad hæc in Iudæ sorte fons solis scaturire refertur, vt ad omnium salutem

Basil. *Cælum aspiciat, qui naufragium vitare anhelat.*

Cassiodor.

Iosue 15. v. 1.

Glossa.

tem electus sine dubitatione credatur. *Transit aquas, quæ vocantur fons Solis.* Fons sursum emicans, Solémque vel ab ipsa scaturigine semper adspiciens gratis floribus amœna prata, & fructuum producit desiderata incrementa. *Fons Solis*, exponit Glossa moralis: *nam gratia fons aquæ salientis in vitam æternam nominatur.*
Glossa.

60. Cant. 4. v. 1. Sponsus allocutus Sponsam capillos, dentésque commendat: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad: dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.* Cum ascendunt, & geminis fœtibus exornantur: *Quæ ascendunt*, inquit, *omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas:* cúmque ex iure constet, exceptionem firmare regulam in contrarium, idem fuerit ab ascendentibus sterilitatis notam auertere, & non ascendentes veluti steriles sugillare. Quæ ad montis vertices non ascendunt, quæ cælo non proximant, quæ propiùs diuina non contemplantur, nec abundant fœtibus, nec potiuntur lucidis fructibus: dum matres ascendunt, sequuntur filij, & dum sequuntur, frustrantur auidos luporum dentes, truculentas ferarum vngues. Ita Ambrosius, cap. 4 in Collect.
Ambros.
Spectantur a pastoribus suis dumosa de rupe pendentes, vbi luporum morsus esse non possunt, vbi fœcundæ arbores fructum integrum subministrant: cernere licet vberi lacte distentas super teneram sobolem materna pietate foetas. Ecce dum altiora matres petunt, & teneram secum sobolem ducunt, & dum gemelli altiuagæ capræ plenis vberibus ora figunt, & carniuoros luporum dentes euadunt. Tam fœcunditatem hanc diuini alloquij contemplationi deberi testatur Gillibertus serm. 24. in Cantica:
Gillibert.
Vtique tibi in Scripturis spargitur, quasi semen quoddam, vnde gemellum hunc possis fœtum concipere; non tantum subtilia, sed & suauia tibi sunt omnia, & præceptum Domini lucidum est, & ignitum eloquium. En vbi spiritualis capra ignitum eloquium suscepit, & quasi semen quoddam vtilissimæ ruminationis affectus matrice fouit, fœtus multiplicat, & conspicuam sobolem incrementat. Putares capram eloquia ruminantem generandi filios temporis opportunitatem accidere; at dum sitienter ruminat diuinum eloquium, & geminum parit conceptum.

61. Hanc à mundi exordio veritatem discamus. Paradiseis topiariis versabatur Adamus, cumque haberet multa seruitia, consimilis desiderabat alloquia: erat veluti palabundus hospes, & in tanta bonorum affluentia non habebat quicum felicitatem communicaret; carens autem fœcunditatis elogio imperfectiori capiebatur lætitiæ sensu. Quid tandem sapientissimus Opifex, quid humanissimus naturæ artifex? Fœcunditatis gloriam illi conciliare decernit, & ad hoc somnum arcanum immittit:
Gen. 2. v. 21.
Immisit Dominus Deus soporem in Adam: cúmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea; & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem. Augustinus apud Lippomanum, somnum hunc ecstasim fuisse putat: itaque dulci diuinorum contemplatione illectus sensuum erat exercitio alienatus: audi eius verba:
August. *Adami somnus ecstasis fuit.*
Ecstasis hæc, quam Deus immisit in Adam, vt soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, vt & ipsius mens per ecstasim particeps fieret tamquam Angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei intelligeret nouissima. Disquiramus, si placet, cur summus Opifex, vt fœtu Adamum nobilissimo fœcundaret, ecstasim, arcanúmque soporem immiserit, cur non paradiseis diuersatus deliciis ex se Euam produxit; sed ecstasim passus quodammodò parturiuit? Profectò voluit Deus his actionibus nostram thesim veluti eleganti penicillo depingere; tunc Adamus Euæ vtilior, cùm contemplationi deuotior, vt intelligas, quod otio contemplationis impenditur, non deperdi; sed saluti proximorum sacrari. Oret, cùm Euæ vitam infundit; & tunc noueris aptiorem proximis viuificandis, cùm & orationi addictior, & contemplationi sacratior. O quàm falluntur plures orationi præfixa tempora præcidentes, vt proximos alloquantur, vt illorum depellant errores, vitámque reformarint, cùm ipsum oratione tempus insumptum, & verbis inferat efficaciam, & factis conferat energiam. Non negauerim aliqua vrgente necessitate tempus precibus ac meditationi adscriptum posse commutari, exterioribúsque insumi; assero tamen proximorum salutis studiosos debere ab oratione mutuari aduersus morum peruersitatem auxilium, erratéque, qui omissa oratione ad externum inhiant, aut prædicationis, aut exhortationis negotium. Tunc Adamus ossi refundit vitam, cùm oratione alatus Angelorum curiam frequentat: est namque oratio salutis vena, persuasionis efficacia, reprehensionis energia: omnísque externæ actionis, vt ita dixerim, anima. Addiderim adeò efficacem ad proximorum operandam salutem esse orationem, vt minùs ad speciem profuerint & longa ieiunia, & dura vincula, & egregia virtutum opera.

Paulus diuino zelo animarum exæstuans, & 62.
quæ ad proximos sanctitate informandos opportuniora, studiosè perquirens, orationem fore opportunissimam adinuenit. *Huius rei gratia*, scribit ad Ephes. Ad Ephes. 3. v. 14.
Flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum eius in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris. Et cur non confugiat ad ferrea vincula, ad exantlata naufragia, ad appetentia sæpè martyria. Conducibilius videbatur dicere huius rei gratia terras carceris tenebras patior, compedes infames sustineo, lapidibus impetor, naufragiis exagitor, quàm prætermissis adeò eximiis factis precibus incubuisse, & orationibus vigilasse. Didicerat sanè Paulus ad operandum proximorum salutem externi cuiusque operis orationem ad instar animæ esse, qua studia vigent, qua opera florent, qua verba valent; ideò ad preces & orationem recurrit, quasi ab oratione & labores mutuentur energiam, & commodatam verba acceperint efficaciam. Audi Chrysostomum lib. 1. de precatione: Chrysost.
Illinc intelligi poterit, quanta sit vis sanctarum precum, quòd Paulus per totum orbem terrarum velut alatus discurrens, in carceribus habitans, flagella sustinens, gestans catenam, viuens in sanguine ac periculis, insuper, & dæmones eyciens, ac mortuos excitans, morbos abigens, in harum rerum nulla fiduciam posuit seruandi homines; sed precibus communiyt orbem: postque miracula, post excitatos mortuos, ad precationis

præsi

præsidium accurrit. Paulus eis eminebat virtutum operibus, quæ vel cœlites in admirationem raperent: inuicta efflorescebat patientia, intrepida armabatur constantia, solicita aduerabatur proximorum salutis cura, vtque ardenti desiderio blandiretur, ad precum recurrit auxilium, orationísque asciuit sibi suffragium. Hinc actiones aliquorum censendæ. Lucem inuigilando anteuertunt, curis multiplicibus distringuntur, frequentant carceres, publicis quotidie vacant concionibus; & tamen fructus non respondet labori. Ecqua huius causa? Fors quia orationem prætermittentes, aut summatim tractantes, externa opera producunt sine efficacia; quia illa non informat orationis energia: saluti námque proximorum ille incumbit opportuniùs, qui precibus addicitur studiosiùs. Iudæ Tribus alias florente pace ab inimicorum defendet insidiis, quia, & contemplationi ipso nomine obstricta, & Numinis laudi sacrata.

63. Ezechias, cùm suorum saluti studiosissimus prouideret, aduersariorúmque copiæ animum regium solicitarent, ad orationem confugit: *Quæ cùm audisset Ezechias rex, scidit vestimenta sua, & opertus est sacco, ingressúsque est domum Domini.* O imbellem regem! aduersarij insolescunt, opprobriis Israëlitas dehonorant, honorem Numinis blasphemiis infuscant, & cùm prensare deberet arma, recurrit pauidus ad cilicia? Modò insumit temporis angustias orando, qui debuerat elucrari hostibus resistendo? Si saluandi suorum animas Ezechiæ ardentissimum est studium, cur intrepidus non adoriatur bellum? Quia nouit, scribit vbi supra Chrysostomus, ad homines ab aduersariis vtriísque seruandos orationis validissimum esse murum, & insuperabile armis hostilibus munimentum: *Huius præsidio Persarum copias Ezechias celeriter vertit in fugam, atque hostes quidem machinas admouebant mœnibus; sed ille muros deprecationis vallo sepsit, simúlque per deprecationem sine armis solum est bellum: cùm tuba quidem non clangeret, exercitus conquiesceret, arma non mouerentur, nec terra sanguine rubesceret.* Vtilior fuit vniuersali saluti orationi deditus, quàm esset regiis, bellicísque stolis armatus. Fors homines inimicorum allecti promissis, aut perterrefacti copiis colla infami deterenda iugo subdidissent, nisi oratione rex prouidentissimus asseruasset: vt noueris ad seruandos à vitiis proximos plus valere, qui contemplationi nouerit studiosiùs incumbere.

4. Reg. 19. v. 1.

Chrysost.

---

§. XV.

Ille dignè cæteris præest, cuius conspicua doctrina, & vita semper innocua.

64 QVísquis honoris, & dignitatis culmen inscendit, cunctis redditur de potestate verendus; sed de moribus, & eruditione æstimandus: parent sæpè sæpiùs potestati subiecti; externum tamen solum, & fucatum præstatur obsequium, cùm internum iubentem aspernetur ludibrium: quem nec doctrina exornat, nec innocens vita commendat, histrionis ad instar imperat: quia de præcipientis contemptu subiecti deuotum reddere detrectant obsequium, & ipsum sæpè in obedientiæ dedecus despiciunt mandatum; non solùm modestis; sed, & discolis parendum est, illi tamen reuerenter solum obeditur, quem, & doctrinæ commendat claritas, aut morum conciliat venerationem concinnitas. Aptè Cassiodorus 6. variar. 6. *Reuerendum honorem sumit, quisquis magistri nomen acceperit: quia hoc vocabulum semper de peritia venit, & in nomine cognoscitur quid sit de moribus æstimandum.* Subiicit causam disertissimus Cassiodorus; *Ad eum nimirùm palatij pertinet disciplina, ipse insolentium scholarum mores procellosos moderationis suæ terminis prosperè differenat.* Ægrè procellosi mores paterentur frænari, ni & eruditionem, & morum probitatem facilè esset in magistratu dignosci. O quàm & contemnerentur iussa, & vilescerent Magistratus improbi, aut imperiti mandata! Qui reuerendum magistratus nomen assumit, iam, & eruditione excultus, & moribus luxerit approbatus. *Nescis*, aiebat Anaxarchus, *assessorem Iouis, deorúmque iustitiam, & fas esse?* Hanc Anaxarchi sententiam disertè improbauit Plutarch. lib. ad Princip. indoct. quasi parum fuerit assidere Ioui iustitiam; aliquando namque posset abesse, ideóque opus, vt Iupiter, & fas, & ius esset, ne subiecti in suspicionem indecoram possent incidere. *Non habet*, inquit, *iustitiam Iupiter assessorem; sed ipse ius, & fas est, ac lex antiquissima, & sanctissima: prisci ad hunc modum loquuntur, scribunt, & docent: ceterùm iustitiam dominari, ne Iouem quidem posse rectè.* Vel è fabulosis antiquorum figmentis vtilissimam possumus eruisse doctrinam. E Iouis cerebro Mineruam attestabantur prognatam, illíque æquitatem ingenitam, nullatenúsque ascititiam: putabant námque aliter nec Iouem humanis vtiliter imperare, nec deuotè obsequentérque homines Ioui inseruire. Hinc miraberis mei Iosue summam in sortibus adscribendis prudentiam: Iudæorum Tribui vtpotè regiæ eam telluris partem adscripsit, in qua, & Solis fons, & Cariath-Sepher litterarum domicilium, & Bethsames lucis, & æquitatis emporium. *Transit ad aquas, quæ vocantur fons Solis*, &c. Ita moralis Glossa: *Per Iudam, qui interpretatur confitens, siue laudans, potest intelligi bonus prælatus sæcularis vel religiosus, qui de confessione laudis in obsequio diuino debet esse solicitus; in sorte verò Iudæ inter cætera loca, quæ describuntur esse in ea, tria specialiter sunt notanda, scilicet fons Solis, per quem veritas vitæ, quæ est gratia, significatur: nam gratia fons aquæ salientis in vitam æternam nominatur Ioan. 4. & Cariath-Sepher, id est, ciuitas litterarum, per quam veritas doctrinæ significatur; & ciuitas Solis, per quam veritas iustitiæ, quæ morum corruptionem reprimit, designatur: istæ tres virtutes debent esse in sorte Iudæ, id est, boni prælati.* Aptissimè in bono prælato tria ista ordinantur: prius gratiæ concinnitas, deinde litterarum floriditas, & postea iustitiæ æquitas: nec enim posset authoritate reprimere, qui despiceretur vitiis obscurus, aut litterarum ignarus. Iudas ergo, & gratia ornatus, & eruditione excultus, & incorrupto iudicio æquus.

Cassiodor. *Magistri nomen de peritia venit.*

Anaxarc. *Iouis assessor iustitia, & fas.*

Plutarch. *Cum iustitiam dominari nec Iupiter potest.*

Glossa moralis.

Cum ob Aaronis principatum ambitiosi plurimi procellosas excitassent querelas, populáresque inflammarent in Moysem turbas, iubet Dominus tributim virgas colligi, propriísque 65.

nominibus tribuum inscribi, vt quæ germinasset, vites illas dirimeret ambitiosissimas. (Num. 17 v. 5.) *Quem ex his elegero, germinabit virga eius.* O dignam Numine electionem, vbi virga non de nobilitate censetur; sed de fructibus æstimatur! O virgam dignitatis culmini aptam, quæ non externo germinat adminiculo; sed virtutis floret suffragio! Virgæ colliguntur, & Domino in tabernaculo testimonij sacrantur: sequenti die Aaronis virga turgescit in gemmas, pullulat in frondes, exhalatur in flosculos, conditur in fructus: *Sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Citò est absolutum negotium, quod apud homines protelaretur in sæculum; verùm quid necessum erat virgam præter frondes etiam produxisse flosculos, & parturiuisse fructus? Oraculum germinanti dignitatem promiserat; voluit tamen & floribus gratis vernare & amygdalis saporatis ditescere: vt digno superiori dotes necessarias exprimeret, eisque carentes de principatu contendentes frænaret. Lyra omnia ista non tam ad ornatum muneris, quam ad ipsum pertinere testatur: nec enim alios corrigere posset virga, ni frondes testarentur conscientiam, ni flores enulgarent doctrinam: quandiu in hac virga desiderabantur frondes, quandiu nudabatur fructibus, nec valebat querimonias reprimere, nec turbulentos frænare; at dum gratiæ succo frondescit, dum litteris floret, dum æquitatis ditescit fructibus, ab omnibus sine tergiuersatione suspicitur, & vel protervus obsequitur. (Lyra.) *Hæc ergo virga,* inquit, *germinat bonitate conscientiæ, frondet viriditate doctrinæ, floret celebritate famæ, & fructificat sanctitate vitæ.* Quid aptius? Vt arbor, ni vestita frondibus, parum habetur; si tamen allexerit venustate florum, inuitaritque dulcedine fructuum magni æstimatur; ita prælatus quantumuis luminibus dignitatis effulgeat, si doctrinæ caret floribus, & fructuum viduatur spebus: frons florem tegit, flos futurum pomum promittit. Ergo quæ a Domino virga ad dignitatis culmen eligitur, & conscientiæ puritate frondescit, & scientiarum peritia floret, & saporatis fructibus turget. Discant ex hac virga quæ opus illis ornamenta prælati; imò & didicerint electores: necessum est grata scientiarum venustate florescere; sed & virtutum frondibus germinare. Ambitiosissimi illi, qui de principatu antea obstinate contenderant, dum virgas suas nudas adspiciunt, nullatenus imperitare præsumunt; nec enim adeò obcæcati, vt scientia, ac meritis nudi exambiant, quæ litteris, ac virtuti dignitates debentur, & floridis peritia, ac sanctitate dicantur.

66. Christus Dominus Iordanem intrat non maculas aquarum adminiculo diluturus; sed vt ipsis vndis candorem impertiat: ibi Spiritus sanctus columbæ specie innocentiam; imò & innocentiæ fontem demonstrat: ibi fulgurans paterna vox exauditur: (Matth. 3. v. 16.) *Vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se, & ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* O dignum maiestate tanta certamen! Vbi Christus gestit celare virtutes, & Deus impertiri curat honores Non semel hæc apud homines inuertuntur, & qui despicere debuisset, suspirat honores: quia qui tenebatur largiri honores improuidentissimus non attendit virtutes. Ascende mecum, si placet in Thaboris verticem nubibus coæquatum: ibi Christus Dominus fulgurans spectaculum edidit: *Resplenduit facies eius sicut Sol; vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* (Matth. 17. v. 2.) Hic iacentes erigit, hic celitus inclamatur magister: *Ipsum audite.* Et cur Iordane audiendus non proponitur, cur ibi nullum erexisse refertur? Idem profectò Dominus; verùm ad nostram eruditionem, vbi vestis animi candorem ostendit, vbi lux sapientiæ censum Sole clariùs manifestauit, ibi proponitur Princeps, & designatur magister. Iordanem egressus desertum adit, magisterium tunc non exercet; quia nec conspicua luce coruscans, nec niueis vestium candoribus emicans; at Thaboris vertice lapsos erigit, quia fulgidissimus lucet: *Tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere.* Quasi suis factis homines edocuerit, ad aliorum lapsus corrigendos, & necessarium lucis fulgorem, & candoris puritatem. Certe sanctitate pollens, ni sapientia effulgeat, aptior montibus, quàm suggestis: parebunt desertorum erroribus sanctissimo viro feræ; at ni sapientiæ luminibus radiarit, ægrè homines admittent imperium; imò inscitiæ obiectabunt probrum. Ergo Dominus, cum lucem celat, quamuis Spiritu sancto plenus adit desertum; cum verò iungit vestium candori clarissimos lucis radios, montis inscendit fastigium: Sunt namque in Principe hæc duo apprimè necessaria, & ideò semper debent esse connexa, vt conscientiæ candor luci venerationem conciliarit, sapientiæque splendor efficaciam candori attulerit. Opportunè Hilar. apud D. Thomam: (Hilar.) *Ipsum audite; vt scilicet idoneus ipse præceptorum talium auctor esset.* Vt vitia præceptis exterminarit, vt lapsos erexerit, vestis sanctitatis prodit candorem, & facies sapientiæ lucem.

67. Sponsus, vt digni dilectæ suæ venustatem deprædicaret elogiis, columbinos habere oculos enulgauit: *Oculi tui sicut columbarum*: in oculis Doctores, Apostolósque, & Ecclesiæ præsides designari compertum. (*Oculi designant Doctores.* Gilibert.) *Oculi eius Prophetæ* Gilbertum audis serm. 23. in Cantica) *oculi eius Apostoli, qui vel futura prædicunt, vel iam facta prædicant: oculi eius sunt vtrorúmque interpretes & Doctores populorum, quorum officio spiritualia animæ vel commoda, vel scandala & cernimus, & discernimus.* Vides superiores doctorésque oculis columbinis signari; sed cur non dixerit: Oculi tui sicut aquilarum? aquilæ namque irreuerberatis palpebris Solem aspiciunt, oculisque inconniuentibus solares radios discernunt: aquila auis regia, quæ & volatus pernicitate cæteras superuadit, & visus, vt dicebam perspicacia antecedit. Columba pulchra oculis, gratiosa conspectu; verùm nec adeò volatu celer, nec visu perspicax. Ergo si oculorum pulchritudinem dignis cupit laudibus celebrare, non columbæ, sed aquilæ assimilari deprædicet. O sapientiam immortalem! aquila lucem solarem spectat, sed cadaueribus inhiat, testante scriptura: *Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* (Luc. 17. v. 37.) Itaque vestigiis non munda, imò putridis & fœtidis sæpe sæpiùs cadaueribus maculata; plena quidem fruitur lucis vsurâ, non tamen caret cadauerum maculâ; ideò Doctores aquilæ non comparauit; at columba oliuæ

oliuæ ramum floridum ore gestat; ex arca emissa, quia cadaueribus insidere refugit, iterum ad
Gen. 8. v. 9. arcam confugit. *Cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam.* Detrectat columba cadaueribus insidendo maculare vestigia; refugit montium, lutosa obtinere præcelsa. Ergo aptius doctores columbæ, quàm aquilæ comparantur: plus namque iuuat mediocris sapientiæ census, morum puritate coniunctus, quàm ditissimus scientiæ thesaurus indignis vitæ actionibus taminatus. Aquila videt acutiùs; sed vestigia conspurcat fœdiùs: columba lucis amica, vtpote ore surculum gestans oliuæ, & vestigiis minime attaminata. Ergo doctores oculis comparentur columbæ, vt nouerint & immaculatos ponere gressus, & ore Mineruæ proferre fructus. Adest Chrysostomus
Chrysost. apud Lippomanum: *Non simpliciter dixit: non inuenit requiem; sed apposuit pedibus suis; vt doceat nos, quòd licèt desierant ex parte aliqua aquæ, & cacumina montium apparuerint; sed adhuc ob abundantiam aquarum, quæ ingruerant, cæno & limo plena erant, etiam ipsa montium cacumina, & ideò columba nondum stare, neque conuenientem sibi cibum inuenire valens, reuersa est.*
Rupert. Consonat Rupertus apud Lippomanum: *Coruus itaque potuit requiescere potuit, qui in cadaueribus abunde inuenit; columba vero cadaueribus non pascitur.* Amat columba oliuam lucis matrem, refugit vel imis pedibus maculam: ideò aptum superiorum ænigma, qui tunc dignè fastigia inscendunt, cùm ore gestant oliuam, & omnem prorsus refugiunt maculam. Ergò regia tribus & litteris, & conspicua morum luce adornatum, quò & possit imperare, & exemplis cæteros adurgere.

---

§. XVI.

Apud antiquos primas tulit generationis fœcunditas; apud Christum, & Mariam virginalis efflorauit castitas.

68. CAstitas & virginitas apud antiquos despecta, ethnici temperantiam parui habuerunt, quia libidinis flammis adusti, nullisque temperantiæ frænis coërciti: adeóque hoc verum, vt Apollinem castitatis cultorem cælo pepulerint, & veluti deorum comitio indignum exulare coëgerint. Ita Æschilus apud Plutarch. de exilio:
Æschil. *castum exulem cælo Deum.*
Melioris doctrinæ cultores, scilicet Hebræos ad filiorum desiderium inflammabant, & congesta in sæculis probra, & Redemptoris futuri ardentissima desideria. Itaque virginitas nullo habita pretio; & quia vt repantur, proli adeò diuinæ contraria, & legis maledictis subiecta. Admirationi sæculis fuit Alexander, dum adulterium recusat, dum continentiam colit, quasi humana consuetudine exemptus, & omnium desideriis
Plutarch. Alexander adulterium recusauit. contrarius. *Ad se etiam ad ipsum*, scribit Plutarchus in apophthegm. *profunda iam vespera puellam, quæ concubitura erat secum, rogauit quid id temporis venisset, qua alligante præstolatam se, donec vir suus cubitum iuisset, pueros castigauit acerbè, quòd per eorum opera adulter factus fuisset.* Mira res, adulterium repulisse! adeò antiqui à candore virginitatis distabant, vt nec

Naxera in Iosue Tom. 2.

adulterij obscœnitatibus parcerent: & licèt in omnibus olim de nouitate continentia admirationi fuerit, tamen in adolescentibus, iuuenibúsque, quia ardentius carnis studium, rarius pudicitiæ ac castitatis elogium: reperere fors de antiquis Cassiodorus nequiret, quod 2. variarum 1. ad Anastasium: *Dignus, inquit, planè largitatibus nostris, qui in ipsa pueritia flore maturis moribus lubricam frenauit ætatem, & quod rarum continentia bonum est, patre priuatus grauitatis factus est filius: cupiditatem inimicam apertius subiugauit, vitiorum blanda contempsit, superbia vana calcauit.* Rarum sane continentiæ bonum: quia, vt dicebam, generationis adurgebat studium. Hinc Calebus filiæ matrimonium parte victoriæ decreuit præmium: quia nouerat vel excelsos virtute viros matrimonij tenere votum. *Qui percusserit Cariath Sepher*, inquit, *& ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* En strenuitatis præmium, en discriminis laus nobile scilicet matrimonium. *Ob difficultatem expugnationis, vt aliqui viri probi attenderent nimis ad capiendam vrbem*, scribit Abulensis quæst. 6. *promisit capienti filiam suam Axam.* Omnes difficultates deglutiebant antiqui matrimonij desiderio, generationísque propagandæ voto: illis temporibus virginitatis ignota gloria, puritatísque veluti altissima humo abstrusa notitia; & quid mirum quando Mariæ Virgini hoc seruabatur priuilegium, cui & Dei matris decernebatur elogium? Coluerunt nonnulli antiquitùs castitatem; verum nec voto obstrictam, nec Sacramento dicatam. Sola Maria virginitatis primiceria, & castitatis regina.
Cassiodor. Cupiditas scientia inimica.
Abulens.

Fallar, in hoc Mariæ elogium in Canticis Canticorum sit adumbratum. Componamus, si placet, duo Scripturæ loca: Christus Dominus apud Lucam refert parabolam illam arboris ficus, quæ sæpè à Domino inspecta, fructum culturæ censum non pependit, imò telluris fœcunditatem deuenustauit: *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* Interpretes triennium hoc mundi ætates autumant, quibus nec lasciuire destitit, nec virginitatem proferre nouit: *Per ficum infructiferam*, scribit Euthymius, *indicat Synagogam Iudæorum folijs quidem lasciuientem ac virentem.* Vides ficum nullatenus desideratū tulisse fructū: audi ad turturis vocem ingenium desuefacere antiquum, grossósque saporatos procreasse, & abundantes tulisse: *Iam hyems transijt, imber abijt & recessit: flores apparuerunt in terra nostra, tēpus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos.* En ficus profert, quem Dominus antea in ficulnea fructum desiderauit, sed non inuenit, scilicet virginitatē. Adest noster Delrius ad hunc locum §. 4. de Deipara: *Vox turturis in Israele non erat audita; sed vox columbæ tantum prolificantis dedita: donec turtur nostra, verè vidua, quia vnum tantum habuit coniugium; sed vidua incorrupta; virgo vidua, vidua; sed Halmana: nupta; sed nulli cognita, nisi Spiritui sancto, prima sustulit signum cœlibatus simul & castitatis: audita est vox eius, quando dixit: Quoniam virum non cognosco. Tunc etiam prima significauit se voto virginitatis sponte damnatam: tum iter præiuit illis filio dilectis eunuchis, qui se castrauerunt propter regnum Dei.* Ecce Virgo omnium prima se voto virginitatis
69.
Luc. 13. v. 7.
Euthym.
Cant. 2. v. 11.
Delrius.

obstrinxit, itérque virginibus sæculis inuisum monstrauit. Non negauerim Eliam, alióſque viros ſanctiſſimos florulentis ſemper virginitatis ſertis coronatos; illorum tamen nullos crediderim voto virginitatis obſtrictos; hæc namque gloria, eximiáque virtutum prærogatiua ſeruabatur Virgini Matri; nec ſolùm reliquis exemplar dignitate præiuit; ſed & tempore virginitatis voto anteceſſit. Itaque quoad vſque hæc turturis vox intonuit illud cælis terríſque mirandum: *Quoniam virum non cognoſco*: ficus non didicerat virginitatis groſſos germinare; ſed foliis proritantibus laſciuire.

70. [Cant. 4. v. 1. & 2.] Sponſus Synagogæ virtutes laudans capris fœcundiſſimis comparauit: *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, & ſterilis non eſt inter eas.* Dixerat etiam anteà: *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Hic de Synagoga, quæ migrauit in Eccleſiam ſermonem inſtitui, apud auctores certiſſimum. Ita Ambroſius cap. 4. in Col-
[Ambroſ.] lect. *Meritò igitur reuelata ſunt animæ iuſtorum, & reuelata à monte Galaad, hoc eſt à tranſmigratione teſtimonij, eo quod à Synagoga ad Eccleſiam teſtimonium cæleſte migrauit.* Ecce quæ tranſeunt à Synagoga ad Eccleſiam, quæ ad Euangelij, perfectioníſque alta contendunt; gemellis fœtibus fœtibus exornantur; illarũ laus grata fœcũditas, quia apud illas virginalis non floruit caſtitas: gemellis fœtibus aſcenderũt prędiuites, & de prolificatione gloriantes; verùm in illo montis vertice iam non fœtus incrementandi ſtudium; ſed inuiſæ ſæculis virginitatis effloruit
[Cant. 6. v. 2.] votum. Audi Virginem Matrem: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.* Ecce vbi paſcatur Sponſus, inter lilia ſcilicet, hoc eſt inter virginitatis candores: nam vbi Maria Virgo virginitatis florem voto vti campo ſeuit, lilia candidiſſima ſunt exorta, inter quæ placidiſſimè paſceretur Sponſus, & deliciaretur Dilectus. O quot lilia illa voco, *Ego Dilecto meo*, veluti fœcunda irrigatione fecit ſplendeſcere & pullulare. Antiquitus fœminæ non ſolùm dilecto; ſed etiam humano Sponſo; at vbi ſanctiſſima Virgo repudiati matrimonij deliciis ſe totam dicauit Dilecto, lilia ſunt exorta, quæ Sponſum deliciis circumfuſum oblectarent, &
[Ambroſ.] placidiſſimè detinerent. *Paſcunt animæ Chriſtum*, ſcribit Ambroſius ad hunc locum, *quæ ſunt candidæ caſtitatis nitore, odoriferæ odore virtutum: dicit ergo Sponſa: Ego fratrueli meo, & fratruelis meus mihi, qui paſcitur inter lilia.* Vbi Sponſa totam ſe virginitati ſacrauit, & pullulare cœperunt lilia virginitate candida, integra caſtitate conſpicua; inter quæ iucundè diuerſatur Sponſus, & lætabundus immoratur dilectus. O quàm rara lilia in ætate illa Noe! quàm peregrina temporibus Abrahæ! quàm tempore legis deſpecta! Vnus aut alter puritatis nitore candicauit; non tamen vt ita dixerim integro, vtpote nec Sacramento munito, nec promiſſione irrigato; at vbi Sponſa cœleſtis Sponſi nobiliſſimis flammis accenſa ſe virginitati deuouit, iam floridum lectum oſtendit, iam tigna cedrina putredinis prorſus ignara, & marcoris ſanè expertia.

71. Ipſa Sponſa, vt pulchritudinem ſuam dignis laudibus commendaret, rego Salomonis cultui
[Cant. 1. v. 5.] non incongruè ſe comparauit: *Nigra ſum; ſed formoſa filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.* Cur ſe Salomonis pellibus exæquarit, rogant interpretes, inter quos Rupertus virginitatis hic excellentiam commendari, ingenioſus autumat, & piiſſimus æſtimat: nam vti Salomon Rex cæteros longè antecellit, & ſapientiæ laudes, & regalis cultus nitore, ita Maria Virgo reliquos omnes, ſi excipias filium, hac virginitatis prærogatiua anteceſſit, in cuius comparatione cæteræ omnes nec debent, nec poſſunt apparere: vincuntur enim glorioſè ab eximia huius lilij pulchritudine, à mira ſuauitatis fragrantia: redoluit in aliquibus puritas; ſed aut deſerto contenta, aut ſæculi ſui admiratione æſtimata; at Mariæ puritas Eccleſiam miro odore repleuit, & ignotam ſæculis viam imitandam propoſuit. *Sicut pelles* [Rupert.]
Salomonis, verba ſunt Ruperti ad hunc locum, *id eſt, exterior cultus, & omnis dignitas ſapientiſſimi Regis incomparabiliter ſplenduit, ita vt nullus ei Regum potuerit vnquam comparari, ita & virginitatis meæ ſplendor præ omnibus ſanctis & filijs regni Dei eſt admirabilis.* Omnes virginitatis eſt ſupergreſſa candore, vt Salomon cæteros reges certum eſt euiciſſe maieſtate: taceant ergo; imò obmuteſcant, qui tam dignam Dei Matre prærogatiuam ad alios vtpote virginitatis primates deriuare contendunt? imò ab ipſis ſatagunt deriuari. *Vt nullus Salomoni regum potuit vnquam comparari; ita & virginitatis meæ ſplendor præ omnibus ſanctis, & filijs regni Dei eſt admirabilis.* Fortaſſis hinc lucem accipiet locus ille Canticorum, vbi poſt hæc verba iubetur Sponſa gregem ducere, & nouum iter docere:
Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos [Cant. 1. v. 8. & 9.]
tuos iuxta tabernacula paſtorum. Iuxta paſtorum tabernacula hœdi gregéſque paſcuntur? nam inter antiquos Patres fuerunt plurimi, qui temperantiam docerent, quique laſciuientes hœdos reprimerent, & rationi parere cogerent. Maria ergo dum hœdos iuxta rationis regulam viuere docet, paſtores ſocios; imò & duces habet; *iuxta tabernacula paſtorum*; verùm in hoc nec ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, ſcilicet in adaperienda per confuſos appetitus vortices & inſanos carnis æſtus virginitatis impolluta ſemita, & ad cælum plana via. Audi ipſum Sponſum: *Equitatui meo in curribus Pharaonis*, inquit, *aſſimilaui te, amica mea.* Quaſi dicat: Vt olim virga illa mare ſtitit, & procelloſas vndas repreſſit ac illibatam anteà veſtigiis viam omni populo demonſtrauit, ita tu amica mea primiceria virginitatis inter confuſos vortices puritatis viam aperuiſti, omnibúſque non ſine laude indicaſti: hœdos paſcere alij ante te agnouerunt etiam paſtores; ideò tu iuxta paſtorum tabernacula paſcis; in virginitatis verò florida demonſtranda ſemita ſingularis prorſus reſplendes, virgæ illius adinſtar, quæ Pharaonem turbulentis vorticibus ſepeliuit, omníque humore
exiccatam viam cunctis populis indicauit. *Pa-* [Rupert.]
ſce hædos tuos, ſcribit Rupertus, *iuxta tabernacula paſtorum, id eſt, carnales habe alumnos ſecundum imitationem ſupradictorum ſodalium meorum.* Certè carnales alumnos virtutibus informare Mariæ non eſt ſingularis prærogatiua, præceſſerant namque plures, qui appetitus compeſcendos, & verbis prædicarent, & factis etiam oſtenderent; in hoc tamen ſingulariſſima eſt Dei Mater, quòd virginitatem edocuit, quòd puritatem

puritatem inuenit. *Illi equitatui meo assimilaui te*, addit ingeniosus Abbas, *amica mea: sicut enim virga illa virgas maleficorum, & incantatorum deuorauit, & omnem superbiam Ægyptiacam obtriuit, ac deinde germinauit, frondiut, floruit, & fructum protulit non plantata, non succo terra animata; sed virtute cælesti supra vsum naturæ prouecta, sic tu pulcherrima mulierum amica mea.* Ecce Mariæ singulare priuilegium vsum naturæ vicisse, aquarúmque cursum impetu reluctante frænasse. Ergo antiquitùs matrimonium celebre, per Mariam, & virginitas floruit, & apud homines dignam æstimationem obtinuit.

§. XVII.

Morigera modestáque vxor magnorum laborum præmium; procax, & garrula scelerum magnum supplicium.

72. INter magna à Numine accepta beneficia non vltimo loco censenda vxor probis moribus culta, & indole optima ornata: vt è contra in magnis numeranda suppliciis modestiæ expers, asperoque ingenio procax. *Mulierem fortem*, aiebat sapiens, *quis inueniet? Procul, & de vltimis finibus pretium eius.* Nullo pretio dignè soluitur, nullo satis auro coëmitur, mulierem scilicet inuenisse regendæ familiæ solicitam, diuitiis augendis industriam, & viri seruando honori modestam. Opportunè Iansenius: *Mulierem vel vxorem virilem vel fortem: de huiusmodi cum quærit quis inueniet, significat raram esse, & felicem eum esse, cui talis obtigerit.* Magna felicitas, & de raritate pretiosa inuenire vxorem educandis liberis aptam, & virtutibus excultam. Disertè Seneca de remed. fortuitor. *Non erubescis flere, & intolerabilem vocare iacturam... Amisisti vxorem bonam, vxor aduentitium bonum est, non est inter illa, quæ semel vnicuique contingunt.* Rarò hoc contingit bonum: ideò eius intolerabilis est iactura, vt adinuentio cumulatissima gloria. O quàm graue viris tormentum mulier fastidiosa, de industria delicata, de ambitione superba! *Duo benè institutam*, aiebat Philosophus vbi supra, *nec maternis inquinatam vitiis, non cuius auriculis vtrinque bina patrimonia dependeant, non quam margaritæ suffocent, cui minus sit in dote, quàm in veste: quam in patente sella circumlatam per vrbem populus ab omni parte æquè vt maritus inspexerit, cuius sarcinis domus non sit angusta.* O sæculi nostri mores! Vel ampla domus iam muliebri pompæ est angusta, nec semel opus est domum non tam personæ, quàm pompatico cultui capacem quæsisse. Quàm intolerabilis labor multis sæculis insudasse, vt vxor vna die, & fortè in contumeliam honoris resplendeat! Hæc felicitatis humanæ summa vxorem bonam duxisse, vt calamitatis exaggeratio improbam adamasse. *Olympias, cum adolescens quidam aulicus*, scribit Plutarchus in præcept. connubial. *vxorem duxisset formosam quidem, sed famosam: Hic, inquit, consilio destitutus est, alioquin oculis vxorem non duxisset: siquidem non oculis decet, neque digitis ducere: quomodò nonnulli supputant, quantum dotis afferentem accipiant; non quemadmodum secum victuram reputant.* Pecuniæ cæca cupiditas honori non semel periculum creat; imò, & ipsius auri adducit sæpè iacturam, cùm aliquando mulier insumat in veste, quod habuit in dote. Hinc Calebus in præmium difficilis certaminis ac ciuitatis Dabir euersæ, Axæ filiæ suæ matrimonium proposuit: *Qui percusserit Cariath-Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* Arduum sanè prælium; sed præmium magnum, scilicet Axam ducere optimis moribus instructam, non minus honestatis decore, quàm sanguinis stemmatibus exornatam. Poterat Calebus in præmium proposuisse aut ipsam ciuitatem subiugatam, aut ingentem auri copiam: & fortassis maius hoc multis videatur illicium, & ad præliorum labores efficacius præmium; verùm qui apertis oculis, iudicióque nullis affectibus interpellatorem inspexerit, Calebi prudentiam iure allaudabit: adeò namque magnum est probam, modestámque vxorem ducere, vt cætera sint imparia. Minus cordatum inflammant ad debellandos hostes, ad periculáque aggredienda copiosum aurum, quàm honestum matrimonium. Adest Masius: *Ego certè puto expeditionem sociis suis viris optimis demandare voluisse, vt quorum virtutem, atque fidem expertus nupero bello fuerat, cum eis rerum gestarum laudem communicaret: eóque & inuidiam à se amoliretur, & simul illorum fortitudini summo, quod habebat, βραβεῖον in medium proposito, quemque singillatim maxima remuneratione dignum se censere declararet.* Ecce vt maxima remuneratione dignum declararit Calebus, non plurium seruorum dominium, non desideratum omnibus aurum; sed matrimonium Axæ proponit in præmium; quasi hoc fuerit præ cæteris egregium brauium, cuius, & pretium rarius, & possessio augustior.

E contra mulier oculis vaga, fastidiosa, & querula, pro tormento decerni potest; imò satius esset acerbissimum pati tyrannum, quàm cum huiusmodi celebrasse connubium. Certè, & pœna productior, & mulcta ipsa morte grauior: *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere: per seruum, cùm regnauerit*, inquit Salomon, *per stultum, cùm saturatus fuerit cibo, & per odiosam mulierem, cùm in matrimonium fuerit assumpta.* Ecce pondus vel incomportabile terræ odiosa mulier in matrimonium assumpta: nam, & domus semper certaminis campus est, vt iam maritus nunquam domicilium, & semper ingrediatur stadium: pullulant sine causa rixæ, perturbatur semper familia, & quod futurum videbatur pacis auxilium, pacis inuenitur naufragium. *Per odiosam mulierem*, exponit Lyra, *quia efficitur vna caro cum viro: habere autem secum inseparabiliter personam odiosam est magis mors, quàm vita. Non solùm viro suo; sed etiam toti familiæ, & amicis.* Coëgit feritas tyrannorum homines ad habitandum cum feris: architectata est sæuitia equuleos, tormentorum excogitauit ingenia, vt acueret etiam supplicia. Daniel famelicis leonibus obiicitur; pueri globis horrendum crepitantibus sine pietate traduntur; nulla tamen vel sæuissimorum hominum truculentia, hoc excogitauit martyrium, vt cogeret ad cum muliere improba matrimonium. Satius est semel dictorum mori, quàm animo discruciatum continuò viuere. 73.

Prou. 31. v. 10.

Iansen.

Seneca.

Nonnullis fœminis plus est quàm in dote, in veste.

Plutarch. *Vxor eligenda est non ob auri ummam; sed ob virtutum copiam.*

Masius.

Prou. 30. v. 21.

Lyra.

74. Michol filia Saül paterni fastidij in Dauidem hæres, dum coram arca saltantem videt veluti vilem scurram despexit: *Cúmque intrasset arca Domini in ciuitatem Dauid, Micho filia Saul prospiciens per fenestram vidit regem Dauid subsilientem, atque saltantem coram Domino, & despexit eum in corde suo.* (2. Reg. 6. v. 16) Mulier superba paternóque fastu inflatissima limis maritum adspexit, & vel egregia virtutis opera reprobauit. In hoc facto interpretes arcanum nituntur inuestigare mysterium. Rabanus apud Glossam, Antichristum Michole signari; imò omnes veri Dauidis persecutores, testatur exprimi: (Raban.) *Ex spectaculis Dauid humilitatem deficit: quia credentibus in fine mundi Iudæis multi professione Christum; sed opere sequuntur Antichristum, quibus congruit quod Michol (quæ ob figurandum instabilitatem carnalium aqua omnis interpretatur) non vxor D uid; sed filia Saul dicitur.* Audi attentiùs quæ subdit: *Quia qui Christo fide tenus seruiunt, non illius regno coronandi, sed persecutorum eius, quos imitantur, anathemate sunt damnandi.* En vt persecutorum feralem rabiem typicè Scriptura depingat, vxoris superbissimam vanitatem, & intolerabilem fastum ostentat; Dauid Michole maritatus Christum adumbrat persecutorum furoribus expositum, iniquorúmque feritate vexatum. Et quidem elegantiori depingi non potuerunt penicillo, quas Christus Dominus persecutiones est passus, quam Dauidis cum vxore superbissima matrimonio. Nil mirum, si Dauid ab vxore carperetur de vitiis; sed de egregiis etiam sugillari virtutibus mirum. Maxima, & quæ fugi non possit, persecutio, mulier superba, carnis voluptatibus propensa, & odioso semper fastidio tumida. Hinc nosces improbi prudentem Saulis cogitationem. Oderat animitus Dauidem: nec semel hasta confodere nisus est; verum, cùm sæpe teli expectatione frustratus esset, aliò vertit animum, & exacuit in Dauidis perniciem ingenium. Micholem, cuius mores nouerat, in matrimonium promittit, quò aut præconsumat extraneo, aut diuexet bello intestino: (1 Reg 18. v. 19.) *Cum deberet dari Merob filia Saul Dauid, data est Adrieli Molathitæ vxor: Dilexit autem Dauid Michol filia Saul altera, & nunciatum est Saul, & placuit ei; dixitque Saul: Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum.* Ecce morigeram negat, & superbam promittere non recusat, *vt fiat*, inquit, *ei in scandalum.* Saul oculis notabat Dauidem vti proditorem, vti reipublicæ pestem, vti communem tranquillitatis, ac pacis hostem: vtque dignas ab illo pœnas reposcat superba vxore maritat. Adest Basilius Seleuciensis (Basil. Seleuc.) orat. 16. *Cum frustratus esset expectatione teli per insidias iacti, alio vertit animum: inuiso Dauidi filiam dare vult, non quo exosum cohonestaret; sed vt filia nuptiis cædem emeret.* Cædem ipsa teli transfossione grauiorem emebat, dum vxorem superbissimam, ac ventosissimam dabat. Minus feriret contortum telum, quàm non morigera accepta diuexerat in matrimonium. Ergo vt truculentiùs desæuiat, iam noua intorquere spicula non disponit; sed nuptias maturare vult, quasi maius certiúsque Dauidi periculum ab huiusmodi nuptiis, quàm à præpilatissimis telis. Iure notat Esau stultitiam Rupertus: offensus namque aduersus parentes quòd fratrem benedictionibus cumularint, nuptias disponit, nec (Gen. 28. v. 6.) generi, nec moribus aptas: *Videns Esau, quod benedixisset pater suus Iacob, & misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, vt inde vxorem duceret... probans quoque quod non libenter aspiceret filias Chanaan, pater suus, iuit ad Ismaelem, & duxit vxorem.* In se ipsum crudelis extitit, vt exacerbaret patrem, duos sibi oculos (vt est in prouerbio) eruit, vt vnum parenti erueret benedictionem Iacob consecutus se vxorem accepit dignam, amplúmque tot in itinere laborum, tot in curandis gregibus vigiliarum Rachelis nuptias arbitratus est præmium: Esau verò vtpote à benedictione reiectus, à felicitate exul mulierem Ismaeliticã inconcinnis moribus, & agresti genio duxit vxorem, quasi matrimonium & alterius felicitatis extiterit cumulus, & calamitatis alterius fuerit excessus: *Quia parentibus*, verba (Rupert.) sunt Ruperti apud Lippomanum, *quoque propter Iacob iratus erat, sicut Cain, & conciderat vultus eius, idcirco, vt eos amplius offenderet egit ita; proculdubio stultus fuit.* Summam sibi calamitatem asciuit, vt stomachum parentibus fecerit reiectionis à benedictione erat infaustum matrimonium appendix, vt Iacobi felicitatis & benedictionis fuit index: Iacob septem seruiit annis, magnísque in seruando grege adurgetur curis, vt Rachelem dignis moribus, & patriis respondentem stemmatis sibi in vxorem acquirat: nam probæ mulieris matrimonium cumulatius laborum præmium, vt improbæ summum supplicium; Esau verò sibi calamitatem incrementat, dum sibi vxorem ingenio seruili parat.

---

§. XVIII.

Mitescunt labores, si expectatum allexerit præmium; fatigant vires, nisi inflammarit brauium.

75. (Cassiodor.) QUamuis proprio fruatur honore, inquit Cassiodorus 1. variarum 3. *quod est natura laudabile, nec desint probata conscientiæ fasces, cùm generat animo dignitates; omnia siquidem bona suis sunt consueta cum fructibus, nec credi potest virtus quæ sequestratur à præmio; tamen iudicij nostri culmen excelsum est.* Virtus sui ipsius remuneratio est, nec abesse potest præmium, vbi puræ conscientiæ arriserit testimonium: ipsa virtutis actio & gaudij genitrix, & salutis est mater; hoc tamen masculum animum, & virile ingenium exposcit: solùm perfecti conscientiæ fascibus oblectantur: plures ni externis munerentur præmiis opportunis ad virtutem destituuntur auxiliis. Laus & remuneratio honesta irritamenta virtutum: stimulos ardentes iniecit, qui amplis dignum muneribus cumulauit: nec solum præmium ad honesta calcar est; sed laboris angustias emollit, & difficultates mellit. Nullus vel flagitiosissimus abhorret in operibus honestatem, de iniuncta molestia arcetur, & de labore frænatur. Has ergo virtutis scopulosas vias præmium complanat, & ad gradiendum prolectat. *Tolle spem*, inquit Zeno Veronensis serm. de spe, *torpet humanitas tota: tolle spem, artes, virtutésque vniuersa cessabunt, tolle spem, & interempta sunt omnia.* (Zeno. *Sublata spe cætera corruunt.*) Præmium virtutis neruus est; imò & quodammodo vita virtutis: lassescunt manus, ni suffulciantur spebus; verùm vbi præmium honestè animum inflammauit,

mauit, cuncta virent, & discusso torpore qui erat horror, iam ambitur à cunctis sudor. Puer litteratorem adit scientiæ desiderio: ratem dubio gurgiti nauta committit, & inescatus procellas despicit auri spebus. Agricola niues vincit,& soles despicit, vt auricomas segetes demetat, & horreorum diuitias augeat. Ecce in allophylorum expugnatione ciuitas occurrit altissimis cincta muris, armatáque propugnaculis, quam, & gigantes incolunt, & ferarum adinstar pugnacissimè ab aduersariis defendunt. Quid ergo? Calebus canæ prudentiæ vir, dúxque decantatissimus, & strenuus præmium proponit, vt fortes milites ad certamen arduum viuidius excitet: *Qui percusserit Cariath-Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* Profectò nullus è toto exercitu ad se certaminis prouocationem rapturus videbatur, & tamen iam Othoniel marcentibus núquam cingitur lauris, expugnatis fortissimis inimicis. *Cepit eam Othoniel filius Cenez frater Caleb iunior.* Vel iuuentutis flore vitam exposuit, quin giganteæ illæ moles animo timorem incuterent, quia præmia generosum excitarant ardorem. *Quid miles*, aiebat loco citato Zeno, *non dicam horridæ hyemis, aut torridæ æstatis iniurias; sed seipsum contemnit, si gloriæ spem futuræ non gerit.* Profectò Othoniel, ni futuræ gloriæ spem gereret, gigantibus minimè decertaret; at præmij illicium manus obarmauit ad bellum. *Hoc præmium proposuit, vt illorum*, inquit Masius, *fortitudini summo, quod habebat, brauio, in medium proposito, quémque singillatim maxima remuneratione dignum se censere declararet.* Sociorum quémque dignum illo præmio optimus dux habebat; verùm vt ad patranda egregia facinora vrgentes iniecerit cunctis stimulos, tanti præmij omnes incitauit spebus. Quid fortium animos retardarent pericula, vbi pretiosa adeò virtutis prouocabant brauia. Gigantes adoritur Othoniel, bellicis molestiis obiicitur, vt nobili adeò donatus refulgeat præmio. Sic præmia difficultates emolliunt, sic animos generosos accendunt.

Zeno.

Masius.

76. Non semel perpendi mecum, cur Dominus Iosepho pudicitiæ honorari inter sæuos adeò inuidentiæ, & amoris fluctus visibili non apparuerit specie, cùm pueris fornaci traditis apparuerit: *Ecce*, inquit Nabuchod. *ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.* Digni profectò pueri, dum ferocientis regis conditionales minas abiiciunt, & anhelantes horrendum obscuræ fornacis flammas contemnunt, qui Deum socium inter globulos ardentes habuerint. Inspirabat illorum animis, comitis pulchritudo inuictas vires, vt insanientem superbissimi ferociam resistendo torquerent, & flammarum vndas calcando sedarent: auitæ religionis propugnatores rore coronantur cælesti, & quia fornax illis gelidum non incusserat metum, ventus roris attulit gaudium: quia vrgentior charitatis flamma illorum adussit ingenia, furoris flamma attingere metuit corpora. Ipsis honorificantur pœnis, quos furor acrioribus deuouerat flammis. O benè! Sed, & Ioseph etiam patri obsequentissimus, fratrum amator, quam posset à grassatoribus, pertulit à fratribus nuditatem; ingenuus puer delicatè innutritus, duræ seruitutis laboribus condemnatur: Ægyptum intrat ministeriis addicendus indignis, qui regalibus natus fuerat sceptris: furentium fratrum odia insanæ mulieris amores excipiunt, & fluctibus inuidentiæ iactatus sæuiores enauigat impotentis amoris fluctus: nam fratres corporis insidiati sunt commodis vrgentissimo adusti odio; mulier verò animæ deliciosas prætendit insidias impuro pulchritudinis desiderio. Iosephus ea ætate, quæ continentiam prodat, non furoris; sed amoris flammas purus despexerit; & quidem difficilius certamen vincere delicias, quàm patienter sufferre offensas: carcerem puerulus intrat, ferro adustus, catena infami ligatus, & tamen visibilis Dominus non descendit in foueam, vt de oris venustate deliniuerit pœnam, aut iniustam prodiderit causam. Ecqua huius discriminis causa est? Fallar, ni sacra illa Iosephi somnia ad vires animo inspirandas fuerint efficacissima, dum non obscure futura indicarunt præmia. Vidit Ioseph cæli stellas morem ipsi gerentes, vidit Solem fulgoribus coronantem, vidit aureum illum spicarum manipulum cæteris sublimiorem: equidem ipse ait: *Vidi per somnium quasi Solem & Lunam, & stellas vndecim adorare me.* Et de præmio sic animus ad labores munitus, vt nec insanientis procellæ fluctibus sit abstractus: pueri non aspexerant præmia: ideóque illis opportuna fuerunt visionis auxilia. *Manipulorum somnium*, inquit Theodoretus apud Lippoman. *præsignabat fratrum frumenti gratia in Ægypto adorationem.* Aptius ibi Cyrillus: *Sic igitur Deus iuueni Ioseph per somnia significabat illum aliquando clarissimum, & fratribus suis longè præstantiorem fore, atque ita eum ad virtutes, atque meliora prouocabat, quemadmodum hi, qui præmia athletis proponunt, facere solent.* Pueris exhibuit præsentiam, ne laboribus concuteretur constantia: Iosepho non exhibuit, quia iam præuisa decertantis animum armauerunt præmia: quidni patienter ferret vincula cingendus ob labores diadematis? quidni veste pateretur nudari, qui se viderat imperialibus fasciis redimiri? Quidni repudiaret maritatæ delicias, quem virginis filiæque Solis puri manebant amplexus? de præmio obarmatus vicit, & spes certa ad tot procellarum fluctus inoffensè enauigandos direxit.

Dan.3.v.92.

Gen 37.v.9.

Theodor.

Cyrillus.

Reges illi, quibus Elisæus cælestes vndas miraculo exhibuit, sic regiam Moabitarum dura obsidione premebant, vt res iam videretur prorsus desperata: Moabitarum rex his premebatur angustiis, vt filium suum ignibus super murum deuouerit: *Arripiens filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum.* Maluit, vt in adustas solueretur fauillas, quàm quòd seruilibus premeretur catenis. Rogant interpretes, quid regem ad tam durum opus impulerit? respondéntque sciuisse ab Ephoris Abrahamum ob filij holocaustum de profligandis, euertendísque hostibus accepisse promissum asserente Domino: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*: Et similis præmij spes in adeò vrgente necessitate vnigeniti allexit ad holocaustum. O quantum Principum 77.

4 Reg.3.v.27.

Gen.22.v.16.

Principum intereſt præmiis egregia facinora munerare: nam vt fulmen vnum feriens, terret complures: ita præmium vnum munerans cunctos inflammat. Quia vidit ob holocauſtum filij Abrahamum nobilibus coronatum victoriis, acribus vnigenitum deuouit flammis. Lyra. *Dicit Rabbi Salomon* (verba ſunt Lyræ) *quòd rex Moabitarum quærens à ſacerdotibus ſuis quod eſſet meritum Iſraelitarum, propter quod Deus eorum tanta feciſſet pro eis... ſapientes reſpondiſſe, quòd merito patris Abraham, qui filium ſuum immolauit. Vnde ad inſtar Abrahæ rex ille volens habere ſimilem à Deo ſuo fortunam, immolauit filium ſuum.* Natura ipſa manus, ne filiis ſanguine macularentur, ligabat: florida pueri iuuentus gladium auertebat, & nihilominus ſic præmium, ſcilicet hoſtes ſubigere, allexit, vt patet rogis filium ardentiſſimis temeraria deuotione tradiderit: ſic mouet præmium; ardua adeò ſuadet nobilibus honor: duriſſimum erat naturæ facinus, ſed erat iucundiſſimus triumphus: præmij ergo inflammatus deſiderio filij aſtitit ſiccis oculis holocauſto.

78. Patibulatus Dominus patientiæ, modeſtiæque teſtimonio ipſi aduerſabatur patibulo: nec enim flagitioſius ea virtutis proderet documenta, dum ſæuiebant in corpus delicatiſſimum tot martyria: iniquiſſimus Iudex, ne inter latrones confunderetur, titulum cruci affixit, quo medio pendentis ſceleſtiora delicta mendaciſſimè proderet, cauſamque ſæui adeò ſupplicij fraudulentiſſimus coloraret. Matth.27. v.37. *Hic eſt Iesus Rex Iudæorum.* Legerunt ſcribæ, & adhuc crucifixo inuidentes titulum a cruce ſeparare contentiosè moliuntur. *Noli ſcribere Rex Iudæorum:* inſtitit tamen ille, & ne erraſſe vel leuiter videretur, Scripturam iterum atque iterum decretis ſanciuit: *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Inquiramus attentiùs, cur titulus iſte Phariſæorum animos adeò vlcerarit, curque clamoſo ſilentio intus perſonante à ligno Dominus titulum ſeparari non tulerit, qui furentium manus carnificũ tolerauit. Chryſoſtomus in catena inuidiam has criminationes protuliſſe teſtatur, quaſi de tituli inſcriptione omnem ſuam amiſerit operam, & quidem vt Chriſti aſſeclas, crucíſque alumnos prorſus impedirent, nullam valentiorem artem potuerunt nequiſſimi illi hoſtes excogitare: lignum námque præmio nudum omnibus redderetur odibile; vt regno propoſito in præmium cunctis reddebatur amabile: deſpicient námque ſacra ambitione temporalem iniuriam, qui immortalem ſuſpirauere coronam, nec patibuli ignominioſa auertent tormenta, quos regalia efficaciter prolectant inſignia. Dura crux; ſed optabile regnum: de tituli ergo dulcore ligni melliebatur pœna, & rigor tranſibat in gaudia. Chryſoſt. *Iudæi*, inquit Chryſoſtomus, *crucifixo inuidebant: vnde ſequitur: Noli ſcribere Rex Iudæorum:* regnum in crucis apice lucens ſic ignominioſa obnubilabat martyria, vt crucis æſtuantia cunctis indiderit deſideria: præmium ergo ſeparare peruerſa aſtutia conantur, quo nullus Chriſtum imitari conetur. Sic difficultates emollit præmium, ſic ſubluto præmio virile ad facinus marcet animus.

79. Apoc.2. v.7. *Vincenti*, aiebat Dominus, *dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.* Pauci ſanè edent, ſiquidem flammeus gladius arcet ingreſſum! nugatoria ad ſpeciem videatur promiſſio nam quos ſaporatus allicit fructus, & gladij ſimul horribilis deterret metus: ſi alibi floreret lignũ ſors homines ſeparati ac vitalis fructus ardua molirentur vincere deſiderio; verum quid intereſt vitæ fructus in præmium proponi, ſi ſciunt omnes flammeo enſe audentis greſſus arceri: *Collocauit*, inquit, *ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Gen.3. v.24. Nullus ſanè medias ingredietur per flammas, vt arboris accipiat cupedias? Imò arboris ſeparatos proponit fructus, vt homines vel per igneos audacter irrumpant gladios. Dum vita vocat, dum præmium inuitat, nec arcebit flamma, nec retardabit moleſtia. *Primis hominibus*, inquit Rupertus hic, *quia corripienti Deo non acquieuerunt, ſed peccatum ſuum excuſarunt, lignum vitæ interdictum fuit Geneſ.3. rectè, modò pœnitenti aditus ad lignum vitæ repromittitur, quod eſt ipſe Chriſtus.* Rupert. Quia olim homo falſo propoſito præmio nullis eſt difficultatibus impeditus; modò allicitur vero, vt nullis laboribus retardetur. Flamma prohibet, per ignes, & per vulnera eundum eſt; ſed egregij milites diffluentem corpore ſanguinem læti aſpiciunt, & præmio allecti ſeipſos generosè contemnunt. Benè ergo vitæ lignum pœnitentiæ præmium proponitur, quo flammeus gladius dignis auſibus deſpiciatur: nam Scæuolam gloriæ ambitio flammis manum admouere edocuit, & Dauidem melioris præmij amor ad cum belluis decertandum allexit. Præmium ergo cæleſte reſpice; animo crucis perpende titulum, & deſpicies omnes ærumnas, quibus à virtute retardatur animus, & eneruatur affectus.

---

§. XIX.

Vires inſpirat magiſtro profectus diſcipuli, & lubenter ſatagit exercere, quod clientulum aſpicit imitari.

Gloria magiſtri diſcipuli profectus eſt, & agricolæ adinſtar, dum terram profundioris ſulci excolit, quantumuis deſudet, minus laborat: quia ſpectatus fructus laborem mellit, 80.
& difficultatem emollit: ibi gemit agrorum cultor, vbi ſeges minimè reſpondet aratro: exiguus prouentus laboris acerbio eſt: pompa doctrinæ eſt diſcipulus eruditus, vt magiſtri rubor inductus. Qui operas ſuas benè collocatas aduertit, exultat, & gaudet; qui amiſſam videt induſtriam, dolet. *Creſco, & exulto*, aiebat Senec.
Seneca diſcipulum alloquens epiſtol.34. *& diſcuſſa ſenectute recaleſco, quoties ex his, quæ agis, & ſcribis, intelligo, quantum te ipſe (nam turbam olim reliqueras) ſupergrederis. Si agricolam arbor ad fructum producta delectat, ſi paſtor ex fœtu gregis ſui capit voluptatem, ſi alumnum ſuum nemo aliter intuetur, quàm vt adoleſcentiam illius ſuam iudicet, quid euenire credis his, qui ingenia educauerunt, & quæ tenera formauerunt, adulta ſubitò vident.* Magna paſtori voluptas gregem ſuum aliis pinguiorem, & nitidiorem videre. Sibi gratulatur agricola de plantæ proceritate, fructúſque dulcedine, ſi teneram excoluit, aut ſeuit: vires eneruat planta ingrata laboribus, & ruſtico ingenio operas infamans

famans agricolæ. Gaudet magister discipulo coæquali, túncque ille augustior accrescit gloria, cum vltra tumorem discipulus de scientia cum ipso magistro decertat. Adest Calebus huius veritatis testis, adeò strenuè pugnauerat in gigantes, vt depulsis extinctísque monstris, Hebron ciuitatem æternum nominis sui monumentum armis subegerit, & certaminibus acquisierit; verùm, vt eius gloria cumulatiùs resplenderet completa, egregios milites sub se merentes ad opera similia incitauit. *Qui percusserit*, inquit, *Cariath-Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* Verùm quòd alienas operas mutuetur, qui gigantum triúphis victor gloriosissimus coronatur? modò vires ostentabat canitie refragante indefessas, & manus iam conducit extraneas? Profectò Calebus gestit gloriam suam strenuis militibus communicare; imò de militum strenuitate felicitatem suam cumulatiùs augere: erat namque suppares habere milites duci gloriosum, & de imitatione iucundum. Accipe Masium eleganti stylo rem explicantem: *Calebum ego certè puto victis profligatísque ad Hebronem gigantibus, cùm ipse ex ea victoria satis se gloriæ & laudis consecutum esse arbitraretur, hanc suis viris optimis demandare voluisse, vt quorum virtutem atque fidem expertus nupero bello fuerat, cum eis rerum gestarum laudem communicaret.* Ad Hebronem gigantes subegerat dux strenuus; gloriæ tamen eius hoc deerat, miles scilicet triumphis simillimis coronatus, ac exemplum ducis secutus. Ergo, vt eius fama augustiori luce resplendeat, militem ad imitationem prouocat: quasi depulsis etiam gigantibus aliquid adhuc defuerit triumpho, si miles non aggrediatur similia ducis stimulatus exemplo.

Masius.

81. Iosue Christi Domini personam gerens contra Amalec pugnaturus certamini selegit optimos, dúmque ipse signa cum inimicis confert, Moyses montis cacumina extensis manibus Domini virgam gerebat, manus eleuatio aut extensio vires Iosue ad debellandos hostes suppeditabat, idémque erat Moysem manus eleuasse, & Iosue ardenter pugnam iniisse: vt è contra manus remittere lassas, erat vires inspirare hostibus indefessas: *Cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Inquiramus, si placet, quid intererit manus crucis in modum extendat, aut defatigatas remittat, vt Iosue inuictas in hostes vires ostentet, aut remissius pugnet. Profectò si Iosue Domini personam non gereret, nil mirum alienis manibus fulciretur; verum si Domini personam agit, cur de manus extensione pugnat ardentior, & de demissione remissior? Imò ad nostram eruditionem, inquit Tertullianus, aduersus gentes cap. 11. quia Domini personam gerebat, ardentiùs, cùm Moyses manus extenderet, dimicabat: quidni depræliaretur Dominus animosè, dum Moyses eius exemplum adeò imitaretur egregiè? Languet, si liceat dicere, aliquo modò ad hostes subigendos Domini vigor, cùm ipse præliis desudans videt homines vel exiguo labori parcentes, & commodis vigilantes. *Iam vero Moyses quid vtique tunc tantum cùm Iesus aduersus Amalec præliabatur, extensis manibus orabat residens... nisi quia illic, vbi nomen Iesu dimicabat dimicaturi quandoque aduersus Diabolum, crucis habitus quoque erat necessarius, per quam Iesus victoriam esset relaturus.* Habitus crucis in Moyse necessarius erat non vt Dominus noster Iesus inimicos subigeret; sed vt quodammodò animosiùs ad nostram eruditionem pugnaret: quasi tunc lætiùs vehementiúsque crucis gladio oppugnauerit aduersarios, cum crucis habitum imitantes videt discipulos. O quam lassescerunt Iesu vires, si imitationem nostram opperiretur! Quàm rari nostra tempestate crucis habitum in se exprimunt, & extensis manibus bellicos Christi labores imitatione nobilitant! Dum Moyses manus extendit, alacriter Iesus aduersus hostes desudat: dum manus crucem respuunt, & præliantis quodammodò vigorem imminuunt.

Exod. 17. v. 11.

Tertull.

Crux triumphorum vena.

82. Discipuli à magistri consortio tantillùm abducti immani cum tempestate depræliabantur, ingruens procella decumanis fluctibus ingemiscentem diuerberabat scapham, per conglobatas vndas viam inuenire nequibat prora: rectoris defatigabatur prudentia, & ferè in cassum laborabat industria: carbasa demissis antennis violentiæ tempestatis cedebant; increbrescebant per momenta pericula, & sæua minabantur naufragia: iam vnda præruptorum montium cauis voluminibus nauim penitus absorbebat, & iam tumentis gurgitis manibus ad cœlos vsque iactabat; verùm dum procellæ increbrescentes insaniunt, & horrendum sibilant funes, Dominus spumosa maris tergora calcans properat opem miseris collaturus: *Venit ad eos ambulans super mare.* O Domini humanitatem! nullum refugit laborem, vt tempestatem sedarit! poterat quidem sedare edicto, voluit tamen accurrere gressu labiles pedibus fluctus calcat, qui verbo potest furentes ventos reprimere, & tranquillitatem iubere. Quid tunc? Petrus, vt magistri honorauerit gressus, intrepidus calcat vndas, & figit æquore plantas. *Ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum*, verùm turbatus à venti impulsu tantisper titubat, & magister corripit diffidentiam, qui carpturus videbatur audaciam: & cur non sugillet Petri ad speciem temeritatem, dum ipse etiam Domini ad instar siccis marina tergora gressibus calcare præsumit? *Descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum.* O vtilem nobis eruditionem! vt Dominicos Petrus imitetur incessus, lubenter magister marinos per fluctus explicuit passus. Et cur recusaret Dominus pelago gradiendi labores visurus Petrum piè audentem, & intrepidè sine carinæ auxilio fluctus secantem? Dulcescit sanè magistro labor, dum ad eius exemplum intrepidis discipuli gressibus calcatur æquor. Petiuit Petrus ad Christum ire, vt eius miraculum certiùs fulgeret, & cumulatiùs radiaret. *Priùs*, inquit Chrysostomus hom. 51. in Matth. *ventis solummodo imperauit; nunc verò & ipse ambulat, & alium ambulare super maria facit. Quod si ab initio fecisset, non similiter certè Petrus (non enim tantam fidem adhuc habebat) mari se commisisset*: vbi nullus inuenitur eius imitaturus exemplum, mari non graditur; sed insanientes ventos præceptorum catenis frænat, & ponere gressus recusat: quid enim patrandis adeò miris inuigilaret, si imitatorem nullatus reperiret? At cùm Petrus audet magistri facta imitari, nec magister refugit exercere: vbi imitatio defuit, calcandi vndas vigor quodammodò elanguit; Dominus gressus modò vndis figere non

Matth 14. v. 26.

Chrysost.

non recusat, quia videre Petrum per maria viatorem delectat. Seneca. *Assero te mihi*, aiebat Seneca citata epistol. de alumno optimo eius imitatore, *meum opus es; ego cùm vidissem indolem tuam, inieci manum, exhortatus sum, addidi stimulos, nec lentè ire passus sum. Et nunc idem facio; sed iam currentem hortor, & inuicem hortantem.* Certè manum iniecit indolem agnoscens, minimè iniecturus, nisi agnouisset: quis enim doceat natare ferrum, aut dealbare laboret natura fuscum: gaudet sigillum ceræ imprimi, rupi recusaret: alibi namque casus labor, alibi imaginis pulcherrimæ fructus: nihil est quod sic delectet magistrum, vt ingenium præceptis obuiam prodiens, & doctrinæ semina nutriens. Cùm Petrus magistri per æquora imitatur incessus, magister non laborat; sed gaudet: aliter non gauderet; sed laboraret.

83. Iacob fratris iram absentia emolliens, & tempore (est namque ægris affectionibus persanandis optimus medicus) iram indignationis eludens iter arripuit, cúmque itineris labor noctis silentium, & irrepens sensim inuitaret sopor, sub dio decumbit: vidit ibi scalam illam mysteriorum gradibus celsam, & Dominum scalæ innixum, quasi placidè recumberet, & laborem accubitu releuaret: Gen. 28. v. 13. *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quóque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Hebræus legit: *Et Dominus stabat super eam.* Aptius instituto nostro Chaldaica: *Ecce gloria Domini stabat super eam.* Verùm si consulamus Augustinum apud Lippom. scala crucem adumbrari docebit: August. *Dominus innixus scalæ Christus crucifixus ostenditur.* Quomodò ergo ignominia transire potuit in gloriam, & molestus ligni cruciatus mollis erit Domino accubitus? Eo profectò Dominus humanæ salutis amore flagrabat, vt ipsa crucis asperitas, & durities pro lecto floridissimo esset, asserente sponsa: *Lectulus noster floridus*; verùm cur hîc præ locis aliis crux crucifixo dulcescit? explicuit profectò dilucidè textus, quia scilicet Iacob nuda humo cubabat lapidi innitens, & Christi Domini paupertatem amplectens. *Ecce gloria Domini stabat super eam*, scribit Lippoman. Lippoman. *vides autem hîc quod somnia sancta eorum sunt, qui corpora sua negligunt, parco victu nutriunt, ad delicias non assuefaciunt, molliora strata non subyciunt, profundo somno non obruuntur.* Vbi vidit nobilissimam hanc plantam de amarulentis crucis radicibus pullulare, iam Dominus crucis non discruciatur sæuitia; sed lignum videtur gloria: *Ecce gloria Domini stabat super eam.* Dulcescit cruciatus, quia dulcis in Iacobo respondet fructus: nec enim vel inter crucis dolores poterat affligi, qui de Iacobi imitatione nequibat non delectari. Ergo Iacobus humi cubans, delicias spernens, lapidi caput supponens, dum in se crucifixum Dominum refert, & Domini cruciatus emollit: gaudet namque de alumni profectu, qui aliàs crucis adurgeretur cruciatu. Ergo si angores Christi Domini delinire, eius cruciatus sedulè labora imitari: nam de fructu mellitur labor, & de imitatione abstergitur sudor.

§. XX.

Ille ad gloriam omnium redimitur triumphis, qui ad triumphos primus aut verbis impulit, aut exemplis.

Ad agricolæ gloriam copiosus arboris fructus spectat, ex fœtu gregis pastor iactabundus exultat: quia quidquid labor, & cura aut arbori aut gregi impendit, fructus ad cultoris laudem persoluit. Fortassis arbor nec viridantibus foliis adornaretur, nec gratis vernaret floribus, nec saporatis niteret fructibus, ni agricola tenerum radicis fouisset ingenium, & ligone verteret solum: pastor, qui ad amœniora irriguáque pascua laborem nullum fugitans gregem minauit, de industria, solicitudinéque omne sibi vendicauit augmẽtum: fructus pastoris est, quidquid industria creuit; gloria agricolæ, quidquid sudore vernauit. *Si alumnum suum*, aiebat Seneca epist. 34. *nemo aliter intuetur, quàm vt adolescentiam illius suam iudicet: quid euenire credis his, qui ingenia educauerunt, & quæ tenera formauerunt, adulta subitò vident? Assero te mihi: meum opus es: ego cùm vidissem indolem tuam, inieci manum, exhortatus sum, addidi stimulos, nec lentè ire passus sum; sed subinde incitaui.* Iure suum opus vocat, quem ad virtutem adhortationibus impulit, & exemplis tacitè admonuit. Qui alios factis aut verbis gloriosos incitauit ad triumphos, omnium partis ditescit iure trophæis, quia omnia facinora illius resplenduerunt ad gloriam, qui factis, aut verbis omnes animauit ad pugnam. Calebus filiam suam spondet in matrimonium Cariath-Sepher expugnanti, hostésque percutienti: *Qui percusserit Cariath-Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* Præmium Othonielem strenuum alioqui militem adeò inflammauit, vt contempto periculo hostes animosè aggressus defficerit, ac ciuitatem subegerit. *Cæpit eam Othoniel.* Statim pungit scrupulus: videtur námque, & Calebum temeritatem consuluisse, & Othonielem tentasse: *Qui percusserit*, inquit. Et quomodò priuatus miles copiosa armatorum agmina quibit prosternere, & validissimos ciuitatis muros diruere? Ergo Calebus plures ad ciuitatis euersionem aliis præmiis prolectet, ne dum singularem incitat, audacem hostibus tradat. Poteritne Othoniel in tot aduersariorum cuneos irruere, & fugatis copiosis armatorum phalangibus detriumphare: *Cæpit Othoniel*, non quod ipse solus imprudens, & temerarius se periculis obiecerit; sed quia primus, & hostium muros labefactauit, & militibus viam ad hostes euertendos aperuit. *Non intelligitur*, inquit Abulens. q. 6. Abulens. *quòd per se caperet vrbem, & occideret habitatores illius, quia tunc cùm dicatur quòd Othoniel frater Caleb percusserit, & ceperit eam, sequeretur quòd ipse per se hæc omnia fecisset, non est tamen verisimile... Dicendum ergo quòd verba Caleb intelligebantur de eo, qui primò percuteret habitatores Dabir, & irrumperet vrbem, effringendo portas, & intrando vel ascendendo muros.* Cœpit Othoniel, quia reliquis antecessit exemplo, & ad debellandos hostes gloriosos incitauit

ranit facto. Plures in ciuitatem irrumpentes aduersarios vi depulerunt; omnium tamen triumphis florida Othonielis vernauit laurus, illius reliquorum facinora militarunt ad gloriam, quia strenuis illos factis incitarat ad pugnam.

85. Petrus post sæuam illam Dominicæ crucifixionis procellam, postque serenam resurrectionis placiditatem mare piscaturus contendit:

Ioan.21.v.2. *Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Dydimus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit ei Simon Petrus: Vado piscari: dicunt ei: Venimus & nos tecum:* noctem insomnes ponunt, vt pisces sinuosis è latibulis eruant. O quanti insudant, vt noceant! Dormierant profectò in horto, vigilabant in salo: hîc labores suadebat cupiditas auri, illic vigilias angor consulebat magistri; verùm rationi semper obdormiunt: qui cupiditati inseruiunt. Tandem cùm iam blanda luce rosea campos perfudisset aurora, littore magister stetit, & sugillatiua voce, quid haberent pulmenti, piscatores defatigatos rogauit. Nullum percepisse fructum respondent, tunc ad nauigij dexteram rete mittendum pientissimus iubet. *Miserunt ergo, & iam non valebat illud trahere præ multitudine piscium.* Agnouit Ioannes miraculo Dominum, Petrus celerior cæteris cucurrit ad Christum, vt de reditus præstantia timoris innubiletur aliquo modo fuga: cæteri nauigium trahunt, cumque Magister de prensis piscibus adduci iuberet, *ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus.*

Gregor. Gregorius in Catena: Omnem hic piscaturam Petro adscriptam tradit ad gloriam, vt olim Dominus etiam commisit Ecclesiam: *Petro sancta Ecclesia est commissa, ipsi specialiter dicitur: Pasce oues meas. Quod ergo postmodum aperitur in voce, nunc significatur in opere. Ipse enim pisces ad soliditatem littoris pertrahit, quia stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit.* Vt fidelium cætus, sic Petro captura adscribitur piscium; verùm si alij Apostoli eosdem subiere labores, si in iactando rete, piscesque trahendo insudarunt: ait enim: *Miserunt ergo rete:* cur Petro tota adscribatur captura, cùm fuerit capturæ communis reliquis diligentia? *Traxit,* inquit, *rete in terram.* Omnes quidem rete miserunt, omnes concluserant pisces; verùm Petrus reliquos perduxit ad mare: quia ergo in opere primus, reliquorum illi omnium adscriptus est labor; Ceperunt pisces; sed Petrus impulit ad capturam: ideò capturæ iure vindicauerit sibi gloriam. *Alij discipuli sequebantur Petrum,*

Chrysost. inquit Chrysostomus in Catena, *vnde dicitur: Dicunt ei: Venimus & nos tecum.* Se ducem præstitit, ideò aliorum facta meritò sibi arrogauit. Hoc idem Regum attestantur libri.

86. Iosue cum Amorrhæis manus conserens iam pene triumphis coronabatur, cùm appetens nox & certaminis cogeret ad inducias, & hostibus opportunas promitteret latebras; verùm strenuus dux causâ fisus, dum religiosum Domino præstat obsequium, vel vsque ad sydera regale extendit mandatum: elementis stationem imperauit, & Sol cælestium luminum Imperator morem gessit Imperatori terreno: antiqui ergo sydera tenoris oblita, dum obedientiæ inseruiunt, & fulgores sibi producunt:

Iosue 10. v. 13. *Stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei: non fuit antè, nec postea tam longa dies.*

Naxera in Iosue Tom. 2.

Abulens. Abulens. q. 22. censet non solùm Solem, lunámque gradus stitisse; sed machinam cælorum omnium prorsus cessasse: *Satis videtur dicendum, quòd non fuerint moti (cæli) sed stante cælo Solis tota cælestis machina stetit, & ipsum etiam primum mobile.* Hoc idem videtur tradere Tertullianus lib. aduers. Psychicos c. 10.

Tertull. *Ipsis elementis stationem imperauit: stetit Sol in Gabaon.* Verùm si non solùm solaris rotæ; sed reliquorum astrorum gressus inhibiti; cur Soli vnico hæc adscribatur victoria? An quia adulatio magnorum solùm facta gestit iteratis acclamationibus extulisse, vt aliorum etiam gesta in artificium etiam adulationis tumulasse, quo gratiam sibi conciliauerit, & repetito præconio, & affectato silentiò? Referat textus astra cætera etiam hæsisse, & victoriam retardatis luminibus coronasse. Profectò hîc non dedecorosæ adulationi seruitur; sed thesis nostra dilucidissimè declaratur: astra cuncta cessant, omniaque pariter Iosue victoriæ gloriam procudunt; verùm cùm Sol astrorum omnium primus hæserit, suóque reliqua exemplo ad sistendum gradum quodammodo impulerit; ideò vni adscribitur, quod ab omnibus emanasse probatur: nam qui alios dignis allexit exemplis, & decoris præcessit etiam elogiis: *Ipsis elementis stationem imperauit: stetítque Sol.* Sol, vt præcedit reliqua astra splendenti luminum pompa, sic etiam præcessit digna obsequelâ. Ergo Soli adscribitur: *Stetítque Sol,* quod suo exemplo aliis persuasum probatur: dum luminare maius laudabili otio astris cæteris suasit hærere, & triumphum dicitur Iosue strenuissimo comparare: *Stetítque Sol,* omnium militauit astrorum otiis, qui astra omnia ad honestum otium suis prolectauit exemplis: vt ratum sit omnium redimiri triumphis, qui ad triumphos primus aut verbis impulit, aut laudandis exemplis traxit.

Abrahamo iubet Deus filium monte iugulet, 87.
& vt micantior charitatis scintillauerit flamma, niues opposuit natura; verùm ille propero gressu contendit ad montem, & filium iuuenibus stipatum adduxit.

Gen. 22. v. 3. *Strauit asinum suum ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum.* Omni sacramento disposito gladium exacutum stringit, & ictus locum rimatus armatam ferro subleuat dexteram ea ambitione, qua posset prensare palmam. Qui victimam postulauerat, contradicit: nec enim expetebatur sacrificium sanguinis; sed amoris. Huius facinoris cælum laudes ingeminat, magnificisque promissis coronat. *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi.* Benè est quod patris facta elogiis cælum commendet; verùm cur filij non commendet obedientiam; sed omnem patri adscripserit gloriam. Pater ferire parat; sed filius præbere iugulum non recusat: senex vinculis manus constringit; sed iuuenis vinciendas lubentiùs offert. Estne minus vitam generosè spernere, quàm gladium alieno sanguine maculare? Ergo cœleste insonuerit præconium: *Quia fecisti rem hanc:* ne laus singularis detur, quæ communis debebatur: *Quia fecisti,* inquit, *rem hanc.* Multa sanè animosè peregit Isaacus; sed pater illum duxit ad montem: omnia ergo, quæ perfecerat ductus, debebantur ductori: ideóque omnia Abrahamo militauerunt ad gloriam, quæ Isaacus peregerat

T consi

Zeno. consecratus ad aram. *Antequam veniret ad montem* (Isaacus) *cùm de patre quæreret, vbi esset victima, quam disponeret, & immolaret, securus de fide generis sui pater filio, de quo non dubitabat, patefecit, quia se Dominus postulasset, & quod ipse Domino promisisset, ostendit.* Ostendit pater, inquit Zeno serm. 1. de Abraham, filio voluntatem diuinam, manus porrigere monuit, iugulúmque præbere. Ergo quæ ductus, doctúsque perfecit filius, cœlestis patris adscribendum edocuit Angelus; nam ille ad gloriam alienis redimitur trophæis, qui alios ad trophæa & incitauit verbis, & impulit factis.

---

§. XXI.

Insaniunt homines ad ominosam pulchellarum gratiam captandam; ignauia torpent ad vtilem præceptionem Numinis adimplendam.

88. VEnustas, orísque pulchritudo res gracilis, & quæ vernantis floris adinstar fugiat aspectus, dum gratè prolectat obtutus: omnia humana volubili temporis rota se insequuntur, quia se diffugiunt. Profectò quod Ixion apud manes patitur, omnis fere creatura apud sæculum experitur:

Voluitur Ixion, se se sequitúrque, fugítque.

Verùm quid aliud Soli contingit? aurata sed rota voluitur, séque continuò insequitur, quia perenniter se fugit. Quidquid ambitioni mirum, & fragilitate caducum. *Bona humana*, aiebat Plutarchus lib. de instituend. liber. *tenuia, neque admiranda sunt: opes preclaræ, at fortunæ possessio, quando possessoribus eas subinde detrahit, nec sperantibus verò subitò confert. Ac magna quidem opulentia exposita est iis, qui loculis adijciunt oculos, improbis seruis, sycophantisque: forma elegantia summis votis expetenda; at breuis æui.* Adstipulatur etiam Philo lib. de Ioseph: *Quid aliud res corporis nónne somnia sunt, nónne pulchritudo momentanea penè prius marcescit, quàm floreat?* Deludit oculos, dum delectat, venustas; cætera humana fugacia quidem; sed oris pulchritudo inter cætera fugacissima. Adde non solum volatilem, sed mentitam; fœminæ namque variis artibus fuluos discunt medicare capillos, vnguentariis lecythis elaborant nitorem, à cerussa mutuantur alborem, à rubricera purpuram, ab stibio gratam oculorum nigredinem, & quidquid oculis pulchrum imponit. Ita Zeno Veronensis serm. de pudicitia. *Interea miris excolit artibus sese, faciémque suam in se, quam non habet, quærit: pingit se in seipsam, & lenocinante vario magistri medicaminis fuco vultum suum vultibus vestit alienis, hoc futura non quod natura præstitit; sed quod ei ad examen speculi arbitrium temporale dictauit, nunc emendat, nunc delet quas amauerat species, nunc subijcit alias, nunc parturit nouas.* Vt sæpè fœda cariosáque ligna tenuissima auri bractea circumtecta & allectant obtutum, cùm celerem minentur casum, ita non mulieris, sed artis compacta facies, & allicit, & ferit, & allectat, & frustra: nec adhuc hic terminabile malum est; nam vt venustas splendentis fuci auxilio decora, ita & ingenitæ inconstantiæ varietate est infida.

Plutarch. *Fortuna subitò deijcit, sed subitò nõ extollit.*

Philo.

Zeno Veron.

Tolerabilis esset error veram pulchritudinem etsi fugacem amare: excusabile adhuc esset fictam sequi formam fidelem tamen; at muliebris constantia solùm in varietate firma, & mutabilitate nota. Audi Cassiodor. 2. var. 11. *Sexus ille fœmineus ad mutabilitatis vitia patet.* Hæc ergo fugax, mentita, falláxque pulchritudo (quod demireris) ita hominum animos sibi imperiosa subegit, vt nihil, quantumuis arduum omittant, vt ominosam fallacis pulchritudinis captauerint gratiam, gelu rigores sustinent, Solis æstus tolerant, mortem despiciunt, pecunias prodigunt, & quidquid insanus efficeret, amasius facit. Iusserat Dominus Hebræorum tribubus, vt ascriptas adirent hæreditates; verùm aut hostium metu, aut voluptatum illicio sic torpebant, vt illarum inertiam acriter Iosue prudentissimus obiurgarit: *Vsquequò marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* Vides præceptiones differre diuinas, otióque indulgentes vel propriis commodis renunciare. Audi quid faciant homines, si muliebris venustas in præmium proponatur. Caleb gigantibus depræliatus illos subegerat, cúmque ad habitatores Dabir peruenisset, ne difficilis victoria, arduúsque conflictus partos obscuraret triumphos, aut militares arduitate tardaret animos, Axam filiam suam pudicitia quidem celebrem, oris placiditate venustam in præmium proponit. *Qui percusserit Cariath-Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* Quid tunc? *Cepit eam Othoniel filius Cenez frater Caleb iunior.* Nondum audis Axam promissam, & audis ciuitatem à iuuene Calebo expugnatam. Nec mirum; nam quantumuis difficultates terrerent, pulchritudo suadebat certamen aggredi, & consulebat ambire. Prudenter sanè Calebus, vt ardua pericula strenui milites animosè aggrederentur, iuuenculam in præmium fortitudinis promisit: sciebat namque nihil non ardentes tentare iuuenes, vt pulchellarum aut mereantur connubia, aut allexerint sibi ingenia. *Aliàs*, scribit Abulensis q. 6. *nullus se vellet exponere tanto periculo mortis irrumpendo primus in vrbem, & percutiendo primo viros Dabir: magnum enim est, quod pretio vitæ emitur, & re vera nihil hoc carius.* Ecce, vt Domini præceptiones adimpleant, ducis adurgentur præceptis, vtque inerti indulserint otio, non detrectát iniuriam Numinis intulisse mandatis; ast dum puella offertur in præmium, quisque aggredi molitur periculum. Quantumuis adurgeret præceptum, quantumuis ducis milites adhortaretur mandatum, varias excusationes prætenderent, & causas multimodas colorarent, barbaricas causarentur fors præceptiones, temerarios ausus, imprudentes adsultus, & quidquid inertia didicit, & ignauiæ studium alias composuit. *Aliàs nullus se vellet exponere tanto periculo mortis*; ast dum proponitur Axa, audacter contemnitur vita. O vtinam hoc non adeò verum, nec frequenter adeò vsitatum; sed nil auditur frequentiùs, quàm riualem illum vulneratum, amasium illum occisum: quia huius aut illius pulcherrimæ fœminæ insanè discupiuit delicias, & vetitas rapere tentauit cupedias, & tamen nullus libidini modus, aut furori apponitur terminus.

Cassiodor. *Fœmina itèr varia.*

Iosue 18. v. 3.

Abulens.

Compo

89. Componamus Moysem cum Adamo; Moyses a Domino in Ægyptum legatur opem miseris delaturus: *Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israel de Ægypto.* Grauissimum sanè munus: pendebat enim, & oppignerata Nominis patribus olim fides, & numerosi populi salus ab hac Moysis legatione; & ne detrectaret imperium, felicem euentum Deus ipse prædicit, fidémque dictis miro illo rubi portento facit; verùm Moyses oris tarditatem opponit, & quidem voluntas præ lingua tarda: contribulium diffidentiam allegat: & alia machinatur sexcenta. Ecqua huius adeò importunæ cunctationis est causa? Sibi imminere mortem suspicari: *Vade, & reuertere in Ægyptum*, instat adhuc Numen; *mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.* Prodit Deus excusationis causam, scilicet mortis timorem: nam etsi temporis plurimum iam elapsum, verebatur Moyses, ne forte adhuc in Ægyptiorum cordibus conceptum olim fumaret odium. *Iubetur a Domino*, inquit Lipponanus, *vt redeat in Ægyptum, & consolatur de morte hostium, quo confidentius redeat.* Vides mortis incertò imminentis, imò certò non imminentis terrorem gressus tardasse, fixisse manus, & pectoris quodammodo robur congelasse. Transi mente ad Adamum; illi Deus arborem interdicit, morte expressis verbis fulminata: *In quocúmque die comederis ex eo, morte morieris.* Serpens muliebrem ambitionem incendit, & ad insulsum carpendum fructum, manum consiliis vaferrimis prouocauit: Tulit illa seductionis fructum, postquam rem cum serpente ad speciem discusserat, periculaque contemplerat; delusa iam mulier venenatum fructum niueis Adamum manibus propinauit: *Dedit viro suo, qui comedit.* Nec quas serpenti mulier, mulieri Adamus opposuit difficultates; sed incunctanter comedit, ne mulierem contristaret. Expendamus modò, cur Moyses nescio qua mortis suspicione territus gloriosam adeò legationem detrectet, cùm Adamus mortem non expauerat certissimam, & ab ipso Numine pronunciatam? Sanè vt Euæ adeò charæ mercaretur gratiam, & captaret sæculis noxiam beneuolentiam. *Vxorem igitur*, scribit Augustinus 11. de Genes. ad Litter. *quæ iam seducta manducauerat delicias suas noluit Adam contristare, quam credebat a se alienatam tabescere.* Moyses quantumuis irascatur Deus, iratus námque illi ad speciem est, mortem subire recusat: est enim omnium terribilium terribilissimum mors; verùm adeò Adamus Euæ suæ pulchritudinem demereri ambitiosus gestit, vt nec horrido mortis pallore terreatur, nec tot angorum laboribus infrænetur: mortem combibit alacer, periculum deglutit intrepidus; imò quæ muliebri insaniæ pareret, lætabatur hoc in se Euam. Moyses nimis tardè Numinis aggressus est adimplere iussum: fortassis Adam Euam audissime arripuit pomum; sic insaniunt homines, vt nociuam pulchellarum, dispendiosamque lucrentur beneuolentiam, sic torpent, vt vtilissimam Numinis acquisierint gratiam.

Exod.3. v.10.

Exod.4. v.19.

Genes.2. v.18.

Gen.3. v.6.

August.

90. Audio Hebræos sæpissimè criminari in solitudinem adductos, desertísque horridissimis commoratos: *Cur eduxistis nos in desertum istud?* Desertorum sterilitatem causantur, Solis æstus, mitium fructuum inopiam, quantumuis Deum nube fulgida comitem itineris habeant. Vides adhuc propriæ salutis, libertatisque negotium oblatrantium non occlusisse linguas, nec ingratas eripuisse querelas, vide modò plures vt voluptatis, libidinisque negotia curarint, non solùm tetendisse vsque ad desertorum inuia, sed vsque ad montium prærupta. Sedebat illa meretrix à Ioanne visa arduissimis desertorum montibus, & nihilominus nec retardabantur amasij, nec impediebantur prodigi: *Abstulit me in spiritu in desertum, & vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam.* Vides deserto inhabitantem, audi quibus montibus: *Septem montes sunt, super quos mulier sedet.* Vti temeritatem prudenter damnauit antiquitas, Titanes scilicet montes montibus supposuisse, vt dominium adipiscerentur Olympi, & vides montes montibus imposuisse mulierem, vt fastum ostentaret superbiæ. Illuc riuales confluunt. Equidem ait textus: *Cum qua fornicati sunt reges terræ.* Perpende amabo te: qui, & vbi huius mulieris amplexus ambiuerint meretricios, quique illa fastidierint deserta, vbi nubes depluebant manna, & rupes fontium imitabantur ingenium. Hebræi fœnis luteisque operibus obscurati, asperiori cibo innutriti, duris vapulantes verberibus desertorum labores fastidiunt, cùm ad desertorum cucurrerint præcipitia delicatissimi reges. Adeò tamen res corporis studiosè curantur, adeò præcepta Numinis contemnuntur, cum nuper mancipia desertis degere ad promerendam Numinis gratiam respuerint, delicati principes montium prærupta calcant quò mulieris gratiam ambiuerint. *Taliter fornicantes in eam quoque amentiam deuenerunt*, scribit Rupertus lib. 10. in Apocal. *vt perdita rationis dignitate homines dæmonia per varias simulacrorum species colerent.* Nihil non tentarunt homines, vt his charis sibi, & profectò caris amplexibus fruerentur. Simulacra adorarunt, quidquid illis muliebris iniunxit amentia, flagrans expromptè peregit insania. *In deserto*, addit Ambrosius hic, *mulier meretrix inuenta est:* quia sanè quæsita. Non respuerunt deserta tendere, qui discupiunt inuenire. Saporatum cælestémque odorem spirans manna despicitur, sed venustas sumptibus, & confragosis itineribus quæritur. *In deserto mulier meretrix inuenta est.*

Apoc.17. v.3.

Rupert.

Ambros.

91. Nouit Saül hanc frequentem homini insaniam, & cùm Dauidem morti tradere studiosiùs optaret, Philisthinorum capita sponsalium loco petiuit: *Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantùm centum præputia Philisthinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis: porrò Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philisthinorum.* O quantum obcæcatur inuidia! si tradere desiderat inimicis, cur filiam promittit? mittat in campum magistri militum honoribus nobilitet, vt inæscet. Profectò nobiles viros plus sui Imperatoris honor inflammat, quàm aliud quidquam instiget. Ergo honoris sui causam, vt adeat barbaros, Dauidi committat, quo citiùs perdat. Sanè, licèt Saül rationi cæcus, inoculatus satis malitiæ, nouit nihil non temerè tentare homines, vt fœminarum gratos sibi allexerint vultus; nec ardenter adeò vel grauissima negotia curare: vt quæ citiùs, qua deflagrabat, adularetur inuidiæ, nuptias prætexit, nec Imperatoris

1.Reg.18. v.25.

honoris vindicandi munus iniunxit: neuerat namque de sæculi more homines ad mulierum gratiam captandam sibi gestire, ad grauissima tamen quæuis alia negotia non semel torpere. *Cùm frustratus esset expectatione teli* (ad rem Basil. Seleuc. Basilius Seleuciens. orat. 16.) *per insidias iacti, aliò vertit animum, inuiso Dauidi filiam dare vult, non quò exosum cohonestaret, sed vt filiæ nuptijs eadem emeret.* De pulchritudinis illicio grauiores prætendit insidias, quia de regio honore non adeò vtiles putarat technas: plus namque insaniunt homines ad fœminarum obsequia, quàm Numinis, aut Imperatoris gestiuerint depellere probra, aut adimplere mandata.

---

§. XXII.

Plus valet ad lucrandos proximos, vitiáque deterenda virtute insignis, quàm plures, si sanctitate mediocres

92. Cassiodor. NEcessarium probatur esse reipublicæ, scribit Cassiodorus 10.var.6. *personas dignitatibus aptas eligere, vt cui iustitia committitur, malis moribus non grauetur; alioqui inefficax est ab homine exigere, quod agnoscitur non habere: contra confidenter queritur, quod inesse sentitur.* Optimè dixit; nullus namque ab aliis potest efficaciter exigere, quando conscientiæ morsibus id ipsum reprehenditur non habere. *Nullus ab aliis potest exigere quod in se conscientia non habere.* Omnia, quæ ad virtutem spectant, à diuina gratia promanare fatemur: candida eius lux obscuras vitiorum depellit tenebras, & ad securas honestatis allicit sine violentia delicias; verùm nescio quid in plurimum felicitatis ab instrumentis accrescit celebriores consequitur de vitiis triumphos virtutibus eximie excultus, quàm floribus eloquentiæ adornatus: feliciùs ad virtutem trahuntur proximi sanctitatis hamo, quàm eloquentiæ capiantur ingenio. Moyses à Domino rubo fulgenti ad proximos in libertatem asserendo legatur: opponebat ille linguæ tarditatem: *Non sum eloquens ab heri, & nudius tertius:* Exod.4.v.10. at Dominus linguæ medelam non adhibet, sed calceamenta soluere iubet: *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Exod.3.v.5. Profectò otiosa videatur nuditatis cura, & opportunior facunda loquela: cur ergo Dominus lingua tardum legat, cùm calceatum adire prohibeat: loqui facundiæ munus, officium linguæ, & exercitium loquelæ: ergo ad dicendum non miserit calceamentis nudum; sed facundiæ floribus exornatum. O sapientiam immortalem! nuncium delegat ad profliganda vitia, ad homines virtutibus imbuendos, vtque feliciter succederet delegatio, non quæsiuit limatum eloquium; sed rerum humanarum despectum. Audi Theodoretum apud Lippoman. Theodor. *Nonnulli tradiderunt Moysem iussum fuisse, vt calceamenta solueret, hoc est, vt huius vitæ curas, atque solicitudines deponeret.* Humanis affectibus expediri, nullisque cupiditatibus illigari, aptum educendis populis commendabat Moysem, quantumuis linguæ tarditate impeditum: nec adeò iuuaret lucere facundum, humanis obstaculis obscuratum. Huc voco Cassiodorum Cassiodor. loco citato: *Primum nobis placuit tuos mores inspicere, sine quibus possunt optima displicere. Ornamentum honorum omnium est syncera benignitas, quæ non est sola, quia de virtutibus videtur esse generata: ordinem serua nostri iudicij, vt sicut hac prima quæsiuimus, ita te custodire iustitiam præ omnibus sentiamus. Secunda nobis cura fuit eloquentiæ tuæ fluenta perquirere, quam licet singulariter diligamus, moribus tamen iustè postponimus: in illis enim vita cognoscitur; hic tamen lingua laudatur.* *Eloquentia moribus postponenda.* Lingua diserti placet; sed iusti vita de exemplo rubore vitia suffundit: demulcet aures eloquentiâ nitidus; sed ferit corda virtutibus exornatus. Cùm Caleb nubilem filiam dignum in matrimonium tradere concupisset, ad deterenda vitia fortissimos milites excitauit: *Qui percusserit Cariath-sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* Quid tunc? *Cepit eam Othoniel.* Non dubium plures ingenti adeò præmio impulsos ciuitatem indefessis conatibus obsedisse, validissimisque insultibus impugnasse; verùm præ omnibus in Numinis possessionem vitiorum ciuitatem redegit vnus Othoniel, quia aliis virtute præstantior, & sanctitate excellentior. *Othoniel*, exponit Origen. Glossa ex Adamantio hom.10.in Iosue, *qui cepit ciuitatem Litterarum interpretatur responsio Dei, responsio autem Dei dicitur is, cui respondet Deus, idest, cui arcana reuelat: iste ergo est, qui potest capere ciuitatem.* Qui diuinis alloquiis fruitur, qui diuinorum præ aliis incumbit contemplationi, vitiorum facile destruit mœnia, & ad virtutis habitatores reducit munia.

Postquàm tempestas illa sæculis inaudita, 93.
stupenda cœlis, ipsis tartaris non ferenda discipulos à capti magistri latere separauit, postquam Petrus negationis probrum incurrit, postquam reliqui indecora fuga turpati, ad mare contendunt, vt antiqua piscationis repetant exercitia, quia iam virtutis putabant amisisse se priuilegia: at magister vel derelictus discipulos quærit amanter, & iam redimitus gloria stetit in littore, vt marinis fluctibus iactatos ad fidei suæ reduceret stationem: blandè rogat, an aliquid pulmentarium velint nundinari: *Pueri nunquid pulmentarium habetis?* Ioan.21.v.5. Cassas responderunt vigilias fuisse, & sine fructu obnoctasse iussit in nauigij dexteram retia iactari, eaque iam piscium copia confluxit, vt rete trahere non valerent. *Miserunt ergo & iam nō valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Agnouit Ioannes, quem cæteri non videbant, *Petrus cùm audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus, & misit se in mare.* Cinctus peruenit ad Dominum, qui versabatur discinctus naui. Iubet Dominus afferre capturam: *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.* Iam curiosum punget Scrupulus: si rete omnes, qui in naui erant, ægrè quibant educere è mari: ait enim: *Non valebant illud trahere*, quomodò vnicus Petrus ad terram referatur traxisse, imperióque Domini subiectasse? *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram*; & ne putares piscium modo imminutam summam, textus addidit: *non est scissum rete.* Quomodò ergo vnicus Petrus ad terram valuit traxisse retia, si vel omnes nequibant è mari tot educere piscium pondera? O vtilem nobis eruditionem! Anteà Petrus erat nudus, modò ad passionem est cinctus; anteà reliqui pueri moribus, iam Petrus Christo vicinus: ideò vel vnicus virtutibus exornatus rete valuit trahere,

trahere, quod plures è mari non valebant educere. Adest opportunè Chrysologus serm. 68. *Ibi erat Petrus, qui negauerat, Thomas, qui dubitauerat, Ioannes, qui fugerat: non ergo vt fortissimos milites; sed pueros compellat, vt timidos.* Culpis deturpati è coënosis finibus pisces educere non valebant; at cum Petrus tunica succinxit se, solus traxit, & ad littoris soliditatem perduxit. *Tunica se pracinxit*, addit ibi

Chrysolog. Chrysologus, *& misit se in mare, vt mare dilueret, quod negatio taliter sordidauerat: misit se in mare, vt esset primus in reditu, qui acceperat in ordine principatum: & tunica se pracinxit, qui pracingendus erat martyrij passione.* En vbi culpam diluit, ad trahendum rete vires adauxit; cùm plures, dum pueri virtute, traxisse nequirent rete, pisces Domini gratia capiuntur; at dum piscatores virtutibus pueri, marinis adhuc fluctibus immorantur; Petrus strictè cinctus, martyriúmque præmaturans, dum cæteris Christo proximior, vel solus cæteris ad educendos pisces valentior.

94. Cùm Elias viduæ exciperetur hospitio, exiguáque farina tempus vicisset, oleique lecythus adinstar fontis manasset, filius morbo pestilenti corripitur, & vbertatis gaudium, miserum excepit lamentum. Proh mundialem felicitatem! Viuente filio pauperem angebat inopia, auctâ iam diuitiarum summâ immatura distorquet chari pignoris sepultura; verùm Elias suis beneficiis obstrictus vlteriora impertiri satagit beneficia: morti vim intentat inferre, & dum cælestem sortitur pastum, in mortis audet imperium.

4 Reg 17. v. 21. *Expandit se atque mensus est super puerum tribus vicibus.* Mors violentiam passa canere lugubre cœpit, nec solus Elias morti vim intulit; sed Elisæus etiam de orco magistrum imitatus triumphauit: puerum suscitat bis cadaueri incumbens, séque corpori defuncto insternens:

4 Reg. 4. v. 34. *Incubuit super puerum.* Abulensis rogat cur Elisæus citiùs mortuum restituerit, nec labore adeò anxio hominem suscitarit: respondétque de spiritus incremento citiùs, & faciliùs rem adeò difficilem absoluisse: Elias vnico ornabatur spiritu, duplo Elisæus: qui ergo spiritu ditior, ad suscitandos homines fuit valen-

Abulens. tior. *Elisæus*, scribit quæst. 56. *regulariter citius exaudiebatur, quàm Elias: nam in simili facto, scilicet in suscitatione mortui ab vtroque facta in occulto Elisæus exauditus est bis orans, Elias autem non exauditus est, nisi ter orando: ratio autem huius potest esse duplex: prima est quia fortè Deus reputabat Elisæum maioris meriti . . . Elisæus accepit spiritum duplicatum Eliæ.* Maiori ornatus spiritu, & citiùs, & plures mortuos reuocabat ad vitam. O quàm sæpe sæpiùs perpolitorum, pluriúmque concionatorum sermones vix vnum aut alterum elucrantur virtuti, cùm aliquando ferè rudis homo spiritu feruens, sanctitati eximiè studens vel vno sermonis iactu plures capiat animas, non de elocutionis ingenio; sed de feruoris auxilio. Elisæus minori diligentia mortuum reuocauit in vitam, quia maiori spiritu ornatus, & duplici virtute munitus.

95. Cùm Iacobus fratris iram de absentia medicari studeret: tempus námque dum insaniam deferuescere cogit, est optimus impotentium passionum medicus: ad auunculi domum tendebat, cúmque terram Orientalem attingeret, intuitus est in agro puteum, tres quóque greges ouium adhuc candente Sole accubantes: *Adhuc multum diei superest*, monet pastores: Genes. 29. v. 7.
nec est tempus vt reducantur ad caulas greges: date ante potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite. Pastores pacatè causam moræ reddunt, scilicet puteum grandi claudi lapide, nec posse, nisi omnium collatis viribus amoueri. *Non possumus donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei*; verùm cum Rachel iam gregem suum adaquatum descenderet, Iacobúsque consobrinam sciret, *Amouit lapidem, quo puteus claudebatur, & adaquato grege osculatus est eam.* Ecce citiùs cæteris salubris aquæ remouit obstaculum, & cùm tot pastores lapidem, vt gregum sitim extinguerent, amouere non possent, vnicus Iacobus vndis gelidissimis, copiosissimísque potauit. Sitiebant greges, aderant plures pastores; nec tamen extinguebatur ardor; sed crescebat sitis incendium. Vnicus Iacob copiam aquarum ministrat, & gregum ardores temperat. Et cur fecit vnicus, quod tot absoluere pastores nequibant, aut certè absoluisse tardabant? Quia Iacobus pij religiosíque typus, lapidem duritiæ infidelitatísque ænigma citiùs amouere didicit, & plures salubri aqua adaquare greges agnouit. *Grandi lapide*, inquit Glossa, *claude-* Glossa.
batur duritie infidelitatis, qua abiecta percipitur baptismus vitæ Lapis retardabat baptismum, & cùm plures pastores longum insumerent tempus, nec auferre adhuc valerent impedimentum, vnicus Iacob abstulit felicissimè obstaculum: *Quia religiosus deuotus*, exponit glossa moralis, *per orationem, & studium impetrat à Christo reuelari sibi sacræ Scripturæ intellectum, & adaquat gregem fidelium.* Cæteris deuotior, adaquandis gregibus aptior. O quas moras trahebant pastores reliqui, dum nec orationi student, nec sacræ Scripturæ incumbunt: plus profecit deuotus vnicus, minùs numerus indeuotorum copiosus. Ergo Othoniel, quia diuinis assuetus colloquiis, præ reliquis vitia deterit, & ciuitatem hostilem capit.

---

§. XXIII.

Multis discriminibus patuit, qui in nobilium familiam se inserere studuit.

NObilitas, scribit Plutarchus de instituen- 96.
dis liberis, *res est honesta quidem, at ma-* Plutarch.
iorum bonum. Profectò nobilitatem ambire, si, vt fas est, homini semper decorum; verùm non semel, & laboribus plenum: dum quis vxorem ducit se nobiliorem, cognatorum patitur sæpè despectum, & superbissimum sustinet supercilium. Quidquid egerit, nobilitati existimatur tributum, & semper putatur debitum. Iam vxor, si genere obscurior, in seruarum numero sæpè censetur, & parum aut nihili ferè semper æstimatur: alti, antiquáque nobilitatis luce progeniti rarò detumescere didicerunt, quia ipsis venis insertus sanguis superbos alit spiritus, & tumentes refouet cogitatus: se in mancipium vendidit, qui clarissimis stemmatis familiam adiúgere sibi adornatam, inferior longè nobili

nobilitate exambiuit: profunduntur diuitiæ, crebra penduntur obsequia; imò impendiosa imponuntur sæpissimè officia. Quod si per fraudem se quis intrudere velit, & vrgentissima sunt pericula, & ingentissima vitæ, ac honoris detrimenta. Valer. *Cùm quidam* (scribit Valerius Maximus lib. 9. cap. 15. de his qui per mendacium se in alienas familias inseruerant) *clarissimæ sororis Augusti Octauiæ vtero se genitum fingere auderet, proptérque summam imbecillitatem corporis ab eo, cui datus erat perindè atque ipsius filium retentum subiecto in locum suum proprio filio diceret, videlicet vt eodem tempore sanctissimi penates, & viri sanguinis memoria spoliarentur, & falsi sordida contagione inquinarentur. Sed dum plenis impudentiæ velis ad summum audaciæ gradum fertur, imperio Augusti remo publicæ triremis affixus est.* Dignum temeritate supplicium, & quidem quod illi in pœnam mendacij, plurimis, etsi non publica nota, accidisse videas in mulctam procacioris desiderij. Non aditum extraneæ familiæ nobilitas sine ingentibus auri dispendiis non agglutinatur sine indignis subiectionis tributis. Ecce Calebus regalis tribus Princeps Axam nubilem filiam proponit in ardui certaminis præmium, & laborum illicium: *Qui percusserit Cariath-Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.* Plures vrbem capere sunt moliti per hostilesque inuolauere mucrones, vt huius matrimonij fruerentur gloria, & in Calebi recenserentur familia. Abulens. quæst. 6. ex hoc constare ait Calebum fuisse valde honoratum, eximiaque nobilitate conspicuum; alioquin nullus se tanto discrimini obiecisset, ni in adeò clara familia censeri optasset. Abulens. *In hoc apparet, quod esset Caleb vir valdè honorabilis in tota Tribu Iuda, & diues: alias nullus se vellet exponere tanto periculo mortis irrumpendo primus in vrbem, & percutiendo primo viros Dabir: magnum enim est, quod pretio vitæ emitur, & reuera nihil hoc carius.* Audi quæ subdit: *Erat tamen Caleb Princeps nobilissimus, & dux in Tribu Iuda, vt qui de tota tribu intelligeret se esse generum, si acciperet filiam eius in vxorem. Ponderandum est quòd non solum Othoniel; sed etiam alij viri bello strenui ad capiendum hoc premium conati sunt.* Plures dum se nobilissimæ familiæ moliuntur inserere, grauissima coguntur pericula deuorare, vt iam hoc facto thesis nostra firmetur, scilicet plurimis innexari laboribus, frequentissimis exponi periculis, qui agglutinari nobilissimis discupit, commiscerique illustribus ambit.

97. Dauid bellator strenuus, quique salutem pepererat reipublicæ, cum sæuissimo hoste depugnat, vt regis filiam sibi in matrimonium asciscat. O quantis periculis matrimonij honorem coëmit! contra immanem hostem prosilit animosus in campum, iugum à contribulium ceruice, antequam experiantur, auertit: tandem regalibus nuptiis potitur: 1 Reg. 18. v. 27. *Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam vxorem.* Iam regis gener, & regiæ familiæ insertus iterum pugnare cogitur, & probra audire compellitur: 1 Reg. 19. v. 8. *Egressus Dauid pugnauit aduersus Philisthijm, percussitque eos plaga magna. Et fugerunt a facie eius.* Quis crederet strenuis adeò factis, & gloriosissimis triumphis magni apud Saülem generum non habendum; verùm in illum hastam contorquet, & quasi regij sanguinis notam tollere de medio anhelat: *Nisus est Saul configere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à facie Saul.* Postea dum Kalendarum instrueretur conuiuium, *cur non venit*, rogat, 1 Reg. 20. v. 27. *filius Isai, nec heri, nec hodie ad vescendum?* Ecce post tot strenua facta, post tot ablata ab inimicis spolia de genere despicitur, & de generis ignobilitate notatur? Non inquit rex; Quare non venit Dauid ille strenuus, ille hostium domitor, ille publicæ libertatis assertor; sed, filius Isai: quasi semper rusticitatem fastidiat, suæque prosapiæ miscuisse doleat. Lyra. *Ex contemptu, & odio*, scribit Nicolaus, *nolebat eum nominare nomine proprio:* factis Dauid commendatur; sed de prosapia despicitur, regis gener audit Isai filius, quasi pudeat generum appellare, & coniunctum sibi habere. Dauid à reliquis decantatissimus honoratur, & mirandus semper habetur; regiæ tamen familiæ insertus ab affinibus despicitur, & à rege fastidiosè contemnitur, & sane quod olim Dauidi, multis hodie noueris accidisse. Nonnulli parentes nobilissimis viris filias suas in matrimonium locant, vt ascititia generorum nobilitate resplendeant; generi verò soceros supercilio contemnunt, & vxores ipsas adinstar famularum despiciunt. Nouerit ergo quisquis nobilitatis lumina generi suo inserere exambit, plurimis se laboribus mancipere, & superciliis obiicere: *Ex contemptu, & odio nolebat eum nominare nomine proprio.*

Ioseph pro notho venditus post exantlatos 98.
tot aduersitatum fluctus thronum inscendit Ægypti prorex, & modiperator in fame: cùmque eius fratres Ægyptum frumenti causa aduenta ssent, acceptas iniurias humanitate vltus est; tandem postquam iras histrionice repræsentauit se fratribus prodidit, & proditores suos germanis brachiis amplexus est: Genes. 45. v. 16. *Auditumque est, & celebri sermone vulgatum in aula regis: Venerunt fratres Ioseph.* O quàm solus, quam sine genealogia, quàm vti de lapide natus premebatur in carcere! quot fratres habuit, dum dignitatis versaretur in lumine! Solus tulit calamitatis miseriam, cognatos plurimos habuit participes gloriæ: mancipium nullus agnouit cognatum, Proregis se fratres plurimi iactitarunt. Quid tunc: *Gauisus est Pharao, atque omnis familia eius.* Huius gaudij causas ingeniosi indagauerunt interpretes, & quidem reipublicæ non gaudij materies dignitatis fastigio eminentem parentela exundare copiosa, quandoquidem non semel cognati aut sibi gratiam incommodis cæterorum lucrantur, aut iustitiæ iniuria ad apices euehuntur. Quæ ergo huius gaudij causa? Abulensis nostro instituto opportunissimam reddit: ait námque Pharaonem, eiúsque familiam vtpotè tot beneficiis obstrictos, ac in Iosephum benè animatos fuisse gauisos, quia Ioseph de fratrum aduentu, de familiæque nobilitate non modicum euaserat detrimentum: duxerat namque Putipharis Sacerdotis Heliopoleos Aseneth filiam sanguine nobilissimam, & patris dignitate conspicuam: Genes. 41. v. 45. *Dedit ei uxorem Aseneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos.* Et quamuis Ioseph sapientia celebris, corporis specie decorus, factis egregius; tamen de antiqua seruitute quodammodò obscurabatur despectus, de generisque ignoratione apud

apud vxoris familiam habebatur obscurus: ergo gauisus est Pharao, cùm clara eius nobilitatis reperta sunt testimonia, ne Ioseph exinceps cognatorum sustineret fastidia: *Licèt Pharao & omnes de Ægypto gauderent in Ioseph, & diligerent eum propter tanta bona, quæ fecerat: quia tamen erat seruus emptitius, quem emerat Putiphar aliquomodò eis onerosum erat.* Addit posteà: *Quando autem viderunt fratres suos homines, qui probi videbantur, putauerunt eos esse de aliquo bono genere, ideò magis consolati sunt, & quieuit animus eorum.* Qui Iosephum diligebant, de generis claritate gauisi sunt, ne soceri vel in tanto fastigij lumine pateretur despectum, ab vxorisque familia reputaretur semper mancipium: *Aliquomodò eis onerosum erat.* O quàm onerosum erat Sacerdotis familiæ seruitutis probrum, & existimatæ ignobilitatis indicium: auersabantur fortè hominem vti generis notam, vti claritatis nebulam, vti conspicui sanguinis non sustinendam iniuriam. Ergo lætatus est Pharao, quia dilectus illi Iosephus, iam nec cognatorum pateretur superbissima supercilia, nec aspera audiret verba: qui enim se in nobiliorum familias ingerunt, quantumuis actionibus sint conspicui, apud cognatos tamen ferè semper despecti.

Abulens.

99. Esau paterna hæreditate priuatus in parentes furoris arma conuertit, vtque pœnas de benedictione sumeret, & domus pacem continuo tædio turbaret, vxorem se genere inferiorem accepit: *Probans quòd non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus, iuit ad Ismaelem, & duxit vxorem absque iis, quas priùs habebat.* Quæ priùs habitæ, adeò socrus, socerique oculis displicebant, vt Rebecca vitam cum morte elegerit commutare: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth:* Quantis laboribus Esau vxores fuerint subiectæ considera, quando & moriger Isaac, & prudens Rebecca limis aspiciebant, & tædio semper tractabant; *Velut insipiens*, scribit Rupertus apud Lippomanum, *aut verè stultus fecit hoc Esau; nam si tædium matris aut offensionem paterni animi lenire voluit, insipientiæ fuit hoc pacto id facere velle, & hac intentione inconsultis parentibus, quos iam in alijs vxoribus offenderat, ad seruilia declinare tabernacula, quod erat cum eiectis exire: sic nempe Sara locuta est: Ejice ancillam & filium eius. Sin autem, quod verius est, quia parentibus quoque propter Iacob iratus erat, sicut Cain, & conciderat vultus eius, idcirco vt eos amplius offenderet egit ita, proculdubio stultus fuit.* Adeò Esau iræ excandescentia desipuit, vt quo parentes, quos filias Heth aspicere tædio probarat, grauissimo dolore afficeret, seruilem vxorem auorum stemmatibus inseruerit. Profectò turbandæ domus paci nil aptius; imò & ipsi vxori nihil molestius: & quidem non vxoris allectus studio; sed parentum inflammatus hoc excogitauit odio. O quanta pateretur sponsa, ò quàm despecta viueret, & de ignobilitate vel apud virtute egregios sorderet! Certè vxor de Ismaelis sanguine prognata generis seruitutem matrimonio adauxit, non exuit: quia quantumuis filij vxor, non libenter à socero & socru aspecta: *Probans quòd non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus.* Chanaan seruitute ob patris contumeliam mulctatus, gloriáque nobilitatis exutus filiæ ergo: ignobilis nobilissimo in matrimonium locatæ, soceri sustinebant aspera supercilia, vtpote generis sui nota, & claritudinis nebula. Ismael ergo, dum secundas nuptias cum de seruili genere vxore concelebrat, parentes exasperat; sed & ipsam vxorem non modicis laboribus dicat.

Gen 28. v. 8.

Rupert.

§. XXIV.

Humana felicitas alienis fulcitur casibus, & stabilitur gemitibus.

QVidquid humanum, angustum: reculæ exiguæ ambitores inflammant plurimos, & dum amore possidendi inardescunt, vel per illicita obtinuisse vota nullatenus fugiunt. Hinc antiquitas minorum contractus inualidos vtili prouidentia decreuit, quia nouerat plures architectari prudentia detestabili iniuriam, & vt rapiant, moliri ad extremam inualidos deuoluisse miseriam. *Consultò prouida decreuit antiquitas*, scribit Cassiodorus 4. var. 35. *minores contractus liberos non habere, vt & insidiantium laquei frustarentur; & lapsis ætas lubrica subueniret: obrueretur quippe innocentia, si relaxaretur audacia, essétque cunctis fallendi studium, si fraus subreptitium lucraretur effectum.* Ferè nullus an licitis artibus adquisierit, attendit; sed alienis incommodis suam prosperitatem suffulcit: necessum est sæpè quis miserabiliter cadat, vt alius splendidiùs resurgat: quem caducarum rerum stylum vel in externa cæli facie animaduertas depictum. Sol dum splendet, sydera sua claritate non patitur resplendere sepulta, de eiúsque occasu, & rutilant astra, & incipiunt micare splendidiùs sydera. *Luna*, scribit Veronensis Zeno serm. de resurrect. *quæ verè rationis humanæ omnia in se lineamenta depingit, nata sanguineæ teneritudinis dubio cornu, primo quasi de cunis apparet, paulatimque crescendo iam puella, iam virgo pro quotidiana ætatis incremento progrediens lasciui cursus ambagibus carpit pensa mundana. At vbi matura aureo igne flagrantis luciflui aurigæ par laboribus fratris angustis circulis argenteum compleuerit globum, paulatim deuergit in senium, donec vltima senectute consumpta sua morte reuiuiscens menstrualis ignis solemni germine accenso sumat rursus de fine principium.* Recens luna de antiquæ occasu resurgit, Sol de lunæ interitu splendet, Luna de fratris funere reuiuiscit, in alienis cineribus alienæ felicitatis est vena, & de morte producitur sæpè vita: *Sepulchrum nidus est*, scribit ipse Zeno ibi de Phœnice, *illi fauilla nutrices, cinis propagandi corporis semen, mors natalibus dies.* Ni Phœnix aureo decinerescat in tumulo, non resurgit futuro sæculo. Itaque cinis cunabula est, vt videas humanas felicitates alienis decrementis fulciri, ac incommodis nasci. Caleb principatum promittit, Axámque filiam suam euertenti Cariath sepher in præmium victoriæ offert. *Qui percusserit Cariath-sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* En per quos gradus ad felicitatem victor ascenderit, per aliorum scilicet stragem, per antiquæ vrbis captionem. *Capere vrbem accipitur hic*, scribit Abulensis quæst. 6. *pro ingredi in eam, vel irrumpere ad capiendum eam, & sic filia Caleb danda erat ei, qui occideret primum de viris Dabir, & ingrederetur primus in vrbem, & hoc* fecit

100.

Cassiodor. Contractus minorum inualidi.

Zeno.

Zeno.

Mors Phœnici natalis est dies.

Abulens.

fecit Othoniel frater Caleb. Floruit Othoniel & Axæ matrimonio, & regiæ tribus sceptro; ad dignitatis tamen peruenit culmen per hominum stragem, per vrbis demolitionem. Maxima sanè laus Othonielis hostes populi intermisse; verùm vt noueris nostram thesim laudabilibus etiam factis firmatam, de alienis calamitatibus Othonielis splendet gloria, & de gemitibus viget fama.

101. Morbus adoritur Ezechiam, Isaias enunciat mortem, non quo incrementet tristitiam; sed quo ad mortem se comparare excitauerit prouidentiam: obtinuit ille lachrymis, quod non posset medicamentis: tandem Propheta feliciùs nuncium inuolat allaturus, & ne felicitatem interturbaret dubietas, signum offert, regisque optioni comittit, an velit Solem immaturo cursu sepulchra occasus intrare, an ad luciflua cunabula velit orientis redire? Elegit prudentissimus rex veluti rarius miraculum Solem Orientem reuisere; noluit tristis tenebras occasus intrare: *Facilè est vmbram crescere decem lineis,* (4.Reg.20. v.10.) *neque hoc volo vt fiat; sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus.* Lis non exigua interpretibus est quomodo faciliùs esse potuerit, vmbram crescere, quàm diminui; Sol namque æquis gressibus dirigit semper quadrigam, nec aliquis itineris trames aut lucidos vrgere equos, aut remorari cogit volatus. Ego omissa naturalis cursus quæstione sic regis meo instituto placitum adaptarim: nouerat ille de sæculi more vnius felicitatem de alterius oriri ruina, & stabiliri miseria; ob idque faciliùs existimauit salutem suam de lucis occasu oriri, Solémque conseruare nitorem voluit, vtpotè rariùs prodigium. O quot incrementa de occasu sæpè producta! O quot lumina de tenebris nata! Prudentissimus ergo Ezechias sine lucis diminutione pensa voluit carpere vitæ, quod adeò rarum, vt sæculis inuisum fuerit prodigium: *Solis in* (August.) *ortum ab occasu,* scribit Augustinus lib.2.de mirabilibus Sacræ scripturæ cap.28. *per decem horas cursum recidiuo Deus tramite retorquet, quatenus inde veluti mane iterum festinare inciperet, qui diei totius exceptis duabus horis spatium consummasset.* Addit Rabban.apud Glossam: *Maio-* (Raban.) *rus poterat esse miraculis, si Sol contrarium suo moti cursum ageret.* Rariùs de nouitate miraculum, Ezechiam de alterius diminutione non viuere; sed incremento sanari: adeò humana felicitas de alienis lachrymis coalescit, de alienisque obscuritatibus fulget.

102. Amanus regiam ferè dignitatem adeptus Regi in Hebræos crudelem ferre sententiam falsis criminationibus persuasit, de illorum interitu firmare sibi dignitatem molitus: *Statimque* (Esther.6. v.11.) *in Susan pependit edictum rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant, flentibus.* Ecce miserorum lachrymæ delicias commendabant conuiuij, imò plus iucundabatur de afflictorum singultu auditus, quàm de saporatis ferculis gustus: Amanus iucunditatem suam Iudæorum fletibus irrigabat, splendorémque de interitu augebat; verùm iustitiæ oculus non despexit miserorum lamenta: Mardochæus (auerterat namque à Rege insidiarum periculum) regio equo ducitur, & regio cultu exornatur: quem Amanus ambitione iudice insidentem equo manu ducebat, ad instárque præ- (Esther.6. v.11.) conis clamabat: *Impositum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus est quemcumque rex voluerit honorare: reuersúsque est Mardochæus ad ianuam palatij, & Aman festinauit ire in domum suam lugens & operto capite.* Vides lætitiam Amani de Hebræorum fletibus generari, de Hebræique exaltatione lugere: quasi necessum fuerit ad alterius gaudium alterius lamentum, nec sine lamento gaudium. O nimis verum! Celebrante Aman conuiuium cuncti Iudæi largas funduntur in lachrymas, quasi opus fuerit ad vnius lætitiam plurimos sustinere miseriam: fulgente verò regio honore Mardochæo Amanus præ tristitia abscondit faciem, quasi nullatenus vnius gaudium sine alterius potuerit esse lamento. *Sic patet,* scribit Nicolaus, *exal-* (Lyra.) *tatio Mardochæi, & per consequens confusio Aman, ideò sequitur; & Aman festinauit ire in domum suam lugens & operto capite, sicut solent homines confusi incedere.* Notandum est verbum illud: *Per consequens confusio Aman,* quasi ex alterius gloria per optimam consequentiam alterius pullulauerit ignominia: Cecidit Amanus, vt Mardochæus resplenduerit; luxit Mardochæus; imò Iudæi omnes, vt conuiuio exhilaretur Amanus. Necessum fuit, vt Othoniel nobili matrimonio fulgeret, ciuitatem stragem passam perire: *Qui percusserit Cariath-Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem:* de multorum excidio vnius Othonielis nata est dignitatis gloria, quasi humana felicitas alienis semper clamitatibus suffulciatur, singultibúsque fundetur.

Iacob matris consilia secutus fratri benedictionem præripuit: iam familiæ Princeps, iam 103. regio cultu splendescebat ornatus, cùm Esau tarda satis obsonia patri offert, & benedictionem exambit. Patris stupor dolum sine dolo indicauit. Quid tunc? Magno eiulatu domum Esau ad commiserationem commouet, & anxia suspiria fundit. *Cùmque eiulatu magno fleret, mo-* (Genes. 36. v.38.) *tus Isaac dixit ad eum.* Simul audis alterius ad dignitates ascensum, & alterius eiulatum: de Esau lachrymis Iacobi dignitas, & de Iacobi dignitate Esau copiosæ lachrymæ, quasi nequiuerit alter honore dignitatis splendescere, quin alter lachrymas fuderit: adeò namque angusta est humana felicitas, vt duobus fratribus communis esse nequiuerit; sed opus fuerit alterum deiici, dum alter ad apicem dignitatis effertur, & honoris luce exornatur: *Excellentia tristi-* (Caietan.) *tia describitur* (ita Caietanus) *ex magnitudine tum clamoris, tum amaritudinis.* Vbi describitur Iacob electus, & scribitur Esau dolenter tristatus: vt iam nobis præfiguraret mysterium humanam felicitatem vel duplici fratri nullatenus satis fuisse; sed alterum cogi ad lamenta, cùm alter dignitatis possedit lumina.

Diues ille qui superbo de sigmate Lazarum 104. non videbat, gehennalibus flammis cinctus in Abrahami sinu quiescentem aspexit: & ad se pro refrigeranda lingua mitti discupiit; *Mitte* (Luc.16 v.24.) *Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Chrysologus serm.122. solito (Chrysol.) acumine animaduertit diuitem non postulasse refrigerandum se ad Lazarum duci; sed Lazarum ad se mitti: *Non se ad Lazarum duci postulat; sed ad se Lazarum vult deduci.* Profectò satius videbatur vsque ad Lazarum contendisse, quàm Lazarum aduentasse: nam dum Lazarus iter

iter ageret, flammis diues adurgeretur consumptus; si tamen ipse pergeret hortendos illos flammarem globulos non pateretur extractus. Ergo stultè Lazari cupit aduentum, & prudentiùs ad Lazarum suspiraret volatum; verùm, cùm diues de sæculi more nouerit vnius felicitatem de alterius calamitate produci, ad se Lazarum venire studiosissimè flagitauit. Si ipse ad Lazarum tenderet, sine Lazari detrimento linguæ gehennalis sopiretur flamma, si Lazarus descenderet eius incommodo depelleretur miseria: adeóque apud sæculum insolitum est alterum felicitate frui sine alterius detrimento, vt nullatenus crediderit linguæ inueniendam medelam, ni Lazarus pateretur iniuriam. Non induxit animum, vt crederet sine Lazari discrimine posse se refrigerium impetrare: ideò non petiuit se ad Lazarum duci; sed deduci ad se postulauit Lazarum: quasi sine Lazari miseria nullatenus potuerit aut refrigerari lingua, aut linguæ sopiri flamma. *Lazarum mitte* (audis Chrysologum) *Quo? ad infernum de gremio, de solio sublimi ad profundissimum chaos, ad tormentorum stridorem de sancta requie, de tanto silentio beatorum.* Dum amat refrigerium, Lazaro prætendit excidium, quasi nullatenus ipse habere posset solatium, quin Lazarus pateretur dispendium.

Chrysol.

§. XXV.

Ingenuo viro semper est molestum petere, vt iucundissimum dare.

105. Senec. *Molestũ verbum & audienti, & dicenti est, Rogo.*

MOlestum verbum est, & onerosum, aiebat Seneca 2. de benef. cap. 2. *& demisso vultu dicendum, rogo: huius facienda est gratia amico, & cuicumque, quem amicum sis promerendo facturus.* Ingenuus homo rubore rogaturus suffunditur; nec semel lubentius patitur calamitatis miseriam, quam demissis oculis, ruboréque perfusus impetrauerit gratiam: qui hoc tormentum non remittit, liberalitatem suam minimè cumulauit. Audi Stoïcum vbi suprà cap. 1. *Cùm homini probo ad rogandum os concurrat, & suffundatur rubor; qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum.* Iure appellauit tormentum ad rogandum accessisse necessitate compulsum. Primi parentes diuinitatem affectarunt videntes Deum nullo indigere, omniáque iucundissimè dilargiri, & adhuc ambitæ nobilitatis insidet præcordiis vestigium: se putant ab honoris, generositatísque culmine deturbari, dum coguntur quid ab alio precibus obtinere. O quàm non semel arctantur verbo illo *rogo*, quam illo afflictantur *indigeo*! refugiunt animitus petere, vti ingenuitatis probrum; gestiunt dare, vti magnitudinis argumentum. Nec solum ab exteris; sed à sanguine refugiunt petere coniunctissimis. Adsunt huius veritatis testes Othonielus & Aza: nam cùm matrimonium celebrassent, à Calebóque Axæ patre in dotem fundum non adeò diuitem accepissent, agrísque latioribus indigerent, illorum quisque hoc onus alteri desiderauit committere, molestiámque petitionis iniungere: *Cùm pergerent simul, suasa est à viro suo, vt peteret, à patre suo agrum suspirauitque vt sedebat in asino.*

Munus intermittat, qui se rogari non sustinet.

Hebræi Axam viro suo petitionem suasisse testantur. Ita Masius: *Cùm veniret ipsa, incitauerat illum ad petendum.* Ecce inter ingenuam vxorem & virum quasi decorum certamen, dum quisque petitionis molestiam conatur depellere, & verecundiam reiicere. *Quia Axa*, scribit Masius, *verecundia quadam muliebri, & simul parentis reuerentia dotem aliam ipsa petere non audebat, virum incitauerat.* Imperationis vtilitas petitionem suadebat; verùm vterque coniux animitus detrectabat: adeò molestum ingenuis petere, adeò acerbum vel ipsum patrem rogare.

Masius.

Christus Dominus, vt extremæ horæ anxietates ostenderet, petitionis penicillo adumbrauit: hominem introducit improuiso hospite aduentante, amicum, vt panes peteret, adeuntem: *Ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes.* Amicus deintus varias excusationis causas prætendit, temporísque importunitatem opponit. Coactus est amicus iterare preces, importunis pulsare votis, & quodammodò improbitatis notam subire, vt ab amico quiuerit impetrare. *Propter improbitatem eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Theophylactus extremæ horæ angustias, & anxietates hîc depingi autumat. *Quid igitur vult parabola? Mediam noctem quidem, inquit, esse extremum vitæ.* Ecce vt extremæ vitæ tempus anxietatibus plenum edoceat, amici ab amico petitionem expressit, quasi petendi hora & hora fuerit finiendi: plurimis namque adeò ingratum est obnixè rogare, excusationes audire, vt accesserint ad rogandum, vti ad moriendum: tempus petitionis, & mortis tempus adumbrat, quasi paria sint, & preces fundere, & spiritum exhalare. *Mediam noctem, inquit, esse extremum vitæ.* In extremis constituebatur amicus, cùm panes peteret, séque esse importunum audiret. Adde nonnunquam faciliùs esse aliquibus mortem oppetere, quàm rogare.

106. Luc. 11. v. 5. Theophyl.

Adsunt huius veritatis testes duo illi sæculis decantandi germani. Passionis tempus appetebat: passio erat in ianuis, Iudæorum armabatur inuidia, & æmulationis æstuabat maleuolentia, cùm Dominus, ne passio eius denigraretur vti coacta, dum non haberetur libera, omnia futura prodit, quò Apostoli didicerint se spontaneum mortem adire non coactum trahi: de morte sermocinatur, cùm mulier regiam affectans potestatem, & thronum filiis rogitans, secus Apostolorum chorum accedit: *Tunc accessit mater filiorum Zebedæi cum filijs suis adorans & petens aliquid ab eo.* Rogant interpretes cur matris Apostoli suffragium asciuerint, nec per se ipsos thronos postulatum accesserint. Chrysostomus hom. 66. existimat detrectasse petere pudore impeditos, ingenuóque rubore ligatos: *Ab ipsis hæc excogitata petitio fuerit; sed pudore victi matris patrocinium assumpserunt.* Vides Apostolos petere recusantes, intuere ipsos calicem bibere animosè gestientes: nam cùm Dominus orationem ad illos conuertens rogasset: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Dicunt ei: *Possumus.* Profectò non facilè componam hanc dignam discipulis Domini audaciam cum illa formidolosa ad speciem petitionis verecundia: Si audent per hostiles mucrones, & inimicas falces inuolare intrepidè, cur

107. Matth. 20. v. 20. Chrysost.

cur patrocinium ad petendum assumpserint verecundè: Alij discipuli, cùm calicis fella audiunt, exæstuant, & ante passionem ad mentionem de passione cohorrescunt, auribus percelluntur, & animo perturbantur, si tamen fratres sic mortem contemnere dedicerunt, vt timorem morti incuterent. Ergo matris non asciscant suffragium, si adeò animosè parati sunt inuolare ad martyrium: aut se temerè non obiiciant martyrio, si indigent vel ad petendum suffragio. O exageratam petitionis molestiam! audent intrepide mori, non audent petere, quasi plus illis molestum fuerit vel cognatum rogare, & leuius tormentorum immanitatem despicere. Nesciebant sanè quid peterent; imò, & quomodò peterent, etiam nesciebant; verùm illorum inscitia, thesis nostræ veritatem attestatur egregiè, quandoquidem petere non audent verecundia suffusi, & mori non horrescunt viriliter animati. *Ab ipsis hæc petitio excogitata fuerit; sed pudore victi matris patrocinium assumpserunt.* Iam si ab inimico petendum, si tibi odiosus rogandus, adeò reputatur molestum, vt gehennale imitetur supplicium; imò qui de flammis horrendum crepitantibus non conquesti, de hoc tormento grauissimè ostenduntur vexati.

108. Aduentauit Christus in Gerasenorum regionem, vbi ferialis dæmonem truculentia sic miserum hominem afflictabat, vt condiderit viuum in sepulchris, quo, & de sensu cresceret pœna, & de sepulchro nulla fiducia: feralis sæuitia viuum annumerauerat defunctis, quò & inquietaret mortuos, & terreret simul viuos: sic agit salutis hostis, sic inuitus vitæ. *Exeunti ei de naui, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis.* Dæmon ad terram prolapsus duplici passione obturbatur, timore scilicet, & audacia. *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Et quæ hoc loco dæmonem vexat tortura, cùm inferno immortalis adurat flamma? flamma silet, & de vexatione vociferatur? *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Iam torturam audi: *Dæmones autem rogabant eum dicentes: si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* Immortali vrgetur odio: implacabili Christum auersatur fastidio, & quem prorsus dæmon cupit deletum, se rogare videt coactum: hoc ergo superbiæ intolerandum tormentum, & non ferendum erat supplicium. Adest Chrysologus serm. 17. *Conuersus est ordo pœnarum: ante latrocinante diabolo homo vexabatur innocuus: nunc homo currit; sed diabolus incurrit: inclinatur caro; sed immundus iacet, & prosternitur spiritus.* Attende diligentiùs, quæ paulò pòst subdit: *Modo vt adulator, non vt deuotus, & obsequens hic adorat, euadere cupiens pœnam, prædam perdere pertimescens.* Ecce diaboli tormentum: *Venisti*, inquit, *huc ante tempus torquere nos:* quia hic adoramus, quem animitus oderimus: *non vt deuotus, & obsequens hic adorat.* Hic præ gehenna conqueritur, quia in gehenna pectoris furorem maledicentia despumat: hic verò, & ardet internum odium, & exteriùs exhibetur obsequium: rogare ergo inimicum, precibus pulsasse aduersarium adeò dæmoni intolerandum tormentum est, vt in querelas doleat effusus, & de pœnis lugeat conquestus: *Venisti huc torquere nos.* Et quare? *Quia hic adorat.*

Marc. 5. v. 2.

Matth. 8. v. ..

Chrysol.

109. Audacem veste nuptiali nudatum vinculis tradi, manibus pedibusque ligatis rex iubet in exteriores tenebras mitti: *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Huius supplicij causam fuisse digno cultu, & decenti ornatu carere, non potest in quæstionem vocari: testatus est rex ipse, dum prodit causam, vt cuncti nouerint dignam sententiam: *Amice, quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Vides digno ornatu caruisse regis indignationi præbuisse materiam, hominémque pannosum non solùm excludi; sed arctissimis vinculis illigari. Transi modò ad iuuencularum oleo carentium historiam: aduentauit sponsus nuptiali pompa stipatus, clamor excitauit dormientes: stultæ virgines lampadum lumina deficiente pabulo sitire cognoscunt; verùm tarda notitia illarum sugillauit ignauiam, non adhibere potuit medelam; ianua clauditur, & virgines exclusæ nuptiarum priuantur gaudiis, mulctantur conuiuiis: *Nouissimè veniunt, & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis: at ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.* Et cur virgines oleo carentes vinculis non tradantur, nec compedibus illigentur, quando nuptiali veste nudus catenis inserit manus? *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores:* hic, & illæ exteriores patiuntur tenebras: hic, quia traditur horroribus nocturnis regis præcepto: illæ, quia lucis prorsus orbatæ sunt pabulo; verum non æqua ad speciem omnium sententia, quandoquidem fœminæ non comprimuntur vinculis, ille verò duris diuexatur catenis. Ecqua huius discriminis causa est? An quia fœminæ sexus imbecillitate defensæ: an de formæ venustate leuatæ? Minimè sanè; imò non minora, quam ligatus, passæ de repulsa tormenta: rogauerunt namque virgines prudentissimas, vt pabulum commodatum acciperent: *Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur:* adeóque superbis, & inflatis rogare durum, & petitione fraudari acerbum, vt exæquari possint pannosi vincula irritis petentium votis, aut cassa rogantium vota superare potuerint vincula. O quàm durum fuit illud: *Ite ad vendentes!* Quàm acerbum; *ne fortè non sufficiat nobis, & vobis.* Patiatur ergo è conuiuio eiectus catenam, si non est passus petitionis repulsam, & quæ passæ sunt precum repulsam, rogandique verecundiam, non sustinuerint catenam, est enim ingenuis petere graue tormentum, & repelli exaggeratius supplicium. Ne audiret ille exclutus, *nescio vos*, ora sigillauit silentio: satius ducens vincula pati, quàm ignominiosè repelli: Virgines loco vinculorum patiuntur repulsam, & illo verbo *nescio vos* non modicam contumeliam. Adest Chrysostomus homil. 79. *Abite, nescio vos: gehenna istud verbum grauius est.* Non indulgentius habitæ, quæ cassis precibus sunt exclusæ: nam petere, rogaréque molestum verbum, non impetrare exaggeratius supplicium. Ergo virgines non leuius repulsa punitæ, quàm audentis manus vinculis diuexatæ.

Matth. 22. v. 13.

Matth. 25. v. 11.

Chrysost.

* * *

§. XXVI.

§. XXVI.

Qui multum habet, plus cupit, & tantùm crescit ambitio, quantum ambitæ dignitatis possessio.

110. QVidam humani non ignarus ingenij aiebat : *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit* : putares insanum pecuniæ ardorem plurimi auri copia fore extinguendum : erras tamen egregiè, quia experieris flabellandum. Qui parum habet, & exiguis sæpè contentus est ; at si prospera fauit fortuna, iam humani vela cordis implentur, & animi nauis desideriorum flatibus impulsa nullis anchoris nouit fundari, sed in altius pelagus semper impelli. *Qui multum habet*, scribit Seneca epist. 120. *plus cupit ; quod est argumentum nondum illum satis habere. Qui satis habet, consecutus est, quod nunquam diuitijs contigit, finem.* Non habet finem cupiditas ; imò quantumcumque ingesseris, flabellatam plus irritabis : *Neminem pecunia diuitem fecit*, addit Stoicus ; *imò contra nulli non maiorem sui cupiditatem incussit. Quæris quæ sit huius rei causa ? Plus incipit habere posse, qui plus habet.* Nullus necessitati attemperat desiderium; sed habendi potentiæ exęquare discupit votum; imò inuentus est, qui concupisceret aliquid post omnia : doluit Alexander angustiorem sua cupidine mundum, & mundi claustra disrumpere cogitabat immetatè ambitiosus, qui exiguo loculo sepeliendus. Vis parum cupere? Viue paruo contentus, & requiescet animus nullis ambitionis flammis adustus, nullis superflua habendi desideriis vexatus. Sudant homines, vt illorum felicitas spectet publicum, vt aliorum oblectent oculos, aut inuidiâ adusserint animos: cordatus homo introrsus beatitudinem quærit : tenent amatores suos diuitiæ, habentur à magnanimis opes : & quid putas interest, ferreis, aut aureis quis vinctus iaceat catenis ? Qui ad naturam viuit, non discupit aurea pocula ; ambitiosa non est fames, non curat nimis quo desinat, sed desinere tantùm curat. Infelicis luxus ista tormenta sunt, scilicet vt puer crinitus ministret, & quam perlucidum poculum porrigat, vt pauonem, rhombúmque cibos fastidienti apposuerit. Diuitiæ acriùs cupiditatem inflammant, cupiditas anxiis distorquetur suspiriis, & anhelis ardet votis. Axa Othoniel Dabir ciuitatis expugnatori datur in matrimonium eâ, quæ fœminam adeò nobilem prædiuiti decebat dote : illa, vt cœpit ditescere, cœpit etiam suspirare: *Suspirauit, vt sedebat in asino, cui Caleb : Quid habes ? inquit. At illa respondit : Da mihi benedictionem : terram australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam.* Irriguam suspirat hæreditatem, quæ Australem acceperat ; cùm tamen antequam Australem acceperit, nullatenus suspirarit : & quidem nil mirum, si quid ambiret, dum paterna domo antea nil possideret ; at iam ciuitatis Princeps amplissimæque domina hæreditatis nullatenus videbatur suspiriis angenda ; sed sitis amplissimis patrimoniis sedanda; & tamen suspirat, cùm habet : non suspirauerat, cùm caruerat. *Cum a patre domum vir eam ducturus in asinum imposuisset*, scribit Masius, *desilut rursus, ne sine dote meliore veniret.* Diuitias adepta lautiorem hæreditatem suspirat, vt verum sit, quod aiebat Stoicus : *Qui multum habet, plus cupit.*

Seneca. Masius.

Certabant non solùm filij, sed de dilargienda etiam benedictione parentes : Isaacus satagebat Esau præferre obsoniorum lenociniis illectus ; mater præferri discupiebat Iacobum, quia politioribus moribus exornatus, Esau de patris præcepto in agrum tendit venaturus ; mater Iacobum vrget, vt pio dolo fratri benedictionem præripiat : timebat ille paternum incurrere maledictum, & ideò lentius dignitatis ambiuerat incrementum. Quid tunc ? Optimis mater ornamentis induit, quò viuaciùs ad ambiendam dignitatem inflammet. *Vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum.* Angustior temporis articulus his immorari ad speciem minimè consulebat : cur ergo adeò sedulò filium optimis gestit adornare indumentis, dum opus est dignitatis ornari prærogatiuis ? Ad hæc vestes illas prædiuitem declarare vel cæcus pater testatus est : *Statim, vt sensit, inquit, vestimentorum illius fragrantiam benedicens illi ait : Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* O quàm sibi sæpè sæpius cæca aduersatur cupiditas ! Si mater adurget filium, vt benedictionis præripere festinet diuitias, cur ipsa veste prodit diuitiis exundantem, cùm aptius videatur desiderium de paupertate inflammare, & de pannositate fouere. Ornatu carens, diuitiisque indigens anxius ambibit & ditescere, & exornari : diuitiis verò satiatus & optimis ornamentis excultus ambitionis fastidiet molestias, cùm paupertatis nesciat ærumnas. Ergò mater nullatenus filio ingerat de splendenti ornatu exambiendi benedictionem fastidium ; sed de soloce potius primogenituræ inflammauerit desiderium. O profundam nobis eruditionem, ô arcanam matris prudentiam ! Nouit illa humanum ingenium plus sitire, dum plus habuerit, & quò filius ardentius dignitatem exambiat, pretiosis vestibus agrum fructibus, deliciisque plenum referentibus ornat : pretiosa ornamenta ambitioni censuit calcaria, & filium fecit habere, vt doceret etiam sitire. *Certè materfamilias*, scribit Lippomanus, *pro more illas vestes, seruabat, quibus nuditatem Iacob velare quantum poterat, satagebat, & instruere deceptionem.* Vt deceptionem instrueret, vt arcanam ambitionem viuidius inflammaret, nuditatem velare studuit : quia sciebat cupiditatem in minus habentibus languescere ; in plura possidentibus maiora semper ambire. 111.

Genes. 27. v.15. Lippoman.

Componamus, si placet, cum Lazaro paupere diuitem illum helluonem. Lazarus se ipso quodammodò nudus, & in aduersæ fortunæ pompam, & ostentationem natus ; diues fastu turgidus, delicatis & pretiosis vestibus vanus. Quid tunc ? *Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat* : diues non sitiebat micas ; sed purpura & bysso indutus marinas, imò de vltra mare delicias cupiebat : auibus orbabat aërem, tellurem fructibus, & quod natura in generosę liberalitatis produxit commendationem, huius sitis depopulabatur ardentissima, huius ingluuies cōsumpsit semper famelica : *Epulabatur quotidie splendidè.* Et cur Lazarus delicata fercula, & pretiosa vina non sitiat, sed tantummodò 112.

Luc.16.v.18.

modò viscera depascente fame deciduas micas suspiret? Et cur exatiatus diues, qui indigeriem suam cælum vsque ructabat, vel cadentes micas vetuerit dari; imò iterum imperauerit colligi: *Nemo illi dabat.* Et quare? Quia diues ipse & micas etiam sitiebat: putares diuitem de luxus abundantia, de nimiáque diuitiarum copia decidua frustula prorsus despecturum, mendicúmque de famis tormento, de ardore sitis infaustum vel desideriis solaturum fortunam; verùm pauper dum minùs habet, vltra deciduas micas non nouit extendere desiderium; at diues dum auri cumulo tectus, dum sanguineo purpuræ splendore vestitus, vel vsque ad exiguas micas extendit votum. Quàm opportunè Chrysologus serm. 124. *Mensuris per totam diem ebrietatis non extinxit incendia; sed hanc sibi guttam ad refrigerium dari petit, ad ardorem pauperis quàm negarat: ista gutta est, diues, quæ te facit crudelem; ista gutta est, quæ os Lazari à te negata siccauit: quia ad refrigerium pauperis & gutta sufficit, & mica.* Pauper micam discupit: & quia non habet, exiguum cupit; at diues, dum ingestis liquoris mensuris sitim extinguit, iterum de ipsa satietate reuocat, & flabellat acriùs incendia. *Non extinxit incendia*, inquit Chrysologus: quidquid adiecit, fuit cupiditati gradus: sic vel guttæ sitibundus diues hiabat, vt pauperi denegaret. *Magis, magisque*, aiebat Chrysologus serm. 121. *diuitiis census cumulatur; sed diues adamante durior quidquid Deus pauperis propter alimoniam, diuitis conferebat ad censum, ille crudeliter reponebat.* Reponebat nunquam exatiata cupiditas, quæ generosa Numinis concesserat largitas, & quodammodò auaritia cum liberalitate certabat: Deus augebat diuitiarum cumulum, diues diuitiarum etiam incrementauerat desiderium. Nec solùm diuitiis exundanti hoc innatum noueris vitium; sed dignitatis fastigia possidentes non dissimile reperies adurere desiderium.

Chrysol.

113. Duo illi fratres, Iacobus videlicet & Ioannes, dum crucem audiunt, thronũ concupiscunt. Tendebat Christus anhelis humanæ redemptionis Ierosolymam votis, cùm fratres iure cognationis & matris patrocinio fidentes accedunt subselliorum pariter ambitores: *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis adorans & petens aliquid ab eo.* O desiderium passione maius! Crucem audiunt, & thronum postulant: examinemus, si libet, quid fratrum inflammauerit desiderium. Chrysostomus homil. 66. & apud D. Thomam: quia cæteris se agnouerant honoribus antelatos, in hanc autumat incidisse cogitationem. Audi eius verba: *Videbant enim se ipsos honoratos præ aliis, & audierant quod super duodecim thronos sedebitis: vnde primatum ipsius cathedræ petebant accipere.* Profectò hæc ratio reliquos potiùs quàm fratres videbatur impulsura: nec enim mirum si aliis inferiores aut exæquare, aut supergredi contenderent dignitatibus; fratres verò, si reliquis antelati, quid ambiant? O quàm verè dixit Seneca! *Plus incipit habere posse, qui plus habet.* Profectò incrementatur de ipsa felicitate felicitatis ambitio, & quo videbatur prorsus sedanda, viuidiùs flabellat incendium, & vlteriorem exambit thronum: minus appetierunt fratribus inferiores; at ipsi, quia reliquis anteibant, de ipsa antelatione quodammodò audentes thronos appetunt, & lucere splendidiùs contendunt: *Videbant se ipsos honoratos præ aliis, vnde primatum ipsius cathedræ petebant accipere.* Ergo notam vides iam in diuitibus, honoratisque ambitionis, & cupiditatis causam, cæteris scilicet fœliciores esse: ipsa namque felicitas se exagitat, & immetati desiderij pennis gestit non incedere, sed volare. Axa ergo in ipsa nuptiarum pompa ditiorem agrum suspirat: *Suspirauit, vt sedebat in asino*; cùm antea nec ambierit diuitias, nec prodiderit cordis angustias. Time, si nimis ditescas, auaritiam; imò ne cupidine attamineris: naturæ viue; satis habet, qui nulla cupit, & cupienti nihil est satis. De lynce fertur exuccum & veluti exanguem marcescere, quia etsi lautum pastum inuenerit, alium visus perspicacia intuetur, & dum continuis desideriis, agitatur, inuentis pascuis ad satietatem nullatenus innutritur.

Matth. 20. v.20.

Chrysost.

§. XXVII.

Egenus est, non Euangelicus pauper, qui diuitiis carens ambiuit; verè pauper, quantumuis affluat, qui animi generositate despexit.

ALiud est, mihi crede, Euangelicum pauperem esse, aliud censibus diuitiarum carere: paupertas est generosi pectoris ornamentum, egestas & inopia fortunæ iratæ non semel est supercilium: pauper est, qui quantumuis affluant diuitiæ, cor non apponit, diues, qui diuitiis nudus conatibus anxiis disquirit: miserè egenus est, qui non habet; honestè pauper, qui spernit. In pannoso & attrito habitu pestifera gliscit aliquando cupiditas, in purpura multo conchylio splendenti degit non semel vera paupertas. Aptè Seneca lib. de paupertate: *Is maximè diuitiis affluit, qui minimè diuitiis indiget.* Animo diuitias spernere paupertatis est neruus, nec obstat circundet corpus, si necessarius, amplissimus factus. *Non in rebus*, addit Seneca, *vitium; sed in animo ipso est. Incipe cum paupertate habere commercium: aude opes contemnere, & te quoque dignum finge Deo. Nemo alius dignus Deo est, nisi qui opes contempsit: quare possessiones tibi non interdico; sed efficere volo, vt illas intrepidè possideas.* Quem nec irata turbat fortuna, quique se absque diuitiis benè victurum sperauit, illas tanquam citissimè auolaturas amplexus, cum paupertate benè conuenit. Qui verò diuitiis nudatus sic ardenter illis inhiat, vt anxiis conatibus semper quærat, diues est animo, miser infortunio. Ecce Axa arentem ingratúmque agrum possidens, lætum & irriguum suspirat: *Suspirauit*, inquit, *vt sedebat in asino.* Cui Caleb: *Quid habes*, inquit: *at illa respondit: Da mihi benedictionem; terram australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam.* Axa in frugifero fundo donata copiosas non possidebat diuitias; sed animo diuitiarum suspirat copias: *Suspirauit vt sedebat in asino.* Ager copiosis non ditabatur fructibus; animus verò largis inhiabat prouentibus: non erat pauper, quia diuitias suspirabat; nec diues, quia non habebat: vtriusque sortis patiebatur incommoda: anxias diuitiarum curas, ærumnosas pauper

114.

Senec.

Is diuitiis affluit, qui diuitiis non indiget.

Senec.

paupertatis molestias. *Quemadmodum*, addit Seneca, *nihil refert vtrùm agrum in lecto ligneo, aut in aureo colloces, quocumque illum transtuleris, morbum suum secum affert: sic nihil refert vtrùm ager animus in diuitijs vel in paupertate sit.* Fortuna animum pauperem aut diuitem non facit: quia honesta paupertas non tam constat auri inopia, quam displicentia.

115. Iacob soceri supercilium fastidiens de reditu ad patriam cogitauit: durissimum námque est pati malignitatis iniuriam, & toruitatis ingratiam Rachel vt iniustè à patre compensaret ablata, aurea secum clanculum tulit idola: *Rachel furata est idola patris sui.* Ille vt agnouit auolasse aurum, insanus cogit militarem exercitum; in seipsum properabat armatus, ne diuitiis maneret nudus. O quàm obcæcatur cupiditas! in seipsos cogit cupidos insanire, & in filios ac nepotes armari: auro caret; sed aurum ambitiosus suspirat: Rachel vt studia eluderet patris sui, sub cameli operimentis aurum tegit, & idolum artibus industriis abscondit: *Abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper.* Ecquis horum tibi pauperior videtur, Laban amplis denudatus diuitiis, aut Rachel aureis ditata idolis? Profectò Laban cui videatur pauperior, quandoquidem auro nudior, Laban non habet, nam quærit: Rachel possidet; nam habet; ergo, ista diues, & ille pauper. Imò, inquit Isidorus, ista pauper adhuc possesso auro, ille diues amisso argento: Laban namque sic furit, sic diuitias amissas dolet, vt omni solertia recuperare festinet: at Rachel sic quod possidet, generose spernit aurum, vt pedibus conculcet idolum: hæc aurum fortunatè possedit; sed spreuit generosè; ille infeliciter non habet; sed discupit auidissimè. Hic ergo non pauper, sed infelix, illa, & auro felix, & auri contemptu pauper. Accipe Isidorum in Genes. cap. 26. *Quid in idolis nisi auaritia designatur? Vnde & per Paulum dicitur: Et auaritia, quæ est idolorum seruitus: Laban ergo veniens apud Iacob idola non inuenit ... Rachel ergo sedendo idola cooperuit: quia sancta Ecclesia Christum sequens vitia terrenæ concupiscentiæ per humilitatem pœnitentiæ cooperuit.* Rachel idola habet; sed concupiscentiam non habet; Laban denudatur auro; sed ardet vehementissimo desiderio: vrgetur inopia, & simul vrgetur concupiscentia: nullus de felicitate cum Ioue decertare poterit, nisi qui desiderium suum clausit, imò antequam oriretur, extinxit. Abstrahunt à recto diuitiæ, honores, & quidquid ambitio operosis sumptibus emit. *Multum est*, aiebat Seneca, *non corrumpi diuitiarum contubernio; magnus ille est, qui in diuitijs pauper est.* Addam: exiguus ille est, qui in paupertate diues est: disce non subiici; sed diuitiis potiri, imperio tuo seruiant, non suo dominio te subigant: si arrisit fortuna, discedat concupiscentia, amarulenta sanè radix, ex qua non nisi perturbationes oriuntur, & anxietates ingenerantur. Rachel dum calcat aurum, Ecclesiæ signat mysterium, Laban, dum auri quærit diuitias, cupiditatis ostendit flammas: itaque iste vel auro carens paupertatis gratiam dedecorat ambitu, illa aurum potita paupertatis seruat decorem contemptu.

Genes. 31. v. 19.

Isidor.

Senec. *Magnus est, qui in diuitijs pauper est.*

116. Esau primogeniturâ pio dolo mulctatur, adeóque sæuo iacturæ dolore concutitur, vt luctuosis aërem lamentis referiat, domúmque clamoribus impleat: *Irrugijt clamore magno.* Dolenter calamitatem sustinuit; nam, & dispoliatus telluris fructibus inhiauit. Iacob vt absentia fratris odium medicaretur, (valet namque absentia plurimùm animæ passionibus medicandis) paternam domum reliquit: sub diuo cubãs scalam illam sæculis celebrandam intuitus, Dominum audit in spes bonas dormientis animum erigentem, & lautissimis muneribus cumulantem. *Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, ad Septemtrionem, & Meridiem.* Quid tunc Iacob? *Si dederit mihi panem ad vescendum*, inquit, *& vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum.* Cupiditatis metas supergressa est Domini liberalitas, & tamen Iacob pane, & soloce contentus degit. Vter fratrum euangelicam paupertatem tibi videtur secutus? Iacob fœcundis prædiis, & vltra Solis lineam amplissimis fundis ditatus; aut Esau primogenituræ facultatibus nudus? Profectò Esau paupertatis gloria videtur fulgere, & Iacob diuitiis superbissimis abundare: verùm si Rupertum consulas, non Esau, sed Iacob coluisse Euangelij paupertatem inuenies: hic namque sic animo despiciebat diuitias, vt vltra panem, & aquam ad alendam vitam magnanimus nil ambiret; ille verò sic diuitiis carens diuitias ardebat, vt pectus desiderium non caperet, & lachrymis euaporatum emitteret. Quot suspiria præcordia vsserunt? Quot torserunt animum desideria? *Irrugijt*, inquit, *clamore magno.* Clamat, suspirat, exambit, & quas infortunio amisit, concupiscentiâ diuitias gerit: Iacob ditissimis hæreditatibus, aruísque fœcundis, numinis liberalitate donatur; sed adeò animi generositate diuitias spernit, vt panem, eúmque victui necessarium tantùm petierit: *Si Dominus dederit mihi panem ad vescendum. Hoc addidit filius potentis magnique vehementer ac diuitis hominis.* (Verba sunt Ruperti lib. 7. in Genes. cap. 25.) *& dederit mihi panem ad edendum, & vestimentum ad induendum. Hoc tanquam pauper, & verè Dei mendicus dixit.* Verè Dei erat mendicus, & verè pauper, qui ad victum panem, & ad indumentum Solocem tantùm desiderabat. In diuitiarum copia Iacob animo paupertatem excoluit; Esau verò in egestate desiderio facultates ambiuit: alter ergo honestè pauper ditissimo censu, alter miserè diues in raptu. *Hoc addidit filius potentis, magnique vehementer ac diuitis hominis: & dederit mihi panem ad edendum, & vestimentum ad induendum: hoc tanquam pauper, & verè Dei mendicus dixit.* Verè pauper, cui diuitiæ vilescebant, & miserè diues, quem auolantes vexabant. Disce ab his euangelicæ paupertatis exempla: egenus erit, quem fortuna pressit inopia; pauper euangelicus, quẽ nec exũdantibus diuitiis auri fœdauit concupiscentia.

Genes. 27. v. 34.

Genes. 28. v. 14.

Rupert.

Post tremendam sæculis sæuitiæ procellam, post luctuosam Domini solicitatam æmulatione passionem, discipuli mare piscatum tenebrarum auxilio freti contendunt: insomnes pernoctant, & quia iam versa fortuna, mare Petri olim adulatum vestigiis, anxiis solùm deseruiebat modò molestiis: loca mutant, retia committunt vndis; sed cassum laborem ponunt: dubio candicantis lumine auroræ adest magister, ma- 117

ris tergora vestigiis non calcans; sed littoris soliditate consistens; nec enim iam labilis vnda, quia stabilis semper gloria discipulos pueros vocat, quia puerorum instar timore exagitati diffugerant, virilémque constantiam prorsus
Ioan. 21. v. 5. amiserant: *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* Non interrogat, sed insultat; carpit eos toto quietis tempore frustrandis exiguæ reculæ spebus laborasse, & visa cruce perenni felicitatis nunquam marcescentis venâ fugisse. Quasi dicat: Quid post tot enauigatos fluctus, & positos sudores accepistis mercedis, cùm nec pulmentarium quid solandæ fami habeatis? Tandem rete in nauigij dexteram iaciendum monet, & iam exundant piscibus de obedientia, qui nullos captarant de industria. *Iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Petrus stupendo eruditus miraculo, & Ioannis certissimo testimonio sibi vestem circumiacit, & præcinctus magistrum versus gressibus intrepidus inuolat: *Tunica succinxit se: erat enim nudus, & misit se in mare.* Deleuit gradiens, quam timidus culpam admiserat fugiens, & quia timore mortis adurgente celer diffugerat, modò flamma charitatis ardente ocyor inuolauit. Disquiramus modò, quando Petrus euangelicæ pauperis, discipulique Domini formam expressius retulerit: an naui nudus, an piscium copia ditatus? Profectò nullitas est paupertatis habitus, indigentiæque fructus; vestis verò, & piscium copia inopem denegabant, & diuitem asserebant: ergo Petrus naui pauperior, & ad Christum properans ditior. Imò ad Christum properans, inquit Bed. licèt vestitus, est pauper, & naui nudus est diues; in naui namque obnoctat, laborat, retia vndis committit, nudus, & maris diuitiarum ambitioso desiderio æstuatus; ast ad Christum inuolans, & si piscium exundet diuitiis, præcinctus nullis premitur desideriis; imò opulentam spernit animo scapham, si nuper nudus, & egenus piscium anhelauerat copiam; vestitus ergo euangelicæ est paupertatis ænigma, & nudus miseræ cupiditatis emblema.
Beda. *Studio piscandi*, inquit Beda in caten. *nudus incesserat.* Vtrumque coniunxit, vestis nuditatem, & piscium concupiscentiam: fors diuitias negarat, sed affectus sollicitus exambierat; at iam scapha pisces non capienti cupiditatem sic cingit, vt relicta naui Dominum versus celeri gressu inuolarit: *Tunica succinxit se: erat enim nudus.* Cupiditate nudatus, licet ornamento indutus, paupertatis euangelicæ resplendet gloria, at veste nudus, quia cupiditate inflammatus, inopiæ sordet ignominia. Audi Augusti-
August. num apud D. Thomam ad Lucæ 12. *Docet lumbos præcingi propter continentiam ab amore rerum sæcularium.* Cinctus amorem rerum sæcularium nudauit; nudus amorem pectore fouit: melius ergo euangelicam paupertatem edocuit in diuitiarum copia præcinctus, quam indigentia ambitiosus. O quot censu diuites religiosam paupertatem professos paupertatis euincunt cultu, dum sic diuitiis affluunt, vt minime cor apponant. O quot facultatibus carentes sic illis inhiant, vt acquirere ardentissimè concupiscant. Felix, qui non solùm auro, sed cupiditate etiam nudatur ob Christum: verùm inter hæc duo, scilicet non habere & cupere, & habere & aspernari, felicior est, qui possidens despicit, quam qui non possidens concupiscit.

§. XXVIII.

Humana apud homines magni habentur, parui cœlestia æstimantur.

QVi eodem ardore ac humanum cœleste inhiauerit lucrum, terreno se denudabit stylo. Is humana ingenia vel à primordiis possedit error, vt ament solùm, quæ pulchritudine alliciunt oculos, quæ falsis lenociniis irritauerint animos, quæ noxiis cupiditatibus inflammauerint appetitus: sic venenosus veternosi serpentis flatus nostram pestifero veneno deprauauit naturam, vt quidquid saluti fastidiat congruum, ac virtuti aduersetur agnatum; insano verò ardore & cæco prorsus impetu, quidquid vitio exambiat amicum. Opportunè Tertullianus lib. aduers. Gnostic. cap. 5. *Est & hæc peruersitas hominum salutaria excutere, exitiosa suscipere.* Certè actiones nostras vel pueruli rubore suffundunt. Commutant illi pretiosa pro exiguis, pro pellucido vitro aurum: nos cariùs & ineptius venena inquirimus, salutaria fastidientes, & conducibiliora auersantes. Profectò laruata bona nobis imponunt, & quia non discutimus, fallimur. Attalus ille, qui anxiis importunísque curis aurum congregauerat, cum omnium admiratione dixit: *Diu mihi imposuere diuitiæ: stupebam, vbi aliquid ex illis alio atque alio loco fulxerat: existimabam similia esse, quæ laterent, his, quæ ostenderentur.* Plura promittunt voluptates deliciæque, nec tantum fidem rescindunt, sed in contrarium allectos impellunt: res corporis potiùs ostenduntur, quàm possidentur; & dum placent, transeunt; ad veras potius te diuitias conuerte: Ioui ipsi fac de felicitate controuersiam; non Crasso, aut Epicuro. Quàm benè aiebat Seneca epistol. 111. *Id ages, vt sis felix, non vt videaris, & vt tibi videaris, non aliis.* Sed proh dolor! rari satagunt felices esse, omnes videri: quæ extrinsecùs fulgent, amant, & illa solùm suspirant. Axa in media nuptiarum pompa tristibus patrem suspiriis perculit: *Suspirauit vt sedebat in asino.* Pater sollicitus, quid filiam premat, sciscitatur: illa desiderium aperit, & ditiores se concupiscere possessiones fatetur: *Terram australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam.* Vides crebris fœcunda arua anhelari suspiriis, non tamen adeò ardentibus virtutem præcellere desideriis. Amant homines reliquos vincere facultatibus, negligúntque superare virtutibus. *Subitò*, scribit Lyra, *voluntariè tamen descendit de asino, vt poneret se ad pedes patris sui, vt sic faciliùs impetraret:* nihil omisit, vt terram frugiferam, pascuísque vberem impetraret. Compone modò cum his suspiriis resolutam virginum imprudentum ignauiam: cœlestis expectabatur Sponsus, fulgenti lucerna opus erat ad eius aduentum; illæ tamen ignauum vocarunt somnum. Lampades sitiunt, opportuno pabulo destituta lux auolat: *Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur.* Vides facilem adeò diligentiam adhibere virgines detrectasse, vt cælestes celebrent nuptias, cum Axa suspiriis, demissionibúsque non parcat, vt irriguam impetrarit tellurem. *Suspirauit vt sedebat in asino.* Humana anxiis suspiriis ambiuntur, diuina somno ignauissimo depretiantur.

Margin notes (right column): 118. — Tertull. — Attalus. — Senec. — *Id agis vt sis felix non vt videaris.* — Lyra. — Matth. 25. v. 8.

Pascebat

119. Pascebat Moyses soceri gregem in Arabiæ campis bona fide, omnium pastorum prouidentissimus nullum recusat laborem, vt gregem augeat; irriguáque pecoribus pascua acquirat: ad desertorum interiora contendit, vt pinguiorem herbam, & illibatam ministret, nec timet desertorum abstrusioribus posse in Leonem incidere, aut feræ alterius periculum sustinere. Deus secessu illo flammanti, illæsóque rubo obiicitur, & quidem splendidam adeò lucem humanos fugisse oculos diuinitatis erat argumentum. Non mirarer fœdas occultasse spinas: didicerunt namque homines quidquid probrosum tegere; sed nesciunt quidquid splendidum, non vulgare: hoc inopino pastor spectaculo correptus approximat; sed vt contribulium calamitates temperet, in libertatémque asserat, imperatoria voce iubetur. Quid tunc? Linguæ tarditatem opponit, imperitiam allegat, & obnixè nititur extraxisse imperium, vt suspectum propulsaret longe periculum: *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Ex quo periculosa sibi iuberi censuit, impeditiorem, & tardiorem linguam habuit: quia de more qui parere detrectat, plurima confingit incommoda, aut exigua incrementat obstacula. Iam periculis deterreri non dubium: medetur namque Dominus metui, illiúsque osores demortuos, vti timorem excuteret, affirmauit: *Mortui sunt omnes, qui quærebant animam tuam*; verùm si Moyses tot laboribus adhibere medelam recusat timidus, quomodò audet ad deserti interiora duxisse gregem impauidus? aut si desertis ferarum despicit non infrequentes adsultus, cur Ægypti adeò expauet casus? an quia censuit Leonem vrsúmque faciliùs vincendum, quàm peruicacem, & refractarium fore domandum? Timuit fortè captiosas politicorum technas, plus quàm ferarum audaciam: Non inficiabor; verùm vt thesi nostræ adaptarim historiam, censeo è rebus ipsis discriminis constare dilucidissimè causam. Moyses ad desertum contendit augendi gregis spebus allectus; at in Ægypto laborantibus contribulibus succurrere iussus: hoc erat virtutis opus, illud diuitiarum augmentum; adeóque virtus apud homines depretiatur, adeò quidquid humanum, plurimi habetur, vt Moyses ad diuitias sectandas non deterreatur periculis; ad virtutem tamen amplectendam vel friuolis, puerilibúsque auertatur terriculamentis. Adest Philo lib. 1. de vita Mosis. *Factus omnium ætatis suæ pastorum optimus, & vtilitatis pecudum prouidentissimus, nullum laborem fugitat; sed vltro & iniussus alacriter eis prospicit.* Iniussus adit deserta, quin ardens augendi gregis studium refrænarint pericula, cùm iussus ob periculum Numinis detrectarit contentiosissimè imperia. Sæpiùs aduerti adeò clarissimorum virorum actiones non obscurari peccatis, sed lucere mysteriis; innoxio namque factorum penicillo errores nostros solent depingere; & nullatenus exercere. Sed quo dilucidiùs videas, quàm ardenter appetantur humana, quamque oscitanter desiderentur honesta, vel Moyses augendi gregis causa nullas animosus expauet feras, cùm ne Ægyptum tetenderit, opponat plurimas causas. *Nullum laborem fugitat; sed vltro & iniussus eis prospicit.* Iam non solùm hoc familiare; sed innatum adeò hominibus esse, vt qui tanti virtutem, quanti euanidam æstimet felicitatem, humano se exuisse videatur ingenio, sequentia Scripturæ loca probabunt.

Exod 4. v. 10.

Philo.

Cùm Saul copias contra Philisthæos armasset, illique ex opposito armatorum agmina coëgissent, signáque conferendi opportunum iam tempus adesset, subitò apparuit spuriùs homo ex Philisthæis, qui vt corporis mensura, ita reliquos immetata præcedebat superbia, validus viribus, toruus adspectu, immane spirans, altum vociferans, & in cælum, Hebræósque iniurias insolentissimè iactans omnes deterrebat, verùm Dauid, qui vt fratribus deferret cibaria, in campum venerat, zelo obarmatus deprælìandi licentiam petit; Saul cùm ægrè induceretur in spem, licentiam concedere renuisset, nisi necessitas cogeret, aduersariíque insolentia adurgeret. *Non vales resistere Philisthæo isti nec pugnare aduersus eum.* Quid tunc Dauid? Egregia suæ fortitudinis facinora euulgat, non quo iactantiæ, & vanitati aduletur; sed vt terrori principis medeatur. *Pascebat*, inquit, *seruus tuus patris sui gregem, & veniebat Leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, inficiebámque eos; nam & Leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus: erit igitur & Philisthæus hic incircumcisus, quasi vnus ex eis.* Profectò Dauid zeli ardorem innubilare videtur, dum referens quas cum Leonibus vrsísque pugnas ob gregem iniuerit, eodem modo se cum diuini honoris hoste deprælìaturum testatur. *Erit*, inquit, *& Philisthæus hic incircumcisus quasi vnus ex eis.* Erratum corrigat, ne dum exæquat dissimilem adeò causam, intulerit zelo iniuriam: dicat se impauido animo fuisse persecutum Leonem, vt prædam eriperet, modo verò erectiori audentiorique studio Philisthæum se oppugnaturum, vt populi deterserit notam, & Numinis depulerit ignominiam. Profectò distantissimæ erant causæ; sed adeò insolitum est eodem ardoris studio humanas & diuinas causas amplecti vt Saul puerum diuinitate coniectarit impulsum, & sæculis mores prorsus supergressum. Adest Chrysost. apud Glossam & homil. de Dauid & Goliath. *Cum pascerem gregem, ouem à Leone & vrso arreptam belluis interemptis prædam excussi, & bestias interfeci: hoc exemplo etiam istam immanem belluam prouocem bello, pugna congrediar, Dei populum de eius manu eripiam.* Attentiùs audi quæ subdit: *Dei populum de eius manu eripiam, & vt nocentissimam belluam Dei virtute percutiam: pugna ista Dei est: bellum, quod geritur, cæleste atque diuinum: nihil istic humanum inuenies.* Consonat Augustinus ibid. *Intellexit Saul cum videret audentem puerum aliquid in eo diuinitatis esse.* Vidit Saul adæquè tractare virtutis & gregis causam, & est suspicatus diuinum, quia ingenium vidit supergredientem humanum: longo experientiæ vsu nouerat Saul quàm tepidè honesta, quámque curentur ambitiosissimè humana, & audiens Dauidem humanæ diuinam æquantem causam, in eo diuinitatis suspicatus est excellentiam: falsus est Saul; sed eius error nos docet quàm tepidè virtutis aggrediamur negotia, quàm ardenter humana lucra. O quàm admirationi fuit Dauidis 120.

1 Reg. 17. v. 33.

Chrysost.

August.

dis animus, cùm eodem modo se cum gigante decertaturum promisit, vt Numinis consuluerit honori, ac cum Leone vrsóque, vt abrepto subuenerit arieti. *Bellum, quod geritur, caleste atque diuinum, nihil istic humanum inuenies.*

111. Properabat Iacobus, vt quibus infantia lusit, lares reuiseret, cúmque ad fluminis vadum, Sole iam occiduam ad pyram properante appulisset, quod diei supererat temporis in transuehendis vxoribus, filiis, gregibúsque consumpsit: tenebris impeditus remansit solus, tantillùm membra somno recreare discupiens; nam molestis itineris lassescebat laboribus fatigatus, verùm ecce inopinum aperitur stadium. Deus luctatoris aduersantisque mutuatur speciem, cùm amantis animo gereret veritatem. Non modicam noctis partem iucundissimæ luctæ impendunt: sed cum iam anhelis candicare equis cœpisset aurora, Deus se certamini nititur subduxisse:
Genes 32. v. 26. *Dimitte me: iam enim ascendit aurora.* Cur egregius athleta aduentasse lucem allegarit, vt Iacobus ab illa optabili lucta abstinuerit, rogant interpretes. Lyra illam produxisse rationem, ait, quasi diceret: Hucúsque tenebris impeditus flumen nequibas traducere, iam purpureæ candor auroræ depulit tenebras, & securas ostendit oculis vias: perge ergo vt venustum Rachelis intuearis aspectum, vt gratiosa deosculeris filiorum ora, vt de gregum pascuis, &
Interlin. augmentis prouideas: Audi Interlinearem. *Tempus est, vt ab inuisibilibus ad temporalia tractanda descendas.* Ecce, & deliciis cælestibus fruendi commoditas, & tractandi temporalia opportunitas. Itaque aurea aduentante iam luce incepit rixa inter diuina, & humana: & Iacob, qui hucúsque luctator, iam decertantium arena affectuum: pulchella facies, tener erga filios affectus, gregum solicitudo Iacobum validissimè ad se trahebant; contemplationis dulcedo, deliciosissima luctæ voluptas, ne pergeret, retardabant. Quid tunc? Sententiam Iacobus pro cælestibus tulit, & ad humana transire laudandâ ignauiâ protraxit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* His Deum ipsum, si dici liceat, in admirationem rapuit, & statim antiquum nomen cælesti nomine commutauit: *Nequaquam,* inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël.* Et cur modò Israëlis honorifico insigniat titulo, cùm anteà non impetrauerit præ-
Interlin. lio? Redeat Interlinearis. *Quia anima,* inquit, *quæ internam dulcedinem degustat, in ea semper morari desiderat.* Ecce cur Iacob metas transiliat humanas, séque numero cælicolarum addiderit. Quia videlicet humanis deliciis prætulit cælestibus immorari, & Rachelis visione dulcissimis Numinis amplexibus detineri: adeò rarum est non prætulisse terrena, minorisque æstimasse diuina, vt Iacob, dum tantisper Numinis amplexu immoratur, nomen sæculis sibi excuderit æternandum, nullisque inuidentiæ conatibus deterendum.

§. XXIX.

Facillimè quauis trahimur suasione ad humana, difficillimè allicimur ad diuina.

112. EA est hominibus vitiorum veluti innata libido, is rerum caducarum cupiditatis pruritus, pronus adeò in præterlabentia affectus, vt vel leuissimo excitatus flatu inardescat: non præcepto, non consilio egent mortales, vt nocitura, aut saltem parum profutura discupiant, satis est nutu, vt annuant, vt incitantibus expromptissimè obediant, ægriùs amplectuntur virtutem: quia ingenij peruersitas honestate deterretur, voluptate verò aut emolumento allicitur. *Non est ars,* aiebat Seneca epist. 29. Senec. *Non est ars quæ casu ad effectum venit.* *quæ ad effectum casu venit: sapientia ars est, certum petat, & eligat profecturos, ab ijs, quos desperauit, recedat, non tamen citò relinquat, & in ipsa desperatione extrema remedia tentet. Marcellinum nostrum ego nondum despero, etiam seruari potest; sed si citò illi manus porrigitur; est quidem periculum, ne porrigentem trahat: magna in illo ingenij vis est, sed iam tendentis in prauum.* Aggrediebatur Stoicus delicatum monitis emendare, timebátque, ne traheretur perspicacis malignitatis consiliis; quia nouerat faciliùs homines voluptatis sequi cupedias, quàm honestatis vtiles prosequantur delicias: ars est sapientia, & adinstar artis longo labore, & prolixo tempore amicum aut socium expolit ad virtutem, cùm ad temporalia, & caduca non solùm inelaboratus; sed affectus pullulat iniussus. Vel philosophiâ armatus trahi ab amico timebat Stoicus; difficilius erat ab Stoico voluptatum fluctibus mersum extrahi Marcellinum. Iam id sacris adstruamus exemplis, componamúsque Axam cum Sponsa. Axa dum nuptiali pompa Sponsi traducitur ad domicilium, suspirat, fusisque lachrymis patrem exorat, & vt interpretes testantur, ab ipso equo se ad terram demittit: *Suspirauit vt sedebat in asino.* Ecqua huius suspirij, & lamenti causa est? Scilicet virum suum hoc consilium illi dedisse; *quæ cùm pergeret simul,* inquit textus, *suasa est à viro suo, vt peteret à patre suo agrum: Suspirauitque vt sedebat in asino.* In ipso itinere persuadetur à viro, nondum si dici potest marito. Iam qualis suspiriorum, scopus, audi: *Terram australem, & arentem dedisti mihi, iunge, & irriguam.* En quò colliment suspiria, en quid Axæ suadetur, non importunis precibus; sed cursim, & in itinere: *Hebræi dicunt,* scribit Lyra: *Lapsa est desuper asinum, quia subitò, vo-* Lyra. *luntariè tamen, descendit de asino, vt poneret se ad pedes patris sui, vt sic facilius impetraret.* Fœminis innatus celsitudinis appetitus, vtpotè quæ circumferant Euam; Axa tamen non ægrè tulit nuptialem intermittere pompam, & suadenti parere viro. Vides quàm facilè mulier ad petendum agrum fuerit suasa, vide quàm ægrè persuaderi à cælesti Sponso patiatur Sponsa. Aduentat ille eius amore illectus, quin montium impedierint prærupta, quin sopierit ardorem rigoris offensa, quin pruinarum morata fuerit iniurias: blandè vocat, amatoriis verbis solicitat; illa tamen inciuilis renuit, & causas allegat friuolas: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & concinni mei guttis noctium.* O quàm duri hi labores dulces demere- Cant. 5. v. 2. bantur affectus! Quid illa tunc? *Expoliaui me tunica mea, quomodò induar illa?* Et cur Sponsa ornari renuat ab Sponso blandissimè illecta, cùm Axa vel pompam omittat à viro suasa? Hoc quidem fœminis arduum, illud de more facillimum: ergo Sponsa imitetur Axam, aut

Axa

Axa imitetur Sponsam. Expende diuersitatem. Sponsæ suadetur spiritualia sequi, Deum hospitio recipere; Axa verò temporalibus inhiare: *Iunge & irriguum*: ad temporalia ergo sectanda, vel leui homines persuasione mouentur, ad spiritualia post prolixas preces durantur: Sponsa noluit lectum vel ad tantillum relinquere: gestiuit Axa vel nuptialem pompam deserere. *Dicunt Hebræi, lapsa est desuper asinum, quia subitò, voluntariè tamen, descendit de asino, vt poneret se ad pedes patris sui, vt sic faciliùs impetraret.*

113. Christus Dominus inferni, mortísque destructor discipulis adhuc metu trepidantibus lucis suæ candorem impertit: aberat tunc Thomas, quem cæteri condiscipuli ad fidei meritum, ad lætitiæ partem trahere felici nuncio nituntur.

Ioa.20.v.25. *Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum.* Quid tunc ille? *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Renuit tot discipulorum amplecti sententiam; imò, si fas est dicere, duram tulit aduersus illorum credulitatem censuram. Vides Thomam nullatenus persuaderi Petri iudicio, & reliquorum assensu: verte modò oculos ad mare Tyberiadis, quò piscatum tendebat Petrus, videbisque Thomam facillimè trahi; imò non vocatum Petri sententiam amplecti:

Ioan.21.v.2. *Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilea, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari: dicunt ei: Venimus & nos tecum.* Vides Thomam Petri sententiæ nullatenus refragari; imò approbare iudicium contenderéque ad piscationis negotium. Inquiramus, cur Thomas alibi Petri passus non fuerit persuaderi sententia; cum hic sine cunctatione probet decretum, & sequatur vestigium. Si idem Petrus, si Thomas idem, cur alibi dicenti annuat, alibi verò resistat? Profectò discrimen peperit rerum differentia: alibi namque ad credendum alliciebatur diuina, alibi ad lucra sectanda humana: adeóque facilè ad caduca trahimur, adeóque difficulter ad honesta mouemur, vt Thomas Petrum comitetur ad mare, & à Petri fide resiliat: non traxit Petrus credens ad fidelitatis obsequium; piscator traxit ad maris fluctum: renuit Thomas credere, non renuit piscari: comitatus est ad caduca, refragatus est ad honesta. Adest opportunè

Chrysost. Chrysostomus apud D.Thomam: *Colligati de reliquo sibi inuicem erant, simul volebant*

Chrysol. *piscationem videre.* Annuit Chrysol. serm.78. *Pueri, inquit, nunquid pulmentarium habetis? Ibi erat Petrus, qui negauerat, Thomas, qui dubitauerat, Ioannes, qui fugerat.* Ibi erat cum piscantibus, qui renuerat annumerari credentibus: alibi illorum amplectebatur studium, & alibi despiciebat iudicium; vt videas quàm sine residentia ducatur ad incertum piscationis emolumentum, quàm trahi non patiatur ad certissimum resurrectionis iudicium. *Ibi erat Thomas, qui dubitauerat.* Distulit fidem præbere; retia tamen cum aliis non est auersatus iactare. O quot ad contemplationis otium, ad accipiendæ Eucharistiæ cœleste lucrum, ad lucrosum charitatis commercium duci non sustinent vel importunissimis precibus; cùm ad theatra, ad spectacula: ad libidinis negotia, ad voluptatum deliria, vel leuissimis excurrerint motibus.

Cogitabam aliquando, cur duos Angelos in albis sedentes conspicata fuerit Maria, cùm Euam vnicus Angelus, non venustatis assumpta specie; sed serpentis mutuato horrore, fallere fuerit aggressus: *Maria, inquit, stabat ad monumentum foris plorans: dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes.* 114. Ioa.20.v.11.

Duo Mariam Angeli blandè alloquuntur, ad sepulchrúmque videndum inuitant, cùm ad plantæ vetitæ visum vnus allexerit, & clarissimis fallaciis illuserit: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierem.* Gen.3.v.1. Et cur duo Angeli ad noxium arboris non alliciant conspectum, aut vnus tantùm sepulchri non inuitarit ad visum: si Eua serpentis afflata versutiis non solùm ad scientiæ arborem direxit oculos; sed extendit etiam manus; cur Maria vnico inuitante spiritu vitale inspectura non accedet sepulchrum? Ipsa quæstio sibi respondet: Eua inuitabatur ad noxia, Maria allicitur ad diuina. Respexit Eua arborem, de cuius aspectu oculis hauriret venenum; respicit Maria, vnde vitam suxerit vacuum sepulchrum: adeóque difficulter trahimur ad honesta, facilè adeò allicimur ad humana, vt satis fuerit vnus Angelus, vt Eua niteretur in vetitum; duobus tamen fuerit opus, vt Maria receperit cæcitatis collyrium. Adest Chrysostomus apud D.Thomam:

Chrysost. *Quia enim non erat excelsa mulieris mens, vt ex Iudarijs perciperet resurrectionem, Angelos videt in læto habitu, vt & ipsa à passione mitigetur.* Multi apparent, quò Mariam doceant resurrectionis mysteria: satis fuit vnus, vt Eua perditionis inhiaret ad toxica; quia veluti innato impetu homines exambiunt caduca, & quodammodò naturali auersione refugiunt semper cœlestia: adeò corrupti sunt mores, adeò despiciuntur sacrata, adeò habentur minimi profutura. Addiderim ingens esse gratiæ prodigium, si quis amplectatur certa eâ adhortatione, qua amplectebatur mentita.

Nato Domino noui Solis fulgoribus illustrata ab Oriente apparuit stella, quæ vel incuriosos oculos pulchritudine alliceret, & nouitate vocaret: felicissimi illi Magi gentium primitiæ, syderis sequuntur ductum, & ad vitæ peruenere thesaurum. 125.

Math.2.v.2. *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Chrysologus ingeniosè rem hanc expendens non adeò mirabile prodigium testatur syderis contra legem statam ortum; ac Magorum in sequendo stellam consensum:

Chrysol. *Plus cœleste, de Magis, inquit serm.156. quàm de stella signum est: quòd Iudæa Regem, quod legis auctorem Magus scit.* Profundus sanè Chrysologi sensus: si Magi cursus anteà obseruabant stellæ, si se syderum motionibus veluti non frustrandis fatis agi & gubernari credebant; quid mirum stellæ modò sequantur ductum, qui se deuouerant, vt vel inuiti sequerentur syderum gressum. Stella resplendet non lege syderum; sed nouitate signorum, non cæli climate? sed ignota sæculis venustate. Ergo plus de stella, quàm de Magis signum erit, quandoquidem stellā ab Oriente fulgere inuisum; Magos verò stellis addici semper de errore visitatum. O Chrysologi ingenium! Magus falsus quidem

quidem sic antea syderis obseruabat gressum, vt vt sibi negaret arbitrium; hoc tamen erat, vt Venerem coleret, vt humana negotia tractaret, vt Martem suspiceret, & ambita necessitate cunctis erroribus inseruiret: modò verò stellà ad Christum ducitur, ad veritatis securissimum portum aurigatur; adeóque insolitum est opus non esse maiori impulsu, hortatúque, vt quis sequatur vera, quàm vt sectaretur nociua, vt miraculum ingentissimum celebrarit Chrysologus, Magum ad Christum stellà ductari, vt antea ad errores stella, vt ipsi putabant, cogi. *Plus cæleste de Magis, quàm de stella signum est: quòd Iudæa Regem, quòd legis auctorem Magus scit.*

---

§. XXX.

Humana magna reputantur, si distant; exigua, si approximant: diuina apparent excelsa, si approximant; non adeò magna, si distant.

126. FAllitur non raró sensus aut offusa caligine interceptus, aut affectu interpellatus: quæ prærupta, sæpè æstimantur excelsa, & quæ excelsa, sæpe prærupta. Iniqui rerum æstimatores sumus, dum primo aspectu allicimur, aut sine examine deterremur. *Apud istos*, scribit Seneca epist. 125. *vilissimæ parti datur de meliori sententia, vt de bono pronunciet sensus: obtusa res & hebes, & in homine, quàm in alijs animalibus, tardior.* Tardior hominis sensus iniustam fert sæpè sæpiùs sententiam: damnat laudanda, laudat diffugienda; verùm licèt in aliis rebus hoc certum, certius est in spiritualibus, si defuerit experientia, in caducisque, si examine discuti non potuit fallacia. Pingit cupiditas affectionis penicilio, quidquid humanum, commoditatibus plenum: quidquid diuinum, labore onustum: nec sententiam retractat, donec experientia, & rationis reluminat facem, & peruersæ affectionis pellit caliginem. O quàm haberentur magni semper caduca, ni tacta; quàm parui spiritualia haberentur, si absentia: at dum quis humanis proximior, deprehendit æstimationis fallaciam, vt in honestis horroris demiratur stultitiam: In matrimonium locatur Axa: dos ampla promittitur, quàm iucundè acceptat Othonielus; sed non multò post iam hæreditates auersatur vt steriles; iam illi displicet, quod allexit: *Suasa est à viro, vt peteret à patre suo agrum: suspirauitque, vt sedebat in asino: Cui Caleb: Quid habes, inquit: at illa respondit: Da mihi benedictionem: terram australem, & arentem dedisti mihi.* Othonielis examinemus consilium: si modò datam in dotem hæreditatem veluti infrugiferam despicit, cur, dum spondebatur, admisit? Aut si tunc placuit vt frugifera, cur modò contemnitur vt fructibus viduata? Ea sanè ratio mihi se offert; antea scilicet vtpotè alienam non adeò curiosè inspexisse: modò verò vti suam studiosiùs examinasse: antea respiciebat eminùs, modò cominùs; illúdque est humanis rebus ingenium, vt incrementenur distantia, & imminuantur præsentia. Iam ergo quod antea apparebat floridum, inuenitur exaridum: *terram arentem dedisti mihi.* En hæreditas, quæ antea prolectauerat desideria, modò cogit ad suspiria:

Seneca. *Sensus in homine quam in animalibus tardior.*

Suspirauit, vt sedebat in asino. Audi Abulensem quæst. 8. *Expressit terram australem, & arentem, quasi dicat: Ista terra non est vtilis ad fruges, vel arbores propter magnam aquarum penuriam: ideò da mihi insuper aliam irriguam. Non est intelligendum quòd terra quàm dedisset Caleb, esset totaliter arens, quia tunc non dedisset eam.* Si arentem antea putassent, nullatenus recepissent; at dum contemplantur receptam, & quæruntur infrugiferam. Abulens.

Furens idololatriæ libidine populus sibi conflari Deos contentiosissimè ab Aarone deposcit: 127.
iniuriam intulit ille rationi, ne aduersaretur cupiditati: ambitiosus timet, ne Sacerdotio priuetur, & desideriis impiissimis suffragatur: vitulum conflat, altarique operosè substructo statuit sacrilegis cultibus adorandum, indignísque suffitibus excolendum. *Ædificauit altare coram eo.* Exod. 32. v. 5. Moyses à Deo de sacrilegio admonitus, zelóque inflammatus descendit, ac primum furoris impetum in idolum effundit: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel.* O quàm rationis lucem innubilat furor! si ab illis idoli studium satagit depulisse, cur inuisceraт altiùs, cur inserere molitur intimiùs? Certè vrgentiori flabellabuntur amore de idoli proximitate, qui exarserant de cupidine; ergo non efferat potandum, sed curauerit minuendum. O iram propheta dignam! ô mentem lucis candore illustratam! Vt despexerint, ob oculos illis idolum proponit: vult manu tetigerint, vt agnouerint: nam dum longè micabat positum auri pallore alliciebat, de pompáque admirationem ingenerabat; at iam cominus tactum vilescit, quia in sordidum cinerem visus redactum clarissimè agnouit. Opportunè Hieronymus ad Fabiolam de vestitu Sacerdotum. *Vituli puluerem, quem adorauerat Israel, in contemptum superstitionis in potum accepit, vt contemnere discat.* Hieron. Dum proximiùs agnoscit, dum tangit, discit contemnere, quem longiùs positū gestiuerat adorare. Didicerunt mundi figmenta distantia fallere, & ne deprehendantur, oculos industriè fugere. *Idolorum solemnia*, scribit Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 2. *vel arcana de suggestu, & apparatu, déque sumptu fidem, & auctoritatem sibi extruunt.* Tertull. Altissimus suggestus idolum ab oculis longiùs remouet, vt venerationem conciliet: illud namque rerum caducarum ingenium est, vt de proximitate despectum generent, de distantia venerationem creatint: ergo vitulus veluti inuisceratur, & experientiæ committitur, quò agnoscatur vilissimus, qui de suggestu deprædicabatur æternus; *vt contemnere discat.* O vtinam Eua illius arboris tactum sibi prohibitum non confringeret, dum florulentam plantam intuetur, dum eorum, quæ experta non erat, gustum demiratur, nec enim tangens diuinitatē inesse crederet, vbi postquam extendit manum, inesse mortem misera experientia cognouit. Ad rem Basilius Seleuciensis orat. 5. *Vidit quod bonum esset lignum ad vescendum: eorum quæ non erat experta, gustum mirabatur:* Seleuc. Sanè si experta, non miraretur. E contrario diuinis rebus accidisse cognosce: si distent, non habentur in pretio; si accesserint, excellentiora censentur auro.

Christus Dominus mortis victor, infernique 128.
detriumphator se discipulis præbet videndum: illi

illi stupore correpti figunt lumina, & inflammari præsentiunt corda: obstaculum obiecerant sibiipsis contrarij, sed Christus per occlusas penetrauit fores, vt resurrectionis caligantibus oculis clarissimas refunderet luces: illi aduentanti Thomæ notitiam communicant: Ioan. 20. v. 25. *Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum*: ille fortè ne in condiscipulis prærogatiuam agnosceret, dubius hæsit, hæsitabundúsque dubitauit: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Dominus ipsa dubitatione prouocatus se Thomæ palpandum offert, manúmque vsque ad interna viscera mitti iubet: tetigit Thomas, tactúque illuminatus Deum, & Dominum proclamauit: *Dominus meus, & Deus meus.* Et cur cæteri Apostoli solùm dixerint: *Vidimus Dominum*, cum Thomas Deum appellarit, & Dominum *Dominus meus, & Deus meus?* plus laudat incredulus, minus fideles? Isti fatentur dominium, ille dominium, & diuinitatis confitetur elogium: compensauitne laudes ingeminans quod detriuerat tempus dubitans? Et quidem perfecti viri, si aliquãdo vti homines lapsum aut errorem passi, virtutibus nituntur excellere, vt amissum quiuerint instaurare: *Dominus meus, & Deus meus.* Expende Thomæ, & aliorum differentiam: alij vident, non tangunt: testantur Ipsi: *Vidimus Dominum*; Thomas propiùs vulnera palpatum accedit: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Qui ergo proximiùs examinat, & August. laudes etiam multiplicat. *Videbat Thomas*, scribit Augustinus apud D. Thomam, *tangebatque hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebat; sed per hoc quod videbat atque tangebat, illud iam remota dubitatione credebat: vnde sequitur: Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.* Qui non adeò palpaturi approximarunt, Dominum confessi sunt; qui de proximiori cum illo egit, Dominum inclamauit, & Deum, diuina námque diuerso procedunt ordine ac humana: humana si intimiùs inspiciantur, minimi habentur, quia fallacissima cognoscuntur; at diuinis, quia veritas explicatur, admiratio maior impenditur. Thomas, dum propiùs accedit, imperio addidit diuinitatis elogium, alij, quia non adeò proximi, solùm euulgauere domíniũ.

129. Elias ille magnus Sareptanæ domum ingreditur; illa initio pauperem suspicata, posteà immortales de eius ore diuitias emanare est experta: exiguus farinæ modius cum tempore non imminuebatur, prophetáque lecytho persuasit, vt fontis instar flueret: iam mulier, quæ exceperat mendicum, consuetudine prophetam miratur: postea cum fortissimus languor ac pestilens morbus filium vnicum matris ingenti dolore depasceretur, in copiosas fusa lachrymas ad Eliam benefactorem recurrit: ille puerum lecto accommodat, séque cadaueri insternit: vitalis ipse demortuis membris opportunum confert auxilium, & clamat, quò Deus con- 3 Reg. 17. v. 21. summarit miraculum: *Expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius:* puer calore fotus, orationéque præcipuè luci restitutus reuixit: *Exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit:* tunc mater dolore in gaudium mutato, quas anteà fundebat lachrymas mœrore perculsa, & modò fundit grandi admiratione pulsata: *Nunc in isto cognoui*, inquit, *quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.* Et cur anteà sic cæca, vt prophetam non nouerit? aut si nouit, quomodò se modò agnouisse testata? *Nunc in isto cognoui.* Agnouit antea egregium prophetam, cuius imperio, & depulsa erat calamitas, & farinæ exundabat vbertas; posteà verò non solùm potestatem habere in famem agnouit; sed, & depellere mortem vidit: quotidie lucidior virtutis explicabatur pompa, & quotidie certior de virtute incrementabatur notitia. *Ante suscitationem filij*, scribit Caietan. Caietanus, *credebat quidem hæc; sed non plena certitudine clarificata erat mens eius, & propterea dicit se nunc cognouisse in hoc inaudito à seculis facto.* Plus mens eius claratur, quia maiorem quotidie in Elia sanctitatem experitur: anteà nouit; sed consuetudine plus quàm putarat, inuenit: hoc enim est cælestium ingenium, vt cùm intimiùs inspiciuntur, excellentiora noscantur; si humana tunc solùm putantur magna, cùm à longè, & luminibus cæcis conspecta.

---

§. XXXI.

Plurimum apud Deum ad impetrandum lachrymæ valent: imò, ne quid lamentis negetur, sapientiæ, immutabilitatique suæ ad speciem detraxisse lætatur.

Lamenta, & cordis suspiria apud sæculum 130. nullius pretij sunt, præcipuè si pauperum, egenorúmque sint; apud Dominum verò sic possunt, vt illi gratam vim inferant, & quodammodò ad gementis arbitrium trahant. Patronum solertissimum habent, qui lachrymas pro se habent: gemitus quidquid anxiè exambiuit, citissimè assequitur, nec Dominus concessisse desiderata cunctatur. Vecordiæ, & oscitantiæ suæ tribuat differri vota, qui lachrymarum ignauus non asciuit auxilia: non patitur repulsam gemitus, nec limis spectatur ploratus. Qui decem millibus obarmatus venienti cum viginti millibus occurrere se non posse prouidenter agnouit, legationem mittens roget ea, quæ pacis sunt, admonet Dominus. *Adbuc* Luc 14. v. 32. *illo longè agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt.* Verùm quid intererit amandasse legatos, vt quos iam offert potentia, moretur triumphos? Legationem mittet qui hostium timet militare trophæis; sed rogatam non admittet pacem, qui armatorum stipatus agminibus opimis ardenter inhiauit spoliis: ergo Dominus sanciendam legatione rogatam pacem testetur, vt in spes bonas mittentis animus erigatur. Sanctus Gregorius homil. 37. in euan- *Lachrymæ grati apud Deũ legati.* gelia, lachrymas testatur legandas, adeóque certum est, quicquid petierint, impetraturas, vt idem fuerit amaras legasse lachrymas, & æstuantes extinxisse venientis iras: superfluum esset obtinendam pacem missis lachrymis promisisse,

misisse, quia vergebat in lachrymarum iniuriam, dubitasse: *Cum adhuc longè est Rex, legationem mittat lachrymarum, eleemosynarum,* Gregor. *hostiarum munera offerat. Vult enim placari precibus, qui scit, quia portari non possit iratus. Quod adhuc moram facit, venire legationem pacis sustinet.* Vbi accesserint lachrymæ, detumescent profectò pectoris iræ, & ne reuerendis quid denegetur lamentis, potentissimus rex renunciabit lubenter triumphis.

131. Axa infœcundis, ingratisque aruis donata suadetur à viro suo irrigua, lætáque arua à parente suo postulare: *Suasa à viro suo, vt peteret à patre suo agrum:* illa vt impetraret citiùs, obtinerétque certiùs, lachrymarum aduocat patrocinium: *Suspirauit, vt sedebat in asino.* Suspiriis patris amorem sauciauit, & ploranti condolens. *Quid habes? inquit:* aperuit illa suspirij causam: *Da mihi benedictionem: terram australem, & arentem dedisti mihi, iunge, & irriguam:* nec mora, statim annuit Caleb, ne filiæ lachrymis videretur quid distulisse, aut lamentis denegasse: *Dedit itáque ei Caleb irriguum superius, & inferius.* Omnia suspiriis obtinuit, & superius, quod immortalem spectabat ad vitam: & inferius quod temporalem pertinebat ad copiam. Citiùs accepit, quàm Abulens. petiuit. *Solum vir suus suaserat petere agrum,* inquit Abulensis quæst. 8. *quia tamen petitio simplex nihil suadet, posuit fundamenta suasionis tam in re, quàm in verbis: in re, quia, antequam quidquam peteret, suspirauit.* Prudentissima Axa, ne vel à patre petitio pateretur repulsam, lachrymarum addidit copiam, nec illam sua fefellit opinio; sic námque Caleb filiæ sibi charæ est delinitus suspiriis, vt statim irriguis ditarit agris: *Posuit fundamenta suasionis, quia antequam quidquam peteret, suspirauit.*

132. Addiderim ipsam Dei sapientiam in lachrymarum commendationem ad speciem sibi detrahere. Adest Samson Christi Domini ænigma, & huius veritatis assertor: meretricem ardenter amat, qui cauere debuisset sibi parum fida alienigenæ expertus connubia; impensus amor infideli tentandi præbuit audaciam, & Philisthæis numerosam offerendi in fraudis præmium nummorum copiam. Polliciti sunt pecuniam viritim mille, & centum denarios daturos, si illecebris delinitum proderet, aut saltem roboris causam sciret: illa, quæ semel se prostituerat pecuniæ, astuta sagacitate fortitudinem cœpit elogiis extollere, vt sic facilius quiret fortitudinis causam rogare: dissimulauit interim ille, vtque mulieris fidem experiretur, iam ligamina, iam ferrum roboris fascinum fore respondit. Illa illecebris, ac delinimentis Samsonem demulcens inter genua sua dormire suasit, & sopitum vaferrima vinxit. Verum Samson viribus integer recentes funes Iudith 16. v. 12. adinstar fili disrupit: *Ita rupit vincula quasi fila telarum.* Adhuc deprehensa procacia non destitit, sed auri cupiditate victa se causabatur toties contra amoris fidem delusam, cúmque importunis virum querelis vrgeret, animi secretum manifestauit: *Dixit ad eam: Ferrum nunquam ascendit super caput meum; quia Nazaræus, id est consecratus Deo sum de vtero matris meæ; si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea.* O rem sæculis inauditam! Non mirarer cordis arcanum mulieri anteà reserasse Samsonem, quando scilicet nec dolosas artes expertus, nec toties fraudulenter ligatus, at post tot doli muliebris experimenta secretum aperuisse demiror. Minus est mulierculam impensè amatam Samsonem hostibus tradidisse, quàm toties traditum radicem fortitudinis declarasse. Haud nouum, meretricem copiosis fidem prostituisse pecuniis, sed rarum cordatum virum expertis toties non credere dolis. Ecqua huius causa? Voluisse lachrymarum, Ambros. inquit Ambros. lib. 3. Epis. epist. 14. vim sæculis commendare. Mulier ad lachrymarum confugit auxilium, vt arcanum venaretur secretum, & Samson dolosas artes expertus, ne quid denegaret lamentis, se maluit obiecisse periculis. Si Samson Domini ænigma ploranti non aperiret secretum, cognitum sanè frustraretur periculum; si verò aperiat, subibit sine dubio periculum, sed non despiciet lamentum; vtque lachrymarum vires nobis commendet, sapientiæ ad speciem detrahens plorantem solatur, & veritatem fatetur. *In tantum amasti,* inquit Drogo de sacra Domin. Passion. *mulierem non* Drogo. *amantem te, vt sapientia tua stultesceret, & fortitudo tua infirmaretur.* Adstipulatur citatâ epistolâ Ambrosius. *Cum illusum sibi toties pro-* Ambros. *cax mulier deplorauisset, indignam se habitam dolens, cui committeret arcanum dilecti, & id, quod pro remedio quæreret, ad proditionem suspectari videret, lachrymis fidem coegit.* Quid exaggeratius: Quoties impudica fœmina captiosis dolis aggressa, & dolo est prudenter retusa; ast cùm lachrymarum armis pugnauit, Samsonis robur deuicit: sibi defuit, ne lachrymis quid negarit, maluítque notam imprudentis subire, quàm lamentorum precibus refragari: *Lachrymis fidem coegit:* quandiu aliis artibus vsa, corde premebatur secretum; ast singultibus celari nequiuit arcanum.

Deus Ionam ad Niniuitas delegat, quò eius 133. nomine euersionem prædixerit ciuitatis: Propheta, licèt variè extrahere molitus fuerit imperium, tandem Dei nomine cogitur imminens denunciare periculum. *Adhuc quadraginta dies,* Ionæ 3. v. *& Niniue subuertetur.* His vocibus Niniuitæ perculsi stylum vertunt, & lachrymas auxiliares contra diuinas prædictiones asciscunt. *Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum,* iubet Rex. Proh stulta consilia! Quid modò proderit sera corporis adflictatio, & copiosa lachrymarum profusio, quandoquidem irrefragabilis ruinam Numinis decreuit sententia? *Niniue,* inquit, *subuertetur.* O pœnitentiæ vires! Ad Prophetæ minas contremiscunt, luctúique indulgentes sic euersionis minas euertunt, vt ante ciuitatis excidium, diuinum retractatum fuerit decretum. *Misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* O miserationem diuinæ veracitati ad speciem detrahentem! Si ciuitas non euertenda, cur veracitas prædixit diuina? aut si seriò decreuit excidium, cur retractauit decretum? & quidem malitia humana aut mutabilitatis inuret notam, aut veracitatis criminabitur excellentiam: ergo Deus euersionem non prænunciet, aut prænunciatam non reuocet. In his decretis latere conditionem doctus non ignorat: decreuit Deus ciuitatem euertere, ni deprecans accesserit pœnitentia: nam si lachrymæ accesserint, veniam non poterit

tetit denegare. Gaudet quidem Deus fulminatam retractare sententiam, vt pœnitentiæ noueris energiam. Accipe Basilium Seleuciens. orat. 12. *Diuina sententia retrocedere non erubescit, & soluit decretum Deus, & abolet periculum Dei namque in homines procliuior aspectus accedentem suspicit pœnitentiam.* Attentiùs auscultanda quæ subdit: *Supplicanti paret, sedat lachrymantem, lamentanti condolet, denique victoriam reportare iubet.* Quid pulchrius? Pœnitentia pœnitentiam euersionis genuit, & ad speciem Deus immutatur, ne lachrymantes mulctentur. *Homines lachrymantur*, addit Basilius, *& Deus immutatur, lugent mortales, & decretum soluit immortalis.* Vel contra diuina lachrymæ obarmantur decreta, & quod plus est, digna coronantur victoria.

Basil. Seleuc.

134. Iacob antiquos reuisenti lares fortissimus athletarum occurrit, & optanda ad certamina cogit: brachia iam conserunt, pectoribus pectora iungunt, strictissimis arctantur amplexibus, dubiisque desudant athletæ strenuissimi certaminibus. Cessit Iacobo Deus, & luctaminis poposcit inducias: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Mira res! Omnipotens homini concedit victoriam,& se fateri victum non erubescit. Sed videamus quas contra Dominum vires erexerit luctator industrius: nam, cùm Deus eo robore polleat, vt orbis molem digitis appendat tribus, humanis brachiis adeò validè stringi non potuit, vt leonis deponat ingenium, & ad hominis expauescat occursum. Si dæmones sola vultus toruitate se durissimè adurgeri fatentur, si saxei montes insolitis motibus ad eius concutiuntur adspectum, quomodò Iacobus vel claudus non solùm eludet, sed superabit conatum: Quia auxiliares asciuit lachrymas, respondet Oseas: *Inualuit ad angelum, & confortatus est: fleuit, & rogauit eum.* Lachrymis decertat homo, Deus Omnipotentia pugnat, adeóque gratam Deo vim lamenta inferunt, vt lubens cesserit, quò lachrymarum honestè victus clariùs efficaciam prodiderit: *Praualuisti cum Deo: ita vt eum cogeris rogare te, vt eum dimitteres*, plaudit victori Oleaster hic ad litteram. O fletus valentiam, quando ipsum Deum cogit homo non adstringens viribus, sed singultibus? Si placet, Oseæ locum aliorsum expende, scilicet Deum ipsum, cùm è Iacobi manibus elabi non posset, ad lachrymas confugisse: *Fleuit, & rogauit eum*, scilicet vt cessaret lucta, quia iam placido candicabat lumine aurora. Ad lachrymas recurrit Deus, quasi ad obtinendum, ad speciem plus ipsis, quàm viribus fidat? Iacob colluctantem vicit, sed lachrymantem suspexit. *Videtur*, addit Oleaster, *quòd Angelus fleuerit, rogans Iacob, vt eum dimitteret.* Hæc omnia ad nostram eruditionem spectant, vtque videas, quam inferant gratam vim Deo Sanctorum fletus, à nolente quodammodo benedictionem Iacobus extorsit, & immorari secum coëgit: imò ipse Deus auxiliares vocat lachrymas, vt obtineat fletibus, quod exertis omnipotentiæ ad speciem non poterat viribus. *Videtur quòd Angelus fleuerit rogans Iacob.* Quid exaggeratius pro lachrymis, quando ipse Deus, vt faciliùs obtineat vota, recurrit ad lamenta?

Genes. 32. v. 27.

Oseæ 12. v. 4.

Oleaster.

Angelus cum Iacobo decertans fleuit.

§. XXXII.

Nulla sæculo felicitas perfectè cumulata resplendet: quia quid anxiè semper desideratum distorquet.

LAborant semper mortales anxiis desideriis distorti: quia nullus fortunam suam cum necessitate, sed cum ambitione metitur: nullus se vnum numerat; sed in perniciem suam, cùm vnicus sit viuendo, fit plures desiderando: exigua humana felicitas; sed aliorum fortunæ ambitiosè collata semper fit minor: ille diuitias habet; sed proximi copiosioribus inuidet: ille nobilibus auis satus; sed Regiæ originis ambitiosus. *Non est*, monebat Seneca Lucilium epist. 45. *quod te ad hunc locum respiciens, metiaris: ad istum respice, in quo moraris: quidquid inter vicina eminet, magnum est illic, vbi eminet: nam magnitudo habet certum modum, comparatio illam aut tollit, aut deprimit.* Nos ipsi insano quidem ardore nostram felicitatem deprimimus, aut tollimus, quia comparatione semper certamus. Magna esse potest nauis in fluuio, quæ tamen exigua erit, si cum pelagi ratibus comparetur: satis esset fluuiali carinæ magnitudo debita, ni iam superbi nauigij magnitudo distorqueret cupita. *Nauis*, addit Stoicus, *quæ in flumine magna est, in mari paruula est: gubernaculum, quod naui alteri magnum, alteri exiguum est.* Mensuranda est fortuna non immetatis ambitionibus; sed commodis vsibus: aurata Saulis arma Dauidi impedimento extiterunt; exiguo corpori fuerunt pondera, quæ procero extiterant ornamenta. Nec solùm nimia appetitio cordis nostri placiditatem perturbat; sed ipsa natura rerum adeò semper defectuosa, vt nullibi refulserit plena. Axa nuptias cum Othoniele celebrat,& quidem Othoniel genere clarus, sanguine propinquissimus, partis triumphis sæculo celeberrimus, corporis habitu elegans, & oris gratia venustus; verùm dum nuptiali pompa Sponsi domum duceretur sumptuosiùs ornata, in suspiria, & lachrymas luget effusa: *Cum pergerent simul, suasa est à viro suo, vt peteret à patre suo agrum, suspirauitque vt sedebat in asino: cui Caleb: Quid habes? inquit: At illa respondit: Da mihi benedictionem: terram australem, & arentem dedisti mihi, iunge, & irriguam.* Axa feliciter maritata est; sed arentem terram sortita: anxit prouentuum ad alendam familiam cura, cùm vel nuptiarum splendidior fulgebat pompa. Proh lætitiam humanæ felicitatis angustam! Oblectat quidem nobilissimi Sponsi ingenium; sed torquet irriguum sortitam non fuisse fundum. Mariti visus oblectat; sed ager sterilis, & siticosus cor pungit: nullum inuenies felicem, quia aut ambitiosis appetitionibus angitur, aut exiguis fortunæ donis torquetur. *Cui vir contigerat*, scribit Arias Montan. hîc, *& optimus, & maximè optandus; tamen fundus ingratior, & sterilior adscriptus erat, qui multo cultus labore adeò exiguum fructum ferret, vt facilè alio solo esset commutandus. Id verò ne vnquam accideret, prospiciendum sibi prudens puella censuit, atque viro sese iam nuptam domum ex more ducenti curam mentémque aperuit suam.* Curis angitur, cùm

135.

Senec.

Arias Mont.

cùm melodiis nuptialibus delinitur. Exigua res familiaris, maritus illustris. E contra etiam euenire sæpè videbis: contigit vxor illustris; sed patrimonio debilis; sed vultu deformis, obuenit dignitas, sed auolauit corporis sanitas: nunquam fortuna felicitatem sic cumulat, vt quid desideratum non angat.

136. Iacob sua reuisurus gradu celeri properabat: integer, corporis robore vegetus, & prolis numerositate iucundus; verùm cùm rapidus moraretur fluuius gradum, non exiguo labore omnia sua ad contrariam ripam transuexit: mansit ille solus, quia fors nocturnis tenebris impeditus: ibi inopinum certamen subit, & validissimi athletæ constrictus brachiis ingemiscit; ea tamen dexteritate certamina ab vtero expertus, pugnat, vt Deum ipsum ad sibi benedicendum non inuitum traxerit; sed volentem placide allexerit: *Benedixit ei in eodem loco.* Benedi- Gen. 32. v.29. ctionem athleta strenuus copiosissimam impetrauit, eodem tamen tempore neruus contractus obstupuit: *Tetigit*, inquit, *neruum femoris eius & statim emarcuit.* Claudicat pede, felici cumulatus benedictione. En Iacob ante luctamen vegetus, nullisque membrorum viribus destitutus; sed nondum hac felici benedictione ditatus: modò benedictus; sed modò claudus: *Ipse verò claudicabat pede.* Cùm peruenerunt dona, claudicauerunt corporis fulcra; cùm vegetis nitebatur pedibus, nódum cumulatissimis his fruebatur benedictionibus: quasi alterum ad alterius aduétum marcescat, nec sic potuerit cumulata resplendere fortuna, vt sanus benedictionem obtineat, vt benedictus non claudicet. Notauit id Isidor. in quæst. in Gen. c. 27. *Tetigit porrò illi idem Angelus latitudinem femoris, & claudũ reddidit: sic erat vnus & idem Iacob, & benedictus & claudus.* Salus cum benedictionis priuilegio nunquam coniuncta; sed planta tactus dolore defatigata. O quam fallitur, qui in hac vita sibi Isidor. omnia ex sententia cessura sperat, cum semper aliquid angat: vbi diuitiæ affluunt, & dolores sæpiùs exundant, cum salute coniungitur sæpè inopia, de numerosáque prole anxia animum distorquet cura: nil ita perfectum est, vt optatum pertingat ad cumulum: vel inter nuptiales delicias tristitia funduntur suspiria, & præsens gaudiũ anxia futuri inquietarunt desideria.

137. Vidua illa Sareptana eò in illa communi calamitate deuenerat, vt farinæ pusillum postremum, vt rebatur, sibi filióque alimentum in panem conformare disponeret. Aduentauit opportunissimè Elias ille magnus, qui nubes vocis imperio constrinxerat: hic hospitæ viduæ oleo persuasit, vt fontis instar flueret: exiguúsque farinæ modius cum tempore non imminuebatur; sed quantum natura poscebat, vbertim hydria suppeditabat: *Hydria farinæ non deficiet,* 3. Reg 17. v.14. *nec lecythus olei minuetur vsque ad diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ.* O mirum! pauper alimentis exundat, cùm ditiores fame premantur, & viduitas iniuriis ferè semper oppressa, modò magnates vincit felicitatibus aucta. Verùm filius vnicus citò è medio tollitur, & lamentis domus repletur: *Factum est autem post hæc ægrotauit filius mulieris matris familias, & erat languor fortissimus ita vt non remaneret in eo halitus.* Cùm nuptiales faces cogitabantur, immatura falce florentem iuuenem mors arripuit, & intolerabili matrem dolore sauciauit. Cùm premebatur inopia, filij præsentia fruebatur; sed erat non ferendus dolor alimentis carere, mulierémque honori semper habitam, ad quærendum ligna necessitate perductam: modò diues, & modò improles. Augustam illam fortunam olei, & farinæ copia leuabat; sed gaudium ex abundantia ortum filij calamitas abscindebat. Pauper sortiebatur filium; sed famis patiebatur tormentum, vt vtraque videas sorte mulieris cor anxiis desideriis arctari, & nulla pacatè prorsus quiescere. Nunquam felicitas plena resplenduit; quia aut turbauit egestas, aut corda torsit infirmitas. *Vtinam*, inquit, *ante fame perijssem*, verba sunt Basil. Seleuc. nomine viduæ orat. 11. *vtinam mors ante* Basil. *filij funera me præripuisset: nunc verò cibo suggesto ad hæc me spectacula reseruasti.* Alimenti gaudium mortis excepit lamentum, dúmque filij floreret vita, durè premebat alimentorum inopia. Quid semper felicitati defuit, & quid semper anxiè desideratum distorsit. O quot filiis exundant, diuitiis carentes! Quot orbantur filiis auro exundantes! aut mala laborat quis valetudine, aut impuro natus est sanguine.

Pater ille celeberrimus, qui duos filios habuit, statim labores sensit, petiit prodigius diuitias semper irritamenta vitiorum: reddidit pater non voluptati indulgens; sed hæreditatis legibus satisfaciens: iunior ergo sensu præ ætate, sic insaniuit diuitiis, vt generis vitæque addiceretur ambitiosissimè contumeliis: abiit in regionem longinquam, vt liberiùs sectaretur flagitia, ne venerabili patris refrænaretur præsentiâ. Tandem calamitatis verberibus eruditus rediuit ad patrem: ille iniuriarum immemor paternæ solum charitatis ad filium cucurrit gnarus, cibos lautissimos apparat, floridam miréque variegatam filio dilargitur stolam, & differtam cunctis apponit mensam. Dulcisona resonabat symphonia, quia pater gaudium suum non sustinebat silentio premi; sed sonoris cantibus publicari: audiuit frater, & sic cantibus refertur, vt paternam domum intrare iratus cunctetur: *Indignatus est autem, & nolebat in-* Luc.15.v.28. *troire.* Ad vnius aduentum alter excluditur, & vnius fratris præsentia alterius fratris est fuga: nunquam senex pater placidam fortunam sortitur: nam filiorum alter aut impendiosis captiosæ voluptatis illiciis inescatus abducitur, aut alter fœdissimo inuidentiæ tumore turgens fratris aduentum causatur; fratris supercilium anxij patris perturbat gaudium, & vnde oriebatur lætitia, inde nata est doloris vrgentissimi causa. Opportunè Chrysologus serm. 4. *Cor patris an-* Chrysol. *xium varijs arctatur motibus filiorum, & inter diuersos pignorum casus genitoris pietas stupefacta discurrit: quia videt fratrem fratris reditu mox fugari, & salute alterius sibi alterum mox perire, ac mærorem longum breui gaudio pensatum inuidiæ liuore turbari.* Turbatur de possesso, qui gaudere videbatur de restituto: alterum fratrem de alterius reditu sibi aspicit mox perire, qui incipiebat filij aduentu inter epulas congaudere. Nunquam integrum exhilarauit cor gaudium: quia aut absentis anxium patris suspensúmque pectus grauis semper vrgebat cura, aut præsentis lætitiam liuida turbabat inuidia.

In has fortasse querelas Abrahamus ille generis pater effusus Deum alloquebatur: vicerat reges, iniustam prædam iustissime deprædatus,

Lot

Lot nepotem, eiúsque substantiam reduxerat, augustissimisque victoriæ lauris redimitus fulgebat: inter hæc adeò gloriosa, & votis omnibus expetenda sic mœrebat improles, vt œconomo suo, si dici liceat, inuiderit. [Gen. 15. v. 2.] *Ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ iste. Damascus Eliezer. Addiditque Abraham: Mihi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit.* Domus procurator acceperat filium; sed diuitiis carens alterius subierat famulatum. Abrahamus triumphis gloriosus, auro ditissimus, hæredibus tamen orbus: vtrumque seruum videlicet, & dominum cura grauis vrgebat, alterum prolis, alterum seruitutis: dolet Abrahamus tot diuitias se extraneis hominibus relicturum, dolet seruus filium sibi dilectum alterius famulatui vtpotè inopem addicendum: hic inhiauit, quæ filij augerent censum, diuitiis; ille diuitiis ambiuit filium; nullius tamen adeò sors cumulatè perfecta, vt quid non detraxerit cuique fortuna. [Chrysost.] *Postquam merces sibi valdè copiosa promissa*, verba sunt Chrysostomi apud Lippomanum, *exponit animæ suæ dolorem, & tristitiam propter prolis inopiam, quæ interim in pectore eius toto illo tempore fuit.* Coronabatur celebri triumpho; sed vrgebatur prolis desiderio: timebat, ne extraneus hæreditatem adiret: qui copiosa prole exundabat, filiis diuitias quærebat: sic omnibus angusta fortuna est, sic imperfectus felicitatis cumulus, sic sæuit doloris æstus.

---

§. XXXIII.

Lachrymæ humanæ sæpiùs vtilitatis auxilia, & imperij mortis venena.

140. [Ps. 125. v. 6.] *EVntes ibant*, aiebat Psaltes, *& flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Semina benignis syderum adspectibus aluntur; cæli imbribus adolescunt, ventorum flatibus assurgunt in cumulum, lachrymis non irrigantur humanis; & tamen rusticani laboris gnari lachrymis semina fouere contendunt: ita námque honestè cupidi, ita laudabiliter sunt ambitiosi, vt profundis amandare sulcis semina, ni certis spebus allecti, doleant, & lucro mœsti ingemiscant. Ergo, ne casus spes eluserit seminantis, lachrymæ rigant lugentis: nam vbi lachrymæ affluenter cum seminibus cadunt, & manipuli indubitanter assurgunt. [Luc. 8. v. 5.] *Exijt, qui seminat, seminare semen suum; & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud.* Vbi lachrymæ semen non irrigant, rapacium alitum granum procax audacia deperdit; qui semina lachrymis irrorata mittebant, plenissimos reportauere manipulos; qui exiit, auium rapinas sustinuit. Dum multi seminarunt vniti. *Euntes* (namque ait) *ibant*, fructus respondit copiosus; dum ad campum prodiit singularis, exiguus: *Exijt, qui seminat, seminare.* Vnio casus properantes elusit: volucres singularitas euocauit. O quantas vires suppeditat contra truces fortunæ vultus aliis charitate coniunctus animus! Vbi vnio, vberem in segetem adoleuerunt semina; vbi singularitas, semina deperdit rapina; verùm instituto nostro rem adaptemus: casus legitur, vbi luctus non auditur; at vbi copiosus auditur gemitus, & aureus rutilauit semper manipulus. Ad rem Euthymius. *Quemadmodum frumenti semen indiget fluuijs, ita, & huiusmodi spes semen ad ferendos fructus indiget lachrymis.* [Euthym.] Copiosa lachrymarum pluuia fructus maturat, vberriméque incrementat. Vel ad temporalia commoda prosunt lachrymæ, valent suspiria. Axa a patre, eóque amantissimo agrum in dotem receperat sane sterilem, & qui labori minimè prouentibus respondisset, vtque irriguum, & amœnum accipiat, suspirij ac lachrymarum aduocat patrocinium: nec falsa est: nam lachrymis impetrauit fœcundissimum prædium! *Suspirauit, vt sedebat in asino: cui Caleb: Quid habes? inquit; at illa respondit. Da mihi benedictionem: terram australem, & arentem dedisti mihi, iunge, & irriguam. Dedit itáque ei Caleb irriguum superius, & inferius.* Quàm citò lachrymulis impetrauit, quæ vel filiationis iure non obtinuit! Terram australem accepit filia: obtinuit benedictionis agrum lachrymata: vel ad temporalia profuerunt lachrymæ: quid enim pater optimus dolenti negaret, & lachrymanti differret? O quantum nobis conducibilius à lachrymis præstatur auxilium, & laboriosis sæpe delusi quærimus negotiationibus incrementum! Pete à Deo, cor eius anxiis referi suspiriis, lachrymis coge: nam lachrymæ apud Dominum patronæ erant efficacissimæ. *Affectatione conciliatur Deus*, aiebat Nazianzenus in S. Cyprianum, [Nazianz.] *Lachrymisque misericordia eius rependitur.* Lachrymis filia impetrauit, quæ fors aliter non acciperet. *Artificiosa querimonia, atque opportuna importuna votorum solicitatio*, scribit Masius, [Masius] *nobis in Axa depingitur.* Importuna lachrymarum copia fuit solicitatio opportuna: accepit effusis lachrymis, quod anxius expetiuerat votis: vt discas lachrymas ad temporalia augenda pluris valere, & summopere ad cælestem benedictionem conducere.

Esau, quem pater summopere ditare gestiebat, dum morosius venationi intendit, fratri benedictionem præripiendi tempus concessit: [141.] aduentauit tandem ad patrem, cúmque fratris industrias artes cognouisset vltra quàm credi potest, obstupuit: *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* [Genes. 27. v. 35.] Institit dispoliatus, vt charissimum sibi filium benedictione ditaret: *Numquid non reseruasti*, ait, *& mihi benedictionem?* Pater non esse potestatis suæ vlteriori ditare benedictione, fatetur. *Tibi post hæc fili mi vltra quid faciam?* Paternus amor adurgebat Isaaci præcordia, filij dirè torquebat instantia; sed quia benedictionis se agnoscebat expertem, solum potuit dilectissimum sibi filium dolere benedictionis exortem: nec his Esau destitit, sed in clamores effusus benedictionem iterum atque iterum postulauit: *Cum eiulatu magno fleret, motus Isaac dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua.* O benedictionem patris charitatem ad speciem infamantem! Si anxiis votis benedicere filium discupiuit, si præferre fratri solicitè procurauit, si dolum mysticum delusus obstupuit, cur quam prælargitur modò, largiri benedictionem retardat? soletur afflictum, ne desperatus lugeat, aut temerarius

in

in fratrem audeat. Certè si benedictionem habuit, in amoris offensam distulit; si non habuit in veritatis iniuriam dedit. Qua ergo arte sibi benedictionem remansisse negauit, aut negatam quomodo exhibuit? Expressit textus: *Cum eiulatu magno fleret, motus Isaac*, &c. anxium patris benedictionem impertiri nequibat studium; nouam tamen benedictionem largum sibi procudit lamentum; lachrymis terræ pinguedinem impetrauit, qui agente eius causam ardentissimo patris amore deperdidit. Vt scias lachrymis vel humana bona deberi, & singultibus impetrari. Opportunè Chrysostomus apud Lippo-
Chrysost. manum: *Vidit patrem consilio destitutum, & non posse, neque velle reuocare, quæ facta sunt, & clamori etiam adiecit ploratum ad maiorem compassionem.* A lachrymis mutuatur auxilium, qui à paterno amore, & ortus iure nequiuerat impe-
Lippoman. trare remedium. Adstipulatur Lippomanus: *In bonis temporalibus*, inquit, *non eris fratri tuo inferior: obueniet possidenda tibi gleba, pinguis & fertilis terra pro pascendis animalibus pascua, cælum & terra officium suum tibi non negabunt.* Primogenituræ priuilegio ornato patrimonij ditissimi hæredi cœlum & terra denegarant obsequia; at lugenti negare nequiuerunt officia. Nequiit iure pater se impertiendam benedictionem habere, sed quam non habebat amoris studium, fletus sibi procreauit lamentum: terrena lugens valuit impetrare, & vim ipsi naturæ didicit viribus lachrymarum inferre.

142. Hoc quidem angustum lachrymarum elogium est: illud verò longè gloriosius, regnum videlicet mortis euertere, & dæmonibus aduersari. Nati sunt Cain & Abel diuerso ingenio, & eodem solo: Cain sic fratrem aduersabatur contrarium, vt mortem eius cogitationibus iniquissimis moliretur: occidit tandem, quasi duobus fratribus mundus totus esset angustus. Viam mortis frater aperuit, & quam non didicerat, necem in fratrem exercuit, in ipso nequitiæ ty-
Gen.4.v.8. rocinio magister: *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Nullus ignorat Abelum luctum ipso nomine exprimere: rogat ergo Rupertus, cur sic in Abelum stomachatus Cainus sæuierit; quandoquidem nec prouocatus offensa, nec stimulatus iniuria? respondétque primam dæmonis curam fuisse tollere de medio luctum, quasi viuente luctu ini-
Rupert. quitatis firmari nequiret regnum. *Cain interpretatur possessio*, (Rupertum audis lib.3. in Gen. cap.43.) *ille inquam primum humana generationis incrementum, & falsa felicitas, vanúmque gaudium infelicium occidit fratrem suum Abel, quod interpretatur luctus.* Vigente luctu dæmonis possessio nutabat, & furore actus extinxit luctum, vt mortis firmaret regnum: tunc namque primus morti apertus est aditus, cùm honestus extinctus est luctus: nec enim mors audere in homines poterat, dum dignus honestúsque luctus inter mortales vigebat Basilius Seleucienf.
Seleuc. orat.4. Deum, quas diabolus technas pro fulciendo regno industriè texuerat, ad eius labefactandum imperium prouidenter detorsisse testatur: voluit namque Deus Abelum, id est luctum mortis fundamentum esse, vt mors firma minimè superbiret; sed conuenienti destituta fulcro nutaret. *O res inopinatas! in mortis vestibulo resurrectionis tabula legitur: cur enim non primus mortis portas ingreditur Adamus, quandoquidem à recta natura lege deerrans ipse mortem contra naturam acciuit? ... Sed primum Deus concedit Abelum tolli de medio, vt agressoris nequitiam vsu meliore commutet, vt victum morti subijciat fundamentum, mortísque ius infirmius euadat.* Nutat mortis imperium iusto luctu, & digno planctu fundatum: iura namque mortis dignis fletibus euertuntur, dignísque lamentis labefactantur. Ergo Deus meliori vsu, & dæmon nequissimo ingenio quodammodò in idem conspirant: dæmon nititur auidissimè de medio tollere luctum, quia viuo luctu possidere nequibat imperium: Deus Abelum concessit eripi, vt resurrectionis tabula in ipso mortis vestibulo legeretur, quandoquidem lachrymis mortis fundamenta nutabant excesa, & vacillabant planctibus comminuta. Imò ipse Cainus in se vim lachrymarum licèt inuitè est expertus: cùm enim Deus maledictione ob parricidium mulctasset,
ad mortem recurrere adurgetur: *Omnis*, inquit, Gen.4.v.14.
qui inuenerit me, occidet me. Verùm ne iusto Abelo quis hanc irrogaret iniuriam, Cainus contra mortem signo obarmatur: *Posuitque Dominus Cain signum, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum.* Et quale signum? gemitum scilicet crebrúmque suspirium; audi Se- Septuag.
ptuaginta: *Gemens & tremens eris super terram.* Lachrymis contra mortem armatur, adeóque fletus lethales vires eneruant, vt vel iniquissimus patricida vitam protraxerit flendo, quàm amittere dignissimus fuerat peccando. Quid exaggeratiùs pro lachrymis, quando mortem tot scelerum armis munitam, adhuc in longiora mittunt tempora, & cruentare non sinunt arma?

Adde, non solùm mortis lachrymas euertere 143.
imperium, sed & flammarum frænare valenter impetum. Sacrificium offert Abrahamus: vaccam triennem, capram trimam, & arietem annorum trium, turturem etiam & columbam; eo tamen discrimine, vt animalia ferrum media secuerit; aues tamen minimè vulnerarit. Sole occasum intrante clibanus apparet, anhelantibus flammis, fumóque nigerrimo horrendus: fax medias inter diuisiones transibat, & anima-
lia flammis ardentissimis vstulabat: *Apparuit* Gen.15.v.18.
clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas. Diuisiones adurit ignis, sed aui-
bus propinquasse non leges: notauit hoc solito August.
ingenio Augustinus serm. de Quinquag. *Ignis iste inter diuisiones illas transiens dicitur: Turturem quoque & columbam tetigisse non legitur.* Et cur nec turturem tangat, nec columbam? Quia profectò noti gemitus aues: gemitus edit turtur, funditque columba: vbi ergo gemitus humor, appropinquare nequibat flammarum ardor: ignis namque aqua interstinguitur, nec vires sortiri potest anhelans flamma, vbi lachrymarum obsistit copia. Ergo flamma altipetam capram adurit, arietem teneris lasciuientem annis deglutit, vaccam pinguedine obesam exedit; gementes tamen aues non tangit; imò gemitibus præstitit reuerentiam, quando inferre conabatur iniuriam: *Turturem & columbam tetigisse non legitur.* Vt hinc discas quantum valeant lachrymæ ad temporalia bona impetranda, ad euertenda mortis imperia, & ad incendia ignis nunquam morituri vitanda.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Nullum, vt vehemens desiderium, didicit animum diuexare martyrium.

144. QVi anxio vehementique desiderio cor tradidit, sæuo tortore non indiget; nam cupiditatis flamma sic durè exedit præcordia, vt longè tyrannorum supergrediatur tormenta. Inuentus est, qui ardenti rogo manum subridens admouerit, qui industriam insanientis trucisque tortoris marmoris ad instar eluserit, qui truculentam tyrannorum rabiem imperturbatus spreuerit; non tamen hucusque repertus est, qui vrgenti desiderio diuexatus non clamet, non ingemat, non suspiret. Cogita ferreas sartagines, sæuientes equuleos, agglomera quidquid hominum in homines excogitauit insania, & inuenies nonnullos non solum patienter tulisse, sed audenter prouocasse: hoc vnum corda virorum adurget, vehemens scilicet desiderium sui
Seneca. impotens, & ad concupita præceps. *Si vis*, scribit Seneca epist. 21. *Pythoclea honestum facere, non honoribus adijciendum est; sed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea esse in perpetua voluptate, non voluptatibus adijciendum est; sed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea senem facere, & implere vitam, non annis adijciendum est, sed cupiditatibus detrahendum.* Vera dixit; nil enim est, quod adeò hominum mentes dilaniet, ac immoderata cupiditas, & ardens imis præcordiis desiderium: tyrannum aliquando vitauit fuga, tortoris manus eneruauit aurum; quocumque te verteris, tecum tormentum tuum: desiderium scilicet feres: alij cruciatus externi sunt, & quibus solùm in corpora licet sæuire, cupiditatum vis pestilentior animos etiam didicit adurgere. Axa cum nuptiali pompa ad Sponsi domum duceretur, inter sonoras harmonias, & festiua gaudia tristissima emisit non sine industria lamenta: *Suspirauit vt sedebat in asino.* Profusæ lachrymæ, & crebri gemitus patris adeò lætitiam turbarunt, vt anxius causam inquireret: *Quid habes?* prodidit filia suspirij causam, scilicet amænioris fundi desiderium: *Terram australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam.* Ecce inter læta nuptiarum tripudia, cultiorem ornatus pompam, & festiuos cantus tormentum: cupit, & cupiditatis solicitudo sic torquet præcordia, vt inter nuptiarum etiam solemnia tristissima Axa premere nequeat suspiria: *Suspirauit, vt sedebat in asino.* Ambiens sui ipsius erat laniena, & quas fors lachrymas non extorqueret acerbissimus casus, vehemens extorsit fundi appetitus. Notauit disertè Masius, hanc Axæ anxietatem eodem verbo in radice significatam, ac inflictam Sisaræ
Masius. clauo plagam. *Sed illud obscurum est quid verbum* צנח *significet. Quod nusquam, ni fallor in sacris Literis vsurpatum alibi est, nisi in ista narratione, & illa de adacto per Sisaræ dormientis caput clauo. Iudæi partim propendere ad casum interpretantur; quasi puella non descenderit in terram, sed deiectum, aut casum, inclinato corpore, minata sit.* Idem verbum claui plagam, & desideriorum expressit angustiam; nec enim durior caput transuerberat clauus, quàm ardens transfixerit animum appetitus. Cupiditates satage cohibere, si vis tormenta vitare.

Naxera in Iosue Tom. 2.

Felicior qui caret cupiditate, quàm qui resistendo laborat.

145. Pharao ille nequissimus, & in hominum perniciem natus, Hebræum retinendi populum impotenti tenebatur studio: suspicatus est inimicis adiungi posse, si bellum ingrueret, & inanis ac temeraria suspicio sæuam innocentibus mortem decernit. Proh detestandam sæculis politiam! Proh pessimam regiminis œconomiam! Suspicionibus vanissimis fidere, & quæ sceleri debentur, innocuos suppliciis vrgere. *Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra.* Exod. 1. v. 10. Profectò desipit, cùm innocuos tentat opprimere: sic enim contra hostiles nullatenus armatur adsultus, sed contra imperij sui stabilitatem luctuosos solicitat casus: ergo regis desiderium est, ne populus egrediatur de terrâ, ob id pueri cum nulla humanitate fluentorum rapiditati traduntur, & quod solers nouem mensium spatio formauerat accurate natura, aquis citissime obliterabat insania: recens nati nondum solare iubar contuiti, & iam regiones orci caliginosas ingressi. Verum iustitiæ oculus iustorum non despexit calamitatem; sed Moysem omnipotentia mutuatitia legat armatum: ille populum deposcebat exolui, cumque comitate nil impetrare valeret, suppliciorum exercitum, & plagarum agmina contra obstinationis duritiem producit in campum. Pharao eximie vapulans inducias sibi dari supplex deposcit, & populum exoluendum, vt deminuerit plagarum feruor, promittit. *Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo: & dimittam populum, vt sacrificet Domino.* Exod. 8. v. 8. Moyses, vt qui non studebat affligere, sed frænare: *Constitue*, inquit, *mihi quando deprecer pro te.* Quid tunc Pharao: *Cras.* Verùm si Pharao adeò graue non valet tolerare supplicium, cur in crastinum mittit doloris remedium? Arbitrio suo periit, qui distulit; nam Moyses medelam præsentaneam spondet. Cur ergo in futurum differt, quod obnixis depelli precibus supplicabat? Quia si cesset tormentum, timet adimplendum fore promissum, quem scilicet detinere ardenter exoptat populum abiturum, & inter anxias detinendi curas, & intolerabiles ranarum plagas dubius hæret, & expers consilij stupet: nescit an durius sit cupiditatis sustinere tormenta, aut ranarum pati supplicia; imò cum eligere pro arbitrij sui voluntate alterutrum cogeretur leuius duxit dura sustinere verbera, quàm vehementissima pati vota. Nullo potuit exaggeratiùs vim desideriorum exprimere, quàm duris verberibus afflictus, &, vt aduletur votis, medicinam moratus. Opportunè Ambrosius lib. de Cain & Abel cap 9. *Cum deberet in tanta positus necessitate rogare, vt iam oraret, nec differret, respondit: Crastina die.* Ambros. Vrgebat supplicium; sed vrgebat desiderium: saxea suppliciis fatigabatur duritia; sed & retinendi populum ardens cupiditatis premebat flamma, & Pharao vtriusque doloris vires, ac molestiam expertus cruenta diu pati elegit verbera, ne vehementissima dilaniarent animum vota. *Positus in tanta necessitate respondit: Crastina die.* Quid pro desideriis exaggeratius? Quid verius?

146. Componamus modò rubum illum cum sæuissimo crucis tormento. Spinis circumseptus, & ardentibus flammarum globis inclusus Moysi oues in desertis agenti Deus conspicuus obici-

Exod. 3. v. 2. tur: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Cruce spineam sustinet coronam, quæ caput terebret; sed quæ cætera membra non pungat: flammas non patitur ligno, sed rubo. Ad hæc eam cruce patientiam inhumanè dilaceratus ostendit, quæ diuinitatem probaret, non contra dixit, non reclamauit, non limis adspexit, sed frontem modestia, ora taciturnitate signauit; in rubo tamen aduersus Moysem irascitur, & quodammodo pectoris iram asperitate vocis, & supercilio oculorũ ostendit.
Exod. 4. v. 14. *Iratus Dominus in Moyẽs, ait: Aaron frater tuus Leuites scio quòd eloquens sit.* Eccur hic ostentet irã, qui mirè diuexatus ostentauit cruce patientiã? Eccur hic totus flãmis ardẽtibus cinctus, & spinis totus horridus, qui ibi nec flãmis adustus, nec sẽtibus cinctus? Quia in rubo exolutionem populi anxiè discupiebat: *Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum.* In cruce verò immanissimas pœnas tolerabat, sed quod desiderauit, implebat: adeóque durius est vehementissimum pati desiderium, quàm grauissimum sustinere supplicium, vt in Moysem lentè obsequentem irascatur offensus, cùm iras non fulminauerit cruci affixus. In cruce desiderium humanæ redemptionis expleuit, in rubo libertatis Hebræorum sustinuit; ideò in rubo pluribus spinis punctus, & in Moysem
Basil. Seleuc. tardigradum excandescentia inflammatus. *O desiderium*, aiebat aliorsus Seleuciensis Basilius orat. 14. *passione maius!* Duriùs diuexatur libertatis studio, leniùs crucifixionis tormento.
Caietan. Audi Caietanum: *Describitur furor Domini iratus . . . vt intelligas quòd ipse summus essendi fons curam habet horum minimorum.* Corde gerit adflictorum curam, illísque subueniendi adurgetur studio, ideò arcano in Moysem furore irascitur, quasi plus torqueat Moyses moras trahens anxiè desiderantem, quàm lignum non inuitè patientem: *O desiderium passione maius!* imò, & durius. Hinc cogitabam aliquando iustorum animas in purgatorios detentas plus anxio Dei visionis torqueri voto, quàm ardenti flammarum incendio, plurísque æstimare fidelium suffragia, quia desideria pœnis solutæ explent, quàm quia anhelantes semper, ac semper voraces flammas non sustinent.

147. Luc 12. v. 50. Christus Dominus discipulos alloquens sic aiebat: *Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor vsque dum perficiatur.* Interpretes hoc à Domino exambitum baptismum crucis testantur fuisse tormentorum. *Desiderium propriæ passionis, & mortis significatur*, scribit
Caietan. Caietanus. Verùm non exigua hinc oritur difficultas, nec enim ait: & quomodò cum perficietur, arctabor; sed, *quomodò coarctor, vsque dum perficiatur:* quasi dicat tunc non arctabor, cùm perficietur. Quid ais, ô Domine? modò fœdis non vestiris, nec fœdioribus coronaris; imò omnibus admirationi es, turbæ te vsque ad desertorum inuia sequuntur, pueri plaudunt; cateruæ, concelebrant, dæmones contremiscunt, & modò arctaris? Baptismi tempore furiæ gehennales desæuient, homines ferarum immanitate supergredientur ingenium, nec quereris duris tunc suppliciis punitum, & modò suspiras arctatum? Modò desiderij patitur flammas, posteà sustinebit crucis iniurias; sed adeò leuius est patibulo dilaniari, quàm equuleo desideriorum torqueri, vt desiderans arctetur, patiens quodammodò doloribus exoluatur: *Sed affirmatur coarctatio*, addit Caietanus, *id est, afflictio, & sub admiratione ponitur modus, quomodò: quia incredibili modo affectabat perfectionem passionis suæ.* Passionis desiderium ipsam adeò passionem vincebat, vt commodius fuerit crucem pati, quàm crucis studio vrgeri. Nec enim crucis martyrium exæquare poterat desideriorum tormentum.

---

§. XXXV.

Humani ingenij est post longas preces, & anxia vota donare; diuini, vel desideria anteuertere.

HOmines, dum liberalitatis gloriam auidiùs quærunt, certiùs non semel amittunt: 148.
benefaciunt námque sæpè non ad beneficiarij medelam; sed ad tumoris vanissimi pompam: sic dandum est, quomodò desideramus accipere, libenter, ore placido, sine spei tormento, sine hæsitationis martyrio: ingratum est beneficium, quod adeò inter manus dantis hæsit, vt non tam acceptum dixeris, quàm extractum, nonnulli sic tribuunt, quasi sibi, quod donant: rapiant. Quàm benè Seneca lib. 2. de benef. cap. 1. *Gratissima sunt beneficia parata, facilè occurrentia, vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Optimum est antecedere desiderium cuiusque, proximum sequi: illud melius, occupare antequam rogemur: quia cùm homini probo ad rogandum os concurrat, & suffundatur robur; qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum.* Senec. *Munus suũ multiplicat, qui preces anteuertit.* Addit disertus Stoicus: *Non tulit gratis, qui cùm rogasset, accepit.* Imò carissimè emit: nulla námque res cariùs constat, quàm prolixis precibus empta; verùm is stultus factus homines obcæcauit, vt liberalitatem suam de ipsius liberalitatis ostẽtatione corrumpant, nec sint tam beneficiorum artifices, quàm venditores. *Gratis non tulit, qui cùm rogasset, accepit.* Axa Calebi filia in copiosas lachrymas fusa, anxiáque texens suspiria, lætam, irriguámque hæreditatem à patre accepit: *Suspirauit vt sedebat in asino; cui Caleb: Quid habes, inquit: at illa respondit: Da mihi benedictionem: terram australem, & arentem dedisti mihi, iunge, & irriguam: dedit itáque ei Caleb irriguum superius, & inferius.* Donationis verbum plus de stylo humano positum, quàm beneficiorum legibus adaptatum: non dedit; sed caro gemitibus soluit: sibi debet Axa, quod suspiriis, & lachrymis impetrauit; verbum tamen illud *dedit* positum est, quia apud homines, & precibus venditum gratis censetur donatum. Benè Seneca vbi suprà: *Nulla res cariùs constat, quàm quæ precibus empta est.*

Eximiæ fidei Chananitis illa mulier laudatur, quòd Christum Dominum Dei filium crediderit: *O mulier magna est fides tua.* Et quid hanc fidem illustrem adeò commendet? Quid mirum roget calamitate impulsa, filiæ tragædia vexata? preces incrementat, adorationis addit suffragia, multiplicat vota, sed vt depellat tormenta: *Miserere mei Domine, fili Dauid; filia mea malè à dæmonio vexatur.* Et eximiæ fidei tribuitur, quod calamitatis doloribus persuadetur? filiæ vexatio matrem importunè rogare suasit, adorare impulit: quæ ergo fidei scintillat excellentia, 149. Matth. 15. v. 28.

excellentia, vbi doloris preces multiplicat efficacia? Sanè id ipsum mulieris fidem maximopere commendabat: ni enim talis esset, Deum nullatenus credidisset: videbat namque diu retinere beneficium, differre commendatum lachrymis desiderium, adducere supercilium: quæ omnia diuinitatis ingenio ad speciem quodammodò repugnabant, Christúmque Dominum purum tantummodò hominem asserebant: his ergo indiciis nullatenus præbuisse assensum eximiæ fidei agnoscebatur elogium: homines namque de more habent, quo importuniùs rogentur, distulisse beneficia; Deus verò festinat anteuertere vota: ergo beneficentiam retardantem aspicere, & Deum credere non erat doloris consilium, sed eximiæ fidei elogium. Adest Basilius Seleuciensis orat. 20. *Curationis dilatio fidei specimen, sanationis prorogatio fuit voluntatis in muliere probatio; potiùs verò Domini silentium Chananaa commendatio.* Addit post pauca: *Nisi enim talis fuisset mulier, fortè inhumanitatis, aut impotentia Saluatorem condemnans auolasset.* Ni robusta adeò Chananitidis fides aduersus tentamina insurgeret, Christum diuinitate ornatum nullatenus crederet: nam differre beneficium, anxiúmque suspendere votum de more hominibus est; Dei verò liberalitas fontis adinstar se ipsam vrget, & ad accipiendum miseros excitat.

Seleuc.

150. Cùm populus dura Pharaonis tyrannide premeretur; verebatur namque sine causa, ne in eius tranquillitatem prensaret arma, anxia coactus est ad lamenta: erat facinus perquàm insolens videre pueros solerti naturæ studio efformatos sine vlla commiseratione aquis violenter absorptos: maiores solùm seruabantur ærumnis, & discruciabantur flagellis: viuebant tantummodò contumeliæ causa, ne celer illorum deletio sæuitiæ diuexandi eriperit oblectamenta; verùm Deus miseris opem laturus inuolat, Moysíque oues agenti flammanti rubo conspicuus obiicitur, & Ægyptum adeat contribules liberaturus adhortatur: *Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum.* Moyses extrahere animitus conatur imperium: *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Linguæ opponit tarditatem, difficilem populi allegat fidem, & quodammodò cum Deo de legatione contendit. Quid tunc? Deus diuinitatis titulo obarmat, vt in aciem contra peruicaciam securus prodeat: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Et quid interest Moysem diuinitatis ornare titulo, vt cœlesti obsequatur mandato? Moyses vti homo benefacere afflictis rogatus differt, vtque beneficia accelerer Deus illum quodammodò natura denudat humana, induítque diuinâ, quò iam Deus subuenire miseris properet adhuc non inuitatus, qui homo differebat succurrere contribulibus iussus: illum Deus ad diuinitatis extollit fastigium: *Ecce constitui te Deum*, quò Hebræis maturarit remedium. Aut, si placet, altiùs locum inspiciamus. Et sanè cui videatur numen populi calamitati de peruerso auxiliari; quandoquidem grauior illis minetur de Moysis Deitate calamitas: si populus ille adeò idololatriæ libidine proritatus, vt vel bouem inclamarit Deum, & coluerit idolum, Moysem etiam existimabit diuinum, & errore colet Deum: adhæc, si Deus suam diuinitatem titulo profert: *Hæc dices filijs Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos:* cur alium inducat Deum? *Ecce constitui te Deum Pharaonis?* Præbétne ansam vt populus geminum crediderit Deum? Non equidem, inquit, Hebræus Philo quo solet ingenij acumine; imò si attentiùs animaduertas, quo discrimini occurrerit, post contentionem illam non anteà Deitatis Moysem titulo cohonestauit. *Dicitur in sacris libris*, (aiebat Philo lib. quòd deteriùs.) *Do te Deum Pharaoni; patiente, qui datur, non agente.* Diuinitatis titulum habet; sed substantiam non habet: dum Ægyptum adire compellitur, dum meticulosus benefacere reluctatur, dum libertatis beneficium impendere cogitur, diuinitate carere dilucidissimè comprobatur. Vel cæci agnoscent Moysem Deum verè non esse, vtpotè qui non benefaciat spontè; sed ad speciem coactè: si Deus esset, non inuitatus, non oratione rogatus dilargiretur exprompti ssimè beneficia, & vel accipientium anteuerteret anxia vota; at dum differt, erit Deus titulo; sed humanus probatur facto: patitur namque vt contribulium iugum deterat, Pharaonis Deum delegari; non tamen solicitat ire: *Do te Deum, patiente qui datur, non agente:* Deus verus à se ipso miserorum curam egit, & à se ipso populi libertatem solicitauit; at Moyses & passus, & impulsus, & iterum ac semel accitus. Ergo quantumuis dicatur Deus nomine, diuinitatis constat caruisse re: Deus namque à se ipso impellitur, homo importunis precibus instigatur. Adde liberalitatem non tam de quantitate censendam, quàm de animi expromptitudine fore taxandam.

Exod. 3. v. 10.

Exod. 7. v. 1.

Exod. 3. v. 15.

Philo.

151. Amicus hospite improuiso aduentante amicum adit media nocte, tres panes commodatos efflagitans: *Amice commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me:* ille excusationes prætendit, & multiplices causas opponit: multam allegat noctem, obdormisse familiam; & quia nolebat dare, testabatur non posse: instit amicus, exaggerauit inopiam, & necessitatis penuriam, tandem non tam vt amico largiretur, quam vt somno indulgeret, dedit quotquot habuit necessarios. *Propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi, quotquot habet necessarios.* Vides amicum tres panes dilargientem: transi mecum cogitatione ad Eliam, qui minas Iezabel iracundia insanientis pertimescens desertum ingreditur: ibi & itinere fessus, & timoris anxietate vexatus, *Proiecit se, & obdormiuit in vmbra iuniperi.* Angelus è cælo inuolat, & mensam subcineritio pane, & aquæ vase instructam dormienti parat, vtque fessos cibo recreauerit artus, virésque resumpserit, excitat: *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge & comede: respexit, & ecce ad caput suum subcineritius panis & vas aquæ.* Vtrùm liberaliùs dixeris donum, ab amico præstitum, an ab Angelo allatum? Profectò amicus generosior probatur de dono, quandoquidem multiplices largitus est panes; at Angelus auari ad speciem probatur ingenij, cùm aquam exiguam & panem offerat arctum. Cur vianti panis non attulerit copiam, vt alleuarit miseriam? Dedecet profectò cælitem angusta obtulisse dona, & exigua attulisse munera. Imò generosus probatur vel exiguo pane Angelus, nec copiosiori adeò liberalis amicus: hic namque & pulsationibus excitatur, & precibus adigitur, & importunitate

Luc. 11. v. 5.

3. Reg. 19. v. 5.

vexatur; at Angelus dormientem excitat, & vel desiderium anticipat: cœlestis ergo nuncius liberalitatem suam de promptitudine cumulat, alius quadamtenus de importunitate defœdat: nam cùm beneficiis pretium imponat donantis animus; non benefecit, qui magna dedit inuitus: homo probatur, qui importunis coactus precibus dedit; Angelus, numinisque minister, qui nondum rogatus attulit; imò ex Rabbbinorum sententia Deus erat, & sanè ipso opere comprobatur.
Glossa. *Angelus*, inquit Glossa, *qui Eliam pauit, magni consilij Angelum signat, cuius opera tam in corporali, quàm spirituali natura subsistimus.* Deum factis expressit, dum dormientem excitauit, & in obliti sinum donum ingessit. Disce hinc diuinam æmulari naturam, & preces anteuertendo necessitatibus occurrisse: nam vt Moyses dicitur Deus nomine, & non re, dum compulsus benefacit; ita aliquando importunis precibus extortum dicitur beneficium; sed sordescit adulteratum. Certè quidquid dilatum, quidquid coactione aliqua extortum, decoris sui adulterat gratiam, & obscurat sanè gloriam.

152. Agar dum superbè tumet, sibi de tumore calamitatem asciscit: nam Sara ad afflictionis recurrit suffragium, vt seruæ insolens puniuerit
Genes. 16. v. 6. supercilium: *Affligente igitur eam Sara fugam iniit.* Afflictam, exulémque Dei Angelus consolatur, faustissimisque promissis in spem liberalissimus erigit: *Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine.* Agar, vt gratitudinem suam erga benefactorem declaret, nomen diuinitatis exertè profert: *Tu Deus, qui vidisti me.* Nec semel diuinum est beneficium experta: iterum namque ex Abrahami domo cum puero dimissa: errabat in solitudine Bersabee, cúmque filius siti vrgentissima adureretur, fere de eius vita desperans sub-
Gen. 21. v. 16. ter vnam arborum, quæ ibi erant, abiecit: *Et sedens contra leuauit vocem suam, & fleuit.* Iterum hic afflictam solatur Angelus, fontémque gelidis vndis ebullientem demonstrat: *Videns puteum aquæ abiit, & impleuit vtrem, deditque puero bibere:* hîc non inuenies gratitudinis antiquæ testimonium, aut leuissimum saltem indicium, non inclamat vt olim: *Tu Deus, qui vidisti me.* Ecqua discriminis causa est? An quia anteà sperabat promissa; hic verò obtinuerat iam vota: plures namque gratos se exhibent; dum sperant; si tamen acceperint, iam de industria obliti, & de affectata obliuione inueniuntur ingrati. Ita profectò non semel; vindicemus tamen Agar ab hac ingratitudinis nota, & mysteria de eius silentio eruamus arcana. Vtrobique experitur beneficium; sed alibi post lamenta: *Leuauit vocem suam*, inquit, *& fleuit*; alibi antequam promeret vota. Ergo ingenium priùs promulgauit diuinum; posteà arcanum coluit silentium: quasi post longas preces, lachrymásque prolixas fauere fuerit quodammodò debitum; at ante preces fauisse diuinitatis elogium: dum accepit post lachrymas, non adiecit: *Tu es Deus, qui vidisti me*: at cùm ad accipiendum excitatur beneficium, diuinam agnoscit naturam, generositatisque extollit gra-
Lyra. tiam: *Tu es Deus, qui vidisti me*, inquit Lyra, *consolando, & viuificando fœtum.* Aptiùs Glossa:
Glossa. *Rectè nomen eius ita vocauit: quia gratuitò consulit miseris, & humiles consolatur.* Vbi gratuito consulit, Deus agnoscitur, vbi post longas preces, & anxias lachrymas, de diuinitate siletur: est namque humani ingenij preces importunissimas expectare, diuini vel ante vota præbere.

---

§. XXXVI.

Ille solùm suspirare nouit æterna, qui didicit parui æstimare caduca.

COgito mecum, scribit Seneca epistol. 81. 153.
Senec. *quam multi corpora exerceant, quam ingenia pauci, quantus ad spectaculum non fidele & lusorium fiat concursus, quanta sit circa artes bonas solitudo, quàm imbecilli animo sint, quorum lacertos humerósque miramur.*
Ad lusorium spectaculum fit concursus, circa bonas artes solitudo est.
Opus erat bonas artes pati solitudinem, si ad spectaculum lusorium & infidele se vrgebat concursus: non possunt appeti honesta, dum habentur magni fallacia. Quidquid miratur populus, quicquid stupet stultus, contemnendum est iter ad sapientiam arripienti. Nihil melius appeti potest, quàm eripere se huic seruituti, quæ omnes premit, & dum premit, optima spiritus libertate denudat.
Plures in robusto corpore imbecilli constant animo.
Quisque sibi dare potest hoc bonum, & à se ipso petere, si rerum caducarum cupiditatum abiuret, nec vmbratilis felicitatis auidus imposturam sequatur: sæpiùs pauper securiùs gaudet, & fidelius videt, nulla aut exigua sapienti solicitudo est: etiam si qua inciderit cura, velut leuissima nubes transit: qui felices vocantur, multis anxietatibus etiam premuntur, cæci prorsus Solem non vident, & dum prona ad terram semper cupidine expectauerunt humana, obliuioni frequenter tradiderunt æterna. Multis sæpè incommodis pœnitentiam emerunt, & lamenta imprudentissimi procurarunt. Axa Calebi filia cum ad Sponsi domicilium traduceretur, in largas lachrymas fusa suspirat: *Suspirauit, vt sedebat in asino.* Pater filiæ dolore perculsus: *Quid habes*, inquit; illa doloris causam aperuit, & amænum agrum petiuit: *Da mihi benedictionem: terram australem, & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam.* Non vacat mysterio asino insidentem emisisse suspiria: *Vt sedebat*, inquit, *in asino.* Et quid interest asino insederit, vt suspirarit; Gregorius Magnus quo ad moralia pollebat ingenio, ideò ait longa texuisse suspiria, quibus superius irriguum cuperet, quia brutalibus superior appetitibus insidebat. O quàm cœlestium inardescit ambitus, vbi brutalium affectionum inuenitur despectus. Non emisit suspiria, antequam asino insederit; at suspirauit vt sedebat in asino, vt discamus tunc æternorum inflammari vehementiùs studia, cum nostra humanis dicantur nullatenus desideria. Audi Gregorium lib. 3. dialog. cap. 34. *Axa super asinum sedet, cùm irrationalibus carnis motibus anima præsidet, quæ suspirans à patre terram irriguam petit, quia à creatore cum magno gemitu querenda est lachrymarum gratia.* Gregor. Post aliqua addit Gregorius: *Flere incipit quòd differtur à regno. Dat ergo ei pater irriguum superiùs, cùm se in lachrymis cælestis regni desiderio affligit.* Refrænatis carnis concupiscentiis, despectis humanis pompis, cælesti calore inflammata exæstuauere præcordia, &

& ardentissima cælos penetrauere suspiria, dum æterna æqua iudicij lance ponderat fœmina prudentissima, & quidquid humanum, calcat laudabiliter fastidiosa: illi Sponsus eximiæ fortitudinis, & hostilibus redimitus triumphis eligitur; eius nuptiæ, vt Principis filiam decebat, illustri pompa adornantur; verùm adeò Axa cælestium premitur desiderio, vt quodammodò, quia temporalibus dicata, durissimo discrucietur martyrio. Mundialia contemnit, cùm æterna anhelantibus votis suspirat æterna, calcat generosissimè humana: *Suspirauit, vt sedebat in asino.*

154. Dauid post gigantis certamina bellum periculosius ingreditur: Saül námque obcæcata ambitione inflammatus in benefactoris armatur vitam, & totis viribus obscurare nititur gloriam: tandem cùm imprudenter prædator iniustus spæleum fuisset ingressus, ipsi inimico obiicitur præda; verùm generosum Dauidis pectus solùm gratiæ nouit seruire, nec vindictæ adeò iustæ gratiam voluit sanguine cruentare: thronum, quem opportuna offerebat occasio, generosus despexit, & diadematis cingi pro nihilo reputauit: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini.* Custos inimici constitutus illius defendit vitam, & quam opportuna offerebat occasio, magnanimus paruipēdit coronam: *O generosum pectus*, exclamat Basilius Seleuciensis orat. 16. *& soli gratiæ seruire gnarum!* Vides thronum despexisse humanum, vide quàm ardenter thronum discupiat diuinum. *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Et quò inuolare desiderat? Ad thronum illum, inquit Anastasius Sinaita lib. 6. Anagog. cælestium volucrum sex alas habentium: *Volucrem desiderabat fieri, qui dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, quæ descendit in Iordanem, & volabo, & requiescam in illa requie cælestium volucrum sex alas habentium.* Vel cum Seraphinis de desiderio certat, cùm pompam discit despicere humanam: inardescit cælestis throni vehementissimo studio, quia nullo regalis adhuc dignitatis illigatur desiderio. O quàm non cuperet inuolare ad alta, si æstimasset magni caduca! at quia nauseauit ad terrena, hiauit vehementissimus ad diuina. *Volucrem desiderat fieri*, quia dedicit nullis cupiditatum ignobilium vinculis illigari.

1 Reg. 24. v. 5.

Basil. Seleuc.

Ps. 54. v. 7.

Anastas. Sinaita.

155. Nouit hoc Zachæus, dum Christum videre discupiit: Sycomorum inscendit arborem, vt inde transiturum spectet: *Præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus.* Ambrosius ad hunc locum cordatum hominis allaudauit studium, vtpotè qui terram reliquit, & dignis desideriis exarsit *Nemo facilè Iesum videt; nemo potest Iesum videre constitutus in terra: & quia non prophetas, non legem habebat tanquam formæ gratiam naturalis, ascendit in sycomorum, vanitatem scilicet Iudæorum vestigio suo proterens.* Quidquid terrenum vel tangere dedignatur, cùm cælestium desideriis aduritur; imò ideò desideriis æternorum aduritur, quia terram tangere dedignatur: suffocant cæleste semen spinæ, garrulæ deuorant aues, petrosa extinguunt: ni assumptis pennis splendorem transgrediaris fallacem, nequibis aspicere veram lucem.

Luc. 19. v. 4.

Ambros.

157. Modò menti se offert veluti eximium esse

Naxera in Iosue Tom. 2.

prodigium humanis splendoribus redimiri, & æternorum desideriis vrgeri. *Signum magnum*, inquit Ioannes, *apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Et in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat.* Ecquod miraculum est cælo stellis redimiri, aut vtero Deum gestare? Profectò aliud rarius videretur prodigium, hoc verò vti solitum non miraculum. Sanè instar miraculi habendum est mulierem luminibus cinctam, & pompaticè ornatam æternorum desideriis vrgeri, & cælestium votis aduri. *Clamabat ad Deum*, inquit Lyra, *vt citò daret sibi filium.* Consonat glossa moralis: *Cruciatur vt pariat: Per hoc significatur intensum desiderium implendi in opere, quod concepit in mente.* Ecce magnum signum, ecce sæculis inuisum, si dici liceat, portentum: & cælestium ardentissima fouere pectore desideria, & temporalia potiri lumina. Signum magnum mulier obnixe suspirans cælestia, & mundiali ornatissima pompa: quasi hæc duo sibi quodammodò contrarientur, humanis videlicet exundare, & virtutum desideriis ardere: vtque quantum humana spiritualibus obsistant, dilucidiùs cognoueris, huius symboli animaduerte differentiam. Dum stellarum luminibus redimitur, dum solaribus radiis ornatur, cruciatur, vt pariat, quæ solitudinem incolens, desertorúmque inuiis delitescens iam nec doloribus vrgetur, nec cruciatibus diuexatur. Et cur in deserto tranquillè viuat serpente iam in imis delitescente, quæ in cælo sustinebat cruciatus, & serpentis patiebatur adsultus? Quia luminibus antea coronata, quia splendoribus cincta quod animo conceperat desiderium, in lucem tantisper impediebatur edere partum. O quanta difficultatum volumina obsistebant! ô quot impedimenta tardabant! *Cruciatur vt pariat: per hoc significatur intensum desiderium implendi in opere, quod concepit in mente.* Ipse ornatus, ipse honestissimus cultus discruciat, quia implendi desiderium abscindit tempus, eludit occasiones, fugat opportunitates; at deserto degens fastu nudata, & luminibus feliciter orba tota se consecrat deuotioni, & dicata viuit pietati. *Ad spiritualem conuersationem*, scribit Richardus apud glossam, *vbi Solis diuinis intendat, persequente diabolo recedit.* Diuinis imperturbata intendit, quin pestilens coluber deserti audeat interpellare serenum: quia iam pompaticum deposuit ornatum. Nullus nisi se subducat humanis, intendere studiosius potest diuinis. Vel licitæ occupationes attentionem exhauriunt, vel muneris curæ tempus abscindunt, negotiáque importuna præpediunt. Ergo, ni quis studiosè despectus pede conculcarit humana, auidiùs non poterit suspirare diuina. Addiderim, non solùm ab humanis rebus cælestium sopiri vota; sed quodammodò obscurare intellectus lumina, adeò, vt felicitatibus septus in diuinorum agnitione non adeò perspicax fuerit oculus.

Apocal. 12. v. 1.

Lyra. Glossa.

Richard.

Prodeat in medium Iosephus, senectutis ille filius, qui patris amorem ingenuis sibi moribus conciliauit: hic bona temporalium copia auctus, & polymita veste cultus somnium vidit, quod fratribus animo syncero retulit: quia non didicerat inuidere, somnia non recusauit narrare: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare,* 156.

Gen. 37. v. 7.

 vestrósque

vestrósque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Somnium vidisse refertur: quid tamen portenderet, an cognouerit, ignoratur; fratres sic interna adurgebatur inuidia, vt nec pacifica proferre valerent verba. Vsque ad somnia inuidentiam extendentes pœnas à somniatore reposcunt, & immortale odium vsque ad nundinationem perducunt: *Confestim vt peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari & polymita.* Puer pro notho venditus Ægyptum prorsus sibi ignotam intrauit, ibi fraterna odia mulieris amores susceperunt impotentes, ac ipso odio immaniores; verùm cùm castissimus iuuenis pudicas aures, adulationibus conspurcari minimè pateretur, furens mulier, quia non poterat abstulisse pudicitiam, innubilare pudicitiæ conatur gloriam: carcerem intrat innocuus, & sedet compedibus humilitatis; cúmque ibi duo Pharaonis serui somnia vidissent, illique narrassent, coniector optimus veritatem aperuit, futurósque cuique euentus non dubiè prædixit: *Hæc est interpretatio somnij: tres propagines tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum, dabisque ei calicem iuxta officium tuum; sicut antè facere consueueras.* Ecce Ioseph somnij proprij non coniectat euentum, & alieni non dubius prædicit casum. Ecqua huius causa? An quia homines erga aliena acutiores, & erga propria obcæcati? Non semel inuenies in alienis negotiis tractandis pollere industria, qui in suis errauerunt inscitia. Estne ex ex horum grege Iosephus? Minimè quidem, tamen suis actionibus arcana nobis explicuit, & mysteria reserauit. Somnium non cognouit, dum à patre indulgenter habitus, dum polymita veste excultus, dum cultu inuidioso fratribus exornatus; at in carcere ferè inuestis, ærumnis afflictus, compedibus diuexatus sic obscura nouit, vt ignorantibus palàm retulerit, nec nemini post Ægypti thronum noua edisseruisse mysteria, & obscura explcuisse somnia, quasi labores mentis facem reluminent, & felicitates hebetent: cœlestia nouit mysteria nudus, somniorum coniecturam mundo non explicuit ornatus. *Ecce*, inquit Rupertus lib. 8. in Genesim cap. 38. *qui somniator fuerat, & nihil somnia sua profuerant, ille somniorum aliorum interpres fieri incipit, vt videant, qui inuidebant fratres, quia multum somnia sua prosint illi. Et quàm pulchrè Ioseph duorum medius vinctorum in carcere, & vtrique somnij sui proferens interpretationem congruam.* Expende illud verbum: *Somniorum aliorum interpres fieri incipit.* In carcere nudus, in carcere humanis rebus quodammodò exemptus, à mundialibúsque negotiis proscriptus fieri incipit somniorum interpres, & mysteriorum coniector, qui prospera adspirante fortuna, sua non nouerat somnia, dum cultiori ornatu fulgidus, & præ reliquis à patre dilectus. Vt noueris ærumnis reluminari sæpius ad indaganda diuina mentem, & de rerum humanarum despectu desideriorum viuidius ardere facem.

Genes. 40. v. 12.

Rupert.

* * *

§. XXXVII.

Inter coniuges honesta cancordia, virtutis est officina, & humanæ felicitatis est vena.

Coniugium lege diuina sanctum, felicitatis est cumulus, si coniuges eadem honesta assensione conspirant: nascitur ab illorum concordia familiæ tranquillitas, filiorum copia, & diuitiarum accrescit summa; vbi in idem coniuges conspirauere consilium, ratio imperat, virtus floret, & vel temporalis facultas semper accrescit. *Felicem ac beatam esse dicit Plato ciuitatem illam*, scribit Plutarchus in præceptis connubial. *vbi meum & non meum quam minimè audiuntur loquentes; quod vtantur, quam maximè fieri potest, ciues rebus honestis; multò magis eiuscemodi ex coniugio pellenda vox est. Nisi quod, sicut aiunt Medici, partium ictus sinistrarum reducere in dextras sensum, sic mariti incommodis moueri vxor debeat, vel potius vir vxoris, vt quomodo nodi implicata connexione robur ex se mutuò accipiunt, ita reddente beneuolentiam vtroque reciprocam, commercium per ambos conseruetur.* Vir, qui adiuuatur ab vxore quasi fortis ciuitas, & dum eadem ambobus mens, floret & conseruatur tranquillitas. Axa in dotem accepit à patre non adeò amœnum, & frugibus aptum fundum, cumque ad domum ducenda esset; ipsa & maritus in idem conspirauere consilium: illa à patre censuit petendum fœcundius solum, & ille vxoris approbauit prudentissimum desiderium: *Suasa est à viro suo vt peteret à patre suo agrum, suspirauitque vt sedebat in asino.* Masius Axam ipsam impulisse maritum ad petendum tradit: *Cum veniret ipsa, incitauerat illum ad petendum.* Itaque in petendo conuenerunt, & ambobus idem consilium. Quid tunc? Irriguum superius & inferius impetrarunt à patre: *Dedit itaque ei Caleb irriguum superius & inferius.* Et superiora, & inferiora obtinet coniugum honestus consensus: concordes & ditescunt facultatibus, & florent etiam virtutibus. Si discordaret Axa à marito, nec superius nec inferius obtinuisset irriguum, dum tamen ipsissimus vtrique animus, & irrigua possidentur cœlestia, & incrementantur humana. *Per irriguum superius*, exponit Glossa moralis, *intelligitur gaudium de diuina visione*; inferiora & superiora mutuo obtinentur consensu, & cordato acquiruntur consilio. 158.

Plutarch.

Masius.

Glossa.

Versuta satis serpentis humanam perniciem vtilitatis fuco colorauit astutia: vidit mulierem ad Adami felicitatis cumulum efformatam, & per latus hominis structuram subruere inceptat: promittit diuinitatem; si vetitæ arboris pomum vterque ambitiosè rapiat: *Eritis sicut dij.* Et cur mulierem oblata diuinitate ad nociui pomi esum singulariter non prolectat? Viuidiùs suspirasset Eua venenum, si non amborum serpens experiuisset consensum, & commune offerret diuinitatis fastigium: *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri.* Satis erit, si decerpserit fructum Eua: ambitio namque communem diuinitatem fastidiet, & sibi ardentiùs singularem amabit: ergo dum decipere ardet, ipsi 159.

Gen. 3. v. 5.

tantùm

tantùm felicitatis promiserit incrementum, quo mulier faciliùs perpetrare gestiat delictũ. Quid commune facit, pomi esum, & diuinitatis fructum: *In quacumque die comederitis ex eo, eritis sicut dij*, cùm validiùs impellat, si proferat: In quocumque die comederis, eris sicut Deus, & quæ modo naturæ conditione es inferior, plantæ ope euades diuinior: his namque consiliis muliebris inflammabitur ardentiùs ambitus, & fortiùs inardescet affectus. Ipsâ astutiâ inuenitur serpens parum astutus; imò odij fumo satis obcæcatus, quandoquidem difficiliora tentat, & omittit facillima. Proh serpentinam malignitatem! Nouit solùm inter coniuges consensu felicitatem constare, hócque vel cæcissimis liquere, vtque fraudem veritatis fuco coloret, de consensu promittit felicitatem, quasi faciliùs fuerit suadere Euæ diuinitatem possibilem de concordia, difficillimum verò de discrepantia: ideò ergo serpens quo prudenter tegere valeret astutiam, vtriusque exegit consensum, vt felicitatis posset callidius mentiri cumulum.

Gregor.

Huc voco Gregorium apud Lippoman. *Contra primum hominem parentem nostrum antiquus hostis in tribus se tentationibus erexit: quia hunc videlicet gula, vana gloria, & auaritia tentauit, & tentando superauit, quia sibi eum per consensum subdidit.* Non ignoro Gregorij mentem; sed sic eius verbis thesim meam confirmo, scilicet versutus serpens ea tentauit astutia, vt consensum illis verbis, *Comederitis ex eo*, exigeret, quò fallaciam coloraret: nam si inter virum & vxorem consensum excluderet, fraudem vel cæcissimis aperiret: *Sibi eum per consensum subdidit.* Ni inter maritum & vxorem consensum petiisset, technas prorsus denudasset: tantum valet ad augendam felicitatem consensus, vt dæmon de consensu immortalem promittat felicitatem, & sine consensus specie stultam putauerit tentationem. Et quidem si consensus, vt nostra thesis asserit, fuisset honestus, calamitatem non intulisset; sed dæmonem subiugasset.

160. Eruamus ab historia litterali mysterium, probemúsque si vxor & maritus diuersis incesserint viis, & filios amittere, & Deum perdere: Maria & Ioseph adoraturi Ierosolymam inscendunt: ibi puer Iesus clanculum remansit, vt arcana mysteria proderet:

Luc. 2. v. 42.

Cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam, secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cùm redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Rogant interpretes, quo modò adeò prudentissimi parentes filium summa veneratione cultum, & studio vigilantissimo asseruatum potuerint amittere?

Beda.

Beda apud D. Thomam hanc proponit, & enodat quæstionem: *Quæret aliquis, quomodo Dei filius tanta parentum cura nutritus potuerit obliuiscendo relinqui. Cui respondendum, quia filiis Israel moris fuit, vt temporibus festis vel Ierosolymam confluentes, vel ad propria redeuntes seorsum viri, seorsum fœminæ incederent, infantésque vel pueri cum quolibet parente indifferenter ire potuerunt.* Itaque dum diuersa mater, & Iosephus viâ incedunt, Deus oculis illorum subducitur, & filius ad temporis tantillum amittitur. Et quidem quod ibi sine crimine ob viarum differentiam accidit, in moribus accidere sæpè designat: si enim vxor diuersa incoluerit studia, si maritus ab vxoris discrepet etiam sententia, domus turbatur, pax amittitur, exulat Deus, procreari nequeunt filij, quantumuis castissima fuerit fœmina, si vir non matrimonij leges; sed insanas libidinis sequatur appetitiones. Substantia temporalis deperditur, si quam maritus sedulo labore colligit, mulier vestimentis pompaticis dissipatit: aut è contra, si quod mulier modestiæ consulens seruauit aurum, aleis effundat maritus. Deum, filiúmque inueniunt, dum Ioseph & Maria eadem via incedentes in Ierusalem sunt regressi eodem animo, & simili prorsus studio, vt ex historia vtilis nobis eruatur doctrina.

Senec. *Nônullis fœminis minus est in dote, quàm in veste.*

Duc benè institutam, aiebat Seneca de remed. fortuitor. *nec maternis inquinatam vitiis, non cuius auriculis vtrimque bina patrimonia dependent, non quam margaritæ sufficent, cui minus sit in dote, quàm in veste.* Ni honesto vterque coniux consilio conueniant, nec virtus potest florere, nec diuitiæ possunt incrementari.

161. Cùm Sara Isaac sedulo studio virtutibus informaret, animaduertit Ismaelem ancillæ filium inconcinnis moribus puero discrimen afferre, & vitiorum sordidas delicias consulere: vtque in ipsis incunabulis periculo medelam afferret, omnémque criminis occasionem præcideret, ancillæ filium è domo consulit depellendum:

Gen. 21. v. 10.

Eijce ancillam hanc & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Abrahamus Saræ exequi consilium detrectat: quia fors non adeò benè animatam in alienum filium putat. *Durè accepit hoc Abraham pro filio suo.* Itaque & Abraham filio patrocinatur proprio, & Sara refragatur immodesto. Quid tunc? Deus consensum imperat, rixarúmque omnem prorsus occasionem amandat: quia in Isaac vocandum semen, & futurum celebre nomen. *Cui dixit Deus: non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua. Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Rimemur curiosè huius perceptionis causam: *Audi*, ait, *vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Et quid officit, vt semen in Isaac vocetur, domi Ismaelem retinere, & consilia Saræ detrectare? O profundam nobis eruditionem! Semen in Isaac vocandum Christus erat;

Ad Galat. 3 v. 16.

attestante Paulo: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dixit, & seminibus, quasi in multis; sed quasi in vno: Et semini tuo, qui est Christus.* Ergo vt Christus de Sara Abrahamóque nascatur, opus est, honesta intentione consentiant, ne si diuersa fuerint studia, tantæ felicitatis quiuerint attulisse dispendia. Consentiant Abrahamus & Sara, sit vtrique idem virtutis studium: nam si alter ab altero discrepet, in eorum domo nullatenus nascetur Christus: qui cum sit pax nostra, prorsus auersatur rixas, nec nutriri potest inter querelas.

Oleaster.

Cauendæ sunt valdè discordiæ domesticæ, scribit Oleaster ad mores, *& potius de substantia aliquid perdendum est, quam discordias permittere.*

Chrysost.

Consonat Chrysostomus apud Lippoman. *Ne diuersa ab his, quæ locuta es, consulas; enimverò non aliter eueniet: in Isaac enim vocabitur tibi semen.* Vt in Isaac semen vocetur, vt nascatur Christus, concordia inter coniuges adeò necessaria est, vt aliter videatur periclitari promissum, & impediri felicitatis augmentũ. Per se ipsum monuit Deus hanc inter vxorem virúmque concordiam, ne parui pax haberetur, vtpotè quæ sit felicitatis mater, diuitiarum fomentum, gaudij officina,

perturbationis exilium, prosapiæ fulcrum, laboris solatium.

162. Iacobus, cùm magnis obstricti beneficiis Labani supercilium asperum ægrè ferret, leuirósque sæpiùs obmurmurantes audiret, & insuper Domini, vt repeteret patriam, adurgeretur præcepto, vxores suas vocat in agrum, & an inclinent in suam, sciscitatur, sententiam. Gen. 31. v. 2. *Animaduertit faciem Laban, quòd non esset erga se, sicut heri, & nudius tertiùs, maximè dicente sibi Domino: Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroque tecum. Misit, & vocauit Rachel, & Liam in agrum, vbi pascebat greges, dixitque eis*, &c. Otiosa videatur cura vxores vocare; imò, & imprudentia illis arcana aperire: si huc vsque silentio tegit, quæ illi Dominus in somnis reuelarat, quid modò aperiat? etsi Dominus adurget ad profectionem, quid capiat cum vtraque vxore consilium? Numinis obtemperandum est iussis, non humanis obediendum, si refragentur consiliis. Quid ergo Iacob humanum quærit assensum, & vxorum postulat beneplacitum? vt Domini exequatur iussa, opem efflagitat ab vxorum concordia: nam si discrepent, nec acquisitis poterit gaudere diuitiis, nec adeò exprompturn erit diuinis obtemperare præceptis; at si assenserint, si idem omnibus fuerit studium, nullum timebit periculum: nam vt coniugum discordia discriminibus obiicit, sic & discrimina concordia depellit. Viam arripere distulit, quousque vxorum beneplacitum impetraret; vt consentientes vidit, nec socerum, nec leuiros metuit: *Omnia quæ præcepit tibi Deus, fac; surrexit itàque Iacob, & impositis liberis ac coniugibus suis super camelos abyt.* Abulensem audi ad hunc Abulens. locum: *Responderunt Rachel, & Lia consentientes ei, quæ à Iacob dicebantur.* Vt Domini præceptum impleat, vt diuitias acquisitas conseruet, consensum vxorum requirit: quò nos doceat de consensu diuitias seruari, & Domini præceptum impleri.

---

§. XXXVIII.

Altè nobis insidet vitium, in transitu virtutis est desiderium.

163. HOmo ad virtutem olim resplendebat natus, & felici illa ætate ad virtutem totus compositus; vaferrimi tamen serpentis consilio adeò vulneratum iacuit ingenium, vt innatum, non ascititium dixeris vitium: præcordiis insedit altissimis auri insania, totum hominem ad se traxit differta mensa: genus humanum flagrans depopulatur luxuria. Vnde peripateticorum plures sic vitiũ naturæ putauere coæuum, Senec. vt nullatenus crediderint denudandum: *Sic*, inquit, *sapiens imperturbatus dicitur*, Senecam audis epist. 86. *quomodò apirina dicuntur non quibus nulla inest duritia granorum, sed quibus minor.* Putant peripatetici affectus nequaquam posse rescindi, etsi quiuerint temperari, quasi carere vitiis ipsam fuerit negare naturam: *Sine tristitia eum dici, aiunt, qui non est obnoxius tristitiæ, nec frequens, nimiusve in hoc vitio: illud enim humanam naturam negare alicuius animum immunem esse tristitiâ. Sapientem non vinci mærore; cæterùm tangi: non his tollunt affectus; sed temperant.* Horum error quàm altè nobis insederint vitia, edocuit, quando sine vitiis permanere posse negauit: iam virtus non ita nos tenet, vt si virtute dixeris nudam, naturam neges humanam: quod peripatetici de vitiis, hoc asseram de virtutibus, scilicet homines virtute aliquando tangi; eius tamen colore rarissimè imbui: amant virtutem, sed semisopito, & ignauo desiderio, cùm vitia prosequantur vigilanti, & ardentissimo studio. Hinc non miraberis telluris promissionis patriæ quidem cælestis ænigmatis Axam Calebi filiam veluti in transitu expressisse desiderium: quia virtutis quadamtenus veluti in transitu semper studium. *Cùm pergerent simul, suasa est à viro suo, vt peteret à patre suo agrum: suspirauitque, vt sedebat in asino.* Arias Mont. Agrum suspirauit, sed pergens, sed aliud agens, quasi sacræ telluris acciderit desiderium, cùm serio aliud tractaretur negotium. *Harum artium*, inquit hic Arias Montanus, *in hac virgine exercitationem ex fide profectam intelligimus, atque in hanc partem interpretamur. Adeò enim Axa, & Othonielis coniugium, & donata diuinitus hæreditatis copia placuit, vt curatum fuerit, ne conditionis illius vel ipsam vel virum pœnitere vnquam posset.* Itaque desiderium illud diuinæ erat hæreditatis, ex fide quidem profectum; sed itinere sanè expromptum: non diu insederat, sed quodammodò suasione insitum, imò ab extrinseco allatum. O quam per transennam quæ maioris momenti, tractamus, ô quàm exiguis serio animi proposito incumbimus!

Iam vel in mundi exordio miris textus thesim 164. nostram coloribus adumbrauit. Mundi opifex ad rerum molitionem accingitur; cælum sacræ voluntatis fulcris suspendit, appendit terram, liquorem producit; verum non idem in harum molitione rerum stylus: *Tenebræ erant*, Gen. 1. v. 2. inquit, *super faciem abyssi, & Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Iam adnotasti in ipsis verbis discrimen: tenebræ namque abyssis insident, aquis spiritus supernatans quodammodò fertur. Et cur spiritus non insideat, aut superferantur tenebræ? Possúntne tenebræ aquarum retardare naturam, aut nequit spiritus fluentis indidisse constantiam? Minimè sanè; verùm sic vitia tenebris adumbrata miseris coagmentantur hominibus, vt videantur ingenita, & natura ipsa coalita; at virtus sic videtur extranea, vt licet potuerit tangere, nequiuerit insidere. Adest Anastasius Sinaita lib. 1. Anagog. contemplat. Anast. Sin. *Differentia eorum, quæ vehuntur, significat discrimen vehiculorum: nam discrimen quidem est tenebras impendere, spiritum autem supra ferri. Et tenebræ, inquit, super abyssum: & deinde, Spiritus Dei ferebatur super aquam ... Et cur nã dicitur is quidẽ superferri, non insidere?* Aquæ imbui non patiuntur spiritu, abyssi non sustinent leui infici tenebrarum contractu: sic vniuntur aquæ tenebris, vt adsustinendas illas non flaxa; sed stabilis vnda videatur: sic ab spiritu diuino amore incubante resiliunt, vt ab euro mutuas acceperint alas: impetu fluunt, vt Dei Spiritum insidentem excutiant; sistuntur quodammodo, vt tenebris adhærescant, quasi tenebrarum innatæ sint habitaculum, spiritus autẽ hospitium: virtus nãque ferè semper exercetur in transitu, cùm vitiũ animi geratur propositio.

Cùm

165. Cùm nullus vel Scripturæ apex careat mysterio, conferendæ inter se sunt Petri Apostolorum coryphæi actiones: secutus est Christum Dominum execranda Iudæ proditione vinctum, & sæuienti malitiæ traditum, Principis domum ingressus est, vt rei spectaret euentum, aut si fortè posset, magistro præberet auxilium? hic tamen sedens veritatem negauit, quia pœnam sibi imminere similem timuit: *Sedebat cum ministris, vt videret finem.* Et iterum: *Petrus sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras; at ille negauit coram omnibus.* Vides negasse sedentem, benefecisse aspice transeuntem. Ioanne comitatus ascendebat in templum, cùm mendicus non tam ad speciosam positus, quàm proiectus importunus rogaret stipem: duplici vexatus iacebat calamitate: & natura materna officina malè pedatum genuit, & inopia mendicitate vexauit: alia quidem altera ærumna grauior, dum alienis manibus indigebat ad gressum, & manibus alienis ad victum: *Cum vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat, vt eleemosynam acciperet.* Profectò Apostoli omnis virtutis & perfectionis magistri; verùm quia Scripturæ Sacræ non semel in vsu est iustorum factis gesta adumbrare iniquorum, vt iniquorum actionibus perfectorum etiam expressisse virtutes, inquiramus quid in hac salute transitu dilargita signetur. Benefacit quidem Petrus, misericordiæ alumnus, in miserumque pietatem exercet; sed transcursim quodammodò; cùm tamen sedens abnegarit magistrum: *Sedebat cum ministris.* Huc voco Chrysologum sermon. 116. *Homo audire quidem cœpit virtutes, cœpit velle; sed non attigit: cœpit detestari, sed sequi vitia: odisse delicta, sed facere: horrere crimina, sed implere.* Profectò leuiter homines virtutes attingunt, vt delicta leuiter etiam oderunt. Auersantur ad speciem crimina, sed altiori voluntatis placito sitienter requirunt: in transitu virtutes exercent, vitia non transitu, sed proposito. *Foris sedebat*, inquit Hieronymus, *vt videret exitum rei, & non appropinquabat Iesu.* Non cepit cursum, vt magistro appropinquaret; sedit, cum timore mortis inficias iret; non sedit vt mendicum sanaret: vitio sedit; nec enim semel negatum est; sanitatem perfecit in transitu, vt doceret apud homines summatim tantùm degustari virtutes.

Matth. 26. v. 58.

Actor. 3. v. 3.

Chrysolog.

Hieron.

166. Adest Zachæus ille vitiorum olim asylum; aliquando tactus est amore virtutis; illam tamen delibare solum cupiebat in transitu, quasi vereretur honestati adhærere studio: *Ecce vir nomine Zachæus, & hic Princeps erat publicanorum, & ipse diues, & quærebat vide e Iesum quis esset.* Curiositate potiùs, quàm virtute videtur duci; sic tamen leue erat agnoscendi Domini desiderium, vt ad videndum cursim solummodò extendisset conatum: *Præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus.* In transitu volebat agnoscere, non diu cum Domino inhabitare: statura exiguus vti populus nationum proximus inhærescebat telluri, cautionum ponderibus premebatur, ligabatur criminum vinculis, & hic si quando virtutis ambitor, sic volaticum desiderium, vt solummodò cupiuerit transitum: auersantur homines adhærentes virtutes, & quia citissimè ardent excussisse, fixè tenacitérque non sustinent inhærere: hunc ægrum sanè affectum medicatus est Dominus, dum virtutem docuit colendam non volucri desiderio, sed impensissimo studio: *Cùm venisset*, inquit, *ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere.* Correxit errantis affectum, & docuit non transitu salutandam tantùm virtutem; sed quærendam ex animo veritatem. *Oportet*, inquit, *me manere:* manens Christus ægris impertitur salutem: *Hodie*, inquit, *salus domui huic facta est:* non facta est salus cum vidit; sed sanitas est elaborata, cùm sedit. O quàm leuiter Zachæus colere proposuerat virtutem, cùm tot annos impenderit criminum falsis illiciis, vt verum sit quod aiebat Chrysologus: *Homo audire quidem cœpit virtutes, cœpit velle, sed non attigit.* Adstipulatur Titus Bostrensis in Catena: *Hic solam visionem desiderauit; sed qui nouit plus facere, quàm quærimus, dedit ei supra id, quod expectabat.* Virtutem quodammodò vel nolenti ingessit, & seriò tractandam docuit. Nolebat Zachæus diu adhærere virtuti, qui annis tot adhæserat crimini: solam visionem desiderauit, conuictum minimè concupiuit: nolunt namque homines proposito excoluisse virtutes, cùm vitij secum commorari & adesse noxias semper cupiuerint voluptates. Adde sic errorum prolixis temporibus scholas ab hominibus frequentari, vt qui multa sæcula non posuerit, mundialis ciuitatis non incola, sed hospes, aut inquilinus habeatur.

Luc. 19. v. 2.

Tit. Bostr.

167. Reuolue mente Dauidis historiam: cùm enim regiè epulatus esset, ac pollutibili mensa emollitus indulgeret otio, meridianáque obambulatione studeret oblectamento, tunc hostis remissum animi curæque neruum conspicatus, & mentem passionum aurigam indiligenter frænis succinctam, ac deliciarum oblectamentis semisopitam, armísque quadam sui parte detectam, optimatem furtim aggreditur ipsius oculis pro telis vsus. Momento à virtutis via abreptum in adulterij impulit præcipitium, suasit pudendum vlcus celari, vt pudorem ipsum virtutum asylum in vlterioris verteret peccati suffragium: scelus namque semel admissum nouum obærat scelus, & vt qui alienam pecuniam accepit ad fœnus, ampliorem cogitur impendisse, ita non semel, qui culparum admisit æra, iniquo cogitur fœnore impendere culpis lucra. En Dauid adulterium cæde conatur occulere, & flagitium alterum fuit sceleris consequentia; verùm Deus incautè vulneratum non despicit, sed Dauidis miseretur, auxiliatúrque furtim oppresso: prophetam mittit, qui ænigmatis factum coloribus eleganter exprimat, vt in alio Dauid meliùs suam fœditatem agnoscat: *Duo viri*, inquit, *erant in ciuitate vna vnus diues, & alter pauper: diues habebat oues, & boues plurimos valdè, pauper alter nihil habebat omnino præter ouem vnam paruulam, quam emerat, & nutrierat*, &c. *Cùm autem peregrinus quidam venisset ad diuitem, parcens ille sumere de ouibus, & de bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ouem viri pauperis*, &c. Peregrinus vocatur affectus ille, vtpotè qui non diu permanserit, sed transierit; si tamen quot menses apud Dauidem affectus hic diuersatus fuerit, inquiras, non paucos inuenies: iam enim illi filius ex adulterio natus: *Filius*, inquit, *qui natus est*

2. Reg 12. v. 1.

est tibi, morte morietur. Prolatarat cupiditatis insaniam, libidinis amentiam, & cum per annum affectus ille impurus hospitio diuertisset exceptus, vocatur nihilominus peregrinus: quasi humani pectoris habitaculum sic crimina ab incunabulis consueuerint possidere vt annuum vitium habeatur hospes, & putetur inquilinus. *Hospes peregrinus*, inquit noster Sanctius, *cui comedendam obtulit alienam ouem, fuit libido, & pruriens appetitus intemperantis concupiscentiæ, qui insatiabilis est:* hospitem vocamus communiter, qui nobiscum exiguo tempore commoratur: sic ergo vitia nobis inuiscerata quodammodo sunt, vt peregrinus appelletur affectus pectore moratus per annum. Sic altè nobis insidet vitium, cùm virtutis sit in transitu desiderium.

Sanctius.

§. XXXIX.

Grauior est miseria, quæ premit interius miserum, nec exterius sinit apparere infortunatum.

168. MVlta sunt fucis illita, & pulchriùs exteriùs bracteata, quæ si dispiciantur intimiùs, inuenientur miserrima: felicitatem externam plurimi ostentant, cum animos gerant curis dilaceratos, & anxiis solicitudinibus morsos: auro, argentóque emicant exornati; intus tamen procella desæuit: vt enim malignæ aliquando febres cor ardentissimè exedunt, cùm tamen exterior tactus fallacem mentiatur temperiem, ita multis interiùs anxij, & exterius culti. Non est multis solida, & syncera felicitas; sed leui illita felicitatis fuco, ipsámque ingrauante calamitatem rutilo fortunæ mendacio. Nitent; sed oculis imponunt: vt enim cariosa ligna auro aliquando perfundimus, aut grato colorum fuco oblinimus, quo oculis imponamus, ita plures sub splendenti cultus pompa extrema interiùs paupertatis adurgentur miseria. Opportunè Seneca lib. de prouid. cap. 6. *Isti quos pro felicibus aspicitis, si non quà occurrunt, sed quà latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti: non est ista solida, & syncera felicitas: crusta est, & quidem tenuis.* Vera dixit: multis namque non licet quiescere, & ad arbitrium suum viuere: ambitionis vernulæ absque salario deseruiunt, inuidentiæ mancipia furunt, semper pauidi, & semper ad fortunæ arbitrium suspensi: non nouerunt contempsisse fortunam, ideò nec norunt dedidicisse miseriam; imò aliquando de ipsa felicitatis bractea crescit dolor ad exedendum acriùs præcordia, quid enim grauius, quàm nequire dolorem euaporare suspiriis, & sæuientibus adurgeri tormentis? Saxeum robur, & ferreum animum hoc desiderat: aliter namque animus cedet violentiæ, & ingemet subiectus ærumnæ. Testis est Axa, quæ cùm à patre in dotem infœcundam arentémque accepisset tellurem, omnium cogebatur hilari vultu audire gratulationes; intus pauper, ad exteriorem pompam ditissima: quid tunc? Cum nuptialibus facibus duceretur, dolorem tegere impotens anxia in suspiria prorupit: *suspirauitque vt sedebat in asino.* Non

Senec.

solum suspirasse refertur, sed vt erat in asino additur, quasi ipsa pompatica sessio ad suspiria cogat, cùm res familiaris tenuissima internam solicitudinem augeat: *Terram*, inquit patrem allocuta, *australem, & arentem dedisti mihi.* Ecce suspirij causam: putabatur à ditissimo parente lautissimis donis dotata, & cum dos labores augeret, dotis opinio pompam ostendere postulabat: vt erat ergo in asino, suspirauit, quæ fortè si ad nitidiorem pompam non teneretur coacta internis ærumnis pressa premeret etiam suspiria; at dum fama nouúsque status cultiorem cogit ad pompam, & conscientia internam experitur miseriam, non potuit non suspirare; quia nec interior anxietudo didicerat non torquere. Opportunè Seneca epist. 81. *Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut grauis, & suppurata tristitia, & quidem grauior, quia interdum non licet palàm esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes necesse est agere felicem.* Non potuit Axa inter anxias curas hilaritatem mentiri, aut altis præcordiis suspiria tegere: hoc enim masculum animum, & verè robustum deposcebat, non fragilem, & muliebrem. Ergo suspirauit in pompa, quia de sumptu adaugebatur miseria. Senec.

Hanc dæmon excogitarat in Iobum peruersissimè technam, omnia ad patientiæ tentamina eius malignitati à propitio Numine sunt permissa: Dominus namque de athletæ viribus fidens laudibus irritat aduersarium, quo illustriorem sæculis ostendat amicum: *Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt, tantùm in eum ne extendas manum tuam.* Facultate permissa ventos ciet, miseriarum furentem mouet procellam, quò validam patientiæ conquassarit scapham. Iam improles, qui modò nobili filiorum circundabatur caterua, iam pauperrimus, qui cumulatissima diuitiarum nitebat summa. Ædificia corruunt, filios tumulant, nec reliquias permittunt solatio, vt grauiori pater adurgeretur tormento: boues asinæque patiuntur prædatorem, oues incendium. Inter hos tamen cõfusos calamitatum turbines Iob erectus adhuc prouocat aduersarium, purpurámque proiicit, quò expeditior athleta strenuus desudarit stadio. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua.* Inquiramus cur dæmon vestes non detraxerit, cùm facultates reliquas malignus abstulerit: oues acti adustulauit incendio, boues prædatori dedit iniusto, filios ipso tumulauit conuiuio, & regales Iobo vestes permittit? éstne dum tot ciendis aduersitatibus furit occupatus, auferendæ purpuræ oblitus? Minimè equidem; sed eadem calliditatis versutia regalem permisit purpuram, quâ regalem abstulerit prorsus fortunam. Dæmonis scopus inuictam defatigare patientiam; peruerso ergo hostis virulentissimi intento non minus proderat collucens splendenti nigrore purpura, quàm summa reliquarum facultatum miseria: quid enim grauius, quàm antiquum deperdidisse prouentum, & antiquum vt olim nutrire fastum. Hoc vel Iobi patientiæ durissimos inferebat cruciatus, quando ad exedendum cor amico fœdere concurrebant, & interior calamitas, & exterior felicitas. *Adhuc*, inquit Origenes lib. 1. in Iob, *conscidit vestimenta sua, ac si diceret ad ipsos aduersarios nequissimos: O maligni, atque iniqui aduersarij mortuum me existimatis, vt vos putatis, &* 169. Iob. 1. v. 12. Origen.

& vt vobis videtur, in terram me sepelire praeparatis. Si ergo me mortuum existimatis, ô inimici, anticipem in pretiosam meam sepulturam conscindere pretiosas atque regales meas vestes, vt nec post mortem gaudeatis eas possidentes. Vestes abiecit, ne aduersarij possidentes gauderent, possidebant namque ad peruersitatis studium, quas externas reliquerant ad impatientiæ suffragium: vel Iobi namque defatigaretur patientia, si se bonis omnibus dispoliatum agnoscens, vt olim se felicem non ostentare nequiret: imminuit calamitatem, dum ad exteriorem traxit notitiam, ne incrementaret miseriam, si antiquam alere conaretur fortunam. O quam curis plenum carere censu, qui externo non caret sumptu: noctes ponuntur insomnes, variis mens machinamentis concutitur, & cor variis, vanisque desideriis discerpitur: semel miser est, cuius miseria nota; bis, cuius miseria felicitate vestita. *Hilaritas ficta est, grauis & suppurata tristitia*, & quod homini durius tormentum, quàm sæuam internè ærumnarum procellam pati, & ad exteriùs ridendum cogi? Iob vestes abiicit, se miserum publicat, vt miseriarum sæuitiam leniat: esset namque acerbior patientiæ cruciatus exteriùs agere prosperum, cùm se interius experiretur infortunatum. Hoc dæmonis conabatur studium, vt de relicta malignè pretiosa veste durius, duriúsque patientiæ incrementaret tormentum.

170. Idem fortè in distorquendo Saule dæmonis eluxit studium. Desertam à gratia animam nactus proprium sibi dæmon effecerat domicilium, spiritúsque gratia à Saule translata spiritui nequam habitationem concedebat: quale enim animæ diuersorium præparabat, talem diuersorio hospitem suscipiebat: prudentia de mentis arce deturbabatur, oculorum transuersim agebantur pupillæ, & cùm exteriùs ornaretur purpura, interna dissecabatur procella. *Exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* Quærunt interpretes, qualis hic spiritus fuerit? Abulensis spiritum fuisse melancholiæ ait, & ex medicamine apparet: citharæ namque cantu sopiebatur ægritudinis dolor, & interni æstus deferuebat quadamtenus angor. *Non poterat*, inquit quæst. 34. *tristitia præsens expelli, vel leniri nisi per magnam delectationem.* En Saulem aptum nostræ thesis exemplum: purpura lucet, diademate redimitur, pollucibili mensa cibatur; verùm sic internis vrgetur doloris æstibus, vt summis indiguerit delectationibus; non poterat abiicere illam felicis personam, & intus miserrimi sustinebat fortunam. O quàm iure de Saule repeteret Seneca: *Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut grauis & suppurata tristitia.* Summa tristitia Saulis tangebantur præcordia, & opus erat externa mentiri gaudia: non poterat genas lachrymis irrorare, nequibat angorem iactis suspiriis lenire, regalem ostentabat statum, & intimum corde sustinebat metum: erat iam regali throno mulctatus, & adhuc ornatu regio vestitus: *Vsquequò tu luges Saul*, aiebat Dominus Samueli, *cùm ego proiecerim eum, ne regnet super Israel?* Abiectus verè, rex quodammodò fictè: hoc ergo grauissimo erat discruciari tormento, regnare solùm ad pompam, & fuisse abiectum ad pœnam. Fors leuioribus tristitiæ morsibus vrgeretur depulsus, si statim purpura denudatus: lugeret miser, nec haberetur felix; modò solùm felix resplendebat exteriùs ad vmbratilem pompam, cum esset interiùs infortunatus ad veram mulctam.

1. Reg. 16. v. 14.

Abulens.

1. Reg. 16. v. 1.

Fallar ni hoc ipsum ad pœnæ augmentum fuerit expertum dæmonium. Grauissimo præsumptionis pondere cœlo ruit; sed dum ruit, lumine corusco resplenduit: *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Leuius illi fuisset tenebris ruisse obscuratum, quàm splendenti cecidisse lumine fulgidum: quid enim miserabilius, quàm gehennalibus distorqueri tormentis, & luminosis exteriùs oculos allicere radiis? Aptè Cyrillus in catena: *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem, id est, à suprema potentia ad extremam fragilitatem.* Extremè miser, & externè fortunatus: nescio an plus lumine torqueatur, quàm igne. Qui externam aspexissent speciem, claro lumine crederent redimitum; qui interna spectarent, obscuris, immortalibúsque flammis viderent adustum: foris nitor, & intus ardor. Certè dæmonis erat pœna refulgens exterior fortuna, & adurens interius flamma; pro superbia supplicium decretum est, vt simul caderet & fulgeret, quò internum minimè vitaret tormentum, nec externè compassionis adhuc habere posset solatium. Duris adurgetur ignibus, & exteriùs cogitur micare lucidissimis splendoribus: *Videbam*, inquit, *Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, vt pateretur simul casus ruinam, & crustatam luminis pompam. Et quidem grauior tristitia, repetat Seneca, quia interdum non licet palàm esse miserum; sed inter ærumnas cor ipsum exedentes necesse est agere felicem. Quia tolerare nequiuit Axa hoc tormentum, profundum emisit suspirium. 171.

Luc. 10. v. 18.

Cyrill.

§. XL.

Non dignè expenduntur lachrymæ in caducis exambiendis, sed in cœlestibus procurandis.

RVdes ingenio pueri, ac præ ætatis simplicitate inexperti, aurea sæpè monilia splendenti vitro commutant, & vt quid dulce eluctentur, lætanter magni pretij vniones largiuntur: miramur sæpè infantiles ætatis ineptias; cùm nos iam adulti, longóque tempore exercitati ineptiùs, cariúsque insaniamus, & summè pretiosa vilissimis commutemus. Lacrymæ adeò inæstimabilis valoris sunt, vt æterni regni coronam mereantur; & caducis, imò indignis dolore causis largissimè impendimus. Raptus est filius, cùm nuptiales fasciæ pararentur, sed aliquando rapiendus erat: ingens auri copia nauigio submerso periit; sed exitu, vel inuitè relinquenda: dignitatis fastigium diu ambitum citissimè amissum est; hinc disces, quàm fragilibus inhiaueris. Nulla ex his, in quæ inconstans ius obtinuit fortuna, digna sunt, quæ à viris extorquere debeant lamenta, aut anxia mereantur suspiria. *Possumus*, aiebat Stoicus epist. 105. *aduersus ista tantum habere animi, libeat modò subducere iugo collum. In primis autem respicienda sunt voluptates, eneruant, & effœminant, & multum petunt, multum autem à fortuna petendum est. Deinde spernendæ opes, auctoramenta sunt seruientium: aurum, & argentum, & quicquid aliud felices* 172.

Senec.
Non potest paruo vero constare libertas.

felices domos onerat, relinquatur. Non potest gratis cõstare libertas. Hanc si magno æstimas, omnia paruo æstimanda sunt. Sola filiorum Dei libertas, illa scilicet quæ alternas temporum vices ignorat, quæ minantis tortuitatem fortunæ non metuit, magni æstimanda est; cætera exigua sunt,& quæ vel lachrymula carissimè emantur. Iniquè commutauit fortuna, si vt quid daret, suspiria accepit; pluris longè valent lachrymæ. Nihil demum ex his, quæ possidentem deserere possunt, dignum est lachrymis, aut suspiriis. Axa ab Othoniele viro suo suasa est amœnum à parente fundum postulare: *Suasa est*, inquit, *à viro suo, vt peteret à patre suo agrum:* illa patris animum suspiriis percelluit: *Suspirauit, vt sedebat in asino:* quo faciliùs agrum irriguis diuitem laticibus impetraret. Opportunè notat Abulensis hîc quæst.8. Suspiria ab Othoniele non fuisse præscripta, sed à fœmina asino insidenti ad patrem acriùs mouendum addita:
Abulens. *Solùm vir suus suaserat petere agrum.* Et cur non suaserat lachrymas fundere, anxiisque patris animum suspiriis ferire? Quia indignum erat viro adeò strenuo, prudentique lachrymarum pretio tellurem licet irriguam, & fertilem coëmisse: fœmina solùm lugere potuit aruis amœnis carere, vir nullatenus debuit consulere. Nemo hanc Othonieli iniuriam fecerit, vt ad possidenda prædia consuluisse Axæ suspiria putauit; esset namque prudentiæ virilis dedecus ingenti adeò pretio exambisse caduca. Animum deponit virilem, quisquis effusis lachrymis temporalia amisisse dolet, aut edipisci volatica exambit: fœmina est, quæ deplorat ob agrum, vir ad impetrandum nullatenus persuaserat fletum. *Solùm vir suus suaserat petere agrum.*

173. Christus Dominus matrem amisso pignore
Luc.7.v.12. vnico vitæ solatio illachrymari prohibuit: *Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ, & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cùm vidisset Dominus misericordia motus super eam dixit illi: Noli flere.* Vides lachrymas cohibentem; transi mecum cogitatione ad Mariam,& videbis angelos, & Dominum ipsum eius lachrymas excitantem. Surrexerat Dominus morte deuicta, & iam tota splendoris pompâ radiabat, Maria sepulchrum petit, quo & dolorem reliquiis augeat, & augendo leniat; vidit sepulchrum corpore dispoliatum,& ignauiam suam culpans vberibus lachrymis Domi-
Ioan.20.v.11 num dolebat amissum. *Maria stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis sedentes... Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras?* Et cur Dominum imitati non dixerunt: *Noli flere?* Sic ministri gemitibus oblectantur, vt quò acriùs sufflament, doloris causas sciscitentur: *Mulier, quid ploras?* Fletus causam dissimulant, vt affectus amissi vrgeatur memoria, & memoria torqueatur absentiâ. Nec solùm Angeli, sed & ipse Dominus repetit: *Mulier, quid ploras?* Et vbi illud: *Noli flere?* Eccur Domine, desolatæ matris lachrymis medearis, & gemitus inflammes sciscitatione dilectæ? Si gemitibus oblectaris, cur viduæ stitisti fletus? aut si afflictaris, cur Mariæ renouasti interrogatione singultus? Ecqua discriminis causa est? Quia Maria Dominum dolebat amissum; at mater iuuenem lugebat sublatum: hæc hominem, illa Deum. Maria lachrymis exambiebat æternum; mater deplorabat caducum; ideò matris fletui imponere modum iussit, & dilectæ vberius lamentari interrogatione suasit. *Quid ploras? Noli flere.* Causarum discrimen dignum, aut indignum fletum ostendit. Dignè illachrymabatur, quæ sibi Dominum dolebat ereptum, inutiliter, quæ lachrymis reuocare nequibat amissum. *Iubens cessare à lachry-* Chrysost.
mis, inquit Chrysostomus apud D.Thomam, *qui consolatur mæstos, monet nos præsentibus defunctis consolationem recipere, resurrectionem sperantes.* Euanidis, temporalibúsque rebus lachrymas dicare prohibuit, æternis verò, ad virtutémque spectantibus impensas gauisus est.
Interrogatur doloris causa, aiebat Gregorius ho- Gregor.
mil.25. in Euangel. *vt augeatur desiderium, quatenus cùm nominaret, quem quæreret, in amorem eius ardentiùs æstuaret.* Æstuabat absentiæ dolore Maria, sed quod ablatum vberi lamentabatur gemitu, dignum erat largiori planctu; ideò interrogatur, vt ad copiosiores gemitus excitetur. At iuuenis mater fletum cohibere præcipitur, ne pretiosus fletus iacturæ temporalium pendatur.

Esau & Iacob reprobationis & electionis 174.
exempla eodem gignuntur vtero, diuerso tamen ingenio: alter ob vilem escam fratri primogenita imprudens vendidit, alter edulia primogenitis lubentissimè commutauit. Verùm cùm Esau fratrem sibi benedictionem posteà præripuisse cognosceret, patris animum clamoribus perculit luctuosis: *Irrugijt clamore magno.* Genes.27.
Dolet prædiuitem amisisse hæreditatem, non v.34.
gemit spiritibus perdidisse virtutem, & quidem argumento est, terræ iam pinguedine ditescentem lachrymas cohibuisse, nec spiritus incrementa curasse. E contra Iacob copiosis adornatus diuitiis, dolet Dominum luctamini se subduxisse profusis lachrymis. *Fleuit, & rogauit* Osee 12.v.4.
eum. Vterque vberes in lachrymas dolet fusus; sed vtriusque haud similis est affectus: Esau solùm deflet ablatam primogenituræ substantiam, Iacob numinis subductam præsentiam: ideò hic dilectus, ille repulsus. Miser, qui solùm lachrymas impendebat humanis, felicissimus, qui diuinis: spiritualium anxium debet dolorem generare iactura, non verò temporalium detrimenta. Iacob dignè de Domini discruciatur absentia, Esau indignè de amissa primogenituræ substantia. *Non ex vera cordis compun-* Lippoman.
ctione, inquit Lippomanus, *neque ex charitate fuit dolor hic; sed ex priuato potius commodo procedens, & cupiditatis affectu, quo nimiùm erga temporalia tenebatur, & ipsorum tantum iacturam indolebat, idcirco teste Apostolo non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis requisisset eam.* Infelicissimus probatur, qui solùm ob temporalia dolebat; nec solùm infortunatus, sed de fletu prodebatur stultus, quandoquidem pretiosissima insumebat lamenta, non in bonis solidis acquirendis, sed in vanissimis impetrandis. Iacob vti pretij lachrymarum gnarus, Domini tantummodo deplorabat recessum; quia solùm, quæ sunt virtutis, dignum postulauere ploratum. Disce non deflere caduca, sed sola pretio lachrymarum emere sempiterna.

Ismaël dum nimiùm elatus superbit, & pri- 175.
mogenituræ prærogatiuam imprudenter exambit, domo paterna exul aridis desertorum campis

pis exerrat. Digna sanè pœna, vt seruus ancillæque filius fame, sitique dinexaretur oppressus, qui conditionis suæ insolenter superbiebat oblitus. O quot dum effrænibus immetatæ ambitionis desideriis ad altiora rapiuntur, ipso volatu sibi maturauere ruinam, & inimicorum egerunt causam! Consumpta aqua ardentissimò sitis calore æstuabant præcordia, & sitis vitam iam depascebatur flamma: mater subter vnam arborum puero relicto mœrore oppressa tristissimas in lachrymas effusa est: *Leuauit vocem suam, & fleuit.* Dolebat mater iuuenem ætate florida ardore consumi, & vndarum inopia premi. Fleuit mater durissima morte delicias suas vehementer vrgeri, nec ad suprema decedentis oscula doloris vehementia permisit appropinquare. Transi modò cogitatione ad deuotissimum Abrahamum, filius vnicus soliciti senis, & iam ætate ad occasum vergente postulatur ad victimam: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Quid tunc? Celeri pede senex per montium cliuosa inscendit, omníque mysterio disposito dilectum filium ardentibus rogis iniicere exambit. Profectò opus ab animo dissidere videtur: si dilectus adeò filius, & vbi patris est luctus: cur nec contristat frontem, nec pectus ferit? Si Agar imminentem pignoris casum adeò dolenter plangit, & copiosas lachrymas fundit, fundat etiam lachrymas vberes Abrahamus, ne aut stupiditatem causetur natura, aut non patrem sed hostem criminetur fallacia. O animum generosum, & soli gratiæ seruire gnarum! Tenere diligit filium; sed quia scit summi esse valoris ploratum, noluit lachrymas impendisse dolori, quia consecrarat æternitati. Lugeat Agar, quæ fœmina, & pretij lachrymarum ignara; at Abrahamus filij non deploret interitum, quia nouit valere æterna singultum. Opportunè Zeno Veronens. serm. 1. de Abra. *Non contristat frontem deuotissimus Abraham: nec dolor patri lachrymas persuasit.* Intensissimus erat dolor filium vnicum, eáque ætate, quæ maiorem commiserationem meretur, iugulare, verùm nec sæuus adeò dolor lachrymas extorsit à patre: mater fudit gemitus, sed pater dignioribus reseruauit singultus. *Nec dolor patri lachrymas persuasit.* Vir erat, qui mortalis filij casui lachrymas non pendit, fœmina, quæ dolore saucia plorauit.

Genes. 21. v. 16.

Genes. 22. v. 2.

Zeno.

---

§. XLI.

Non est eximij diuini amoris argumentum humanis, aut spiritualibus exundare delicijs, sed perfectionis inscendere apicem, quantumuis humanis diuinisque careris solatijs.

176. INiqui sæpè homines amoris censores sunt: illum putant eximium, qui deliciosis voluptatibus seruit, qui diuitias auget, cui quicquid corpori commodum, solicitum semper studium. Nec solùm circa res corporis; sed etiam circa spiritus hoc plures vtuntur argumento, & reguntur iudicio, vt è contra se aut non amatos, aut despectos cogitant, si premantur ærumnis; aut si careant, dum contemplantur, tranquillitatis imperturbatæ, & orationis deliciis: virtus, amórque non tam de lenociniis, quàm de profectibus est censendus; imò sæpè quos Deus paruulos imbecillósque virtute conspexit, spirituali dulcedine inescat, aut temporali fortuna ditat: quos verò fortissimos milites, & strenuos nouit calamitati committit, vt dum hostis valentior, & triumphus fuerit gloriosior: veretur Numen, ne orationis, aut contemplationis arduitas deterreat imbelles, & ideò attrahit quodammodo saporatis deliciis, & honestis pueros illecebris. Benè Demetrius: *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduersi: non licuit enim illi se experiri, vbi ex voto illi fluxerunt omnia, vel ante votum.* Naucleri peritia lucet vrgenti procella, in tranquillitate vel imperito traditur gubernaculum, vt paulatim acquirat aurigandi nauim experimentum. *Indignus visus est*, addit Seneca cap. 4. de prouidentia, *à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignauissimum quémque refugit, quasi dicat: Quid ego istum aduersarium mihi assumam? statim arma submittet: non opus est in illum tota potentia mea, leui comminatione pelletur: non potest sustinere vultum meum: alius circumspicietur, cum quo conferre possimus manum: pudet congredi cum homine vinci parato: ignominiam indicat gladiator cum inferiore componi, & scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur.* Egregia animi virtus aduersus obscura spiritus nubila constans perseuerat, acres procellarum flatus durus ilex contemnit, aduersas fortunæ, dolorísque supercilium armata vincit: vbera lacte distenta præbentur pueris, non semel aluntur radicibus viri: felicitas non est per amœna tendere, sed ad excelsa venire: & amor, quò, non quà duxerit, attendit. *Dionysius*, scribit Plutarch in apophthegmat. *dominatu eiectus roganti: Quid tibi Plato, & philosophia profecit? Vt tantam, inquit fortunæ conuersionem feram leniter.* En philosophiæ virtutísque profectus leniter tulisse adeò dura: minus resplenduit Dionysij animus, dum effulgebat throno: plus tranquillè degens exilio. Hinc Deus, vt multorum virtutem, & in theatrum orbi proponat, & ad perfectionis perduxerit summam, non spiritui aut corpori blandis fouet; sed duris, quæque deceant fortem virum, exercet. Axa Calebi filia in lachrymas fusa se parū dilectam à patre queritur, vtpotè, qui non irriguam amœnissimámque hæreditatem concesserit; sed arentem & ad speciem vilem donarit: *Terram arentem, & australem dedisti mihi.* Et cur pater dilectæ filiæ arentem, fructibúsque ad vitam commodè ducēdam orbatum fundum concesserit, quando amœnum poterat dilargiri? O vtilem nobis eruditionem! non cuiuis; sed strenuo, sed victori; sed triumphis coronato in matrimonium locauit: *Qui percusserit Cariath-Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem:* tellurem autem arentem dedit, vt ostenderet verum amorem plus cogitare de triumphis, quàm de temporalibus commodis; vel cum arentem tellurem leuis sulci, & multo lapide impeditam largitus est, curauit triumphos; & quidem minus amasset, si spretis triumphis, irriguam; amœnissimámque hæreditatem dedisset. *Othoniel*, scribit Interlinear. Glossa,

Demetrius. *Infelix est cui omnia ex voto succedunt.*

Seneca.

Pudet vincere vinci paratum.

Plutarch. *Magna philosophia dura tolerare patienter.*

Glossa.

responsio Dei, cui scilicet Deus respondet, & arcana reuelat. Patris cura, & quæ sanè amantem decebat patrem, filiam fuit Numinis contemplationi, arcanisque consecrare, non copiosa hæreditate adaugere. *Terram arentem dedisti mihi,* Lyra. scribit Nicolaus, *id est, infructiferam propter siccitatem:* irriguam potuit dare, arentem initio dedit; semper tamen filiam contemplationi addicere discupiuit.

177. Israeliticus populus cum per desertorum inuia, difficilésque anfractus deerraret, aquæ penuria vrgentissimè laborabat, adurebantur ardore viscera, flammescebant de incendio labra, Quid tunc? Gelidas liquatur silex in vndas, & Num. 20. v. 11. copiosissimas ministrat sitientibus aquas: *Egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta:* & ne iterum adurgeret periculum silex viatores sequebatur contra natiuum ingenium. 1. Cor. 10. v. 4. *Bibebant,* inquit Apostolus, *de spiritali consequente eos petra.* Vides Hebræos copiosissimis laticibus exundare: transi cogitatione ad Eliam eximium illum prophetam, qui impotentes Iezabel minas expauens velox petiuit de- 3 Reg. 19. v. 4. sertum: *Perrexit in desertum viam vnius diei.* Itineris labore lassatus, sub vmbra iuniperi defatigatos artus leuissima refouet quiete: tunc Angelus dormientem excitat, & comedere imperat: *Surge, comede: grandis enim tibi restat via.* Paruit propheta, & post pastum, quem ab Angelo acceperat, non sine labore quadraginta diebus, & quadraginta noctibus itineri insistit: *Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb.* Vides prophetam quadraginta diebus & pastu & potu carere: panéque arcto, aquáque in mensura ab Angelo recreari. Ecquis Deo dilectior, Hebræus deserto peragrans, an Elias inuio itinere gradiens? Profectò ad speciem dilectior videatur Hebræus, vtpotè cui præbetur aquarum copia, & desertorum sterilitate abundantia: petra sequitur, vnda allicit, voluptas circumfluit; at Eliæ nec largus latex, nec delicatus cibus; imò dura sitis, longúmque ieiunium. Ergo hic non adeò dilectus, & ille teneriùs amatus. O quàm egregiè falleris! non censendus amor de itinere, sed de termino. Ecce Elias ventre arido, ore sicco, defatigato anhelitu Dei montem conscendit: *Vsque ad montem Dei Horeb;* at Hebræus deserto iacet, nec finem desideratum attingit. Quid aquarum iuuat deliciosa abundantia si promissionis negatur terra? Quid oberit Eliæ sitis, si quiescit amœno vertice voluptatis? Adest Tertullianus lib. aduers. Tertull. Psychic. cap. 6. *Minantem Iezabel fugiens post vnicum pabulum & potum, quem ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipse quadraginta diebus & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Choreb, vbi cum in spelunca diuertisset, quàm familiari congressu Dei exceptus est:* felix Elias, & tenerè à Deo dilectus: quia etsi per sitim, per famem, per labores plurimos montis verticem obtinuit, & colloquia texere cum Numine meruit; parum amatus Hebræus voluptatibus circumfusus, si desertorum montibus iacet despectus. O quàm superbiunt vanè, quibus copiosissima patrimonia, quibus pretiosa supellex, quibus lautissima mensa, & numerosa seruorum copia, si se dilectos ex his, quæ corpus circumstant, iniqui existimatores coniectant; crustatis bonis fidunt, non argumentis veris nituntur; è contra se despectum obliuionique traditum non iure putat, qui duros labores passus, si eis muniuit constantiam, & de vitiis obtinuit fortis victoriam: *Infelix est Fabricius,* scribit Senec. Seneca vbi suprà, *quod rus suum, quantum à republica vacauit, fodit? quòd bellum tam cum Pyrrho, quàm cum diuitiis gerit? quod ad focum cœnat illas ipsas radices & herbas, quas in agro triumphalis senex vulsit? Quid ergo? Felicior esset, si in ventrem suum longinqui littoris pisces, & peregrina aucupia congereret? si conchyliis superi, atque inferi maris pigritiam stomachi nauseantis erigeret?* Felicior fortunatiórque resplenduit Fabricius de constantia, quàm de fortuna; illum namque non traderet sæculis deprædicandum fortuna, nisi adornasset constantia: amor pensandus est de virtutum censu, non de diuitiarum, deliciarúmve cumulo.

Apostoli post sæuam illam tempestatem cœlis terrísque metuendam, qua Christus Dominus 178.
hostem deuincens occubuit, marinis fluctibus retia dabant: Dominus detriumphata iam morte littore stetit, vt vacillantes discipulos sua statione firmaret, & alloquio stabiliret: rogauit, an quid pulmentarium haberent: *Pueri, num-* Ioan. 21. v. 5. *quid pulmentarium habetis? responderunt ei: non.* Tunc in nauigij dexteram retia iactari imperat, adeóque copiosa piscium multitudo ad iubentis imperium confluxit, vt ex ipso pondere iam virtutem imperantis sentirent. *Iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Post hæc ad mensam inuitat magister: *Venite, prandete.* Quod expendens solito acumine Chrysologus serm. 78. aduertit hîc vocari pueros, cùm piscium affluunt copia, cùm lauta, saporatáque vtuntur mensa; cùm alibi non pueri vocentur; sed veluti strenuissimi milites lupis, ferísque deprælia turi mittantur. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Luc. 10. v. 3. Audi Chrysologum: *Non ergo vt fortissimos milites; sed pueros compellat, vt timidos, & quos idoneos necdum deprehendit ad prælium, vt teneros inuitat ad mensam, dicendo: Pueri* Chrysolog. *numquid habetis pulmentarium?* Putares magni apud Dominum haberi, cùm illis & diuitiarum largitur copiam, & lautam apponit mensam, non diligi, æstimarique minimi, cùm luporum obiicit dentibus, ferarúmque obiectat adsultibus; verùm Chrysologus æquior iudex, modò testatur ad mensam vocari vt pueros, alibi æstimari vt fortissimos: tunc verè amantur, cùm per duros labores, per enses, per tyrannorum cruces æternæ consectantur gloriæ, ac immortali dicantur famæ: piscium largiri copiam non tam magistrum probat tenerè diligentem, quàm pueritia discipulum laborantem. O quoties Deus largas suppeditauit diuitias! quoties pueris splédescentem præbuit fortunam? Profectò Apostoli, si alicubi honestè superbiendum, iure possent se lupis obiectos gloriari; non piscium copia ditescere. Nec solùm verum est hoc in temporalibus & caducis; sed etiam in spiritualibus & supernis. Sæpè blandiùs allicit in oratione Deus virtute tenerum, rigidiúsque tractat robustum. Alij lucem quodammodò ad speciem subtrahit, & variis anxietatibus agitari permittit, vt aliquando ingeminet: *Proiectus sum à facie oculorum tuorum:* alij placidissimum vultum, risu hilarem sæpè ostendit: quod sanè nec alterum debuisset nimis angere, nec alterum nimis extollere; imò dulcedine allectus se ignauum

vere-

vereri posset, & cum quo rigidius agitur, de se cogitare meliùs.

179. Adsint huius veritatis testes Thomas de resurrectione dubius, & Maria amoris vel demortui Domini flammis exæstuans: Dominus eximia claritate conspicuus apparet Apostolis: aberat tunc Thomas, cui reliqui nuncium felicissimum retulere; ille clauorum vulnera nimis curiosus scrutator requirit: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum; & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Iterum aduentat Dominus, & se tractandum discipulo præbet: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus; sed fidelis.* Vides Dominum humanitate diffluentem; vides Thomam approximantem: verte oculos in hoc ipso capite ad Magdalenam: in copiosas lachrymas, & longa suspiria effusa, meruit magistri præsentiam; cúmque anxia pedes inuolet deosculari, arcetur, nec magistrum attrectare permittitur: *Noli me tangere.* Vter horum eo temporis articulo acceptior? Thomam dices, vtpotè cui Dominus humanior, cuique se tractandum præbeat facilior; sed mallem profectò ego sicut Maria arceri, quàm vti Thomas vocari: blandus ille vultus, dum vulnera palpanda præbet, & discipuli infidelitatem sugillat: *noli esse incredulus*; at dum Mariam, ad speciem rigidior arcet, & eximium præconem veritatis constituit: *Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum*: tantillum impeditur accessus; sed vti fidelissimæ illi veritatis committitur nuncium, resurrectionísque testimonium: Thomas dum palpat, tantisper fidelitatem obscurat: Maria, vel dum prohibetur accedere, fidelitatem commendat: *Demonstrauit Thomæ*, inquit Augustinus apud D. Thomam, *non credenti nisi tangeret, & videret.* Felicior Maria, dum remouetur, quia constat nullatenus indigere tactu ad fidem; non adeò virtute tunc illustris Thomas, quia tactus denotat infidelem. Discant hinc tumorem deponere, qui vel in interioribus placidiùs blandiúsque tractantur, nec se infortunatos reputent, qui ad speciem rigidius & durius. Eximius amor coronam elaborat, ad ídque certamina parat. *Figunt eum clani*, scribit vbi suprà Seneca, *& quocumque fatigatum corpus reclinauit, vulneri incumbit, & in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina. Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriæ.* Quid verius?

Ioan. 20. v. 25.

Ioan. 20. v. 17.

August.

Senec.

---

§. XLII.

Tunc odium cumulatiùs completur, cùm nil contrarij viuere, aut spirare permittitur.

Vitium suas habet appendices & consequentias, vt etiam virtus: qui ergo hanc, aut illud perfectè diligit, contentus non est pro amoris ingenio horum alterum prosequi; alterum animitus abhorrere; sed etiam quidquid ad contrarium pertinet, non patitur respirare. *Moriantur ante te vitia*, aiebat Seneca epist. 27. *dimitte istas voluptates turbidas magno luendas.* Qui odium animitus indixit vitiis, non tantùm extenuat, sed prorsus extinguit, qui non euertit, sed extenuat, adhucodium non cumulauit: in vmbras, in imagines, in vestes sæuire consueuit furor, si insanus æstuantis iræ pectus adurat ardor. Nondum totam flammam explicuit ignis, cùm viuere permisit vicina, & virere patitur proxima: ingens incendium remotis etiam minatur, & in longinquum ardor extenditur. *Non diminutionem malorum in bono viro intelligo, sed vacationem: nulla debent esse, non parua*, aiebat Seneca epist. 86. *nam si vlla sint crescent, & interim impedient.* Dixit quòd virtutis incommodo verum longa probauit experientia, & præsens testatur historia. Filij Iuda muratas ciuitates gigantibúsque munitas bellico ardore subuertunt; verùm Iebusæum habitare permittunt: *Habitauit Iebusæus cum filijs Iuda in Ierusalem vsque in præsentē diem.* Nondum victoriam suam cumulatè exornarunt, dum quantumuis iam viribus fractos de hostibus inter sese nonnullos habitare permiserunt cupidi, aut reliquerunt ignaui. Ita Arias Montanus. *Propter hoc, inquam, quod minoris momenti fuerat, ipsorum magis, qui oppugnare debuerunt, socordiam, negligentiam, & oscitantiam, atque ineptam quandam desidémque lassitudinem fuisse credimus.* Putauerunt filij Iudæ parum interesse tot ciuitatibus iam euersis Iebusæum in mancipium viuere, & ministeria mancipiorum implere; illorum tamen obscurauit victorias, vel exiguas vitij permisisse reliquias: & quidem si implacabili odio in virtutis hostes inflammarentur, nil quantumuis euigoratum & detritum respirare permitterent, sed radicitus prorsus delerent: nam si alicuius rei perfecto odio præcordia exæstuent, nec nomen aures excipere, nec vestigia valent lumina contueri.

Vitia nulla debēt esse, non parua. Seneca.

Arias Mont.

Saul furore ardebat in Dauidem: libertatis reipublicæ oculis notabatur assertor, vt quitet salutis proditor: Regis ministri scrutabantur prærupta, montium examinabant latebras, vallium indagabant ima; & quia semel plausibus celebratus, diuturnis Dauid premebatur insultibus appetitus; non tamen adeò exasperat Saulis odium, vt Ionatham dimidiam Dauidis animam toruè aspiceret, aut palatio regio depelleret; verùm cum aliquando regias Dauid repudiasset mensæ delicias, vt captiosas effugeret etiam technas, Saul vltra modum stomachatus peccatum criminatur absentiæ: Ionathas satis modestè Dauidis causam tuetur, quòd sic Saulis animum ex se ardentem exasperauit, vt telo filium configere sit aggressus: *Arripuit Saul lanceam, vt percuteret eum, & intellexit Ionathas, quod definitum esset à patre suo, vt interficeret Dauid.* Ionathas hucúsque etsi suflammatum odio patrem viderit; placari posse arbitratus, in spes amici animum erigebat; modò verò odium implacabile puplicauit. *Intellexit Ionathas quòd definitum esset à patre, vt interficeret Dauid.* Et quid modò in hanc sententiam Ionatham impulerit, cùm toties patrem antea furentem conspexerit. Modò absentem damnat; sed & olim eiaculabatur hastam in præsentem: modò dehonestat; sed & antè denigrauerat. Cur ergo modò odium intellexit completum, & excidium definitum? O vide: anteà odio prosequebatur Dauidem, verùm amicum eius Ionatham secum degere permittebat; modò verò iam hastam contorquet, non tantùm in aduer- 181.

1. Reg. 20. v. 33.

sarium; sed etiam in aduersarij patronum; modò ergo odium probatur cumulatiùs completum: quia non solùm ardet in aduersarium; sed in aduersarij amicum. *Non retinuit iram Saul,* Ioseph. scribit Iosephus apud Glossam, *sed blasphemauit filium, natúmque de muliere vltro virum appetente, & hostem proprium dixit, & socium Dauid, & cooperatorem eius.* Non sustinuit cooperatorem, qui animitus odio prosequebatur Dauidem, nec in Dauidem compleuerat odium, quandiu eius sustinebat amicum. O exemplum de peruersitate ad virtutum castra transferendum! tunc te intellige perfectè vitium abhorrere, cùm patronos eiúsque agentes causam nec tecum habitare, nec respirare permiseris; at cùm leuiora maiorum quidem causas agentia, illísque aditum præuiis dispositionibus præparantia toruis non aspicis, sed impia humanitate permittis, nondum cumulatè aduersaris: nam Saul odium in Dauidem non complet, cum Ionatham non persequitur; sed cùm causam eius quantumuis modestè agentem etiam vulnerare connititur. Vtinam à peruersis mutuaremur exépla, vt sic sectaremur proficua. Mendacium periurij partes agit: leuis rapina maioris furti: oculorum pellacia, nimis exculta forma de proximo negotium curat luxuriæ. Qui ergo has leuiores culpas; maiorum tamen dispositiones ignauia permittit, vitium perfectè non odit.

182. Omnem malignitatem, versutiámque suam contractis spiris nondum explicauerat serpens Deum 12. Apocalypsis aggressus, bellum ciet in sapientiam, & quando non sapienti à versuto bellum: Fugit mulier, & ad thronum raptus est Apoc.12.v.7. puer: *Factum est prælium magnum in cælo.* Qui audaciæ insanientis armis prælium aggressus est, conculcatur pedibus serpens; anteà Lucifer coruscа luce resplendens; sed modò de abiectissima adreptatione maledictísque dignè sordens. Digna pœna, vt qui de Lucifero transire gestiuit in Solem, de luce transmigrauerit in serpentem. Hic ergo latebrosus coluber Adamum obscurissimis inuidi flatus nebulis infuscauit, asse- Gen.3.v.13. rente Eua: *Serpens decepit me, & comedi.* Et quæ causa homines aggrediendi serpenti? Profectò quia ad Dei imaginem, & similitudinem factus est homo: non omne odij virus euomuerat serpens, cum Deum ipsum throno regali detrudere insanissimis ausibus est aggressus; sed cùm eius imaginem extinguere, & infuscare molitus. Serpens Deum aggreditur, in homines 1.Petr.5.v.8. debacchatur leo, monente Petro: *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.* Et quidem leo serpente efferatior est, cur ergo in Deum audet facie personatus serpentis, in hominem verò adsumpta specie Leonis? Quia viuidiùs proditur odium, cùm non solùm furit in ipsum inimicum; sed etiam in simulacrum: tunc odij obscura flamma perfectè explicata est, cùm non tantùm Deum ipsum detrudere; sed eius imaginem gestiuerit tumulare. Homo Dei imago: Si ergo odium imaginem sustineret, non adeò crudeliter deseuiret. Tunc immaniùs efferatum est, cùm hominem, quia Dei aliquid, animitus ardet delere, & penitus machinatur Basil. Seleuc. extinguere. *Ridebat Diabolus*, inquit Basilius orat. 3. *cum dedecore Dei conspurcasset imaginem:* tunc risit cùm ad imaginem inimicitias extendit. *Quia semel admissus* (verba sunt Ruperti lib. 3. in Genes. cap. 3.) *deinceps crudeliter &* Rupert. *furiosè super genus humanum tyrannizauit, leo dictus est, vtrumque habens malignitatis & sæuitiæ nomen iuxta Psalmistam dicentem: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem:* Leo dilacerauit imaginem; serpens prototypum aggrediabatur: tunc namque peruersitatis odium cumulauit, cum nec aduersarij liuidis potuit oculis aspicere simulacrum, nec memoriæ eius extare passus est monumentum. Disce à peruersitatis odio in virtutes, odium pro virtute aduersus peruersitatem. Si vitij voluptatísque imagines adhærere tibi permittas, nondum perfectò deflagras odio, sed parum ab amicitia distanti vitium auersaris studio. De dracone aiebat Plinius lib. 10. natur. histor. cap. 4. acerrimas cum aquila pectore inimicitias fouere, ob idque ouis eius malefica auiditate insidiari: *Acrior est cum dracone pugna: oua* Plinius. *hic consectatur aquila auiditate malefica.* Vel semina, & quidquid postea in aquilam potest aliquomodo pullulare, auidissimè serpens molitur semper delere. Ob id fortassis monebat Christus discipulos: *Estote prudentes sicut serpentes*, vt Matth. 10. v.16 à serpente discerent vitia insectari: vt enim serpens non solùm in aquilam dentes exacuit; sed etiam ne pullulare possit vitiato semine gestit, ita qui pro virtute decertat, non solùm grauia depellere, sed omne illud, ex quo pullulare possint, auidè conatur destruere: vitium non odit, qui vitij occasiones, & in leuioribus semina non solùm non molitur extinguere; sed satagit cupiditati indulgens sæpissimè confouere. Adde non solùm veram imaginem odium prototypi non sustinere; sed nec imaginis vmbram præcordiis æstuantibus tolerare.

Adest Ioseph huius veritatis testis. Somnium 183. vidit certum futuri præsagium; sed apud fratres, vt tunc rebantur, euanidum sanè somnium; eo tamen odio fraterna adurebantur præcordia, vt nec sustinere potuerint somniorum ad speciem figmenta. *Ecce*, adhortantur se mutuò, *somniator venit, venite occidamus eum.* Dignitatis som- Genes.37. v.20. niator habetur ad ludibrium, rex creditur ad tormentum. Quid imprudentius, quàm scire somniatum regem, & in regnum furere, quia somniatum? Profectò si phantasiæ delirantis penicillis corona solùm depicta; cur cædis decernatur immanissima pœna? Somnium erit volucribus adeò alis euolans, vt nec impressum sæpè sæpiùs reliquerit memoria vestigium. Ergo fraternus furor euanidum non extendatur ad somnium: imò ni ad somnium, inquit Basilius Seleuciensis orat. 8. odium extenderetur, integrum plenè minimè probabatur: si vel vmbratilem regni imaginem sustinere despicerent, in fratrem non acri adeò indignatione æstuarent; verùm dum nec spectrum regni audire, aut inspectare patiuntur, odio perfectissimo iam vrgentur. *Fratres inuidentia percussi turgebant*, Basi- Basil. lium Seleuciensem audis, *neque notam ex insomnijs pueri felicitatem sustinebant; sed & vsque ad somnia inuidia stimulum extendentes accepta occasione necem meditantur.* Vel somniorum meditantur necem, quia insanissimo turgétes odio, nec sustinere poterant somnia, nec leuia adhuc felicitatis vestigia. Hîc equidem plenissimè cumulatur inuidia, vt hinc virtus mutuetur exempla. Profectò iusti nec deliciosa somnia patiuntur; imò meus Xauerius sic animi puritati inseruiebat

seruiebat addictus, vt impurum somnium extinxerit decoris purissimi sanguinis maculis vel inter dormiendum aspersus: sic amabat puritatis candorem, vt nec turpitudinis sustinere posset imaginem. Perpendit loco citato Basilius fratres non solùm à fratre pœnas exegisse; sed disruptam, laceratámque eius vestem hœdi sanguine maculasse: in vestem, quia Iosephi, insaniunt, & auidis manibus insanientes disrumpunt: *Tulerunt tunicam eius, & in sanguine* Genes. 37. v. 31.
hœdi, quem occiderant, tinxerunt. Cupiditas suasit turpissimum nundinationis lucrum; verùm ne, dum viuere Iosephum vestis nunciaret, vitæ eius recordarentur, alieno sanguine mortem mentiuntur. Vestis non somniauerat; verùm quia somniatoris vestis, pœnas exoluit, & vnguibus dilacerata indumenti formam amisit: *Imo*, (inquit ingeniosus Doctor) *in speciem cadis vestem compositam, quasi sine sanguine inuidentiam nequeant extinguere, patris offerunt manibus, morte mentita.* Sibi imponunt, odióque adulantes mentiuntur excidium, & quia Iosephi, rabidis discerpunt dentibus indumentum. Tunc te cumulatè odisse vitium agnoueris, cùm eius nec somnium nec vestigia memoriæ aut oculis obiectari permiseris.

---

§. XLIII.

Nullus adeò corusco virtutum iubare elucet, vt nulla culparum vnquam obscuritate caliget.

184. VT strenuus athleta, quantumuis cum imbecilliore contendat, & altissimas plagas incutiat, aliquod etiam vulnus non semel accepit, dúmque coronatur victoriæ gloria, dolere solet inflicta vulneris plaga, sic, qui res corporis virtutum robore proculcauit, aliquam à vitiis plagam non semel accepit: nulli datur nullis expensis triumphare, nulli inoffensè prorsus deuincere; aliquid semper restat, aut quod debeat attolli, aut quod oporteat deprimi. Sæpè compositi mores tentaminum procella turbantur; & qui ascendit Paulus empyreum, pati compellitur carnis æstum. Nihil ita perfectum natura genuit, quod solicita perficere nequeat industria, aut solers non debeat perpolire diligentia: lux nescio quibus tenebrarum caliginibus deturpatur; imò Sol ipse offusis nebulis premitur. Cælum productum est: terra omnipotentia obstetricante prodiuit in lucem; vtrúmque tamen auctor ad nostram eruditionem paulatim gratiorem in ornatum digessit, & digestum elegantiùs composuit. Audi Tertullianum lib. de Tertull. baptismo cap. 3. *Tenebræ tota adhuc sine cultu syderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cælum rude.* Tellus vernantibus micuit postea floribus exornata; sed de origine sanè obscura: cælum luminibus pictum; sed aliquando etiam tenebris deturpatum. Purpurea scintillat rosa; sed de proximo horrida laceratur spina: nihil præter Deum adeò perfectum est, vt scobina, aut runcina non indigeat. *Quod* Tertull. *Corpora Deorum in cruce conformabatur.*
simulacrum, aiebat Tertullianus in Apologetico cap. 12. *non prius argilla deformat? cruci, & stipiti superstructa, in patibulo primùm corpus Dei vestri dedicatur. In Deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciæ, & runcinæ, & scobinæ:* Vel ipsos, quos fabulosa antiquitas sacrabat Deos, artificis poliebat labor, & excolebat laboris sudor: nullus est, qui omnia virtutis fuerit dimensus spatia, quia omnibus latissima restat prouincia. Ecce Hebræi opimis ditescunt triumphis, & hostilibus splendent redimiti trophæis, aliquid tamen semper restat, quod citet ad pugnam, & ciuerit ad palæstram: *Iebusæum habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere. Habitauitque Iebusæus cum filijs Iuda vsque ad præsentem diem.* Inter excelsas populi virtutes Chananæus, aut Iebusæus immixtus viuit, & triumphatorum gloria de consortio Chananæorum tantisper sordescit. *Quædam minima vitia nostra retinentur*, aiebat Gregorius lib. 4. moral. cap. 12. *vt sese nostra intentio solicitam in certamine semper exerceat.* Semper remanet hostis, cum quo decertare oporteat, quique nos omnimodo resplendere non sinat: aut enim auaritia premit, aut ambitio solicitat, aut effrænis adurit luxuria, aut cupiditas torquet auara. Gregor.

Producamus in campum athletam celeberrimum: cùm patriam Iacobus repeteret, ad stadium noctis prouocatur silentio, & cum fortissimo brachia conserit aduersario: adeò desudauit strenuè, vt victoriam spontaneam profectò concesserit aduersarius, vt de collutatoris robore (erat námque Deus) illustrior fulgeret triumphus. Benedictionem in spoliis numerat; sed dum gloriosè incedit triumphator, claudus sibi inflictum testatur vulnus: *Ipse claudicabat pede.* Aliquid fuit in victoria adeò celebri, quod lachrymas triumphatori extraheret: fleuit námque Osea teste cap. 12. quo deflens triumphauerit, & triumphans defleuerit: aliquod fuit in illa victoria deuicto solatium, & aliquod irrepsit victori probrum: eodem tempore erat benedictus, & claudus, & dum fortitudinem iactant brachia, contraxere torporem femora: tetigit námque athleta neruum femoris eius, & statim emarcuit. Opportunè Isidorus in quæst. in Genes. cap. 28. *Tetigit porrò ille idem Angelus latitudinem femoris, & claudum reddidit, sicque erat vnus, & idem Iacob, & benedictus, & claudus.* Vicit, sed tantisper claudicauit: glorioso redimitus lucebat triumpho; sed claudicationis sordebat vitio: nullum in hac vita inuenies, qui quantumuis Israëlis nomen accipiat (ait námque illi Deus: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*) luctatoris vocabulum non retineat: *vocauitque Iacob*, inquit, *nomen loci illius Phanuel:* victor, & præliator: Israël quia vicit; Iacob, quia adhuc pugnare debet: nunquam adeò absoluta est victoria, vt nulla manserit pugna; aut inflatio obscurat, aut ipsa victoria inflammat, aut denique cum ipso triumpho est certandum, quia de triumpho non superbiendum. 185. Genes. 32. v. 31. Isidor.

Iob imprecationis specie quid rutilis syderibus accidat eleganti mysterij penicillo depingit: *Obtenebrentur*, inquit, *stellæ caligine eius:* noctis scilicet illius profundissimæ sic horridis diuitis tenebris, vt caligine resperserit sydera, & obscurauerit astra. Ecce stellæ grato scintillant noctibus lumine, sed de noctis confinio quadamtenus tetra resperguntur obscuritate: lux dum tenebris admiscetur, ipsis tenebris deturpatur: sydus luminis radiis noctem vulnerat; sed sordescit, dum ad certamen approxi- 186. Iob. 3. v. 9.

mat. Nulla adeò splendidè stellarum noctibus luxerit, quæ aliqualem horrorem caliginis non contraxerit. Adest Gregorius Magnus lib. 4. moralium cap. 22. (Gregor.) *Ad hanc vitam cum mortis nostræ merito venimus, & cum ad superna lucis radium aciem mentis erigimus, ipsa infirmitatis nostræ obscuritate caligamus. Et quidem multi in hac infirmitate carnis tanta virtute roborati sunt, vt resplendere mundo quasi stella potuissent. Multi in tenebris vitæ præsentis, dum superiora de se exempla exhibent, astrorum more nobis desuper lucent; sed quantalibet coruscatione operis fulgeant, quantolibet se igne compunctionis accendant, nimirum constat, quia dum corruptibili adhuc carne grauati sunt, æternum lumen sicut est, videre nequaquam possunt.* Splendidissimè virtutum radiis Ecclesiæ olympo lucent stellæ, verùm quia peccati noctem in primo parente contraxerunt, nunquam non aliquarum culparum tenebris deturpantur, & errorum obscuritatibus asperguntur. Ergo huius noctis caligine obtenebrantur stellæ, nec vnquam stellæ sine caligine: vel in viris perfectissimis aliquando deprehendes erratum, quia ad omnes præter Mariam transiuit erroris delictum. Cæcus est, qui adeò se absolutum, perfectúmque gloriatur Numinis simulacrum, vt nullum desideret polimentum. Multa sunt, quæ scobina debeant extenuari, multa, quæ ascia tolli, multa quæ industria artificis deprimi. Hoc etiam viris perfectis esse debet solatio, si aliquibus se deturpatos agnouerint vitiis: nam dum carnis se denudare nequeunt naturà, nequeunt etiam aliqualem non admittere offensam: quæ licèt semper nostro admittatur arbitrio; nullus excusat nisi diuini Numinis priuilegio: semper aliquis remanet Iebusæus, cuius vitæ patrocinatur ignauia, & cuius saluti ipsa victrix auxiliatur natura.

187. Nabuchod statuam elationis penicillo depingit phantasiæ linteo, cuius hæc erat species: capite micabat aurum, pectore resplendebat argentum, politum æs membris aliis elucebat, & tersum ferrum radiabat, verùm inter adeò splendescentia metalla nonnihil luti offendebat oculos intuentium: *Statua illa*, inquit Daniel, (Dan.2.v.31.) *magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis. Huius statuæ caput ex auro optimo erat; pectus autem & brachia de argento; porrò venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ: pedum autem quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* Perfectissimum nitebatur simulacrum depingere; nec tamen à luti voluit sordibus liberare: aliqua pars, licèt exigua, fuit fictilis, & de pedum obscuritate auri argentique splendor aliquomodo deturpatus sordebat, qui de suo intuentium oculos iucundissimè prolectabat, aliquid habuit in tanto auri metallorúmque decore, quod intuentium offendisset aspectum, arcuerit visum: totam postea ex auro constituit statuam, quam vti Deum inaugurari cæca temeritate est aggressus, aliquam tamen criminis excusationem habuit ad speciem de omnimoda perfectione. Deum velanus credere compulit, quam nullo defectu statuam splendescere vidit: nil adeò pulchrum in humanis est, quòd aliquis non fœdauerit næuus, aut obscurarit reatus. Audi Gregorium lib. 4. moralium cap. 22. (Gregor.) *Etiam illi in contemplatione sua antiquæ noctis adhuc tenebras sentiant, de quibus nimirum constat, quod humano generi in huius vitæ caligine virtutum suarum iam radios expandant.* Attentiùs audi, quæ subdit: *Quia & si mente iam ad summa exiliunt, adhuc tamen in infimis primæ culpæ pondere grauantur.* Lutum auri splendorem grauauit, & qui mentis celsitudine magnus, de pedum luto quodammodo obscurus: sic debilis testa valido robori ferri immixta, vt pes idem & de ferro validus, & de luto quodammodò infirmus. Nullum inuenies, qui omnimoda vitiorum coronetur victoria: sæpè namque dum gloriosè vincit, de ipsa victoria elatus aut nutat aut cadit. Suæ vmbræ sequuntur Solem, suæ tenebræ Lunæ: nihil inuenies, cui aliquid & detrahere nō valeas, & adiicere nequeas.

Ecce Moyses Deus Pharaonis constitutus, di- 188.
uinitate etsi mutuatitia resplendet: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* (Exod.7.v.1.) Deus constitutus linguam se tardiloquam pati confessus est: *Impeditioris & tardioris linguæ sum.* (Exod.4 v.10.) Diuinitate fulget; sed verbum, vt decebat, non prodit: non quam debuit, sortiebatur prolationis mensuram sermo: deficiebat illi opportuna celeritas, quia importuna linguæ grauabat tarditas. Domini proferebat eloquia, apprehensáque pastoritia virga imperabat elementis; sed obscurabatur loquela vitiis, Deus erat titulo, & quidem titulus virtutum illi dabatur merito; sed dum humanâ se naturâ non exuit, non potuit non aliquantulo grauari delicto. Sitienti populo petram eximio crystallinos prodigio vertit in latices; sed verbis offendit, & offensæ pœnam tulit. Difficile sanè fuit longam adeò viam ex Ægypto scilicet vsque ad promissionis terram per confusos maris vortices, pérque inuios desertorum circuitus sic inoffensè excurrisse, vt nec manum contra iustitiam mouerit, nec verbum contra rationem protulerit. Deus est Moyses, reliquos contribules longè virtutum censibus superans; Deo coniunctissimus sermones miscuit; verùm aliquando luteam originem verbo retulit, séque humanum facto monstrauit. Dextera vndarum rapiditatem stitit, præcipitem maris impetum refrænauit, aquam è silice præbuit; sed quæ tot miraculis redimita, culpis etiam etsi leuibus defœdata, tarda lingua Deitatem mutuatitiam ostendit, manúsque audacia hominem declarauit. Adest Rupertus lib. 1. in Numer. cap. 7. (Rupert.) *Non sic loqui consueuerat, verbi gratia, cum mare diuideret; imò cum tam multis plagis Ægyptum verberaret... hic exacerbatus eius spiritus penè fidem perdidit, & ita distinxit labiis suis, vnde & sententiam protinus accepit.* Labiis distinxit, quando minimè erat distinxisse necessum: tardiloquus obmutuit, quando distinguere oportuit: exacerbatus est spiritus, & qui diuinitatis priuilegio splendebat, linguæ impedimento, & manus sordescebat delicto. Vt noueris nullum adeò in hac vita illuxisse perfectum, vt aliquantula culpa non illum reddat quantumuis leuiter obscuratum.

---

§. XLIV.

Qui alijs necessitatis tempore impendit suffragium, cum sibi fuerit opus, inueniet opportunum etiam auxilium.

Fortuna illa cæca orbitam semper agitans 189.
& circumducens, quam adorabant antiqui, merum

inetum figmentum est: id verum, rerum scilicet vices alternis modulationibus variare, ac ferè nunquam eodem statu consistere. *Diuersitatis discordium vices fœderant*, aiebat Tertullianus lib. de pallio cap. 2. *ita mutando erit mundus omnis, qui & diuersitatibus corporatus, & vicibus temperatus. Sol stationibus annuis, Luna modulationibus menstruis variat, syderum distincta confusio interdum deijcit quid, interdum resuscitat, cœli ambitus nunc sub diuo splendidus, nunc sub nubilo sordidus.* Nulla nisi æterna his inueniuntur varietatibus libera, & mutationibus non obnoxia. Sol toto iubare splendidus aliquando inter anxios occasus labores obtenebrescit, Luna iam auratis cornibus pulchra, iam luminis splendore viduata. Hinc prudentes nunquam fortunæ fidunt, sed contra varios ac multiplices casus inuicto virtutis clypeo obarmantur. Benefaciendum est, dum potueris, vt auxiliares manus opportuno tẽpore inuenias: *Mitte panem tuum*, aiebat sapiens ille, *super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum.* Amissus videbatur panis aquis transeuntibus impensus; sed ipsis aquis antiquo Domino redditur fœcundatus. Lazarus sibi compatientem haberet diues, si deciduas micas præbuisset: qui olim vlceribus plenus, modò Abrahæ sinu felicitatis luminibus fulget ornatus, & flammis tegitur vstus, qui felicitatibus olim diues exundabat cæteris inuidiosus: sic alternantur vices fortunæ, sic variant volubilis facies rotæ. Epicurus parandum aiebat amicum, vt necessitatis tempore beneficiis obstrictus assideret, *vt habeat qui sibi ægroto assideat, succurrat in vincula coniecto vel inopi.* Hanc amicitiam negotiationem existimat Seneca, solummodóque testatur excolendam, vt amicus amico ægrotanti assideat, non vt sibi ægroto assessurum sperauit amicum. *Vt habeat*, inquit Seneca epist. 9. *aliquem, cui ipse ægro assideat, quem ipse circumuentum hostili custodia liberet.* Non examino amicitiæ leges, profero tamen sæpissimè sibi inuenire auxilium, qui inopia pressis contulerat olim suffragium. Hebræorum populus hostes multiplices habuit, vt opimis potiretur triumphis, & gloriosis diuitaretur trophæis: primo sæpè congressu inimicorum euertebat phalangas munitissimis locis tectas, quin locorum fraudes prodessent, aut iugo seruitutis eximerent; Iebusæum tamen nec delere potuit, nec Ierusalem expellere valuit; *Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere.* Interpretes rogant, cur Iebusæos expugnare nequiuerint, qui in gigantes robustissimis viribus obarmatos valuerint. Rabbi Salomon Iebusæos istos à Rege illo Abimelecho Geraræ dominato traxisse originem attestatur: cúmque ille Abrahamo olim peregrinanti Regiis collatis muneribus benefecerit, fœdúsque cum iusto iniuerit, eas de præstita beneficentia vires posteritati transmisit, vt illæsa hostiles inter adsultus permanserit, nec depelli antiquis de nidulis potuerit: *Tulit Abimelech oues & boues & seruos & ancillas, & dedit Abraham.* Peregrino, hospitíque benefaciens sic posteros communiuit, vt contra fortunæ vultus firmauit. Audi Abulens. quæst. 11. *Rabbi Salomon dicit quod isti Iebusæi, qui erant in Ierusalem, non erant de Iebusæis, sed quidam de stirpe Regis Abimelech, qui regnauit in Geraris, cum hoc iniit fœdus Abraham.* Diuinum sibi contra hostiles adsultus inuenit suffragium, qui hospiti, peregrinóque contulerat beneficium. Habuit Iebusæus auxiliarem cœlestem manum, quia peregrino auxiliatus, & de hospite benemeritus.

[Margin: Tertull. — Eccl. 11. v. 1. — Epicurus. — Senec. — Gen. 20. v. 14. — Abulens.]

190. Petrus templum oraturus inscendit, vidit claudum ad speciosam templi ianuam proiectum, alienæque miseriæ compatiens gradum stitit, & cui nouerca fuerat natura, fuit mater misericordia. *In nomine*, inquit, *Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* Pro obolo pedes procudit, & pro temporario pane naturæ supplementum largitus est: nec tantùm imperio sanitatem exhibuit; sed iacentem dexteram porrigens alleuauit: *Apprehensa manu eius dextera alleuauit eum.* Vides Petrum virtute valentem misero porrecta dextera opitulantem. Verte modò oculos ad ipsum Petrum: mare tumidum magistro propinquaturus calcabat, cùm acriùs adspirantis venti agitatus flatibus naufragatur. Iam mergi cœperat, & quia fidei fecerat anteà naufragium, vitæ etiam sustinebat periculum: est namque sæpissimè vita virtutum appendix, vt peccati consequentia discrimen. Quid tunc? Timore obturbatus clamat: *Timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac.* En Petrum auxilij cœlestis mendicum, & penè naufragum: in hoc tamen adeò arcto rerum articulo constitutus manum auxiliarem inuenit: nam extendens magister dexteram penè vorticibus absorptum extraxit: *Continuò Iesus extendens manum apprehendit eum.* O quàm sibi consonuere mysteria! Petrus aliquando naufragus propitiam dexteram adinuenit, quia aliquando potens clamanti dexteram præstiterat auxiliarem: non poterat non inuenire angusto tempore misericordiam, qui exhibuerat calamitoso munificentiam. *Emisit vocem*, inquit Basilius orat. 21. *immisit tangendi vim, & liberationem à malo imitatione quadam expressit.* Expende illud: *Imitatione quadam.* Quasi Petrus hoc facto imitatus fuerit magistri dexteram, aut magistri dextera imitata sit Petri manum: sibi dexteræ consonuerunt; naufragus inuenit dextera porrecta portum, quia porrigens dexteram misero præbuerat auxilium. Ergo miseris opem ferto, vt diuinam opem tempore experiaris angusto. Iebusæus non potest depelli, quia Iebusæorum parens passus est ditione sua Abrahamum peregrinari.

[Margin: Actor. 3. v. 7. — Matth. 14. v. 30. — Basil.]

191. Elias Sareptam contendit, & ciuitatis aditu viduam reperit ligna colligentem: panis bucellam precatur, illa farinæ pugillum cum Domini propheta partitur: *Mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, & affer ad me. Fecit mulier iuxta verbum Eliæ*: non multò post florentis ætatis filium immatura mortis falx non sine dolore matris vindemiat: illa ad prophetam clamat: Elias se supra puerum expandit, vitámque refundit: *Expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus.* Lyra eo magno affectu vitam ait pueri desiderasse, vt si fieri posset, suam incunctanter diuideret: *Hoc fecit ex magno affectu ad suscitationem pueri per hoc ostendens quod vellet sibi dare partem vitæ suæ, si posset fieri.* Habuit vidua, qui vitam demortuo partiretur cum filio, quia farinulam cum propheta partita fuerat famelico. Si necessitatis tempore superbè abiecisset prophetam, ægritudinis tempestate pateretur filij sepul

[Margin: 3. Reg. 17. v. 13. — Lyra.]

sepulturam: habuit verò tempore necessitatis solatium, quia famis tempore pauperi impertita fuerat remedium. O quàm sibi prouidit de ipsa Prophetæ commoditate! O quàm doleret ni Prophetæ vtilitatibus prouidisset! Parauit, qui subueniret filio demortuo, quique opponeretur sepulchro. Certè quibus solamur alios, nobis thesaurizamus ad vitam, & quæ alienis incolumitatis sunt instrumenta, opportuna nobis indigentibus reseruantur auxilia. Cùm sub litteræ cortice mysteriorum contineatur in Scriptura medulla, operæ pretium erit expendere cur Dauidi arcus salutis fuerit auxilium.

192. Fraudulentus, quod dedecebat regem, Kalendarum occasione conuiuium instruit Saül, David cautus se subducere parat conuiuio, & Ionathas latitanti quidquid ex patris animo verbisque coniecerit, se promittit apertè renunciaturum: *Sedebis iuxta lapidem, cui nomen est Hezel, & ego tres sagittas mittam iuxta eum, & iaciam quasi exercens me ad signum... Si dixero puero: ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas, tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil mali, viuit Dominus; si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittæ vltra te sunt, vade in pace, quia dimisit te Dominus.* Ecce lapis Dauidi præbet auxilium, & de arcu prodidit nuncium; & cur arcus euadendi est instrumentum, & petra ad latitandum profugium? In memoriam reuoca quibus Dauid Regis saluti, & populi incolumitati prouiderit. Lapide procerum illum superbiæ monstrum prostrauit, chordarum melodia impuratū à Saülis pectore dæmonium abegit: Ergo in lapide contra timorem inuenit auxilium, qui lapide populo attulerat timoris remedium: arcus chorda ipsi fuit instrumentum salutis, quia citharæ chorda alienæ extiterat sospitatis. Tensam chordam pulsans, manúque retractans, dæmonis contra Saulem depellebat insidias: chorda ergo arcu extensa Saulis contra Dauidem captiosas prænunciat technas: de chorda nuncium, quia de chorda remedium: lapis medicatur timori, quia lapide David populari consuluit metui: eadem habuit ad salutem instrumenta, quæ alienæ salutis olim exhibuerat auxilia. Audi Basilium Seleuciens. orat. 15. *Rege Saule furore percito, & mente alienato, David Lyram, qua medicinam faceret, retractabat cantione vice medicaminis malum leniens.* Metu Regem liberat, ac priusquam seruitij iugum contribules experirentur, repulit. Quo instrumento? inquis: lapide fundâ iactato. *Misso lapide*, inquit Basilius orat. illa 15. *galea rumpebatur, plagam caput admittebat, & anima de corpore fugiebat.* Lapide populi salutem asciuit, metum depulit: lapis ergo ipsius medicatur metum, dum securum præbet profugium. Fors Dauid non haberet arcum monentem, nec lapidem laberet tutantem, ni lapide, & chordis alienæ subuenisset saluti, & mederetur timori. Ea pro te inuenies, quæ aliis misericors, & liberalis contuleris. Ne doleas sine solatio; aduersam proximi fortunam opportuno tempera auxilio. Esto plures sint ingrati, esto odio argumentum nihil debentium quærant, Deum fideiussorem, eiúsque verbum habes oppigneratum, ille ergo, quantumuis beneficiarij humanitati se denegent, opportunus, & liberalis persoluet. Exemplum sit Daniel, & eius socij.

1. Reg. 20.

Basil. Seleuc.

193. Cùm sæua illa Nabuchod. tyrannis in sapientes debaccharetur, & quia reuocare somnium non possent, truci morte perire compelleret, Daniel, eiúsque socij insanam stiterunt vindictam, & cœlitus interpretationem retulerunt acceptam. *Sapientes*, inquit, *Babylonis ne perdas, introduc me in conspectu Regis, & solutionem regi narrabo.* O quantum interest populorum vel vnius iusti sapientia! feruentis riuulus sanguinis cohibetur, mucronis acies vibrata retunditur, mulcta liberantur innocui, & ieiuniorum orationúmque suffragio vel insano Regis desiderio medentur iusti. Ecce Daniel metu satrapas liberat, inuolantem falcem retardat, & iam mortis ditioni traditos vita Babylonis sapientes donat. Non multò pòst captiosas Danieli sapientes ipsi tetenderunt insidias, vtque vrgentissimo liuori adulētur beneficiorum obliuiscuntur, sæuientibus feris Daniel traditur deuorandus, qui omni studio erat regibus custodiendus: instigatores pessimi regis peruertere consilium, & in Regem ipsum eius detorsere decretum: feris Daniel traditur; sed inuolat Angelus, qui rabidos Leonum rictus iniectis vinculis arceat, vnguésque sanguinem sitientes impediat: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Habuit Daniel, qui rugientes inhiantésque impediret Leones, quia à morte liberarat sapientes. Misericordiæ fructus misericors vindemiauit, dúmque exacutos prohibuit sæuitiæ enses; exacutos etiam leonum sibi remoratus est vngues. Inuenit necessitatis tempore opportunum subsidium, qui præsentissimum aliorum neci perstiterat olim remedium. *Hæc misericordia prophetam decet*, aiebat Theodoretus orat. 1. *nec enim tulit solus cum amicis ab iniusta cæde liberari; sed etiam Chaldæis incolumitatem molitur.* Propitiam sibi elaborauit misericordiam, quia aliis humanissimus impendit pietatem. Sapientes ingratitudinis extiterunt emblema; sed qui Deum sibi debitorem de misericordia constrinxit, de misericordia etiam sibi auxiliantem inuenit. Sæuientium retardati sunt leonum rictus, quia desæuientis temeritatis; ne sapientes deleret, retardatus est etiam ausus. Disce hinc pietati inseruire, & Deum tibi debitorem habere.

Dan. 2. v. 24.

Dan. 6. v. 22.

Theodor.

§. XLV.

Leuius est alijs pietate compatientibus dolorem grauissimum sustinere, quàm cum maleuolentia inuidiáque æstuantibus cohabitare.

Acris dolorum æstus aliena commiseratione lenitur, & quadamtenus demulcetur, alienæ lachrymæ medela doloris sunt, & amoris indicium doloris sopit tormentum. Illud profectò cunctis videtur non sustinendum, cum eis scilicet degere, quibus cordi est hominem deglutire, & secum degentem maligno dente vorare. Ægrius profectò morte tormentum est inter odientes viuere, & cum maleuolis conuersari. Dæmon ille peruersus, qui humanum sanguinem ardenter sitiebat, hominem inhabitans non extinxit; sed sepulchris compulit habitare: *Domicilium habebat in monumentis.* En sæuissimam nocendi industriam: non extinguere, 194.

Mar. 5. v. 3.

Basil. Seleuc. guere, sed cum sæuis adeò hostibus dæmonibus scilicet cohabitare, compellere. *Grauiorem morte vitam sustentare velut iudicio dato iubebatur*, inquit Basilius Seleuciensis orat. 23. Mors doloris esset remedium, dum separat habitaculum; at cum trucissimo hoste eodem habitaculo degere, & cum maleuolo viuere doloris erat exaggeratio, infelicitatis cumulus, miseriæ fastus: *grauiorem morte vitam sustentare velut iudicio dato iubebatur*: nulla sæuior fulminari posset sententia, quàm ad sustentandam vitam inter maleuolos cogi, & ad cohabitandum inter sanguinem inhiantes compelli. Hebræi, dum aduersarios subigunt, antiquis nidis exulare cogunt; Iebusæus autem solum non vertit, sed inter aduersarios viuit. *Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere: habitauitque Iebusæus cum filijs Iuda in Ierusalem vsque in præsentem diem.* Nescias an inde non pelli Iebusæorum fuerit commodum, an acrius fuerit tormentum: inter eos namque habitant, de quorum constat inimicitia, & quorum in Iebusæos armatur semper potentia. O quot Iebusæis opus erat dura pati supercilia, & aspera audire verba! illorum sanguinem sitiunt cohabitatores, & continuas, etsi iustè, illis moliuntur insidias, & indignationis ostentant flammas; ad hoc ergo tormentum cogi, longè acerbius erat, quàm aliquando perire. Mutuemur à Basilio præfata verba: *Grauiorem morte vitam sustentare velut iudicio dato iubebantur.* Seuerum sanè iudicium, quod non mortem sustinere; sed inter hostes male animatos Iebusæum compulit habitare.

195. Ionas nauim contra Numinis edictum Tharsum petiturus inscendit; verùm immortalis sapientia, quæ sapientes astutia sua nouit punire, mari tradit profugum, vt tempestatis procella iussis parere doceat punitum: fluctus tumescunt, feruent spumæ, gemit retusa carina, horrendum sibilant funes, proretæ ante naufragium naufragatur prudentia: Ionas denique, quem sæua illa solum deposcebat tempestas,

Ion. 1. v. 12. naufragium vt aliis consulat, precatur sibi: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis.* Nauigantes remigabant, vt reuerterentur ad aridam, nec labori parcebant, vt prophetæ saluti consulerent. *Remigabant viri, vt reuerterentur ad aridam.* Pietatis sanè certamen erat: propheta vndis tradi postulat, quo nauigantium pericula auertat: nauigantes deprælianturventorum flatibus, quo Ionas naufragium eludat. O quàm est calamitas virtutum schola! O quàm est pietatis mortis periculum officina! In cassum laborabatur, túncque clamantes ac ingementes tumidis prophetam tradunt vorticibus, pulsum hiante ore marina bellua prophetam excepit, ad obscurúmque pectoris carcerem ferinis transtu-

Ion. 2. v. 1. lit rictibus deuoratum: *Præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam, & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus.* Veronensis Zeno inquirit vbi Ionas miserabilior? an iratis fluctibus traditus, an piscis pectore deglutitus? putátque miserabilius sepultum, quàm iratis aquarum voluminibus

Zeno. amandatum. *Ceto inhiante*, inquit serm. de timore, *miserabilius sepelitur quàm præcipitatur, & tamen littus, quo tendebat, inuenit, antequam videat.* Profectò sibimet Zeno videtur contrarius: nam si ceto sepultus viuit, de vita inaurabit pœnam, déque salute ostendet feliciorem custodiam, præcipitatus naufragio traditur, sepultus littore exponitur: ergo feliciùs quàm præcipitatur, sepelitur, & miserabiliùs, quàm sepelitur, præcipitatur. Perpende profundum Zenonis ingenium. E nauigio marinos quidem transfertur ad fluctus; sed gementibus sociis; sed commiserantibus; sed lugentibus: sepultus seruatur; sed inhians cætus deglutire contendit: licet ergo in cæto viuat, cum cæto deglutiri exambienti degit: miserabilius ergo sepelitur, quàm præcipitatur: quia non adeò graue est naufragium subire, vbi pietatis commiseratio ingemit, quàm viuere, vbi ferina rabies deglutire, & deuorare semper exambit: *Ceto inhiante miserabilius sepelitur*: quia hîc rabies desæuit, & commiseratio ibi floret.

Tertullianus lib. de patientia cap. 3. cum ipso domino conferens Dominum, non tam mira ait patientiæ edidisse documenta crucem sustinendo, quàm cum Iuda cohabitando: *Ingratos curauit*, inquit, *insidiatoribus cessit: parum hoc, si non etiam proditorem suum secum habuerit, nec constanter denotauit... Taceo quòd figitur, in hoc enim venerat.* Illustriora patientiæ documenta in sustinendo proditore, quàm in tolerando stipite agnoscit; sed illustris Africani profundiùs mentem venemur. Dum crucem Christus subit durissimas peccati nostri pœnas persoluit, fœdissimis coronatus occumbit, clauis transfigitur, sæuissimo hastæ mucrone transuerberatur, dum Iuda conuiuit, scelestum sustinet; sed nec ignominiam, nec dolorum sæuitiam patitur. Cur ergo Tertullianus hîc patientiæ Dominicæ cumulatiora prædicat documenta, quàm dum crucis sustinet & tormentorum supplicia? Quia in cruce omnibus eiulantibus elementis occubuit, alibi cum homine eius mortem & sanguinem sitiente degit: Sol moriente Domino, ne immanissimum scelus spectaret, aufugit; aër intempestiua tenebrarum caligine exhorruit: tellus vt à se ipsa discederet, insolitis tremoribus quatiebatur: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam*: morienti elementa compatiebantur dolorem signis insolitis contestata; at cum Iuda degens, & si non sceleris pœnas, ipsum tamen scelus, Iudam scilicet sustinebat. Hominis patiebatur consortium, qui cupiditatis rabie Domino môliebatur excidium. Ægriùs ergo fuit cum maleuolo peruersissimóque pacatè viuere, quàm imbonitatem patibuli sustinere. Ergo hîc illustrior scintillauit patientia, quia grauior vrgebat cura: nec enim adeò molestum est inter dolentium singultus mori, quàm inter improbos, maleuolósque & sitientes sanguinem habitare. *Taceo quod figitur, in hoc enim venerat. Parum hoc nisi quòd proditorem secum habuit, nec constanter denotauit.* Adde durius esse maleuoli laruatique amici sustinere consortium, quàm grauissimum tolerasse tormentum. 196. Tertull. Matth. 20. v. 45

Huius veritatis testem producamus Iacob, qui cum Angelo colluctatus altè feritur; & tamen luctæ finem illachrymatus veretur: *Fleuit*, inquit Oseas, *& rogauit eum.* Scilicet ne discederet: ea fortitudinis viguit valentia, vt dolorem sæuissimum arduúmque certamen finiri doluerit: qui quidem apud auunculum degens, cum patruelium obmurmurationes auribus excepisset, socerúmque superciliosum semper notaret, diu immorari passus non est; sed statim de 197. Osee 12. v. 4.

Gen. 31. v. 1. de ad patriam reditu cogitauit. *Postquam audiuit verba filiorum Laban dicentium: Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus factus est inclytus: animaduertit quoque faciem Laban quòd non esset erga se, sicut heri & nudius tertius*, &c. *misit & vocauit Liam & Rachel*, &c. Fugam modò inire disponit, qui luctam cessare timebat. Et quidem apud Labanum nullis doloribus vrgebatur; collectatus verò cum Angelo altis vulneribus premitur. Ergo à luctamine disiungi videbatur cupiendum, & apud Labanum perseuerandum, præsertim quia in Labani domo magnis opibus cumulatus, auróque copiosus. Cur ergo soceri detrectet consortium, qui athletæ non detrectauit conflictum? Prodit sanè textus: animaduertit, inquit, fratres mussitantes, inuidia animaduertit turgentes: licèt ergo vulnus fortiter sustinuerit, & luctaminis sudores amarit, vltra fortitudinem quadamtenus credidit, cum maleuolis degere, cum inuidis, personatéque amicis familiariter conuersari. *Vide*, inquit Chrysostom. apud Lippomanum, *quomodò inuidia in ingratitudinem eos induxit, non eos autem solùm; sed & ipsum Laban*; qui iure cognationis erant familiares, inuidentiæ æstuabant stimulis inimici: adeóque iusti diuexauere patientiam, vt quàm citò adornauerit fugam. Sustinebat intrepidè femoris vulnus; luctaminis exambiebat labores, noctes ponebat insomnes, ad omnem se duritiem expediebat; cùm laruatis verò degere amicis, cum inuidis conuersari, seuerum semper aspicere supercilium sic erat arduum, vt Iacobi robur fatiscat, nec ferre valeat. Nescio an Iebusæis mors, aut vita existeret durior; semel namque mortis consumerentur dolore; modò tamen coguntur degere cum aduersariis, cohabitaréque cum ipsorum sitientibus sanguinem inimicis: quod meo iudicio ipsa morte terribilius, & ipso dolore est grauius.

Chrysost.

§. XLVI.

Nescit in misericordes diuina deseuire vindicta.

198. QVæuis virtus diuinam in peccatores iram aut emollit, aut temperat, aut retardat, verùm inter cæteras omnes misericordia est, quæ inuolantia citiùs auertit supplicia, & ab homine alioqui puniendo longissimè propellit tormenta. Nescio, quæ misericordiæ, eleemosynæque inest efficacia, feriri nequit; quia semper incedit armata: inuolent quantumuis ardentes flammarum globuli, & pentapolim vstulare festinent, Lot à pransis angelis liberatur, si alias miseræ captiuitati subiicitur: Lot claris virtutum luminibus adornatur; inuadentium tamen inimicorum armis captiuus solum vertere, & ferreis manus vinculis inserere cogitur: verum cum misericordia eius suscipit patrocinium anhelantes horrendum flammarum globos frustratur, & à cibatis ministris vltrici sentētiæ eripitur: *Eduxerunt eum, & posuerunt extra ciuitatem.* Vbi misericordia non refertur, cum aliis Lotus captiuitatis sentit incommoda, vbi auditur hospitalitas, flammarum non experitur incendia; imò testantur angeli, quousque longiùs discesserit, sulphureas vel in peccatores eiaculari non posse flammas, quasi de misericordis proxima vicinitate ardentes remorati sint iras. *Festina, & saluare ibi; quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Iustum ignobilis captiuitatis pressit catena; non tamen vel peccatores misericordi proximos adussit flamma. *Volebant* (exponit Abulensis hîc ad illa verba, *vespere*,) *hospitari in domo Lot, vt liberarent eum, sicut postea accidit.* Vbi hospitalitas, & misericordia legitur, & flammarum euasio auditur, quasi sæuire nequeat vindicta in illos, quos tutatur misericordia. Hebræi diuino auxilio fulti armata aduersariorum agmina facilè adeò euertebant, vt hostes militasse viderentur augendis triumphis, non retardandis trophæis: gigantes expugnant, saxeos muros subruunt, hostiles copias in fugam gloriosissimè vertunt, & fugæ ignobiles tergis impressis mucronibus notas inscribunt; sed inter hæc tanta Iebusæum Ierusalem incolam expugnare non possunt. *Iebusæum habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere: habitauitque Iebusæus cum filijs Iuda vsque in præsentem diem.* Quærunt interpretes, quid fuerit in causa, vt nec Calebus gigantum domitor, nec Othoniel ciuitatum euersor hos Iebusæos delere, & exterminare vllis artibus quiuerint, aut certaminibus vllis valuerint. Placet Rabbi Salomon apud Abulensem quæst. 11. qui ait Iebusæos istos posteros fuisse Abimelech quondam Regis (sic ludit regnis fortuna) qui Abrahamum peregrinantem humanè excepit, & copiosis muneribus cumulauit. *Tulit igitur Abimelech oues, & boues, & seruos, & ancillas, & dedit Abraham: & ait: Terra coram vobis est, vbicumque tibi placuerit, habita.* Misericordis ergo posteros sic obarmabat humanitas contra hostiles inimicorum adsultus, vt nequaquam exterminare potuerint: nec enim in illos diuina desæuiebat vindicta, quos tegebat misericordia. *Rabbi Salomon dicit, quod isti Iebusæi, qui erant in Ierusalem, non erant de Iebusæis; sed quidam de stirpe Regis Abimelech, qui regnauit in Gerara: cum hoc iniit fœdus Abraham.* Gigantes valido corporis robore armati armis hostilibus sunt deuicti, ciuitates incolarum copia & mœnium altitudine celebres sunt euersæ; ast Iebusæi nullatenus potuerunt antiqua possessione depelli, quia misericordiæ munimentis didicerant præmuniri. *Erant de stirpe Regis Abimelech, qui regnauit in Gerara.* Ludit in opes, & in vires sæpè fortuna; sed contra fortunæ vires perstat immota semper misericordia.

Gen. 19. v. 17. Abulens. Rab. Salom. Gen. 20. v. 14. Abulens.

Nabuchodonosor regni potentia præfidens diuinam in se ventosissimus prouocabat vindictam: se ingentem adeò arborem phantasiæ penicillo depingebat superbus, vt mundus arbori capiendæ redderetur angustus; tremula cacumine firmamenti sydera vrgebat, extensis ramorum brachiis terræ latitudinem occupabat, fructus sic nimius vt deiecti fractique pondere rami traherentur ad terram. O quoties ipsis, quas ad volandum imprudenter ambiuimus, alis infelicitatem vocamus. Sic insaniebat tumidus, & tumescebat superbus, cum vigilem audit sententiam de excidenda citissimè arbore depromentem: *Succidite arborem: fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius.* Facilè erat captu, si vigil volucres, præcisis ramis auolaturas nunciaret; nam ridente fortuna plures assistunt, qui vice versa vel aspicere dedignantur: 199.

Dan. 4. v. 11.

inde

inde huius ætatis fugiunt : vnde probantur amici, vt noscas sua semper sectatos lucra, non aliena æstimasse merita : verùm cum ad arboris excidium auolare volucribus imperat, aut videtur trepidam auium ignorare naturam, aut distulisse sententiam : feriat vel leuibus securis ictibus truncum,& addet timor volucribus alas: non est ad illarum fugam opus præcepto, sed ictu,quandoquidem fundæ strepitum celeri volatu diffugiunt. Quid ergo imperet fugam, *Fugiant volucres*, qui efficacem apponere valet causam ? O misericordiæ vires ad numinis vel ardentes iras remorandas! Volucres arboris pomis aluntur in eius ramis commorantur, adeóque auium pastus ruentis eludit securis ictum, vt ni volucris arborem deseruerit, nullatenus cœlestis vindicta euerterit. Impensus volucribus cibus erat incolumitatis tessera,viroris causa : non fuit superuacuum præceptum : quia plantæ magnum à volucribus erat auxilium : si securis feriret volucres, aufugissent, verùm si non aufugiant,nequit securis ferire; quia quam tuebatur plantam misericordia, euertere nequibat mulcta. Huc voco Ambrosium in Psalm.36. ad illa verba : Gladium euaginauerunt : *Abundent tibi arma fortia Deo,vt facilè possis,quæ volueris tela depromere ; ne pauperem te & inermem hostis possit opprimere, .. Esto misericors, vt inuulnerabilis maneas.* En arma telis impenetrabilia, contra quæ gladius potest audere, sed quæ non potest domare : *Esto misericors,vt inuulnerabilis maneas.* Ergo fugiant volucres, vt vulnerabilis maneat planta ; quia dum humanè cibantur,inuulnerabilem cœlestibus etiam telis tuentur. [Ambros.]

100. Miraberis,si profundè contemplatus perpendas Aaron de idoli fabricatione,quam sanè merebatur, mortis non subiisse pœnam,& vtrumque fratrem ob verberatum virga silicem mortis tulisse vindictam. Aberat Moyses apud Deum in Synæo Leges tabulis lapideis inscribens, huius tam necessariæ absentiæ impatiens populus Deos sibi producere cupit : cessit Aaronis ambitio,& ne sacerdotali honore nudetur, dignitatem turpissimo flagitio denigrat : Dei olim sacerdos, idoli iam sacrificulus constituitur, & de muneris auctoritate idolo reuerentiam conciliat ; flagitium adeò amens ea Dominus benignitate remisit, vt mortis pœnas ab Aarone minimè extorserit. Posteà cùm ardenti populus siti adustus clamores ingeminatet, iubet Deus à petra (nam petra olim Exod.14. aquas sitienti populo ministrarat) latices verbis comitatem redolentibus postulare : *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* [Num.20.v.8.] Fratres impetium protrahentes cum vrbanè aquas elicere potuissent, repetitis silicem ictibus verberarunt. Proh detestandam politiam ! vi extorquent,quod comiter elicuissent. Quid tunc ? Deus mortis sententiam in fratres fulminat, & optatæ prohibitione telluris damnat : *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Inquiramus modò, cur Deus grauissimum Aaronis flagitium indulgentiùs remiserit, & in leuius quidem peccatum iracundiâ inflammatus arserit ? Ibi iustè mortis decerneretur sententia, quam cæca idololatriæ poscebat culpa ; hîc verò, quia leuius erat erratum,& opportuniùs condonaretur delictum ; & tamen hîc exarsit ira, & ibi est Aaroni remissa, aut dilata pœna. Ecqua discriminis causa est ? Fallar ni supplicium misericordiæ prærogatiuam sumptuosius commendet : petra sic insitientes humana, vt iam crystallinos frigidissimos latices fuderit ; sic misericors, vt ardorem prorsus sopiuerit : hanc ergo referire Numinis infamabat politiam, quandoquidem ad iustitiæ virgæ frustrandos ictus, misericordiæ vires non inesse mentiebantur inflicta verbera, & incussa vulnera ; ideò ergo morte mulctauit audaciam, vt commendarit de mulcta misericordiam. Peccatum quantumuis graue,remittere Dei est proprium ; misericordem verò punire extraneum : ideò Aaroni parcit in benignitatis argumentum, Moysem verò damnat in misericordiæ elogium. *Aqua*,scribit Tertullianus de Baptism. cap.9. *de comite petra populo desluebat.* [Tertull.] Peccatori parcere Dei benignitati iucundum, misericordem referire molestum : Aaronis ergo remissio mitissimum Numinis prodebat ingenium ; petræ verò percussio eleemosynæ obscurabat elogium. Ibi ergo benignè pepercit,& hîc seuerissimè fratres puniuit, vt constaret omnibus in eleemosynam virgæ ictibus ni licere.

Addiderim : peruersos dæmonis conatus sic misericordiâ frustrari, vt aliquando accepta etiam à Numine facultate misericordes non feriat, sed quodammodo intactos suspiciat. Ecce quò athletæ sui fortissimi Iobi sæculis virtutem prodiderit, de sæuiendi in ipsum dæmoni facit Dominus facultatem : *Ecce in manu tua est ; verumtamen animam illius serua :* virulentus hostis sic furit,vt carnibus denudarit,& mortis,sepulchríque horrore vestierit : dolore tabescentia viscera diffluebant,in foraminosæ carnis specubus bestiolę nutriebantur,omnia corporis membra doloribus vehementissimis tabescebant; sed in tanta ægritudinum illuuie & pellis ossa fouebat, & os auxilium pellis ambibat : *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.* Et cur pellis non consumpta, quando vel ossium fortitudo dolore exesa ? Quia pellis, inquit Gregorius lib.14. moralium cap.23. sanctas illas mulieres, quæ Domino necessaria præbebant, signabat: quamuis ergo accepta facultate carnes dolorum æstibus consumpserit inimicus, pelles hostilis dilacerare non tentauit conatus,quia misericordia impeditus,& contra ingenium inuitè lentus. *Per pellem, quæ exterior carne manet in corpore, quid nisi illa sanctæ fœminæ figurantur, quæ ad præparanda subsidia corporis exterioribus Domino ministeriis seruiebant.* Pellis mulieres misericordes designat, & sic dæmon propinquare misericordibus desuescit,vt vel accepta facultate pelles doloribus non adusserit : carnes consumpsit, pelles non tetigit. Et quidem si animaduertas,inuenies dæmonem in carnes,& ossa facultatem petiisse ; pelles verò nullatenus nominasse : *Tange os eius,& carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi.* Non dixit : Tange pellem, & carnem ; sed, os, & carnem, quasi ad desæuiendum in misericordes, nec ipse dæmon licentiam petere sit aggressus, aut non reuereri sit ausus.

Right-column margin: 101. (beside "Addiderim"); Iob 2.v.6. (beside "Dominus facultatem"); Iob 19.v.20. (beside "Pelli meæ"); Gregor. (beside "Per pellem"); Iob 2.v.5. (beside "Tange os eius").

CAPVT XVI.

Vers. 1. ECIDIT quoque sors filiorum Ioseph ab Iordane contra Iericho, & aquas eius ab oriente: solitudo, quæ ascendit de Iericho
ad montem Bethel. 2. Et egreditur de Bethel Luza, transitque
terminum Archi Atharoth. 3. Et descendit ad occidentem
iuxta terminum Iephleti vsque ad terminos Bethoron inferioris
& Gazer: finiuntúrque regiones eius mari magno. 4. Possederúntque filij Ioseph Manasses & Ephraim. 5. Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas, & possessio eorum contra orientem Ataroth Addar vsque Bethoron superiorem
6. Egrediuntúrque confinia in mare: Machmethath verò Aquilonem respicit, & circuit terminos contra orientem in Thanathselo: & pertransiit ab oriente Ianoe.
7. Descendit de Ianoe in Ataroth, & Naaratha, & peruenit in Iericho, egreditúrque ad Iordanem.
8. De Taphua pertransit contra mare in Vallam arundineti, suntque egressus eius in mare salsissimum: hæc est possessio tribus filiorum Ephraim per familias suas.
9 Vrbésque separatæ sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse & villæ eorum.
10. Et non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitauítque Chananæus in medio Ephraim vsque in diem hanc tributarius.

§. I.

Vers. 1. vsque ad 14. Cecidit quoque sors filiorum Ioseph ab Iordane contra Iericho, & aquas eius ab oriente: solitudo quæ ascendit de Iericho ad montem Sethel.

Commentarius litteræ.

1. VPERIORE cap. medium terræ sanctæ locum, in quo statiua locarunt, diximus fore vtrinque aduersus vicinorum hostium insultus accuratè muniendum. Cùm ergo Iudæi iam a meridie locum illum fouerent, modò tanquam præsidiarij à Septemtrione in ampla eius regione, quæ Samaria à posteris appellata Iosephitæ iacta diuinitus sorte constituuntur. (Lyra.) Quòd si quærat aliquis cur post Iudæ tribum Iosephitæ hæreditatem adierint, respondebit Lyra, vt præced. cap. vidimus, Iudæ tribum vtpote excellentiorem & regiam primas obtinuisse; deinde Ioseph cæteris anteferri, quia ad illum primogenituræ ius quantum ad geminam vnciam translatum. (Abulens.) Abulensis putat eum seruatum ordinem, quia tribus Iuda prima dari sibi hæreditatem aliis non petentibus flagitauit: post Iudam verò eius prouocata exemplis Ephraim sibi etiam sortem designari poposcit: eodem modò dimidia Manasse tribus: cæteræ oscitantia marcescentes, ignauiáque desides, quousque Iosue aspera illas admonitione corripuit, nihil sibi dari petierunt; sed terram veluti pro indiuiso habitarunt. (*Cur Ioseph cæteris præter Iudam antelatus.*) Primò pro Ephraim & Manasse dimidia tribu vnica hîc sors describitur, quæ posteà ductis mensoriis lineis & funiculis in duas diuisa est. Itaque australes omnium Iosephitarum ab oriente in occidentem limites describuntur; non tamen adeò explicatè: nam, vt ait Masius, quæ memorantur, (Masius.) locorum ignoratio clariori multum officit descriptioni. R. Salomon putat fines Iosephitarum (R. Salomon.) australes exorsos fuisse ab oriente apud eam Iordanis oram, cui vrbs Iericho obiacet è regione, ascendisséque ex Ierichunte ad desertum, in monteémque Bethelem fuisse versus occidentem protensos. Septuaginta Salomonis opinioni suffragari videntur: sic enim vertunt: *Et fuerunt termini filiorum Ioseph ab Iordane contra* (Septuag.) *Iericho ab oriente desertum, & ascendent de Iericho in montana in Bethel.* Masius sentit sortem exisse ab Iordane Ierichuntis ad aquas Ierichuntias eas scilicet, quas iniecto sale Elisæus propheta celeberrimus emendauit, ab orientéque extendi in desertum sursum per montémque Bethel porrectam. Sententiam hanc suffulcit ad speciem. Chaldaica paraphrasis, quæ sic reddit: (Chaldaic.) *Et exijt sors filijs Ioseph à Iordane Iericho ad aquas Iericho ortum versus ad desertum, quod ascendit à Iericho in monte Bethel, & prodit ex Bethel ad Luz, & transit ad terminum Archi-Gatheroth.* Notant Masius & Montanus illud (Masius. Arias Mont.) *ascendit*, non de deserto, sed de mensorio funiculo intelligi, quod lubens amplector. licèt non grauatet textum ipsi deserto aliis atque aliis montibus superpositis fortè cliuoso adaptari. *Et egreditur de Bethel Luza.* Bethel Luza vocatur, quia ex visione illa, quàm in Luzæ campis iram fratris fugiens habuit Iacob, antiquum nomen meliori nomine commutauit. Arias Montanus, Masius, & alij notant non ideò Bethelem in ipso Luzæ situ fuisse ædificatam, quòd Bethel Luza dicatur; sed in Luzæ agro, qui ob iu- (*Bethel vbi ædificata.*) glandium copiam sibi & oppido nomen excuderat. Arabes nucem *Alluz* vocant, vnde Hispanicum vocabulum *Nuez* deriuatum apparet. Itaque campus ille huiusmodi arboribus decorè vestitus ab illis vt ornamentum, antiquitus accepit etiam vocabulum; sed arcanum illud, quod olympus

R. Kimhi. R. Isaias. olympus dormienti ibi Iacobo reserauit, augustiorem agrum reddidit iam Bethelis illustri exinceps nomine celebrandum. Rabbi Kimhi, & R. Isaias duas Betheles confingunt, in eiúsque rei argumentum afferunt Bethlehem Luzam non tantùm in Ioseph sorte, sed etiam in Beniamin possessionibus numerari: irridet argumentum Masius; imò disertis verbis Luzam à finibus Beniaminitis exclusam testatur. Itaque vnicam Bethlehem, diuersam tamen à Luza, etsi vicinam satis iure definit. Lyra prorsus consentit; nec dissentire videtur quæst. 3. Tostatus. Apud Ethæos verò alteram fuisse Luzam conditam ab huius Luzæ proditore veluti omnibus notum ab interpretibus traditur. Itaque locus ille, in quo diuinum ostentum Iacobo est patefactum, Bethelis nomen accepit, adeóque posteris temporibus sacræ religionis opinione omnibus celebris, vt Luzæ vrbis satis proqinquæ nomen diluerit, & ferè penitus tumulauerit. Bethelem abesse ab Ierosolymis duodecim millia passuum, relinquíque ad dexteram ab tendentibus Neapolim Eusebius tradit. Archiatharoth, quod ex duobus nominibus videtur conflari, vnicum putat Masius, significaréque ait coronam, seu sertum: Arias Montan. protensa serta, seu coronarum protensionem, quod nomen non vni tantùm loco obtigisse ex sacra Geographia notant hi interpretes. De Beth-horon iam suprà dictum est. Aduertit Masius Gazer hanc esse omnino diuersam ab alia Gazer in Iudaicis possessionibus definita.

Masius. Lyra. Abulens. Euseb. Masius. Arias Mont.

Vers. 4. Possederúntque filij Ioseph Manasses, & Ephraim: & factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas, *&c.*

1. Masius. Chaldaic. Septuag. Masius legit *diuiserunt*: in Chaldaica verò Paraphrasi, & Septuaginta, *possederunt* inuenit. Duæ Iosephitarum familiæ Ephraim, & dimidia Tribus Manasse communem agrum Iudæorum regioni proximũ occuparunt, quem posteà ducta sorte distinctè coluerunt; ita tamen vt iuniori Ephraim iuxta aui oraculum locum Ierosolymis, templóque viciniorem sors designarit. Masio verisimile non videtur hanc inter fratres sortitionem cæterarum tribuum sortes antecessisse, cùm non videantur ante illas sortes certis à Septentrione limitibus definiri. Hæreditatis Ephraimitarum terminos tantillum obscurauit admodum breuis descriptio. Rabbi Salomon inchoari arbitratur ab Oriente iuxta Atharoth-Addar, procederéque vsque ad Beth-horon, & hanc eius latitudinem fuisse; longitudinem verò (versus Orientem ab vrbe Machmethath, rursus latitudinem Septentrionalem sic protendi, vt funiculus ab Oriente ambiat Thanath-Silo, prætereáque ianuam ab Oriente, ab illáque producatur ad Ataroth, & Naarathan, hincque postquam in Ierichuntem inciderit, tandem in Iordane consideat. Quæ omnia dum plus elucidare conantur, textum plus implicant, neque in Manassensium sorte dicendis consentiunt. Arias Montanus, Masius, & ex illis Magallianus existimant eam lineam, quæ ab Ataroth-Addar ad Beth-horon superiorem ducitur, metiri quidem latitudinem huius hæreditatis ab austro in Septentrionē, aut Aquilonem versus; sed non extimam Orientis oram designare. Latitudinis lineam ab austro in Septentrionem sic ducunt: ab Atharoth-Addar scilicet ad Beth-horon superiorem: vnde in finibus certè australibus huius sortis prima post Iordanem videtur occurrere Atharoth-Addar; eam verò non collocari ad Iordanem arguit Masius ex designatione sortis Beniamin, atque ex his, quæ de australibus Iosephitarum limitibus suprà ostenderat: in illa namque designatione prima ab Iordane occurrebat Iericho, siue fons ille, qui saporem geniúmque iniecto sale mutauit: deinde Bethel, ac tandem Atharoth, quæ duæ ciuitates, Iericho scilicet, & Bethel Beniaminitis adscriptæ. Luza verò etsi intra Ephraimitarum fines iaceat post celebratam Bethel ab vrbium numero videtur exclusa. Longitudinem Aquilonarem duci putat hic auctor à Beth-horon superiore, Occidentem, & Mare Mediterraneum versus: Australes verò, vel etiam occiduos Ephraimitarum describere limites otiosum ducit, cùm sint prorsus ac Iosephitarum iidem.

R. Salomon. Arias Mont. Magallian.

Vers. 9. Vrbésque separatæ sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, & villæ earum: & non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, *&c.*

Credibile est ante priuatam sortitionem vniuersam hæreditatem in duas fuisse diuisam partes, prout locorum conditio patiebatur; sed 3. cùm nullatenus viderentur æquales, alteri tribui adiectas fuisse intra alterius limites vrbes aliquas, quibus sortes liquidè exæquabantur. Noster Salianus citato iam anno censet sæpè Salian. sæpiùs ratione locorum lineam rectè duci non posse, & ob eam causam aliquos angulos effecisse, quorum ratione vnius sortem alterius hæreditas occupare videbatur, cùm eius limitibus ambiretur. Magnam fuisse Ephraimitarum impietatem potiùs quàm ignauiam textus hic non obscurè prodit, cùm nefariam gentem sacra auri cupiditate aduersus Dei leges apud se mercedis pactione permiserint habitare: turpes quidem tolerauere lucri faciendi gratia vicinos; sed dum falsum ambiunt lucrum, egregium verúmque patiuntur dispendium. *Habet hoc vitium omnis ambitio*, scribit Seneca epist. 74. *non respicit: nec ambitio tantùm instabilis est, verùm cupiditas omnis.*

Ambitio, & cupiditas caca sunt. Senec.

---

§. II.

Sine oratione nulla felicitas cumulatiùs completa: nam oratio est felicitatis corona.

ORatio felicitatis mater, & nutrix, sine quâ nec bonum solidum, nec incommodum 4. dubium, cum omnia à diuina largitate promanent, oratione allicitur, & precibus prolectatur: tardè sine oratione obtinetur, quod precibus citissimè acquiritur: est námque oratio cælestis thesauri clauis, qua reserata fluunt largiter beneficia, & sine qua stagnare videntur dona: *Supplicandum vobis est*, aiebat Cassiodor. 11. Var. 21

Cassiodor. *De instorũ lachrymis nascitur lætitia cunctorum.*

var. 2. *Beatissime Pater, vt lætitiam, quam per vos Deo largiente percepimus, custodiri nobis vestris orationibus sentiamus: quis enim dubitet prosperitatem nostram vestris meritis applicandam, quando honorem adipiscimur, qui à Domino diligi non meremur, & permutatione efficaci bona recipimus, dum talia non agamus: Ecclesiasticis siquidem ieiunijs fames est exclusa popularis; decoris lachrymis tristitia fœda discessit, & per sanctos viros acceleratum est, ne traheretur diutiùs, quod grauabat: & ideò salutans officiositate, qua dignum est, precor, vt vinaciùs oretis pro salute regnantium.* Ecce oratio calamitatis pestis, famis exilium, præsentissimum calamitatum remedium: quantumuis virtutum aliarum cumulus felicitatem promereat, sine oratione aut iucunda differtur possessio, aut effectum tardè sortitur promissio. *Affectibus ceu animæ vulneribus*, scribit Philo de somniis, *oratio remedium est saluberrimum, quod legislator ante Solis occasum admoneri vult, hoc est priusquam illustrissimi maximique Dei splēdor occidat, quem misertus nostri menti humanæ inserit: nam quamdiu in anima lucet lumen diuinissimum, reddere debemus sermonem oppigneratum ceu vestem, vt homo recepta possessione propria turpitudinem contabescat, & fruatur diuino munere.* Oratio animi angores depellit, & præsentissimam ægris affectibus medelam affert, nec solùm depellit morbum; sed felicitatis confirmat cumulum: *Vt homo recepta possessione propria fruatur diuino munere.* Ecce filij Israël post longos desertorum excursus, & varios casus possessionis terram vestigiis premunt; ex illis tamen Iudæorum, & filiorum Ioseph tribus citius sortibus donantur amœnis, & possessionibus ditescunt opimis: *Cecidit quoque sors filiorum Ioseph ab Iordane contra Iericho*, &c. Rogant interpretes, cur his præ cæteris tribubus sortes adscriptæ, & possessiones donatæ: Nonnulli sentiunt antelatas Tribus Iudæorum vtpotè regiam, filiorúmque Ioseph, vtpotè Iosue cognatas. Abulensis tamen, quia hoc aut fauoris, aut adulationis colorem habet, nullatenus in Iosue adeò perfecto viro posse testatur admitti: ait ergo, licèt omnes tribus sortes adæquè mererentur, reliquas nullatenus postulasse, has verò sortem petiisse, ideóque his statim concessum, quod aliis posteà

Philo. *Oratio est passionũ medela.*

Abulens. donatum: *Tribui Iuda*, scribit quæst. 1. *primo data est possessio: quia ista primo petijt sibi dari hæreditatem alijs nondum petentibus; assignata autem hæreditate petijt Tribus Ephraim, & similiter data est; similiter quóque dimidia Tribus Manasse; cætera autem nihil petierunt.* Vbi desiderata est oratio, vbi nulla petitio, & sortis dilata est etiam possessio: nec enim sine oratione felicitas poterat consummari, nec tot laborum fructus possideri; at Ephraitæ, & Manassenses, dum sibi petitionis asciscunt suffragium, felicitati suæ etiam attulere de precibus citissimè cumulum: vt noscas orationem esse felicitatis coronam, & sine illa ferè nunquam splendescere consummatam.

5. Christus Dominus in crucis stadium cum gehennalibus furiis descendit: ibi altissimis plagis confossus arma non deposuit; sed vti solidissima petra clauis percussa non iam copiosos aquæ latices; sed sanguinis vndas effudit, quibus vitiorum extingueret flammas, & infernalis naufragio traderet furias: quibus transfodiebatur clauis, non iam sopore ligatum; sed infauste solertem Sisaram transuerberauit, & de propriis vulneribus vicit: cúmque iam victoria foret consummanda, triumphali lamento dæmonibus insultauit, & Patri, animum commendatum remisit: *Clamans voce magna Iesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum; & hæc dicens expirauit.* Et cur modò, vt spiritum remiserit, clamet. Quid necessum erat commendari in manus, quod alto custodiebatur in pectore. *In manus tuas*, inquit, *commendo spiritum meum.* O vtilem nobis doctrinam! Christi vulnera vitium vulnerabant, effusi sanguinis riui actuosissima dæmonibus erant venena: caput terebeantes sentes terram maledicto obstrictam ab antiquo probro soluebant: mors futura erat consummata victoria: inclinat námque Dominus caput, vt sub pedibus eius hostes gementes adspiciat: vt noueris tamen orationem felicitatis esse coronam, & victoriæ apicem, cum morte orationem coniunxit: *Hæc dicens expirauit.* Christi mors immortalis de hoste victoria, & inferno nunquam minuenda, infelicitatum summa. Ergo orationem morte intertexuit, vt doceret sine oratione nec triumphum fulciri, nec salutem hominum consummari: *Caro moritur*, scribit Ambros. hic, *vt resurgat: Spiritus Patri commendatur, vt cælestia quoque ab iniquitatis vinculo soluerentur, & pax fieret in cælo, quam terrena sequerentur.* Captiuos extracturus, & captiuitatem ipsam æterno Chaos demersurus, præcipitaturúsque in æternum mortem preces fudit, vt essent triumphorum conciliatrices, vt doceret homines nullum sine oratione consummari facilè triũphum, nec de inimicis reportari trophæum. Si ergo amas felicitatem tuam non dubiis fulcris stabilire fortunámque laudabilem consummare, Deum ora: oratio námque infelicitatis est fascinum, felicitatis illicium, sanctitatis mater, bonorum vena, thesauri cælestis clauis, Angelorum vtpotè quæ ad Deum inuolet, cognata, & votorum fausta fortuna.

Luc. 23. v. 46.

Ambros.

Cùm Christus Dominus de regno suo ageret, passionemque appetere iam suis discipulis aperiret, filiorum Zebedæi mater Apostolorum chorum secans, Christo appropinquat, & thronos filiis dilectissimis rogat: *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Rogant Patres cur modo importunè ad speciem accesserit, de mortéque differentem regiam dignitatem affectans interpellarit. Varij varia asserunt; nostro verò instituto opportunior Seleuciensis Basilius orat. 24. scilicet cogitasse regnum Christi in ianuis iam esse, citissiméque illud Apostolis promissum: *Sedebitis, & vos super duodecim thronos*, reddendum: cúmque nosceret sine oratione felicitatem nullatenus possideri, accessit rogans, vt de oratione citiùs filiis felicitatem conciliaret, & de precibus adaugeret: *Quid eorum, quæ dicuntur, fiuntue, te commouit ad regni postulationem? Video*, inquit, *passionem, animo tamen resurrectionem prouideo: video crucem pangi; sed video cælum pandi: video clauos, sed thronum imaginor.* Ausculta curiosiùs quæ paulò pòst addit: *Ipsum dicentem audiui: Sedebitis, & vos super sedes duodecim.* Profectò audisse thronos promittentem petendi videbatur thronos auertere studium, non inflammare desiderium; quando 6.

Matth. 20. v. 21.

Basil. Seleuc.

quandoquidem ad promissionis debitum otiosum videatur orationis votum, verùm prouidentissima mater, quia iam regnum in ianuis imaginatur, quia audiuit promissos thronos, accedit, ne si oratio desit, thronorum differatur filiis possessio: scit namque sine oratione nec felicitatem compleri, & illa citissimè consummari. Ergo rogans accessit ad orationis elogium, non in ambitionis suffragium; petiuit primos thronos, vt quos benignitas magistri promiserat, sanciret oratio: & qui de omnium abnegatione audierant; *Sedebitis & vos*, de precibus excellerent, & eminentiori throno micarent: quasi orationi debeatur summum precibúsque felicitatis constiterit complementum.

7. In Numinis hostes arma tractabat strenuè noster Iosue: de cælo sibi asciuit ipso labore suppetitias, iam hostes fugæ se commendabant, latebrásque auidissimi requirebant; verùm opportuna lapidum grando fugientes veluti contortis spiculis interemit: *Cùm fugerent filios Israel, & essent in descensu Bethoron, Dominus misit super eos lapides magnos de cælo vsque ad Azeca, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filij Israel.* (Iosue 10. v.11.) O felix pugna, quæ de cælo adduxit auxilia! O strenuum ducem, cui militant elementa! adhuc tamen inimicis effugium nox appetens promittebat, triumphíque consummationem quodammodo protelabat. Quid tunc? Bellator strenuus ad orationem confugit, & nobiliora cæli lumina imperiosa voce repressit: *Tunc locutus est Iosue Domino, in die, qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon: Steterúntque Sol & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.* In benignitatis diuinæ probrum videtur Iosue pulsare importunis precibus cælum: nam si Deus de nubibus contortas lapideas in hostes pilas eiaculatur, si inimicos tradit, quid necessum est iterare vota, & recurrere ad orationis auxilia? Profectò qui petitionem liberalitate non anteuertit, dona sua quodammodò dedecorauit: ergo si Deus victoriam illi de cælo auxilio parat, postulare modò differat; imò quia nouit decretum illi de cælo triumphum, orationis cælo obtulit holocaustum; sciebat namque orationem esse felicitatis coronam, & contra violentos fortunæ flatus securam anchoram: ergo orauit, vt victoriæ finem imponeret, quasi adhuc vel auxiliante cælo differatur tantisper victoriæ consummatio, donec preces & finem imponerent bello, & de statis Solis luminibus laudem addidissent triumpho. Adest Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 8. (August.) *In diuinis libris legimus Solem ipsum stetisse, cùm hoc à Domino Deo petiuisset vir sanctus Iesus Naue, donec captum prælium victoria terminaret*: Oratio bello imposuit finem, hostibus incussit metum, luminaribus addidit splendorem. *Dominus orationi serui sui obediens præcipit, & obediunt*: verba sunt eiusdem Augustini lib. 2. de mirab. script. cap. 4. Oratio fuit victoriæ corona & stata semper fortuna.

8. Christus Dominus, quò erga proximos homines benignitatem docuerit, parabolam illam debentium seruulorum apud Matthæum eleganter depinxit: *Oblatus est ei seruus, qui debebat ei decem millia talenta, cùm autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi.* Seruus indignatione Domini vehementer turbatus, & paupertate nimiùm oppressus ad orationem recurrit: à se ipso petiuit auxilium; quia sciebat pauperibus apud sæculum nullatenus inueniendum suffragium: *Procidens seruus ille orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* (Matth. 18. v.26.) Dominus, cui præcordia benignissima, dolenti compassus est; imò plus illum torquebat dolor miseri, quam ipsum miserum dolor sui: *Misertus Dominus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Chrysostomus hom. 62. in Matth. rogat cur expectauit serui supplicationem, qui ostentare voluit sæculis liberalitatem: Si rogatus donat, antequam postuletur, donarit; ita namque cumulatiùs resplēdebit benignitas, omnibúsque sumptuosiùs commendabitur generositas. Donare fuit ab initio animus; voluit tamen Dominus, vt seruus felicitatem sortiretur coronatam, sanéque plenissimam: cúmque oratio felicitati imponat coronam, distulit remittere debitum, ne orationis iuri hoc denegaretur elogium. *Pater*, verba sunt Chrysostomi, *voluisse ipsum; tamen non priùs id facere nisi debitum supplicaret, vt donum non modò suum; verùm etiam petitionis illius esse videretur: quod fecit, vt coronam quoque seruus consequeretur.* (Chrysost.) Si à principio sine oratione donaret, videri potuisset felicitas illa cumulo nuda, & corona priuata: vt ergo cumulatior resplendeat, orationem expectauit: est namque oratio felicitatis cumulus, & calamitatis recessus.

---

§. III.

Sic homines auri cupiditate inflammantur, vt despiciant animæ, & vitæ pericula, vel cum aliorum vociferantur exempla.

MVltiplicia cupidinum discrimina, aiebat Plutarchus lib. 8. de Quæstion. conuiual. 9. cap. 9. *sexcentas timoris motiones, angoris figuras, & formas voluptatis. Ingentis laboris sit non satis scere enumerantem quæ non tunc tamen, & heri; sed ex omni æternitate viguerunt.* (Plutarch.) Cupiditatis enumerare discrimina arenas maris esset supergredi: quidquid mortalibus damni, à cupidine exortum, & ab insanæ affectionis febri productum; verùm etsi cupiditas quæuis animum adurat, & de affectione flabellata in incendium transeat, auri tamen fames sic homines dementauit, vt nullis retardari possint periculis, aut duri arceri frænis. *Apricius*, scribit Seneca de consolat. ad Albinam cap. 10. (Senec.) *ære alieno oppressus rationes suas tunc primum coactus inspexit, superfuturum sibi sextertium centies computauit, & velut in vltima fame victurus, si sextertio centies vixisset, veneno vitam finiuit... Hæc accidunt diuitias non ad rationem reuocantibus, cuius certi sunt fines; sed ad vitiosam consuetudinem, cuius immensum, & incomprehensibile arbitrium est. Cupiditati nihil est satis.* (Cupiditati nihil est satis.) Cupiditas sic furore inflammatam obcæcat mentem, vt nulla vereatur pericula, nulla animaduertat exempla. *Quid deducitis naues*, aiebat vbi suprà Stoicus, *quid manus & aduersus feras, & homines armatis*

Nullus se unum cogitat, sed ac si centum esset, cupidini vacat.

tis? Quid tanto tumultu discurritis? Quid opes opibus aggeritis? Non vultis cogitare, quàm parua vobis corpora sint. Nonne furor & vltimus mentium error est? Vt ex magno incendio niger exhalatur fumus, quo oculorum caligant lumina, nec suum possunt munus ritè exercere obscurata; sic ex cupiditatis incendio obscurus exhalatur halitus, quo rationis adeò obcæcantur oculi, vt nec appetẽs animaduertant periculum, nec alienum considerarint exemplum. Ecce in Iosephitarum sorte Ierícho illa tubarum strepitu olim expugnata ciuitas iacet: *Cecidit quoque sors filiorum Ioseph ab Iordane contra Iericho, & aquas eius ab oriente.* Cúmque Acham auri contra legem cupidus durum ibi tulerit supplicium, cunctísque pertimescendum exhibuerit exemplum, Iosephitæ nihilominus contra legis ius ibi degere Chananæos permittunt auri hydropica siti adusti, & tributorum cupidine allecti.

Iosue 16. v. 10.

Non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitauitque Chananæus in medio Ephraim vsque in diem hanc tributarius. Achan, casus Iericho insculptus à cupidine reuocabat, auri amor Chananæos sibi tributarios reddere consulebat. Quid tunc? Violatæ legis supplicium in Achano contemnunt, & nefandis cupiditatis edictis parent: *Hic ponitur præcepti diuini transgressio*, scribit Abulensis

Abulens.

quæst. 3. *scilicet quod Ephraitæ cupiditate tributorum non occiderunt Chananæos habitantes inter ipsos*: diuinis contraire præceptis Achano ingentem attulit ruinam, quandoquidem ipse dira lapidum grandine impetitus occubuit, & quidquid habuit, flammis vstulatum periit; at quamuis Iericho supplicij memoriam ingesserit, Ephraim, ne tributis parceret, conscientiam in dissimulationem corrupit, ac ignorantiam in suffragium cupidinis affectauit.

10. Cùm Samson mulierem de filiabus Philisthinorum sibi accepisset, nuptialiáque conuiuia celebrarentur, problema proposuit ea conditione, vt si sodales soluerent intra septem dies conuiuij, ipse triginta sindones, & tunicas totidem illis impenderet: si verò enodare nequirent, soluerent; cúmque iam præscriptus terminus finiretur, sponsæ lachrymis fidem cogenti secretum exposuit, quod illa contribulibus statim effudit: quòd adeò ægrè tulit Samson, vt vxorem ira

Iudic. 14. v. 10.

succensus reliquerit: *Iratus nimis ascendit in domum patris sui*: non multo post eas in Philisthæos exercere cœpit inimicitias, vt maturas fruges ignem deferentibus caudâ vulpibus vstulauerit, breuique tempore in cineres annuos labores redegerit. Hac occasione Philisthiim tam mulierem, quàm patrem flammis tradiderunt, vt Samsonis sopirent iram, & indignationis penitus auferrent causam:

Iudic. 15. v. 16.

Ascenderunt Philisthijm, & combusserunt tam mulierem, quàm patrem eius. Ecce quanta damna mulieri eiúsque familiæ secreti à Samsone accepti attulerit infida proditio. Audi modo quas Dalila fraudes cogitarit: amabat illam tenerè vir fortissimus, cúmque Philisthini ardentissimè de illo sumere vindictam cuperẽt, Dalilæ auri promissâ copiâ persuaserunt, vt fortitudinis eius radicem agnosceret, etsi posset, infirmaret:

Iudic. 16. v. 5.

Decipe eum, & disce ab illo in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum superare valeamus, & vinctum affligere. Profectò amens vindictæ videtur votum, quandoquidem persuadere tentat mulieri delirium: nam si celebri fama vulgatum est quantis se malis filia Thomnathæi, quantísque calamitatibus implicuerit, dum Philisthinis secretum prodidit, quomodo audebit Dalila arduum hoc tentare negotium, & flammarum deuorare periculum: esto amor seruare non suaserit fidem, exemplum tamen vitare consulet proditionem. Ergo Dalila nullatenus fortitudinis studiosè perquiret causam, nec illis etsi nouerit, imprudenter communicabit notitiam. Proh auri præstigias! Copiosam illi pecuniam promittunt, & amore pecuniæ illecta aggreditur dolum, nec alterius meminit casum. Non adeò efficax fuit, vt à proditione auerteret alteri inflictum supplicium, quàm copiosum vt tentauerit, aurum: *Dabimus tibi singuli* (promittunt) *mille & centum argenteos. Locuta est ergo Dalila ad Samson: Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, & quid sit, quo ligatus irrumpere nequeas.* Promissionis fidem fidei comitatur dolus, & aggreditur Dalila ingens sine dubio periculum, ne promissum amiserit aurum. Filiæ Thamnatæi ob proditionis culpam vstulatæ à consimili facto auertebat memoria; sed auri cupidinis allexit incantamentis insania. *Ascendentes Palæstini ad*

Ambros.

Plures demirantur virtutem, non vt laudarint; sed vt prodiderint.

eam, scribit Ambros. tom. 5. lib. 1. epistolar. epist. ad Vigilium fratrem; *polliciti sunt pecuniam virorum daturos mille & centum denarios, si proderet eis, in quo ille fiduciam virtutis suæ constitutam haberet: quo cognito circumueniri, & capi posset; at illa, quæ semel se pecuniæ prostituerat, astutè satis & callidè inter pocula, & illecebras amoris, quasi admirans fortitudinis eius eminentiam quærere cœpit.* Non ignorabat Samsonis sodales ad vxorem olim dixisse: *Blandire viro tuo, & suade ei, vt indicet tibi quid significet problema*, illámque precibus emollitam fidem prodidisse, proditionísque occasione flammas ardentissimas tolerasse: posséque sibi simile imminere supplicium, si Philisthinorum annuat votis, fidémque Samsoni debitam proditionis temerarit iniuriis; verùm sic se pecuniæ cupiditati prostituit, vt oblita præcedentis exemplum periculosissimum tentauerit scrutinium: tanta est auri cupiditatis insania, cæcus adeò furor, vt ingentibus se inconsulte obiiciat periculis, nec facilè luctuosis refrænari valeat exemplis.

Iudas ille hominum nota, humanæ naturæ infamia, diabolicæ malitiæ solatium, & cupiditatis incendium ad Sacerdotum Principes inuolat, & magistrum se proditurum promittit. O 11.

miserum, qui labore proprio conflauit sibi ruinam! non adurgentem occasionem amplexus est; sed ipse sibi occasionem calamitatis procudit, nec proditionis rogatores expectauit; sed ipse perrexit proditor, vt rogaret: *Iudas Iscariotes vnus de duodecim abijt ad summos Sacerdotes, vt proderet eum illis. Qui audientes gauisi sunt, & promiserunt pecuniam se daturos.*

Marc. 14. v. 11.

Res peracta est, & quando in posterum dilatum piaculum, aut protelatum delictum? Verùm cùm Iudam tarda pœnitentia teneret, se laqueo suspendit, *Et diffusa sunt omnia viscera eius, & notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem.*

Actor. 1. v. 18.

Hoc cæcæ, sceleratissimæque cupiditati nullus ambigit illatum fuisse supplicium. Ita Drogo de sacram. Dom. Passion. *Diffusa sunt omnia viscera eius: Pecunia viscera sunt auari: illa diffunduntur, & perduntur.* Vides veritatis nundinationem quanti steterit Iudæ: vide sub id ipsum tempus quid

Drogo.

Pecunia auari viscera.

Matth. 28. v.11. quid milites, ad ferale Domini monumentum constituti aggrediantur: *Venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt Principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant.* Licèt inuiti splendorem resurrectionis viderant, Christúmque resurrexisse cognouerant: *Nunciauerunt*, inquit, *omnia quæ facta fuerant.* Quid tunc? Qui Principes semel oppugnare veritatem iam nisi, & gloriam obscurare conati: *Consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* O infelix astutia! Custodiæ de somno sugillatur ignauia, & testimonij agnoscitur fraudulentia. Non miror seniores reipublicæque Principes fisci expensis nisos coëmisse mendacia, quandoquidem iam assueti veritati indicere prælia; miror tamen milites accepisse: nam si supplicium Iudæ fumabat adhuc, si veritatem vendidisse ex arbore suspendium, viscerúmque effusionem tulit mercedem, quomodo milites non horruerint mendacium vendere, & veritatem opprimere? Si Iudæ exemplum non adeò recens, nil mirum affectaret cupiditas ignorantiam, aut obcæcaret conscientiam; verùm si notum adeò, vt nullam malitia possit ignorantiæ excusationem prætendere, quomodò non verentur graue periculum deuorare, séque tanto discrimini obiicere? Attende quid dicat textus:
Hieron. *Pecuniam copiosam dederunt militibus*: auri milites sic dementauere præstigiæ, vt hiauerint ad lucrum, & præterierint exemplum: copiosa nummorum vis suasit deuorare pericula, & affirmare mendacia: minus efficax fuit ad percellendos animos Iudæ pœna, quàm ad præcipitandos pecunia. *Pecunias*, scribit Hieronymus apud D. Thomam, *quæ ad vsus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacij, sicut & antea triginta argenteos inde dederunt proditori: vnde sequitur: Et congregati cum senioribus consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Vnde proditori, inde custodibus appenderunt nummos, & licèt custodes in quale Iudas ob pecuniam detrimentum venerit, certissimè agnouerint, sic pecuniæ dementantur præstigiis, vt absorbuerint periculum, & hiauerint vehementer ad aurum. Adhuc arbore Iudas pendebat suspensus ob flagitium in veritatem admissum: adhuc effusa viscera ingenti metu percellebant aspectum, & cum adeò horrendus Iudæ casus à consimili impietate mentem auerteret, & voce strangulata clamaret, milites pecuniarum cupidine victi veritatem cauponantur, & supplicij obliuiscuntur. O fuge auri auaritiam amentiæ matrem, calamitatum venam, & dedecoris officinam.

§. IV.

Vbi rerum humanarum desertum, ibi contemplationis cœlestis est domicilium.

12. MVlta sunt, quæ conuersationem cum numine impediant, internarum passionum tumultus, & externorum tumultuum impetus; auocatur animus, & dum caducis intendit aui-

Naxera in Iosue Tom. 2.

diùs, cœlestis luminis serenitate priuatur frequentiùs. Solitudinem amat contemplatio, desertis nata, & recessus antris innutrita: *Expergiscamur ergo*, aiebat Seneca epist. 54. *vt errores* Senec. *nostros coarguere possimus: sola autem nos philosophia excitabit, sola somnum excutiet grauem: illi te totum dedica: dignus illa es: illa te digna est. Ite in complexum alter alterius: omnibus alijs te nega, fortiter, apertè: non est quod precariò philosopheris. Si æger esses, curam intermisisses rei familiaris, & forensia tibi negotia excidissent, nec quemquam tanti putares, cui aduocatus in causam descenderes: toto animo id ageres, vt quamprimo morbo liberareris. Quid ergo? Non & nunc idem facies? Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti: nemo ad illam peruenit occupatus.* Se tumultuosis negotiis opus est expediat, qui vtilissimæ virtutis philosophiæ vacare amat, qui latere nouit, & contemplationi viuere didicit: non est orationi congruens ignauia, sed vita caducis omnibus expedita: dum forensia vocant, dum lucra alliciunt, dum variæ animum occupationes partiuntur, minimam contemplationi adscribi partem necessum est, imò & quæ adscribitur, cùm ad penitiora non accesserit, honestas illecebras non gustabit. Auocandus est animus, & ab occupationum tumultu arcendus, si lucis frui desiderarit sereno & contemplationis olympo. Non vacat mysterio Bethel solitudini proximam esse: *Solitudo, quæ ascendit de Iericho ad montem Bethel.* Satis omnibus notum est Bethel locum esse illum, vbi Iacob dormiens scalam vidit, & Numinis præsentia fruitus nouit occultiora mysteria, & sacratiora penetrauit arcana. *Vidit in somnis sca-* Gen. 28. v. 12. *lam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam: & Dominum innixum scalæ dicentem sibi . . . Appellauitque nomen vrbis Bethel.* En Bethel cœlestium emporium, & hominum, Angelorúmque commercium. Locus ergo hic solitudini coniunctus est. *Solitudo ascendit ad montem Bethel*, vt vel loci situ instruamur ibi vigere cœlestia, vnde longiùs distiterit caduca. *Solitudo, quæ ascendit de Iericho ad montana Bethel*, inquit Abulensis quæst. 2. *Hic continuatur latus meridianum, & cum peruenerit à Iordane vsque ad Iericho, & aquas illius, ascendit ad montana.* Montuosa, inuia, hominibúsque inhabitata Bethelis confinia, vt noueris ibi esse contemplationis emporium, vbi rerum humanarum exilium.

Iacob & Esau gemelli fratres naturâ, sed contrarij vitâ: pueritiam deposuerunt; cúmque 13. Scriptura, alterius vitæ referat institutum, alterius referre solùm videtur otium: *Factus est* Gen. 25. v. 27. *Esau vir gnarus venandi, & homo agricola; Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Certè sugillare videtur Scriptura Iacobi ignauiam, dum nullam refert industriam: Si Esau terram exercet aratro, si torpentes boues acuto adurget stimulo, adhæcque venationis laboris exercet, cur Iacob adeò simplex, vt nec agriculturæ studeat, nec venationi curam impendat? Nulla Iacobi proditur occupatio, cùm Esau consignetur litteris gemina. Ecqua huius causa est? Quia alter cælesti doctrinæ contemplationi deditus, alter à cælestium meditatione seclusus; Esau dum agriculturam exercet, dum venationis anxias sequitur delicias, omne caducis tem-

pus insumit; at Iacob, quia se totum meditationi tradiderat, totum se externis occupationibus denegauerat. Ergo sacer textus, vt Esau contemplationis prodat ignarum, & variis refert curis districtum: Iacob verò omnis externæ solicitudinis prorsus expertem, vti contemplationis amantē: quasi hæc duo sibi ex diametro contrarientur opposita, nimis mundialium curis expendi, & contēplationis dulcedine frui.
Gaietan. Adest Gaiet. *Dictionē interpretatā, simplex, multi interpretantur, perfectus. Certum aiunt esse quòd Hebraica dictio à plenitudine deducitur; & ad perfectionem, seu plenitudinē animi referūt. Esau vacabat agriculturæ, & venationi, Iacob vacabat domesticis officijs, & cultui proprij animi.*
Chaldaic. Adest etiam Chaldaica paraphrasis: *Fuit Esau vir venator, vir egrediens in agrum; Iacob autem erat vir perfectus, minister domus doctrinæ:* Qui cælestem coluit doctrinam, nullis legitur telluris curis impensus, aut caducis aliquo modo addictus: amat namque diuinorum contemplatio secessum, non solùm ab humanarum rerum tumultu; sed ab strepitu. Ergo Bethel contemplationis domus solitudini vicina: quia quò humanis quis expeditior, & ad cælestium contemplationem est aptior.

14. Moyses, vt Pharaonis euinceret peruicaciam, variis illum suppliciis affecit; ille verò in seipsum crudelis conducibiliorem ducebat pertinaciam, quàm pœnitentiam; verùm cùm aër horrendis sibilis aures percelleret, æthérque crebris, horrisonísque mugitibus intonaret, cùm oculos perstringerent fulgura, Moysem vocat, & se populum spondet, si tonitrua cessauerint, dimissurum. Proh cogitationem fraudulentam, & sub humilitatis specie duritie cumulatiori ingrauatam: dimittat populum, & cessabunt tonitrua: petere namque, vt priùs euanescant tonitrua, est differre, quæ fingit, vota:
Exod. 9. v. 28. *Orate Dominum, vt desinant tonitrua Dei, & grando, vt dimittam vos, & nequaquam hic vltra maneatis.* Moyses, quia tantùm desiderabat emendare, & nullatenus torquere, *Cùm egressus,* inquit, *fuero, de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, & grando non erit.* Profectò videtur Moyses dilationem dilatione punire, & alleuationis tempus de industria quodammodò protelare. Quid ciuitatem egredi opus? Extendat palmas, ne dum tempus in locis petendis secretioribus ponit, horrisona procella diuerberet. Certè manus extendere facile, necessitas vrgens: ergo intra ciuitatem oret, ne de mora irreparabilis regnum euertat ruina. Moyses, & Ægypti afflictionibus conatur mederi, & apud posteros secessum à tumultu ad orationem fundendam maximè commendari.
Abulens. Ita Abulensis quæst. 10. *In hoc apparet, quod dicebamus suprà 5. capite, scilicet quòd Moyses extra ciuitatem habebat aliquem locum, in quo cum Deo loquebatur sequestratus ab humana conuersatione: in ciuitate autem fortè non erat locus ita secretus, in quo Moyses loqui posset cum Deo.* Ciuitas hominum exundans copiâ orationis serenum innubilabat: ideò Moyses, vtpotè orandi gnarus, solitudinis petiit secretum, & ciuitatis fugit tumultum. Loqui namque cum Deo, vt oportet, petit animum prorsus abstractum, nec commerciis sensuum impeditum. Sæpè namque variæ per sensus imagines pulsant animum, & corrumpunt orationis studium. Vbique se Deus misericorditer exhibet, verùm copiosiùs solitudinem incolentibus, parciùs, vt plurimùm inter homines habitantibus.

Adsunt huius veritatis testes Lotus, & Abrahamus. 15. Abrahamo tres apparent personæ in ipso feruore diei: *Cùm eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum.* Gen. 18. v. 2. Loto duo solùm apparent, & iam vesperascente, & obtenebrata luce: *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere.* Gen. 19. v. 1. Quæres, cur copiosiorem sui præsentiam fecerit Abrahamo, cur aliquid subtraxerit Loto; cur alij candicante luce, & alij appetente iam nocte? Magnus virtute Abrahamus; sed & Lotus satis eximius, vtpotè quem nec peruersorum conuersatio valuit corrumpere, nec obscurus regionis ignis fuscare. Plures interpretes huius discriminis causas reddunt; illa tamen non incongrua: Abrahamum scilicet tunc commoratum in solitudine: *Apparuit*, inquit, *ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui*, & Lotum degere in ciuitate: *Sedente*, inquit, *Lot in foribus ciuitatis.* Vtérque cælesti præsentia fruitus, vtérque cum Domino conuersatus; verùm quia Abrahamus à rerum tumultu satis remotus, candicante luce vidit, quod vespere Lotus ciuitatis litibus occupatus; Lot duos aspexit, Abrahamus tres vidit: fecit námque Deus maiorem sui copiam remoto, & minorem occupato. *Lucum arboris incolebat Abraham*, scribit Augustinus in sermonib. de temp. serm. 66. August. *sub qua constructum erat, qualecúmque suffugium: angustum quidem homini; sed sufficiens maiestati:* dum lucum incolit, dum mundialem strepitum fugit, dum hominum auersatur commercium, dignum construit Trinitati palatium. Adest Cyrillus apud Cyrillus. Lippoman. *Tres Angelos vidit Abraham in figuram Trinitatis, duos autem Lot.* Sedens in ciuitate duos tantum videt, & quidem sub vesperum, quando visio non adeò clara: quia obiecta obscuritate perfusa. Abraham locum remotum habitans, & maiorem videt numerum, & de lucis candore clariùs: vt noueris ad contemplanda diuina plurimum iuuare recessum, nocereque vel humanorum sensuum tumultum. Et ne visionis discrimen excellentiori Abrahami virtuti adscribas, hoc idem Iacobo accidisse reperies, vt discas vel honestas occupationes, dum mentis distrahunt conatum, impedire contemplationis serenum.

Agebat pecudes sub diuo illorum incolumitatis solicitudine occupatus, & frequentibus 16. belluarum adsultibus semper oppositus: hîc Deus illi apparet; verùm in somnis: testatur ipse: *Dixit Angelus Dei ad me in somnis, &c. Ego* Genes. 31. *sum Deus Bethel.* v. 11. Obscura sui visione oues agētem dignatur Angelus, cùm tamen alibi de facie ad faciem aspectu gratuletur sibi Iacobus: *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est* Genes. 32. *anima mea.* v. 30. Inquiramus, si placet, cur eidem Iacobo iam claram Deus sui præsentiam exhibeat, iam sub ænigmate quodammodò, satísque obscuram: expende locorum, & circumstantiarum differentiam. In somnis, & sub ænigmate apparet oues curanti, & variis curis sese impendenti: posteà verò *traductis omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus*, Deum facie ad faciem vidit. Solus, & vel ab honestis negotiis seiunctus in Numinis ruit amplexus: *Ecce vir*

vir luctabatur cum eo vsque mane. Vt noueris solitudinem contemplationis esse patriam, & sub occupationibus orationem degere peregrinam. Adest Caietanus. *Describitur Iacob solus. Intelligimus quod vxores & filij, & greges prosequebantur iter, remanente Iacob solo in loco, quem postea appellauit Phanuel. Et rationabile est vt manserit solus, vt commendaret se & suos Deo.* Vbi solus manet, Dum clariùs videt: vbi occupatus degit, obscuriùs. Solitudinis locum appellauit Phanuel: *Vidi*, inquit, *Deum facie ad faciem*: de virtutum sanè merito; sed de solitudinis etiam suffragio. Si vis liberiori frui cælo, te, quantum possis, denega mundo.

Caietan.

§. V.

Plurimi virtutem exteriùs simulare solent ad plausum, cùm vitijs indulgeant ad appetitum.

17. Virtus non solùm res honesta; sed & honorabilis est: eius studiosi, si verè studiosi, præter intentionem lucrantur plausum, & sibi omnium conciliare solent affectum; verùm virtutis frequentare scholam sanè est laboriosum, vtpotè quod voluptatibus indicit exilium. Hinc non semel humana astutia sic inter Virtutis rem & opinionem ingeniosa peruersitate diuidit, vt virtutis sequatur vmbram ad plausum, cùm animitùs virtutis auersetur profectum. *Quidam*, aiebat Stoicus epist. 109. *veniunt vt audiant, non vt discant; sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures oratione, & voce vel fabulis ducimur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philosophi schola diuersorium otij sit: non id agunt, vt aliqua illo vitia deponant, vt aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores suos exigant; sed vt oblectamento aurium perfruantur; aliqui tamen & cum pugillaribus veniunt, non vt res excipiant; sed verba, quæ tam sine profectu alieno discant, quàm sine suo audiant.* O nimis verum! rapit multos instigátque virtutis ac sapientiæ pulchritudo, ore versant, si quid acriter contra mortem dictum, si quid contumaciter contra fortunam; verùm dum se fortes foris ostentant, animo prorsus sunt imbecilles; castitatis nitorem allaudant; sed turpitudinis voluptates sequuntur: amant ventosi opinionem virtutis, & delicias voluptatis: vt lucrentur famam, & philosophiæ frequentabunt scholam, & magnificam ore gestabunt semper doctrinam. Dissidet tamen à mente sermo, nec quam foris ostendunt, intus retinent mentem; sed cum vitiorum sint domicilium, virtutum sunt cænotaphium. Filij Ioseph fortis suæ hæreditatem accipiunt, in eáque Bethel Dei domum feliciter possident. *Solitudo quæ ascendit de Iericho ad montem Bethel.* Verùm cum illo paternæ contemplationis domicilio Chananæum tributarium habere gestiunt: *Non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer.* Ecce vtrumque coniungunt, & Bethel Dei domum possidere, & tributum contra præceptum accipere. Sanè Bethel locus erat ille, in quo Iacobus fratris iram fugiens scalam vidit, vbi lapidem gratitudinis testimonium erexit, vbi se Deo animitus consecrauit, vbi magnificis promissis quodammodò repudiatis se Deum semper cultutum asseruit. Filij ergo Ioseph antiquos virtutis lares ostentant; sed lucra vitiorum amant: quærunt virtutis plausum, exigunt a vitiis tributum. *Non interfecerunt filij Ephraim Chananeum. Hìc ponitur*, scribit Abulens. quæst. 3. *præcepti diuini transgressio; scilicet quod Ephraitæ cupiditate tributorum non occiderunt Chananæos habitantes inter ipsos.* Ecce cum virtutis domicilio vitiorum cupiditatísque tributum coniungunt, vt de Bethel possessione veluti numinis suspiciantur amici, de tributísque cupiditatis sint serui.

Senec.

Plures concioni solent adesse, non profectus voto, sed voluptatis studio.

Abulens.

18. Cùm populus ille idololatriæ insania percitus Deos sibi conflare peteret, Aaron, qui virtutis fuerat vindex delegatus, causas idololatriæ peregit: Sapiens ignis vitulum illis defudit, sugillans cor apud Ægyptum habere bouis olim consecratricem. Ita Tertullianus aduersus Gnostic. cap. 3. *Sapiens ignis effigiem vituli defundit illis sugillans illic cor habentes, vbi & thesaurum, apud Ægyptum scilicet inter cætera animalia bouis etiam cuiusdam consecratricem.* Itaque cordе vitij fouebant studium: quid tunc? De montis vertice Moyses festinus descendit, & zeli impetu idolum nigras in fauillas comminuit, & venenatũ sanè potum in viscera populum transmittere cogit: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam & dedit ex eo potum filijs Israel.* Profectò Moysis opus à mentis studio dissidere videtur: si enim idololatras punire gestit, quid vitium ipsum propinat? Hoc non tam erit punire, quàm oblectare; verùm sciebat Moyses sceleris exaggeratius supplicium ipsum existere scelus: dum ergo scelere in pœnam potat, seuerissimè quidem castigat. Et quæ maior peccati pœna, quàm permittere iteratâ maculari culpâ? Profectò leuius esset horrenda adurere flammâ; verùm non solùm hoc Moyses factis adumbrauit mysterium; sed aliud etiam aperuit nobis arcanum: plurimi populares sic corde idolatriam colebant, vt exteriùs odium mentirentur idololatriæ: piaculo cupiebant fœdari; sed fœdati auersabantur videri. Ergo Moyses, vt puniat, impressa labiis pulueris notâ scelestos declarat: nec detegi exiguum quidem illis erat tormentum, quando malitiam tegere vehemens illorum suspirabat studium. *Aiunt quidam*, scribit Rupertus lib. 4. in Exod. cap. 17. *quod aureum vitulum in puluerem redactum in potu illis in iudicium dederit: & hoc facto qui auctores fuerunt sceleris, aureis prominentibus labijs publicati vel deprehensi.* Gestiebant vitulum colere; nolebant tamen exteriùs cultores vituli aspicientibus apparere. Ergo Moyses in iudicium aureis pulueribus sugillauit, quòd non leue illis supplicium fuit, dum virtutis carent plausu, & vitulum deprehenduntur infami adorasse cultu. O vtilem reipublicæ politiam! notis aduri scelestos, ne aliis immisti virtutis corruperint studiosos. O vtilem sæculis eruditionem, mulctare iniquos opinione virtutis, quam suspirant studiosissimi voluptatis: *In iudicium dedit, vt aureis prominentibus labijs publicati vel deprehensi.* Acerbum multis iudicium fuit non sceleribus inquinari; sed amissa opinione notis exterioribus deprehendi.

Tertull.

Exod. 32. v. 20.

Rupert.

19. Rachel patrem, fratrésque mariti amore relinquens idola clanculum subripit, secúmque

cunctis ignorantibus defert: mira res! mulierem tulisse idolum, & sceleris sui coluisse silentium; adeò namque vt plurimum fœminæ sunt loquaces, adeò secreti seruandi impotentes, vt quas culpas texerat ignorantia, garrulitas prodat stulta: clanculum accepit idola, & hoc mulieris studium celare factum, & habere secum
Gen.31.v.19. idolum: *Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata est idola patris sui.* Quòd Rachel idola tulerit idololatriæ causâ, nonnullorum sententia est. Ita Theodoretus quæst.89.
Theodor. *Quidam dixerunt Rachel subripuisse idola propter animi studium, quo adhuc amplectebatur illa.* Nouit pater sacrilegum sua opinione furtum, & coacta manu recuperare festinat idolum: Rachel sub cameli stramentis tegit, patrisque desiderium eludit: *Festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper.* Non abiecit; sed occultauit: exteriorem fugit notam, internam seruat rapinam: omnis Rachelis industria, & idola tegere, & secum semper portare: auersabatur Numinis cultricis opinionem amittere: gestiebat corde idolis aram sacrare: itaque, & fidei amabat plausum, & idololatriæ suspirabat delictum: non est auersata piaculum, sed piaculi coluit astutiâ silentium: opinione Iacobi amplectitur religionem, re idolorum gestit ambitiosissima seruitutem.
Chrysost. *Magna Rachelis solertia*, scribit Chrysostomus apud Lippomanum, *per quam deludere potuit Laban.* Rachel industrium in eo adhibuit studium, vt patrem eluderet, & idolum clanculùm coleret: hoc namque plurimis cordi est, scilicet & virtutis nitere fama, & vitiorum interiùs fœdari culpâ.

20. Dalila, quæ non Samsonis dilectioni; sed auri se prostituerat cupiditati, vbi maioris lucri spes affulsit, & specie dilectum prodere hostibus minimè recusauit: quasi fortitudinem eius demirans, causam semel & iterum perscrutatur: plaudit, vt fallat: nouerat namque vel fortes viros, vt indulgeant plausibus, contraire virtutibus; ille verò muliebris ingenij gnarus artem arte refellere nisus est: dolum dolo exclusit, & mulieris fallaciam facillimè deprehendit, verùm cùm illa lachrymis fidem cogeret, & ad lamenta recurreret, rem ille aperuit; tonsoris ope vires illa præcidit, & quasi dormientem excitans in-
Iud.16.v.9. clamare cœpit: *Philisthijm super te Samson.* Et cur sopitum non prodat: sed excitatum de periculo appetente admonuerit: Satius videbatur somno ligatum tradere, & hostibus depilatum prodere: si excutiat somnum, fors, vt aliàs, vincula rumpet, & in inimicos irruet: ergo proditioni aduersatur excitatio, & excitationi contradicit proditio. O fraudulentas mulieris artes! Si sopitum traderet, se auro corruptam, & proditricem prodebat: si non traderet, fidem Samsoni seruabat: ergo vt opinioni consulat, periculum appetere inclamat, & pilos radit, vt cupiditati seruiat. Noluit apud homines proditionem clarè adeò infamari, vt nullatenus tegere mendacijs valuerit: noluit Samsonem sic à periculo eripere, vt promissum aurum perdiderit. Clamauit itaque vt periculo videretur per-
Abulens. culsa, rasit, vt viueret de proditione ditata: *Quæretur*, scribit Abulensis quæst. 15. *quare Dalila sic clamauit: quia securius capi poterat Samson, si dormiens postquam ligatus esset, tenerent eum Philisthijm*: respondétque: *Oportebat sic eum vocari, vt ipse conaretur se soluere, si posset.* Noluit Dalila publicè appellari de dolo, nec carere voluit auro: ergo re prodebat; specie tenus, vt vincula rumperet, periculáque abigeret, inclamabat: itaque non recusabat proditricem nummis corrumpi; sed videri: voluit & rem exercere insidiantis, & habere opinionem monentis.

Amanus ille hostis infestissimus Iudæorum 21.
immortale odium, quod pectore gerebat in Mardochæum, omnium sanguine sopire anhelans sic captiosas disposuit insidias, vt re inseruiret maleuolentiæ, opinione tamen publicæ consuleret causæ: regem adit, periculum imminere mentitur, Iudæorúmque mortem publicæ testatur vtilitatis crementum. *Dixit Aman Regi* Esther 3.v.8.
Assuero: Est populus per omnes prouincias regni tui dispersus, & à se mutuò separatus nouis vtens legibus, & caremonijs, insuper & regis scita contemnens, & optimè nosti, quod non expediat regno tuo, vt insolescat per licentiam: Si tibi placet, decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcarijs gazæ tuæ. Carè periculum suum emebat, dum periculum alijs vocabat: plus sanè rex ab Amano, vt qui decem millia talentorum appendere posset, sibi cauere debuisset, quàm à Iudæis à se ipsis separatis & diuisis: verùm inquiramus si placet, cur tot talenta voluerit expendere, qui sine auri detrimento idem regis decreto quiuerat impetrare? respondent interpretes voluisse prætexere indignum odium digno ad speciem, & vtilitatis publicæ, & fisci regalis zelo: animus erat osoris, sermo prouidentis. Suspirauit zeli plausum, iustitiæ excidium. *Quasi dicat*, scribit Nicolaus, *sic potest esse* Lyra.
origo rebellionis & contentionis in regno tuo: & optimè nosti: quod non expedit regno tuo: hoc dixit adulando regi, vt magis inclinaret ad credendum sibi. Ad speciem consulit reipublicæ paci regníque incremento, cùm infami seruierit odio: proh visitatam satis curialibus politiam! exteriùs videntur rem exercere virtutis, cùm interiùs animitus hostes extiterint honestatis. Iosephi filij vtpote palatiis innutriti, & contra legem ambiunt tributum, & paternum colunt templum.

A ministro diuite, Principe cauendū.

---

§. VI.

Sedula passionis Domini meditatio efficax animi morbis remedium, & aduersus hostium insultus firmissimum propugnaculum.

AD impotentes animi motus regendos validissima est pœnæ meditatio, & gratitudinis coercitio: qui delicti sui considerat pœnam, vel passione instigatus vitare satagit culpam, passionum fumus de fœdo incendio exhalatus oculos cæcat; sed vexatio vtili collyrio reluminat. Malè cum hominibus actum esset, ni suppliciorum timor animi ægritudinibus mederetur: timore pœnæ sæpè fit, quod nullatenus fieret rationis imperio, aut honestatis studio. Trina tentatione dæmon Christum Dominum deserto prouocabat ad lapsum, in regione tamen Gerasenorum tremens ad terrámque deiectus adorat: quod sermone 17. ingeniosè expendit Chrysologus: *Quid est Diabole? Quem* Chrysol. 22.

trina

trina tentatione prouocabas ad lapsum, quem promissione regni, vt te adoraret, subdolus ambibas, nunc tremens, & miserandus prolaberis, & adoras? Reddit rationem Chrysologus: *Adorat euadere cupiens pœnam.* Itaque quos honestus amor, nullatenus ad virtutem allexit, ab excessibus pœna retraxit: Nec solùm refrænat castigationis timor; sed etiam, & nobiliùs gratificationis affectus, quandoquidem ingenuum dedecet iniuriis beneficia compensare,& amanti vulnera incutere. Itaque timor, & gratitudo à vitiis retrahunt, ad virtutisque cultum trahunt: cúmque Dominus cruci affixus, & in corpore suo nostrorum scelerum veluti in speculo oculis ostendat pœnas, diuinissimique amoris flammas; qui Christum Dominum cruci meditatur affixum & de pœnis furoribus mutuatur remedium, & beneficiis obstrictus ingratitudinis fugit piaculum. Cum Ephraimitæ promissionis terram ingrederentur, in sorte sua Bethel ciuitatem possederunt: *Solitudo quæ ascendit de Iericho ad montem Bethel, & egreditur de Bethel Luza.* Hic nullos aduersarios

Scala erat crux.

leges, cùm in Gazer habitauerit Chananæus: *Non interfecerũt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer.* Et cur Chananæus Bethelem non incolat, qui Gazer fortis munit,& armatus colit: Quia in Bethel mirabilis illa à terra in cælum scala: nam cum Iacob fratris iram fugeret, ibique itineris labore fessus quiesceret.

Genesi 28. v. 12.

Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum. Loco nomen imposuit, Bethélque nomine decorauit; *Appellauit nomen vrbis Bethel.* Iam in scala illa Christum Dominum affixum cruci spectasse,testatur

August.

Augustinus apud Lippomanum. *Quid est in scala incumbere, nisi in ligno pendere?* In Bethel ergo Chananæus viuere non permittitur; quia ibi Dominus crucifixus videtur, & de crucis aspectu, & pœnarum timor appetitus frænat insaniam, & tanto amori debita gratitudo inflammat dilectionis vehementiam. Iam in Chananæis vitia signari, quia in hoc capite aduers. 10. sæpiùs explicui, non repeto; sed suppono. Itaque vbi Dominus crucifixus videtur, Chananæus viuere non permittitur: aliis in locis auri amor, tributorum cupiditas legi infert iniuriam, dum Chananæorum patitur durare memoriam; in Bethel verò nullum remanet vitiorum vestigium, quia crucifixi mores informat exemplum.

23.

Isai. 2. v. 10.

Deus vt dilectum veluti à generali culparum illuuione eriperet, *Ingredere*, monet, *in petram, & abscondere in fossa humo, à facie timoris Domini, & a gloria maiestatis eius: oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorum.* Diuus Bernardus in Allegor.

Bernard

Tilmani, hic imbecillæ animæ ostensum testatur effugium, quandoquidem non valet exire in prælium: *Infirmæ adhuc, & inerti animæ, quæ iuxta quod in Euangelio quidam de semetipso confitetur, fodere non valet, & mendicari erubescit, fossa ostenditur humus, vbi lateat, donec conualescat, & proficiat: vt possit, & ipsa pro se sibi cauare foramina in petra, per quæ intret ad interiora verbi, animi vtique vigore, & puritate.* Opportuniora nostro instituto, quæ subdit. *Etsi intellexerimus fossam humum illam, quæ ait: Foderunt manus meas, & pedes meos, non erit ambigendum de sanitate citius adipiscenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabatur: quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio.* Quantumuis circumsonent armatorum adsultus, quantumlibet vicinum perstrepat bellum, fossam pectoris meditantem, nec hostis feriet, nec aduersarius infami iugo subiiciet: hæc námque fossa humus adeò firmissima est Petra, vt inimicorum iacula illisa resiliant, & ipsos proiicientes feriant. O quàm inuincibili muro protegitur, quam altissimo vallo circumdatur, qui in Christi Domini corpore sceleris humani attentiùs considerat pœnam, & diuini amoris contemplatur intimiùs flammam. *Quid tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, quàm Christi Domini vulnerum sedula meditatio.* O vtinam homines huic salubri meditationi aliquod tempus impenderent, ne crebra aduersariorum vulnera tolerarent.

Descendebat incautus viator à Ierusalem in Iericho, latitabant feri grassatores deserto, & 24.
dum improuidus celeriùs inuolat, periculum incautiùs vocat: dispoliatus altissimis vulneribus iacebat confossus, & iam extremum agens spiritum miserandus suo sanguine irrigato volutabatur in solo; verùm si improuisum tulit periculum, & improuisum habuit calamitatis remedium; Samaritanus illac transiens miserando illo spectaculo ad commiserationem prouocatus equo desiluit, & vulnera vino, oleóque fota salubri ligatura constrinxit; *Samaritanus* Luc. 10.
autem quidam iter faciens venit secus eum, & v. 33.
videns eum misericordia motus est, & appropians alligauit vulnera eius fundens oleum, & vinum, & imponens eum in iumentum suum duxit in stabulum, & curam eius egit. Drogo Ostiensis de Sacramento Dominicæ Passionis, has, quibus coirent, vulnerum ligaturas Christi Domini Passionem explicuit: fortiter namque ligatur ad sanitatem, ne manus ad illicita extendat, qui Domini Deique filij manus ferreis ligatas manicis æquus ponderator aspexit. Sanantur animi vulnera per oculos à mentita pulchritudine illata dum illius faciei horrore, sputis, & alapis defœdatæ pensantur opprobria *Dedisti corpus* Drog.
tuum, verba sunt Drogonis, *percutientibus, & genas tuas vellentibus: faciem tuam non auertisti à concupiscentibus in te, vt alapæ tuæ alapas meas remoueant, & flagella flagellis expientur, & opprobria exprobrantium, quæ ceciderunt super te, auferant à me opprobrium sempiternum. Hæc sunt linamenta mundissima carnis tuæ, quibus vulnera mea alligasti ô Samaritane misericors, vt imponeres me super iumentum tuum, & perduceres in stabulum.* Si vittarum munus est detinere, & ligare, nullæ ligaturæ fortiores, vt nos virtuti affigant, & à peccatis remoueant, quàm Christi Domini sacratissima vulnera. Omnis peccans est ignorans: nec enim fœditatem, quam ex peccatis contrahit, in facie sua valet aspicere, vtque ore fœdissimas maculas patiens, dum ignorat, sibi non displicet; speculo tamen obiectas intuitus horret, ita peccator, quia quam animo gerit, fœditatem non videt, nullatenus horrore percellitur. Quid ergo? animæ crystallinum speculum fecit nobis de suo corpore Christus, quo nostras ibi repræsentatas maculas videremus; horrendóque visu perculsi deleremus digno dolore, abstergeremúsque

Christi Domini corpus dolore attritum animæ datur speculum.

que pœnitudine: *Fecisti*, addit Drogo, *mihi de corpore tuo speculum animæ meæ: nesciebam contumelias, & terrores, & colaphizantem me incessanter Sathanam, nisi viderem artem medicinæ tuæ similia similibus curantem, & appendentem in statera, hinc calamitatem tuam, illinc iniquitatem meam.* Huius speculi contemplatio pro vita est, constringit dolore peccatorum vulnera, vlcera cupiditatum ne proserpant, ligat, & dum fœditatem oculis obiicit, libera coactione ad displicentiam compellit: quis enim adeò obstinatus, lapideus adeò, vt sceleris sui pestiferam saniem non horreat, si faciem illam venustatis formam, quam Angeli ardenter intueri exambiunt oculis vel obturbatis aspiciat? Peccatorum vincula hoc charitatis vinculum dissoluit, nec solùm soluit; sed rumpit.

25. Duo Pharaonis serui in Dominum suum delinquunt: peccati reatibus carcere tenebantur inclusi, & duris vinculis illigati: illorum alter Pharaonis calicem contemplatur in dextera, quem generosius vuarum sanguis replebat: *Videbam calicem Pharaonis in manu mea.* Alter tria canistra supra caput ferebat pane quidem candidissimo referta; sed quia supra caput, fugiebat oculos, & prægrauabat humeros: *Et ego vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum.* Ioseph optimus somniorum coniector alteri, scilicet calicem videnti, a culparum vinculis citissimam absolutionem prædicit: alteri verò panem non videnti mortem denunciat acerbissimam. Quærunt interpretes cum similis vtriusque fuerit causa, cur adeò dissimilis causæ sententia. Hugo Cardinalis ad mores aptans litteram fortunæ discrimen inde natum asserit, quòd alter, calicem, hoc est Christi passionem, oculis contemplabatur, alter verò obliuioni tradidit panem passionis epitomem. *Calicem in manu habet*, inquit Hugo, *qui Christi passionem habet in opere.* Alterius vincula, dum calicem manu videt, de calicis contemplatione soluta, alterius de panis ignoratione duriora. Non potuit vinum illud generosissimæ vitis oculis obiectum peccati vulneribus non mederi, & salutem per oculos instillare; at non visus panis humeros detegit ad exaggeratius supplicium, non rumpit vincula ad libertatis suffragium: Profectò qui passionis calicem intuetur, nequit peccatorum vinculis detineri, nec didicit, qui non contemplatur, absolui. Addiderim infaustum extremæ calamitatis omen Christum Dominum affixum cruci videre, & peccatis inhiare.

Genes. 40. v. 8.

Hugo.

26. Cùm Pharao truculenta illa bellua in hominum perniciem nata, & hominis facie induta, nequissimis artibus Hebræorum vires conaretur accidere: maiores duris verberum morsibus dilaniabat, infantes, quibus maior commiseratio debetur, nigris aquarum vorticibus deuorandos impiè tradebat; verùm cum miserabilis gens humano prorsus auxilio destituta à gemitibus opem deposceret, non despexit iustitiæ oculus; sed Moysem in truculentam feram armauit. Et quia grauissimus morbus validissimum exigebat remedium, virgam tradit in serpentem, non sine stupore mutandam: *Tulit Aaron virgam coram Pharaone & seruis eius quæ versa est in colubrum.* Postcà diuersa portentorum adhibita sunt medicamina: ignis cum grandine confertus ruebat, purpurescebat vndarum liquor, monstrorum agmina incursabant, & Ægyptum egregiè vapulare cogebant; verùm qui de virgæ in serpentem versæ aspectu non curatus, nec de cæteris portentis est menti saniori redditus: vt iam à principio constaret omnibus hominem illum cruciatibus æternis deuotum, quandoquidem serpêtis visu nullatenus retractata mente mutatus: serpens namque in virgam conuersus, teste Isidoro in quæst. in Exod. Christum Dominum cruci affixum referebat: *Virga est verbum directum, regale plenum potestatis, insigne imperij virga serpens facta est quoniam qui erat filius Dei ex Deo patre natus, factus est filius hominis ex virgine natus, qui quasi serpens exaltatus in cruce medicinam vulneribus infudit humanis.* Iam Pharao diaboli obstinationem referebat, quem crucis non medicabatur aspectus, nec medelam afferebat obtutus. Dum Pharao ad serpentis aspectum mentem non demutat, vel cæcis hominibus nullo portento, prodigio nullo ab excessibus reuocandum declarat: Domini namque cruci affixi contemplatio efficacissima nostris vulneribus medicina, dum peccatorum grauissimas ostendit pœnas, & vel durissimas cautes ardentibus emollit flammis. Adde de crucis Domini adspectu corrigi homines voluptatum præstigiis vsque ad brutorum cœtum translatos.

Exod. 7. v. 10.

Isidor.

27. Fugit ouis pastoris illius prouidentissimi curam, & fucata pratorum pulchritudine illecta in longissimas vagatur regiones abducta; verùm benignissimus pastor, qui charæ ouis amore sauciatur, & errantis commiseratione percellitur: syluas obit, montium cacumina premit, campis exerrat, quo in partem quodammodo de errationis veniens erroribus medelam attulerit: tandem inuentam non sine ingenti labore imponit humeris, & ad cæterarum caulas reducit: *Imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum conuocat amicos & vicinos.* Cur humeris impositam duxerit, rogant interpretes. Ambrosius ideo ceruicibus crucis ligno detritis tulisse ait, vt ouis, dum crucem aspicit, errores antiquos facilè abiuret: adeò enim crucis aspectus est efficax, vt quos voluptatum præstigiæ ab hominibus transtulerunt in bestias, a brutis in homines cordatos retulerit: *Ouis illa, quæ perierat in Adam, leuatur in Christo, humeri Christi crucis brachia sunt, illic peccata mea deposui, in illa patibuli nobilis ceruice requieui.* Expende vbi ouis peccata deponat, in ceruice videlicet cruce attrita: nec enim quibat vel brutum oculis crucem aspicere, & antiquis erroribus denigrari.

Luc. 15. v. 5.

---

§. VII.

Non semel dum quis studiosiùs conatur inuigilare virtutibus, molestissimis turbatur vitiorum cogitationibus.

28. VT oborta candidior lux vapores excitat, nebulásque, quibus tantisper obscuretur, exsuscitat, quæ frigore compressæ exhalari nullatenus videbantur, sic dum animus candidiore luce fruitur; importunis cogitationum turbis non semel impetitur, quasi hæ tetræ nubeculæ fulgoris sint appendices, aut contra splendoris adspectum armentur hostes. Bonum semen comitantur

mitantur zizania, & crescit vtrúmque, quasi hoc nobilioris excellentiorísque frugis velut ineuitabile fuerit fatum zizaniis scilicet interseri, & illorum molestiam pati. Ephraimitæ sortis suæ amœnam incoluerunt tellurem; verùm Chananæorum affliguntur improbitate vexari, & quodammodò impetiti. *Vrbes separatæ sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, & villæ earum, & non interfecerunt filij Ephraim Chananæum.* Adamantius Origenes homil. 21. in Iosue ad mores adaptans historiam Chananæum cogitationum turbinem interpretatus est, quibus anima veluti ventorum flatibus percutitur, dum auidiùs fructificare conatur:

Origen.

Ephrem interpretatur fructificatio, inquit: *qui ergo fructificat, & crescit in fide, non potest exterminare Chananæum, semen pessimum, semen maledictum, semen semper mobile, semen incertum: hoc enim interpretatur Chananæus: & certum est quia cum eo, qui fructificat, & crescit, semper habitat Chananæus: nunquam enim tentationum motus cessant ab eo.* Ad felicitatis cumulum propero gressu contendens serenúmque perfectionis exambiens importunos sæpiùs tentationum patitur adsultus, quibus dæmon arcere tentat volatus: vbi Ephraimitæ fructum proferunt, vbi in cumulum virtutis accrescunt, Chananæorum sustinent molestias, & fœdarum cogitationum angustias: *Chananæos*, iterum audis Origenem, *id est, vagas, & lubricas cogitationes.* En sustinent cogitationes lubricas, qui virtutum frequentare conantur scholas.

29. Cùm Abrahamus parens ille maximus Deo obediens veluti humanas affectiones egressus sacrificium Domino litare festinat, importunatum auium sustinet ausus, etsi non patiatur

Gen. 15. v. 9.

morsus: *Sume mihi vaccam triennem*, iubet Deus, *& capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quóque, & columbam.* Paruit extemplò, aráque instructa obtulit obsequentissimus vniuersa: *Qui tollens vniuersa hæc diuisit ea per medium, & vtrásque partes contra se altrinsecus posuit: aues autem non diuisit, descenderúntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham.* Et cur anteà Abrahamum aues importunæ inquietasse non referuntur; & modò veluti facta manu irruisse dicantur? *Descenderunt*, inquit, *volucres.* O quanta in abigendis solicitudo! quantum in seruando sacrificio illibato studium! Gregorius lib. 16. Moral. cap. 19. Auibus his autumat cogitationum explicari tumultum, & internum signari strepitum.

Gregor.

Abraham cùm ad occasum Solis sacrificium offerret, subsistentes aues percuslit, quas studiosè, ne oblatum sacrificium raperent, abegit: sic nos cùm in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus, & peruersæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino vtiliter sperat. Dum Abrahamus sacrificium non offert, pertinaces aues non sustinet; verùm cùm vniuersa Deo dicat, dæmones immissarum cogitationum rostris decerpere aliquid ambitiosè festinant, & necessum est manus sanctæ discretionis abigat, dum manus vniuersa aris imposita litat. Affligunt sæpissimè deuota corda volucrum importuni volatus, verùm ad felicitatis pertinet incrementum, si abactæ non fœdauerint sacrificium. Profectò Abrahami hostia minùs commendabilis esset, ni irruentes aues vicisset; verùm gemina lauro redimitur, dum & auium sollicitus abegit adsultum, & illibatum dicauit Numinis sacrificium. Satius est, dum offeratur victima, importunis auium diuexari molestiis, quàm volucrum carere molestiis, quia cordis ara nudatur victimis. Tunc Abrahamus obortas patitur cogitationes obscuras, cùm sacrificiis religiosus coronat aras: sæpè namque dum se quis puriùs Deo consecrare studuit, & immunda volucris quid discerpere festinauit.

Non incongruè aquila plena plumis, acutis instructa vnguibus ad Libanum inuolasse refertur: 30.

Ezech. 17. v. 3.

Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum. Et cur inter tot montes ad Libanum inuolarit? Nónne, & copiosior in aliis montibus pastus, & frequentior cibus? Libanus cedris speciosissimis coronatur, nimium candore vestitur. Huc ergo pessima aquila importunum destinauit volatum, vt eximium obscurare candorem aut altissimam emedullare nitatur cedrum: alios montes despicit, Libanum nubibus coæquatum, in corruptione celebrem, & candore micantem auidiùs exambit. Adest Drogo Ostiensis de Sacram. Domin. Passion.

Drogo. *Qui pompaticè ornatus plumis, & plenus dolis.*

Plena plumis, fallaciæ dolis, & auaritiæ: quia easdem artes variis modis ad decipiendum transfigurat, venit ad Libanum animam semel fidei, & vitæ merito candidatam. Quia eximius Libani virtutum candor, quia cedrorum incorruptibilis honor, varias aquila cogitationum contexit plumas, quibus intulerit monti molestias, despicit arbusculas aquila, frutices transilit; pedem figere non dignata: inuolat tamen ad cedros, vt si potuerit, perdat, aut si non potuerit, saltem concutiat.

Iob patientiæ simulacrum hanc sustinuisse pugnam, & gratiæ viribus reportasse sibi gratulatur victoriam: 31.

Iob 23. v. 17.

Non perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam, inquit, *operuit caligo.* Quia tenebræ Iobum fulgentissima luce micare cognouerant, facto impetu obtenebrare studebant: ille tamen diuino auxilio suffultus, & solerti vigilantia obarmatus, etsi tenebrarum impedire non potuerit accessum, vincere studuit adsultum: non ait: Faciem meam caligo non tetigit; sed *non operuit caligo*: tangi namque alienæ est peruersitatis ingenium; operiri verò se subiicientis peccatum. Ergo Iobus, quantumuis impatientiæ pulsatus motibus, quantumuis importunis vitiorum tactus pruritibus, passus nequaquam est vinci, & patienter tulit pulsari. Adest Gregorius vbi suprà:

Gregor.

Notandum quòd ipse priora denuncians nequaquam ait: faciem meam non tetigit; sed, non operuit caligo: sæpè enim etiam corda iustorum subortæ cogitationes polluunt, terrenarum rerum delectationibus tangunt; sed citiùs manu sanctæ discretionis abiguntur. Eximium puritatis cultorem fœdissimæ phantasiæ sæpiùs affligunt, & dum puritatis fulgentior nitor, & fœditas cogitationum obscurior: opponit namque peruersissimus aduersarius fortiorem hostem valentiori virtuti: cupiditate cupiditatis contemptorem inflammat; fidei obsequentem grauiori contra fidem impulsu instigat: gaudet peruersus homines si non possit vincere, saltim conturbare; verùm benignissimus Deus, quod virulentus hostis elaborarat in virtutis excidium, conuertit sæpè

in

in augmentum: virtutis ergo cultores animum despondere non debent, quando commendabiles adeò virtute viros hanc vident cogitationum sustinuisse rixam,& importunam tolerasse molestiam. Habitat Chananæus cum Ephraimitis: *Ephrem namque interpretatur fructificatio: qui enim fructificat, & crescit in fide, non potest exterminare Chananæum semen pessimum, semen maledictum.* Ergo vires resume: nam quantumuis caligo faciem tetigerit nequaquam lædet, si nullatenus operuerit; imò de tactu augustior emicat triumphus, & victoriæ deseruit tactus.

31. Psalm. 103. v.13. Psaltes,dum maris exaggerat magnitudinem, illic reptilium infinitũ prodidit numerum: *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus.* De fluminibus loquens non aiebat, illic reptilia,quorum non est numerus; de mari tamen protulit innumeris reptilibus inquietari, dum vagantur in vndis, & mouentur continuè in aquis. Et quæ huius discriminis causa est? Maris sanè magnitudo: flumina dum adeò copiosis aquarum non ditantur prouentibus, nec innumeris inquietantur reptilibus: ad mare verò quia magnum, & spatiosum manibus studiosè reptilia confugiunt, vt habitarint cauernas,& inquietauerint vndas. Ita Ostiensis Drogo de Sacramento Domin.passion. locum ad mores adaptans. Drogo. *Collabitur pes noster in hoc mare magnum, & spatiosum manibus,vbi sunt reptilia, quorum non est numerus, quæ somniorum uorum phantasiis intentam ludificant animam.* Ecce quid reptilia conentur: intentam animam phantasiis ludificare: dormientem Ionam non reptilia parua, sed cætus magnus translatum ad viscera incarcerauit. Et quid parua reptilia somnum immersum ludificare conentur, quando somnus ipse cæco tradidit illigatum, & ante piscis carcerem tetriori somnij carcere præpeditum; intentam animam, portúsque studiosam remorari nituntur,aut saltem phantasiis turbare gestiunt: magnum mare reptilia patitur: exiguum flumen fortè non inquietatur reptilibus,nec illorum turbatur motibus; si has reptilium phantasias pateris,benè de te præsume,non vt vanitatis incurras scopulos; sed vt erectiores resumas animos: magnitudini reptilia inuident,,despiciunt paruitatem.

33. Iam vt veritatem hanc clariùs noueris, perpende quod trium canistrorum pernici volatu impetiuerint aues: duo serui Pharaonis detinebantur carcere, somnia vident futurorum præsagia, Iosephóque coniectori optimo referunt: Gen.40.v.16. hoc erat pistorum magistri somnium: *Vidi somnium quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro quod erat excelsius portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auésque comedere ex eo:* tria capite gerebat canistra; aues tamen celsius impetunt, diriperéque conantur: & cur nonnullæ inferioribus insidientur canistris? sed supremi solum cibos defœdauerint rostris. Ipsa dubitatio est dubitationis solutio: Aues illæ, importunæ scilicet cogitationes panes non appetiuere cibarios; sed siligineos: dapes delicatissimas ambiunt: quia communes panes contemnunt: auium conatus elaboratos arte cibos deflorare gestiebant, quia alios sine illarum conatu dasfloratos putabant. Gregor. *Sæpè*, aiebat vbi suprà Gregorius, *in ipso orationis sacrificio importunè se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus.* Paratos Pharaoni cibos inuolant deflorare: alios dedignantur appetere. *Tria erant*, scribit Abulensis Abulens. hîc, *ad portandum in eis diuersitatem farinæ, vt in vno portaretur delicatissima, in alio minus delicata, in tertio autem ea quæ grossior erat: proficiebant etiam ista tria canistra ad portandum coram Pharaone & seruis eius diuersos modos panis, quia non eodem pane rex, & milites, & alij minores vescebantur.* Addit postea Abulensis: *Ex superiori canistro dixit aues comedisse.* A suprema, ad selectiora volucres inuolarunt, vt Pharaoni defœdarent dicata, quia alia ipsis habebantur despecta.

---

§. VIII.

Sæpè deiecerunt prospera, quem clarum virtutibus reddiderunt aduersa.

HOmines non solùm re,sed & opinione laborant, bona iudicant, quæ oculos splendore prolectant, & animos intuentium inuida ardentes cupiditate sufflammant: nesciunt ludos facere fortunam, & in mortalium cœtum honores,diuitias,& fauorem excutere, quorum multa inter rixantium manus perierunt, alia cùm auidiùs arriperentur excisa, alia ingenita mobilitate auolantia: multa magno detrimento illorum, in quos deuenerant, prensa, multa felicitatem promittunt, cùm sint indubia calamitatis illicia, & certa miseriarum fomenta. Nullus potest beatus esse, qui se huic opinioni tradiderit: non enim beatum est,nisi quod honestum: inter scelera suspectè viuitur, & qui se nimiùm fortuitis dedit,inexplicabilem sibi perturbationis materiam improuidus comparauit. Animæ serenitas, & conscientiæ placiditas est virtutis proles: nutricem solùm agnouerint honestatem, quæ fortuna cæcè dedit, & exoculata auferet: quæ virtutis consilio nascuntur, vtili animæ lucro fouentur. Quàm benè Seneca epist.75. *Qui omne bonum honesto circumscripsit, intra se felix est: nam qui alia bona iudicat, in fortunæ venit potestatem, alieni arbitrij fit.* Itaque solùm felix, beatúsque est, qui studiosè coluit honestatem, & auidè concupiuit virtutem: iam huic studio plus faueant prospera, an plus conducant aduersa,lis est; pars quæque suos patronos habet, alij namque inopia instigati se in vitiorum castra proripuerunt,alij diuitiarum irritamentis, & voluptatum insaniis naturam dedecorosa affecerunt iniuria, non sine virtutum offensâ; verùm etsi infausta, & prospera partes aliquando vitiorum egerint, sine dubio felicia sunt crimini cognatiora: aura namque hominum inflammatur superbia, oritur tumidissima ex dignitate arrogantia: salus,dum corpori vigorem inspirat, rationis vires eneruat. Inde honestiùs viuere solitant, qui acerba fortunâ depressi: qui procellosis exagitati vndarum vorticibus, non curant deliciarum oblectamenta; animos solùm intendunt, vt appetentia frustrentur naufragia: circa res corporis obliuio est. Hinc est quod Deus aliquas genes inter Hebræos habitare permiserit, ne, si omni prorsus aduersitate carerent, infaustiùs ipsa felicitate perirent. 34

Senec. *Solus est fortunatus, qui in honestis suam collocauit fortunã.*

petirent. *Habitauit Chananæus*, inquit, *in medio Ephraim vsque in hanc diem tributarius*: tributum percipiunt vtile ab ipso hostium incolatu: nam dum exacuunt semper timorem, erudiunt ipsis solicitudinibus ad virtutem. Huc voco Cassianum collat. 46. *Pugnam non inuidens Deus quieti Israelis, nec malè eidem consulens, sed sciens esse vtilissimam reseruauit, vt dum gentium semper istarum impugnatione deprimitur, nunquam se sentiat auxilio Domini non egere, nec inerti otio dissoluatur, nec bellandi vsum, & exercitium virtutis amittat.* Si nullum haberet hostem, omni prorsus timore depulso, inerti se tradidisset ignauiæ, & de securitate inseruiret vitiis periculosus, qui de periculo virtutibus obsequebatur securus. O quàm aliter componitur animus, dum ingruit sæua calamitatis procella, ac dum fauorabilis fauonij respirat aura! Si nulla calamitas veluti fræno iniecto appetitus cohibeat, ferociunt, & limites humanitatis disrumpunt: ergo aliquos patiantur hostes, ne otioso indulserint somno, aut toto se resoluerint vitio. *Gaudia*, aiebat Cassiodorus 4. var. 4. *semper animos inquietant: modus enim rarò lætis rebus imponitur, qui magis in tristibus inuenitur.* Benè aiebat Cato in oratione pro Rhodiensibus: *Res secundas lætitia transuersum nos trudere à rectè consulendo, & intelligendo.* Putat felix hæc fortunæ bona solida, cùm semper sint bracteata: opinione quidem pulchra speciem habent communem cum veris, intus vacua, & fallentia sunt.

Cassian.

Cassiodor. *Rarò lætis modus imponitur.*

Cato.

35. In deserto Deus illam hominum copiam cœlesti fragrantibus odore panibus alit, & de fragmentorum reliquiis miraculo fidem testatiorem facit: discipulos suos reliquiarum copia onustos scandere scapham cogit, cùm ipse montem oraturus inscenderit: *Sustulerunt*, inquit, *reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus... Et statim coëgit discipulos suos ascendere nauim.* Mari aduersa tempestate luctantur, venti furentes irruunt, fluctus tumidissimi insaniunt, horrendum sibilant funes, & minatur procella per momenta naufragium. Apostoli cum tempestate depræliabantur, ventorum refragantur adsultibus, & nauim gubernaculo aurigant, quò ad portum solicitè trahant. Quid tunc? Illorum labores oculis magister haurit, & opem allaturus per turbulentos labilis vnde fluctus festinat: *Venit ad eos ambulans super mare.* Et afflictorum, & felicium discrimen: ipsa historia, quod animis accidere solet, depingit: Apostoli panibus abundantes, & abundantia diuites à Domino recedunt, & marinos infida scapha fluctus proscindunt: procella tamen agitati clamant, & clamoribus sibi magistrum conciliant. Venit ad afflictos Deus, à Domino recesserunt felices, vt intelligas Deo distantiores prospera, quàm aduersa fuisse fortuna. Ni ingrueret procella, fors longiùs recessissent, aut infida vndarum tranquillitas mari detineret, & inopinè profundis traderet. Ad Deum rediit Petrus reluctantibus ventis, à Deo separabatur exundantibus cibis, vt videas perniciosius discrimen attulisse abũdantiam, quàm peperisset procella: *Permisit Dominus periclitari discipulos*, inquit Theophylactus in catena, *vt patientes fierent*: tempestas tolerantiæ fuit officina, & à calamitate didicerunt virtutem. Annuit Beda apud D. Thomam: *Videt Dominus suos laborantes in mari: quia eos, ne in tribulationibus deficiant, sua respectu pietatis corroborat, & aliquando manifesto adiutorio liberat. Quarta autem vigilia venit ad eos diluculo appropinquante: quia homo mentem cùm ad superni luminis præsidij erexerit, aduenit Dominus, & tentationum pericula sopiuntur.* In tentatione adest, qui in abundantia discessit, & dum turbine exagitati, plus sunt magistro vicini. O quot aduerso reflante vento ad montes, vnde illis veniant auxilia, oculos subleuarunt, qui in ipsa felicitate ad valles profundissimas depresserunt! Cordato viro nulla maior aduersitas, quàm felicitas. Hinc est, quòd iusti plus quàm truces aduersariorum iras, blandas extimescunt felicitatis blanditias. En Petrus diuitiis onustus vndas dissecat, vt in contrariam ripam perueniat; tempestatis verò vtili terrore perculsus vndas calcat, vt ad magistrum portum securiorem appellat.

Marc. 6. v.45.

Theoph.

Beda.

Salutis communis artifex, quique infamiam & metum prostrato gigante à contribulibus ablegarat, vt Reipublicæ pestis oculis notabatur, vsque ad montium latebras compellebatur confugere, & vel solis aspectum declinare; verùm vt improbis accidit, Saul incidit in foueam, quam fecit; cúmque per imprudentiam spelæum ingressus esset, nescio qua necessitate compulsus, fit iniustus prædator præda: Dauidis satellites iram exacuunt, nec solùm commemorant iam enauigata pericula; sed exaggerauere futura. Hoc vno hoste perempto felicissimam stabilémque pacem promittunt, nullóque prorsus exagitandam metu tranquillitatem; verùm generosum Dauidis pectus gratiæ solummodò seruire gnarum aduersus amicorum consilia non solùm hostiliter se gerenti pepercit; sed sitientes cædem militum manus cohibuit: qui insidiis petebatur, inimici erat custos, & cùm Saul regni ambitione moliretur in Dauidem iniuriam, Dauid nec sibi debitæ coronæ illiciis, nec iniuriarum stimulatus flammis gratiam cruentare decreuit: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum.* O modestiam nulla hyperbole exaggerandam! O gratiam propheta dignam! Veronensis Zeno sermone 1. de Psalmo 129. ait timuisse plus felicitatis insidias, quàm Saulis nequissimi technas, ideóque hosti, vt sibi prospiceret, pepercisse: nam si hostis sublatus, & omnis prorsus metus excussus: timuit ergo, ne, si hostili penitus careret timore, pestifera vitiorum inquinatus periret labe: nam qui in pacata regione degit, non semel pericula subit; qui in hostili verò, ceruicem circumagit, nec se vel somno defessum tradit: *Persecutorem suum*, inquit Zeno, *& quod magis est, regem aliquotiens à Deo in manus traditum sibi maluit semper timere, quàm occidere: inuerso gratus officio Deo Dei munus retinendo placiturus.* Secum Dauid felicitatis, & infelicitatis pericula æquâ prudentiæ trutinâ examinauit, plusque timuit gratas felicitatis blanditias, quàm hostilis odij ardentissimas flammas. Et quidem non vanè veritus est: nam cùm pollucibili mensa delinitus solario voluptatis causâ deambularet, cupiditatis est vulneratus sagittis, qui hostilibus nequiuerat lædi telis. Quàm continens, dum montibus deerrabat! Ecquis hoc dicat? Ipse Sacerdotem alloquens, modestè scilicet testatur vixisse, & iura æquitatis seruasse. Timeat ergo non timere

36.

1. Reg. 24. v.7.

Zeno.

mere: quia maius sibi periculum à fortuna, quàm ab hostis imminebat insania: *In hostili regione versantibus*, aiebat Seneca citata epistola, *huc & illuc circumspiciendum est, & ad omnem strepitum circumagenda ceruix, nisi hîc timor è pectore eiectus est, palpitantibus præcordijs viuitur.* Dum præcordiis palpitantibus viuitur, nulla est luxuriæ licentia, nulla ingluuie irritatur gula, nullis vanis accenditur diuitiis insania: totum hominem dolor ebibit, & à voluptatum vel cogitationibus abstrahit.

Senec. *Palpitātibus præcordijs viuitur.*

37. Hebræorum populus in Ægypto degit, durissimis luti, sordidisque laterum operibus inseruiens; verùm sic inter labores creuit, vt palmæ adinstar dum plus oneribus pressus, & ad sydera plus elatus: *Omnes animæ domus Iacob*, inquit textus, *quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere Septuaginta.* Hic exiguus numerus sic inter labores, & verbera creuit, vt numerum quadamtenus superarint: *Profecti sunt filij Israel de Ramasse in Socoth sexcenta ferè millia peditum virorum absque paruulis.* Ferè exierunt innumeri, qui angusto numero ingessi. Hi ipsi, dum volatilibus pluuiæ adinstar fruuntur, dum saporatis epulis saturantur, dum non solùm libertate; sed hostilibus spoliis fruuntur, sic à virtute desciscunt, vt Dominum ingratis clamoribus repercutiant, & voluptatibus ingurgitati, vitiisque possessi deserto exanimes iaceant: duo tantùm homines, scilicet Iosue, & Caleb ex vniuersa hac multitudine promissionis tellurem ingressi, vt videas quàm malè conuenerint cum fortuna, & quàm aucti fuerint miseria: *Omnes, qui numerati estis a viginti annis, & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun.* Felicitate videbantur incrementandi, aduersitate minuendi, & adeò contrarium accidit, vt numero pauci inter fortunæ iras, & tyrannidis insanias ad summam ferè infinitam excreuerint, cùm inter victorias & lætitias omnes duobus dēptis misera sorte perierint. Quàm benè aiebat loco citato Cassianus: *Frequenter quos superare non potuerunt aduersa, securitas & res prosperæ colliserunt.* O nimis verum! suspirant Patres filiis diuitias fors irritamenta vitiorum, amant dignitatem iniustitiæ fomitem, & ruinæ quidem materiam. *Optauerunt itaque tibi*, aiebat Seneca epist. 32. *alia parentes tui; sed ego tibi contra, omnium tibi contemptum opto, quorum illi copiam, vota illorum multos compilant, vt te locupletent: quidquid à te transferunt, alicui detrahendum est: opto tibi tui facultatem, vt vagis cogitationibus agitata mens tandem resistat, & certa sit.* Quæ parentes filiis desiderant, meliùs mouent cerebrum, quam erudiant virtutis studium. Adde quòd sic prospera infatuant homines, vt visus repurgatior sit ad speciem inter gehennales ignes, quàm inter mundiales felicitates.

Genes. 46. v. 27.

Exod. 12. v. 37.

Num. 14 v. 29.

Cassian.

Senec.

Magnum bonū mens consistit, nec vagis cogitationibus agitata.

38. Lazarus ad diuitis ianuam veluti pietatis conflatorium iacebat; diues verò sic epulis occupatus, vt nec solari micis pauperem fuerit dignatus, nec cognatæ naturæ vnquam pauperis superbientem monuerit aspectus: *Eleuans oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.* In tormentis vidit, & inter tetros, spississimósque gehennæ fumos sursum oculos eleuauit. Profectò hic videbatur claudendus prorsus aspectus, dirigendus ibi ad pauperem visus: hîc nigri, horridique fumi nubes oculorum retundit aciem, distantia impedit, chaos arcet; ibi ad ianuam obuius iacebat pauper clamoribus feriens auditum, & ipsa vlcerum sanie exulcerabat adspectum: quomodò ergo diues non vidit iacentem, cùm modò adspexerit Abrahami sinu cubantem? Vt noueris fortunam Circes, aut Medeæ esse filiam, hominésque non solùm in bruta; sed in truncos commutare: *Videt eum de inferno*, inquit Chrysolog. serm. 124. *in sinu Abrahæ, quem iacentem se coram superbo de sigmate non videbat.* Non videbat cupiditatum fumis obcæcatus, qui vidit vel nebulis gennalibus impeditus: totum hominem sic deglutiuit felicitas, vt rationis nihil reliquerit; sed vel sensibus ipsis priuarit. Addam insuper Deum ipsum cùm homines ad virtutem desiderat erudire, quasi id melius fiat tribulatione, somnum capere, otióque mysterioso indulgere, si suos laborum documentis commiserit.

Luc. 16. v. 23.

Chrysol.

Nauigabat Dominus, adstabant discipuli, & ipse super ceruical puppi dormiens facultatem fecit procellis: *Erat ipse in puppi super ceruical dormiens.* Quid Dominus his intenderit, rogat Basilius Seleuciensis orat. 21. respondétque armasse fluctus, vt discipulorum fidem excitet, & virtutem instruat. Discant eum maris esse dominum, discant & eum esse liquidioris istius naturæ creatorem, qui specie hac tegitur: discant non hominem adspicere; sed Deum suspicere: discant vt in conspicuo hoc corpori domicilio mundi totius ædificator inhabitet, vtque commodius hoc fiat, fluctibus agitentur, & aquarū voluminibus erudiantur: *Esto mihi discipulorum præceptor, ô mare*, inquit Basilius Christi nomine, *& pro flagro fluctuum terrorem inijce: attollantur vndæ tuæ, armentur venti, iactetur vndequaque scapha, naufragij minæ intententur, mors ostentetur, mortis expectatione pendeant.* En turbinis causa, vt sit scilicet virtutis schola; verùm si Dominus ipse præceptis instruxerat, miraculis edocuerat, quid ad terrores confugiat? Quia optimus est magister mortis timor, & expectationis naufragij angor: iniecit timorem, quò ad se efficaciùs traheret, & validiùs contineret: aduersis namque tenaciter hærent Deo, qui prosperis fors alij attendissent studio: sunt namque plures prosperitate infausti, & aduersitate felices. 39.

Marc. 5. v. 38.

Basil Seleuc. *Mortis timor optimus virtutis magister.*

---

§. IX.

Extra virtutis scholam improbus non semel suppliciorum impetrabit inducias; in illa prauus durissimas soluet pœnas.

HVmanus animus virtuti natus; verùm vt aurum obscuratur in terra, vt gemma occultatur in lapide, nisi industria artificis elimauerit opera; ita, nisi probis moribus, ac disciplina instruatur, nec concinnitatem, nec splendorem habebit: vtque dum terra inclusum, aliquam de obscuritate posset aurum excusationem prætendere; purgatum tamen valet nullatenus allegare; sic hominis mens, ni opifex accesserit disciplina, erroris sui aliquem habet excusationis 40.

excusationis colorem; si tamen virtutis exemplis ac disciplina erudita, inexcusabili obscuratur offensa. *Omnibus*, aiebat Seneca epist. 109. *natura fundamenta dedit, seménque virtutum: omnes ad omnia ista nati sumus; cùm irritator accessit, tunc illa animi bona velut soluta excitantur.* Itaque virtutum semina veluti sopita, & compressa iacent, quousque irritator accedat, & doctrinæ flatibus alat, at damnabilis ille est, qui in litterarum gymnasio coluit inscitiam, qui in campo sectatur ignauiam: *Magnam auditorum partem videbis* (Stoicum audis) *cui philosophi schola diuersorium otij sit.* Itaque ibi colunt nonnulli ignauiam, vbi vigere vident solertiam; & cum aliorum tacentibus reprehendantur exemplis, turpissimis dicantur otiis: digni sanè, qui grauissimas tulerint pœnas, quando nec vmbratiles erroris sui proferre poterunt causas. Hinc non semel, qui in vitiorum regione vitiis indulsere, de conuictu sui quodammodò erroris afferunt patrocinium, vt sceleri debitum differatur tormentum; at qui in virtutis schola vitiorum inueniuntur clientes, excitant duriores iras, & sibi conflant grauissimas pœnas. Ecce dum Ephraimitæ sortem accipiunt, Chananæum minime expellunt; sed in Gazer habitare permittunt: *Non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer.* Origenes homil. 21. in Iosue putat non potuisse Ephraimitas disperdere Chananæos: *Non potuerunt*, inquit, *filij Ephrem disperdere Chananæos:* quod ex huius auctoris sententia cælesti dispositione adscribendum: hos tamen Chananæos, quos hîc aspicis asseruatos, 3. Regum 9. inuenies prorsus detritos: *Pharao Rex Ægypti ascendit, & cepit Gazer, succenditque eam igni, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit.* Et cur Chananæus à Pharaone dispereat vstulatus, qui ab Ephraimitis nullatenus est depulsus? Ea se mihi ratio offert, scilicet Chananæos, quousque Ephraimitæ possederunt terram, idololatriæ syluis, vitiorumque regionibus fuisse innutritos: non illos anteà honestatis informarant exempla, nec luce circumfuderat vera doctrina: quamuis ergo ob flagitia grauissimas meruerint pœnas; illis tamen Deus misericorditer pœnarum concessit inducias, vt iam excisi oleastro, & in bonam inserti oliuam salutis fructum possent afferre, nobilitérque à ritibus paternis degenerare; at cum iam inserti, cùm iam exemplis optimis informati, antiquas prosequuntur errorum ineptias, ardentes sibi flabellant flammas. Itaque Chananæus, dum syluescit in caliginis regione donatur vitâ; at dum inter Ephraimitas veri Numinis cultores obbrutescit, aduritur dignissima pœna: vt noueris improbum, si extra virtutis scholam vixit, qualecúmque pro se excusationis afferre patrocinium; at si in virtutis obbrutescit schola, grauissimam mereri tormentum: vt opere impleatur illud Prophetæ: *In terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Audi Lyram: *In terra Sanctorum iniqua gessit, non retractus ex loci sanctitate, quia talis peccat ex contemptu: & ideo subditur: Et non videbit gloriam Domini.* Consonat Interlinearis: *Apostolis, & alijs, in quibus impij iniquè egerunt, & ideò sentient tuam iustitiam.* Dum inter gentes idololatriam colunt Chananæi, vitâ donantur; dum verò inter Ephraimitas desipiunt, ardenti flamma exuruntur: quia extra virtutis scholam delinquere, qualemcúmque habet excusationem; in illa tamen desipere exaggerat prauitatem.

Seneca. *Ad virtutem irritator vtilissima res est.*

Multis scilicet schola otij diuersorium est.

Origen.

3. Reg. 9. v. 16.

Isai. 26. v. 10.

Lyra.

Interlinear.

Pater optimus duos habuit filios, qui non responderunt paternis curis, vt dicarentur nociuis semper deliciis: illorum plus mente, quam ætate iunior, cupit gaudere libertate viuendi; accepta, quæ contigerat illum, substantia abiit in regionem longinquam, ne vel paterni aspectus pateretur frænum, quò liberiùs sectaretur flagitium. Ecce quid facit cupiditas ad censum præceps: filium tulit è gremio patris, eiecit domo, exemit patria, nudauit gloria; verum cùm extremam famem sustineret, de reditu cogitauit, iter arripuit: vidit à longè pater, & accurrens, dulcissimósque in amplexus ruens, & conuiuio lautissimo excepit, & veste fulgentissima ornauit: *Citò proferte stolam primam, & induite illum.* Senior frater, qui se desertans agro sentes eradicabat, & gramina, domui propinquat, & harmoniam audiens obturbatur. Proh miserum, quandoquidem quæ cæteros soleat delinire, fecit harmonia turbari: foras remanet exclusus, cum prodigus benignè epulatur exceptus: *Indignatus nolebat introire.* Et cur tot vitiis inquinatus lubenter admittitur, & maior frater excluditur? Esto maiorem premat inuidia, deturbet insania, inflammet maleuolentia: minorem etiam salax obscurabat impudicitia: ergo aut vterque epuletur admissus, aut lugeat vterque exclusus. O arcanam nobis doctrinam! alter obscuratur lasciuia, alter denigratur inuidia; hic tamen domo paterna innutritus, attestante patre: *Tu semper mecum es*; alter turpitudinis regione profugus: *Profectus est*, inquit, *in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè:* ideò alteri faciliùs dimissum, quod alteri non donatum. Expende illud *ibi*, non in paterna domo; sed regione dissitissima: non paternis informatus exemplis; sed à veris semotus doctrinis: aliquam ergo erroris excusationem attulit, qui in delinquentium tumultu deliquit; at senior paternæ charitatis informatus exemplo, fraterno aduritur odio: hic ergo de contubernio cumulatiùs incrementauit malitiam; ille de regione imminuit non parum culpam: *Quia tibi lex*, scribit Chrysologus serm. 5. *tibi prophetia, tibi templum, tibi sacerdotium, tibi sacrificium, tibi regnum, tibi munera, tibi, quod est super omnia, natus est Christus. Sed quia tu per inuidiam perdere vis fratrem paternas epulas, patris gaudia dignus es non habere.* O quàm adauxit senior de contubernio malitiam! ô quàm de contrario exemplo suam damnauerit peruicaciam! In paterna domo omnium virtutum schola, charitatis ergo emporio adustâ turgere inuidia, acerbissima mulctari debebat pœna; in regione tamen satis longinqua, vbi veri Solis lux aut modica, aut nulla, se voluptatibus addixisse erat quidem magnum piaculum; sed de contemptu non prouocabat supplicium; imò de communi fallacia commiserationis pulsabat affectum. Timeant, qui in Ecclesiæ gremio, in virtutum domicilio carnis dicantur deliciis, aut cupiditatum fallaciis: senior filius, quia honesta domo innutritus, ob æmulationem ablegatur exclusus; cùm tamen

41.

Luc. 15. v. 22.

Chrysolog.

porcorum villa peccantis pater benignissimè sit misertus.

42. Populus ille Hebræus ingratitudinis exaggeratio, & vltra humanam fidem peruersus absente Moyse Deos sibi producere cogitauit, cùm cælestis luminis illius oculos pulsarent fulgura, cælestisque doctrinæ traderentur præcepta: inaures adferri sibi depoposcit Aaron, & quidem in sceleris iudicium, vt quia diuinæ vocis contempserant ornamentum, nullatenus aures pretiosum ornaret aurum. Aaron aut nimio timore obturbatus, aut ambitione sacrilega cæcus bouem construit, & adorandum proponit: *Fecit ex eis vitulum conflatilem.* Interlinearis apud Lippomanum conflauisse vitulum asserit, quia iam sæpiùs ab illis in Ægypto cultus, & sacrilegis ritibus adoratus: *Quia bouem adorauerunt in Ægypto.* Moyses, vt huius piaculi noxam deleret, Leuitas armat, & dignam Propheta exercet in scelestos sæuitiam, vt cæcissimam puniret amentiam: *Ceciderunt in die illa quasi viginti tria millia hominum.* Iam pungit scrupulus: si adorauerunt in Ægstpto, quod modò adorant, nec ibi soluerunt pœnam; cur seueram adeò sustinuerint in deserto mulctam? Ipsa interrogatio est difficultatis solutio: bouem adorauerant; sed in Ægypto, vbi idolorum prouocabant suggesta, & Ægyptiorum quadamtenus cogebat insania: inter malos ergo desipere, & in regione peruersitatis idololatriam sectari aliqualem habebat excusationis prætextum: nam quamuis reuera semper sit liberum, ad speciem videbatur quodammodo necessarium; monte tamen diuinorum schola, sacrarum legum officina, conflare idolum, erat metas peruersitatis excedere, & sine excusatione peccare: hic ergo dignam scelere tulere mulctam, etsi ibi dignam non dederint pœnam. Ægyptij bouis cultores: quid ergo facerent Hebræi, & profana aspicientes festa, & ad solemnia vocati sacrilega? Hic verò Deo proximi, cælestes luces intuiti, & voces auribus auscultantes se fœdissimo scelere attaminarunt: ideò hic dignissimas soluerunt pœnas, licèt ibi suppliciorum aliquas obtinuerint inducias. Adest Tertullianus aduersus Gnostic. cap.3. *Sapiens ignis effigiem vituli defundit illis sugillans illic cor habentes, vbi, & thesaurum; apud Ægyptum scilicet inter cætera animalia bouis etiam cuiusdam consecratricem: itaque tria millia hominum a parentibus, & proximis cæsa: quia tam proximum parentem Deum offenderant.* In regione idololatriæ coluisse idolum, aliquem habebat etsi non bonæ, excusationis colorem; in campo tamen veritatis coluisse mendacium, euentum accelerauit supplicium: quia licet vbique totis sit conatibus culpa fugienda; plus tamen in virtutum ac religionis prouincia: alibi namque tribuitur ignorationis errori, hic adscribitur virtutis contemptui.

Exod.32. v.4.

Interlin.

Tertull.

43. Duas arbores symbola synagogæ reperio: rubum illum à Moyse inuio conspectum in deserto, & ficum in Ierusalem plantatam confinio: & quamuis planta vtraque idem adumbrarit ingenium, non est simile experta supplicium. Vidit Moyses rubum flammis quidem cinctum; sed sopito ignis ardore prorsus illæsum: quem ingrati populi fuisse ænigma, non dubium: audi Chrysologum serm.164. *Diuinum rubus portauit, non concepit incendium, iam tunc aculeis malitiæ plenum, & ingratum culturæ legis populum præfigurans.* Vides senticosam plantam in auctorem duris malitiæ armari cuspidibus; nec tamen flammis aduri voracibus: *Videbat quòd rubus arderet, & non combureretur.* Transi modò ad illam ficum, cui Dominus fructum inquisiturus accessit. *Mane autem reuertens in ciuitatem esuriyt, & videns fici arborem vnam secus viam venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantùm, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuò ficulnea.* Ficulneam hanc synagogæ, sacerdotúmque gessisse figuram concors interpretum est opinio: *Infructuosa est synagoga Iudæorum*, scribit Origenes apud D.Thomam: *& hoc erit vsque ad consummationem sæculi, donec intrauerit gentium multitudo: & aruit ficulnea adhuc peregrinante in hac vita Christo.* Discutiamus, si placet, cur ficulneam fructibus vacuam; non tamen sentibus intertextam viriditate mulctarit, cum rubo cuspidibus armato pepercerit: vrgentior sanè rubo maledicendi, exurendique causa videbatur; scilicet in aculeos se malitiæ explicare, vt posset Dominum sæpiùs ferire; at ficulnea, licèt esurienti non obtulerit fructum; capiti tamen non produxit tormentum: ergo potiori iure huic debebat remitti pœna, & illa vstulari flamma. Profectò vtraque planta peccatorum ænigma; rubi tamen aculeos quadamtenus excusabat desertum; telluris fœcunditas ingenium ficulneæ condemnauerat infrugiferum. Quid producat plãta desertorum inuiis, nullis sarculi, aut vomeris beneficiis exculta, frequentibus gratiarum vndis non irrigata. Aculeis armatur; sed nec plantata, nec culta: ficus tamen alia pingui solo ditata, & Ierusalem erat proxima; grauius ergo, dum fructum non profert, sustinet hæc planta tormentum, quàm quæ deserto ingratum produxit aculeum: quia loci fœcunditas ficus sterilitatem damnabat, rubi verò horrorem deserti regio minuebat.

Chrysolog.

Exod.3.v.2.

Matth.21. v.18.

Origen.

---

§. X.

Sæpè qui grauiora expugnauit crimina, ad humilitatis exercitium leuiori denigratur offensa.

Viri perfecti sic aliquando extra passionum tentamina securi auxiliante gratia degunt, vt illos aggredi dæmon nequaquam præsumat: quia se vincendum, si congrediatur, coniectat: vacant studiosè virtutibus, confusaneo cogitationum tumultu non perturbantur, serena tranquilli placiditate fruuntur, secutique Stoici consilium fortunam animosè contemnunt, vitámque generosè despiciunt: hæc namque sibi inuicem sunt connexa, vitæ exercere dominium, & proculcasse periculi metum. Nullus vitæ suæ potitur imperio, qui mortis nimiùm obturbatur periculo. *Libera te*, aiebat Stoicus epist.81. *primum metu mortis: illa nobis primum iugum imponit: deinde metu paupertatis: si vis scire quam nihil in illa mali sit, compara inter se diuitum, & pauperum vultus: sæpius pauper, & fidelius ridet, nulla solicitudo in alto est: etiam si qua incidit cura, velut nubes leuis transit: ho-* 44

Senec.

rum,

Hilaritas fœlicium ficta. Miſerior eſt, qui palàm non poteſt eſſe miſer.

rum, qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt, aut grauis & ſuppurata triſtitia, & quidem grauior, quia interdum non licet palàm eſſe miſeros, ſed inter ærumnas cor ipſum exedente; neceſſe eſt agere felicem. Vir perfectus hos vitiorum morſus non timet; ſed vltra lineam poſitus cor ſuú poſſidet, nec acres curarum ſuſtinet ictus; verùm non ſemel, ne vanitatis, aut præſumptionis pericula incurrat, vtile illi eſt leuibus maculari offenſis, quò humilitatem edoceat culpa, ne grauius attulerit damnum complacens ſibi ſuperbia. Leuibus prægrauatus erroribus parum ſibi fidit, quia grauioribus non denigrari cæleſtis auxilium gratiæ cognoſcit: alter namque miſerum per momenta pateretur naufragium.

Theodahad. *Gruum in volando cautela.*

Grues, ſcribit Theodahadus 4. variorum 47. *pelagus tranſiture paruos lapillos vncis pedibus amplectuntur, vt nec eorum lenitas nimio vento rapiatur, nec natiua celeritas iniquis ponderibus ingrauetur.* Ad volatus ſecuritatem lapidei proſunt ſcrupuli, fors ſi expeditiores, graue ventorum flatibus agitatæ experirentur periculum, quæ de ipſa lapilli grauitate prudenter ſibi excogitauere remedium. Exiguus lapillus vacillare vetat, inuolare non grauat. Ergo non ſemel leuis culpa lapilli ad inſtar ad ſecurè per virtutum regionem inuolandum deſeruit: impedit namque euanidæ præſumptionis periculum, licèt tantiſper retardauit volatum. Hebræi adeò eximiis inimicorum triumphis diteſcebant, vt omnes linguas occupauerint famæ; verùm qui gigantes procera magnitudine robuſtiſſimos antiqua poſſeſſione depulerant, qui munitiſſimas ciuitates euerterant, Chananæum prorſus depuliſſe non valent; ſed tributarium patiuntur: *Non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitauitque Chananæus in medio Ephraim vſque in diem hanc tributarius.* Depellere radicitus hoſtem non poſſunt; ſed vtili lucro permittunt: tributum ſoluit, qui aliquomodò in roboris iniuriam viuit. Quod expendens

Gregor.

Gregorius Magnus lib. 4. moralium cap. 22. ſic ait: *Benè, cum Iſraelitico populo percepta promiſſionis terra partiretur, Ephraim tribui Chananæus Gentilis, populus non occiſus; ſed factus tributarius dicitur, ſicut ſcriptum eſt: Habitauit Chananæus in medio Ephraim tributarius: quid enim Chananæus, Gentilis videlicet populus, niſi vitium ſignificat? Et ſæpè magnis virtutibus terram promiſſionis ingredimur, quia ſpe intima de æternitate roboramur; ſed dum inter acta ſublimia vitia quædam parua retinemus, quaſi Chananæum viuere in terra noſtra concedimus.* Attentiùs meditanda, quæ ſubdit: *Qui tamen nobis tributarius efficitur: quia hoc ipſum vitium, quod ſubigere non poſſumus, ad vſum noſtræ vtilitatis humiliter retorquemus, vt eò de ſe mens & in ſummis vilia ſentiat, quò ſuis viribus etiam parua, quæ appetit, non expugnat.* En naſcitur de aduerſitate proſperitas, & cùm leues offenſæ lædere cupiunt, præter intentionem beneficia frequenter impendunt: nam qui toto perfectionis candore fors illuſtratus ſuperbiret ad caſum, leuibus humiliatus offenſis ſecuriùs inuolat ad profectum. Viuit Chananæus; ſed tributarius: viuit, vt inde vir perfectus acceperit lucrum, vnde ſuſtinere videbatur diſpendium. Tributum pendit Chananæus permiſſus, fors prodeſſet prorſus abactus.

45. Mecum aliquando meditabar illud Iob: *Obtenebrentur ſtellæ caligine eius*, non tam execrationem continere, quàm benedictionem ſapere. Iob 3. v. 9.

Componamus ergo harum ſtellarum caligine aſperſarum ſortem cum Lucifero illo roſeo ſplendore fulgenti, tenebrarúmque prorſus exorti: *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* ruenti inſultabat Iſaias: fors ipſum dubium apertè nobis indicabit reſponſum: ortus eſt Lucifer nullis tenebrarum maculis deturpatus, ſplendidis, matutiniſque luminibus rutilus, & dum ſe nullis tenebrarum caliginibus deturpatum gloriatur euanidus ad ſuperbiam, ſuperbit infeliciſſimus ad ruinam: fors ſi caligine aliqua obſcuraretur, dum de obſcuritate ſibi diſplicet, ſuperbiæ reprimeret faſtum, & vitaret fauſtus periculum; at dum ſe prorſus contemplatur perfectum, totóque Solis iubare ſe cogitat adornatum ſic ocyſſimis præſumptionis alis calcare contendit ſuprema, vt ſuperbiæ pondere ſit detractus ad ima; ſtellæ verò aliæ, dum aliquali caligine obtenebrantur, dum ſibi de obſcuritate quadamtenus diſplicent, de lumine ſecuriùs reſplendent. Audi Gregorium ſuprà laudatum: *Stellæ quippe huius noctis caligine obtenebrantur, quando & hi, qui magnis iam virtutibus ſplendent, adhuc de obſcuritate culpæ aliquid retinentes ſuſtinent, vt etiam magna vitæ claritate luceant, & tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant. Quod ad hoc, ſicut dictum eſt, agitur, vt mens proficiens ad virtutem iuſtitiæ ina melius infirmitate roboretur, & inde verius in bonis luceat, vnde eam etiam nolentem parua reprehenſibilia humiliter obſcurant.* Vt in picturis vmbræ nitidis adulantur coloribus, & inde imago ſplendet venuſtior: vnde reddenda videbatur obſcurior, ſic perfectis viris, qui ſunt elegantia Numinis ſimulacra, leues deſeruiunt culparum vmbræ ad virtutis gratum leporem, & ad viuidiorem colorum lucem. Vtinam Lucifer ille non adeò rutilaret ſplendidus: quia fors adeò miſerè non rueret vanus. Miſericorditer Deus leuibus errare culpis iuſtos aliquando permittit, vt ſua meliùs imbecillitate perſpecta ſublimiores gratiæ virtutes adſcribant, & de ipſa obſcuratione tributum accipientes, ſecuriùs lumine humilitatis reſplendeant.

Iſaiæ 14.

Gregor.

Moyſem delegat Deus pro populo diſſoluendo, ſed ne alienis commodis conſulturus propria ſubiret diſcrimina, & manum lepra, & linguam tarditate communit: *Mitte manum tuam in ſinum tuum, quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis.* Manui huic virga illa omnipotentiæ vicaria traditur, & eius natura arbitrio ſubiicitur: *Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna.* Aptior profectò videbatur manus ſanitate vegeta, quàm infirmitate leproſa, & Dominus manui contagio infectæ commendat virgam, & ſubdit quodammodò omnipotentiam: Debilis dextera vibrare nequiuit virgam, nec duram poterit euertere contumaciam. Ergo qui Deus efficitur, lepra minimè innubiletur: eſt enim lepra aſcititiæ diuinitatis nota, & obſcura imperij macula. Imò, ait Theodoretus quæſt. 10. quia dextera illa eximia erat patratura miracula, oportuit vt priùs contra elationem fœda obarmaretur lepra, vt quid à ſe haberet, agnoſceret, ne de patratis ſignis vaniſſima ſuperbiret. Accipe Theodoretum: *Dextera, quæ ad miranda illa perpetrarat, cum priùs fuiſſet leproſa, ſignis diuinis inſeruiuit,* 46. Exod. 7. v. 8. Theodor.

seruiuit, & elementa mutauit: quæ res Moysem etiam admonuit non superbire debere; sed agnoscere naturam cum recordatione dextræ lepræ prius infectæ. Si Moyses nullum anteà ex se expertus fuisset contagium, forsan impelleret patratum ad elationem prodigium, & quod pro aliis operaretur prodigium, propriæ esset humilitatis naufragium; dum tamen dexteram spectat leprosam non propriis; sed mutuatis agnoscit miraculis redimitam, indéque trahit humilitatis materiam, vnde percepturus videbatur temeritatis audaciam. Lepra recordationem ingerebat naturæ, miraculum prodebat gratiam; indéque virtus rutilabat micantior, vnde manus lepra reddebatur obscurior: fors ni leprosa, tumeret infortunata, dum splenderet miraculosa, & de ipso lumine culpæ sibi tenebras procudisset, qui de tenebris ad virtutis profectum splendescétem humilitatem oriri fecit. Iam hoc idem in linguæ tarditate Rupertus deprædicauit mysterium: & quidem tardiloquo eloquia commendare diuina aliquod innuebat arcanum:
Exod.4.v.10. *Veni*, aiebat Deus, *& mittam te ad Pharaonem:* ille, quia se experiebatur tardiloquum, extrahere humilis nitebatur imperium: *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo loquutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Quid à se haberet agnouit, ne de eloquio euanidus superbiret; ast dum de linguæ morositate humilitatus cum Deo honestè contendit, se Deum Pharaonis electum
Exod.7.v.1. audit: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* O quantum profuit linguæ morositas, dum agnoscitur, & dum de agnitione ad Deitatem inuolatur. Si Moyses eloquens, nullóque linguæ impedimento tardatus, humilitati non indulsisset; imò forsitan superbiens præmium diuinitatis nullatenus reportasset. Prodest Rupert. in Exod.
Rupert. cap.26. *Gloriosa virtutum regina humilitas, quæ in cælum volare consueuit, locuta est in eo dicente se incircumcisum esse labijs, & idcirco dignum, ac pro sua reuerentia magnificum accepit responsum, vt audiret homo priuatus regnantis hominis se esse Deum.* Non audiret se diuinitatem mutuari, ni de linguę tarditate eruditus linguæ impedimentum compelleretur fateri. Sibi tributariam tardiloquam fecit linguam, vt de penso humilitatis tributo copiosiorem sibi acquireret gratiæ censum.

47. Petrus quo feruebat desiderio, licentiam rogat, vt ad Dominum perrecturus per turbulenti labiles æquoris vndas è nauigio prosiliens sicco vestigio discurrat: concessit Dominus quod pie-
Matth.14.v.29. tate feruens deposcebat discipulus: *Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas; at ipse ait: Veni, & descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum.* En Petrus ambulat, vbi nullus ascendit: vt firmissimo posset solo, vndoso celeri gressu excurrebat salo; verum validus ventus, dum aquas verberat, constantiam discipuli tantisper perturbat: *Videns verò ventum validum timuit, & cùm cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac.* Timor clamorem asciuit, clamor sibi dexteram impetrauit: ni timor retardasset gressum, fortassis miserabiliùs de gressu Apostolus subiret elationis naufragium; at dum vacillat timi-
Hieron. dior, opem Domini impetrauit deuotior: *Paululum etiam relinquatur tentationi*, scribit Hieronymus, *vt augeatur fides, & intelligat se non facilitate postulationis: sed potentia Domini conseruatum.* En de ipsa infidelitate fides vegetior, & virtus de ipso virtutis impedimento robustior: forsitan Petrus superbiret, dum in pelago Domini imitatur incessus, & periculosior esset virtutis lapsus: dum verò quid habeat ex se, dignoscit, clamat, & dum clamat, frustratur maris naufragium, & elationis eludit etiam periculum.

Tertium Iudicum aliquas nationes propitio 48.
Numine inter Hebræos viuere testatur permissas, vt dum aliquomodo obscuratam Hebræi suam spectarint victoriam elationis fugiant superbiam: *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem.* (Iudic.3.v.1.) Relicti sunt hostes non vt periculum augerent; sed vt Hebræos humilitatis monitis erudirent: quod expendens loco citato Gregorius ait: (Gregor.) *Benè rursum scriptum est: Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem: ad hoc namque quædam minima vitia nostra retinentur, vt sese nostra intentio solicitam in certamine semper exerceat, & eò de victoria non superbiat, quò viuere in se hostes conspicit, à quibus adhuc vinci formidat. Israel ergo seruatis gentibus eruditur, quando in quibusdam minimis vitijs elatio virtutis nostræ comprimitur, & in paruis sibi resistentibus discit, quòd ex se maiora non subegit.* Quid illustrius? Quid elegantius? Sæpè vitiorum expugnatores ipsis euincuntur triumphis, imitatoresque Achami ex ipsis, quibus lucrantur plausum, vanitatis contrahunt delictum. Vt ergo perfectus erudiatur, leuis virtutibus aliquando admiscetur defectus, ne tumidus superbiendo amiserit meritum; sed virtutem humilis augeat, dum agnoscit erratum.

---

§. XI.

Peccatores quod à vitijs, voluptatis tributum accipiunt, cumulatius conscientiæ timori soluunt.

VOluptates humanæ breues, & multis luendæ: præstigiis alliciunt animos, & durissimos dissimulant contectos stimulos: ad paruum 49.
tempus expletus gaudet appetitus; sed in æuum oculos corrumpit luctus. (Plutarch.) *Lysimachus*, scribit Plutarchus in apophthegm. *cùm in Thracia à Dromachete esset victus, atque siti subactus se exercitúmque in potestatem eius dedisset, vt bibit iam captiuus: Dij boni, inquit, quàm breuis voluptatis causa seruum me ipse ex rege feci?* Quod semel Lysimacho, multis, & sæpiùs noueris accidisse: inhiant ad venena allecti nescio quo dulcedinis fuco, quæ, vt transierunt in viscera, & lethali ardore adurunt, & præcordia non ferendis morsibus rodunt. Potus oblectatio satis exigua; sed Lysimacho dura & diuturna catena. O quot sibi vincula durissima iniiciunt breuis voluptatis causa! O quoties vt deferbuit appetitus, lacerat conscientiæ morsus. *Sirenas*, scribit
Cassiodorus 2. var.40. *in miraculum cantasse, curiosa prodit antiquitas, & quamuis nauigantes fluctus abduceret, carbasa ventus inflaret, eligebant suauiter decepti scopulos incurrere, ne tantam paterentur dulcedinem præterire.* Dulcedo cantus fallaciter demulcebat auditum, cùm vi- (Cassiodor.) (*Sirenes cantus dulcedine nauigantes detinebant.*)

tæ

ræ attulisset naufragium. O quàm prolixis suspiriis lugebant miseri aures tantisper commodasse dulcedini: breuissima voluptas diuturna compensabatur miseria, & miserabili soluebatur angustia. *Solus Ithacus euasit*, addit Cassiodorus, *qui nautis solicitatorem protinus obstruxit auditum contra noxiam dulcedinem. Cogitauit vir prudentissimus felicissimam surditatem, & quam vincere intelligendo non poterat, meliùs non aduertendo superabat.* Ne vim auribus, oculis, aut illicitis blanditiis animus sibi non constans ad momentum intulerit, patitur doloribus rapi, & variis anxietatum fluctibus volui. Ephraitæ promissionis terram ingressi Chananæos depellere tenebantur; viuere tamen vilissimo lucro allecti improuidè permiserunt: *Et non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitauitque Chananæus in medio Ephraim vsque in diem hanc tributarius.* Profectò Chananæus tributa pendebat, hostili verò animo inflammatus animos semper dominorum anxiis solicitudibus diuexabat; nec placidæ quieti locus, quia semper Chananæorum vrgebat metus. Itaque cùm Chananæus simul esset tributarius, & inimicus, Ephraita timori periculi soluebat vectigal, vel cùm à Chananæo exigebat sibi tributum. Huc voco Gregorium lib.4. moral. cap.22. *Viuere in se hostes conspicit, à quibus adhuc vinci formidat*: tributorum cupiditas Chananæis indulgebat; Chananæus verò semper dominis exitium intentans timorem periculi generabat: quo vno eodémque tempore & Ephraimitæ cupiditas exacto lætabatur tributo, & imminenti animus exagitabatur metu, vt verum sit legis violatores maius tributum conscientiæ timori soluere, minus vectigal à voluptatibus exegisse.

Quod vincere nequis robore, fuge arte.

Gregor.

50. Samson vir ille fortissimus meretricis lupanar ingressus est: *Abijt in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingressúsque est ad eam.* Philisthiim satis de Samsone capiendo soliciti rem agnouerunt, domúmque obsidentes, ne præda fugeret, occidere nitebantur: *Circumdederunt eum positis in porta ciuitatis custodibus, & ibi tota nocte cum silentio præstolantes, vt facto mane euntem occiderent.* Quàm non valuit notitiam effugisse sagacitas! Samson, ne inimici in aduentus sui cognitionem venirent, cautè satis, & fors patrocinantibus tenebris domum mulieris ingressus est; verùm omnes ab aure in aurem instillatus aduentum monuit susurrus: illi etiam omni circumspectione, omníque silentio disponebant insidias; sed Samson nouit industrias illorum technas: adeò difficile est alienam curiositatem eludere, & rem aliquam silentio tegere: *Dormiuit autem Samson vsque ad medium noctis: & inde consurgens apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & sera, impositásque humeris suis portauit ad verticem montis, qui respicit Hebron.* Expendamus, si placet, historiam: à voluptate tributum accepit Samson, quo libidinosos nutriuerit appetitus; verùm dum tributum à voluptate exigit, & timori tributum soluit. Non pouit non curis vrgeri, & magnitudine periculi solicitari: eodem tempore inimicis circumdatus timet, & blanditiis illectus gaudet, metus blanditiarum turbabat gaudium, cùm delinimenta depellere prorsus nequirent metum. Vides inter textum euanidum gaudium, & solicitum periculi studium. Vide modo quanta post voluptatem illam breuissimam humeros detriuerint onera, & vires defatigarint tormenta. Necessum fuit profunda nocte montem petere, & fragositatem calcare, humerósque ingentes fores postibus suis, & sera, ac veste prægraues ferre: immensum pondus torosos defatigabat lacertos, montis asperitas erectos lassabat animos, noctis caligo sepeliebat prorsus oculos: in ipso voluptatis tempore timuit inimicorum adsultus, & post voluptatem meri labores, ingentiâque pondera premebant gressus. O quanta tributa pendit periculo, timoríque, qui pensum aliquod satis solicitudine interturbatum accepit à voluptate! Redeat iterum vocatus huc Gregorius lib.2. moral. cap.25. *Ventura animus conspicit, totámque contra hæc intentionem proponit, magnúsque ardor contentionis se inserit, sopor fugit, nox in diem vertitur, & cùm quieta foris membra lectulus teneat, intus magnis clamoribus in cordis foro litigatur.* Variæ in Samsonis corde solicitudines litigabant, quantumuis quieta membra teneret lectulus, cùm domum circumdaret inimicus: amplexus meretricios potitus est; sed & fores ambas tulit, & ferè immenso oppressus onere soluit, quod exigua, & curis interturbata potitus est quiete. *Nunquam fides latendi* (audi Senecam epist.98.) *fit etiam latentibus: quia coarguit suos conscientia, & ipsos sibi ostendit: proprium autem est nocentium trepidare.* Voluptas cæcat oculos; sed transacta iam sceleris occasione in voluptatis locum timor succedit, & conscientia sopito iam appetitu, qui iudicium antè interpellabat voluptates exitu semper fœdas ostendit, & durè delinquentem coarguit: statim ac insani ardoris abscesserit fumus, animum distorquet cruciatus.

Iudic. 16. v. 1.

Gregor.

Senec. Trepidare nocentiū proprium.

Mulier quædam summo angore afflicta prophetam Elisæum interpellauit, imminéntique calamitati remedium supplex poposcit: *Mulier quædam de vxoribus prophetarum clamabat ad Elisæum dicens: Seruus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti, quia seruus tuus fuit timens Dominum, & ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi.* Acceperat mulier nescio quid à creditore; verùm creditor, qui non dederat gratis; sed locarat ad fœnus, & importunus repetebat creditum, & grande crediti exigebat lucrum; fors mulier, cùm accepit delusa putauit donum; posteà verò lugebat carè soluendum. *Inuadit me*, scribit eius nomine Ostiensis Drogo de sacram. Domin. Passion. *creditor ille improbus, & duos filios meos, hoc est intellectum, & affectum inertia, vanisque illusionibus suis inseruire cogit.* Accepit à voluptate pictas phantasia delicias, affectus noxias est potita cupedias; verùm cogitur inertiæ, vanisque illusionibus inseruire, & æternæ seruitutis immortalē calamitatem timere. Quicquid à peccato accipitur, ingenti fœnore soluitur, & nisi Dei misericordia subueniat, exiguum tempus gaudij prolixo compensatur supplicij: accepit vidua illa cupiditatis, pompæ, aut deliciarum nummum; sed imposuit affectui, mentíque improbum sanè tributum: timet namque anxia abripiendos filios, & de liberis sigillandos in seruos: aliquid accepit; sed plurimum exigebatur; quia nihil nisi ad fœnus improbus exactor largitur. Fallitur quisquis credidit peccati gaudia carere felle, cùm scriptum sit: Extrema gaudij luctus occupat; durum menti, voluntatique imposuit iugum;

51.

4 Reg. 4. v. 1

Drog.

gum: quia à creditore nescio quid accepit ad fastum. O quanta mulierculæ solent pependisse tributa, dum à voluptate accipiunt aliqua pensa! vitam, & honorem discrimini exponunt, & sæpè cum honore vitam amittunt. Iam si maritata negotia tractarit libidinis, quanta gaudium miscetur solicitudine, quantam timori pendit tributi loco anxietatem! Nunquam tuta, quia sui semper trepidat conscia. Intellectum, & affectum timori, & anxietatibus compulit subiacere, quæ nescio quid à deliciis videbatur accipere.

52. Issachar benedictione thesim nostram miris Iacobus Patriarcha coloribus adumbrauit; imò arcanis secum ad speciem pugnantibus mirè expressit: *Issachar asinus fortis accubans inter terminos: vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima, & supposuit humerum ad portandum, factúsque est tributis seruiens.* Si Issachar accubat, vt requiescat otiosus, quomodo humerus onere graui detritus? Si Princeps, quomodò tributis seruiens? Ad hæc Chaldaica Paraphrasis multò aliter legit: *Issachar diues in substantia, & possessio eius erit inter terminos: & vidit partem suam quòd esset bona, & terram quia frugifera, & subiciet prouincias populorum, & disperdet habitatores earum, & qui relicti fuerint in eis, erunt ei seruientes, & tributarij.* Ecce contrariæ ad speciem prorsus lectiones: si qui relicti de hostibus, tributarij, quomodò & ipse tributis seruiens? Vtrúmque verum: reliquit aliquos hostes, à quibus exigere posset tributa; sed dum crescit auri prouentus, & aduersus timetur casus: soluit ipse tributa timori, cupiditati, pulchritudini, cùm à pulchritudine, & à cupiditate accipit ipse tributum. Quàm validus humerus necessarius est ad portanda onera, quæ imponit amata venustas, & quibus premit sumptuosa vanitas! Sudat non semel acquirendi studium, vt exerceat adulterium: soluit copiosum auri tributum, vt accipiat infidele mendacium: exigit & soluit, vtque cupiditati, ambitioni, aut luxuriæ alienus fauor, aut honor pendat tributa, ingentissima fauori persoluit vectigalia. Mirè ergo textus noster, & Paraphrasis Chaldaica ad mores concordant, dum & tributarium, & tributa exigentem depingunt: Facta sunt illi relicta vitia tributaria, verùm dum accubat otiosus, dum otiatur lenociniis illectus, tributa soluit: *Factus est tributis seruiens. Qui relicti fuerint, erunt ei seruientes, & tributarij.* Parent relicti, seruiunt, obsequuntur, obtemperant; sed dum tributa soluunt, & magna tributa exigunt: periculo soluitur metus intemperantiæ nummus, ambitioni seruilis demissio, palato importuna solicitudo. Ergo vt tributa accipiat, & tributa debet soluisse: & vt plurimùm, maiora peccator soluit, quàm à voluptate acceperit. Itaque Ephraimitæ, dum Chananæos tributorum cupidi non depellunt, ipsis soluentibus metus ac timoris tributa soluunt. Scit, qui aliquando vitiis dicatus humeros magnis oneribus detriuisse, simúlque & accumbere otiosè, & onere premi molestè: *Accubans inter terminos, & supposuit humerum ad portandum.* Dum accubat, portat, & ni portaret, non permitteretur accumbere. Igitur expende sedulè, cùm tributis inhias, quanta tributa persoluas: *Omnia, ad quæ gemimus*, scribebat Seneca epist.97. *expauescimus, tributa vitæ sunt: epulæ erunt parum dulces, detrimenta continua. Propiùs accedam, de capite timuisti.* De capite sæpè sæpiùs timetur, dum caris, dum obscœnis voluptatibus plauditur.

Genes.49. v.14.

Chaldaic.

Senec.

§. XII.

Aliquod vitium pati est fragilitatis humanæ; fouere, aut industriè solicitare malignitatis peruersæ.

53. AD deteriora faciles sumus, scribebat Seneca epist.98. *quia nec dux potest, nec comes deesse, & res etiam ipsa sine duce, sine comite procedit: non pronum iter est tantùm ad vitia; sed preceps.* Eò amentiæ peruenit furor, vt pariant hominibus lætitiam, quæ afferre debuerant amarissimam pœnitentiam: quod plerósque inemendabiles facit, illud præcipuè est, quòd errantes vitæ peccata delectant, cùm artifices pudore suffundat artis suæ legibus contraisse, & culpabili ignauia errasse; verùm licèt omnibus ad peccata iter procliue sit, vitiáque vel nullum, vel rarum sanè è castris suis manumiserint; magnum tamen inter peccantium greges inuenitur discrimen: nonnulli námque vitia patiuntur, non architectantur: alij vitiis occurrunt, & ipsas peccandi sibi occasiones de industria quærunt: fragilitatis humanæ est ad instar belluarum voluptate oblectante capi, & extrinsecus mellitis venenis decipi; verùm properantes occasiones vrgere, erroris negotia disponere, à ratione prorsus desciscentis, & miseri appetitus vernulæ est. Si Sirenarum cantu Ithacus raperetur, postquam se arboribus illigauit, postquam aures surditate vtilissima obsepsit, ne cantibus titillatæ succumberent, aliquam excusationem haberet; qui verò nauigia versus pericula dirigebant, sine specie excusationis peribant: cōstabat namque Ithacum violenter rapi; alios verò curasse studiosè decipi. *Sirenas in miraculum cantasse*, scribit Cassiodor.l.2.var.40. *curiosa prodit antiquitas, & quamuis nauigantes fluctus abduceret, carbasa ventus inflaret, eligebant suauiter decepti scopulos incurrere, ne tantam paterentur dulcedinem præterire.* Ecce detrimentum electione quæsitum; imò repugnantibus ventis, & temporibus laboratum: fluctus abducebat, ventus, ne nauigantes falsæ dulcedinis titillari cantu perirent, in contrariam partem reflabat, vt illos portui redderet, & naufragio dulci subduceret; at illi eligebant potiùs suauiter inter scopulos harmonia illectos perire, quàm portum appellentes securitate gaudere. *Solus Ithacus euasit*, addit Cassiodorus, *qui nautis solicitatorem protinus obstruxit auditum contra noxiam dulcedinem. Cogitauit vir prudentissimus felicissimam surditatem, & quam vincere intelligendo non poterat, meliùs non aduertendo superabat: se verò soliditati arboris constrictis nexibus illigauit, vt & famosos cantus liberis auribus probare potuisset, & pericula dulcisona vocis vndâ rapiente vinctus euaderet.* Profectò si Ithacus violentis fluctibus raperetur, probaretur humanis, nec omnino argueretur stultus; at qui deceptionis causas auidis remis quærebant, non solùm de casu fragiles; sed de electione imprudentes: Ephraimitæ, Iudæíque Iebusæos,

Senec. Iter ad vitia nō solum pronum, sed præceps.

Cassiodor. Sirenum cātus dulcissimus.

Iebusæos, & Chananæos deleuisse nullatenus referuntur; eo tamen modò, vt Iudæis non tam culpæ adscribatur, quàm impotentiæ; Ephraitis verò non impotentiæ; sed culpæ: *Non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer.* Non ita de Iudæis: *Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere.* (Iosue 15. v.63.) Vides aliter de Iebusæis, & Chananæis non deletis scribi: hîc aiebat, *non potuerunt*; illic, *non interfecerunt filij Ephraim.* Verùm cùm mysticè in illis gentibus vitia, vt sæpè diximus, designentur, omnibúsque liberum sit aut imprudenter fouere, aut viriliter abigere, difficultate non caret, cur Iudæis non depulisse adscribatur impotentiæ; Ephraitis verò vertatur ignauiæ? Ea se mihi offert ratio, scilicet Iudæos industriâ diligētiâ non seruasse; sed irruentes inuitè quodammodò sustinuisse; at Ephraitas non tam sustinuisse, quàm tributorum cupidine allectos studiosè asseruasse: horum ergo peccatum proditur, illorum quodammodò tegitur. Innuit Abulensis quæst.3. *Non interfecerunt filij Ephraim Chananæum: quasi dicat, potuerunt occidere; sed noluerunt facientes eum tributarium sibi. De filiis Iuda aliter dicitur præcedenti capitulo, scilicet, non potuerunt filij Iuda delere Iebusæum.* Iudæi Chananæos patiebantur; hoc tamen non tam erat studiosa propositi cura, quàm maligna Chananæorum se ingerentium solertia; at Ephraitæ, vt tributa acciperent, & studiosè asseruabant, & accuratè fouebant: illud ergo humanæ fragilitati donatum; hoc verò malignitati attributum.

54. Eua cùm paradisæis amœnitatibus versaretur, essétque voluptas innoxia sine admixtione serpentini veneni, ad inuidiam excitatus est dæmon, serpentisque facie personatus turpi facinore turpiter adrepens, cùm immortale pectore odium gereret; humanitatem ore simulauit: arbori ad speciem pulchræ diuinitatem inesse asseruit, & ne contemneret fructum, cuius ope Deus esse poterat, persuasit: illa, quæ iam iniquis susurris commodauerat aures, manum extendit, & tantis luendum insultum pomum imprudentissima carpsit, & quò calamitas latiùs grassaretur, iam delibatum Adamo pomum manu candida propinauit. Seductionis fructum vindemiantes venena senserunt, & pudore cooperti, quia prorsus nudi, erubescentes delitescebant. Hoc in statu erant parentes nostri, ridebatque diabolus fœdissimis culpis fuscatos, quos ad immortales delicias spectauerat antea conditos; verùm humanissimus creator operi suo dextram porrigere festinauit, & post criminis discussionem salubri pœna coercuit: mulierem partus ærumnis puniuit, hominem ingratæ terræ culturæ dicauit. (Gen.3. v.16.) *In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui; Adæ verò dixit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo:* vides parentum supplicium; expende Caini longè grauius ob scelus tormentum: ab initio religio inuidiam passa est: Abel, quia Deo placuerat, occiditur, & quo alienum liberiùs insectaretur, Cainus à fratris sanguine infeliciter auspicatur: parricidam digna mulcta punit æquissimus Iudex: (Gen.4. v.11.) *Maledictus eris super terram.* Inquiramus, cur grauior Caini pœna, cùm ad speciem leuior sit culpa? Hic vitam abstulit; Eua rapere diuinitatem contendit: ergo deterior illa de studio, quàm iste de parricidio. Leuauitne vtpotè mulier pulchritudine pœnam? Lachrymulis imminuit mulctam? Si ergo in vetitum nitens, ac pomo vescens partus dolores in pœnam tulit, si Adamus non in se; sed in terra accipit maledictum; cur Cainus non in terra; sed in se maledictionis patitur probrum? Indicat sanè discriminis causam textus: Cainus præmeditatus necem fratrem duxit in agrum: *Egrediamur foras:* Eua à serpente circumuenta est, Adamus ab Eua: itaque Adamus vti terrenus occasione prolectante succubuit; Cainus facinoris sibi occasionem excogitauit: hic ergo seueriùs erat puniendus; ille benigniùs mulctandus: aliud namque peccatum prodebat fragilitatem naturæ, aliud verò peruersitatem malitiæ. Ita Rupertus lib.3. in Genes. cap.1. (Rupert.) *Mulier corpore, & oculis vaga, dum incontinenter deambulat fortè prospectans, qualis extra paradisum mundus haberetur, & serpens vtpotè astutus dulcedini terræ proprius, vel ambitiosus innititur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta, vnde tentaret:* Eua non præuidit, non studuit; scandalum sibi futurum non credidit: incidit in tentationem, & vt terrea fallaciis decepta est, Cainus verò excogitauit, præuidit, & industrius peruersitatis artifex occasionem flagitio perpetrando procudit. Hic ergo maledictus in se, in terra Adamus, in doloribus partus Eua. Occasione allectante decipi fuit hominis; occasionem verò perquirere dæmonis.

55. Duo ex Apostolorum choro passionis tempore sæuæ adeò tempestatis flatibus per errorum vndas iactati sunt: negauit Petrus, & ad puellæ vocem desipuit, qui mortem, qui sæua tormentorum paulò antè instrumenta despexit; verùm benignissimus Dominus negationis tēpore blando aspectu mentis tenebras detersit, & oculorum lumine oculorum cæcitatem abrasit. *Conuersus Dominus respexit Petrum:* (Luc.22. v.61.) Iudas magistrum vilissimo lucro cauponatur; & fraudem homine indignam molitur: (Matth.26. v.14.) *Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Iudam magister non respicit; imò nec argenteis potitus (proiecit namque) laqueo disperiit suspensus: *Proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* (Matth.27. v.5.) O arcana Numinis iudicia! Multi ex crucifigentibus fortitan per ipsas sanguinis vndas portum appulere salutis: discipulus, & commensalis Iudas desperatus pretium tulit, & amisit iniquitatis. Inquiramus cur magister misertus non fuerit Iudæ, cùm fuerit misertus Petri. Certè vti dominus diuitiarum gratiæ suæ, cui vult, miseretur, & quem vult, indurat; sed ad nostram eruditionem, quantum ex circumstantiis venari possumus, Petrus vel in ipso errore ad commiserationem prouocabat; Iudas tamen sententiæ seueritatem vrgebat: Petrus namque Principis adit domum, non quidem, vt negaret; sed vt finem videret: *Ingressus intro sedebat cum ministris, vt videret finem.* (Matth.26. v.58.) Non erat animus negare; sed deuotè assistere: incidit in mulierem procacem, in fœminam garrulam, in feros ministros, & timore obturbatus hæsit, & negatione inquirentium malignitatem frustrauit: Iudas verò non incidit

in

in nundinationis occasionem; sed ipse ad Principes iuit, sceleſtum sanxit pactum, & æternè luendum accepit lucrum. Ergo Dominus misertus eſt Petri, vtpotè vrgente occasione imbecillis: Iudam tradidit orco, vt qui excogitato triſtes illas ſibi nundinas peregit ſtudio: quò nos doceat, licèt omnia peccata fugienda; illa tamen præcipuè; quæ non casu accidunt; sed fiunt excogitato consilio. Adeſt Ambrosius de negatione Petri: *Petrus non de induſtria sic respondiſſe inducitur: quia poſteà recordatus eſt, & amarè fleuit: maluit enim ipse suum accuſare peccatum, vt iuſtificaretur fatendo, quàm grauaretur negando: iuſtus enim in principio accuſator eſt sui; & ideò fleuit: quare fleuit? Quia culpa irrepſit ei.* Addit Ambrosius poſt pauca: *Petrus doluit, & fleuit, quia errauit vt homo.* Petrus errauit vt homo; Iudas vt peruerſus: ille non de induſtria; iſte vſus eſt ad delinquendum ſolertia. Ergo Dominus reſpiciat Petrum, vt lugeat benigno aſpectu: puniat Iudam meritiſſimo præcipitationis lapſu.

Ambros. | (margin)

56. Prophetas duos culpa conſperſos inuenio: cùm vir Dei legatione ritè peracta domum repeteret, neſcio quis cataboliconum antiſtes greſſum, vt illum fallat, accelerat: inuenit ſedentem ſubtus terebintum prophetam, & miris artibus Dei reſponſum accepiſſe ſe colorauit, & quadamtenus ad comedendum nolentem coëgit: paruit propheta, & pretium modici cibi mors fuit: à leone interimitur, & interemptus in fallacis prophetæ ſepulchro conditur: ſenex ille catabolicus morti vicinus oſſa ſua inferri eodem conditiuo filiis ſuis ſerio præcepit: quod & factum eſt: cumque Ioſias fatidicorum oſſa flammis tradenda perquireret, in viri illius Dei, & prophetæ falſi titulum incidit, & cuius eſſet, rogauit: *Quis eſt iſte titulus, quem video? Responderuntque ei ciues vrbis illius: Sepulchrum eſt hominis Dei, qui venit de Iuda.* Inquirit Lyra, cur præcipuè de hoc titulo ſciſcitatus fuerit, cùm iacerent ibi multa ſepulchra: accipe eius verba: *Cum eſſent ibi multa ſepulchra, quæritur quare ibi Ioſias ſpecialiter quæſiuit de illo: ad quod reſpondit R. Salomon quòd vidit, ex vno latere ſepulchri herbas fœtidas, & pungentes ortas, vt ſpinas & vrticas, & huiuſmodi ex alio verò latere herbas bonas & ſuauiter redolentes, vt balſamum, & huiuſmodi.* Verùm ſi vterque peccauit, cur non ſimilis pœna, ſed alterius adhuc promunt rubeta culpam; alterius verò balſamum redolet indulgentiam? Quia licèt vterque peccarit, diuerſus in ipſo peccato agnoſcebatur affectus: peccauit alter fallacia illuſus; alter verò malitiæ ſtudio inflammatus: qui ergo de induſtria perpetrauit ſcelus, & pœna ſoluit non moritura delictum; atqui occaſione compulſus, & fallaciæ blandimentis allectus, tulit pœnam; ſed ipſa vita finitam, nec poſt ſepulchrum ſtatam. Quoduis peccatum poteſt abradere pœnitentia; ſiue induſtria perpetratum, ſiue per humanam fragilitatem admiſſum; verùm vt noſcas magnum eſſe diſcrimen inter delicta proritante occaſione commiſſa, & ſtudioſa ſolicitudine perpetrata, culpa prophetæ importunè inuitati amiſſa cognoſcitur; alterius verò punienda æternum videtur.

4 Reg. 23. v. 17. | Lyra. (margin)

57. Graue, durúmque ſupplicium minatur Dominus fœminæ illi, cuius accendis greſſibus frequentes ſeuit ſpinas: *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria.* Vides ſpinis ſeptam in via, ſanguine cruentatam, crebriſque vulneribus foſſam; nec tamen à Samaritano illo pientiſſimo medicamine fotam, aut ligatura conſtrictam: cùm homo ille, qui in latrones incidit, manum auxiliarem inuenerit: *Samaritanus quidam iter faciens venit ſecus eum, & videns eum miſericordiâ motus eſt, & appropians alligauit vulnera eius.* Si Dominus in Samaritano ſe voluit intelligi, & homini vulneribus confoſſo medicatus appropinquauit, cur feminæ non miſereatur in via ſpinis obſitæ, & ſpinarum morſibus laceratæ? Expende calamitatum differentiam: homo, cùm ad alia tenderet, in latrones miſerabilis incidit: *Deſcendebat*, inquit, *ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones.* Itaque improuiſi graſſatores ad alia tendentem adorti ſunt, vt diuitiis diſpoliatus, plagis periret veſtitus; at mulier illa de induſtria ſibi calamitatem aſciuit, & vias, quibus diſperiret, amauit: *Vadam*, inquit, *poſt amatores meos, qui dant panes mihi.* Vterque peccat, vterque culpæ plagis iacet itinere miſerandus; at mulier anxio ſtudio plagas ambiuit; qui deſcendebat, incautus tulit: *iſtius hominis*, ſcribit Chryſoſtomus apud D. Thomam, *miſerandus eſt caſus, qui inermis ac deſtitutus in latrones inciderit.* Miſeretur Samaritanus caſus in latronis incidentis, punit procaciam amantis. Fuge ſcelerum plagas; ſi tamen, quod auerterit Deus, aliquando culpam admiſeris, occaſiones non quæſiueris ambitioſius; ſed inuiſa antea occaſione pellectus.

Osee 2. v. 6. | Luc. 10. v. 33. | Chryſoſt. (margin)

§. XIII.

Iuſti, virtutiſque ſtudioſi, ſi quod per humanam fragilitatem perpetrauere peccatum, ab illo exigunt magnum virtuti tributum.

Virtute ſtrenui, quia contra aduerſarios ſemper in excubiis ſunt, hoſtibus caſtra tentantibus ſæpiùs obiiciuntur: hinc aliquando iaculorum perferunt ictus; ſed vel icti pugnant, nec arma imbelles deponunt. *Magis laudauerim*, aiebat Seneca epiſt. 67. *bona exercitata & fortia, & cum fortuna rixata.* Qui nullum aduerſarium tulit, nec ſuæ virtutis experimentum fecit: nonnullos deſpexit aduerſitas inimicos, quaſi manum cum illis conſerere pudeat: ignominiam iudicat gladiator cum inferiori componi: nam qui vicit ſine periculo, etiam triumphat ſine plauſu: faſtidioſo deſpectu tranſit quoſdam aduerſarios auſterior fortuna: quia iudicat vinci paratos: otioſum ſanè eſt obſidere dedititios, & timore agitare trepidos: contumaciſſimos, rectiſſimóſque vincere exambit virulentus hoſtis, & in illos ſuas ſtudioſiſſimè intendit vires: feriuntur non ſemel; ſed de accepta plaga acrior accenditur furor, & elephantis adinſtar de conſpecto ſanguine viuidior ardor. De leui ab hoſte vulnere inflicto nobili adeò indignatione inflammantur, vt copioſis lamentis illum aggreſſi ſint referire, & leuem plagam inflicta hoſti altiſſima vindicare. Conducibilior fuit aliquando nonnullis error: quia æternauere famam, dum ab hoſte erroris experiuere vindictam. Mutius Romano ſanguine clarus 58.

Senec. (margin)

elatus accepta à Senatu potestate in Porsenæ regis tunc temporis Romanos obsidentis castra animosus excurrit, non transfuga; sed explorator: eóque animo intrauit, vt Regem de medio tolleret, patriámque obsidione liberaret; sed cùm satellitem purpura indutum videret, regem veste delusus putauit, & ferro occidit: tunc in Porsenæ conspectum delatus iussus est coniuratos prodere, aut ardentibus dexteram flammis iniicere; manum ille rogo supposuit, & intrepidè stillare vidit, vt erroris sui à se vindictam exposceret; qui sanè minùs fecisset, si non errasset: dum errorem suum punit, in materiem immortalis famæ conuertit. Adest Seneca vbi
Senec. suprà: *Quidni ergo feliciorem putem Mutium, qui sic tractauit ignem, quasi illam manum tractatori præstitisset? in integrum restituit, quidquid errauerat.* Imò plus, quia errauerat, fecit, & minùs, si non errasset, fecisset: non solùm restituit in integrum, quidquid errauerat; sed multò plus, quàm errauerat, restituit in integrum. Itaque magni viri vel de errore suo virtuti materiam cudunt, & posteris imitanda exempla transmittunt. Adsunt Ephraimitæ terram promissionis ingressi, qui cum Chananæos penitus extirpare non possent; sed inuiti secum viuere paterentur, sic tributis onerarunt, vt non tam sibi, quàm Ephraimitarum commodis viuerent: *Habitauit Chananeus in medio Ephraim vsque in diem hanc tributarius.* Historiam moribus adaptans Gregorius in Chananæis vitia asserit designari, quæ per humanam fragilitatem penitus non extirpauere iusti; verùm virtuti cogunt soluisse tributa. Audi eius verba lib. 4. mo-
Gregor. ral. cap. 22. *Quid Chananæus, Gentilis videlicet populus, nisi vitium significat? Et sæpè magnis virtutibus terram promissionis ingredimur: quia spe intima de æternitate roboramur; sed dum inter acta sublimia vitia quædam parua retinemus, quasi Chananæum viuere in terra nostra concedimus.* Accipe attentiùs, quæ subdit: *Qui tamen nobis tributarius efficitur: quia hoc ipsum vitium, quod subigere non possumus, ad vsum nostræ vtilitatis humiliter retorqueamus, vt eo de se mens, & in summis vilia sentiat, quo suis viribus etiam parua, quæ appetit, non expugnat.* Leuissimos sæpè defectus dolet maxima pœnitudo, & dum eximia virtute leuem errorem compensat, error virtuti seruit; quia eximiæ virtutis occasionem procudit. Profunda humilitate deprimitur mens inuolare per æthera solita: quia leui tantisper retardata fuit culpa: vt inde maior virtuti exurgat prouentus, vnde aliqualis accessit casus.

59. Paulus Apostolus ad Romanos scribens hanc
Ad Rom. 8. v. 28. nobis doctrinam tradidit: *Scimus*, inquit; *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quid ais, ô Paule? potéstne ignauia fulcire studium? Potéstne linguæ lapsus virtuti afferre incrementum? Et quando vel leuis morbus non aduersetur saluti; sed militet sospitati? *Omnia*, inquit, *cooperantur in bonum*: quia gratiæ auxilio potentiam Numinis æmulantes lumen faciunt de tenebris splendescere, ipsáque vitia virtutibus inseruire: nam leuis culpa est profundissimæ humilitatis materia, & quæ videbatur virtuti attulisse detrimentum, pendit profundissimæ humilitati tributum. Audi An-
Anselm. selmum ad hunc locum: *Dilectoribus Dei omnia cooperantur, id est, simul fiunt cuncta in bonum: quia in bonum vertuntur illis omnia quæcùmque ipsis accidunt, non solùm illa, quæ appetuntur vt molesta. Vsque adeò prorsus omnia, vt etiamsi qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis proficiat in bonum: quia humiliores redduntur, atque doctiores, & robustius, atque cautius post insistunt bonis actibus.* Acerrimè affliguntur, si vel leuissimè exorbitarint; vberrimis lachrymis leuissimas plangunt culpas, & acerbas à corpore exposcunt pœnas, ita vt magnum illis virtutis accrescat lucrum, vnde imminere videbatur dispendium.

Elias ille magnus iram mulieris furore ebriæ 60.
fugiens sub vmbram iuniperi se proiecit, & cùm deberet studiosiùs fugere, ad speciem ignauiùs obdormit: *Proiecit se, & obdormiuit in vmbra* 3. Reg. 19. v. 5.
iuniperi. Somnum hic torporem virtuti irrepentem signasse tradit Glossa moralis: *Tepor aliquando nominatur in Scriptura sopor:* Dei Angelus dormientem excitat, & Elias post pabulum ab Angelo acceptum sic gressu indefesso cucurrit, vt quadraginta diebus, & quadraginta noctibus insomnis, aridus, & ieiunus ambulauerit, ad Deíque montem celsissimum celeri pede contenderit: *Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb.* O quàm prolixis vigiliis compensat Propheta somnum! ô quàm restituit celeritati tempus, quod fugæ abstulerat! tantisper obdormiuit; sed seipsum vrsit, nec oculis dormire exinceps permisit: magnis vigiliis soluerunt oculi, quod leui somno tempus insumpserant: ipsa teporis ignauia pro calcaribus fuit ad celeriùs carpendam viam: vt commodare posset Eliæ, quæ in præfatione ad lib. 3. natural. quæstion. scripsit Seneca: *Quidquid amissum est, id diligenti vsu præsentis vitæ recolliget, fidelissimus est ad honesta ex pœnitentia transitus... faciamus quod in itinere fieri solet: qui tardiùs exierunt, velocitate pensant moram.* Pensat Elias velocitate moram, & cum mora fuerit exigua, pernicitate inuolauit maxima. Se vrget Propheta, & somni corpori impensi tempus vigilia acerrima sarcit: *Minantem Iezabel fugiens*, scribit Tertullianus lib. aduersus Psychic. cap. 6. *post vnicum pabulum, & potum, quem ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipse quadraginta diebus, & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Choreb.* Dormientem Angelus excitauit, Elias dormitasse erubuit: vtque leuissimi somni à se pœnas exigeret, arido ventre, sicco ore quadraginta dies indefessus ad perfectionis altissimum montem cucurrit, leuémque moram velocitate maxima compensauit.

Glossa moral.

Senec.

Tertull.

Hoc ipsum clamabat Iobus: *Obtenebrentur* 61.
stellæ caligine eius: non ait tenebris absorberi; sed tantisper caligine obtenebrari, vt sub hoc ænigmate doceat Sanctos, qui vti sydera mundo lucent, leui aliquando noctium caligine aspergi; lucem tamen minimè amittere; imò sæpè sæpiùs viuidiores radios eiaculari. Ita Gregorius vbi supra: *Stellæ quippe huius noctis caligine obtenebrantur, quando & hi, qui magnis iam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ aliquid renitentes sustinent, vt etiam magna vitæ claritate luceant, & tamen adhuc noctis vel quiddam nolentes trahant. Quod ad hoc, sicut dictum est, agitur, vt mens proficiens ad virtutem iu... sua meliùs infirmitate roboretur, & vnde verius*

Gregor.

in bonis luceat, vnde eam etiam nolentem parua reprehensibilia humiliter obscurant. Micantius splendescere videntur stellæ, cùm illas nox aggreditur obscurare, quasi de certamine emicent splendidiùs, & ipsa obscuritate impugnatæ radios emiserint clarius; quo deterserint caliginis notam, & expetant de obscuritate vindictam.

62. Liceat ediscere de peruersorum schola perfectorum ingenia. Nabuchod. ille dormiens imaginem intuetur metallorum varietate constructam, & pedibus fictilibus nixam: aurum adornabat caput, argentum brachiis materiam præstabat, æreus erat venter, tibiæ ferreæ, pedes ferro lutóque ab ingenio discrepantibus texebantur: sæculorum adsultus despiciebat statua auri potentiâ, & æris robore fulta; verùm plus illi, quam dedit, est fortuna minata: visa est assurgere, vt sustineret disperdi; contumeliæ
Dan. 2. v. 34. causa est ficta, & ictum lapidis passa: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos:* Rex miserandam statuæ stragem intuitus animum non despondit; sed restituere in integrum festinauit: nec iam variis metallis conflat; sed ex vna auri materia construendam
Dan. 3. v. 1. peruersè ingeniosus curat: *Nabuchodonosor rex fecit statuam auream.* Ecquid statuæ ad speciem fuerit conducibilius, lapidis tulisse ictum, aut nullatenus pati casum? Certè ni corruisset, materia adeò pretiosa nullatenus refulgeret: luceret auro; sed sordesceret luto; micaret argento; sed vilesceret ferro; at post casum sic affabrè exurgit elaborata, & materia splendet pretiosa, vt pro luto, & ferro substitutum sit aurum. Compensauit Nabuchod. casum, dum totam struxit ex auro: melior, pretiosiórque excitatur de casu, nec adeò nobilis sine ictu. Notauit
Theodoret. Theodoretus orat. 3. *Statuam construit tantam ipsi magnitudinem tribuens, quantam potuit ars humana præbere; non autem ipsam etiam ex auro, argento, ære, ferro ædificat; sed ex vna auri materia conficiendam curat:* ratus est infelix ille corrumpendas de auri potentia vel prædictiones diuinas; illud verò peruersitatis symbolum; virtuti etiam militauit exemplum. O quoties sanctis leuis casus fuit maioris perfectionis occasio, & qui antè culpam non adeò amplo ditescebant virtutis censu; post leuem noxam maiori adornantur cumulo!

63. *Hæ sunt gentes*, aiebat sacer textus Iudicum 3.
Iud. c. 3. v. 1. *Quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem:* barbaræ nonnullæ gentes in promissionis terra seruatæ sunt, vt Israëlitæ, & excuterent otia, & semper intenti armarentur in prælia: quod ad internos animi motus transferens Gregorius suprà citatus; permittere sæpè Deum asserit leues culparum remansisse reliquias, vt iustorum animus periculosè non intumescat; sed leuiter vulneratus detumeat. *Ad hoc*, verba
Gregor. sunt Gregorij, *quædam minima vitia nostra retinentur, vt sese nostra intentio solicitam in certamine semper exerceat, & eò de victoria non superbiat, quo viuere in se hostes conspicit, à quibus adhuc vinci formidat. Israel ergo reseruatis gentibus eruditur, quando in quibusdam minimis vitijs elatio virtutis nostræ comprimitur.* Dum leuibus vitiis tacta mens se nihil posse cognoscit, dum se vti ab imbellibus inimicis superatam despicit, humilitas innutritur robustior, & de ipsis culpis iam roboratur valentior.

§. XIV.

Difficiliùs sæpè, si semel admiserint, Ecclesiastici culpis nudantur; sæculares faciliùs sæpè soluuntur.

HVmana natura sibiipsi opposita, & volu- 64.
ptatum cupidine falsa culpas admittit, quibus marceat infecta, & obscuretur obstricta. Rarum inuenies liberos oculos attollentem, nullius cupiditatis seruum, & noxiæ voluptatis amicum. *Ostende*, aiebat Seneca epist. 47. *quis non sit seruus. Alius libidini seruit, alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes timori: dabo consularem aniculæ seruientem, dabo ancillulæ diuitem, ostendam nobilissimo iuuenes mancipia pantomimorum.* Itaque aut nullus aut rarus hanc turpissimam culparum seruitutem prorsus effugit. Hecuba seruire cœpit, Croësus, Darij mater, Plato, Diogenes, & quoscumque eximios celebrauit antiquitas; verùm etsi culpa omnes veluti iniecta manu prehendat; firmiùs tamen non semel sacris homines dicatos ligat: voluptate capiuntur, & de ipsa sacrorum tractatione quodammodò timore priuantur. Ad indignationis Numinis signum in seipsis vel profani homines contrahuntur, & animi timorem externo contestantur habitu, & gestu; at Deo dicati, quia illis frequens religiosus cultus, & quasi cum Deo conuictus, quadamtenus timorem abiiciunt, ruptísque frænis præcipitantur audaciùs, & sibi culparum maculas agglutinant firmiùs. *Dudum ad nos multorum suggestione peruenit*, scribit Cassiodor. 4. variar. 18. *Laurentium presbyterum effossis cineribus funestas diuitias inter hominum cadauera perscrutatum, concussionémque mortuis intulisse, quem oportet viuentibus quietem prædicare: Non abstinuisse perhibetur tam crudeli contagio pijs dicata consecrationibus manus: aurum execrabili quæsisse fertur affectu, quem suam decuisset egentibus dare substantiam vel sub æquitate collectam.* Facinus tentauit clericus, quod non auderet profanus. Nec solùm excedere solent audaciâ; sed tenaciùs infici culpâ. Ephraimitæ terram promissionis ingressi reliquos Chananæos facillimè depulerunt; cùm tamen habitantem in Gazer, si Origeni credas, depellere non potuerint. *Non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer.* Notanter explicat textus habitatorem Gazer nullatenus depulsum, quò nobis latere aliquod indicarit mysterium. Et cur Chananæus, hoc est vitium diutiùs in Gazer inhabitat, cùm ab aliis ciuitatibus faciliùs fuerit exclusum; imò detritum? Innuit, ni fallor, Abulensis quæst. 3. *Ista ciuitas fuit data Sacerdotibus, vt patet infrà 21.* Itaque Gazer designatione iam sacra: ergo vitia quæ sacram inhabitant ciuitatem, ægriùs depelluntur, & diutiùs immorantur: quò nobis sub hoc ænigmate Scriptura patefecerit res Numini sacratas, si semel culpa inficiantur, non facilè purgari; sed difficulter absolui.

Senec. *Quisque auaritiæ, timori, aut ambitioni seruit.*

Cassiodor.

Abulens.

Natus est Christus Dominus, adeóque fulgentes Solis vel tuguriolo latentis radij exarserunt, vt antiquas Magorum depulerint tenebras, & syderis lingua præsepis non detrectare persuaserint ignominias: accurrunt Magi, astróque 65.
fulgentissimo

fulgentissimo edocente se recens natum regem adoraturos inuolasse testantur: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam dicentes: Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Cælestis luminis ductum sequuntur, plúsque valuit vnica nouitate fulgens stella, vt errores cælesti luce depelleret, quàm tot antiquorum syderum cohors, vt veritatem innubilaret. Audis Magorum altam de antiquo more caliginem noui syderis luce detersam, illamque infaustam idololatriæ noctem depulsam: audi Pontificum sacerdotúmque maiori prodigio animos nullatenus veritati assentientes; sed remedio plus laborantes: dum crucem pateretur Dominus, Sol ne horrendum facinus spectaret, aufugit, mundi fundamenta horribili pauore concussa crepuerunt: aër luce nudatus lugubrem habitum importunum tempori, opportunum occasioni dolenter induit: *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, & obscuratus est Sol:* cúmque creaturæ omnes lugubrem casum dolerent, Sacerdotes, Pontificésque sic peruicacia duri, sic duritie peruicaces, vt adhuc seductorem dicerent; & funestum lapidem custodibus obsignarent: *Conuenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum dicentes: Domine recordati sumus: quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam: iube ergo custodiri sepulchrum.* Sol intempestiuè obscuratus Sacerdotum tenebras non valuit depellere, cùm Magorum vnicum valuerit sydus abradere. Notauit Augustinus serm. 2. de Epiphan. *Isti in membris paruis Deum adorauerunt; illi in magnis factis nec tanquam homini pepercerũt: quasi plus fuerit videre nouam stellam in eius natiuitate fulgentem, quàm Solem in eius morte lugentem.* Vel lugens Sol inuiso sæculis retrò prodigio timorem Sacerdotibus non incussit, cùm profanos Magos ac idololatriæ deditos vnicum sydus stupore perculsos nouitatis allexerit: Magi, quia prodigia non viderant, vel vnico procellebantur miraculo; at Sacerdotes Christi miraculis assueti sic de consuetudine miracula depretiarunt, vt nec Sole percellerentur intempestiuè demortuo, nec lugente horrendum mundo. Ecqua huius discriminis causa est? Magos scilicet erroribus anteà addictos facilius miraculosa luce fuisse perculsos, Sacerdotes verò vtpotè miris assuefactos nullatenus prodigio tanto commotos. Et ne longiùs huius veritatis testimonia petamus, cùm gens Iudæorum respectu cæterarum Deo fuerit sacrata, intimiùs adeò adurebatur malitiâ, vt faciliùs fuerit alias erroribus occupatas reducere, difficilius ipsam veritate informare.

Math. 2. v. 2.

Luc 23. v. 44.

Math. 27. v. 62.

August.

66. Christus Dominus triumphali voce emisit spiritum; tunc monumenta mortuorum exuuiis citissime denudantur, si fortè velit illorum aliquod funere suo Dominus honorare: templi velum scissum est, vt omnibus notum esset antiquas vmbras veritate iam impletas, & corusco lumine Euangelij depulsas: *Velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt; & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Quid tunc? *Centurio, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: verè filius Dei erat iste.* Principes Sacerdotum huic spectaculo interfuisse nec tacuit sacer textus, nec in dubitationem venire virulentissimæ finit inuidiæ stimulus: *Principes Sacerdotum illudentes cum scribis, & senioribus dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere.* Ergo si Centurio, & Sacerdotes eidem spectaculo assistunt, si eisdem percelluntur prodigiis, & informantur miraculis, quomodò Centurio veritatis anteà exors, militaríque truculentiæ adscriptus pauore concutitur, & Christum Dominum Dei Filium exertis clamoribus confitetur, cùm Sacerdotes nec consilium retractarint, nec Pharisæi illius temporis religiosi ab antiqua sententia discesserint? Ipsa dubitatio est dubitationis solutio: miles sanguini dedicatus, castrorum profanitate innutritus prodigiorũ nouitate percellitur, ac digno timore pulsatur; at Sacerdos temeratiè intrepidus, & ad miraculum obstinatus elementorum vocibus obsurdescit; & prodigia incredibili audacia quasi prodigia non fuerint, transit; facilius fuit militem prorsus veritate nudum fidei veritate erudire, operosius Sacerdotes à semel ebibito errore auertere: *Centurio homo Ethnicus*, scribit Theophylactus, *signis credit cum his, qui secum erant. Iudæi autem, qui legem, & prophetas audierant, increduli manent.* Sic Iudæi, sacerdotésque malitia obfirmantur, vt quibus Ethnici perculsi, nullatenus fuerint signis deterriti. Theophyl.

Math. 27. v. 51.

67. Componamus, si placet, dissimilium personarum non dissimile scelus: Dauid, dum tantisper temperantiæ curam remittit, suis oculis pro telis feritur: nam cùm pollucibili mensa potitus esset, & meridiana se deambulatione oblectaret, mulierem vidit, cuius pulchritudine captus improbum pectore desiderium concepit, quod posteà adulterium pareret; verùm misertus Prophetæ Deus prophetam mittit, qui vlcus detegat, & medicamen apponat: ænigmatis coloribus factum depingit, & regem latenter ferit: ille culpam agnoscit, suspiriis largissimis deflet: *Peccaui Domino.* Vides regem deliciis innutritum, purpurâ splendescentem monitu Prophetæ pœnitentiam arripuisse, & peccatum vberrimis lamentis purgasse: audi quid Ophni, & Phinees Sacerdotibus acciderit: sacrificiis violenter non exiguam portionem detrahebant, obscœnis voluptatibus indulgentes non solùm perpetrauere delictum; sed & populo pepererunt scandalum. Heli filios obiurgat, & effrænem vitam sugillat: *Heli autem erat senex valde, & audiuit omnia, quæ faciebant filij sui vniuerso Israeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, & dixit eis: Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo.* Putares paterna admonitione perculsos statim ab excessibus retrahendos, & erratum lachrymis deleturos; verùm nullo modo correptione emendati; imò despectis patris consiliis vitia sectantur procacissimi: *Non audierunt vocem patris sui.* Adhuc instat Deus intentatis cohibere suppliciis, & duris refrænare puerorum audaciam pœnis: *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui; hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filijs tuis Ophni & Phinees: in die vno morientur ambo:* mors imminet, pater corripit, intentatas leges minas; sed pœnitentiæ minimè reperies lachrymas.

2. Reg. 12. v. 13.

1. Reg. 2. v. 22.

mas. Videamus ergo cur Dauid adeò celeriter admonitione correptus, quando iuuenes nec obiurgationibus cohibiti, nec suppliciis adeò duris fuerint frænati: hi certè (templi námque erant ministri, sacris dicati, & sanctitate quodammodò imbuti) faciliùs videbantur corrigendi, vtpotè quos munus, si dici liceat, cogebat, & locus vel inuitos ad pœnitudinem reuocabat: nil mirum si Dauid Prophetæ admonitionem contemneret, fastúque regio medicamentum accipere detrectaret; & tamen rex adhortatione induratur. Ecqua diuersitatis causa est? Quia rex diuinum iudicium timuit; at Sacerdos veluti de frequentia sacrorum Numinis verba despexit: minas aspernantur, adhortationes contemnunt, & quod timorem Dauid incussit, sacerdotibus nil suasit: Sacerdos, quia domesticus, audet, & Dauid bellicosissimus timet. *Tanta fuit magnitudo culpa*, scribit Gregorius, *vt & conuersionis monumenta susciperent, & à mortis suæ fouea surgere nequaquam possent: & qui iræ Dei pelagus bibebant, in damnationis suæ cumulum haberent non solùm pœnam commissi sceleris, sed etiam additam vindictam contemptæ prædicationis.* Medicamenta respuunt sacerdotes, qui morbos frequentissimè intuebantur alienos, de morbos tractandi consuetudine nullatenus verebantur suos: timorem morborum amiserant, nec quibus laborabant, horrebant. *Hic mihi vide*, aiebat de Dauide Basilius Seleucienlis orat. 17. *Dauidis Philosophiam: non enim argutus regum more indignatus est, neque dignitatis adspectu asperatus, neque qui latens peccatum nudauit, odio prosecutus, neque à priuato accusatus rex in iras adsurrexit; verùm agnito facinore dignitatis oblitus nulla vsus est loquendi libertate: factum exprimit, non premit: cernuus solo affligitur, & animo contrahitur: vlcus delet, nec sine lachrymis culpam prædicans exclamauit: Peccaui Domino.* Rex admonitione corripitur, Sacerdos nec minis, nec correptionis medicamentis sanatur: quia non semel Ecclesiastici, & Religiosi status priuilegio abusi liberiùs viuunt, & inhonestiùs procedunt.

Gregor.

---

§. XV.

Iustus prouidum ad futura extendit aspectum; peruersus præsentibus solùm dedicat cogitatum.

68. NOli huic tranquillitati confidere, monebat Lucilium Seneca epistol. 4. *momento mare euertitur, eodem die, vbi luserunt nauigia, sorbentur.* Fallit stata ad speciem aliquando maris serenitas, & qui in tranquillitate remedia ventorum non prouidit adsultibus, serâ posteà pœnitentia luget, & improuidus perit. Non est fidendum præsentibus: extendendus est animus in futura, vt prouidenter sibi asciscat opportuna contra fortunam remedia. *Ex quo natus es duceris: hæc, & huiusmodi versanda in animo sunt, si volumus vltimam horam placidi expectare, cuius metus omnes alias inquietas facit.* Dum vegetior salus, mors cogitanda est: nec solùm mortem comitantia; sed & ipsam mortem sequentia. Qui tantùm immemor futurorum præsentibus studuit, contra seipsum

Senec. *Infida felicitatis trãquillitas.*

Mors à vitæ exordio cogitanda.

in futurum errauit. Improbæ conscientiæ homines sic vitiis obcæcati delirant, vt præferant futuris præsentia; cordati verò præsentibus semper prætulere futura. Non est optanda placiditas, quæ amarum ducit ad infortunium: conducibilior est procella, si securum deduxit ad portum. O quoties adspirante fauonio nauis scopulosas impegit ad Syrtes, quæ acrioribus aquilonis flatibus vitauit cetaunia, dum prouida inuigilauit cautela. Israëlitæ sic auro inhiant, vt quas victores expugnare gentes debuerant, ipsi cupiditate indecoriùs victi degere tributarias permittant. *Habitauit Chananæus in medio Ephraim vsque in diem hanc tributarius.* Ne pensis viduarentur tributis nocere sibi periculosis non detractarunt delictis: quæ autem mala in futurum ex hoc cupiditatis semine messuerint, audi: *Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare, iam nunc scitote quòd Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram; sed sint vobis in foueam ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat, atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.* Leui ne parcerent tributorum emolumento, vrgentissimas in posterum improbi sibi calamitates pararunt; nec solùm amiserunt tributa; sed vitæ commoda, & quæ ditissima possederant prædia. *Hic consequenter ponitur transgressio præcepti*, scribit Lyra: *quia Dominus præceperat illum populum interfici à filijs Israel propter peccata sua, vt habetur Numer. 33. & in pluribus alijs locis, propter quod filij Ephraim peccauerunt dimittendo aliquos de illo populo habitare in sorte sua sub tributo, cupiditate ducti, ad quam Iudæi erant proni.* Si virtutem sequantur, pensis orbantur tributis; sed æternam sibi possessionem confirmant: si auro inhiauerint, censu ad breue tempus ditescent; sed in posterum hæreditatem amittent: adeóque Ephraimitæ obscuris cupiditatis nebulis obcæcantur, vt, ne præsentibus viduentur commodis, futuris se extremis obiectarint periculis: tantisper auro potiti vsuras soluerunt impendiosissimo fœnore, carissima sibi commoditate.

Iosue 23. v. 12.

Lyra.

Gloriæ Dominum in crucem actum nequissimi duo comitabantur latrones eiusdem supplicij collegæ: studuit namque peruersitas de consortio innubilare innocentiam, aut colorare saltem malitiam: alter ergo nequam de dolorum impatientia in rabiem actus à cruce liberationem precatur: *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos:* alter gloriosa voce præsentes temperauit cruciatus, & dolorum sæuissimos de patientia mitigauit insultus: *Domine*, inquit, *memento mei, dum veneris in regnum tuum.* In his duobus prædestinatorum, reproborumque statum depingi certo certius est. Vide ergo quid bonus petat, scilicet de tremendo iudicio eripi, gehennæque immortali non tradi: ita Gregorius 18. Moral. cap. 24. & in catena: *Tres virtutes, quas Apostolus memorat, subitò repletus gratia, & accepit latro, & seruauit in cruce: fidem namque habuit, qui regnaturum eum credidit, quem secum pariter morientem vidit: spem habuit, qui regni eius aditum postulauit*, &c. Alter de præsenti supplicio deposcebat eripi, alter de tremendo iudicio liberari. Audiuit Eusebius Emissenus lib. de beato

69.

Lucæ 23. v. 39.

Gregor.

Luc. 23. Latrone: *Non ait: de præsenti supplicio eripe me, sed magis, de futuro iudicio libera me.* Ecce paradisi hæres præsens contemnens supplicium totos futurum solicitè animos intendebat ad regnum, cùm tamen alter futurum non attendat ad regnum; sed præsens tantùm satagat temperare supplicium: alter vt dolorem lingua euaporet, blasphemias effutit: *Salua temetipsum, & nos:* alter verò præsentem animosè tolerans cruciatum ambitiosus depostulat paradisum. Hic ergo prædestinatorum ænigma; ille verò reproborum emblema: peruersitatis namque ingenium est temporalia commoda procurare, nunquam finienda despicere, vt prudentiæ est totis nisibus ambire æterna, & despexisse caduca.

70\. Baptista vidit Herodem ornatus schemate regem; notæ tamen libidinis seruum, vocem iecit temperantiæ fulgore coruscantem, quaque affectus illi impurissimi possent rescindi, verum sic Regem turpitudini addictum exasperauit, vt furens in medicum insaniret, quò liberiùs culpæ indulgeret: Baptistam coniecit in vincula, compede infami constrictus discipulos ad Christum delegat, quò sub interrogationis specie magistros excellentiori coniungat: *Ioannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* (Matth. 11. v. 2.) Quis huius legationis scopus, interpretibus controuersia, Placet Hieronymus, qui sciscitari putat, an præcursoris munere eodem modo defungi debeat apud inferos, vt defunctus fuerat ad superos: *Non ait: Tu es, qui venisti? sed, tu es, qui venturus es? Et est sensus: Manda mihi, qui ad inferos descensurus sum, vtrum te, & inferis debeam nunciare: qui nunciaui superis,* (Hieron.) Omne Ioannis in eo versatur studium, vt quid post mortem futurum sciat. Quod si attentiùs perpendas, nullam ad iudices, patronosve legationem adornasse reperies; vincula passus solutionem non curat; sed quid post mortem illi conueniat, exquirit. Quam aliter plures se gessissent! omnem impenderent curam in arcessendo patronos, in libertate curanda, in Herodis ira emollienda, quin animo vel minimum obuersaretur, an post mortem exterioribus forent tenebris amandandi, an non occiduis luminibus redimendi? Præsentia quisque cuperet immemor futurorum; at Ioannes perfectionis apex; & pudicitiæ vindex catenis expediri non curat; sed quæ vltra mortem, scire anhelat: non cursitat per legatos iudicum domos, non Vlpianum allegat: capite citò truncandus, quæ vita finiebantur, contempsit; quæ verò post mortem inchoanda, solertissimus ac prouidentissimus procurauit. *Manda mihi, qui ad inferos descensurus sum, vtrum te inferis debeam nunciare.* O quam fallitur, qui futurorum immemor immodicis præsentium desideriis exæstuat! o quam laude est dignus, qui præsentium contemptor, æternorum fiat ambitiosus. Pulchrum à Genesi mutuemur exemplum.

71\. Esau cum oppidò lassus domum venator repeteret, inuenit fratrem edulium sibi parasse, eoque immodico cibi raptus est desiderio, vt commutationem quamlibet fratris relinquat arbitrio: Iacob primogenita sibi tradi ob cibum non venditor iniustus; sed mysticus emptor deposcit: *Vnde mihi primogenita tua.* Gratias egit Esau quod pretium, quantumuis ingens depoposcisset: *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* Mutuus ille celebratur contractus, Esauque primogenita paruipendit, quo famis morsus soletur: Iacob famis tormenta sustinet, quò primogenituræ iure respondeat: *Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita, & sic accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit paruipendens, quòd primogenita vendidisset.* Gen. 25. v. 34. Factum hoc vtriusque fratris ingenium mirè depinxit, futurámque pro cuiusque facto sortem explicatissimè declarauit: alter námque in se reprobationem expressit, alter prædestinationem prodidit: *Benè igitur Apostolus*, inquit, verba sunt Ruperti lib. 7. in Genes. cap. 7. *sicut Esau, qui propter vnam escam primogenita sua vendidit, addens, & illud: Et non inuenit locum pœnitentiæ, quamuis cum lachrymis requisisset eam: non enim valent illæ lachrimæ, quæ pro temporali gloria domum cæleste ambiunt.* (Rupert. *Inutiles lachrymæ quæ terrenā gloriam solum exambiunt.*) Nec minus aptè idem Rupertus cap. præcedenti rescripserat: *Ecce iam in studijs horum tāta diuersitas, quanta Cain & Abel studia fuere dissimilia.* Iacob studium futurum curauit, & quò æternùm posteà luceret, famis morsum patienter tulit; Esau verò quæ futura, despexit, vt fami præsentique cibi auiditati adulatus seruiret: hic ergo pœnitentiam non inuenit, quia gloriam tantum temporalem attendit; ille, dum famescere ad tempus voluit, æterno primogenituræ lumine luxit, dignus alter futuræ benedictionis ambitor, famisque præsentis contemptor; alter verò gloriæ futuræ contemptor, præsentisque solatij imprudentissimus fuit ambitor. Æternùm luxit, ad horam comedit: Iacob ad horam edulio priuatus; sed gloria primogenituræ æternùm floruit redimitus. Hinc quantum humanis licet coniecturis, ad quam pertineas seriem dignosces, an sis iniquorum addendus numero, an felicissimorum consortio. Sanè si vt impotentibus cupiditatibus faueas, vt effrænibus desideriis indulgeas, diuinis refragaris edictis, gratiamque pretio vilissimo nundinaris, Esau partem secutus, eandem sortiatis fortunam necessum est: Iacob eris asseclа, si cupiditatibus vim intuleris, si insanis desideriis peperceris æternis inhians, & quæ vltra mortem, prudenter cogitans. Abiit Esau distento ventre contentus; sed posteà domum repleuit clamoribus eiulatus; Iacob arido ventre, sicco ore transegit diem; sed postea abundantia resplenduit ditatus, & innocuis facultatibus exundauit onustus.

Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ pharaonis, inquit Paulus ad Hebr. 11. 72. *magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem ... aspiciebat enim in remunerationem.* (Hebr. 11. v. 24.) Confert Paulus inter se tempora Moysis ætatis: quasi dicat: paruulus, vt præsens vitaret periculum Hebræos reliquit ad Regis aulam se conferens immemor futuræ contra Ægyptios stragis; at iam grandis factus, ne posteà cum Ægyptiis mari periret, affligi cum Hebræorum populo amauit. Grandis temporales spreuit delicias, ne futurum pateretur naufragij periculum: paruulus erat, cùm futuri naufragij immemor calamitati præsenti Ægyptiis immistus illorum requirebat suffragium, Vis scire quando Moyses virtute paruulus, quando sanctitate procerus? Vitæ consulens.

Hebræorum populum post labores beandum deserens, ad Ægyptios per vortices marinos excurrens, paruulus est, imò sententia damnatus; cùm verò Ægyptiam superbiam proterens ad Hebræos iterum se recipit, præsentésque labores spernit, vt beatitudine futura fruatur, fide magnus, & virtute perfectus est, *Magnum bonum est afflictio*, inquit Chrysostomus, *ad quam ex fastigio regali seipsum proiecit: hac enim sciebat magna quædam prospiciens.* Grandis erat, qui temporalia contempsit, futura respiciens; paruus, qui futura non cogitarat; sed præsentia solû cupierat. Ergo si grandis esse desideras, caduca generosè despice, æterna ardenter exambi.

Chrysost. *Labores pro Christo magni æstimandi.*

---

§. XVI.

Quantumuis vrgeat præceptum, manus ad alienum marcescunt lucrum.

73. SPes constantiæ est firmitas, laboris vigor, militiæ, si fas est dicere, subsistentia: tolle spem, & cuncta cessabunt: nauta soluit ratem, & immensos diffecat fluctus lucri incitatus spebus: agricola Solem præuenit mugientes boues secutus, cum terraque duritie decertat, vt aureas & copiosas messes horreis opportuno tempore inferat. Ita Zeno Veronensis serm. de spe. *Tolle spem, torpet humanitas totaTolle spem, artes virtute* [illegible] *tolle spem, & intercepta sunt omnia. Quid facit ad litteraturam puer, si litterarum non sperat fructum? Quid* [illegible] *si* [illegible] *occurrit? Quid* [illegible] *contemnit, si gloriæ* [illegible] *? Quid* [illegible] *si* [illegible] *non colligit* [illegible]*.* Spes vel præsentia firmat, & animos ad tristia magna corroborat. Qui non sperat sibi aliquod futurum lucrum, laboris recusat semper [illegible]: satis deberet esse militiæ [illegible], etsi nullum illis [illegible] legis coluisse præceptum, verum [illegible] adeò homini est animus, vt sibi soli nesciat consulere, & propriis vtilitatibus militare. Omnes quæ sua sunt, quærunt, & quæ ad alios studiosè despiciunt. raros videas mero virtutis inseruisse studio, plures vtilitatis propriæ inuigilasse incremento. *Perpessi sunt exercitum*, aiebat Seneca epist. 17. *inopiam* [illegible] *herbarum radicibus, &* [illegible] *famem. Hæc omnia passi sunt pro* [illegible] *quo magis mireris, alieno.* Mirantes, pro alienis commodis pati, quando homines, nisi pro se ipsis nec præceptis discunt vrgeri. Ecce Ephraimitæ in præceptis habebant Chananæos prorsus debellare, ab illisque ciuitates tulisse; verùm sic præceptorum immemores, vt in Chananæos mouere detrectauerint bella, nec in Gazer strinxerint arma. *Non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer.* Rogat Abulensis cur adeò ignauè omiserint Gazer ciuitatem capere, & habitatorem delere: respondétque ciuitatem Gazer Leuitis adscriptam, vt patet infra cap. 21. Et quia non tam sibi, quam aliis militarent, pepercerunt prælio, quantumuis legis adurgerentur mandato. *In hoc grauabant*, scribit Abulensis quæst. 3. *& defraudabant Ephraitæ Sacerdotes: quia de sorte eorum sacerdotibus locus iste dandus erat; Ephraitæ autem poterant delere inde Chananæos; sed non delebant.* Necessum erat ad depellendos Chananæos, exercitum cogere, & manum aduersus Gazer instruere: cumque ciuitatem à se expugnandam, & Leuitis nolcerent sorte tradendam, indulgere maluerunt otio, quàm alieno pugnare vtilitatis augmento: instabat legis præceptum; sed euirabantur manus: quia futurum aliis lucrum: nesciunt nanque homines ob alienas vtilitates bellicos sustinere labores: propriæ ergo vtilitatis spe sublata, nec Gazer student capere, nec inimicos depellere: *Poterant delere inde Chananæos; sed nolebant.* Et quare nolebant? Quia de sorte eorum sacerdotibus locus iste dandus erat: si locus ipsis foret adscribendus, iam Chananæus exulasset depulsus, & à ciuitate prorsus abactus: alieno tamen militare detrectauerunt lucro, vel cùm legis adurgebantur præcepto.

Pro alienis commodis mi[illegible] *laborare.*

Seneca

Abulens.

74. Huius creaturarũ ingenij non ignarus Deus sic lumina cælo inserui, vt luce splendentia micarent, & terram influxibus confouerent: *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies & annos, vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.* O quàm cæli more lucet, qui non ad vanitatis pompam; sed ad aliorum illustrationem resplendet: vtrumque sapientissimus creaturarum opifex hic coniunxit, & sibi lucere, & terram illuminare, quasi ad nostram erudidionem minus prompta vereretur obsequia, ni astra terris sibi acquisiuerint lucra: *Vt luceant*, inquit, *in firmamento cæli, & illuminent terram.* Certè sidera non sibi; sed mortalibus condebantur; nec cælum externis illis indigebat fulgoribus, quia internis agni resplendet semper luminibus: regiones stellarum indigebant motibus, vt benignis fouerentur aspectibus: quia tamẽ creaturæ cunctæ propria auaritia tenentur, vt [illegible] semper officia, ni sibi acquisierint commoda, sic sydera ad terram illuminandam coegit præceptis, vt fulgoris etiam prolectauerit lucris: parerent sanè sydera diuinis præceptionibus, si diuidi posset cælo lucere, & terram illuminare, & quamuis sibi viduarentur luce, terram illuminarent fulgore; verùm Deus, vt creaturarum nobis ingenium artificiosè depingat, commodum coniunxit obsequio, quasi vereretur denegandum terræ obsequium, si fulgoris deficeret commodum: *Describit ea*, ait Angelicus Doctor ad hunc locum, *quantum ad effectum, vel actum, & intrinsecũ, qui est ipsius luminaris in se, & extrinsecum, qui est in alio: vnde sequitur, vt luceant in firmamento cæli*, Sibi luceant, vt terram illuminẽt, ne pigro motu, & retardato cursu voluantur si, dum terram fouent aspectibus, & ipsa sibi nõ refulgeant luminibus.

Gen 1.v.14.

D.Thom.

75. Sunamitis inopinæ mortis filij dolore perculsa ad Domini prophetam contendit, & quem non poterat verbis, interceptis singultibus dolorem prodidit eloquentiùs: Elisæus Giezi puerum ad iter accingi iubet, & baculum manu imperat ferre. *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade.* Prophetæ Giezi vidis adurgeri præcepto. Quid fecerit, audi: *Giezi præcesserat ante eos, & posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus.* Quærunt interpretes, cur miraculum non patrauerit: respondéntque de industria in via immo

4. Regum 4. v.29.

immoratum, & præcepta satis ignauè executum. Ita Lyra: *Dicit R. Sa. quod hoc fuit propter demeritum Giezi, qui non seruauit præceptum Elisæi; sed occurrentibus sibi hominibus iactanter dicebat se missum ad suscitandum mortuum.* Itáque cùm magister vel salutationem vetuerit non in rusticitatis suffragium; sed in resurrectionis auxilium: *Si occurrerit homo, non salutes eum, id est*, exponit Lyra, *non commisceas cum eo verba te ab itinere impedientia*: sic est oblitus præcepti, vt solatia ambierit colloquij: *Occurrentibus dicebat se missum.* Vides moram: attende velocitatem. Cùm Naaman potétissimus Syriæ Princeps à lepra mundatus domum repeteret, Giezi vel quadriga agitatis equis currentem insequitur anxio anhelitu, & indefesso volatu. *Secutus est Giezi post tergum Naaman, quem cùm vidisset ille currentem ad se, desiliit de curru in occursum eius.* Et cur Giezi pernicè modò arripuerit cursum, cum illi anteà cursum nequiuerit persuadere præceptum? Ibi aiebat Elisæus: *Accinge lumbos tuos*, & tamen cum in via occurrentibus colloquia miscet, nec præceptiones attendit; hic verò sine præcepto cucurrit? ecqua discriminis causa est? Explicuit ipse: *Curram post eum, & accipiam ab eo aliquid.* Alas indidit lucri spes; & qui alibi alterius solùm pergebat ad vitam, de industria protraxit moram: nullum illi præmium propositum, nullum spectatum emolumentum: itineris solùm in demortui vtilitatem sustinebatur molestia, & cinguli ligatura. Ergo quantumuis præceptis adactus, Giezi tardissimos ponit gressus; cucurrit tamen, cùm spes lucri cupidum allectauit, & vtilitas emolumenti auarum allexit: *Currens post Naaman accepit ab eo munera*, inquit moralis Glossa: parui pendit parere præceptis, studere didicit commodis: adeò creaturæ proprio alliciuntur lucro; adeò, si desit, ad alienam vtilitatem mouentur difficulter præcepto.

Lyra.

4 Reg. 5. v. 21.

Ib.

76. Cùm Cæsaris exactores à Domino indebitum postularent tributum, dari censuit, vt vel petentium vitaret scandalum. Petrum piscatum mittit, & staterem in ore piscis inueniendum pro vtróque pendi Cæsaris exactoribus iubet: *Vade ad mare, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te.* Didrachmum pendere, ne Principis exactores captiosas Christo Domino causas conciliarent, prudentiæ erat: consulit námque prudentia maius auertere incommodum minori damno; verùm tantumdem pretij Petro largiri modò videbatur superfluum, quandoquidem à Petro non exigebatur tributum: ergo, & solutio in opportunius tempus differatur. O Domini sapientiam! Cæsaris ministri de solutionis mora querebantur: *Magister vester non soluit didrachma*: vtque citissimè Petrus studeret didrachmú pro Christo quærere, & aliud pro seipso disponit accipere, ne, si proprium non allexerit commodum, lentiùs exequatur præceptum: si Petrus noscat lucrum sibi etiam de piscatione obuenturum, moras non trahet; at si nullum sibi speret emolumentum, forsitan piscationis languescet studium. Sanè Petrus Domini præceptis obsequentissimus, vtpotè qui Simonis vocabulo obedientiam professus; verùm in fidelissimo Apostolo rusticum hominum magister depinxit ingenium: mouentur namque auidiùs spe lucri, quàm obligatione præcepti: ergo vt Petrus celeri pede contendat, sibi quid lucraturum etiam sciat: *Da eis pro me, & te. Mysticè in agro consolationis*, scribit Origenes apud D. Thomam, *sic enim interpretatur Capharnaum, consolatur omnem discipulum, & liberum filium esse pronunciat, & dat ei virtutem piscandi primum piscem, vt ascendente eo consolationem accipiat Petrus super eum, quem piscatus est.* Certè piscari piscem aliqualis labor erat: ergo, ne Petrus, quantumuis iussus piscationem detrectet, de pisce sibi consolationem lucratur, quo nos suis factis erudiat lentè exequi homines præcepta, si solùm ad aliena pertineant commoda, nec propria attulerint lucra: adeóque hæc doctrina frequens, vt nullo alio apud homines clariùs diuinitatis vigeat opinio, quàm si laborem subierint non propriæ vtilitatis studio; sed alienæ salutis voto.

Matth. 17. v. 26.

Origen.

Cùm Moyses Ægyptum peteret contribulium iugum depulsurus, virgam tulit Dei nomini adscriptam, & cælesti titulo cohonestatá: *Reuersus est in Ægyptum portans virgam Dei in manu sua.* Et cur hoc honorabile virgæ elogium? Cur non virga Moysis; sed virga Dei? Quia illa virga, inquit Hebræus Philo lib. 1. de vita Mosis Numinis depinxit ingenium, dum Ægyptiorum detriuit iugum. Referamus historiam: Illam Aaron coram Pharaone proiicit, statímque animatur in serpentem; cúmque omnibus admirationi esset ostentum sæculis retrò inuisum, Pharaonis sophistæ, quos plurimos conuocarat, spectatorum turbam allocuti: Nec nos, inquiunt, talium artium rudes sumus, & virgas possumus in dracones vertere, & dracones nostros in hunc draconem acuere: præstigiis oculis imponebant, & iam multi dracones illum primum adoriebantur minacibus rictibus, & flammas oculis euométibus: *Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Et cur non draco; sed virga? Draco potuit absorbere, virga potuit nullatenus deuorare: ergo draconi adscribatur victoria, cui cum cæteris fuerat lucta. Draco quidem pugnat; sed ne putaris aliquod sibi de aliorum nece incrementum, in virgæ naturam rediit, & quod erat anteà, remansit: vt omnibus fuerit conspicuum descendisse cum draconibus cæteris in arenam, vt Hebræis consuleret, non vt propriis prouentibus studeret: quòd adeò humanæ naturæ insolitum, vt nulli dubium potuerit esse aliquid hic latere diuinum. Audi Philonem: *Arrecta ceruice, immani hiatu non aliter quam obiectos pisces circumquaque petitos absorbuit, atque ita deglutitis in pristinam naturam virgæ rediit.* Addit ingeniosus Hebræus: *Id tam magnificum spectaculum etiam iniquis animis omnem suspicionem exemit, ne putarent hæc agi humanis vafrimentis, aut artibus excogitatis ad ludibrium; sed diuina omnipotentia.* Non potuit vel peruicacia in dubium vertere illam virgam esse diuinam, quando constabat certaminis non recusasse laborem ad Hebræorum auxilium, nec de arduo adeò labore aliquod sibi quæsisse commodum: *Etiam iniquis animis omnem suspicionem exemit, ne putarent hæc agi humanis vafrimentis; sed diuina omnipotentia.* Solùm diuina suis non student commodis: nam humana semper inhiauere incrementis.

77.

Exod. 4. v. 20.

Exod. 7. v. 12.

Philo.

§. XVII.

Non semel pro matrimonio locandis filijs labor studiosè voratur, qui pro adimplenda lege timetur.

78\. SVmmum bonum est animus virtute lætus, & inuicta laudabili pertinacia legem secutus. *Libet itaque definire*, aiebat Seneca de vita beata cap.4. *vt beatum dicamus hominem illum, cui nullum bonum, malúmque sit, nisi bonus, malúsque animus t honesti cultor, quem non extollunt fortuita, nec frangunt: qui nullum maius bonum eo, quod sibi ipse dare potest, nouerit; cui vera voluptas erit voluptatum contemptio.* Verùm vt Phœnix post multa sæcula nascitur, ita & similis animus in hominibus inuenitur: magnum putant familiam extendere, & sui nomen futuris sæculis mittere: parui æstimant obseruare legis præcepta, & Numinis reuereri mandata: & quia iniqui virtutis, & vanitatis æstimatores nihil non tentant, vt vanitati adulentur, cùm oscitanter satis præceptis Numinis obsequantur. *Multis rebus*, aiebat Stoicus in præfat. ad lib.3. natural. quæst. *non ex natura sua, sed ex humilitate nostra magnitudo est.* Addiderim & multis ex nostra stultitia nulla est magnitudo: dominatur nobis cæca ambitio, & insana gloriæ cupido, & quia abiectissima vanitate turgemus, quidquid specie tenus immortale, ambitiosissimè concupiscimus. Quòd si aliquando coëant superbus nominis appetitus, & affectus filiis impensus, quidquid periculosum, voratur; & quidquid laboriosum, contemnitur: filiorum amore, & nominis futuri cupidine nihil non tentant homines, vt æternare possint prosapiam, & suam legare immortalitati notitiam, & cùm semper præcipua hominis cura circa diuini præcepti obseruantiam debeat versari, circa filiorum, filiarúmque matrimonium solicitiùs reperies incumbere: inuenies legem à plurimis laboris fastidio, aut periculi metu ignauissimè præteriri, ob filiarum tamen nuptias laborem illum, aut metum facillimo negotio absorberi. Iubet Deus Chananæorum semen prorsus deleri; Ephraimitæ tamen aut laboris fastidio, aut tributi desiderio Chananæos in Gazer habitare permittunt, nec in illos arma mouere gestiunt: *Non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer.* Abulensis quæst. 3. notauit Chananæum non deletum non ob Ephraimitarum impotentiam; sed damnabilem ob ignauiam: *Quasi dicat: Potuerunt occidere, sed noluerunt*: facile depulissent, si viriliter oppugnassent; verùm indulserunt otio, quantumuis adurgerentur præcepto. Vides Ephraimitas legis præteriisse mandatum; aspice modò Pharaonem in Chananæos audacter irruentem, vt eius filia Salomoni potentissimo regi locetur in matrimonium: *Pharao rex Ægypti ascendit, & cepit Gazer, succenditque eam igni, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ suæ vxori Salomonis.* Copiosus sanè Pharaonis exercitus; sed Ephraimitarum non angustior manus; dissimile tamen studium fuit: Ephraimitas adurgebat præceptum, & ideò nec curarunt depopulari inimicum; Pharao verò, quia filiæ suæ Salomonis decantatissimi regis anhelabat matrimonium, animosè aggressus est prælium: fors ea intercesserat ad nuptias conditio, vt scilicet Gazer, quæ in ditione Salomonis iacebat, depulsis Chananæis in dotem illi daretur: aliter enim Pharao auctoritate sua nullatenus ciuitatem ad Israelitas pertinentem, oppugnare auderet: itaque inter se de compacto conuenerunt, & Pharao, vt filiæ in dotem daret, in Gazer expeditionem parauit, & Salomon intra ditionem suam agmen ducere permisit. *Dicendum*, scribit Abulensis quæst.9. *quod non egit auctoritate sua: quia pugna pertinebat ad Israelitas, sed erat Pharao socer Salomonis, cùm haberet Salomon filiam eius in vxorem.* Additque posteà: *Fortè erat indotata, & quia ipse acquirebat nunc istam ciuitatem de manu hostium, poterat eam dare filiæ suæ in dotem.* Vides Pharaonem, vt filiæ Salomoni locandæ dotem acquirat, Gazer expugnasse, & Chananæum ciuitate depulisse, cùm Ephraimita præcepto reclamante Chananæos viuere permiserit, nec arma in hostes prensarit: vt vera sit nostra thesis, scilicet pro matrimonio locandis filiis ardua studiosè tentari, pro lege tamen adimplenda vel facillima sæpiùs omitti.

In Ægyptum delegatur Moyses, sed in diuersorio degenti Deus occurrit Seuerus, mortémque intentat iratus: *Occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Sephora huius vindictæ causam filium incircumcisum prudenter conie- 79.
ctans, vt à ceruicibus auerteret gladium, ad circumcisionis confugit auxilium: *Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui.* Adest Theodoretus quæst.4. *Vxor Moysis arbitrabatur ob id factum esse, quia puerorum alter non esset circumcisus secundum legem Hebræorum; vnde protinus eum circumcidit.* Ecce lex ignauè omittitur, nec præceptum studiosè adimpletur. Transi modò ad Hemor Principem Sichem, qui cùm Sichem filius eius deperiret Dinam, & illi ea conditione sponderetur, vt Hemor, Sichem, & terræ incolæ circumcisionem acciperent, statim annuunt, & circumcisionis nullatenus recusauere tormentum: *Assensi sunt omnes circumcisis cunctis maribus.* Ecce Hemor circumcisionis dolorem deuorat, filiúmque circumcidere non recusat, cùm Moyses de Theodoreti sententia, aut ignauia distulerit, aut negligentia remiserit. Et cur Moyses differat, quod Hemor adeo festinus exercet; aut cur Hemor sine mora exercet, quod Moyses ignauia ad speciem differt? Facilis profectò solutio: nam alibi circumcisionem imperabat præceptum, filij alibi requirebat matrimonium, & facillimè deuoratum est ob Sichem matrimonium, quod dilatum aduersus legis præceptum: *Sichem, & Hemor*, scribit Chrysostomus apud Lippoman. *Spectantes ad hoc, quod proposuerant, & vt virginem appetentes consenserunt in dicta, & placuerunt eis proposita. Placuit enim, inquit, oblatio eorum Hemor & Sichem filio eius: nec distulit adolescens, qui statim quod petebatur, expleret.* Consonat paraphrasis Chaldaica: *Non distulit facere rem illam, nempe vt semetipsum, patrem, omnémque populum circumcideret.* Vides matrimonij desiderio Hemor nullatenus suam, aut filij circumcisionem distulisse; Moysem verò lege vociferante, circumcisionem filij protelasse: facilè namque labor ob filiorum voratur commodum, cùm sæpe nequeat persuadere præceptum.

Samson

Senec. *Virilis animus nec frangitur, nec extollitur. Vera voluptas, voluptatum contemptio.*

Multis rebus ex nostra humilitate magnitudo est.

Abulens.

Abulens.

Exod.4.v.24

Theodor.

Genes.34.v.24.

Chrysost.

Chaldaic.

80. Samson cùm fidem suam à muliere proditam videret, ita succensus, & satis offensione irritatus paternos lares repetiit: *Iratus nimis ascendit in domum patris sui.* (Iudic. 14. v. 19.) Thamnatæus, qui timere debuerat generi fortitudinem indignationis auxilio suffultam, & offensione irritatam, filiam locat, & alteri tradit in matrimonium, nec appetens attendit periculum: *Tulit uxorem eius, & alteri tradidit.* (Iudic. 15. v. 8.) Nuptiæ hæ non solùm Samsonis prouocauere vindictam; sed & Philisthinorum meruerunt iram: *Ascenderunt Philisthiym, & combusserunt tam mulierem, quàm patrem eius.* Non ignorabat pater magnis se periculis obiecisse; si filiam alteri locasset; verùm adeò filiæ commoditatis insana flamma æstuauit, vt pericula appetentia non viderit, aut, quod certius est, vel præuisa contempserit: *Quia ipsa offenderat eum*, scribit Abulens. q. 22. (Abulens.) *habuit eam exosam, & recessit ab ea: pater autem eius hoc videns tradidit eam alteri viro: ex quo iratus Samson combussit segetes, & vineas, & oliueta Philisthinorum.* Puellæ pater recedente Samsone non ignorauit, si filia nuberet, se indignationis laturum iram; putauit verò filiam remansuram innuptam, si ille indignationis timuerit flammam: adeóque locandæ in matrimonium filiæ adurgebatur studio, vt se ingenti exposuerit periculo. Vides summa hic, ne innupta manserit filia deuorata discrimina, cùm non semel adurgente Deo hostilis indignationis vel eximios viros represserit flamma.

81. Gedeoni apparet Deus, iubétque in inimicos expeditionem parare: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian, scito quod miserim te.* (Iudic. 6. v. 14.) Gedeon inimicorum iram veritus, & potentiam expauens, imperium extrahere nitebatur, familiæ suæ exilitatem opponens, & repetita miracula petens: *Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei:* Timore prouidus pericula examinat, vires familiæ ponderat, ne incautus incurrat, dum gressû accelerat. Deus iubet; sed Gedeon immoratur: Deus ad profectionem adurget; sed Gedeon signa incolumitatis requirit. Timet Gedeon Madianitarum potẽtiam, Thamnatæus Hebræorum despicit iram. Et cur alteri adeò præceps audacia, cum alteri fuerit adeò indagatrix cautela? Quia Thamnatæus filiæ suæ opinione repudiatæ quærebat nuptias, Gedeon contribulibus solicitabat victorias: alium Numinis vrgebat mandatum: *Vade in hac fortitudine tua*; alium filiæ matrimonium, & ne innupta maneret filia, despexit indignationis naufragia: *Putaui*, respondet pater, *quòd odisses eam*, id est, quòd iam nolles habere in vxorem. Dolebat pater filiam ante nuptias viduam, vtque matrimonio locaret, generi despexit audaciam.

82. Exaggerabat Seleuciensis Basilius immortale in Dauidem Saulis odium, quandoquidem filiæ viduitatem imponere non timebat. Vicit animosus adolescens gigantem: cúmque nullus è toto exercitu probaretur, in campum ipse prosiluit, & ad se prouocationem certaminis rapuit: Saül dum sperat triumphum, propriis loricat armis; post victoriam verò, quibus anteà instruxerat, nititur transfodere telis: argumentum nihil debentis quærebat odio; cùm anteà sperans liberalem contestaretur animum beneficio: Sacerdotes occidit, benefactorem fugauit, & insano furore iram pectoris plurimis testatus est; verùm cùm multiplicis fraudis expectatione frustratus esset, aliò vertit animum, & filiam spondet, vt Dauidis cædem prætextu honesto coëmerit: *Dixit Saul: Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum:* (1 Reg. 18. v. 21.) hîc omnes odij flammas explicasse testatur Seleuciensis Basilius orat. 16. in Dauidem. (Seleuciens.) *O miserrimas cogitationes! vt inuidentiæ motibus exequatur, tam immaturè filiam viduitati adiudicat, inuidiáque oppressus contra naturam furorem concipit.* Si vis nosse quàm gehennalis odij flamma Saulis præcordia adusserit, scito filiæ nuptiis prætulisse mulctam, & emere viduitate exambisse vindictam. Immortale odium contra legem Sacerdotum testabatur strages, telum per insidias iactum pectoris prodebat iras; verùm inuidentiæ flamma ardentior efferbuit, cum nequiuerit amore filiæ sopiri: non adeò grandius odij testimonium erat diuinam legem contemnere, quàm filiæ viduitatem amare: nam sæpè parentes legis obliuiscuntur mandatum, & exoptant filiis ardentissimè matrimonium: immortale ergo probabatur odium, quod nuptiarum filiæ superabat studium.

83. Iacob à matre iussus, oraculóque diuino permotus benedictionem fratri præripere timet, ne incurrerit maledictum: oraculum adurgebat, mater instabat; & tamen Iacob excusationem prætendit: *Timeo, ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem.* (Genes. 27. v. 12.) Non fallebat; quia tamen aliquam doli speciem præseferebat benedictionis ambitio, conciliare sibi extimebat damnum, vel cum matris adurgebat præceptum. Posteà cùm in auunculi domo moraretur, & pro Rachele inseruisset, socer egregie fefellit: *Vespere Liam filiam suam introduxit ad eum.* (Genes. 29. v. 23.) Laban animosus despicit fraudis periculum, cùm Iacob vel speciem extimuerit dolum. Et cur Iacob non resumat animum, quando matris instat præceptum? aut cur Labanus non timuerit legem violare, aut delusi supercilium generi, dum fraudem cõcinnat, ferre: Quia Laban locare filiam ambiebat; Iacob matris, oraculique præceptum seruabat; nec adeò homines virili armantur audacia ad obseruationem præcepti, vt insana furunt cupidine, vt occasionem filiis procuderint matrimonij. Labanum non retardauit piaculum, vt illicitum disponeret matrimonium: Iacob deterrebat, quod opinabatur, periculum, cùm matris, Numinisque adurgeret præceptum: nesciunt námque homines ob legem deuorare incommoda, cùm parentes ob filiorum sæpè matrimonium in aperta se coniiciant pericula. *Cogitauit*, scribit Chrysostomus (Chrysost.) apud Lippomanum, *quod non aliter eum vinceret, & persuaderet: ita ei imposuit, & dedit ei Liam.* Cognouit benè se collocaturum filiam, si Iacob nuberet; extimuit nisi dolo non accipiendam: & ne filiam optimo fraudaret marito, fraudem iustitiæ est aggressus dispendio. Mater Iacobum adurget, vt adimpleatur oraculum; Labanus vel iniquis artibus filiæ solicitat matrimonium.

CAPVT XVII.

Vers. 1. ECIDIT autem sors tribu Manasse (ipse enim est primogeni-
tus Ioseph) Machir primogenito Manasse patri Galaad, qui fuit
vir pugnator, habuítque possessionem Galaad, & Basan. 2. Et
reliquis filiorum Manasse iuxta familias suas filiis Abiezer, & fi-
liis Helec, & filiis Esriel, & filiis Sichem, & filiis Epher, & filiis
Semida : isti sunt filij Manasse filij Ioseph, mares per cognationes suas. 3. Sal-
phaad verò filio Hepher, filij Galaad, filij Machir, filij Manasse non erant filij; sed
solæ filiæ : quarum ista sunt nomina Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Ther-
sa. 4. Venerúntque in conspectu Eleazari Sacerdotis & Iosue filij Nun, & Prin-
cipum dicentes : Dominus præcepit per manum Moysi, vt daretur nobis possessio
in medio fratrum nostrorum. Dedítque eis iuxta imperium Domini possessionem
in medio fratrum patris earum 5. Et ceciderunt funiculi Manasse, decem, abs-
que terra Galaad, & Basan trans Iordanem. 6. Filiæ enim Manasse possederunt
hæreditatem in medio filiorum eius Terra autem Galaad cecidit in sortem filio-
rum Manasse, qui reliqui erant. 7. Fuitque terminus Manasse ab Aser Mach-
methat, quæ respicit Sichem : & egreditur ad dextram iuxta habitatores fontis
Taphuæ. 8. Etenim in sorte Manasse ceciderat terra Taphuæ, quæ est iuxta ter-
minos Manasse filiorum Ephraim. 9. Descenditque terminus vallis arundineti
in meridiem torrentis ciuitatum Ephraim, quæ in medio sunt vrbium Manasse : ter-
minus Manasse ab Aquilone torrentis, & exitus eius pergit ad mare. 10. Ita vt
possessio Ephraim sit ab Austro, & ab Aquilone Manasse, & vtramque claudat ma-
re, & coniungantur sibi in tribu Aser ab Aquilone, & in tribu Issachar ab oriente.
11. Fuitque hæreditas Manasse in Issachar, & in Aser, Bethsan, & viculi eius, &
Ieblaam cum viculis suis, & habitatores Dor cum oppidis suis : habitatores quoque
Endor cum viculis suis, & tertia pars vrbis Nepheth 12. Nec potuerunt filij Ma-
nasse has ciuitates subuertere; sed cœpit Chananæus habitare in terra sua.
13. Postquam autem conualuerunt filij Israel, subiecerunt Chananæos, & fece-
runt sibi tributarios, nec interfecerunt eos. 14. Locutique sunt filij Ioseph ad
Iosue, & dixerunt : Quare dedisti mihi possessionem sortis, & funiculi vnius, cùm
sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus? 15 Ad quos Iosue ait : Si
populus multus es, ascende in siluam, & succide tibi spatia in terra Pherezæi & Ra-
phaim, quia angusta est tibi possessio montis Ephraim. 16. Cui responderunt
filij Ioseph : Non poterimus ad montana conscendere, cum ferris curribus vtan-
tur Chananæi, qui habitant in terra campestri, in qua sitæ sunt Bethsan cum vicu-
lis suis, & Iezrael mediam possidens vallem. 17. Dixítque Iosue ad domum
Ioseph, Ephraim, & Manasse : Populus multus es, & magnæ fortitudinis, non ha-
bebis sortem vnam. 18. Sed transibis ad montem, & succides tibi, atque purga-
bis ad habitandum spatia, & poteris vltra procedere, cùm subuerteris Chana-
næum, quem dicis ferreos habere currus, & esse fortissimum.

§. I.

Commentarius litteræ.

Vers. 1. Cecidit autem sors tribui Manasse (ipse enim est primogenitus Ioseph) Machir primogenito Manasse patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuítque possessionem Galaad, & Basan.

1. POST Ephraimiticæ tribus, quam sors fraternæ tribui, etsi ætate seniori, prætulit, propiúsque ad templum locauit, descriptos terminos, iam Manasse residuo hæreditas certis limitibus designatur; ea tamen parte, qua fratri affinis: Septentrionales namque termini tum demum describentur, cùm cæteris ex ea parte possessionis assignabuntur. Quòd Manasses hic Ioseph primogenitus referatur, in causa fuisse existimat Masius, vt animaduertat Lector Masius.
isto sortis casu præclarè concordatum fuisse Iacob iudicium : nisi quis malit existimare commemoratam fuisse nascendi prærogatiuam, vti tantæ quodammodò opulentiæ causam : sic namque Manasses fulgebat amplificatus, vt ingenti cis & trans Iordanem hæreditate ditesceret. Et quidem apud antiquos magni momenti fuit

Deut.33. v.17.

fuit cæteris ortus prærogatiuâ anteire: vnde Moyses cùm regnum felicitatémque Iosepho indubio vaticinio protenderet, sic ait: *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Non cuiusuis tauri, sed primogeniti: *Primogenitum addit*, inquit N. Bonfrerius, *quia tauri primogenitus idem communiter, & speciosissimus, & potentissimus, vtpotè in quem prima eademque præcipua ad formam, & virtutem à parente vis trãsfusa est.* Itaque primogeniti titulus veluti felicitatis erat tessera: cúmque reliquis Iosephitis Manasses anteiret primogenitus, iure prole numerossima, felicitatéque resplendebat adauctus: ni contenderit quis (nec refragabor) Manassem iuniori Ephraimo postponi, quò intelligamus has apud mortales celebratas ortus prærogatiuas apud Deum nullius momenti esse; sed pro suo libito, aut pro virtutum merito, & iuniorem anteferre, & seniorem sæpiùs postponere. *Si officia boni ciuis*, aiebat Seneca epist.94. *boni amici, boni filij executus est: licet eius ætas imperfecta sit, vita perfecta est.* Inter virtute æquales temporis spectanda prærogatiua; ast inter dissimiles is anteferendus non cui ætas auctior; sed cui virtus illustrior.

Bonfrer. *Primogeniti apud antiquos eximio honore fulgebant.*

Senec. *Vita perfecta est in ætate sæpè imperfecta.*

Machir primogenito Manasse patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque possessionem, &c.

2\. Apparet ex hoc textu Manasse, vt dicebamus suprà, posteritatem ex Machire solo propagatam: Machir totam regionem Galaad strenuus pugnator occupauit, æternúmque triumphorum monumentum nomen Galaad filio imposuit per generationum traduces perenniter conseruandum: nec Galaad terminis excelso eius animo certè angustis contentus Basan etiam obtinuit, armísque ab hostium insultibus liberauit: hic possessionis fortitudinísque mentio simul fit, vt ius illud, quo Galaad & Basan obtinuit, iustum nullatenus ambigatur. *Ipse fuit vir faciens bella*, transfert Chaldaica Paraphrasis: Septuaginta: *Ipse vir pugnator in Galaad, & in Basan.* Merito eius familiæ honor redditur, cuius fortitudine fractis hostibus plurimi pacatè lætantur: *Si honor*, inquit Cassiodor.6. variar.13. *frequenter defertur otiosis, si interdum aut nobilitas eligitur, aut ad promerendum aliquid personæ tantum gratia suffragatur, quo studio remunerandi sunt, qui ad agonis sui præmia peruenerunt? Considerandum est quali labore seruitum est, & sic de remuneratione cogitandum.* O cælestem dignámque cælesti sorte œconomiam! ille cæteris commoda hæreditate præfertur, qui cæteris valentiùs in hostes militasse cognoscitur. O quantum otiosis, quos militia ignauissimos repudiauit, fauor incommodo virtutis acquirit. *Hac lectione*, inquit Arias Montanus, *rationes eadem afferuntur, quas ob res trans Iordanem ad agrorum etiam partitionem integro tribus nomine Manasses fuerit admissus, nempe quòd ipse primogenitus fuerit Ioseph, atque primogenitum reliquerit Machirem, qui fuit vir pugnator, & quia pugnator fuit, cæteros fratres in Chananæorum expugnandis regionibus strenuè adiuuerit.* Meritò sibi fuit lucro, quia reliquorum militauerat commodo. Eius posteritas per diuersa cognomina diuersas in familias diducta: alij namque Machiris nepotes, & Galaad filij Gentilitiis nominibus nobilitari elegerũt: vnde Machiritæ, & Galaaditæ, qui cis Iordanem, diuisi etiam ipsi per septem stirpium capita su-

Chaldaic.

Septuag.

Cassiodor. *Ad promerendũ sola nõ semel suffragatur gratia eligentis.*

Labori exæquanda remuneratio.

Deus aliquando [illegible] qui [illegible] cæteros liberauit

prà à nobis recensita ex 1. Paralip.5. ex quibus alij Iezeritæ, siue Abiezeritæ, vnum namque cognomen est, alij Heleciтæ, Ezrielitæ, Sechemitæ, Semedaitæ, denique Epheritæ. Salphaad cùm mares nullos genuerit, patronymicum nullum reliquit; eius tamen istæ sunt filiæ Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa; quæ ne exhæredes sæculis tumularentur obliuione quodammodo extinctæ Eleazarum, Iosue, cæterósque prouidè adiere Principes, apud quod diuinum oraculum in patrocinium producentes, sibi, quo maribus, deberi iure sortem modestè allegant. Septuaginta sic vertunt: *Steterunt coram Eleazer Sacerdote, & coram Iosue filio Nun, & coram Principibus,* &c. Montanus ex Hebræo: *Ad facies Eleazari ad facies Iosue, ad facies Principum.* Proh quot facies opus est ambitoribus obseruitare, quot vultus attendere! Iam si à pluribus aliquid decernendum est, licèt spem faciant nonnullæ propitiæ facies, aliæ tamen superciliosæ deterrent, rugosáque fronte infausta sæpè sæpiùs minantur. Numer.17. iam hæ ipsæ fœminæ coram Moyse, & Eleazaro, Ecclesiaque vniuersa supplices flagitarant, vt parentis sui, qui nullius delicti conscius è vita absque prole mascula excesserat, in sua tribu haberetur ratio, ne illius memoria prorsus à Dei populo exterminata sæculis vêturis periret: tunc Moyses oraculũ consuluit, quod pro puellis stetit. Huius rei causa perpetua lex sancita est, vt siquis sine hærede masculo vita excederet, filiæ hæredes haberentur cæteris cognatis prælatæ, eo tamen pacto, vt non nisi suis tribulibus nubere illis liceret, ne tribus sortes confunderentur, si dotales fundi translati; illis tamen filiabus, quæ paternæ hæreditatis portionem nullam capiebant: sponsis etiam ex alia tribu nubere fuisse fas, exertè testatur Masius: in cuius rei argumentum historiam illam Iudic.21. profert; alioqui se sacramento adactas, ne filias darent Beniaminitis, tribus reliquæ causam non afferrent. Certè filiæ Salphaad citissimè postulata impetrarunt: annectitur namque postulationi largitio: nihilominus tamen semel, & iterum iudices pro tutando iure adierunt: vel inde à Deo electi hi iudices asseruntur, quandoquidem fœminas nec dilatione torserunt, nec fastidio molestarunt. Quàm facilem aditum inuenerunt ad iudices! Nisi fœminarum dixeris priuilegium: viris fortassis esset aditus ob arduitatem martyrium. *Iudicem*, (aiebat Plutarchus lib. de audiendo) *in disceptandis causis decet neque infestè neque ambitiosè audire; sed ex consilio ad æquitatem.* Iudicis adulterauit officium, qui vultu litigantes discernit, aliósque beneuolus audit, alios verò veluti pertæsus fastidit.

Septuag.

Arias Mont.

Masius. *Quando fœmina suis tribulibus nubere tenerentur.*

Plutarch. *Iudex nec ambitiosè nec molestè debet audire.*

Ceciderunt funiculi Manasse decem absque terra Galaad, & Basan trans Iordanem, &c.

Multa comminiscuntur Rabbini, vt se ab his mensoriis funiculis expediuerint; sed quia commenta, non refero. Et quidem difficultatis ratio in eo stat, quòd cùm Manasse familiæ sex dumtaxat numerentur, & vna fœminarum, nam de trans flumen manentibus nulla habetur hic ratio, non videntur decem funiculi septem tantùm familiis adaptari. Et si demus Salphaad filias sortes quinque accepisse, iam non tantùm decem, sed vndecim essent ad speciem funiculi designandi. Masius, Arias Montanus, Magallianusque 3.

Masius. Arias Mont. Magallian.

lianúſque facilè ſe ab his funiculis expedierunt: nam cùm textus ſex filios mares referat, quorum vnus Hepher è vita exceſſit, eiúſque filius Salphaad ſimiliter potioris ſexus expers luce ſit viduatus; tantummodò remanſerunt quinque mares filij, quibus quinque obuenerunt partes: filiæ verò Salphaad vnicam tantùm partem funiculis patruorum æquam nomine aui, patríſque, quos omnes repræſentabant; acceperunt; verùm hæc vnica pars, quæ omnibus illis aui ſui nomine obuenerat, in quinque iterum diuiſa eſt partes, ne nubiles fœminæ fraternitatem poſtea ſcinderent ortis, vt accidere ſæpè ſolet, ob diuiſionem litibus, iurgiiſque. Itaque cùm quinque patrui quinque acceperint partes, & quæ fœminis adſcripta, in quinque etiam portiunculas ſit diuiſa, decem fuerunt funiculi; non tamen æquales; ſed patruorum quilibet quinquies qualibet neptum maior. Funiculi hîc pro ipſis ſorte acceptis poſſeſſionibus ſumuntur: nam antiqui olim funiculis dimentiebantur hæreditates, teſte Dauide: *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Fratres vocant puellæ patruos, quia hîc auum repræſentabant illorum fratrem: forenſique verbo vſæ eam induebant perſonam, cuius titulo adibant hæreditatem: nec ſi maius, renuam affines contribuleſque fratres hîc largo vocabulo nuncupari.



§. II.

Commentarius litteræ.

Verſ. 7. Fuitque terminus Manaſſe ab Aſer Machmethat, quæ reſpicit Sichem, & egreditur ad terram iuxta habitatores fontis Taphuæ, *&c*

4. Septuag. Zieglerus. SEPTVAGINTA ſic vertunt: *Fuerunt termini Manaſſe ab Aſer, & Machmethat, quæ eſt contra Sichem, & vadit ad terminos vſque Iamin in Iaſeb, & in fontem Taphue.* Zieglerus vnum conflat vocabulum ex Aſer, & Machmethat, quem errorem meritò carpit Maſius, vt & reliquos, qui Zieglerum tanquam ſaltantem ouem ſunt imitati. Tranſlatio Septuaginta apud Maſium, etſi leuem, aliquam tamen videtur præbuiſſe Zieglero, & ſequacibus anſam, cùm ſic vertant: *Ab ea Aſer, quæ ad Machthot ſpectat.* David Kimhi. Dauid Kimhi Aſer accipit pro Aſſeritarum hæreditate: ea enim à Septentrione contigua erat Manaſſenſibus apud Bethſan. Euſeb. Euſebius de locis Hebraicis Aſer fuiſſe vrbem poſitam ad lapidem decimumquintum ad Sichem, qua tenditur Scythopolim, tradit. Maſius. Aſſentit Maſius, ab hacque ciuitate, Aſer ſcilicet funiculum menſorium duci ad Machmethat in finibus Ephraimitarum ſitam. Itaque recta via ab Aſer ad Machmethat è regione Sichem iacentem per Manaſſenſium fines tendebatur. Deinde irrumpebat limites per agros Taphuæ vrbi olim adſcriptos, ita vt Taphuæ fonte ad dexteram derelicto eius agros intercideret, licèt Taphua Ephraimitarum eſſet, & iam poſthac Manaſſenſibus affinis. Meridionalis lateris limitem torrente arundinoſo ſiue cannoſo Manaſſenſibus attributo terminari textus explicatiùs tradidit: vrbes tamen hæ circa torrentem ad meridiem ſitæ Ephraimitarum in ſorte erât. Manaſſes verò eas ſibi vendicabat vrbes, quæ ab Aquilone torrentis. Huius tribus occaſum verſus mare ſpectabat limes. Carmelus celebris ille mons ab his duabus tribubus attingebatur, quem etiam Aſeritæ ſibi aliquomodo vendicabant.

Verſ. 11. *vſque ad* 14. Fuitque hæreditas Manaſſe in Iſſachar, & in Aſer Bethſan, & viculi eius.

Septuaginta loco illius verbi *fuit* poſuerunt *erit*: quod quidem hîc anticipationem innuit: 5. Septuag. nam vt placet Montano vſa eſt hîc hiſtoria anticipatione, quaſi eos recenſeat intra terminos Iſſachar & Aſer, quibus Bethſean occupanda eſſet, licèt modò non occupata. Vrbi huic in planitie ſitæ nec longè à Iordane delicioſæ equidem id nomen poſitum, quod amœnitatem, ſiue recreationem denotarit. Ieblaan à capacitate nomen obtinuit, populique voracem Latinè dixeris. Dor idem quod Latinis habitatio, Endor inſignis fons nomen excudit. Pro illo, *& tertia pars vrbis Nopheth*, in Hebræo legitur: *Et Trinitas, ſiue triplicitas Nopheth:* cúmque Nopheth tractum ſiue regionem ſignificet, videtur Hebræus textus tres illas vrbes Dor, Thenac, & Mageddo in illo tractu celebres indicaſſe.

Nec potuerunt filij Manaſſe eas ciuitates ſubuertere; ſed cœpit Chananæus habitare in terra ſua.

Paraphraſis Chaldaica: *Et non potuerunt filij Manaſſe deuaſtare vrbes has, & manſit Chananæus ad habitandum in terra hac.* 6. Chaldaica Paraphraſis. Ferè eodem modò vertunt Septuaginta: per Hypallagen ciuitates pro ciuibus deſignantur, Manaſſenſiúmque ignauia impietas proditur, & nociua cupiditas ſugillatur; quippe qui imminuta fide, oſcitantiâque adaucta bellis abſtinuerunt, exiguum pacis, tranquillitatíſque ad tantillum commodum continuis poſteà difficillimíſque bellis, nec bellis ſolùm, ſed infauſtis cladibus compenſantes. Nec ſolùm incolas illos pellere non curarunt; ſed alios vndique ab aliis pulſos lubenti animo ſuſceperunt. *Quod ſi quis interroget*, ſcribit Arias Montanus *cur Manaſſenſes ſoli illud ſuſcipere bellum formidabant: nam ſibi ceteris tribubus, vel omnibus, vel quibus opus eſſe videretur aſſumptis hoſtes oppreſſos coniuncta manu pellebant? Hanc interrogationem apertè illa adiuncta expoſitio excipit, quæ filios Iſrael in vniuerſum auariſſimè ignauia, atque ignauiſſimè auaritiæ inſimulat.* Arias Mont. *Qui auaritiæ ſtudet, virtutibus denudatur.* Certè qui auaritiæ ardenter ſtudent, virtutibus omnibus facilè denudantur, nec leges, nec iura ſunt reuerentiæ, quibus aurum eſt ſiti: *Quia commune eſt ſuggeſtus*, ſcribit Plutarchus in præceptis politicis, *templum Iouis conſiliorum, & vrbium præſidis, iuriſque & iuſtitiæ, in ipſo iam limine auaritiam, & pecuniæ cupiditatem velut ferrum, & plenum rubiginis morbum excute ex animo.* Plutarch. *Cupidis, auariſque Iouis templ. ingredi non licebat.* Auri immoderata cupiditas ſic Hebræorum oculos nitenti pallore perſtrinxit, vt quæ ex illa immani ſibi miſericordia oriunda poſteà incommoda non agnouerint. Caruerunt oculis, quia ardenter inhiauere pecuniis. Aduertit Arias Montanus viuente Ioſue tributa Chananæis non impoſita, Arias Mon. *Cum Ioſue diſciplina tumulata.* vtpotè

vtpotè quæ diuinis decretis derogabant; illo tamen vita functo paulatim disciplina corrupta, obseruantiáque tumulata est. *Hanc tributi conditionem*, inquit, *viuente Iosue fuisse impositam non est cur existimemus: nec enim summus ille dux, & populi gubernator Dei iussum publicè violari passus esset, neque hoc seniores, & primarij illi, quorum integra adhuc constabat fides, admitterent.* Non solùm probis moribus conseruandis, augendisque; sed etiam incrementandis humanis lucris plurimum reipublicæ interest, sortiri Principes gubernatoresque fidei integræ, virtutisque acerrimæ: vt enim doctus proreta, quantumuis furant venti, inoffensè aurigat in portum nauim, qui si absit, & ventorum ludibria, & vorticum subit naufragia; ita respublica bono Principe destituta vt vitiorum, ita & cladium videtur asylum: vigilanti tamen gubernatione aurigari iuris est, & æquitatis profugium. *Iniuria quidem nostra est læsa iustitia*, scribit Theodahadus 3. variar. 15. *quia violationes earum rerum merito ad eos trahimus, quas amamus.* Bonus Princeps legum violationem irrogatam sibi putat iniuriam, & vt gloriæ auidus, ita & æquitatis relucet cupidus, nec subiecti audent procaces in legem, quia colunt Principis reuerentes honorem.

Optimus Princeps salus, & status reipublicæ.

Theodahad.

Bonus Princeps legis violationem irrogatā sibi arbitratur iniuriam.

§. III.

Commentarius litera.

Vers. 14. Locutique sunt filij Ioseph ad Iosue: & dixerunt: Quia dedisti mihi possessionem sortis, & funiculi vnius, cùm sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus.

7. Chaldaic. Septuag.

CHALDÆA Paraphrasis: *Locuti sunt filij Ioseph Iosue dicentes: Quid hoc dedisti mihi possessionem vnam, & funem vnum, & ego populus multus? Vsque ad multitudinem benedixit mihi Dominus.* Septuaginta clariùs has Iosephitarum querelas criminationesque contra Iosue verbis disertissimis transcripserunt: *Contradixerunt autem filij Ioseph Iosue dicentes: cur in possessione dedisti nobis possessionem vnam, & funiculum vnum? Ego autem populus multus, & benedixit mihi Dominus.* Iam diuisionis sortitionisque causa factiosæ in Principem excitantur querelæ. Non inuenies hucusque Iosue ab aliquibus tribubus ob capessitas hæreditates relatam gratiam; vides tamen inuidiosam produci à Iosephitis querelam: ex ipsis rebus, ex quibus commoda capiunt, & querelas excitant. Quàm benè Seleuciensis Basilius orat. 33. *Semper Iudæus amans est criminationis, & ex quibus fructum capit, querelas captat.* Non solus Iosue; sed Eleazarus, & tribuum Principes simul terram diuiserant, nec id humano voluntatis arbitrio; sed cælesti sortis decreto: & tamen veluti acceptam iniuriam ab vnico Iosue queruli satis causantur. Filiæ Salphaad omnes adierunt, vt peterent, Iosephitæ in vnum Iosue querimonias detorquent. Fors in moralibus paragraphis discriminis causas inuestigabo; modo differentiam solummodò aduerto: *Putabant se grauatos*

Iosue ob collata beneficia gratia ab aliquo nō referuntur, sed querela à pluribus fulminantur.

Seleuc.

Ingratus inde querelas captat vnde vtilitatem capit.

[illegible]ienf.

filij Ioseph, inquit Abulensis, *quòd eis angusta terræ portio relicta foret, cùm essent duæ tribus; sed non grauabantur. Quod patet quia cùm petijssent addi aliquid sibi, nihil additum fuit.* Integritatem Iosue vel ex hoc facilè quis coniicere quibit: nam cùm has tribus Ephraim, ex qua ipse, excitaret querelas nihil addendum fauorabili gratia censuit; sed iudicio sortis integerrimus paruit. Repetere posset de Iosue Cassiodorus 1. variar. 3. *Egisti te per cuncta iudicem totius erroris expertem: nec inuidia quemquam deprimens, nec gratia blandiente sublimans: quod cùm vbique sit arduum; tamen fit in patria gloriosum; vbi necesse est aut gratiam parentela prouocet, aut odium longa contentiones exasperent.* Nec contentiosæ querelæ, nec parentelæ fauorabilis gratia iudicem integerrimum peruerterunt. Et quidem docuit nec gratia blandiente corrumpi, nec querelis manu factis terreri. O quoties æquitatis detrimēto gubernatores erga suos fauorabili gratia subornati delinquunt, aut criminationibus timidi subiectantur! Hanc querelam à Iosephitis ante designatos cæteris tribubus limites non censemus expositam; hic tamen aptissimè ab historico putamus insertam. Ipsi ignauissimi iniqui iudicij, & impietatis insimulant Iosue: nec enim insolitum desides fortem dehonestare, marcescentésque æquum factiosis criminationibus referire. A suis contribulibus primas Iosue auribus excepit iniurias, qui audiuisse debuerat laudes. Tribum suam amplificatam, diuináque adauctam benignitate tumidi iactant Iosephitæ, quo sortitionis iniquitas maior appareat, acriórque aduersus Io, suam concitetur inuidia, dum læsa ad speciem existimatur nimis arcta suorum cateruа. Verùm dum suorum procerum numerum exaggerant ad inuidiam, suam ipsorum desidiorem clarissimè confitentur ignauiam, vtpotè qui adeò ingenti manu nec aggressi hostes euertere; imò nec gloriosè præliari. Vtráque tribus in hanc actionem coniuncta prodiit, quò & querela iustior, & causa haberetur omnibus grauior.

Ambitiosi quæ suspirat, non obtinet, factam sibi vociferatur iniuriam.

Cassiodor.

Mirum est inter cognatos gubernare sine cognatorum querelis.

Iudex nec blandienti gratiæ, nec minarū terrori cedat.

Iosue à suis primas querelas audiuit.

8. *Quare dedisti mihi.* Non dicunt: Quare dedit Deus, aut quare concilium sortis meæ funiculum breuiauit; sed quare dedisti mihi, vt imprudentiæ, & impietatis vnum Iosue insimulent, in quem vtpotè cognatum actiùs inuecti videntur, dum qui de contribulis Principis fauore præferendos sperare deberent, angusta hæreditatis sorte præ cæteris coarctentur. *Quasi sortem illam*, exponit Arias Montanus, *consulto à Iosue in arctum cohibitam significent, non à Deo, à quo non tantùm numero, & multitudine; sed honore, dignitate, & amplitudine sese auctos iactant; quippe iactatio magis quàm gratulatio hæc fuit.* Magnitudinem suam agnoscunt, non vt ad gloriosa inde inflammentur facta; sed vt inflatissima turgidi causentur superbia. *Ad quos Iosue ait: si populus multus es, ascende in syluam, & succide tibi spatia*, &c. Ingeniosissimè, prudentissiméque, vt eximium decebat ducem, fulminatas in se querelas in ipsos fulminantes retorquet: quasi dicat: si copiosa adeò multitudine aucta ditescis, cur ampliora tibi spatia incolarum clade non occupas? & quidem si numero exigua, id prudentiæ verti potuisset; at tot hominum referta copiis ignaua conuinceris, dum limites non producere audes. *Eleganti atque opportuna concessione vsus,*

Arias Mont.

Plures magnitudinem suam agnoscunt nō Deo grati, sed superbi.

Arias Mont. *Improbus quam in aliis vibrat, sæpè ratione feritur.*

vsus, scribit Arias Montanus, *Iosephi filios ignauiæ, & inertiæ, atque imminutæ fidei artificiosè redarguit prudens dux, suámque erga Deum fidem, pietatem, atque erga eosdem Iosephitas curam, & prouidentiam consilij optimi plenam probat.* Dum falsis criminationibus Iosuam facta manu ferire nituntur, referiuntur ipsi verissima reprehensione: sic prudentissimus dux excussit calumniam, vt querulis pararet medelam. Pherezæos agreste hominum genus procul ab vrbibus exulans fuisse locus hic indicat.

Masius.

Masius Pherezæos grassatores potiùs fuisse, ex raptóque viuentes, & ob id abstrusiora siluarum existimat habitasse. Raphaimos gigantum progeniem antris, & cauernis lucifugas tradunt deguisse Rabbini.

Vers. 16. Cui responderunt filij Ioseph: Non poterimus ad montana conscendere, cùm ferreis curribus vtantur Chananæi, qui habitant in terra campestri.

9. Iosephithæ cùm suarum querelarum veluti indagine se cinctos animaduerterent, honestiores modò excusationis causas prætendunt, quasi dicant: si plana aduersariis nostris eripere non valemus, vtpotè qui falcatis curribus sua defendunt, quomodò ascendemus montosa, quæ expugnatione difficiliora, defensione verò facillima.

Chaldaic.

Húc sensum reddere videtur Chaldæus: *Et dixerunt filij Ioseph: Non sufficiet nobis mons Epraim, & currus ferrei in omnibus Chananais, qui habitant in terra planitiei, quæ in Bethsan, & vicis eius.*

Septuagin.

Septuaginta adstipulantur. *Et dixerunt filij Ioseph: Non satis erit nobis mons Ephraim, & equus electus, & ferrum omni Chananæo habitanti in terra vallis in Bethsan, & in villis eius, & in valle Iezrael.* Hostium fortitudinem, bellicósque apparatus opponunt, vt bella non tentasse non oscitantiæ; sed prudentiæ verteretur. Et quidem si meo iudicio fidelem, adhuc Iosephitas prosequi querelas censerem: admittunt namque hominum ditescere copia; sed cui inimicis vtpotè, & locorum natura, & montium difficultate, & bellici apparatus præstantia munitis bella inferre non virili prudentiæ, sed temerariæ verteretur audaciæ.

Quales olim currus falcati.

Falcati currus, bellica antiquitus instrumenta. Vnus currus à quatuor equis vectabatur armatis frontibus, falcatis ensibus: rotæ quóque currus in transuersum falcatos enses habebant affixos, super currúmque viri armati, aut saltem vnus vectabatur, qui equos alioqui ex se ardentes, & generosos repetitis ictibus agitaret, vt summo impetu aduersarios impeterent, & falcatis ensibus dilaniarent. Currus hi multo sumptu constabant, ideóque Israëlitis haud quaquam faciles erant. Addunt montem illum Ephraim deberi, ideóque licèt incolæ expugnarentur, Manassensibus, vt suum extenderent funiculum, esse profectò inutilem. Concludunt itaque iniquè egisse Iosuam, qui geminam tribum concluserit in vnius sortem satis angustam, sanéque difficilem triumpho, vt expositam manifestè periculo.

Arias Mont. *[illegible] sæpè apparenti excusatione [illegible] armantur.*

Ex hoc loco aperte docemur, inquit Arias Montanus, *in his, qui nec prorsus simpliciter [illegible], atque diuini consilij, & iussis Dei obsequi nolunt, à labore ad otium, à virtute ad ignauiam traductis nec argumenta, neque orationem deesse, quibus propositum honestatis aut vtilitatis prætextu vrgeantur, & defendantur.*

Vers. 17. & 18. Dixitque Iosue ad domum Ioseph, & Ephraim, & Manasse, *&c.*

Cùm Iosue benignissima comitate Iosephitarum calumnias tulisset, mitibúsque responsis ad suam ipsorum commoditatem vrgeret, nihil assecutus est; imò ipsa mititate superbi, & & vrbanitate audacissimi rationes detorquebãt in probrum: quid ergo Iosue? Imperatoris profectò egregiè adimpleuit officium, & quos blandis non allexerat verbis, imperatoriis iam compellit edictis. Iubet ergo limites vt petebãt, extendi, ipsósque ad prælium accingi, hostésque debellare: *Transibis in montem, & succides tibi spatia.* 10.

Chaldaic.

Chaldaica Paraphrasis: *Populus multus vos, & virtus multa vobis, & non erit vobis sors vna; sed mons erit tibi: nam sylua ipse: & parabis eam, & erit tibi exitus eius, quando extirpaueris Chananæum, quia currus ferrei illis: nam robusti illi.*

Septuag.

Septuaginta apposita conditionali, & quidem veluti sigillatiua, & incussa vertunt: *Si populus es multus, & vires magnas habes, non erit tibi possessio vna: nam sylua erit tibi, quoniam sylua est, & succides eam, & erit tibi exitus eius, quando deleueris Chananæum, quoniam equus electus est ei: quoniam fortis est, & tu enim præuales eo.* Mira certè Iosue coniũcta cum humanitate constantia. Iosephitæ ambitione simul, & ignauia tenebantur: protendere discupiebant terminos; arma verò detrectabant sumere in aduersarios.

Expedit aliquando suorum decretorum imperatorem reddere causam.

Quid ergo? Regiis edictis vrgeret in pugnam, exterminatque desidiam; sed ne hostium pauor illos vel ante prælia constrauerit, spe suffulcit animos, & felicis euentus denunciatione vires timidis satis inspirat.

R. Salomon. Nehmanus.

R. Salomon, & Nehmanus censent reddidisse causam Iosue, cur loca ista his tribubus assignauerit: quia magnis scilicet viribus polleant, strenuorúmque copioso militum numero sobolescant.

Masius.

Ille, inquit Masius, *eos suis ipsorum verbis redarguere voluit, & simul ostendere admota, quod dicitur, manu fortunam, id est, Dei benignitatem inuocari debere. Turpissime enim ignauia erat, cùm nihil dum aduersus hostes experti fuissent, de sorte sua, quam Deus dederat, queri tanquam nimis angusta, deque Dei auxilio tam socorditer diffidere.* Ex falcatorum curruum multitudine timor Iosephitis videbatur creari; Iosue verò disertissimus Imperator currus nulli fore hostibus auxilio probat: quia mons, quo à Iosephitis ascendendum erat, viam non solùm falcatis; sed nec communibus curribus rupium arduitate permittat, nec sylua arborum densitate consentiat. Itaque ipsa loca, quibus limites extendere imperabantur, aduersariorum vires præcipuas eludebant, bellicósque apparatus frustrabant. Paruerunt Iosephitæ, vt fas erat: nam vt aiebat Theodahadus Rex 10. variar. 28.

Theodahad. *Iudices qui nil venaliter agunt, subiectos parere cogunt.*

Decet regnum iustitiam custodire quod à iudicibus benè agentibus fuerit ordinatum: maximè quorum conscientia sic nota est, vt nihil imaute, nihil venalitatis studio fecisse videantur.

§. IV.

§. IV.

Legi obtemperare est ditescere: qui plus deuotus, & largioribus etiam diuitiarum copijs sæpius refertus.

11. Plutarch. *Cur olim in moneta & Iani & nauis imago?*

ROgat Plutarchus in quæstionibus centur. Roman. *Cur olim nummi nunc Iani bifrontis imagine, nunc nauis puppi, vel prora signati fuerunt? Vtrùm, vt vulgus ait, honoris gratia Saturni, qui nauigio in Italiam transmisit? An hoc accommodare est multis: etenim Ianus, Euander, Æneas mari sunt aduecti. Illud conycias citiùs, cùm quædam ciuitatibus ornamento sint, quædam necessaria, maximo ornamento esse rectam publicam disciplinam, inter necessaria potissimam rerum copiam.* Philosophi pace inuerso ordine protulerim, scilicet rectam morum disciplinam apprimè necessariam, ornamentóque esse rerum affluentem copiam; imò rerum affluere cumulatiùs copiam, dum morum cultior disciplina. Addit Philosophus nauim nummis insculptam, Numinísque effigiem impressam, vt constaret omnibus, si Numen concinnis moribus excolatur, vel a dissitissimis regionibus opes inuolaturas quasi appendices, & consequentias virtutum. *Quando igitur compositum Reipublicæ ordinem his Ianus domitis eorum moribus constituit, affluentiam necessariorum fluuius, qui nauigabilis est, subministrat.* Onusta diuitiis nauis Numinis imagini propinqua est, vt mortales nouerint terram maréque ingentia diuitiarum tributa virtuti pendere, & concinnis moribus gratissimè vectigalia soluere. Errarunt, qui Iano mero figmento, aut cuiuis alij ex idolorum classe deberi testabantur reuerentiam; non tamen dum moribus optimè disciplinatis, & concinnis affluentiam diuitiarum affirmauere sæpè coniunctam. Fallitur quisquis ad lucrum inhians vitia sectatur: nam filiæ scelerum sunt ærumnæ ac frequentissimæ miseriæ, vt obseruatæ legis exundantes rerum copiæ: *Cecidit sors tribui Manasse*, inquit sacer textus, *ipse enim est primogenitus Ioseph.* Vides Ioseph duas accepisse sortes: nam cùm præcedenti capite sortem sibi debitam acceperit Ephraim, & ante Iordanem dimidia tribus Manasse, hic relictæ tribus semis sors amplissima describitur. Notauit Abulensis ad hunc locum: *Descripta in superiore sorte tribus Ephraim; hic describitur consequenter sors tribus Manasse: quia istæ duæ tribus erant ex eodem patre, & successuræ velut in vnam sortem; sed habuerunt duas.* Ioseph duas sortitur telluris portiones, cùm cæteri fratres vnam. Ecqua huius ratio? Quia illi cupiditatis ardore naturam sunt cauponati, Ioseph verò virtutibus inseruiuit: vtque noueris quanto ampliores diuitias virtus præ vitio acquirat, cæteris fratribus portio vnica sorte adscribitur, Ioseph verò duplici sorte ditatur: *Istæ duæ tribus erant ex eodem patre,* scilicet Ioseph, *& successuræ velut in vnam sortē; sed habuerunt duas.* vnicam habituræ fuerát originis iure; duas verò sortitæ sunt priuilegio virtutis. Ioseph, quia inter reliquos fratres castitate ornatior, & ditior: qui virtutibus cultior, vel terrenis etiā diuitiis præcedit cæteros cumulatior.

Abulens.

12. Insanus idololatriæ ardor amentem illum populum sic adussit, vt absente Moyse Deos sibi producere cogitarint: conceptum animo errorem opere complere festinant, qui virtutis studium in sæcula distulissent, aut saltem tempore multo tardassent. Aaron iocalia & inaures petit, si de cupiditate cupiditati forte medeatur, ac de peruerso auxilietur: *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorúmque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.* Rogant Patres, cur speciatim aurium ornamenta petierit? Inter cæteros septimus Tertullianus opportunior nostro instituto asseruit non posse aures, dum diuinis iussis parent, auro carere, nec voces diuinas spernentes auri diuitias potiri: dum aures Numinis sitienter auscultauere præcepta, & ditissima possederant patrimonia; at nudantur auro, dum refragantur præcepto: vt noueris nuditatem inopinámque violatæ legis consequentiam; præcepti verò obseruati appendicem auri copiam. Adest Tertullianus aduersus Gnostic. cap. 3. *Aberat apud Deum in monte Moyses, cùm populus tam necessaria absentia eius impatiens deos sibi producere quærit, quos potius ipse perdiderit: vrgetur Aaron: iubet inaures fœminarum suarum in ignem conferri.* Expende attentiùs quæ addit: *Amissuri enim erant in iudicium sibi vera ornamenta aurium Dei voces.* Ecce dum aures sacris præceptis implentur, pretiosis margaritis ornantur; verùm cum fastidiunt voces, & pretiosas amiserunt inaures: admisso depauperantur piaculo, quæ obseruato ditescebant aures præcepto. O quàm fallitur quisquis spe lucri refragatur mandatis, cùm ipsa legis violatio & auri persoluatur dispēdiis, & vitæ sæpè sæpiùs periculis.

Exod. 32. v. 2.

Tertull.

Iosephi fratres Ægyptum inuolant, vt frugum inopiam leuent: ille admissum in se facinus humanitate vlciscitur, & frumenta iubet abundè ministrari, & iunioris sacco argenteum scyphum præ cæteris auctarium recondi: *Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere, & pone pecuniam singulorum in summitate sacci; scyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit tritici, pone in ore sacci iunioris.* Et cur iunior præ cæteris ditior, quando natura maiores prætulit, & prærogatiuis antelationis ornauit? Scyphus argenteus primogeniti includatur sacco, aut sequentis saltem addatur frumento: nam fauore minimum anteferre, sors erit ad superbiam inflare: extremi namque, si adspirante fortuna ditescant, adeò tument insolescentes, vt omnibus reddantur odibiles: ergo fratri iuniori copiosiorem diuitiarum nullatenus largiatur cumulum, quando plus ditescere maioris est priuilegium. O considera, amabo te, iuniorem Beniamin illo execrabili fraternæ venditionis piaculo nullatenus denigratum; reliquos verò fratres intentata cæde, & nundinatione obscuros; vt ergo constet virtuti addictos plus aliis sæpè ditescere crimináque sectantes angustioribus diuitiis frui, scyphum Beniamino largitus est, vt excelleret auri copia, qui præ cæteris fulgebat præceptorum obseruantia. *Illi*, aiebat Basilius orat. 8. *naturam cauponati, vt rebantur, abiectum pro notho puerum damnant seruituti.* Reliqui auro inhiantes execrabiles, contra naturámque nundinas concelebrarunt; vnus Beniamin criminis prorsus ignarus: restiterat priùs certè Rubenus; posteà, si Philoni credas, lucro corruptus, & particeps piaculi est factus: ergo non adeò ditescant reliqui, etsi de sceleribus piscentur aurum; sed maiori copia exundet, qui legis didicit seruare præceptum, vt constet honestatem

13.

Gen 44. v. 1.

Basil. Seleuc.

nestatem sæpè ampliores afferre diuitias; vitium verò asciscere criminoso miserias. O quoties dum ardentiùs ambitur aurum, & celeriùs anhelantem frustratur lucrum! O quoties piaculum discupiti auri esse solet nocentissima ærugo, & exoculata cupiditas, dum auidiùs inuolat, fugat: nam dum audax non renuit perpetrare delictum, copioso auro redimere opus est, illi tormentum. O quoties iudicum ministris soluitur, quod de piaculo quærebatur Beniamino de impio fraternæ nundinationis commercio nullum obuenit lucrum; sed ideò à Iosepho cumulatiùs cæteris obtinuit argentum: nec enim semper iustitiæ depauperantur cultores, quandoquidem Lotus, & Abrahamus effulxere prædiuites.

14. Duo illi vterini fratres maternis visceribus pro stadio vsi de primogenituræ commodis altercabantur, Zara manum protulit, vt primogenituram detriumphator prehenderet: suffragata est obstetrix: nam, vbi spes affulxerit, omnes studiosè adulantur, & obsequuntur: manum ligauit coccino, vt coronaret imperio: *In ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum dicens: Iste egredietur prior:* felicitatis fuit fascinum, quod putabatur auxilium: nam manus retracta fratri cessit, & de ignauia, quod iam possidebat, amisit: *Illo verò retrahente manum egressus est alter.* Coccino inaugurari videbatur ad imperium, & de coccino passus est dignitatis excidium: illud namque Dominici effusi sanguinis erat emblema, & de culpæ ænigmate priuatus est dignitate. Ita glossa Interlinearis: *Vnus protulit manum. Iudæus, qui manum in exterioribus exercuit pollutam sanguine sanctorum, & ipsius Christi.* Innoxium effudit sanguinem, quo purpura micantiùs rubesceret; sed manus, quæ deturpabatur delicto, priuata est dignitatis imperio: Phares, quia effuso sanguine nequaquam contaminatus, & primogenituræ diuitias est felicissimè consecutus. En culpæ macula obscura fuit dignitatis splendoribus nebula. O quàm effusus iustorum sanguis vel solida ad speciem prosperitatis concussit fulcra, & labefactauit cæmenta! Falluntur egregiè, qui de iniustis pupillorum rapinis, de viduarum lachrymis sibi prosperitatem stabile nituntur: culpa namque est diuitiarum tinea, felicitatis rubigo, calamitatis tessera, & doloris officina. Manus sanguine infecta, vel cùm victrix, remansit victa; at quæ nullis sanguineis maculis rubebat ad culpam, citiùs ac certiùs est consecuta coronam.

Genes. 38. v. 27.

Interlin.

15. Laban & Iacob gener, & socer diuersissimis artibus adaugere suam moliebantur fortunam: Iacob sedulam gregis curam exercens, torridi ardoris iniurias, & horridæ hyemis patienter ferens molestias: si quid à bestia captum, suæ adscribebat ignauiæ, vt redderet, cùm tamen vigilaret solicitissimus, vt seruaret. Testatur ipse non clam; sed libera voce, & in præsentiarum soceri flammis indignationis ardentis: *Viginti annis fui tecum: oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam. Quidquid furto peribat, à me exigebas: diu noctúque æstu vrebar & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Vides Iacobi solertiam: vide modò soceri astutiam: *Immutasti quoque mercedem meam decem vicibus.* Itaque Labanus circumuenit sæpè sæpiùs Iacobum: nam si quando variæ oues pro mercede adscriptæ, pactum rescindebat, nec genero fidem seruabat. Videamus modò quis horum ditior: *Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris nostri*, conqueruntur Labani filij, *& de illius facultate ditatus factus est inclytus.* Iacob diuitiis copiosioribus cumulatior, Labani substantia angustior: & quidem videbatur Iacobo futura angustior, & socero longè copiosior: hîc enim ad fraudes recurrebat; ille iustitiam tantùm & æquitatem in suum auxilium vocabat. Et sanè facilè technis dolísque incrementandæ videbantur diuitiæ; non tamen adeò facilè iustitia adaugendæ copiæ; & tamen Iacob æquitati studens ditior, & Labanus fraudibus inhians pauperior. Expressit discriminis causam textus, Dei scilicet prouidentiam, cui proprium morigeros, & iustos remunerare, & fraudulentos ac refractarios iacturâ diuitiarum punire, Iacobum gregibus cumulasse; Labano verò ademisse. Audi ipsum Deum Iacobum humanitate alloquentem: *Leua oculos tuos & vide vniuersos masculos ascendentes super fœminas varios maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban.* Dum omnes greges maculis variegantur respersi, adscribitur fœtura Iacobo, denegatur Labano: spectabat namque ad æquissimum Numinis regimen legi obtemperantem copiis augere, diuitiísque per fas & nefas inhiantem nudare. Adest Chrysost. apud Lippoman: *Tulit Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi. Vide quomodo vtrumque docet, & patris ingratitudinem erga se, & quantam sui curam Deus habuerit: monstrans quod diuino auxilio omnia fuerit operatus, & facultates Laban in se transtulerit.* Labanus obarmatus potentiâ genero inferre non recusabat iniuriam: Iacobus patientiæ clypeo protectus sustinebat offensam; Deus tamen supremus rerum moderator ac rector imbecillo tulit opem; iniurio verò copiosum ademit gregem. Vt noueris iustitiam, æquitatémque acquirendi diuitias artem honestam; fraudes verò & dolos certissimam diuitiarum esse iacturam.

Gen. 31. v. 1. & 38.

Genes. 31. v. 12.

Chrysost.

---

§. V.

Ob futuri excellentiam filij non semel anticipata resplendent parentes gloria, nec tanguntur generali ignominia.

NVllus dubitat parentum gloriam deriuari generosos ad filios, & à filiis laudem sæpiùs refluxisse ad parentes: *Ferarum catuli*, aiebat Cassiodorus in Gnomologia, *sequuntur parentes: à cæspite suo virgulta non discrepant: propago vitis propria seruit origini.* Vt à radice trahitur succus, qui venustos in flores digestus, & saporatos conditur in fructus; ita homini à progenitorum propagine funditur, quo resplendeat ad gloriam, & niteat semper ad famam; vsque vitis propago de auratis vuis ditescens originis commendat gratiam, quandoquidem constat radicem nullo vitio turpatam, quæ gratam fructuum producere valuit copiam; ita filij & parentum commendant mores, & intuentibus referunt vocali silentio laudes, quando constat nullatenus in radice vitiatum, quod tanta lucet puritate transfusum: à filiis etiam honorem refundi constat in patres, cùm voraci flammæ ob 16.

Cassiodor.

pietatem

pietatem filij ſubtrahatur Anchiſes, & in Iſaac Abrahami nomen fundetur æternum, cùm in Iſmaele non adeò eluxerit clarum. *Rerum cauſa*, audis Caſſiodorum 9. var. 23. *ſemper in ſemine ſunt: fructus editus prodit auctores, & quidquid à diuinitate meremur, de felici prole colligitur. Hinc eſt quòd Patritium Venantium ſub admiratione penſemus & fœcunda prole gaudentem, & tot Conſularibus patrem.* Addit poſteà: *In hac autem domo non tantum patrimonijs, ſed & virtutibus aditur hæreditas: hoc eſt profectò, quod verè diuites facit, quando nullum meliùs poteſt eſſe compendium, quam laudibus ſucceſſiſſe maiorum.* Ecce reciproca laude & filij de maiorum ſtemmatibus honorantur, & parentes de glorioſis filiorum geſtis æternæ famæ adſcribuntur. Nec tantùm ob benè inſtitutos filios accreſcit parenti gloria; ſed non ſemel ob futuros micat propaginis excellentia: *Cecidit autem ſors tribus Manaſſe: ipſe enim eſt primogenitus Ioſeph.* Manaſſes poſt Ephraim in ſortium adſignatione refertur: & quidem ſtata naturæ lege videbatur anteferendus: ſi primogenitus, cur poſtpoſitus reclamante natiuitatis iure, & temporis lege? Quia oriundus Ioſue de Ephraim ſtirpe ſic patrem ſeruitutis notâ vel futurus exemit, vt fratri cõtra naturam prætulerit. Ephraim pater illum ſeruituti geſtiebat ſubiicere; ſed naſciturus Ioſue & ſeruitute cõtra patris conatum exemit, & contra naturæ leges glorioſo priuilegio donauit. Referamus hiſtoriam: Cùm Ioſeph filios ſuos patri benedicendos offerret, *poſuit Ephraim ad dexteram ſuam, id eſt ad ſiniſtram Iſrael; Manaſſem verò in ſiniſtra ſua, ad dexteram ſcilicet patris, applicuitque ambos ad eum: qui extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris; ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat, commutans manus.* Decuſſatis manibus ordo naturæ eſt inuerſus, & Ephraim maiori fratri prælatus: Ioſeph inopinum demiratus caſum patris refragabatur ſtudio, & Ephraimum Manaſſe ſubiicere geſtiebat imperio: *Videns autem Ioſeph, quòd poſuiſſet pater ſuus dexterã manum ſuper caput Ephraim, grauiter accepit, & apprehenſam manum patris leuare conatus eſt de capite Ephraim, & transferre ſuper caput Manaſſe: dixitque ad Patrem: Non ita conuenit, pater: quia hic eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius.* Ioſeph legibus patrocinatur naturæ, Ephraimique ob nititur priuilegio; verùm, quantumuis pater geſtiuerit benedictione priuare, auus eſt proſecutus impẽdere. Ceſſit in gloriæ, excellentiæque elogium patris grauiſſimum ſupercilium: &, ne imprudenter id à Iacobo quis factum putarit, teſtatus eſt non improuidum fuiſſe cauſum, ſed arcanum ſanè myſterium. *Scio fili mi, ſcio, & iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur; ſed frater eius minor maior erit illo, & ſemen illius creſcet in gentes.* Ob futurum ſemen Ephraim aduerſante natura, contradicente patre ſeruitutis non intrat iugum; ſed glorioſum libertatis accipit priuilegium. Itaque quia de Ephraim oriundus erat Ieſus, Domini honoratus titulo, & populi coronatus imperio Ephraim leges fruſtratur naturæ, & fratri præfertur conſpicuo lumine gloriæ. Accipe Abulenſ. ad cap. 17. Ioſue: *Quamquam Manaſſes eſſet primogenitus ſecundùm carnem, Ephraim prælatus fuit ei ibidem, & poſteà in omnibus.* Subdit rationem Abulenſis: *Quia de tribu Ephraim fuit Ioſue, qui fuit Princeps Iſrael.* Ioſue Ieſu nomine inſignitus, & populi imperio ornatus, nondum ortus; ſed futurus patrem iugum ſeruitutis intrare non patitur, & antequam experiretur, iam depulit. Ephraim quaſi ſtadium erat, vbi Ioſeph pater, & Ieſus filius de iugo altercabantur, & priuilegio: pater legem allegabat naturæ, vt Ephraim ſeruitutis ſubiret notam; filius glorioſis factis ſeruitutis auertere nitebatur infamiam; ſed in naturæ & gratiæ certamine ob Ieſum præualuit gratia, & deuicta ceſſit natura. Et quidem ſi in Ioſue veri Ieſu vmbra hoc accidiſſe conſpicimus, quis in Chriſto Domino inficietur completum, quod in Ioſue præceſſerit figuratum? Quid intereſt intentarit Adamus Mariam ſacratiſſimam naturæ legibus ſubiiciendam, ſi Ieſus non ſolùm Hebraici populi; ſed totius orbis, & cæli Princeps gratiæ priuilegio ambiuerit honorandam; ſi Ioſue vitæ futurus iam aderat, vt indecoram naturæ ſeruitutem auerteret, & patrem Ephraim imperij faſcia exornaret, cur Chriſtus Dominus Ioſue excellentiam immetatis meritis ſupergreſſus, quantumuis vitæ futurus, matris conceptioni non adſit, vt naturæ honeſtè inuerterit legem, & immortalem matri attulerit laudem? Suſpicetur aliud qui volet: ego equidem nunquam inducam animum vt crediderim conante Adamo ſubiectam iugo; ſed fauente Chriſto donatam ſingulariſſimo priuilegio.

Fructus editus prodit auctorem.

Laudibus ſucceſſiſſe maiorũ magnum felicitatis compendium.

Geneſ. 48. v. 13.

Abulenſ.

Naxera in Ioſue Tom. 2.

Iſaias cùm filiarum Moab communem prædixiſſet captiuitatem, ob mittendũ agnum Ruth eius matrem prolixo anteà tempore euaſuram teſtatur ſtragẽ: plus namque valuit filius agnus, vt alas, quibus libera fruſtraretur calamitatem, haberet, quàm maledictus originis locus, vt iugum cæteris commune portaret: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de Petra deſerti ad montem filiæ Sion, & erit: Sicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes; ſic erunt filiæ Moab in tranſcenſu Arnon.* Leo Caſtro putat hoc vaticinium Ruth accommodari, quæ ciuitatem ſuam deuaſtandam calamitatibus prouidenter effugit, antequam appeterent, vtpotè quæ agni terræ domini mater eſſet futura: dedecebat namque pientiſſimum filium, ſi communi ſtrage matrem non ſeruaret exemptam, quam ſuam delegiſſet ad gloriam. Audi Leonem: *Poſſet tranſlatio Diui Hieronymi referri ad Chriſtum, qui in Scripturis eſt ſemper quærendus; ſi cum Hebræa lectione conferas: nam poſſes ſic lectionem Hebraam ad verbum vertere: Et fuit ſicut auis fugiens, aut migrans nido, miſſa vt dicatur de Ruth; & ſic adhuc vaticinium de Chriſto; & ſit ſenſus: Emitte, ô Pater, & Fili, & Spiritus ſancte agnum illum, qui tollit peccatum mundi... Vel agnum dominatorem terræ de Petra, id eſt, de oppido, quod redacturus es in rupes, & petras, ad montem Sion, id eſt, ad vrbem Ieruſalem.* Curioſiùs accipe ſubiicienda. *Quando cauiſti, Pater optime, vt fœmina, vnde oriturus Chriſtus eſt, tanto tempore ante hanc cladem ad Iudæam ſe reciperet.* Captiuitas ob peccatum Moabitides reliquas depreſſura Ruth adhuc toruo vultu minari non potuit: quia anteà eius legitur priuilegium, quàm ciuitati interminetur excidium: Ruthæ parẽtes communi filiam ſubiiciebant ſtragi; tamen futurus agnus, quia filius, matrem libertate anticipata donauit, nec incurrere iugum permiſit. Ruth, quia Moabitarum filia, communi calamitati videbatur ſubii-

17.

Iſai. 16. v. 1.

Leo Caſtr.

cienda; ast quia Christi mater, vel ante discrimen libera: plus namque valuit futurus filius vt singularissimo priuilegio vel periculo eximeret, quàm pater, vt condemnaret: *Cauisti, Pater optimè, vt fœmina, vnde oriturus Christus est tanto tempore ante hanc cladẽ ad Iudaam se reciperet.*

18. Samsonis patribus cælestis nuncius inuolat læta renunciaturus, filium promittit populi futurum gloriã, & aduersam inimicis semper fortunam: Iudic. 13. v. 5. *Concipies, & paries filium, cuius non tãget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero: & ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum.* Patres gratum animum produnt, promissáque oblatis libaminibus stabiliunt: cúmque ascenderet flamma altaris in cælũ, Angelus Domini pariter in flamma ascendit, nec oculo sacrificãtium effugit: tunc Exod 33. v. 21. Manue illius generalis legis, *Non videbit me homo, & viuet*, memor, ac visione perculsus de se actum credidit, & mortem appetere contestatus clamauit: *Morte moriemur, quia vidimus Deum:* lege à Domino prolata eruditus credidit sacrilegium esse, si oculis ampliùs caperẽt res caducas; qui hauserant oculis iam diuinas; verùm mulier prudentissima viri sedauit timorem, & de futuro filiò sententiam illam derogandam asseruit: *Si Dominus nos vellet occidere*, inquit, *de manibus nostris holocaustum, & libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea, quæ sunt ventura, dixisset.* Quasi dicat: Lex mortem minatur; sed cum filium populi iugum depulsurum habituri simus, lex non exequetur supplicium; sed filius futurus erit nobis priuilegium. Ecce prudens mater de futuro filio non timet, quam lex minabatur mortem, vtpotè qui cunctis venerat vti a nigrea Domini afferre vitam. Ad rem Abulens. Abul. q. 41. *Perfectissima hæc ratio* (scilicet quæstionis propositæ: erat autem quæstio, an vxor Manue benè arguit ad probandum quòd Deus nollet eos occidere) *scilicet, Deus prædixit, quòd puer de nobis nasciturus erat, qui liberaret Israel de Philisthinis, & quòd nos deberemus nutrire eum in regula Nazaræorum; si tamẽ occideret eos nunc, esset impossibile quòd ista fierent: ergo impossibile est, quod occidamur nũc a Deo, quia vidimus Angelum. Ista ratio est omnino concludens, & non est persuasio.* Lex ex vna parte morti condemnabat; sed futurus filius ipsa lege valẽtior erat: nec enim generali poterant edicto cõcludi, quando ab illis salutem populo constitit procreari: futurus filius præsentaneam iam attulit discrimini parentum medelam; nec timendum illis imminere periculum, quando constabat accepisse lætissimũ nuncium. *Ista ratio est omnino concludens, & non est persuasio.* Iam si à parentibus Samsonis allata ratio est, omnino concludens, quanto fortiùs pro Marianis priuilegiis ratio certabit? Communis lex Adami filios morti subiectos ostẽdit; verùm futurus filius matrem prouidẽtissimè liberauit: nec enim poterat communi subiacere legi, generali filium editura saluti. De filij ergo excellentia mater anticipatis priuilegiis resplenduit, nec originalis maculis respersa sorduit. Sãson Christi ænigma non solùm à morte, non solùm à periculo; sed à timore etiam periculi liberauit parentem: & Christus non tantùm metui, non tantum discrimini; sed subiectam reliquisset crimini matrem? Excelluit Maria, & de quam gestauit vtero, diuinitate omnem prorsum à gratia deuiationem ignorat: matrem namque vel primum gressum versus naturam posuisse diuinitatis filij suspicionem iniquis animis generaret.

Arca Philisthinis potentiam suam est contestata inflictis duris adeò suppliciis, vt vel cæci minimè quiuerint ignorare: quia tamen quos adurit inuidia, & premit maleuolentia, sibi prorsus pertinaciter ratio experitur appositos, & clarissimè luci negatos, necessum fuit ad noua diuinitatis argumẽta recurrere. Consuluntur sapientes, & vt irrefragabile veritatis quæsierint argumẽtum, tale præstitere consilium, arcam scilicet nouo plaustro, vaccarúmque vitulos alentium nunquam iugo assuetis ceruicibus imponẽdam, vt si reclusi vituli ad se matres arcam portantes vocarent, eius diuinitas omnibus esset suspecta; si tamen nec primum gressum naturæ obsequẽtes legibus ponerent; sed contrario prorsus itinere à naturæ legibus deuiarent, de diuinitate pronunciant nullatenus dubitãdum; nec de aliis experimentis quærendum. *Nunc ergo arripite, & facite plaustrum nouum vnum, & duas vaccas fœtas, quibus non est impositũ iugum, iungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi: tolletisque Arcam Domini, & ponetis in plaustro, & vasa aurea, quæ exoluistis ei pro delicto, ponetis in capsellã ad latus eius, & dimittite eam, vt vadat.* Ecce gressus maiestatis est arbiter: nam si vaccæ naturæ legem secutæ, diuinitatẽ humeris nullatenus creduntur deferre; si tamen recto semper procedentes incessu, iam contrarium vel iniquis nefas est suspicari. Audi quæ addunt: *Et aspicietis: & si quidem per viam finium suorũ ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande; sin autem, minimè.* Si gressus ponant versus Bethsames, hoc est, Solis domicilium reluctante naturâ diuinitatem deferre humeris adserũtur; si tamen obuersis luci dorsis, legésque naturæ secutæ filios versus fuerint regressæ, sacro subiectæ oneri denegantur. *Omnia ista fiebant*, scribit Lyra, *ad experiendum virtutem Dei Israel in reductione arcæ: vaccæ enim lactantes vitulos naturaliter inclinantur ad eos nutriendum: & ideò si ipsæ non reuerterentur ad fœtus, & portarent Arcam directè ad terram Israel; & maximè quia erant inconsueta ad portandum iugum, vel plaustrum trahendum, signum foret manifestum, quòd duceretur occulta Dei virtute.* Deus habetur, dum vaccæ portantes naturæ legibus contrariantur. Ergo si Maria diuinitatem, vt certum est, vtero gestauit, asserente Matthæo: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*, dicendum erit nec primum conceptionis gressum naturam versus posuisse; sed ad Bethsames ascendenti semper gradu ambulasse. Et, vt videtur, eâ itineris parte plaustrum fuit dispositum, vt vaccæ versus Philisthæam euntes descenderent, ad Bethsames verò tendentes altiora semper prensarent. Quid tunc? diuinitatis baiulæ non nouerunt descendere; sed nouis semper processibus eleuari.

19. (margin) — 1. Reg. 6. v. — Lyra. — Matth. 1. v. 16.

---

§. VI.

Illustre nomen sumptuosiùs laborum præmium: alieni plausus non quærat lucra, qui digna vocabulo profert elogia.

QVamuis generosus animus ex se ad facinora sit expromptus; tamen præmiis viuidiùs acuitur, & ardentiùs excitatur: vnde apud antiquos 20.

quos frequens prouerbium illud: *Præmium alit artes.* Facinora sine præmio suspicionem ingenerant: quia quod irremuneratum relinquitur, aliqua aspersum culpa videtur. *Tribuenda est,* aiebat Cassiodorus 2. var. 28. *iustis laboribus compensatio præmiorum: quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata transitur. Athletam populus palma designat esse victorem: sudores bellicos ciuica corona testatur.* Sudores sine ciuica habentur ignaui; athletæ sine palma videntur inertes; verùm, etsi præmia iustos honestissimè labores compensent, illud inter cætera est sumptuosius, quod vocabulo impressum continuas profert audientibus laudes, dum egregias latere non permittit actiones. Ciuica diuturnitate marcescit, palma annorum prolixitate virorem amittit: vitam comitatur elogium, quod audientium animis inspirat semper vocabulum: *Reuerendum honorem sumit,* aiebat Cassiodor. 6. var. 6. *quisquis magistri nomen acceperit: quia hoc vocabulum semper de peritia venit, & in nomine cognoscitur, quid sit de moribus æstimandum.* Onus inter multos diuisum, qui Magisteria dignitate lucebat, olim sustinebat coniunctum; sed laboris amplum de vocabulo præmium, cùm ab alio ambire opus non esset elogium. *Multi ordines,* aiebat ibi Cassiodorus, *sine confusione aliqua componuntur, & ipse sustinet onus omnium, quod habet turba discretum. Sic nominis sui grauitate perfunctus ornat actibus Principatum.* Assiduus labor laude melliebatur vocabuli, & pro præmio honor succedebat tituli. Inter Manassenses Galaad refertur vir pugnandi dexteritate conspicuus, & ad hostilem repellendam audaciam semper impauidus: *Galaad fuit vir pugnator.* Abulensis putat pugnatoris titulo apud illos nobilitatum, vtpote qui præ cæteris bellica excelluerit peritia, & in hostibus euincendis solertia. *Vocabatur,* inquit quæst. 1. *hic vir pugnator, quia in terra Ægypti erat vir bellicosus, vt si fortè aliquando Ægyptij contra alias gentes pugnauerunt, & ipse illuc vadens in alijs prosperè agebat, factus sit strenuus bellator... Vel fortè habebat in ipsa terra Ægypti Galaad alia exercitia in armis, pro quibus per excellentiam eum Scriptura virum bellatorem appellauit.* Gratum nomen, quia protinus designabat actiones: nec ambigendi dabatur locus, dum ipsa voce statim proditur quid agatur. Huius strenui bellatoris peculiare nullum ob prælia refertur præmium; sed præmiorum loco inuidiosum cæteris successit vocabulum. Et quidem dignissimè remunerator de egregiè factis, qui honorificis decoratus refulget titulis.

Cassiodor. *Exprobrata militia creditur, quæ irremunerata transitur.*

Cassiodor. *Magistri nomen reuerendum.*

Abulens.

21\. In Philisthæos armatur Dauid: vicit monstrum, quod aspectu cæteros deterrebat, & voce horrisona verberabat: nobiles fœminæ Dauidis triumphum dignis celebrauerunt elogiis, & sonoris decantant sistris: *Porrò cùm reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel cantantes, chorósque ducentes in occursum Saul Regis in tympanis lætitiæ, & in sistris, & præcinebant mulieres ludantes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Dauidis victoria gloriosis celebratur cantibus, & dulcisonis refertur concentibus. Nec solùm Dauidis triumphus laudis accepit præmium; sed Saulis etiam triumphali fornice celebratus est plausus: *Nunciatum est Samueli, eo quod venisset Saul in carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem, & reuersus transisset, descendisséque in Galgala.* Lego triumphalem fornicem erectum Saulis victoriæ: audio cantus tympanistriarum felici pensos Dauidis pugnæ: cúmque egregiam mei Iosue victoriam contra Amalecitas sæpiùs perlegerim, præmium non video: *Fugauit Iosue Amalec, & populum eius in ore gladij.* Ecqua tanti facinoris digna compensatio? Hic nec dulcisonus mulierum auditur cantus, nec fornix erigitur sumptuosus. Et quidem non minori titulo Iosue, quàm cæteri celebrandus, quandoquidem & exercitus inimicorum copiosus, & ipse nondum armorum expertus: si ergo iuuenis Dauid faustissimis iteratisque commendatur elogiis, quia hostem animosè aggressus deuicit, cur adolescēs Iosue faustis acclamationibus non celebretur, cùm hostem immanissimū animosè superauerit? Erigatur operosa substructio Memphiticas supergressa pyramides: concinant ac plaudant fœminæ, ne aspergantur ingratitudinis notâ, dum ingratum ore gerunt silentium; & homines, dum operosum fornicis non extruxere fastigiū. Non sine arcano mysterio externum non refertur præmium, dum Auses honorandum accepit Iesu vocabulum: transfertur quidem, vt acriter pugnet, de pristino nomine; & qui antea Auses, incipit vocari Iesus: sumptuosius ergo præ cæteris accepit præmium, qui sæculis honorandum vsurpauit sibi vocabulum: quantumuis desudet egregiè, inimicósque prosternat feliciter, populo incolumitatem pariat, accepit dignum egregiis facinoribus præmium; imò longè superans facinora elogium. Nec mulierum comparandi sunt cantus, nec Saulis exæquandi sunt fornices; quandoquidem & isti tempore exesi labascent, & illi aëre dissipati languescent; at Iosue nomen durabit æternum Angelis semper gratum, hominibus semper proficuum, solúmque dæmonibus ominosum. Augustiori præ cæteris remuneratus est præmio, qui Iesu lucet insignitus vocabulo. Adest Tertullian. lib. aduers. Iudæos cap. 9. *Dum Moysi successor destinaretur Auses filius Naue, transfertur certè de pristino nomine, & incipit vocari Iesus.* Magnum Auses consecutus est in nomine præmium honestè cæteris inuidiosum: dimicauit quidem egregiè; sed plusquam merebatur, accepit: nec enim nomen vel strenuus potuit implere, quod factis nulli creaturæ conceditur exæquare. Apud me cogitabam non semel Iesu Societatis improbos & egregios pro fidei dilatatione, & hominum salute exantlatos labores omni prorsus humano præmio carere, quandoquidem nec dignitatis infulæ adornauere tot litteris eruditos, nec alij spectabiles tituli prodiderunt sæculis magnos; inueni tamen non caruisse prorsus præmio marinos sulcasse fluctus, ignotas Soli peragrasse regiones, nobilitasse scientias, fudisse sanguinem, depulisse hæreses; imò sumptuosissimo præmio remuneratum, quandoquidem eo societas nobilitata resplendet titulo, quod nunquam implere poterit, quantumuis egregiè desudauerit, facto: Iesu namque nomen & temporales dignitates excedit, & longè transgreditur, quidquid apud sæculum valet. Desudet ergo in Christiano campo egregiè Societas: quia acceptum præmium solicitam semper euincet laboris solertiam, & studiosam in depellendis criminibus vigilantiam.

1\. Reg. 18. v. 6.

1\. Reg. 12. v. 12.

Exod. 17. v. 13.

Tertull.

22. Duas virgas satis in Scriptura celebres thesim nostram censeo comprobare, illam scilicet, qua Moyses in Ægyptum pugnat armatus, & illam, qua Aaron Sacerdotium sibi acquisiuit munitus: has diuersas fuisse tradit Abulensis ad Numer. 20. *quæst.* 3. *Aliqui volunt, quòd fuerit virga Aaron, qua floruit, de qua patet suprà cap. 17. sed non conuenit: quia illa virga solum fuit, vt poneretur in signum filiorum Israel rebellium: ideò non proficiebat ad operationem miraculorum: virga autem, qua mare rubrum apertum est, & effluxerunt aquæ in Raphidim, erat ad istud ministerium magis conueniens.* Supposito ergo quòd Aaronis virga floribus redimita alia fuerit ad illa, quæ vocatur virga Dei, & quam Moyses intulit in Ægyptum asserente scriptura: *Reuersus est in Egyptum portans virgam Dei in manu sua:* inquiramus cur Mosis virga nec frondibus referatur ornata, nec floribus gratis vestita, nec dulcibus amygdalis decorata. Aaronis virga non adeò egregia perpetrarat facinora; & tamen dulces conditur in fructus, odoriferos explicatur in flosculos, foliis viridantibus iuuenescit, quæ videbatur exucca, & viribus prorsus orbata: *sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperans flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Sacerdotij labores digno compensati sunt præmio, dum florulento adseruntur baculo: Moysis verò virga in draconem serpentum Principem animata, quæque Magorum prorsus detriuit figmenta, & præstigiosa deuorauit mendacia: quæ elementa in peruicaces armauit, quæ maris profunda nudauit, & in profundo viam puluerulentam ostendit, quæ Israelitarum confregit vincula, & Ægyptiis maturauit naufragia, nullo resplendet coronata præmio, cùm longè adeò fratris virgam virtutis supergressa fuerit studiò? Ecqua huius discriminis causa est? An caret præmio, quia dignior? Apud sæculum namque à præmiis longiùs exulant, qui præmio virtutibus appropinquant. Sanè virga Mosis externo non emicat præmio; sed sumptuosiori nobilitata resplendet titulo: vocabatur namque virga Dei, quia Ieoua litteris insignita: quæ ergo Iesu nomen habebat impressum, quidquid operata, nomini debuit, & excellens immetate facta præmium, vel antè facinora habuit. *Ista virga* (audi ad illud Exodi 4. *Portans virgam Dei* Abulensem.) *erat quadrangulata vel laterata, & in quolibet laterum habebat vnam de quatuor litteris nominis Domini tetragrammaton.* Longè excellit Moysis baculus Aaronis virgam, quantumuis hæc & floribus emicans, & fructibus saporata: exterior namque ornatus nequibat impressi Iesu nominis sortiri gloriam, aut æmulari excellentiam. Innusa retro sæculis Moysis obstetricante manu parturiuit prodigia; sed nominis virtutem nullatenus hausit, nec factis quantumuis miris impleuit: nam dum Ieoua nomine insignita resplendet, fraternæ virgæ flosculos ac fructus longissimè vincit: augustius Moysis virga vel sacratissimi nominis exornata emicat vmbra, angustiúsque ille Aaronis baculus florulenta resplendet pompa. Nullum Moysis virga præmium accepisse referatur, si Iesu nomine venerando sæculis insignitur. Discamus ergo in Scripturæ silentio venerari mysteria, vt in litteris agnoscere arcana. Dum virga Dei ob impressum Iesu nomen Mosis vocatur, reliqua præmia de honore vocabuli supergreditur: ad quid enim præmium caducum, si sæculis possederat venerandum? Aaronis virga, quia sacri nominis honore carebat, necessum fuit pulchra pullularit in folia, & florum venustate oculos prolectarit vestita, amygdalisque saporatis ditata. Vt constet augustius præmium de digno vocabulo fore censendum, non de caducis muneribus æstimandum.

Abulens. Virga, qua floruit, non fuit illa Moysis virga.

Exod. 4. v. 20

Num. 17. v. 8.

Abulens.

§. VII.

Qui patrocinatur vitijs, dum audaciam illis conciliat, stragem sibi miserrimam parat.

Vitium latissimè funditur, hanc pestem rarus effugit, blanditiis armatur, & plus furit blandiendo, quam hostis fureret trucidando; verùm tunc in summum flabellatur incendium, cùm potentium adeptus est patrocinium: nam quem illi prouida natura, vt frænaret, timorem incussit, de patrocinio deponit, & in perniciosam audaciam vertit: *Nullum vitium,* aiebat Seneca epist. 117. *sine patrocinio: nulli non vitium est verecundum, & exorabile; sed ob hoc latiùs funditur.* Qui vitiis per humanam fragilitatem subiicitur, verecundiâ sæpè frænatur: in stadio cordis deprœliantur multoties & metus & appetitus, & dum hîc prolectat blandimentis, deterret ille suppliciis: multi deposuere vel inuiti appetitionis insaniam, ne inhonestam tulerint notam, verum si cupiditas semel patrocinio suffulta, & suppetiis potentiæ furor armatus, nihil non tentabit, & quamuis appetitus ex se timidus, furet de patrono temerarius: ob hoc latiùs funditur, quia nullum vitium sine patrocinio: habent audaces patronum, habent fures, qui pro illis causam dicant, habent libidinis victimæ, qui auctoritate defendant: & quia non cohibentur metu, temerario funduntur ausu; verùm timeat vitiorum patronus de infausto, si non cohibetur de honesto: nam quas vires sceleribus addit, in se ipsum impudenter conuertit, & dum fouet audaciam, certissimam elaborat sibi ruinam. Galaad adeò armis celebratur strenuus, vt sibi nomen fecerit: *Cecidit sors tribui Manasse, &c. Galaad fuit vir pugnator.* Quærit Abulensis, qua occasione hoc nomen sibi fecerit: respondetque adiuuisse in bellis Ægyptios contra inimicos irruentes, adeóque se in illorum defensione sæpè bellicosè gessisse, vt strenui bellatoris nomen adeptus fuerit. *Vocatur hic vir pugnator,* scribit quæst. 1. *quia in terra Ægypti erat vir bellicosus, vt si fortè aliquando Ægyptij contra alias gentes pugnauerunt, & ipse illuc vadens in armis prosperè agebat.* Vides Israelitas Ægyptiorum causas agere, & illos contra inimicos defendere: vide quam gratiam Ægypitij retulerint ob patrocinium Hebræis: *Præposuit eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus:* nec his cõtenta est sæuitia, sed recens natos cum nulla humanitate condemnat: *si masculus fuerit, interficite eum; si fœmina, reseruate.* Dignè quidem ab Ægyptiis affliguntur, qui armis, & quibus tunc valebant viribus contra inimicos tutati sunt. Dignum sanè 23.

Seneca. Nullum vitium sine patrocinio.

Exod. 1. v. 11.

ſanè erat, vt Ægyptus tenebrarum regio, carniũ emporium, iniquitatis nundinæ plus malitia, quàm hominum copia referta ingruentibus hoſtibus euerteretur, & iniqua potentia fracta periret. Galaad viribus præualens inimícis reſiſtit; ſed dum improbos defendit Ægyptios, ſibi creat nocentiſſimos aduerſarios: vt diſcas vitiorum patronos ab improbis, quos vindictæ eripiunt, & malignitati reddunt, accipere ſæpiùs indignæ tutelæ pretium meritiſſimum ſanè excidium.

24. *Pro iniquitate*, aiebat Habacuc, *vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian:* Habacuc 3. v.7. Æthiopiæ tabernacula pro iniquitate decertant; verùm dum iniquitatem tuentur, laboribus ſe innumeris imprudentiſſimè addicunt: vnde Septuaginta legunt: *Pro laboribus*: quaſi idem ſit, & labores ſibi extremos conciliare, & iniquitatem defendere. Nicolaus de Lyra putat tentoria hæc Æthiopes deſignaſſe, qui Nabuchodonoſor in deſtructione templi tulere ſuppetias: qui poſteà prorſus euerſi, & in ipſa Nabuchodonoſoris curia cum eius filio Balthaſare debellati: *Vidi tentoria Æthiopiæ*, ſcribit, *ſcilicet turbata, & ſimiliter Madian: iſti enim populi fuerunt cum Nabuchodonoſor in deſtructione templi, & cum nepote eius Balthaſar fuerunt debellati.* Nondum propheticis oculis opus, vt turbata viderentur tentoria, quæ adeò improbo bello, & audenti in Deum Nabuchod. afferebant auxilium. Certè dum pro iniquitate ſtabant, excidio ſe deuouebant. Culpis ſubiici eſt humanæ fragilitatis, quæ dum incauta inhiat fucatis deliciis, ebibitis nocentiſſimis ardet venenis: hoc tamen qualemcúmque excuſationis habet colorem; vitia verò, vitiiſque infectos defendere, non tam ex fragilis naturæ, quàm proiectiſſimæ audaciæ: ergo dum pro iniquitate eriguntur tentoria, perturbationibus concutiuntur, & immenſis doloribus affligantur: *Pro laboribus vidi tentoria Æthiopiæ*: & qui grauiores, quàm omnino debellari, ac funditus ab inimicis euerti? Qui ergo improbo Nabuchod. ferunt contra virtutem ſuppetias, euerſionem ſibi maturant, & extremam ſtragem parant: *Iſti enim populi fuerunt cum Nabuchodonoſor in deſtructione templi, & cum nepote eius Balthaſar fuerunt debellati.*

Septuag.

Lyra.

25. Ionas ad proclamandam Niniue euerſionem delegatus latentem Dei ipſis minis miſericordiam perſenſit; & ne quem nimis amabat, honori ſuo mendacis intulerit notam, nauẽ Tharſos petituram conſcendit: admiſit fugitiuum nauis parata contrarias in regiones transferre; verùm ſuo inuenit Ionas artem conſilio valentiorem: nam cùm placidos, & tranquillos ſecaret fluctus, ingruit repentè procelloſa tempeſtas: horrendum ſibilant funes, gemit miſerandum antenna, carbaſa diſrupta flatuum violentia nauim committunt naufragio, nec valent tranſmittere ad portum: prora inter confuſos vortices non inuenit viam, ſcapha confuſis aquarũ voluminibus iam iactatur ad aſtra, iam deſtituta deſcendit ad ima: omnia clamor, & omnia timor: *Nauis periclitabatur conteri.* Ion.1.v.4. Et cur modò nauis aliis placidè nauigantibus ſuſtineat procellam? Quia Ionam, vt Domini præceptum temeraret, adiuuit: ipſe, quem tutatur, inobediens naui aſciuit calamitatem, vt abfuerit parum, quin periret: de tutela peccatoris laborat naufraga, quæ, ni tutaretur, ſecura. *Quid igitur hinc diſcemus?* aiebat Baſilius Seleucienſis orat. 12. *quòd partiaria fuerit, vti videtur, maris fluctuatio, quódque procella hanc vnam verſaret nauem, fluctuſque naui impingerentur vndique, & quod aliis pacatum mare aduerſus hos dumtaxat armaretur, necnon quod alios placidè tranſmitteret; cum his verò concurrens tempeſtas fugacem Ionam inueſtigaret.* Seleuc. Hæc vna nauis, dum audacem fouet, dum fugitiuum abſcondit, dum Numinis votis aduerſantem tuetur, fluctus in ſe armat, tempeſtatem aſciſcit, & ni indagatrice ſorte malum depuliſſet, illiſa ſuſtinuiſſet naufragium, & ad ſcopulos quaſſata omnibus extitiſſet exemplum: vitiis infici periculoſum; ſed peruerſis auxiliari non iam periculoſum; ſed ipſum quidem periculum: aliæ naues placidè tranſmittebantur: hanc vnam confuſa verſabat tempeſtas: quia hæc vna fugacem admiſerat, vtque fugeret, auxilium præſtabat: ſtatim ac fugientem depulit, & à ſe naufragium fugauit. Diſce e nauis periculo opem ad delicta improbis nequaquam offerre: amplecti miſeros, peccatores ſolari honeſta humanitas: fecit hoc cetus, dum iactatum prophetam ad obſcurum pectoris cubile tranſmiſit; at nauis admiſit, vt opem fugienti ferret: nauis ergo procellam patitur, cetus nullum experiebatur periculum: cetus namque conſulebat miſeriæ, nec opem præbebat fugæ; at nauis Prophetæ nutriebat audaciam, dum commodum offerebat ad fugam: nauis opem præbebat, vt fugeret: bellua gremio refouet, ne periret: nauis nutriebat ſtudium, cetus vitabat naufragium. Ergo peccatores refoue illorum miſeriis tactus; non tamen vitiis præbueris auxilium.

Hoc fortaſſis diuinæ patientiæ elogium, ſuſtinuiſſe ſcilicet aliorum peccata tegentes, & ſtudiis improbis auxiliantes. Adeſt Iſaias Chriſti Domini patientiæ diuitias exaggerans: *Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox eius foris: calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* 26. Profectò maiora patientiæ proferri poſſent ad ſpeciem indicia: iniurias non ſolùm ferre; ſed humanitate vlciſci, dolorum morſus, acerbos ſuſtinere caſus patientiam eximiam poſtulat; calamum tamen non conterere magnum tolerantiæ cenſum nullatenus videtur exigere, quandoquidem nec irritat iniuriæ dolor, nec ardet iracundiæ prouocatus iniuriis furor. Quod ergo in hoc calamo arcanum eſt vel Domini patientiam commendans? Forſitan explicuit Iob, dum calamum Leuiathan vmbras obtendere aſſeruit, quo liberius, & placidiùs dormiret: *Sub vmbra dormit, in ſecreto calami, & in locis humentibus.* Calamus Leuiathan ſomnum fouet, horridis ſpiris armatum latebris celat, & imis pectoribus venena vomentem vmbris contectum cuſtodit: hìc ergo plena patientiæ relucet pompa, quandoquidem improbis auxiliari ad exercendam malitiam, durè prouocat diuinam patientiam. Huc voco Tertullianum de patient. cap. 3. *Non contendit, non reclamauit, nec quiſquam in plateis vocem eius audiuit: arundinem quaſſatam non confregit, linum fumigans non reſtinxit: nec enim mentitus fuerat Propheta, imò ipſius Dei conteſtatio ſpiritum ſuum in filio cum tota patientia collocantis.* Culpas allectante voluptate

Iſai. 42. v. 2.

Iob 40. v. 16.

Tertull.

luptate commissas non punire magnæ patientiæ erat; at calamum potentiæ symbolum Leuiathan auxiliantem, & peruersitati audaciam de vmbra nutrientem non conterere amplissimum patientiæ censum requirebat; imò adhuc sub tota hac Dei patiẽtia calamus refertur quassatus, etsi non prorsus contritus: & quæ alia merces præter quassationem de improbo Leuiathani hospitio? Non poterat non quassari, qui Leuiathan didicerat refouere: hostes quassauit, quantumuis diuina indignatio patientiâ obsistente non contriuerit. Adde aliquando faciliùs Deum tolerare extremam hominis malitiam insanis appetitionibus inseruientem; rigidè tamen punire sceleribus auxiliantem.

27. Moysi Deus obiicitur rubo aculeis malitiæ pleno: profectò dum cuspides in Deum armat, ardentes flammas in se flabellat; verùm quas merebatur rubus de malignitate pœnas, Numinis refrænabat benignitas: *Videbat*, inquit, *quòd rubus arderet, & non combureretur*. Chrysologus serm.164. populi Iudæorum adumbratam testatur malitiam: *Diuinum rubus portauit, non concepit incendium: iam tunc aculeis malitiæ plenum, & ingratum cultura legis populum præfigurans.* Ingratissimum populum adumbrabat; non tamen anhelantibus flammis decinerescebat voratus, aut mascescebat consumptus. Vides rubum viuere indulgenter permissum; si iam acrior non erat vindicta, non exurere in ipsa radice stimulos; sed sentes crescere permittere ingratos. Et quidem rigidior peccati pœna iterata, & adulta culpa; verùm exterior pœna rubum non dehonestabat; sed flamma effectu sopito, & quasi fræno cohibita subsistebat. Excurramus ad Matth.21. vbi Dominus ficulneæ accedens foliis redundantibus satis pompaticæ; sed fructibus prorsus carenti intulit maledictũ, foliorúmque exiccauit ornatum: *Videns fici arborem vnam secus viam venit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tantùm, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea.* Et cur hic indulgentiæ non fuerit locus, cùm ibi flammis non tradatur stimulus: ficulnea non prodit fructus; sed nec sentibus sacri capitis aggreditur multiplicare cruciatus; at senticosa planta aculeis malitiæ plena, & omni peruersitate vestita: ergo aut rubus anhelanti tradatur incendio, aut ficus floreat libera maledicto. Ficum parentum peccata texisse constat, illísque Dei faciem fugientibus tradunt Patres auxilium præstitisse eiúsque sub vmbra celasse: arborem ergo improbis auxiliãtem dignissima punit mulcta, licèt plantam malitiæ aculeis plenam seruarit indulgentia. Adest Isidorus Pelusiota epist.51. *In hac re arcanus quidam sermo adnexus est à senibus sapientibus ad nos grassatus, nempe hanc transgressionis arborem esse, cuius etiam folijs ad corpus tegendum hi qui mandatum violarunt, vsi sunt, ac proinde Christus humano ac misericordi animo hoc ei imprecatus est.* Tegit ficus peccatores, fugientes Numen amplectitur; sed dum illis præbet vmbram, rigidam promeretur sententiam. Et vide qua pœna digna, quando misericors prædicetur Dominus foliis dispolians, fructibus interdicens, ac omni prorsus virore denudans. Quisquis improbis tulit auxilium, luctuosum sibi excitauit naufragium.

Exod.3. v.2. Chrysolog. Matth.21. v.19. Isidor Pelus.

§. VIII.

Torosas vires ostentat homo, vt militauerit voluptuosis; eneruis est, vt inseruiat honestis.

HOmo aliquando videtur geminus cùm sit vnicus: & quidem non sæpè bono studio; sed peruersitatis ingenio: si pro vitiis pugnandum, torosas vires ostentat, inuictum animum, quem nec sitis frangere, nec periculum valeat emollire. *Mutius*, aiebat Seneca epist.24. *ignibus manum imposuit: acerbum est vri, quantò acerbius si id te faciente patiaris? vides hominem non eruditum, nec vllis præceptis contra mortem aut dolorem subornatum, militari tantum robore instructum pœnas à se irriti conatus exigentem: spectator distillantis in hostili foco dextræ stetit, nec ante remouit nudis ossibus fluentem manum, quàm ignis illi ab hostibus subductus est. Facere aliquid in illis castris feliciùs potuit, nihil fortius.* Expauescis, dum ferream spectas audaciam, & flammas carnem; sed dextræ fortitudinem non liquantes: fecit ille, & sui admirationem posteris dereliquit, nullis virtutis præceptis eruditus; sed militari quadam temeritate obarmatus. Vicit dolorem constantia, flammarum vires est supergressa valentia. Mutium vnum celebrauit antiquitas, cùm plures, & virtutis occasiones eludant, & imbecillitatis sæpè sæpiùs causas prætendant. *Illos, qui ambitu obeunt capessendi magistratus*, scribit Tertullian. lib. de pœnit. cap.11. *neque pudet, neque piget incommodis animæ, & corporis, nec incommodis tantùm; verùm & contumelijs omnibus inniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant, cui non atria nocturnis, & crudis salutationibus occupant, nullis conuiuijs celebres, nullis comessationibus congreges; sed exules à libertatis, & lætitiæ felicitate: idque tantùm propter vnius anni volaticum gaudium.* Dura tolerant ambitores, vtque vanissimis adulentur studiis, laboriosis dicantur, & auri, & salutis dispendiis: noctes ponunt insomnes, non defatigantur, non pedem referunt; sed in causa votorum, & quidem euanidorum enituntur aduersus fortunæ flatus, & infelicitatis aspectus. Quòd si pro virtute certandum sit, iam lassescunt manus, vires deficiunt, pedes nutant, & sexcenta infelicitatis retardabunt incommoda. Galaad in nostro textu appellatur per antonomasiam pugnator: *Galaad, qui fuit vir pugnatori habuitque possessionem Galaad, & Basan.* Disputat Abulensis, cur dictus fuerit pugnator, resoluítque non fecisse sibi nomen à præclarè gestis in terra promissionis; sed in Ægypto, vbi pro Ægyptiis, in illorúmque obsequium contra nationes exteras militabat. *Vocatur vir pugnator*, scribit quæst.1. *quia in terra Ægypti erat vir bellicosus, vt si fortè aliquando Ægyptij contra alias gentes pugnauerunt, & ipse illuc vadens in armis prosperè agebat, factus sit strenuus bellator.* En Iosephitæ strenuè pugnãt pro Ægyptiis; cùm tamen pugnare adeò strenuè voluerint nullatenus pro præceptis: *Nec potuerunt filij Manasse has ciuitates subuertere*, inquit textus; *sed cœpit Chananæus habitare in terra sua.* Imbecilles non possunt, vt præceptis obsequantur

28. Senec. Tertull. *Ambitio cõmoditatis exilium.* Abulens.

quantur depellere Chananæum, cùm fortissimi hostem depulerint pro Ægyptiis. Qui in Ægypto pugnator, in terra possessionis suæ non adeò strenuus. *Si quis dare vellet*, addit Abulensis, *quòd tanto tempore viuere potuisset, manifestum est, quod non posset tunc pugnare, ita vt vocaretur vir bellator, quia ceperit terram possessionis suæ, scilicet montem Galaad.* Aliæ in Ægypto, & aliæ in terra promissionis Galaad vires non adeò strenuè pugnauit, vt terram nomine suo appellatam ab hoste tulerit: militauit tamen pugnacissimè, vt Ægyptum armis defenderit: pro hostibus pugnans (Ægyptij namque odio immortali prosequebantur Hebræos) adeò inuictas vires habuit, vt pugnatoris cognomen acceperit. Et quidem ita est: indefatigabili duraque obstinatione cupiditati seruitur, præceptis tamen obsequium ignauè satis impenditur.

29. Cant. 1. v. 8. Sponsa hœdos agebat, & quidem caprarum, ac hœdorum grex altiuagus, & inquietus: *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Profectò gregem curandi labor satis ærumnosus est: horridi gelu sustinentur glacies, torridi æstus adurunt solis, dies solicitus, nox inquieta, & ferè continui per ardua gressus: quòd si communi labori addas non curari gregem pecuinum, & mitioris ingenij; sed hœdos altiuagos, & inquietos, iam plurimum accrescit labor: teruntur namque vires, & vel robusti defatigantur pastores; sponsa tamen hœdos agit, & fœmineæ fragilitatis oblita ignorat sexum, virile robur imitatur, & in laboribus duram quodammodò pertinaciam obseruat. Transi modò ad sponsum fores pulsantem: aduentarat ille sponsæ amore incensatus, montium transiliens prærupta, rore plenus, & cultis olim cincinnis iniuriis pluuiæ Cant. 5. v. 2. fœdatis: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Ad tam dulces sponsi affatus, audi quid inciuilis respondeat sponsa: *Expoliaui me tunica mea, quomodò induar illa? laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* Nudis pedibus vel exiguum cubiculi tractum peragrare recusat, vt dilecto, tantisque blandimentis allicienti ianuam aperiat: detrectat gratis se cubilis subtraxisse fomentis, recusat nudatas iterum corpori vestes aptare: mira res: si adeò delicata, & mollis sponsa, vt pedibus incedere fugiat, vt frigoris iniurias pertimescat, quomodò agebat hœdos rupes calcando, & ardentissimos soles ferendo? Profectò à se prorsus videtur desciuisse, dum hœdos agit, aut dum sponso aperire refugit: si adeò delicata, quomodò ad hœdos agendos prompta? & si laboribus indurata, quomodò terrã nudis pedibus premere timida? Quia diuersissima sunt instituta: alibi namque pascit census, alibi allicitur ad virtutem: & quæ præ mollitie, teneritudineque nec pedibus inniti potest; vt pascat hœdos, per rupes, per montium prærupta, per præcipitiaque inuolat anxiis gressibus; Interlin. imò & acceleratis volatibus. *Pasce hœdos tuos*, Gregor. inquit, Interlinearis, *nutri prauos motu carnis.* Grgorius apud Glossam annuit: *Per hœdos immunda cogitationes designantur.* Ecce quam sibi dissimilis, dum vitiis inseruit, & dum inseruit virtutibus: noctes ponet abacto somno, vt motibus carnis indulgeat, & erroris occasionem profunda sibi nocte procudat: ibit, redibit, expectabit, despiciet gladios, conculcabit pericula; vel ferarum se exponet dentibus, vt nutriat hœdos, quæ solum pedibus premere, vt sponso aperiat, vt vocibus sibi vtilissimis annuat, teneritudinem, & mollitiem allegabit. Surgere non potest Christo, quæ vagari per prærupta didicit hœdo. Ad rem Iuuenalis satyra 6. Iuuenalis.

——————Iusta pericli.
Si ratio est, & honesta timent, pauidoque gelantur.
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis:
Fortem animum præstant rebus, quas turpiter audent.
Si iubeat coniux, durum est conscendere nauim.
Tunc sentina grauis, tunc summus vertitur aër.
Quæ mæchum sequitur, stomacho valet: illa maritum.
Connomit; hæc inter nautas & prãdet, & errat.
Per puppim, & duros gaudet tractare rudentes.

Iam hoc lamentabatur Propheta. *Foderunt sibi cisternas, cisternas, dissipatas, quæ continere non valent aquas. Numquid seruus est Israel, aut vernaculus?* Israel deliciis innutritus, & delicatè educatus, dum dissipatas sibi cisternas fodere laboriosè exambiuit, serui vernaculique sudores nullatenus refugit; huic tamen, vt appetens effugiat periculum, fossam humum ostendere est opus: *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius.* Et cur humus effossa pro asylo ostenditur Israeli, quando cisternas sibi fodere vernaculorum munus vsurpans, nullatenus detrectarat: fodiat tellurem ad effugium, qui cisternas effoderat ad delitium; imò ob id ipsum, inquit Bernardus super Isaiam in allegor. Tilman. alibi infoditur terra, & ostenditur alibi fossa: nam dum vocatur homo, vt saluti suæ prospiciat, vt appetens frustretur periculum, vt virtuti consulat, se humum fodere non posse dicet, & quod olim in Euangelio, allegarit; at vbi voluptatibus inseruiendum, seruulorum munus subibit, & terram indefesso ligone eruet, nec quicquam. quantumuis laboriosum, omittet: *Infirma adhuc & inerti anima, quæ iuxta quod in Euangelio quidam de semetipso confitetur, fodere non valet, & mendicare erubescit, fossa ostenditur humus vt lateat, donec conualescat & proficiat.* Inualidis viribus, & malè firmis adscribit se non posse humum fodere, vt abscondatur à sæculo, at vbi opus est altissimam humum fodere, vt inseruiat vitiis nec vires deficiunt, nec robur lassescit, nec defatigatur manus, nec caligat oculus. Quàm benè Seneca. *Nolle in causa est, non posse prætenditur.* Iam in cisternis voluptates depingi non dubium. *Foderunt sibi*, exponit Lyra, *id est, cum diligentia & labore quæsierunt cisternas dissipatas, id est, idola nullam vitæ virtutem in se nec in alijs habentia.* Vt idolis inseruiat, diu noctuque laborat; vt pulchritudini fucatæ & mentitæ placeat, imbres sustinebit & gelu: dormitabit in sacro, qui alta nocte non dormitarat in vitio.

Margin notes to this paragraph: 30. Ier. 2. v. 13. — Isaiæ. 2. v. 10. — Bernard. — Senec. — Lyra.

Plures Christi discipuli piscatum tendunt, obnoctant, retia semel & iterum iactant, situs variant, & omni studio desudant: mane albicante magister littore stetit, vt quibus iactabantur, timoris fluctus componeret, & pauidos ad antiquæ fidei stationem reduceret: *Numquid pulmentarium habetis?* rogat, non vt inquirat; sed vt insultet. Rubore suffusi nihil se tota nocte 31. Ioan. 21. v. 5.

prendi

prendidisse testantur: tunc magister rete in nauigij dexteram iactare monet: *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* O quàm obcæcabantur, qui dexteram omiserant, & labore requirebant sinistram: missum ad dexteram rete piscium ditatur copia; imò ferè rumpitur affluentia: *Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* (Chrysolog.) Chrysologus vt erat acutissimo ingenio, inquirit, cur plures, & validi piscatores rete non valeant trahere, quando piscium amplissimus non proditur numerus: centum námque erant, & quinquaginta tres. Si ibi erat Petrus, Thomas, Nathanaël, filij Zebedæi, & ex discipulis aliis duo, quomodò in trahendo reti fatigabantur, qui facillimo negotio maiorem summam extraxisse posse videntur. O expende in quam partem rete missum, scilicet in dexteram, in virilem partem, in obedientiæ obsequium: hic ergo lassescunt manus, hîc vires flacescunt. Audi Chrysologum serm. 78. *Miserant in dexteram, miserant in virilem partem; sed vt pueri adhuc trahere non valebant.* Si in sinistram misissent, de more trahere possent; quantumuis rete piscibus magnis repletum, & ingenti pondere prægrauatum: quia tamen in virilem partem miserant, inueniebantur iam pueri, ad labores imbecilles, ad virtutes molles ad obedientiæ, & magistri obsequia inertes: *Trahere non valebant.* Et quare? *Quia miserant in virilem partem.* Res familiaris semper alienæ inopiæ leuandæ angusta; aleæ verò lautissima. Caput, & stomachus ieiunia respuunt, nec præ dolore vel tantillum abstinere à cibis possunt; cùm tamen ad consulam ciborum congeriem decoquendam, & stomacho calor, & capiti semper sit vigor. Excurre per vitiorum latissimos campos, & per angustiores virtutis limites, & inuenies eundem hominem in virtutis regione prorsus eneruem, & viribus destitutum; in vitiorum tamen prouincia robore ornatum; & viribus ingentissimis sæpe præditum.

---

§. IX.

Eximia virtus priorem sibi locum vendicat factis, quamuis naturæ inferior sit titulis.

32. NAsci eximia nobilitate præditum felicitatis est; imò, & stimulus quidem ad virtutem, quandoquidem ad filios, si dici liceat, videatur hæreditate transfusum, quod resplenduit in parentibus allaudatum. Oriri naturæ priuilegiis nudatum speciem habet infortunij; verum dum quisque sibi dat mores, & vincere potest naturæ iniuriam, & sibi laudabili industria elaborare excellentiam. (Cassiodor.) *Nullum maius potest esse compendium,* aiebat Cassiodor. 9. var. 23. *quàm laudibus successisse maiorum.* Cassiodori pace dixerim augustius elogium esse maiorum laudes nobiliter obscurasse, aut, quod natura negabat, de egregiis factis quæsisse. (Senec. *Sibi quisque dat mores; ministeria casus assignat.*) *Non ministerijs illos æstimabo,* aiebat Seneca epist. 47. *sed moribus: sibi quisque dat mores, ministeria casus assignat.* Signat natura nascendi priuilegia: ille ex eisdem parentibus satus fratrum exortus est Princeps, cùm alter temporis destitutus suffragio penè seruorum referatur in numerum; at erectus animus ex seipso excitatur, & prouocatus ad magna, quantumuis illum aliis postposuerit natura. *Alexander puer,* scribit in apophthegm. Plutarchus, (Plutarch.) *etiamnum multas referente victorias Philippo non lætabatur; verùm contubernalibus suis dicebat: Nihil mihi reliquum faciet pater?* Ea ardebat animi generositate, vt cuperet non hæreditariam habere gloriam; sed egregiis sibi factis æternare sæculis famam. Manasses, & Ephraim Iosephi filij, Manasses naturæ priuilegiis ornatus, & ortu primus; Ephraim secundus, & tempore inferior; verùm sic gloriosis facinoribus clarus, vt fratri antelatus fuerit: *Cecidit sors Tribui Manasse: ipse enim est primogenitus Ioseph.* Et cur, si primogenitus, fratri in sortium adsignatione postpositus? Quia & militari virtute clarior, respondet Abulensis, & virtutibus, excellentior: quæsiuit à factis, quod obtinere naturæ non poterat priuilegiis: & primus antecessit per arma, qui secundus fuerat natura. *Quamquam Manasse,* verba sunt Abulensis ad hoc caput, (Abulens.) *esset primogenitus secundum carnem, Ephraim prælatus fuit ei ibidem. & posteà in omnibus: nam vnum de quatuor vexillis Hebræorum in deserto denominabatur à Tribu Ephraim, & Tribus Manasse erat sub illo vexillo Numer. 2. capite.* Ephraim à se petiuit, quod natura illi negauit. O quàm repetere posset de nostro Ephraimo (Cassiodor.) Theodahadus rex 1. var. 43. *Licèt esset clarus in patria; nostram tamen elegit subire fortunam superans gratia magnitudine iura naturæ.* Naturæ leges de virtute obliterauit, & illis laudandam violentiam intulit, dum minor natiuitate, excellentior antecessit virtute.

Stellio manibus nititur, scribit Salomon, *&* 33.
moratur in ædibus regis. Sugillatio videtur rega- (Prouerb. 30.)
lis œconomiæ, non aquilæ; sed stellioni nidulum præbuisse: aquila altipeta, regali nobilitate, celsa origine prædita, Ioui sacra, nec regum domibus habitare refertur, cùm stellio alis destitutus obtinere altissima referatur. O quoties acquiritur manibus auro sanè plenis, quod pernicibus obtineri non potest alis! De hoc alibi: hic verò ad stellionis laudem dictum putarim, scilicet adeò industrium, adeò virtutibus decoratum, vt naturæ, quibus nudatur, priuilegia excuderit sibi laudabili industria, & præcesserit ob virtutem, quibus postponendus ob naturæ conditionem. Ita Gregorius lib. 6. moral. cap. 5. (Gregor.) *Plerúmque aues, quas ad volatum penna sublevat, in vepribus sedent: & stellio, qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus regis ædificium tenet: quia nimirum sæpè ingeniosi quique, dum negligentia torpent, in prauis actionibus remanent, & simplices, quos ingenij penna non adiuuat, ad obtinenda æterni regni mœnia virtus perationis leuat.* Ab actibus stellio quæsiuit alas, ad instárque pennarũ inuolauit virtutibus: eminuit altior, qui naturæ lege demissior. Certè quod videbatur intulisse natura probrum, ad gloriæ processit suffragium, quando sine maiorum exemplis posteris imitanda reliquit: non est generosus equus, quem sessor calcari sæpiùs irritat; sed qui ex se vel sessoris frustratur studium, & anteuertit cursu pernicissimo desiderium: excelsior emicat stellio de honestis actis, quantumuis altipetis à natura nudetur pennis.

Zachæus

34. Zachæus statura pusillus sicut cæteræ nationes Dominum videndi desiderio felici exarsit: cúmque cæterorum proceris staturis impediretur, excogitauit, quæ cæteros superaret, industriam, & altam inscendit plantam. [Lucæ 19. v. 3.] *Quærebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba: quia statura pusillus erat, & præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus.* Ecce eminet cæteris altior, qui cæteris modò pusillior: quæsiuit namque ab actione, quod auara illi denegarat natura: præ cæteris eminuit arbore, qui paruus præ cæteris corpore: adeò degit altus, vt necessum fuerit Christum Dominum oculos leuasse, & suspicere: *Suspiciens Iesus vidit illum.* O felicem, qui factis obtinuit, quod nouerca illi natura negauit: pusillitas ipsa honestæ ambitioni iniecit stimulos, & laudabili superbia voluit excellere factis, qui cæteris minor corporeis mensuris. Zachæo accommodo Cassiodori verba in gnomologia verbo, Filius: [Cassiodor.] *Hi gratiam non de natura; sed de solis meritis habent.* Merita pro natura fuerunt, & iam gigantæa altitudine procerus, qui origine despiciebatur pusillus: *Tanquam formæ gratiam naturalis*, scribit Ambrosius, [Ambros.] *ascendit in sycomorum, vanitatem scilicet Iudæorum vestigio suo prætereens.* Gaudebat Iudæus se procero corpore natum; Gentilis se lamentabatur pusillum; verùm Zachæus gentilis ænigma per ardua manibus, & pedibus nitens ad illud altitudinis fastigium peruenit, vt qui antea fuerat despectui, gloriosè iam proponatur æmulationi. Inscendit in arborem sycomorum, & quam non habebat naturalis formæ gratiam de ortu, industrius quæsiuit de ascensu. Nullus iam malignitatem criminetur naturæ; infortunatum nullus allegauerit ortum, quando Zachæus actionum luce tenebras detersit originis, & conspicua adeptus est priuilegia claritatis: altior eminet, qui olim depressior: peperit illi industrius laudabilisque conatus, quod maternus non dederat vterus.

35. Forsan elegantis emblematis penicillo hoc descripsit nobis Ezechiel Propheta illâ sæcula peruagante quadriga: hominem leonémque collocauit in dextris: aquilam de extento collo excellentiorem cæteris dixit; bouem tandem inferiori loco adsignauit: [Ezech. 1. v. 10.] *Facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor; facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor: & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Bos telluris laboribus addictus, & gemitibus natus locum naturæ debitum est sortitus: & quidem, dum bos, diuinam œconomiam dehonestare videretur, si primum locum nobilioribus præripuisset, & indigesto ordine præoccupasset; verùm dum Propheta ad 10. caput iterum animalia recenset, iam non facies vituli; sed Cherubini vultum aspexit: nec iam postremo loco; sed primo: [Ezech. 10. v. 14.] *Facies vna facies Cherub, & facies secunda facies hominis, & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ.* O fortunæ ludum! quæ aquila cæteris nuper eminebat, locum vltimum modò occupat; & qui quartum bos, iam obtinet primum. Miror sanè aquilam quarto loco nomen aquilæ conseruasse; nec bouem apparuisse; nam quantumuis leuauerit ala, habetur hebes, quem aduersa depressit sæpiùs fortuna. Benè hoc ad humanam politiam: hic tamen doctrinam nobis Propheta deprimit arcanam, scilicet bouem posse factis exuisse naturam, & Cherubinorum laudando furo adaptasse sibi excellentiam: bos primus effectus est, quia de boue non præstigiosis incantamentis; sed honestis artibus transiuit in Cherubinum. *Immutationem in ipsis quòque Cherubim conspexerat,* [Theodor.] scribit Theodoretus orat. 3. *ibi enim primam faciem homini similem dixit fuisse; secundam leoni, tertiam vitulo, quartam aquilæ; hic autem ordine conuerso, & faciem primam Cherubim, quod est vituli, dixit vidisse.* Quia vitulus se quodammodò ingessit in Cherubinum, primus numeratur: supremum adeptus est locum, non de naturæ priuilegio; sed de Cherubinorum consortio: mutatus est in superiorem naturam, & quantumuis originis ordo decreuisset postremum ipse de nobili operatione locum sortitus est primum.

36. Ioseph penè fratrum vltimus somnium vidit, quod fratribus animo syncero retulit: [Gen. 37. v. 7.] *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrósque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* O quàm sanctum, quam securum est secreta non prodere; sed silentio alto signare! Refert fratribus; sed armat in se inimicos: vel ad somnia extenderunt inuidiam, & quidem natura Ioseph maioris fratris fastigium adorare iubebat: quomodo ergo adoraturus, à cæteris proponitur adorandus? Profectò apparet somnium, quod naturæ depellere nititur priuilegium. Vteri ordo Iosephum cæteris inferiorem constituit: quid ergo euanida phantasia proponit altiorem? O eximiam Iosephi laudem! natura refragabatur eius fastigiis; imò adoratorem faciebat; sed asciuit à virtute quod ab ortus nequibat ordine, primus, & ferè postremus, postremus de naturæ iniuria, primus de gratiæ calamitates perferens, fluctus enauigans, pudicitiam eximiè colens cæteris fratribus antecessit, & laudabili virtutis industria naturæ supergressus est priuilegia. Quid interest Ruben primogenituræ fruatur prærogatiua, si detestanda amittit incontinentia? Et quid interest Ioseph primæ originis careat gloria, si conciliat sibi primatum de pudicitia? naturæ ordine seruus, inuidia fratrum vernaculus gestis euasit gloriosis dominus: adorant fratres, quem sibi olim inferiorem despexerant: nec obfuit naturam illi primogenituræ negasse gloriam, quando virtus contulerat reuerentiam: *Hoc illo Ioseph tunc impletum est,* scribit August. in serm. 81. [August.] de tempore, *quando eum in Ægypto adorauerunt fratres sui, & non incongruè coacti sunt steriles manipuli fructuosum manipulum adorare, per quem de famis periculo liberandi erant.* Profectò si non steriles, sine coactione adorassent: eximiis namque virtutibus præditi alienas laudes lubenter referunt, & elogiis dignis extollunt; at prærogatiuis, excellentiísque destituti nullatenus alienam fatebuntur excellentiam, nisi cogantur. Manipuli vtpotè fructu carentes Iosephi manipulo inuidi; ille tamen de fructu eleuatus illorum vanitatem soliditate deuicit, & adorandos naturæ legibus, in virtutis obsequium compulit adorare: sanciuit virtus, quod denegauerat ortus, & Ioseph inuentus est primus, qui ordine naturæ ferè postremus. Hoc idem in Dauide contemplabatur Seleuciensis Basilius, quandoquidem paruulus ætate inauguratus

Seleuc.

gratus est inter fratres primus virtute. *Cælesti approbatione*, inquit orat.14. *dignitatem consecutus, subitóque primus fratrum comperiebatur, qui postremus: ordóque naturæ cedebat gratiæ, & legis partus succumbebat.* Partus lex præferebat fratres; sed Dauidem inuictæ prætulere virtutes: vt nostra thesis verissima appareat, scilicet eximiam virtutem priorem sibi locum vendicare factis, quamuis naturæ inferior sit priuilegiis.

---

§. X.

Quæ sine dignitatis culminisve suffragio nomen sibi facit, eximia probatur virtus: nam plausus non tam personæ penditur, quàm fortunæ.

37. Senec.

ERrare mihi visus est, aiebat Senec. epist.67. *qui dixit: Gratior est pulchro veniens e corpore virtus:* annuam, si de ipsa loquitur honestate; inficiabor tamen, si de virtutis apud alios loquatur æstimatione. Certum est sub deformi habitu eximiam posse latere virtutem; verùm si malè collocatus optimus animus, apud alios eam, quam sub pulchro corpore, non facit fidem. *Potest ex casa*, addit Stoicus, *vir magnus prodire, potest ex deformi, humilique corpusculo formosus animus ac magnus: quosdam itaque videtur mihi in hoc natura tales generare, vt approbet virtutem omni loco nasci.* Ita quidem: rex habitare potest casulam, palatium obscurus; verùm prima frons & alteri conciliat venerationem, & alterius obscurat quodammodo dignitatem. *Hæc nostra sunt oblectamenta*, scribit Cassiodor.7.var.5. *potentiæ imperij decora facies, testimonium præconiale regnorum: hæc legatis sub admiratione monstrantur, & prima fronte talis dominus esse creditur, quale eius habitaculum comprobatur.* Animus per oculos informatur, & oculi sub obscuritate caligant, & quod non lucidum sæpe sæpius ignorant. *Antigonus*, scribit Plutarchus in Apophtheg. *Dianæ Sacerdotem contemplatus forma mire venusta, repente mouit Ephesso.* Splendor, pompatica stola, vestium candor, niueus, & purpureus amictus sub admiratione videbantur, nec quid non diuinum ibi creditur habitare, vbi adeò constat augustum lumen intuentibus resplendere. *Iphicrates*, scribit Plutarchus vbi suprà, *Hermodio prisci Hermodij progeniei, qui natalium ei obscuritatem obijciebat: Nobilitas, inquit, à me mea orditur, tua in te expirat.* Hermodius, vt virtutis Iphicratis famam obscuraret, originis obscuritatem obiecit, quasi in sordido & obscuro virtus habitare renueret, & ornare detrectaret. Fallus est; verùm sua obiectione ostendit natalibus obscuros aut fortunæ iniuria depressos nullam aut exiguam opinionem apud cæteros sortiri, quasi obscura fortuna virtuti animi non potuerit non refragari. Et quidem, vt quod sentio, dicam, magnus animus omnia sibi obstantia perrumpit; verùm si fortuna depressior, semper censetur & ipse minor. Vnde qui magnum sibi nomen sine diuitiarum suffragio, sine auxilio culminis comparauit, eximiæ virtutis fuisse probatur, quandoquidem rarus aduersante fortuna magnus habetur. Galaad in nostro textu pugnatoris nomen obtinuit: *Galaad, qui fuit vir pugnator.* Hoc nomen sub Ægyptiorum seruitute sibi comparasse tradit Abulensis quæst.1. *Vocatur hîc vir pugnator: quia in terra Ægypti erat vir bellicosus.* O quàm acerrimæ probatur fuisse virtutis, quando nomen sibi fecit vel in ipsa terra captiuitatis! Qui in multo conchylio splendent, qui dignitatis fastigio lucent, ad instar Numinis suspiciuntur, opinionem conciliante aut adulatorum audacia, aut demirantium amentia. *Sagitta crure eius icto*, scribit de Alexandro Plutarchus vbi suprà, *vt confertim concurrerunt, qui frequenter erant eum Deum salutare soliti, gestienti vultu: Hîc sanguis, inquit, est, non liquor.* Vulneratus habetur humanus, qui victor pronunciabatur diuinus. Vel idola, aiebat Tertullianus, de suggestu, de pompa, & apparatu fidem sibi adstruunt, & baptismi aqua toto Spiritu sancto informata, de simplicitate habetur apud ethnicos despecta. *Nihil adeò est*, inquit lib. de baptismo, *quod obduret mentes hominum, quam simplicitas diuinorum operum. Mentior, si non è contrario idolorum solemnia vel arcana de suggestu, & apparatu, déque sumptu fidem, & auctoritatem sibi extruunt.* Sumptus & apparatus diuinitatem mentiuntur, & dum falsò splendore oculos verberant, animos stupentium mendacio informant. Aquam venerationem sibi conciliasse sine apparatu, sine sumptu, Numinis testatur omnipotentiam, & virtutis exundantiam.

Virtus omni loco nascitur.

Cassiodor.

Ædificia exterio magnitudine produnt inhabitatores.

Plutarch.

Abulens.

Plutarch.

Alexander se ex vulnere hominem agnouit.

Tertull.

Moysem delegit Deus, quo Pharaonis tyran- 38.
nidem reprimat, & afflictissimis Hebræis spes lætiores concipere faciat: regiam ingressus populum deposcebat exolui; verùm nequissimus Pharao, quia rationis contemnebat edicta, exigebat omnipotentiæ miracula: Moysis baculus in terram proiectus animatur non sine intuentium stupore in serpentem, cumque multi dracones circa illum voluerentur præstigiis Magorum adducti, veluti pisciculos deuorauit: *Tulit Aaron virgam coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Hoc tam manifestum prodigium omnem vel iniquis animis suspicionem exemit nullis artibus ad ludibrium excogitatis fieri; sed virtute patrari; verùm Pharao euidentiæ opposuit durissimam peruicaciam. *Induratum est cor Pharaonis, & non audiuit eos:* cúmque vindictæ cursus ad eam Pharaonem necessitatem adegisset, vt abire Hebræos exertis clamoribus adurgeret, populusque vinculis iam solutus per marinos vortices, marisque profunda siccis gressibus inuolaret, improbâ pœnitentiâ ductus properantes insequitur, & ad seruitutis iugum iterum trahere conatur. Quid tunc? Dei Angelus fulgidissimæ columnæ throno insidens, regiámque affectans maiestatem, Pharaonis audaciam cohibet, & consilium retractare compellit: *Tollénsque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis.* Pharao luce percussus. *Fugiamus, ait, Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Statim pungit scrupulus: si virgam illam serpentem animatum Christi Domini clarissimum ænigma despexit, cur Angelum Dominum suspiciat, & Deum inclamet? *Virga serpens facta est*, scribit Isidorus in quæstion. in Genes. cap. 12. *quoniam qui erat filius Dei ex Deo patre natus, filius hominis factus est.* Si ergo serpens est Deus, cur à Pharaone contemnitur? Etsi

Exod.7.v.10

Exod.14. v.19.

Isidor.

Etsi Angelus Deus non est, cur Dominus appellatur? Expende circumstantias, & quæstionis solutionem inuenies. Virga proiecta humi serpit, speciem maledictionis assumit, vltimam sustinet speciem fortunam; at Angelus elato fastigio, nube splendoribus insertis fulgida micat, & de throni magnitudine habetur pro Deo Angelus, si Deus serpentis facie personatus humi adrepens habetur semper despectus. Innuit Caietanus: *Ex hac confessione insinuatur quod ex illa columna nubis, quæ erat in aere inter Israel, & Ægyptios, sensibilis actio emanabat contra Ægyptios persequentes Israelem; alioquin non dixissent: Fugiamus Israelem: quia Iehoua pugnat pro eis contra nos.* Conducebat columna, vt Ægyptius insidentem putaret Deum; alioquin nullatenus inclamarent; sed vti serpentem despiceret. O quoties summis litteris præditus, & eruditione ornatus despicitur, si pannosus: & habetur habes Apollo, si fortuna aspirante niteat, & habitu externo fulgeat. Hic est frequentissimus mortalium error: non coarguimus oculos; sed prima specie informamur: vtque clariùs videas, expende arcanam illam Ezechielis visionem.

Caietan.

19. Quadrigam intuetur, cuius sacratissimis, & felicissimis locis quatuor animalia nobiles subdidere ceruices; imò quia subiectæ, nobiles, & ingenuæ parum, si liberæ: homo, leo, aquila, vitulus: *Facies hominis, & facies leonis a dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Iterum visio Prophetæ obiicitur; sed ordine tantisper inuerso: *Facies vna,* inquit, *facies Cherub, & facies secunda facies hominis, & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ.* Cùm propheticis oculis nec distantia obstet, nec proximitas aliter repræsentet: attentiùs expendendum est, cur modò vitulum vocauerit Cherubinum, aut cur anteà Cherubinum dixerit vitulum? Ibi aiebat: *Facies bouis a sinistris ipsorum quatuor: hic facies vna,* id est, vt fert Hebræorum phrasis, prima, *facies Cherub.* Quid moroso animali cum sapientissimo Cherubino, aut quæ similitudo Cherubini cum bruto? Et ne aliquod putaremus ex illa prima visione animal subtractum, aliúdque eius loco substitutum: addit Propheta: *Ipsum est animal, quod videram iuxta fluuium Chobar.* Si ergo eisdem humeris vtrobique fertur quadriga, qua metamorphosi vitulus migrauit in Cherubinum, aut quo infortunio Cherubinus in vitulum? Quæstionis facilis enodatio: loca, vt sæpè in mundiali alea, sunt variata; & quod vltimum constituebatur animal, iam emicat primo, vtque acutissimo penicillo, quod mundo accidit, depingat Propheta, Cherubinum extremo loco abiectum vitulum appellauit, & vitulum primo loco constitutum Cherubinum dixit: quasi cum ipso loco mutata fuerit natura, & cum fortuna substantia: quantumuis rudis sit bos, si primum occupauerit locum, appellabitur Cherubinus; & quantumuis Cherubinus, habebitur, si postremo loco, vitulus. Innuit Theodoretus orat. 3. *Ibi primam faciem homini similem fuisse dixit, secundam leonis, tertiam vitulo, quartam aquilæ; hic autem ordine conuerso, & faciem primam Cherubim, quod est vituli dixit vidisse.* Vbi ordo inuertitur, & appellatio mutatur: plures nám-

Ezech. 1, v. 10.

Ezech. 10. v. 14.

Theodoret.

que de fastigij priuilegio laudantur, & immeritis adulationibus extolluntur: qui dignitate nudi despicerentur rudes, & boues haberentur inertes, si culminis dignitatem inscendant, iam cum fortuna mutatur ingenium, quia in aliis mutatur adulationis studium.

Dominus luce mundum properat dealbare, tenebrásque depellere: *Dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux.* Lux vocabatur, & formabatur: properabat obedire, quia gestabat resplendere. O quàm incunctanter commodis obeditur præceptis! quàm morosè obtemperatur ingratis! Verùm etsi lux Dei voce obstetricante prodierit, iterum luminaria cælo inseruntur, & iterum procreantur: *Fiant luminaria in firmamento celi, & diuidant diem ac noctem.* Soliciti indagant interpretes, an eadem lux primo die producta posteà sit cælis inserta. Basilius, vt à philosophiæ examine abstineam, censuit primæuam eam lucem incorpoream extitisse; posteà verò vehiculum creatum esse, quo lux illa cælo totata micaret. *Primo die*, inquit hom. 6. in Genes. *ipsa natura lucis producta est, quarto autem die Solis corpus, vt esset illi primogenitæ luci vehiculum, est conditum.* Si primo die lux condita, quomodo quarto referatur producta? aut si quarto producta, quomodò primo dicitur efformata? O ad mores Basilij ingenium! Primo die producta est lux; sed quia quo rotaretur, vehiculum non habebat, nondum plenum lucis titulum sortiebatur; quando verò pompaticum vehiculum Solare corpus construitur, tunc denuo quodammodo producta refertur: quasi modo lux esse inceperit perfectè de plausu, non anteà altitudinis, vehiculique defectu. Lux fastigio non collocata, videtur infecta; dum eleuatur, producitur; quia tunc apud homines luminare magnum habetur; imò si, vt aliquibus placet, lux primo die producta, quarto in sydera varia diuisa, quem titulum tota simul magni luminaris de splendoris ditissimo non habuit censu, vel imminuta posteà est sortita deaurato curru: plausus nėmque vt plurimum non tam personæ penditur, quàm fortunæ. Strenuus ergo præliator noster Galaad euincitur, quando in misera adeò fortuna de fortitudine lucratus est plausum, de campo titulum. Tota lux sine fastigio non habetur luminare magnum; vel minor de altitudine luminare deprædicatur eximium.

40. Gen. 1. v. 3.

Basil.

---

§. XI.

Quæ prudentiæ pudicitiæque student fœminæ, & nominis æternant famam, & diuitiarum non semel sortiuntur copiam.

PRudentia felicitatis est parens, indefessa gloriæ scaturigo, & æterna famæ propago: 41.
pudicitia humanæ naturæ decus, Angelorum cognata, virtutum facies venusta, & vel ab impudicis suspecta; verùm etsi laudentur hæ virtutes in viris, præcipuè vti rariores commendantur in fœminis. Mulier prudens pudicáque nominis æternat gloriam, & de virtute procudit sibi fortunam. *Tunica loco*, aiebat Plutarchus in

Plutarch.

in præceptis connubial. *amicit se pudica pudore.* Ita ſanè : nam veſtis loco pudicitia & honeſtas fœminam virtutis ſtudioſam exornat,& vti eximiè cultam commendat ; at quæ petulans , quæ imprudens,non ſemel,dum ſectatur ignominioſas delicias,dedecoris, paupertatiſque adaggerat
Herodot. ſibi pœnas. *Ait Herodotus* (ita Plutarchus vbi ſuprà)*ponere mulierem vnà cum tunica pudorem.* Rectè dixit : nam quæ pudore carent , & tunica ſæpiùs egent : patrimonia expendunt,vtque vno die pompaticè inceſſerint, voluptatiſque negotia tractarint , multis temporibus obſcurè ſordent , aut fugitiuo ſplendore indecorè ſplendent;quæ verò prudentiæ,& pudori inſeruiunt, apud omnes nobilitatæ nomina ſibi procudunt glorioſa,& æternitati ſacrata. Ecce filiarum Salphaad hìc conſignantur litteris nomina : *Salphaad filio Hepher,filij Galaad,filij Machir, filij Manaſſe non erant filij ; ſed ſolæ filiæ,quarum iſta ſunt nomina Maala,& Noa,& Hegla , & Melcha , & Therſa.* Non potuit à ſortis hæreditate fœmineus illas excludere ſexus, quas conſpicua hæredes fecerat virtus : patris ſeruatur nomen in filiabus , & dum obtinetur hæreditas , obliuionis relegatur iniuria : *Dedit eis iuxta imperium Domini poſſeſſionem in medio fratrum patris earum.* Inquirunt interpretes , cur fœminis hæreditas fuerit conceſſa , & cur nomina litteris æternitati dicata. Reſpondet Abulenſis quæſt.1. has fœminas vtpote prudentia eximias,& virtutibus claras , & obtinuiſſe hæreditarium funiculum , & ſæpè illarum nomina ad honoris re-
Abulenſ. ferri elogium. *Ponuntur eadem nomina ſæpè,quia, vt dicunt Iudæi , erant fœminæ honorabiles , & prudentes ideo commemoratione digna.* Prudentia virtúſque adeò commendabiles reddidit , vt virorum priuilegiis ornarit. Virtus illis diuitiarum attulit copiam , amplam ſcilicet poſſeſſionem in medio fratrum , & honoris adauxit famam ; *Quarum iſta ſunt nomina.* O quàm ſordet aliquarum nomen , quàm recuſant pudica labra proferre , & aures honeſtæ audire ! Quæ pudore amicitur , omnium laudabiliter allicit animos , & in ſe conuertit oculos : ob pudicitiam & virtutem magni habita ditiſſimo non ſemel viro locatur ; & quia virtute nota , auro exundat , & familiæ nomen æternat : ingentes ſanè fœminæ diuitiæ ſunt prudentia , caſtitas, & ab hominum exulare memoria.

42. Mulier quædam , cuius nomen ſilentio regitur , exertis clamoribus prophetam Eliſæum interpellat,miſeriam exaggerat,dum creditur duos filios in ſeruos tollere geſtit, vt credita olim ta-
4.Reg 4 v.1. lenta recuperet : *Venit creditor , vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi.* Quid tunc Eliſæus? Domum iubet petere , oſtium claudere , hominum viſum arcere,& in vaſa vacua puſillum olei infundere : *Ingredere,& claude oſtium tuum,cum intrinſecus fueris tu & filij tui , & mitte inde in omnia vaſa hæc.* Non caret myſterio , extra domum carere diuitiis ; imò premi debitis ; domi tamen clauſa oſtio adeò abundare , vt fœnora potuerit ſoluere,& de reliquo non anguſte exinceps viuere. Oſtienſis Drogo de ſacram.Domin. Paſſion. ab improbo creditore iniquitatis talen-
Drogo. tum teſtatur accepiſſe : *Pauperis, & deſolatæ viduæ miſereberis , ne peſſimus,& importunus fœnerator,quod ad viuram perditionis meæ multa mihi iniquitatis ſuæ talenta credidit , duos filios meos ad ſeruiendum ſibi tollat.* Ecce vbi iniquitatis talenta accepit , & nomine honorabili caruit: *Mulier quædam*,inquit , virtute vacua,& honore prorſus videtur indigna; aſt dum domi ſe continet , dum modeſtiæ ſtudet , dum procaces oculos arcet , iam exundat oleo,& copioſo ditatur cenſu : nequiſſimus fœnerator vagantem depauperauit ; domi occultam Dominus diuitiis impleuit ; vt nouerint fœminæ plus de modeſtia , domíque inhabitatione ſperare , quàm de euagatione , & forma oculis placente exambire. Vel miraculosè ditauit Deus ab hominum aſpectu ſemotam , & domi ad pudicitiæ decorum clauſam. Falluntur fœminæ, quæ & famæ iniuria, & honoris proprij querela per plateas diuagantur : nam licèt ſordidum acquiſiuerint lucrum , honeſtiſſimum amittunt frequentiſſimè
matrimonium. *Dicendum*,ſcribit Abulenſis q.9. Abulenſ. *quòd iuſſit fieri illud in ſecreto, ne impediretur miraculum.* Certè ſecretum quodammodò erat ad miraculum præludium , dúmque ſe mulier aſpectibus ſubtrahit , & iniquitatis talenta ſoluit.

Cùm Rebecca Iſaac domui propinquaret, 43.
illúmque agro deambulantem aſpiceret, citò
pallio operuit vultum : *Illa tollens citò pallium* Genes.24. v.65.
operuit ſe. Profectò opportuniùs videbatur vultum aperire,quàm tegumento celare : ſi oris venuſtas illam vſque ad miraculum commendabat,ſi vultus gratia violentia dulciſſima intuentium oculos detinebat,cur faciem ſubtrahit , & matrimonio locanda abſcondit ? O eximiam fœminæ pudicitiam ! nouit illa dignis maritis in vxoribus placere modeſtiam , æſtimaríque præ pulchritudine pudicitiam, obiecitque ſpóſi oculis faciem non de colore venuſtam ; ſed de integumento modeſtam. Cooperta locatur in matrimonium:nam quæ liberum vultum oſtendunt,maliloquis ingenerant ſuſpicionem , & de ſuſpicione deſpectum : quod prudens vir primum debet in vxore requirere , non eſt eximia forma;ſed eximia pudicitia. Ergo Rebecca,dum proximior thalamo , & faciem abſcondit velo; dúmque ſponſi affectum deuincire ſibi exambit, decorem omnibus denegatum oſtendit. Ad rem
Oleaſter : *Accepit operimentum , & operuit ſe:* Oleaſter. *etiam erga viros ſuos honeſtas pulchra eſt in fœminis.* Geſtiunt fœminæ placere viris : ideò Rebecca celauit faciem , quia nouit honeſtatem meliorem pulchritudinis portionem.Et quidem liberior eſt,& tenerior amoris vſus, dum omnis ſuſpicionis exulat metus. Non ſemel fœminæ, dum placere habitu , aut geſtu plus deſiderant, diſplicent : & quæ demiſſis oculis,modeſto vultu , habitu non pompatico virum allicerent,arcent de oculorum vagatione , de vultus immodeſtia , de verborum procacia,de cultus pompa.

Neſcio an Adamus hanc nobis coniugem ac- 44.
cipiens eruditionem tradiderit. Paradiſo deliciabatur animalium dominus,& tot diuitiarum poſſeſſor ; verùm cùm non haberet eiuſdem generis conſortium, felicitas nondum peruenit ad cumulum : Deus coſtam è latere tulit,in mulierémque venuſtatis formam,pulchritudinis exéplar conſtruxit : Adamus viſione oblectatus cla-
mat : *Hoc nunc os ex oſſibus meis , & caro de* Genes.2. v.23.
carne mea. Inquiramus cur felici matrimonio locandam ex parte corporis abditiſſima eduxerit , & cur Adamus priùs oſſis proprietatem, quàm formæ pulchritudinem allaudarit : *Hoc nunc os ex oſſibus meis :* quaſi dicat : iucundè amplector

amplector sponsam, quam ossis ad instar vel luci celatam agnosco: os coporis semper abditis innutritum, & oculis creaturarum incognitum: os carne tegitur, cute velatur, & cùm aliæ partes obiiciantur obtutibus, os nunquam paret aspectibus; aut quidem si aliquando patet, & corpori periculum imminet. Sponsa ergo ex osse construitur, & quia ex osse, ab Adamo ornatur: quasi primum, quod in sponsa placuit, non fuerit corporis elegantia, vultus forma; sed occulti ossis natura. Et cur in Sponsam recusaret accipere, quam nullatenus oculis constupratam, defloratam intuitu nouerat. Mulier, dum ossis imitatur ingenium, & felicitatis est fulcrum; verùm si in publicum prodeat, si secretum auersetur, si oculis pateat, iam & corporis structura labascit, & ossis firmitas perit. Inquit Seleuciensis Basilius orat. 2. *Concordia, & continentia magistra talis molitio: vni viro vnicam adsocians vxorem continentiæ subindicat legem; de latere verò mulierem desponsans, iubet à viro mulierem foueri ac tegi: fouetur enim simul ac tegitur à manu subiecta costa: mulieris quóque subiectionem silentio testatam facit: illa enim cogitans quo ex loco sit afficta, voluntatem ad obsequelam flectat, vt costa coopertur, illiúsque vice foueatur.* Dum aptatur vt costa, à viro fouetur, & quia abscondita, plus amatur. — Basil. Seleuc.

45. Suffulciant nostram thesim virgines illæ, & oleo vacuæ, & prudentia nudæ. Iam limina prensabat Sponsus: cùm adhuc profundus somnus obturabat lumina: clamor exertus pulsauit aures, quia conspicuæ oculos non informauerant luces: territæ ac semisopitæ lampades concinnare festinant, quæ de inopia olei sitiebant: at cùm deficiente pabulo lux non splendesceret ferè extincta, ad olei venditores inuolant, domúmque repetere celeri pede festinant. Quid tunc? Sponsus dedignatur admittere, & foris cogit: clamare: *Amen dico vobis: nescio vos.* Et cur nesciat clamantes, cui alibi non auersatur petentes? Esto culpa fuerit dormire; sed culpa fuit etiam talenta plurima dissipare. Qui decem mille talentis oppressus, de obnixis precibus absolutus: *Misertus Dominus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit ei:* & cur fœminæ clamoribus non impetrauerint veniam, cùm adeò indulgenter debitori dominus remiserit culpam: *Clamabat ille: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*; sed & istæ clamant: *Domine Domine aperi nobis*; & quidem mulieres citiùs obtinere solent, quod rogant. Ita sanè: hîc verò noluit Sponsus admittere regales ad nuptias, quia nouit proripuisse se foras: *Dum irent emere, venit Sponsus:* & quia domi non inuenit, à sacro coniugio exclusit. Oleum emere, vt placet Gregorio, adulatores est auscultare: dum ergo virginum à procacibus adulatoribúsque oris commendatur venustas, dum oculorum laudatur pellacia, non modica honori emergit iniuria: laudatas ergo respuit cælestis Sponsus: quia dum laudibus constat deprædicari, & intuentium aspectibus non minùs constat feriri: constupratæ rediere, dum visæ, & quantumuis virgines corpore, dum conspectæ, & à matrimonio exularunt exclusæ. O quàm imprudentes probantur, quæ ob euanidum plausum prædiuitem ac cælestem amisere Sponsum! si continerentur domi, quantumuis sitirent lampades, forsitan veniam impetrauerint preces; at dum obiiciuntur aspectibus, dum oblectantur adulationibus, ad thalamum non admissæ, quia de oculorum libidine defœdatæ. Adest Gregorius hom. 12. in Euang. *Ecce enim Redemptoris voce decem virgines, & omnes dicuntur virgines, & tamen intra beatitudinis ianuam non omnes receptæ sunt: quia earum quædam, dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, oleum in vasis suis habere noluerunt.* Præmiserat ante Gregorius: *Venditores olei adulatores sunt.* En lucis splendoribus viduantur, quæ vanis laudibus afferuntur: dum gloriam foris expetunt, & sponsum etiam amittunt. O quàm felices æternassent famam, ô quàm immarcescibilem potirentur, & gloriam, si pro dote Sponso obtulissent prudentiam, si intra domus delitescerent ianuam! Virtutibus solerter inuigilantes, & nitorem pudicitiæ colentes cum sortiuntur Sponsum, qui pretiosis exornaret iocalibus, aureísque ditaret monilibus. Vt vera sit nostra thesis, scilicet fœminas pudicitia nobiles, & virtute celebres lucrari sæpè sibi diuitias, dum felicissimas asciscunt nuptias.

Matth. 25. v. 13.

Matth. 18. v. 24.

Gregor.

§. XII.

Peccatores solùm à terrenis verentur auelli; virtutis studiosi solùm timent à cælestibus separari.

46. HVmanus affectus pretium imponit omnibus rebus: quòd si errore aut exigui momenti reputet magna, aut magni momenti exigua, vilescent pretiosa, & magnam æstimationem sortirentur vilia. *Lycurgus*, scribit Plutarch. in apophthegmat. *monetam auream, & argenteam antiquauit, solius ferri vsum sanciuit, definiuitque quatenus censendum ad huius valorem totum patrimonium foret. Ea re exterminata Lacedæmone omnis est iniustitia: quis enim furari, quis venalis muneribus esse, quis defraudare, aut rapere poterat quid, quod nec valeret tegi, cuius nemo esset possessione beatior.* Certè vnus Lycurgus, dum iustitiam, æquitatemque magni habet, depretiat aurum; cæteri tamen, quia adorant aurum, & paruipendunt iustitiam: mira res: quæ apud mundiales cupiditate cæcos, & cæcitate obscuros habentur maxima, apud cordatos reputantur indigna, & quæ sapientes anhelis votis suspirant, imprudentes, & ignaui fastidiosè despectant. Lycurgus auro exilium indixit, quia consulebat honesto; alij latè exterminarunt modestiam, quia intensè suspirauere pecuniam. Iosephitæ sic possessionis terram occupare despiciunt, vt Chananæos sub tributo partem non modicam possidere sacra auri fame consulente permiserint: *Subiecerunt Chananæos, & fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos.* Nummorum amor hæreditatis partem depretiat; verùm filiæ Salphaad anxiis desideriis habere partem suspirant: *Venerunt in conspectum Eleazaris Sacerdotis, & Iosue filij Nun, & Principum dicentes: Dominus præcepit per manum Moysi, vt daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum.* Ecce filiæ Salphaad à cælesti possessione verentur excludi, cùm tamen anxiis auri cupidi partem votis gestiuerint nundinari. *Dedit iuxta imperium Domini*

Plutarch. *Ferrea moneta à Lycurgo excusa.*

Glossa. *Domini possessionem*, scribit Glossa moralis: *per possessionem in terra promissionis significatur adeptio beatitudinis in terra viuentium*: quia Salphaad filiæ terram viuentium exambiunt, à sorte excludi refugiunt; alij verò Chananæis terram concedere non recusant in legis, & pietatis contemptum, quia sitienter suspirant aurum. Horum quilibet pretia imponit rebus pro affectionis aut cæca temeritate, aut cordata æstima-
Masius. tione. *De Manassensium ignaua impietate*, scribit Masius, *eadem memorantur in Iudicum libro; quid autem istis, atque alijs obstiterit, cur minùs facilè suos hostes vincerent, iam semel iterúmque exposuimus, vt res ipsa Dei verbis testata est, cùm diceret: Quia violauit gens ista fœdus meum, quo obstrinxeram maiores ipsorum, neque morem gesserunt voci meæ.* Pactum iniuerat Deus cum Hebræis, promissionis scilicet se illis terram daturum; ea tamen lege, vt ab ipsis extirparentur prorsus Chananæi; illi tamen vtpotè terreni tributis inhiantes fœderis obliti sunt; filiæ tamen Salphaad solùm timebant ab hæreditate cœlesti excludi: Manassenses tributis cupiunt ditari, ideò isti tellurem promissionis despiciunt; illæ studiosissimè exambiunt.

47. Sponsus inter reliquas, quas miris elogiis dotes commendarat sponsæ, sic eius capillos lau-
Cant.4.v.1. dat: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad* Et cur ad sponsæ cincinnorum pulchritudinem exaggerandam capris altiuagis coæquauit? Quid in his capillis animum sauciauit sponsi? Decora prolixitas, aureus color, densa & blanda copia? Quid altiùs nobis meditandum est; capilli molles, tractabiles, & flexibiles ad omnem se motum exprom-ptos exhibent, in quibus fors eruditi discipuli designantur, qui capitis omnem motum sine reluctantia sequuntur. Adde capillos penè sine corpore esse, & penitus sine carne, ad omnem iniuriam insensibiles, solùm in hoc ægram patiuntur molestiam, si euellantur à capite: calamistrum candens crispat, non tument: tonsoris ferrum præcidit, non sentiunt: hoc vnum sensum affert, à capite scilicet auelli, & prorsus eradicari: si crinis capiti inhæreat, cætera patienter dissimulat; si auellatur, ea solùm parte dolorem tolerat: ergo sponsus mirè sponsæ excellentiam exaggerat, dum ad reliquas iniurias deprædicat sensu nudam, solùmque si auellatur à capite, dolore vexatam. Adest Gillibertus ser-
Gilliber. mon.23. *Graciles, & spiritualibus extenuati disciplinis penè sine corpore sunt, & penitus sine carne ad omnem insensibiles iniuriam, vt nec tondentis instrumenti sentiant, læsionem, in hoc tantum passionis sustinentes molestias, si à capite, cui inhæserunt, contingat euelli: reliquo enim emortuo corpore vitalem ibi tantùm sensum retentant, vbi capiti, de quo oriuntur, iunguntur.* Capillus vita caret, carne nudatur, solùm de inhærendo capiti viuit, & solùm dolet auelli. Hoc ergo magnum sponsæ elogium, solummodò à Christo dilecto suo separari abhorrere; cætera verò magnanimè depretiare.

48. Quærebat ipsa sponsa dilectum anxiis suspiriis, cúmque officiosè palabunda per ciuitatis vicos plateas & amoris honestissimi œstro agitata excurreret, in custodum manus incidit, qui de more agrestes & inciuiles nullam pulchritudini exhibere reuerentiam; imò inferre gestiue-
Cant.5.v.7. runt iniuriam. *Percusserunt me, & vulnerauerunt me, tullerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Non multo post in dilectum offendit, & fortiter adeò brachiis charitatis adstrinxit, vt nullatenus separari iterum extimescat: *Tenui* Cant.3.v.4.
eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Et cur, quæ sponsum arctè adeò tenere didicit, vt eo dispoliari non possit, pallium fixè adeò non tenuit, vt nudari nequiuerit? Esto vigiles pallio dispoliare violenter tentarint, illorum conatus frustretur, si nulla violentia ab sponso separatur: quæ sponsum validè stringit, & pallium strictè prehendat, vt violentas grassatorum manus eludat. O digna sponsæ cœlestis studia! vulnerari, dispoliari contemnit, paruipendit aduri: hoc solùm timet, ne ab sponso vel tantillum separetur: quia æqua æstimationis lance res ponderat, solùm quæ amore digna, studiosè complectitur, alia generosè aspernatur. Dum ab sponso nullatenus disiungatur, nudari ornamentis non timet, nec ipsa vitâ dispoliari dolet. Aptè Guil-
lielmus apud Delrium: *Tenui eum*, inquit, *brachijs charitatis, fortiter astringens in æternis delicijs illi inseparabiliter adhæsi: tenui tenentem me, nec dimittam eum.* Ecce sponsæ studium adeò fortiter dilectum charitatis brachiis stringere, vt nullatenus queat diuelli: non sic pallium, non sic ornamentum tenebat; imò dispoliata gaudet, & sangine rubricata velocior, & inardentior discurrit. *Videas*, scribit noster Delrius Guilielm.
in tropologia huius loci, *certè vix effugere pallio relicto, sicut Ioseph effugit: remedium hu alios adire meliores, & ab sponso quærendo non desistere.* Hoc ardens sponsæ studium, hîc totus affe- Delrius
ctus, hîc validior eius conatus, retinere sponsum, non pallium; imò relinquere pallium, vt expeditiùs quærat sponsum.

Hoc idem in Iacob & Esau vterinis fratribus 49.
liceat inspicere. Vterque lachrymis copiosis exundet; verùm etsi similis luctus dissimilis longè affectus: primatus priuilegium Iacobus arcano dolo subripuit, cúmque se Esau paterna hæreditate agnouisset fraudatum, domum eiulatibus implet: *Cum eiulatu magno fleret, motus* Genel.27.
Isaac dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cæli erit benedictio tua. Afflictum terrena di- v.39.
largitus solatur, & quia nouerat inhiare caducis, dolorem leniuit euanidis: *In pinguedine terræ erit benedictio tua.* Vides Esau temporalium iacturam dolentem, transi ad Iacob discessum solum Numinis lamentantem. Luctabatur cum Deo, certè in amoris stadio: certabant affectu vincere, Iacob felici nitebatur temeritate amorem Numinis superare: discedentem arctissimè detinebat, & lachrymis ad commiserationem vocabat: *Inualuit ad Angelum, & confortatus* Ose.12.v.4.
est: fleuit, & rogauit eum. Frater vterque plorat; sed diuersissimo studio, & opposito prorsus desiderio: Iacob quia priuatur tantisper diuinis, Esau quia dispoliatur humanis: erat alter virtutis studiosus, alter diuitiarum cupidus, & pro diuersitate affectum fuit & discrimen dolorum. Adest Lippomanus: *Non ex vera cordis com-* Lippoman.
punctione, neque ex charitate fuit dolor hic, scilicet Esau, *sed ex priuato potiùs commodo procedens, & cupiditatis affectu, quo nimium erga temporalia tenebatur, & ipsorum tantùm iacturam indolebat.* Alter dolet temporalium iacturam, Numinis alter lamentatur absentiam: iustus namque dolore, & altissimo sanè percellitur, si à

à cælestibus vel tantillum diuellatur; at homo cupidus, & terrenus solùm dolet, si à caducis, & euanidis separetur. Temporalium cupido lachrymas ciuit Esau benedictione priuato; at Iacob in larga compulit lamenta à Numinis brachiis auelli, & tantillum separari.

50. Hoc ipsum in filiis Laban aliquando meditabar. Cùm illorum pater fraudes non modicas intentaret, quibus Iacob diuitiis dispoliando circũueniret, ipsis fraudibus iram diuinã promeruit, & quibus ditescere nitebatur, artibus depauperatus est: Iacob leniri ægrè ferebant patris sui diuitias videre translatas, frequentibúsque criminationibus Iacobi obscurabant famam, & in-

Gen.31. v.1. nubilabãt gloriam. *Postquam audiuit verba filiorũ Laban dicentiũ: Tulit Iacob omnia, quæ fuerũt patris nostri, & de illius facultate ditatus factus est inclytus.* Iusti animus superciliis feriebatur, iniustisque obmurmurationibus perculsus, maximéque præcipiente Deo patriam repetiit: Rachel clanculum patris furatur idola. *Rachel furata est idola patris sui.* Ferè tres dies lapsi iã erant, quibus Rachelis fratres nec idola quæsierũt, nec patri subrepta nunciatunt: furtum Laban nunciatũ prodit Scriptura; sed non à fratribus: *Nunciatum est*, inquit, *Laban die tertio, quòd fugeret Iacob.* Nunciatum non est quod deos ferret; sed quòd fugam carperet; & qui de gregibus olim adeò soliciti de sublatis modo diis nullatenus sunt conquesti. Et quæ ratio huius differentiæ? Quia illis præ diis greges erant chari: alibi greges suos animaduertũt imminutos, & alibi deos ablatos; sed parum dolebant idolis nudari, multùm verò paternos greges imminui. Deos reputabant idola, illáque arbitrabantur diuinã: ideò illos multum non anxit idolorum furtũ; doluit tamẽ grauiter gregum dispendiũ: homines namque profani leue ducunt carere Deo; sed priuari

Chrysost. grauiter auro. *Vide quomodò inuidia in ingratitudinem eos induxit*, scribit Chrysost. apud Lip-

Lippoman. poman. *non eos autem solum; sed & ipsum Laban.* Aptius Lippom. *Diuitias inuidia comitatur, quæ & in studio reprehendendi mendacia comminiscitur, si crimina vera desint, quæ accusentur.* Non dolebant filij Laban se aut patrem idolis fraudatos; ægrè tamen ferebant gregum copia, & diuitiis destitutos: *Diuitias comitatur inuidia*, non idola: quos adorabant deos, auolare durè non ferebant; oues tamen imminui patienter non tolerabant: de gregibus vel vultu prodebatur dolor; de diis improbum ora sigillabat silentium: quia apud sæculo deditos, apud cupiditatis vernulas, apud auri mancipia magni solum habentur caduca; æstimantur parui cælestia.

---

§. XIII.

Sub æquitatis iudice nec inualidi retardatur iustitia, nec magnatum valet potentia.

51. Plutarch. *Olim indices sine manibus.* Simulacra Thebis, scribit Plutarchus de Iside, & Osiride, *consecrata fuerunt iudicum manibus mutila; præsidis iudiciorum conniuens, quòd abstinens, & immota sit iustitia.* Æquus Iudex, quia manibus mutilus, muneribus non corruptus; & quia immotus, nec potentioris exambit gratiam, nec inferiori inferre molitur iniuriam sub æquitatis legibus omnia disponit, nec agit arbitrium; sed ministrum: ibi fauor, & potentiæ nitor attenditur, æquitas sæpè corrumpitur, & luget indigus sub bona causa, cùm vincat iniquus opibus sub iniqua. Apud veteres manus generationem signabat, vnde præcisa manus sterilitatem innuebat: ergo iudicis optimi simulacrum manibus excudebatur penitus orbum, ne generationem agnosceret, cuius gratia aut adulteraret violenter iudicium, aut, quod proximum, reciperet aurum. *Stratoclem, & Dromoclidem*, scribit Pierius lib. 35. cap. 27. *quis iniquo animo non ferat, quorum sermo omnis, cùm de republica negotio aliquo capessendo, déque tribunalibus colloquerentur, erat, vt se inuicem ad auream messem inuitarent?* Dum tribunal inscenditur lucri studio, æquitas mulctatur exilio. Iam si quis parentelæ causas gratiùs adspiciat; aut fauoreve potentiæ inescatus audierit causas, lugebit æquitas, & gaudebit infelici triumpho malignitas. *Familiariter*, scribebat Senec. cap. 1. de tranquil. vitæ, *domestica aspicimus, & semper iudicio fauor officit.* Hic meus Iosue æternis laudibus celebrandus, vtpotè qui inualidorum causas nec in futurum miserit, illorumve æquitatem oscitanter, & incuriosè transierit, aut potentium vota, si æquitate destituta, libentiùs, & studiosiùs attenderit: Ecce filiæ Salphaad patre orbatæ subsellia adeunt, & quæ illis iure debebatur, sortem deposcunt: *Venerunt in conspectum Eleazari Sacerdotis, & Iosue filij Nun, & Principum dicentes: Dominus præcepit per manũ Moysi, vt daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum.* Quid, tunc? Distulitne illatum petitionem æquissimus Iudex? Traxit de industria moras, vt inualidis intulisset molestias? Compulit frequẽtare subsellia, quousque iustitiam redemerint munera: Minimè equidem; imò petitionẽ è proximo causæ est secuta expeditio: *Dedit eis iuxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum.* Facillimè est absolutum negotium: quia pro illis Numinis erat decretum. Vides celeritatem; vide & laudabilem cunctationem. In hoc ipso capite Iosephitæ numerò copiosi, ac diuitiis freti Iosue adeunt, fortísque suæ limites protendi obnixè deposcunt. Locuti sunt filij Ioseph ad Iosue, & dixerunt: *Quare dedisti mihi possessionem sortis, & funiculi vnius, cùm sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus?* Quid tunc? Denegat petita, & adhortatur ad prælia: Ad quos Iosue ait: *Si populus multus es, ascende in syluam, & succide tibi spatia.* Certè qui modo accedunt, & cognationis vinculo coniuncti, & diuitiis referti: cur ergo Iosue illorum votis non annuit, nec latiora terræ spatia concedit? Quia Iosephitarum votum nõ tam ab æquitate prognatum, quàm ab ambitione profectum. Ita Abul. q. 3. *Non fuit datum aliquid de terra Manasse, & Ephraim præter id, quod habebant: quia terra eorum diuisa est per funiculos, sicut cæteræ sortes.* Cupiditas semper anxia ambitióque ab alienis iudiciis semper suspensa ampliorem sortem deposcebat; verùm quia æquitate non innitebatur causa, nec ampliationem sortita sunt vota; at filiabus Salphaad orbis, nullóque fauore suffultis statim concessã est, quam discupiebant, terra: quia iure innixa erat causa. Nec minus Iosue æquitatem commendat harum petitio citissimè expedita, quàm ambitionis

Right margin notes: Pierius. *Nonnullis iudicibus aurea messis est tribunal.* — Senec. *Iudicio fauor officit.* — Abulens.

Cassiodor. Ardua est in iudice æquitas si parentela circumdatur.

bitionis negata. Vt repetat Cassiodorus 1. variar.3. *Egisti te per cuncta iudicem totius erroris expertem, nec inuidia quemquam deprimens, nec gratia blandiente sublimans: quod cùm vbique sit arduum; tamen fit in patria gloriosum; vbi necesse est aut gratiam parentela prouocet, aut odium longa contentiones exasperent,* Æquissimus iudex nec distulit, quod deposcebat iustitia, nec concessit quod ambitiosè discupiuerat parentela.

52. Cùm Christus Dominus Ierosolymam inscenderet, déque regno suo cum discipulis sermocinaretur, duo Apostolorum primates Iacobus, & Ioannes matris patrocinio suffulti, & digniore præ aliis honore habiti cordis desiderium expromunt: *Dic, vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* (Matth.20. v.21.) Sperabant Apostoli facillimè se petitionem consecuturos de consanguinitatis suffragio, & mulieris patrocinio. Quid tunc Dominus? *Nescitis quid petatis:* petitionem refellit non de meritis, sed de ambitione venientem. Non multò post cùm latro scelera sua confessus, & ligno affixus, si antea inimicus, iam æquitatis patronus, nullo fauore suffultus, nulla auctoritate communitus clamaret: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum:* (Lucæ 23 v.42.) annuit statim benignissimus Dominus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Vberior est gratia, quàm precatio: & quæ latro humilis desiderare non ausus, celerrimè est consecutus. Sed expendamus cur cognatis petita negarit, latronique non postulata concesserit: hic non solùm diuitiis, sed ipsis membris nudatus; illi materno patrocinio adiuti, & sanguinis coniunctione præclari; & tamen Dominus se cognatis præbuit durum, qui in crucem acto se præstabat benignum. O Domini sapientiam! Iudex, & Princeps æquissimus nec inopis tardat iustitiam, nec fauoris aut sanguinis studiosius attendit causam: quo nos doceat sub probo iudice nec potentiorem gratia blandiente cõtra æquitatem extolli, nec miseri causam deprimi; cruci affixus non iam pannosus; sed prorsus nudus consequitur, vt videas apud optimum iudicem valere non tam personam, quam causam. Quàm benè aliorsum scribebat Gregorius in registro epistol.75. *Districtus Iudex ad examinandum deducturus est cuncta, quæ gerimus, & vnumquemque nostrum non ex prærogatiua sublimioris, gradus; sed ex operum meritis approbabit.* (*Apud probum iudicem attenditur causa, & ignoratur persona.* Gregor.) Merita apud bonum iudicem sunt pro fauore, apud improbum fauor pro meritis: *Videbant seipsos honoratos præ aliis,* scribit Chrysostomus apud D.Thomam, (Chrysost.) *& audierant quòd super duodecim thronos sedebitis, vnde primatum ipsius cathedra petebant accipere.* Fauore freti, honorisque suffragio confisi tentant vltra merita postulare; sed Iudex æquissimus nouit fauorem despicere. Causa miseri, digna tamen citissimè obtinuit; honoratorum petitio, quia ambitiosa, non valuit. Eximiæ æquitatis in iudicando cultor probatur; imò Prophetæ gerit personam, qui diuitiis non adulatur potentiæ, nec iniuriam facit inopiæ. Adde fauorem, patrociniúmque adeò apud indices, & electores valere, vt miraculo dandum sit fauore destituti causam benignis oculis spectari, potentiorisque, & patrocinio suffulti despici.

53. Cùm Samuel creando regi operam daret, Isaique domum fuisset ingressus, choris filiorum circunstat: oblatus est Eliab patris fauore commendatus, cæterisque naturæ priuilegiis, & diuitiarum iure præfectus: *Cùm ingressi essent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino Christus eius?* 1.Reg.16. v.6. Verùm vt Deus oculos ab altitudine arceat, prophetam monet, ne pro meritis sit magnitudo: *Ne respicias vultum eius, nec altitudinem staturæ eius.* Adhuc instat pater vngendos proferre Prophetæ filios: *Vocauit Isai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele;* verùm etiam tulit repulsam paterno suffragio nixus: tandem cùm iam vteri ferè consumpta esset vbertas, Propheta rogat, an completi fuerint filij: tunc pater paruuli, ouésque sub diuo agentis recordatur; adiicit tamen regno adeò esse ineptum, vt ne pecoribus quidem pascendis sit aptus: *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues.* Deo suffragante non præualuit patris pro cęteris germanis fauor, nec Dauidis nocuit obliuio; imò naturæ leges gratiæ succumbebant, & repentè inueniebatur primus, qui ordine naturæ postremus: *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius.* O quàm à Numine hæc agnoscebatur electio, quandoquidem sententia non attendebat personam; sed respiciebat solummodò causam: Dauid vel fauore patris destitutus, meritis tamen ornatus: fratres reliqui parentis patrocinio antelati, & magnitudine excelsi; verùm vt constaret apud æquissimum iudicem nec valere patrocinia, nec contemni merita, Dauid meritorum suffragiis rex inauguratur, & maior vel patrociniis fultus reiicitur. Basilius Seleuciensis putat hîc interfuisse miraculum: nam Propheta magnitudine, & auctoritate, patrísque patrocinio antelatum vnxisset, ni inuerso cornu fluxa natura sursum detenta, & contra ingenium naturale tardata. Accipe Basilium orat.14. *Cornu inuergens resectaneum, vt vngeret, cogebat; sed oleum fluere recusabat, ne cum errante Propheta faceret, & fluxa natura sursum retinebatur gratiæ legibus obsecuta, caputque, à quo resiliebat gratia, relinquebat aridum.* Basil.Seleu. Ni miraculum errorem compesceret, magnitudine eximius, patrocinio antelatus fratris vnctionem præripuisset, Dauidique, quantumuis meritis diues, dum magnitudine caret, dum patrocinio nudatur, abiectus prorsus maneret: tantùm valet apud homines, & pompæ exterioris auxilium, & patrocinij suffragium. Sic deprimitur meritum, sic contemnitur iustitia, si desit magnatum, & dignitatis tutela: vel apud prophetam, ni miraculum intercessisset, Dauid à dignitate exulasset.

Apud Dauidem litem ænigmaticam inter diuitem, & pauperem refert Nathan Propheta huiuscemodi: Duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper: diues gregibus exundabat, pauperculus præter ouem vnicam sinu fotam, mensáque innutritam nihil habebat, cúmque peregrinus ad domum diuitis aduentaret, ille gregibus suis parcens pauperis ouem deprædatus conuiuium hospiti instruxit magna pompa, nec modicâ iniuriâ; Dauid relatione audita nec validioris veneratus potentiam, nec pauperioris aspernatus inopiam sententiam tulit pro inope: *Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc: ouem reddet in quadruplum, eo quòd fecerit verbum istud.* 2.Reg.12. v.5. 54.
O quàm adhuc agnoscebatur Propheta; qui in potentissimum

potentissimum pro inope sententiam tulit! nì enim Dauid, etsi tantillum passione abreptus, æquitate esset ornatus, sententiam ferret pro diuite, & pauperem, vt ablatam sibi ouem in quadruplum solueret, condemnasset, ipséque furtum passus alieni sceleris soluisset expensas, quamuis alter intulisset iniurias. *In hoc*, aiebat Chrysostomus apud Glossam, *propheta ille propheta, & iste; sed ille sanus, iste graui vulnere sanciatus.* Dauid vt proheta litem determinat, etsi vt homo turpitudinis vitio saucius succumbat: si enim non vt propheta protulisset sententiam, diuitem absoluisset, & pauperculum damnasset. Nathan propheta proditur, dum altissimo vlceri opportunam parat medelam; Dauid, dum pro paupere contra potentem sententiam profert æquissimam. *In hoc propheta ille, propheta & iste*, alter, quia rem corde promebat occultam; alter, quia contra diuitem pro paupere iustam ferebat sententiam. Ni Dauid propheta fuisset, stylo conformaretur humano, pauperísque despexisset iustitiam, vt potentioris inîret gratiam. Iosue ergo æquus, strenuúsque iustitiæ cultor probatur, dum inualidorum, potentiúmque causas æquitatis metitur regula, quin obsit, aut prosit causæ persona.

Chrysost.

---

§. XIV.

Omnia à cœlesti curia exulant vitia; longiùs tamen ingratitudinis distare videtur offensa.

55. GRatitudo ingenui animi testimonium nobilitatis index, & quæ nouit dum acceptum soluit beneficium ad grandius allicere obsequium: mira huius virtutis natura, quæ dum creditori soluit debitum, ad nouum compellit officium: ingratitudo rusticitatis nota, ignobilitatis tessera, virtutem infamia; vel acceptum beneficium perdit, dum gratitudine possessum non soluit: vel in accipientis manu beneficium censetur alienum, quando nobile gratitudinis denegatur tributum: plures sunt, qui argumentum nihil debentium odio quærunt; verùm se probantur inhonestè perdere, quod noluerunt digna gratiarum actione soluere. Plutarchus de audiendis poëtis ingratos vocat insipientes: & iure quidem: videntur enim illa nobilissima hominis parte mente scilicet exuti, qui beneficiis respondent ingrati. *Diuina præbent*, inquit, *magnum animum sapientibus: metum enim insipientibus, ingratis, & amentibus, quod scilicet, quæ est omnis causa, & fons boni virtutem vt noxiam suspectent, & timeant.* Timent ingrati diuina; imò diuina verentur ingratos. Publius Mimus ingratitudinem vocat virtutis exilium: est enim generositatis fascinum, quandoquidem plures ne ingratitudinis ferant molestiam, liberalitatis imminuunt gloriam. *Ingratus vnus*, verba sunt Publij, *miseris omnibus nocet.* Benè dixit: sic namque animos exasperat ingratitudinis iniuria, vt stagnantibus beneficiis inopum non alleuetur miseria. *Vt scias*, aiebat Seneca lib. 4. de benef. cap. 18. *per se expetendum esse grati animi affectionem; per se fugienda res est ingratum esse: quoniam nihil æquè concordiam humani generis dissociat, ac distrahit, quàm hoc vitium: nam quo alij tuti sumus, quàm quod mutuis iuuamur officijs: hoc vno instructior vita, contráque incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio.* Profectò ingratus, dum vitam beneficiorum commercio priuat, subitis incursionibus imbecillem, & exarmatam obiectat. Hanc virtutem vel animalia imitantur, & quæ grata, humano generi semper proficua. *Humano solatio consurgunt*, scribit de elephantibus Cassiodorus 10. var. 30. *cuius arte iacuerunt, bellua tamen suis gressibus restituta nouit memor esse beneficij: in magistrum quippe recipit, quem sibi subuenisse cognoscit; ad ipsius arbitrium gressus mouet, ipsius voluntate cibos capit.* Elephas bellua illa ingentis molis, magnitudo illa terribilis de gratitudine sibi parat auxilium, ne diu pertulerit casum. Ni scirent homines belluæ gratitudinem solo iacentem, séque quodammodò priuatam, nec antiquis restituerent gressibus, nec infortunatis eriperent casibus. Surgit de gratitudine, qui periret de obliuione. Iosue dimidiæ tribui Manasse in terra promissionis sortem largitur: *Ceciderunt funiculi Manasse decem.* Hugo Cardinalis in Manassensibus (Manasses namque interpretatur obliuio) duas hominum series agnoscit, alios scilicet beneficiorum oblitos, alios sæculo prorsus obliuione negatos: ideóque ait alios ante Iordanem remansisse, & alios terram promissionis intrasse. *Est obliuio mala*, inquit, *qua scilicet quis Deum & eius beneficia ingratus obliuiscitur: item est bona obliuio, qua scilicet quis obliuiscitur mundi, & parentum suorum carnalium: ideò dicitur quòd media pars Manasse transiuit Iordanem, altera citra Iordanem remansit: quia filij prioris obliuionis damnabuntur, filij secundæ saluabantur.* Multis vitiis se Israelitæ desertorum anfractibus implicuerunt; verùm ea est Numinis misericordia, vt Iordane ablutos promissionis tellurem possidere non denegarit; at ingrati, eiúsque beneficiorum obliti nec Iordanem transmittunt, nec terra promissionis ditantur: ingrati citra Iordanem iacent, quia ad nostram eruditionem hoc emblemate nobis explicuit Numen quam cælo sint odibiles hac indigna beneficiorum obliuione ignobiles, ingratitudinéque degeneres.

Plutarch.

Pub. Mimus.

Senec.

Vita munitur beneficiorum commercio.

Cassiodor.

Elephas gratitudinis ænigma.

Hugo.

Pater ille optimus morum grauitate conspicuus; sed pignoribus, si dici liceat, infortunatus, duos habuit filios: alter gaudere libertate viuendi discupiens censum exegit à patre, iuuenilique ætate feruens, & censu diues magni suam calamitatem coëmit: in regionem longinquam non solùm diuitiarum copiam; sed suam ipsius dissipauit substantiam; verùm ipsis calamitatibus eruditus paternam repetiit domum; patérque non tam offensæ, quàm naturæ memor charitatis brachiis redeuntem arctè constringit, pretiosis induit, harmoniis recreat, & saporatis exatiat: cúmque germanus, agri namque cultura detinebatur, domi appropinquaret, dulcisonámque symphoniam audiret, non sine admiratione rem à seruulo sciscitatur, sicque de fratris aduentu furit, vt nullatenus paternam domum ingredi velit. *Indignatus est autem, & nolebat introire.* Pater blanditiis allicit, obsequiis delinit, pacatissimis verbis demulcet: quid tunc ille? *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterui, & nunquam dedisti mihi hædum vt cum amicis meis epularer.* En causa, cur paternam non intrauerit domum; sed exclusus 56.

Luc. 15. v. 28.

 foris

foris remanserit : adeò accepta oblitus est , beneficia , vt cùm fratri , illique totam diuisisset
substantiam : *Et diuisit illis substantiam* ; nulla
se accepisse dicat obsequia : frater ergo, quamuis
vitiis denigratus, quamuis paternis facultatibus
nudus , adhuc patris constringitur brachiis , &
excipitur lautis conuiuiis ; at ingratus à paternis ædibus exulat, à gaudiisque mœret exclusus,
quia beneficiorum oblitus. Opportunè Chryso-
Chrysol. logus serm. 4. *Fratri inuidus animus gratus esse
non potest fratri , & paternæ largitatis memor non
est , qui est fraternæ immemor charitatis : hædum
sibi datum negat , qui substantiæ partem totam
tempore diuisionis accepit.* Ingratitudine denigratur alter , alter viuendi libertate satis obscurus ; verùm admisit pater salacem pœnitentia
iam emendatum ; non tamen admisit domus
paternis stemmatibus de ingratitudine indignum. Foras hic remansit exclusus , cum alter
delicatis epulis recreatus. Quasi præ cæteris paterna domus excludat ingratos, & beneficiorum
oblitos.
57. Componamus cum latrone illo felicissimo
Adamum : hîc Dei affectione delineatus , Dei
manu constructus paradiseas possidebat delicias:
Gen.2.v.7. *Inspirauit*, inquit, *in faciem eius spiraculum vitæ*;
verùm in tam exundanti felicitate grande infortunium tulit ; & qui retrò dominus, exulare
Genes.3.v.23. cogitur seruus : *Emisit eum Dominus Deus de
paradiso voluptatis , vt operaretur terram, de qua
sumptus est.* Huius loco suffectus est beatissimus
ille latro , cui crux clauis fuit, qua illi reseratus
est paradisus , & qua sine iniuria Domini mise-
Luc.23.v.42. ricordiæ diuitias est deprædatus : *Hodie mecum
eris in paradiso.* Quæret aliquis , cur paradisus
latronem admiserit, & Adamum repudiarit : hic
deliquit ; sed & ille peccauit : latro est, vt absolueretur, confessus ; sed Adamus etiam est fassus.
Ergo aut vtrumque clementer admittat , aut
vtrumque seuerè excludat. Deliquit certè Adamus vetito & insulso fructu allectus ; sed latro
delinquit inhumanè grassatus : latronis dextera madet sanguine violenter effuso , si Adami
dextera infeliciter ditatur pomo subrepto : cur
ergo post tot insultus, post tot miserorum casus
latro gaudet admissus, & Adamus mœret exterminatus ? Quia Adamus ingratitudine obscurus, inquit Rupertus lib.3. in Gen. cap.13. adeóque ingratitudinem diuina respuunt , vt cùm
paradisus latronem amplexus fuerit violentum,
Rupert. parentem euomuerit ingratum. *Ille , scilicet
Adam & vxor eius vterque pari pertinacia silentium tenuit : quia sicut superius iam dictum
est , neque quia formauit , neque quia in paradiso
Dominus hominem posuit : neque quia ad propagandum genus humanum vtrunque scilicet masculum & fœminam coniunxit , vllam gratiarum
actionem reddidit , nec vllum piæ confessionis verbum de ore cuiuslibet eorum sonuit in auribus Dei.*
Ingratus excluditur, facinoribus defœdatus admittitur : vt noueris ingratitudinem vitium Deo
odibile, hominibus infensum , & ingrato periculosum. Dixi possidere paradisum latronem
sceleribus plenum , non quia tunc , quando intrauit, macularetur reatibus ; sed quod ante confessionem enormissimis sorduerit excessibus : vt
iam hoc ænigmate nobis aperiret Deus , quantum auersetur ingratos , & beneficiorum oblitos. Itaque Adamus, quantumuis Numinis constructus manibus, dum ingratitudine imaginem
cælestem obscurat , à paradisæis innoxiis voluptatibus exulat ; latro verò humano sanguine
anteà defœdatus , pœnitudine mundus propinquat. Notauit Tertullianus eximium patientiæ
Christi Domini testimonium ingratis benefecisse , & oblitos beneficiorum curasse.
Cùm decem leprosi exertis vocibus morbo 58.
medelam deposcerent , sacerdotibus remisit , &
obedientes mundauit : *Cùm ingrederetur quod-* Luc.17.v.12.
*dam castellum , occurrerunt ei decem viri leprosi,
qui steterunt à longè, & leuauerunt vocem dicentes : Iesu præceptor miserere nostri : quos vt vidit,
dixit : Ite , ostendite vos sacerdotibus : & factum
est, dum irent, mundati sunt : vnus autem ex illis,
vt vidit, quia mundatus est , regressus est cum magna voce magnificans Deum.* Nouem anteà lepra
maculati ; posteà tamen latiùs serpenti , & hominibus indigniori ingratitudine scilicet sunt
infecti : hic ergo , inquit Septimius, Dominicæ
patientiæ pompa resplenduit , quandoquidem Tertull.
ingratis benefecisse molestum : *Non illi saltem
ciuitati*, scribit lib. de patient. cap.3. *quæ eum recipere noluerat , iratus est , cùm etiam discipuli
tam contumelioso oppido cælestes ignes repræsentari voluissent : ingratos curauit , insidiatoribus
cessit.* Sanè maius videbatur patientiæ elogium
tulisse inediam , sordidis amiciri , humi cubare,
cibo angustissimo vti , & tamen Tertullianus,
vt Dominicam exaggerarit patientiam , ingratis ait exhibuisse medelam : quasi hoc sit maximum rationis tormentum beneficiorum oblitis
contulisse beneficium : aliis vitiis inquinatos
tulisse, magnum benignitatis elogium ; at sustinere ingratos infinitæ patientiæ indicium : *Ingratos curauit* , quasi minùs sudarit patientia in
ferendis acrioribus pœnis, quàm in conferendis
ingrato homini beneficiis. Fuge ingratitudinem
ingenuitatis dedecus, humanæ naturæ probrum,
& mortalibus cunctis fastidium.
Posuit cum seruis suis rationem dominus il- 59.
le, qui & familias pater : oblatus est ei vnus pe-
ne infinita talentorum summa grauatus : *Obla-* Matth.18.v.24.
tus est ei vnus , qui debebat ei decem millia talenta. O quàm liberalis dominus , qui tot talenta
vni committebat seruo. O quàm nequam seruus,
qui tot domini dissiparat talenta ! Iussit illum
venundari , & vxorem eius , & filios, & omnia,
quæ habebat , & reddi. O quanti æstimat Deus
hominem , quandoquidem venundari iussit , vt
ingentem adeò recuperauerit summam, quando
homo adeò parui Deum æstimat, vt de vendito
non magnam nummorum collegerit copiam:
ad summas angustias redactus seruus ingeniculatus , largasque in lachrymas fusus solutioni
postulabat spatia , vt colligere posset talenta:
Procidens seruus ille orabat eum dicens : *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Benignissimus Dominus miseratione cómotus omne
debitum dimisit illi : *Misertus Dominus serui
illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Iam angustiis absolutus egreditur : cúmque in conseruum centum denarios sibi debentem incidisset, illum premebat, vt statim solueret : recurrit
conseruus ad preces ; non tamen potuit à conseruo obtinere exiguos sibi denarios donari; sed
neque spatia solutioni concedi : cúmque ad Dominum delatum esset , seruum nequam tradidit
tortoribus , vt egregiè vapularet , quoadvsque
vniuersum debitum redderet : *Iratus Dominus
eius tradidit eum tortoribus , quousque redderet*
vniuersum

vniuersum debitum. Profectò specie tenus dominus à ratione, & æquitate desciscit: si seruum ingenti adeò summa oppressum liberalis absoluit, cur sibi debita exigentem castiget? Talentorum dissipatorem opportunius videbatur punire, nummos suos recuperare volentem nullum ius permiserat verberare: cur ergo, quàm fas esset, ad speciem anteà indulgentior, & modò rigidior. Expende seruum illum, cùm ingens adeò beneficium à domino recepisset, nullum gratitudinis prodidisse argumentum; nullas egit gratias, nullis extulit liberalitatem elogiis: *Dimisit*, inquit textus, *eum, & debitum dimisit ei.* Quid tunc? *Egressus seruus ille*, &c. Et vbi gratiarum actio? vbi benignitatis elogium? vbi gratitudinis argumentum? Tacuit rusticus, & oblitus est statim, quod acceperat beneficium: ingratitudo ergo sic benignitatem Domini offendit, vt licèt anteà tot oppressum talentis absoluerit, nec à seruorum numero excluserit, posteà ingratum, & rusticum tortoribus tradiderit, ingentibúsque suppliciis affecerit: de peruerso ingratitudinis ingenio vel remissa aliquomodò rediit culpa, vt solueret iustè pœnam, cùm antè ingratitudinem nec tot talenta debita domini exasperauerint gratiam.

Abulens.

Adest Abulensis hìc quæst. 145. *Nequam seruum tradidit dominus tortoribus; quoadusque redderet vniuersum debitum, quia non solùm peccata, quæ homo egit post baptismum, reputabuntur ei ad pœnam; sed etiam peccata originalia, quæ in baptismo sunt dimissa: & istud non habet aliquod dubium: quia, vt ostensum fuit suprà quæst. 140. non redeunt peccata in seipsis; sed in aliquo effectu, scilicet ingratitudine, & ista ingratitudo est in quantum contemnitur Dei beneficium.* Vel dimissa repetuntur ab ingrato, quum tot talenta donata fuerant afflicto: ingens adeò debitum non excluserat à seruorum numero famulum, ingratitudo tamen caruit commiserationis auxilio: quasi ingratitudo fuerit debitorum ad pænam resculptrix, Dominique domus non admittat ingratum, quæ tot talentis penitus non exclusit oppressum.

---

§. XV.

Tunc quis tranquillitatis, contemplationísque fruitur sereno, cùm rerum terrenarum vtilis subrepit obliuio.

60. QVisquis iucundum contéplationis sectatur otium, ambiat à tumultu rerum secessum: subducendus est animus, & euanidis rerum imaginibus subtrahendus: impediunt namque cælestis lucis placiditatem: composita turbantur, inquietantur serena turbæ strepitu, & tumultus flatibus sic considerationis concutitur scapha, vt retardata, & circumacta viam non inueniat. Quàm benè monebat Seneca suum Lucilium

Senec.

epist. 22. *Iam intelligis educendum esse te ex istis occupationibus speciosis, & malis.* Nisi animus vtili obliuione quodammodò torpeat, & à se ipso alienatus discedat, se liberè non fruetur, neque quantum boni sit in contemptu eorum, quæ maximi ab imperitis habentur, discet. *Sordido se, & contumelioso labore*, addit ibi Seneca

Sapiens negotia tractat non negotio.

de forti viro, *non conteret, nec in negotijs erit negotij causa: ne illud quidem, quod existimas*

rum studio; sed meliori quidem voto.

eum facturum, faciet, vt ambitiosis rebus implicitus earum semper æstus feras; sed cùm viderit grauia, in quibus volutatur, incerta, ancipitia, referet pedem. O quàm collocantur in tuto, qui se abdicare nouerunt mundo: nesciunt homines occupationes relinquere, quia nec nouerunt occupationum præmia contemnere, nec huius contemptus commoda fidei lance pensare: hæc ignorantia moratur homines, magnas sibi spes confingunt, nec à messe, quam delusi sibi promittunt, discedunt; amant mentitas adulationes, lecticam multis ambitoribus circumdari, atrium vel prima luce repleri, & quia mercedem miseriarum falsi discupiunt, inuiti prorsus ipsas miserias euadunt: occupationum plures execrantur molestias, & dum execrantur diriùs, studiosiùs exambiunt: nunquam perueniũt ad illam synceram voluptatem, quam rerum non interpellata cognitio parit, & quæ veritatis assedas gaudio replet. Quisquis caducarum rerum obliuiosus, & cælestium possessione iucundus: nullus reliquens humana ruit; sed ad feliciora ascendit. Dimidia Tribus Manasse Iordane transmisso promissionis terram deliciis scatentem possedit: *Terra Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse, qui reliqui erant.* Et cur Manasse præ aliis tribubus terra Galaad obuenit? Repetamus historiam, vt commodius moribus adaptemus doctrinam. Persequebatur Laban assumptis fratribus Iacob patriam repetentem; verùm furore insanientem repressit Numen causam fugientis suscipiens: Labanus timore correptus mentem mutauit, & fœdus iniit; cúmque iam tranquillè ac placidè lites compositæ essent, lapidum tumulus erectus est, super quem mensa explicata, & antiqua amicitia fœdere nouo sancita: *Tulit Iacob lapidem, & erexit illum in titulum, dixitque fratribus suis: Afferte lapides; qui congregantes fecerunt tumulum, comederúnque super eum: quem vocauit Laban tumulum testis, & Iacob aceruum testimonij, vterque iuxta proprietatem linguæ suæ: dixitque Laban: Tumulus iste erit testis inter me, & te hodie. & idcirco appellatum est nomen eius Galaad.* Itáque terra Galaad fuit timoris ac perturbationis exilium, lætitiæ ac pacis theatrum: hæc ergo tellus Manassensibus in sortem obuenit: quia Manasses idem est ac obliuio, & humanarum rerum obliuio imperturbata ac serena semper possedit. Adest Hugo: *Galaad interpretatur aceruus testimonij: terra Galaad sacra Scriptura est, quæ cadit in sortem filiorum Manasse, id est, clericorum, qui debent esse filij obliuionis, vt dicere possint cum Apostolo: Quæ retrò sunt, obliuiscens.* Terram lætitiæ ac pacis possedit obliuio, vt noscas mundi obliuiosis placiditatem adscribi, & serenitatem legari.

Genes. 31. v. 45.

Hugo.

Psalmista Sponsam monet, vt vel in hoc sæculo cælestes delibarit delicias, obliuisci populum, & veluti lethæis aquis potatam paternam domum prorsus nescire: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Quæ obliuiscitur, iam intuetur: nam ipsa obliuio est quodammodò cælestium aspectus, & diuinorum intuitus. Ita Tilmanus in Allegor. *Cùm in Psalm. 44. Deus Pater celestis Sponsam filij sui ad fidem inuitasset, ac docuisset tantùm audire, & videre,* id 61.

Ps. 44. v. 11.

Tilman.

id est, verbo Dei parere, & considerare mirabilia, quæ opinionem diuinitatis meritò debeant confirmare, mox iussit, vt ea, quæ curat populus, id est, totus hic mundus, deinde quæ domus patris, id est caro & sanguis, penitus negligat, & ne cogitet quidem. O quàm aptum ad cælestia intuenda oculorum collyrium est non solùm vsque ad obliuionem; sed vsque ad carnis & sanguinis ignorationem perduci: nullus potest meditari cælestia, ni strepitum sensuum, ni mundi fugiat tumultum: auocant enim animum splendoribus illita, & extrinsecus solùm pulchra, & dum deprædantur oculorum visum, captiuant & animi studium: à se ipso recessurus est, qui pacis sereno, & lucis discupit cælestis potiri placido; aliter humanis implicitus, & terrenis deditus cælestium contemplatione marcet priuatus.

61. Christus Dominus, vt de cælestibus dissereurit mysteriis, patri, matrique arcano studio subducitur, & triduo Ierosolymis immoratur: nec solùm ad nostram eruditionem remanet solus; Luc. 2. v. 46. sed ænigmate defunctus: *Post triduum*, inquis, *inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum audientem illos, & interrogantem eos.* Ambrosius hoc triduo passionis sepulturæque triduum adumbrari existimat: vt nos suis factis doceret Christus diuina tractantes Ierosolymis, hoc est pacis visione fruentes non solùm omnia debere obliuisci; sed & sepultos referre: vt enim qui sepultus iacet, nec sensuum ministerio vtitur, nec falsis imaginibus prolectatur, vt seipso, caret, nec memoria antiquitus impressa retinet; sic qui cælestibus studet, qui serenitatem olympi in seipso refert, necessum est seipso careat, sensibus viduatus, & humanorum prorsus oblitus: adeò caducis truncus, vt de illo reperi possit ad elogium, quod de idolis ad vituperium, scilicet: *Oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.* Ambros. Audi Ambrosium: *Nec otiosè immemor suorum secundum carnē parentum, qui secundum carnem vtique sapientia Dei implebatur & gratia: post triduum reperitur in templo, vt esset indicio, quia post triduum triumphalis illius passionis in Sede cælesti, & honore diuino fidei nostræ se suscitatus offerret, qui mortuus credebatur.* Triduum mortis refert in triduo, & specie sepultus cælesti sapientia impletus: suorum parentum secundum carnem immemor Ierosolymis manet: nam cælestis visio, pacis tranquillitas (ita Ierosolyma interpretatur) solùm sibi vendicant temporalium prorsus oblitum, & ab humanis sepulti adinstar abstractum: *Nec otiosè immemor suorum secundum carnem parentum: qui secundum carnem vtique sapientia Dei implebatur & gratia, post triduum reperitur in templo.* Profectò Christo Domino impedimento esse nequibant parentes, nec humanorum tumultus internos, sacrósque Domini poterant interturbare recessus; ad nostram tamen eruditionem parentum secundum carnem ad speciem obliuiscitur, cùm Ierosolymis immoratur: nec solùm refert oblitum; sed terræ finibus amandatum: vt noueris mundialium obliuionem cælestis esse scaturiginem lucis, & sepulchrum patriam esse tranquillitatis. O bona obliuio, gaudij genitrix, lætitiæ mater, tranquillitatis regio, luminis cælestis origo. O felix obliuionis sepulchrum, vbi homo sepelitur ad vitam, vbi caducis subductus iacet ad gloriam: ibi nullus premit exactor, nullum fatigat periculum, nullum vexat ambitionis tormentum. Galaad pacis & tranquillitatis terram possedit obliuio: quia mundialium ignorationi debetur imperturbata lætitia, & pax in æuum serena. Adde sic officere humana prorsus non obliuisci, penitúsque deserere, vt vel exigua morentur gressus, & retardarint volatus; solùm liberiori luce fruitur; qui humilia deserit: olympo solùm approximat lætus, qui caducis prorsus nudus.

Mulierem illam decore luminoso vestitam 63. draco virulentus pertinaciter insequitur, gehennalibus emissus latebris explicat cæruleas spiras, & oculis eiaculatur flammas: mulier sexus conscia, & primææ matris stragibus erudita fugit in solitudinem: prudens vitauit semper scopulum, vbi alteram incurrisse nouit naufragium: prudentissimè timuit cum versutia serpentina congressum, quia nouerat Euæ casum: *Et mulier fugit in solitudinem.* Apoc. 12. v. 6. Serpens virulentis euomit venena pectoribus, solitudine insequitur commorantem; & anhelat diuexare latentem. Quid tunc? *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum locum.* Inquiramus, si placet, cur in solitudine alas non habuerit, cur habeat in deserto, & cur aquilæ fuerint alæ: omnia namque & profundis mysteriis plena, & ad nostram eruditionem accommoda. Hugo Carensis eam differentiam inter solitudinem & desertum adsignauit, quod solitudo mundi tumultum excludit; delicias tamen non respuit: desertum verò non solùm est mundialis tumultus proscriptio; sed & rerum mundialium obliuio: solitudine ergo non habet alas, deserto aquilinas sortitur pennas, vt iam inconniuentibus oculis solares valeat radios intueri, & cælestibus vicinari: aquila dum perniciori volatu terrena deserit, luce liberiori fruitur, & quasi cælestibus conuersatur: ergo deserto, vnde prorsus omnia terrena exulant, mulier aquilinis inuolat alis; at solitudine pernicibus caret pennis, quia nondum omnibus abdicata deliciis: *Per hoc intelligitur profectus: quia, vt supra dictum est, mulier priùs fugit quasi pede, &* Hugo. *quasi adhuc amans terrena; sed sub Deo modò volat; quia iam pedibus non tangit terram: & priùs dixit solitudinem, hìc dicit desertum: quia solitudo excludit tumultum mundi, & non res; desertum verò vtrumque, scilicet & res mundi, & tumultum. Ergo locus proprius Ecclesiæ est desertum, vbi nec res mundi sunt, nec tumultus: vbi alitur per tempus, id est doctrina Christi pascitur.* Tunc cælesti contemplatione pascitur, cùm mundialium obliuiscitur, & quibus terram deserit alis, cælestibus appropinquat deliciis: plumis caruit, dum desertorum recessus non petiit: quæ solitudine non semel esse solent deliciæ, volatus extiterunt & remoræ: fugit serpentinas versutias; sed fugit gressibus, non volatibus; at desertorum incola, tumultus, & mundialium rerum nescia iam aquilinis vestitur plumis, quibus cælestis contemplationis fruatur luminibus, & purioribus eleuata à terra cæli perfruatur regionibus. O quantos vel exigua retardauere volatus! Omnia obliuioni tradenda sunt, vt cælesti otio pascatur anima, & leui ad cælum

rapiatur

rapiatur penna: *Solitudo excludit tumultum mundi, & non res; desertum vero vtrumque.*

§. XVI.

Sacerdotum census patientia, & humilitas.

64. SVpercilium, & tumor homines reddunt odiosos: superba arrogantia, & præsumptuosa superbia aliorum animos exulcerat, adeóque percellit, vt Apostolus paulus quodammodò illatis iniuriis annumeret, quasi aliis intulerit iniuriam, qui ventosam ostentauerit arrogantiam: *Sustinetis, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cadit:* faciei dehonestamento annumerat elationem: quasi arrogantiæ manu audientium vultus feriat, qui ventosus ructat superbiam, & superbus vomit iactantiam: humilitas animos intuentium prolectat, & ad se incantamentis honestis vocat, vtque in obscuris plus offendit iactantia, sic in maximis magis delectat modestia. *Sic est in Principibus humilitas gloriosa*, aiebat Cassiodorus in gnomologia, *quemadmodum in mediocribus odiosa potest esse iactantia*, verùm etsi in aliis humilitas sit virtutum ornatus, & factus morum venenum, hoc præcipuè in sacerdotibus verum est: dedecet namque præsumptuosa inflari arrogantia, quos Christi adscripsit sibi doctrina. Fortasse id Sponsus in dilectæ crinibus allaudauit: *Capilli tui sicut greges caprarum.* Capilli caprarum adinstar vertice commorantium; sed qui capiti coniunctiores deorsum defluunt, & pedibus appropinquare festinant: hoc ergo amorem sauciauit Sponsi, scilicet, & alta possidere, & se humili studio deprimere. O quàm caput ornant capilli origine excelsi, & ad terram vsque humilitate demissi. In sorte Manassensium refertur Macmath, & Sichem: *Fuit terminus Manasse ab Aser Machmethath, quæ respicit Sichem.* Hugo ad mores ciuitates adaptans, Machmath tradit interpretari humilem, & Sichem humerum: gemina ergo hæc virtus in Manassensium, hoc est clericorum sorte inuenitur, quia discipulorum Christi census, & patiens humilitas, & humilis tolerantia. Audi Hugonem. *Filij Manasse in possessionem recipiunt Machmath, quæ interpretatur humilis, & Sichem, quæ interpretatur humerus: quia clerici potissimè humilitatem, & patientiam debent quasi proprium possidere: assumpti enim sunt in ministerium Christi: ministri autem humiles debent esse, & patientes.* Ecce clericorum census tolerantia, & modestia, sine quibus, & nomen portabunt vacuum; & quibus dignitatis implebunt titulum.

2. Cor. 11. v. 20.

Cassiodor. *In mediocribus odiosa iactantia.*

In Principibus humilitas est gloriosa.

Hugo.

65. Cùm Christus Dominus de Passione sua cum discipulis dissereret, duo illi fratres matris patrocinio cōfisi, & cum Christo Domino cognationis suffragio fulti primas cathedras ambire conantur: *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Chrysostomus apud D. Thomam suspicatur dæmonem eisdem technis, quibus primos parentes de paradiso discipulos hos aggressum de Christi depulisse collegio. *Consulit*, scribit apud D. Thomam, *diabolus ad consueta arma mulierum, vt sicut Adam per mulierem expoliauit, ita, & istos separaret per matrem.* Profectò petitione non videntur separandi; sed coniungendi: gestiunt adhærere, animitus refugiunt distare: primi parentes diuinitatis promissis allecti pomum decerpserunt; hi diuinitatem non ambiunt; sed Christo Domino associari requirunt: quomodò ergo diuersis votis ad similes respondebunt effectus? Quia se, respondet Chrysostomus, negarunt discipulos, cùm se prodiderunt superbos: idem piaculum conciliare videtur Christi discipulo sacerdotique excellentiæ ambitio, ac Euæ tunc Principi diuinitatis præsumptio: Eua animalium domina, Adamus Princeps exambiunt creaturis impossibilem dominatum, deos scilicet esse: Iacobus, & Ioannes teste Augustino apud D. Thomam decem aliis piscatoribus anteferri: *Audierant quod super duodecim thronos sedebitis, vnde primatum ipsius cathedræ petebant accipere:* ideò Chrysostomus iure hos illis assimilat: quia in Christi discipulo sacerdotéque non minùs censetur piaculum vel inter obscuros piscatores aliquam excellentiam ambire, quàm in Principe, magnóque diuinitatem conari: vtque Adamum (deliquerat namque) non sustinet paradisus, nec superbientem sacerdotem discipulorum admittit census. Adamus alienam discupit arborem vltra ditionem suam positam: Ioannes & Iacobus extraneam professionis suæ dignitatem discupiunt: & quidem Sacerdos à superbia esse debet alienus, vt Adamus à vetita arbore tenebatur esse remotus.

Matth. 20. v. 21.

Chrysost.

August.

Viderat Ezechiel quadrigam illam, in qua cæleste Numen vectum pompaticè splendescebat: quatuor animalia colla felicissima quidem de iugo loris subdiderunt, inter illáque homo, & leo sibi dexteram vendicarunt: *Facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor.* Aquila cæteris altior eminebat, bos sinistram muniebat partem: *Facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Profectò onus videtur inæqualiter dispensatum: nam si torosus homo, si validus leo alteram iugi partem sustentant, cur bos solus alteram partem sustineat? *Bos*, inquit, *à sinistris.* Duplicatum onus bouis terit humeros, quando diuisum reliquorum premit lacertos: estne diuinæ reipublicæ idem ac humanis stylus? humanis namque validiores recusant onera, & premunt miseros, quæ humeris abiecere potentes: bos æquale onus cum leone, & homine portat, & eius ceruices premit collectum, quod aliorum pressit diuisum; verùm cum apud cælestem politiam omnia sint arcana, nec erroribus humanis obscura, indagandum nobis est huius discriminis sacramentum. Theodoretus aptum testatur symbolum, quia vitulus significat sacerdotium. *Leo*, inquit orat. 1. *regnum (namque animal regium est) significat, per vitulum sacerdotium:* quò Deus sacerdotes doceret illorum censum humilitatem, & patientiam esse à sinistris collocauit, & partem iugi humeris eius imposuit, cùm partem aliam homini, & leoni diuiserit. Bos terram versat, quo alij auratis exundent frugibus, & siligineis vescantur panibus: paleis vescitur, & ad aliorum escas fruges ministrat copiosas: & quidem Sacerdos, vt pauperes cibet, vt miseros alat, vesci debet

66.

Ezech. 1. v. 10.

Theodor.

debet non delicatis; sed rudibus, & angustis: Sacerdos duplicatum onus ac reliqui debet portasse, & locum vltimum delegisse. Non assero Christi ministros, Sacerdotésque loco vltimo habendos, aut cæteris plus grauandos: nam vel minus Christi, & Ecclesiæ minister ab Ecclesiæ filiis in Christi Domini obsequium est magna veneratione honorandus, studioséque suspiciendus; vtrique tamen parti hoc esse debet studium, Sacerdoti scilicet se humilitate deprimere, ad aliorúmque salutem sudare; aliis verò amplissimis honoribus colere, & priuilegiis ornare.

67. Christus Dominus apud desertum famelicos cibat illo sæculis inaudito miraculo: panes è Domini manibus efflorescebant, & ipsa fractione multiplicati tempus euincebant: ex temporaria mensa excipiebat conuiuas, & sine labore saporatis dapibus nutriebat famelicos: cúmque iam tot homines exatiati essent, reliquias iubet
Ioan. 6 v. 12. colligere: *Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis.* Locus hic duas nobis ponderationes morales offert: cur non exprimat hic Euangelista fragmenta piscium; sed panum superfuisse: ait enim: *Ex quinque panibus hordeaceis.* Si Christus Dominus conuiuis suis non solum panes; sed pisces apposuit: *Accepit Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus, quantum volebant*: cur Apostolis sola panis dedit fragmenta? Et cur hic piscium tacentur frusta? O pulchram Sacerdotibus eruditionem! Ipsi discipuli, qui panis fragmentis victitant, turbas panibus, piscibusque aluerant: *Dabat discipulis suis*, inquit
Luc. 9. v. 16. Lucas, *vt apponerent ante turbas.* Discipuli pane contenti quos famelicis apponerent piscibus exundabant. O quot hominum necessitatibus opem tulerunt, dum totus illorum cibus panis frustum! fortassis non illis superesset, quod aliis largirentur frustum; si ipsi lautiùs vescerentur piscibus, siligineisque panibus: exiguis rudibusque cibis victitantes quinque millia hominum saturarunt. Bene, sed inquiramus, cur fragmenta non turbæ, sed Apostolis dederit magister portanda, cur ab illis præceperit colligenda. Vt ministrorum, inquit Chrysost. apud D. Thomam, expleuerint munus, & orbis magistri humeros supponant oneribus. Audi eius verba:
Chrys. *Quare non turbæ dedit fragmenta portanda; sed discipulis? quoniam hos maximè erudire volebat, qui orbis terrarum debebant esse magistri.* Voluit erudire Apostolos, & in Apostolis Sacerdotes esse popularium necessitatibus vectigales, debere que portare onus, vt proximorum leuarint onera, vt necessitatibus impertiantur remedia. Turba alitur, & Apostoli humerus oneri portando supponitur. Apostoli turbæ ministrant panes distribuendo, reliquias colligendo, onus deportando, quò nouerint illorum censum esse & patienter multa sustinere, & proximis humilitate seruire. Non carpo Sacerdotes, nec agnosco ab eiusce modi regula exorbitantes; vereor tamen, ne aliquorum fastus refragetur officio, & sumptus nimis Ecclesiastico ruborem attulerit ministerio: esset namque sacrilegij genus, si sacris addicti insolentiori tumescerent arrogantia, & somnolenta marcescerent negligentia.

Sacerdos sibi sit parcus, aliis generosus.

68. Giezi Elisæi famulus, & ad prophetarum classem quodammodò spectans sic Æthnæis cupiditatis vaporibus conflagrauit, vt profanas vestes, mancipia, & familiam copiosam æstuantiùs ambiret. Audi Dominum latenter facta carpentem. *Nunc igitur accepisti argentum, & acce-*
4. Reg. 5. v. 26. *pisti vestes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas.* Ecce ambitionis prodigium, ecce exorbitationis miraculum: Elisæi seruus pompaticas & pretiosas vestes accipiens, & qui status sui lege aliis tenebatur seruire, cupiuisse ambitiosissimè dominari. O quàm dignus erat, qui ab Elisæi societate exterminaretur punitus, qui deliquerat contra statum ambitiosus! Naamani Principis quadrigam secutus currit, vtque aliis dominaretur, potentioris ambiuit gratiam: indignus quidem, qui Elisæo Christi ænigmati ministraret, dum potentioris affectauit gratiam, dum indecorè est secutus quadrigam: qui dispensare debuerat largiter propria, sitienter suspirauit aliena; sed quidquid illi indignis artibus acquisitum, & lepra dignissimè infectum. *Cùm de modernis Episco-*
Damian. *pis mihi perplura displiceant*, scribit Petrus Damianus lib. 2. epistol. epist. 3. *illud intolerabiliùs arbitror: quia nonnulli, dum honores ecclesiasticos æthnæis vaporibus æstuantiùs ambiunt, in clientelam potentium tanquam seruos se deditiitios obscœnè substernunt: ecclesiastica quippè deserunt, dum ecclesias concupiscunt.* Addit aliquantulum postea doctissimus Cardinalis: *Quis manifestiùs approbatur pro adipiscendis honoribus præstare pecuniam, quàm is, qui tot expensas vtendo vehiculis, tot facultatum summas in accurandis pretiosarum vestium prodigit ornamentis.* In numerum transit laicorum, qui & delicatis vestibus exornatur, quique præsumptioni & vanitati blanditur. Giezi, dum pompaticum cultum exambit, dum superbire de familiæ amplitudine gestit, Elisæi renunciat hospitio, & se lepra infectum addicit sæculo.

§. XVII.

Quod diuinis obtutibus præsentandum, magna est solertia gerendum.

69. OMni debet circumspectione peragi, quod regalium oculorum examen constat subire: maiestati infert iniuriam, qui omnem non abstersit ab opere subiiciendo aspectibus maculam. Opus aliquod ignauè facere fragilitati adscribendum: in lucem prodere amentiæ dandum, quandoquidem aut temerariè contemnitur oculorum iudicium, aut cæcissimè in opere non inuenitur erratum. *Vide*, aiebat Cassiodo-
Cassiodor. rus 7. var. 18. *qua diligentia, quo studio sit faciendum, quod ad nostrum venturum constat examen: age itaque, vt nulla te venalitas, nulla culpa demergat: quia venale esse non potest, quod in tali causa delinquitur.* Quisque prudens vel plebeios veretur oculos, nec suos gaudet publicari defectus: improbæ audaciæ cognoscitur inseruire, qui peccata sua non refugit publicari. Iam si vel populi censura timenda, quanto magis regalis aspectus offensa solicitè declinanda. Omni studio, omni diligentia, omníque sedulitate debet curari, quod nobilem nequit aspectum effugere.

Iam

Iam si humani, quantumuis regij, oculi sunt timendi, quanta solicitudine, ne quid in opere minùs gratum deprehendant, aspectus Numinis formidandi? Vt homines ad virtutem faciliùs alliceret, imaginariam boni viri præsentiam Seneca docuit, quandoquidem in Catonis oculis, & vitium cautiùs suppressum, & virtutis studium solicitiùs elaboratum. Audi Senecam epist. 25. *Te aliquorum auctoritate custodi, aut Cato ille sit aut Scipio, aut Lælius, aut cuius interuentu perditi quoque homines vitia supprimerent.* In Catonis præsentia vel erumpens iracundiæ furor sedatur: de Scipionis aspectu animus obturbatus componitur. *Sic fac*, aiebat Epicurus apud Senecam vbi suprà, *omnia, tanquam spectet aliquis: prodest sine dubio custodem sibi imposuisse, & habere quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis iudices. Hoc quidem longè magnificentius est, sic viuere tanquam sub alicuius boni viri ac semper præsentis oculis.* Vel boni viri oculis aliquid examinandum cogit ad solertem diligentiam, ad diligentem impellit curam: quid ergo erit diuinos oculos sustinere, & quidquid agitur, examen posse nullatenus declinare? Iosue metatores delegat pro describenda sortibus nondum diuisa tellure, vtque exactiùs absoluerint munus, sic ait: *Circuite terram, & describite eam, ac reuertimini ad me, vt hic coram Domino in Silo mittam vobis sortem.* Descriptio ad Iosue, examen: ad Domini oculos reuocatur, vt omni solertia inuigilent metatores, nec patiantur Principis oculos offendere erratum, aut exasperare delictum. Vt reperit Cassiodorus Iosue nomine: *Vtinam qua diligentia, quo studio sit faciendum, quod ad nostrum venturum est examen.*

Senec.

Epicurus.

Sic opera facienda tanquam spectet aliquis

70. Anna sterilitatis notam detersit patientiâ, filiúmque lachrymarum genuit efficacia: paruulus matris amorem sauciabat, cúmque vir eius Elcana, totáque domus ad immolandum solemnem hostiam ascenderet, Anna vbera sugentem timuit diuinis oculis præsentare, domique mansit perfectiorem pueri præstolata ætatem. *Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter.* Et cur Anna diuinitus acceptum filium non properet Domino reddidisse; sed debitum morosis obsequium temporis tractibus obscurarit: nam dum præstolatur augmentum; imminuit ad speciem de traditare seruitium. Profectò tributum inter manus soluentis hærens inuitum testatur studium, & coactum prodit obsequium. Ergo ascendat, & perfectum reddendi votum vel infans per ætatem imperfectus testetur. O mulieris sapientiam! Infantulus, dum vbera sugit, homo est; sed latet in homine, rudis, virtuti prorsus inhabilis: iam maiori ætate grandescens, & quæ infantis oblitus, diuinis oculis aptior. Ergo mater gestiuit omnibus prius imperfectionibus defœcare, quem diuinis aspectibus reuerenter tenebatur ingerere: ipsa proprio labore studuit vigilantissime aptare, quod diuinis oculis redderet, ne Numinis subiret iram, si ætatem offerret inualidam. Quod ad mores adaptans Gregorius ad hunc locum sic ait: *Anna, & ablactare filium repromittit, & ante conspectum Domini, vt appareat, ducere: quia sancta Ecclesia electos subditos, quos erudit, præsentia perfectè despicere docet, & bona agere, & ad æterna bona per humilitatem festinare.* Subnectit moralissimus Doctor: *Et notandum quia ab ablactationis loco ductus asseritur, qui apparere debere in conspectu Domini perhibetur.* Puer lactens imperfectam designat ætatem, testante Apostolo: *Tanquam paruulis in Christo lac dedi vobis.* Iam qui ablactationis tempus transiluit, ad perfectionem peruenit. Prudens itaque mater timuit diuinis obtutibus præsentare, quod imperfectionem nondum didicisset exuere: nam quæ sacris oculis ingerenda, omni virtute studiosissimè sunt ornanda. Timeat ergo quisquis sua opera diuinum nouit non posse fugere examen, si aut negligenter facta, aut defectibus plena.

1 Reg 1. v. 22.

Gregor.

Duo Pharaonis serui vinculis constringebantur oppressi: *Accidit, vt peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, & pistor domino suo:* in horum culpam regis desæuiit ira, & carceri mulctandos tradit sententia: *Iratus contra eos Pharao misit eos in carcerem Principis militum.* Quærunt interpretes, quod fuerit horum peccatum. Varij varia docent. Abulensis ex Rabbinis refert propinandum Principi calicem musca defœdatum: *Peccatum istud fuit, quod pistor negligenter dimisit vnum lapillum in pane, & quòd rex fortè dentes offendit: & pincerna peccauit, quod in vino regis cecidit musca.* Nimis delicatus, & fastidiosus Pharao ob leuissimos defectus immodica efferbuit ira; nobis tamen parauit vtilissima documenta, scilicet ea reuerentia regiam maiestatem debere coli, vt peccatum nullum possit ab eius oculis reperiri. Profectò panem offerre Principi lapillosum, grãde merebatur supplicium: hordeaceos panes negligenter purgare, conformare oscitanter, aut coquere somnolenter, parum interesset; ante conspectum tamen regis siligineum panem apponendum sic negligenter disponere, vt lapillus potuerit interseri, & Principis meruit iram, & dignam decreuit ira sententiam: adhuc fortuita debet sedula prouidentia vitare, quid erit non fortuita curiosa non prouidere? Seruorum casus vtilissimæ eruditionis promptuarium est: muscam, dum calix propinatur, casu cecidisse, & poculum temerasse, non tam propinantis ignauiæ, quàm casui dandum; hoc tamen nihilominus pœna carceris est punitum: lapillum verò pani insertum regis dentes offendisse grauiorem testabatur ignauiam, & in pane formando incuriam: ideò alter capite plexus, alter aliquod post tempus vinculis absolutus: eo namque studio regiæ maiestati inseruiendum, vt nulla possit exasperari offensa, nulla displicere conspectui macula: *Peccatum fuit, quod pistor negligenter dimisit vnum lapillum in pane:* Si panes non obtulisset; minùs fortasse delinqueret; panis verò negligenter conformatus, dum serui testabatur ignauiam, illatam regi prodebat etiam iniuriam, quando constabat contemni, cui adeò ignaue famulus non verebatur seruire. 71.

Gen. 40. v. 1.

Abulens.

Discamus ab ipso Numine debitam Numini reuerentiam, quando constat vel regi terreno exhibitam. Degebat Adamus creaturarum rex paradiso; sed quamuis multa haberet seruitia, nulla generis habebat consortia: consimilis societate carens affligebatur, nec capiebatur pleno voluptatis sensu, quia censu felicitatis solus vtebatur. Quid tunc? *Faciamus*, inquit Deus, *ei adiutorium simile sibi* . . . *Ædificauit Domi-* 72.

Gen. 2. v. 19.

nus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Et cur, quæso, hic ædificij nomen auditur, cùm in Adami monitione sileatur? Aiebat illic: *Factus est homo in animam viuentem*; hîc verò: *Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat:* quod maiorem præsefert operandi solertiam, & diligentiorem operis curam: non quòd in vno aut altero opere inferiùs Numinis fuerit studium; sed quod ad nostrã eruditionem diuersum apponatur vocabulum. Cur ergo Deus mulierem ædificat, & accuratiùs, si dici liceat, omni perfectione constructam exornat? Expressit textus: *Adduxit*, inquit, *eam ad Adam.* Quam ad Adamum creaturarum regem adducturus erat, sensu, consilio, studio & prouidentia formauit. Rationem
Seleuc. reddit Seleuciensis Basilius orat. 2. *In Adami conspectu vult illam Deus fingere, & fictricis artis suæ spectatricem desiderat propriam imaginem.* Addit posteà: *Ea propter ipsum ante oculos fœminam extruxit.* Adamus alicuius ante oculos non formatus; Eua tamen ante Adami regios effingebatur aspectus: ideò ædificata dicitur, & ille factus narratur, quasi quæ in Adami efformabatur conspectu, industriorem exegerit artis operam, & accuratiorem industriam. O si subiret cogitationem nostram, quidquid gerimus diuinis obtutibus præsentandum, diuinóque examine discutiendum! Quam insudaret studiosa soleria, quàm iners depelleretur ignauia! verùm quia examinis cælestis obliti, & industriæ operationis ignari.

73. Pharisæus Dominum vocat ad mensam: quia miraculorum eius suspexerat famam: admisit obsequium Christus, non vt carnalibus repleretur obsoniis; sed vt in carne cælestibus inseruiret mysteriis: aspexit gratanter ante se humanitus posita; sed lubentiùs probauit, quæ tergo gesta. Pharisæus ad manducandum inuitat Christum; sed mulier laudabili audacia concurrit ad misericordiæ venam, quæ ad mortis inuolauerat officinam: incliuem ad peccatoribus miserendum supernam reputat prudentissimè maiestatem, dum videt honestè muneribus subornatam, aspernantemque nullatenus vel Pharisæorum superbiam: claustra domus prorumpit extranea, conuiuij penetrat ad secreta, onusta luctibus, plena lachrymis, ibique malè olentem vitæ famam vnguentorum reformauit fragrantia, & ad suauissimum odorem condiuit flebili pœnitentia: Pharisæus, quam de Christo æstimationem haberet prodidit, dum iniquus censor, & arrosor optimus corde depretiat, quem
Luc.7.v.39. opiparam ad mensam inuitat: *Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Non Deum; sed prophetam tantùm credidisse, & cordis testatur iudicium, & exhibitum testabatur etiam obsonium: inuitat; sed sic incuriosè exhibet Domino obsequia, vt plura deprehendere facilè fuerit errata. Audi ipsum Dominum: *Intraui in domum tuam: aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit: osculum mihi non dedisti; hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos: oleo caput meum non vnxisti.* Qui tanta negligentia Domini tractarat conuiuium, nullum in Christo diuinitatis credidisse constabat censum: non Deum credidit, qui ignauus & incuriosus in ipso obsequio peccauit: nam vel Pharisæus, si Deum credidisset, diligentiori cura, solertiorique studio mensam apponeret, aquam pedibus ministraret, suaue spirantibus deliniuisset vnguentis caput, reuerenter præbuisset oscula, & decentiùs tanto conuiuæ vel minima curaret obsequia: Deum non credidit, qui in eius oculis sic peccauit; imò reprehensione est dignissimus, dum obsequium exhibet incuriosus, licèt prophetam tantùm credat delusus. Benè Ambro- Ambros.
sius apud D. Thom. *Pharisæus non credidit; ista credebat: denique ille dicebat: si esset hîc propheta, sciret vtique, quæ & qualis esset mulier, quæ tangit eum.* Quæ Deum credidit, & plenum opus exhibuit; qui autem in curiosè conuiuium parat, non Deum; sed prophetam reputat: nam si sciret Pharisæus eius mensam Dominicis explicari conspectibus, & aquam pedibus præpararet, & fragrantibus vnguentis Domini verticem deliniret. Et quidem Pharisæo longè sunt deteriores, qui Dominum credentes itam exasperant quique eius oculis plenum defectibus obsequium stultissimè præsentant.

---

§. XVIII.

Quos Deus speciali est prosecutus fauore, si à recto exorbitent, non semel corripit austeriori supplicij seueritate.

TAles vos esse cupimus; scribebat ad referen- 74
darios Cassiodorus 6. var. 7. *vt etiam per* Cassiodor.
vos iudices corrigamus: peculiare de vobis aliquod vectigal exigimus, vt sicut vobiscum familiariter miscemus affatus, ita & nostra opinio specialiter à vobis mereatur affectum. Peculiare honestatis vectigal iure deposcitur, cui etiam speciali Principis affatus impenditur: familiares omni claritate non habere conspicuos Principis recurrit in notam, quando ignotos maculari nullatenus meretur censuram. Hinc, qui luci vicinior, & tenebris tenetur viuere defœcatior, & culpabiliùs incurrit, qui amicus Principis delinquit: peccata facillimè dissimulantur in exteris, seueriùs corriguntur in notis, quando ipsa familiaritas, & humanus affatus errorem damnat seue-
riùs. Opportunè Seneca cap. 1. de prouid. *Inter* Senec.
bonos viros ac Deum amicitia est, conciliante virtute: amicitia dico; imò etiam necessitudo & similitudo: quoniam quidem Deus à bono tempore tantùm differt, discipulus eius, æmulatórque, & vera progenies, quem parens ille magnificus virtutum non lenis exactor, sicut seueri patres, duriùs educat. Itaque cùm videris bonos viros, acceptósque dijs laborare, sudare, per arduum conscendere, malos autem lasciuire, & voluptatibus fluere, cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia, illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Vt inter vernulas & filios magnum correctionis discrimen est, vtque sæpiùs dissimulantur in seruo, quæ seuerè corriguntur in filio; sic optimus pater Deus, quos speciali fauore vti filios prosequitur, quosque sibi præparat, si aliquando per humanam fragilitatem exorbitent, seueriùs corrigit, & rationi de seueritate restituit. Iosephitæ cognatione cum Iosue coniuncti (erat enim ex tribus Ephraim) prolatari sibi terminos non ratione; sed cupiditati adulantes, deposcebant conquesti. *Quare dedisti*

dedisti mihi possessionem sortis, & funiculi vnius? Quid tunc Iosue? *Transibis ad montem, & succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia.* Seuerè querelas carpit: cúmque sæpiùs aliorum criminationibus blanda responsa reddiderit, modò cognatis, affinibúsque loquitur duriùs, Abulens. & ad prælia adurget seueriùs. Notauit Abulensis quæst. 3. *Iosue respondit nomine aliorum de communi consensu, quia ipse honorabilior erat; & quia Ephraitæ, & Manassitæ pertinebant specialiùs ad cognationem eius, quàm aliæ tribus, duriùs respondit eis.* Sanguine vnitos, strictiùs cognatione coniunctos reprehendit rigidior, & quos à ratione exorbitare tantisper nouerat, carpit seuerior: non ita illos amasset, si indulgentiùs respondisset.

75. Dominus Scapham cum discipulis ingreditur: nam cùm discipulos suos multa de fide edocuisset, nunc vrgentibus periculis fidei rationem reposcit: mare in fidei stadium discipulis apparat, & tantisper indulget somno, vt discipulorum confidentia ipso corroboraretur Luc. 8. v. 23. periculo: *Obdormiuit, & descendit procella venti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur: accedentes autem suscitauerunt eum dicentes: Præceptor perimus.* Aduersùs discipulos dormiente magistro depræliabatur tempestas, elati venti carbasa validiùs implebant, horribilis fluctuum sibilus aures verberabat: nauigium aduersus gubernaculi dexteritatem contorquebatur: rudentes collapsi conterebantur, discipuli, aliíque nauigantes metu obturbati circumcursabant, adhortabantur mutuò, cùm Dominus intereà dormiret. Certè quod nauigantibus discrimen Ionæ piaculum, magistri videtur exciuisse discipulis otium: quia ad nostram eruditionem voluit Dominus Principes ac Superiores monere non leuius discrimen subiectis aliquando illorum afferre ignauiam, quam aliorum conciliare potuerit culpa. Itaque hæc nauis arcano periclitabatur de somno, Ionæ nauis de piaculo. Quid tunc Dominus? Tempestatem sedat, & iam depulsa animorum perturbatione discipulos fide tantisper naufragatos acriter obiurgat: Increpauit ventum, & tempestatem aquæ, & cessauit, & facta est tranquillitas; dixit autem illis: *Vbi est fides vestra.* Periculo priùs sedato posteà animorum perturbationem redarguit: nam si adhuc desæuiente obturbarentur procella, ægrè salubri informarentur doctrina; verùm si nauigantes omnes percelluntur metu, & crebro exagitantur periculo, cur Apostolos arguat præ reliquis: *Vbi est fides vestra?* Clariùs Matth. 8. v. 25. apud Matthæum: *Accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum dicentes: Domine, salua nos, perimus; & dicit eis Iesus: Quid timidi estis, modicæ fidei?* Timorem discipulis exprobrat, & diffidentiam sugillat; & cur solùm discipulis obiurgatio? De aliorum diffidentia tacet, & discipulorum obturbationem reprehendit? Ita sanè: alij namque nauigantes non ita familiaritate coniuncti, neque scholam eius frequentantes; at discipuli, & teneriùs dilecti, & accuratiùs instructi. Hos ergo tantisper à confidentia abreptos reprehendit indulgentissimè durus, aliorũ culpam dissimulat durè indulgentissimus: *Discipulos solùm accipiens corrigit,* Chrysost. scribit Chrysost. apud D. Thomam ad Matth. 8. *& prius soluit turbationem aquarum.* Addit posteà: *Qui aderant, eum hominem æstimabant, propter quod in admirationem ceciderunt, vnde sequitur: Porrò homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Nauigantium ignorantiam dissimulat; discipulorum verò perturbationem condemnat, & quos speciali prosequebatur fauore, & austeriori carpsit seueritate.

Iacobus Patriarcha ille nobilis, & virtutum 76. cumulo, & filiorum censu filios habebat paternæ pietati dissimiles. Iosephus parentis nobilitatem probis moribus referens, & auitos mores custodiens, de crimine pessimo fratres apud parentem optimum accusauit: *Accusauit fratres* Genes. 37. v. 2. *suos apud patrem crimine pessimo.* Non illis conciliare discupiebat inuidiam; sed ab illis auertere conabatur studiosissimè maculam: patri retulit, qui & celaret culpam, & opportunam adhibere posset medelam: post delata crimina, patris nec animaduersio refertur, nec obiurgatio litteris consignatur: cúmque Iosephus posteà patri, fratribúsque retulisset somnium, scilicet Solem, & Lunam, & Stellas vndecim illi adorationis impendisse obsequia, & persoluisse tributa, pater austeriori vultu, duriusculóque sermone illam præsumptionis speciem corripuit, & Iosephum coram fratribus arguit: *Quod cum patri suo, & fratribus retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Profectò pater ad speciem reprehensibilior videtur, quàm filiusnam si cùm ancillarum filij pessimo de crimine appellantur, tacet, cur Iosepho somnium exprobrat, & speciem arrogantiæ castigat? Si seuerus adeò, vt nec somniando exorbitare permiserit, cur adeò indulgens, vt de horrendo fratrum crimine conticuerit; aut si filiis aliis donauit blandus scelera, cur Iosepho corripuit vel somnia? Innuit sanè textus. Delicta ancillarum obscurauerunt filios: *Erat cum filijs Balæ, & Zelphæ vxorum patris sui: accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Ioseph verò tenerrimè dilectus, & patri præ cæteris erat charus: *Videntes fratres eius, quòd à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum:* ideò ergo huic vel præsumptionis speciem seuerè corripuit; illorum delicta dissimulauit. *Discamus*, aiebat Basilius Seleuciensis orat. 1. Basil. Seleuc. *Scripturam, dum tacet, audire, & dum loquitur, erudiri.* Erga ancillarum filios non adeò ardebat affectus, erga Ioseph propensissimus erat animus: ideò in illorum culpis refertur silentium, & in huius somnio patris exprimitur supercilium: vt noscamus seueriùs corripi, quod dulciùs constat amari. Adest Lippomanus: *Nihil* Lippoman. *interim omittens, quæ vt pater agere debebat puerum reprehendit, quasi præsumptuosum ambientem imperium non solum in fratres; sed etiam in se, & totam familiam.* Censebat pater arcana somnia, & diuinitus immissa: *Pater rem tacitus considerabat*; verùm neque speciem præsumptionis tolerauit in charè dilecto, cùm delicta dissimulauerit ancillæ in filio. O quàm falluntur, qui se Deo odibiles putant, cùm duriùs experiuntur tractari; imò quia sibi parat, duris exercet, nec vitiis immorari permittit.

Arca à Philisthinis capta in templum Dagon 77. infertur veluti idoli tropæum, & victoriæ testimonium: *Tulerunt Philisthijm arcam Dei, &* 1. Reg. 5 v. 2. *intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt*

eam iuxta Dagon. Impuratis manibus tractari sustinet, curiosè inspici patitur; postea cùm illam restituissent, Bethsamitæ faustis, iteratisque acclamationibus arcam exceperunt, & fors nimis curiosi etiam examinarunt; verùm huius explorationis citissimè dedere pœnas non modicas redacti in angustias: *Percussit de viris Bethsamitibus eò quod vidissent arcam Domini.* (1. Reg. 6. v. 19.) Profectò æquitatem arca non videtur seruasse, dum leuibus delictis constat supplicia dura intulisse: si non occidit Philisthæos temerè audentes, & arcam impiis ausibus temerantes, cur Bethsamitas percutiat, quia curiosiùs intuiti, & attentiùs perscrutati? maiori delicto & granior debetur mulcta, & leuiori minor pœna; hîc autem leuior culpa granius sustinuit tormentum, & granior leuius supplicium. Ecqua discriminis causa est? Ex delinquentium differentia & differens coniicitur mulcta: alij namque Philisthæi, alij Bethsamitæ: Philisthæos ergo arcam irreligiosiùs tractasse nil mirum: erant enim & religione differentes, & erroribus obcæcati; at Bethsamitæ teneriùs dilecti: ideo vel leuis illorum culpa fuit rigidiùs coërcenda, licet aliis fuerit donanda. *Cum venisset Arca Dei,* scribit Abulensis quæst. 26. (Abulens.) *de terra Philisthijm noniter, repleti magno gaudio discooperuerunt eam, vt viderent: & fortè hoc faciebant populares, quia nullus vnquam Israelitarum præter Sacerdotes viderat arcam nudam.* Ex arcæ æstimatione in illud sunt prolapsi peccatum, Philisthiim ex depretiatione perpetrauerant sacrilegium; verùm Deus & allophylorum dissimulauit audaciam, & suorum vltus est supplicio seuerissimo irreuerentiam: aliis parcere non erat amoris argumentum, vt nec alios punire odij testimonium; imò odij esse potuit indicium dissimulare scelera, & amoris corripuisse peccata. O quàm durum est se Deum indulgenter habere, si Numinis indulgentia nutrit temeritatis audaciam! O quàm benignum corripere, si supplicium euitare docuit offensam. Philisthini à vera fide exules, à veráque religione prorsus exclusi, Bethsamitæ Numini tenerè chari: ergo horum irreuerentiam austera correxit pœna; illis, quamuis arcam indecenter tulerint, dilata in posterum mulcta.

§. XIX.

Quamuis quis latis felicitatis spatietur limitibus, arctatur, si illos producendi caruerit spebus.

78. Spes animæ tormentum est, si differtur; sed acriùs, si denegatur: leniunt homines calamitatem, dum spe meliora præsumunt: adulantur ambitioni, dum vel nunquam futura appetere cogitant, & excogitata sperant: sine spebus nec animus suffulcitur, neque studium vlteriora, conatur: tolle spem, & marcet humanitas tota: tolle spem, & cuncta cessabunt: est namque spes fortunæ solatium, animi vigor, doloris delinimentum, & ad vlteriora incentiuum. Certè qui cunctis defraudatur spebus, quantumuis felicitetur, cruciatur: quia humano cordi nullatenus posse crescere est duriùs martyrium, & exaggeratiùs tormentum. *Quid communissimum?* aiebat Plutarchus in Conuiu. (Plutarch.) *Spes: quandoquidem quibus nihil aliud suppetit, vt hæc suppetit.* Spes miseriarum leuamentum, sine illa nec felicitas arridet, nec prosperitas placet: iucundiùs viuit vel cui nihil est, si spes remanserit, quàm qui diuitiis Crœsus, si spebus prorsus sit nudus. Ad rem Seneca lib. 5. declamation. declamat. 1. *Omnia tibi fortuna abstulit; sed spem reliquit: tolle spem hominibus, nemo victus retentabit arma, nemo infeliciter experta negotiatione alios appetet quæstus, nemo naufragus viuet.* (Senec.) Quamuis omnia fortuna abstulerit, si spes remanserit, animus roboratur, & aduersùs casus erigitur; at quamuis omnia prosperè cesserint, si nulla spes incrementi arrideat, arctantur humana corda, quia anhelantia vrgent semper animum desideria. (*Fortuna si alia auferat, spem solet ad solatium relinquere.*) Iosephitæ duplam præ cæteris sortem terræ promissionis potiuntur; & tamen querelas excitant, séque præ cæteris angustis limitibus criminantur conclusos, & exiguis terminis coarctatos. *Locuti sunt filij Ioseph ad Iosue, & dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis, & funiculi vnius, cùm sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus?* Huius querelæ causas indagare studiosissimè conantur interpretes: nam cùm telluris mensores Iosephitis duplam, quàm cæteris portionem adscripserint, videntur prorsus iniustæ querelæ, quando amplæ exhiberi debuissent gratiæ. Quid ergo in causa esse potuit, vt se præ cæteris conquesti fuerint arctatos, & molestè satis constrictos. Rabbi Leui F. Gersonis ait harum tribuum sortes inter reliquarum tribuum terminos adiacere, cúmque illis fas nequaquam esset aliarum tribuum limites irrumpere, molestè satis tulisse, quantumuis dupla portione amplificarentur ditati, proferendi terminos spebus prorsus nudari, & assignatis semel limitibus semper concludi. Ita Masius ad hunc locum: (Masius.) *Rabbi Leui Fr. Gersonis sic hunc locum explanat, vt dicat Iosephitas esse questos suam hæreditatem his vndequáque finibus determinatam esse, quos olim nulla ratione proferre possint sine fratrum suorum iniuria: meritò enim id eis graue videri, cùm in dies numero hominum augescant: plerásque enim alias tribus ita locatas fuisse, vt sua pomeria ampliare vicinis barbaris subiugatis possent.* Nulla alia tribus amplam adeò sortem obtinuit: nam Iosephus portione dupla antecelluit; verùm ea dispositione sortes obuenerunt aliquibus, vt sine fratrum iniuria illas ampliare valerent: Iosephitæ verò inter alias tribus considentes nullatenus sortium poterant ampliare terminos, nec nouos colere agros. Ergo quantumuis prolatis dilatarentur limitibus, nimis se querebantur angustos: quia progrediendi prorsus carebant spebus.

Componamus cum maledictione Cham Rubeni supplicium: hic patrem offenderat cæco 79.
passionis impetu in honorem genitoris insaniés, & stratum eius polluens: pœna statim non est secuta delictum, licèt posteà punitũ fuerit peccatum. *Ruben,* inquit Iacobus, *primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio; effusus es, sicut aqua, non crescas.* (Gen. 49. v. 3.) Primus & fratrum maximus refertur, donis ditissimus, imperio augustus; & vbi maledictionis indignatio? Noë cùm petulantem filium nuditati agnosceret insultasse, aiebat: *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.* (Gen. 9. v. 25.) Si ergo patris irrisio seruitutis tulit pœnam,

pœnam, cur iniuria adeò grauis honori patris illata duriorem non tulerit mulctam? Ruben nulla indicitur seruitus, nec priuatur sortis deliciis, quantumuis primogenituræ denudetur priuilegiis. Si ergo Iacobus filij peccatum punire exambit, cur adeò indulgenter punit, aut cur Noë iuuenilem procaciam dura adeò seruitute castigat? Forsitan Ruben non leuius supplicium: priuatur namque prorsus spebus, si Cham fratrum premitur seruitute, adeóque anxium humanæ ambitioni est non posse crescere, vt sit idem ac seruire: felicitati terminus apponitur, vt sistatur: *non crescas:* quòd adeò ambitioni durum, vt dignè castigetur peccatum. In Hebræo clariùs huius supplicij exprimitur pœna, & peccati profertur mulcta. Ita Caietanus: (Caietan.) *Iuxta Hebraum habetur dictio: Non plus habebis.* Quantumuis referatur fratribus originis prærogatiua antelatus, quantumuis fortitudinis dicatur principium, donis maior, & imperio excelsior, de illo addito *non plus habebis*, & seuera infligitur pœna, & durè punitur culpa: Cham iugo addicitur, Ruben spebus fraudatur: vtérque ergo maledictionis incurrit offensam, vt temeritatis soluat procaciam. (Chrysost.) *Vt igitur*, aiebat Chrysostomus apud Lippoman. *nunc in sequentibus generationibus talia nemo imitetur, reprehensionem Spiritus sanctus ordinauit.* Hanc peccati pœnam Spiritus sanctus voluit litteris consignari, vt nouerint sæcula grauiter peccata puniri: habeat quidquid voluerit Rubenus, satis torquebitur, satis diuexabitur, dum sciuerit statis limitibus concludendum, & irrumpendis nunquam terminis coarctandum. E contra benedictionis sortitur locum vel collum iugo premi, si spebus contigerit suffulciri.

80. Cum Iacobus, Esauque de principatu contenderent, & vel in matris vtero de primogenituræ honore certarent, Esau prior egreditur, Iacob fratri plantam premebat manu: & quid interest felix principium, si finis obscurauit infaustus? Esau patris animum sibi deuinxit obsequiis, & primogenituræ ius oblatis firmare nitebatur eduliis; verùm vt nihil prosunt humana contra diuina consilia, frater minor benedictionem subripuit maiori merito, minori sumptu. Recognita sic Esau dolore percellitur, vt in clamorem effusus cordis testetur dolorem, & animi prodiderit anxietatem: lachrymis sibi etiam benedictionem extorsit, & pater commiseratione commotus ait: (Genes. 27. v. 39.) *In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua: viues in gladio, & fratri tuo seruies: tempúsque veniet, cùm excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis.* Et cur imponat iugum, si dolori nititur afferre dilinimentum? terræ pinguedine exundare, benignis cæli aspectibus frui benedictionis habet speciem; at fratris parere imperio, eiúsque subiectari mandato, res satis dura, præcipuè origine Principi, & naturæ lege maiori: quomodò ergo benedicere aggressus fratri postponendum testatur: *fratri tuo seruies?* Quia vltima benedictioni clausula dolorem leniter sopiebat, & in spes bonas consternatum animum subleuabat: *Tempus*, inquit, *veniet, cùm excutias iugum de ceruicibus tuis.* Repetere posset Isaac, quod aiebat suprà Seneca: *Omnia tibi fortuna abstulit; sed spem reliquit.* Esau benedicitur, cùm prosperis spebus ditatur: iugum deterebat ceruicem; sed animus melioris fortunæ spem fouebat; & de spebus benedictus, qui de iugo fraterno oppressus. Ruben, quantumuis donis referatur ditatus, punitur, dum spebus incrementorum fraudatus prorsus refertur: *Non plus habebis*; at Esau vel dum iugo teritur, bonis spebus leuatur: pro maledictione esse potuit donis ditescere; si spes prorsus auolarit, & pro benedictione pectore spes felicioris status gerere, quantumuis iugum ceruice attriuerit: *Tempus erit*, scribit Lippomanus; (Lippoman.) *quando non seruies; sed fracto seruitutis iugo tu dominaberis, & regnabis.* Consonat Caietanus: (Caietan.) *Erit quando dominaberis, & excuties iugum eius desuper collum tuum. 4. Reg. 8. capitulo legitur, quod regnante super Iuda Ioram recessit Idumæa, ne esset sub Iuda, & constituit sibi regem. Tunc itaque impleta est hæc prophetia.* Iugo premitur; sed dominandi spebus erigitur: spes est contra irruentes infelicitatis assultus gubernaculum, & doloris delinimentum. Modò recordor quanta Societatis IESV Religio Domino consecrarit, cùm omnes prorsus spes incrementorum acciderit. (*Iesu Societas dum spebus nudatur, in holocaustum Domino offertur.*) Vulgus, vt sæpè mendaciorum artifex huius vitæ professoribus magnas esse commoditates confingit: sit ita: magnum sanè Deo holocaustum est homines omni eruditione conspicuos, omnique virtute excultos intra religiosi status angustos limites sic arctari, vt nulla dignitatis spes intra aut extra affulxerit, aut spei vmbra remanserit.

81. Cùm ambitiosissimi filij fugiens insaniam viam Dauid pedes carperet, Semei, quod diu animo gerebat odium, dicteriis, & maledictis euaporauit; verùm qui insultabat afflicto; posteà triumphanti occurrit, & veniam officiosissimus postulauit: pepercit hostiliter se gerenti Dauid, ne cruenta vindictâ cælestis illius triumphi macularetur tantisper gloria; filio tamen hæredi iussit, ne culpam illam pateretur inultam: (3. Reg. 2. v. 8.) *Habes apud te Semei filium Gera filij Iemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra; sed quia descendit mihi in occursum, cùm transirem Iordanem, & iuraui ei per Dominum dicens: Non te interficiam gladio: tu noli pati eum esse innoxium; vir autem sapiens es, vt scias quæ facias ei: deducésque canos eius cum sanguine ad inferos.* Salomon, vt patris adimpleret præceptum, Semei vocat, facultatémque facit curiam incolendi, dùm tamen torrétis Cedron limites nullatenus irrumpat; sed intra illos contentus maneat. *Misit quoque rex, & vocauit Semei, dixitque ei: Ædifica tibi domum in Ierusalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc atque illuc quocumque: in quacumque autem die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum.* Profectò Semei non tam videtur inferri supplicium, quàm dari præmium: inhabitare namque curiam, Ierusalem frui deliciis non tam erat mulcta, quàm gratia: si ergo patris præceptum erat noxium sanguinem fundi, & canos morte violenta sepulchro tradi, quomodò Salomon patris tunc obsequentissimus non solùm non aufert vitam; sed habitare concedit curiam? Et vbi aut dura tormenta, aut longa è palatiis exilia? sic filij citò obliuiscuntur testamenti paterni? sic prætereunt, quod seriò parentes iubent? Certè Salomon præceptis non refragatur paternis? imò obsequentissimus paret edictis: Semei facul-

tatem facit inhabitandi curiam, extruendi sibi per amplam domum, fruendi deliciis; terminis tamen, quos egredi nequaquam liceat, concludit, & Semei, dum illi non licet progredi, iam incipit discruciari. O quàm illi durum firmis semper limitibus contineri, nec vltra posse vagari. Se vitæ periculo obiecit, ne angustiis terminis semper contineretur inclusus: maluit occidi, quàm claudi: terminos transiliuit, quamuis se morti obnoxium agnouerit: *Iuit ad Achis in Geth ad requirendos seruos suos*: sic statis inclusus terminis angebatur, vt nec imminenti detineretur periculo; imò non solùm imminenti periculo; sed nec vitæ euidentissimo detrimento. *Salomon*, scribit Abulensis quæst. 43. *priuabat Semei per istam legem multis vtilitatibus, quas habere posset egrediendo de Ierusalem: etiam cogebat eum ad perdendum multa, quæ alias non perderet, sicut nunc, quando fugerunt serui Semei, &, si ipse non secutus fuisset eos, egressus de Ierusalem, perdidisset illos.* Quodammodo patiebatur sepulchrum viuus, dum certis limitibus continebatur inclusus: grauiter adeò ferunt homines non posse extendi, & vlteriora conari. Ergo Iosephitæ se queruntur arctatos, non tam de sortis angustia, quam de sortem extendendi impotentia.

Abulens.

Nonnulli malunt perire, quàm diuitiis carere.

§. XX.

Duræ sortis mitescunt plurimùm infortunia, vbi austerioris in aliis, eisque excellentibus fortunæ attenduntur exempla.

81. CVIVIS *dolori remedium est patientia*, aiebat Publius Mimus, & iure quidem: nam exulceratus animus, & flammis iracundiæ ardentibus excandescens dolori corporis patrocinatur, dum de immoderatione incrementat: tyrones vel leniter saucij vociferantur; at veterani intercluso gemitu altissimas plagas perferunt, & sua veluti aliena corpora excoriari intuentur intrepidi, & carnem diffluere immoti: lapidescit nobiliter de patientia animus, & minus læditur ingruentibus fortunæ telis percussus, si tolerantiæ consuetudine induretur cicatricosus. Verùm quia plures dolore quodammodo subiugantur, & calamitatis fluctibus ad patientiæ naufragia crebrò rapiuntur, arte vtendum est, in illaque oculos dirigere oportet, quæ vires inspirent, & dolorum immanitatem eneruent. *Videamus*, aiebat Seneca de consolat. ad Albin. cap. 6. *quid sit exilium, nempe loci commutatio est: hanc commutationem loci sequuntur incommoda, paupertas, ignominia, contemptus. Aduersus ista postea confligam: interim primum illud intueri volo... Liberos, coniugésque, & graues senio parentes traxerunt: alij longo errore iacti, non iudicio elegerunt locum; sed lassitudine proximum occupauerunt. Quædam gentes, cùm ignota peterent, mare hausit: quidam ibi consederunt, vbi illos rerum inopia deposuit: alios excidia vrbium suarum hostilibus armis elapsos in aliena spoliatos suis expulerunt: alios domestica seditio submouit: alios pestilentia, aut frequens terrarum hiatus, atque aliqua intoleranda infelicis soli vitia eiecerunt.* Profectò durum est pati exilium; sed solatium est vel in exilio liberis frui, salute potiri, réque domestica non priuari, cùm alij plures, dum ad exilia tenderent, mari absorpti, charísque omnibus sint mulctati. Dura res ægra corporis valetudine laborare; sed plures domus ruinâ obrupti, plures infelici casu elapsi, plures inopinè vel ab amicis extincti: respicienda sunt, quæ vim calamitatis subleuent, non quæ desæuientem fortunam exasperent. Filij Ioseph cùm possessionem suam existimarent angustam, aliásque tribus non adeò nobiles fœcundiora, irriguáque arua, amœnásque alendis pecoribus planities cernerent occupasse, in querelas prorupere, sortémque suam veluti infelicem conquesti ad tribunalia inuolarunt: *Quare dedisti mihi possessionem sortis & funiculi vnius?* Syluas, montuosáque loca, in quibus extendi nequaquam poterant, sorte accidisse sibi causantur. Profectò dolorem sopirent, si quam ipse Iosue populi dux, tantæque multitudinis imperator acceperit, saniori obtutu viderent: *Cúmque complesset sorte diuidere terram singulis per tribus suas dederunt filij Israel possessionem Iosue filio Nun in medio sui, Thamnath Saraa in monte Ephraim.* Angustior profectò Iosue possessio, quam infrugiferam, effœtámque testabatur & soli imbonitas, & scopulosi montis asperitas. *Certè montana possessiones in siccis illis locis teterrima sunt*, verba sunt Masij, *& campestribus posthabentur, in quare D. Hieronymus Paulam illam suam esse miratam scribit, cum ad Iosue monumentum viseret, quod ipse possessionum omnium distributor sibi montana & aspera loca delegisset.* Si tribus illæ sortis suæ criminatrices quid Iosue summo Duci populíque Imperatori adscriptum attenderent, inuidiosas sanè querelas nequaquam effudissent; at dum aliorum non attendunt sortis angustias, suæ conqueruntur molestias. Auertendus est animus ab his, quæ exulcerant, virésque calamitatis, sortísque aduersæ incrementant: illa contemplanda sunt, quæ casum nostrum mitiorem reddunt, & non adeò trucem nobis fortunam produnt. Si Iosephitæ Iosue adscriptam possessionem cum sibi adscripta contulerint, neutiquam se deplorabunt miseros; sed gratulabantur sibi felices; at dum lautiora aliis prædia, amœnioremque sortem contemplantur, angustæ sortis doloribus adurgentur.

Pub. Mimus. *Cuiuis dolori est remedium patientia.*

Senec. *Exilium est loci commutatio*

Masius.

Tendebat Iacob fratris iram tempestiuè effugiens ad auunculi sui regionem, cúmque offusis iam noctis tenebris anxij retardarentur gressus, & lassi itinere laborarent pueriles artus, sub diuo requieuit, capitíque durissimam cautem supposuit: *Cum venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post Solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco: viditque in somnis scalam stantem super terram, & Dominum innixum scalæ.* Mira res: adolescens ob solis æstum tabernaculis olim delitescens, cubili delicato satis, vtpotè prædiuitis filius, somno indulgens, diuitiis exundans, sub diuo modò contentus dormit, & lapide requiescit. Quàm anxiis volatibus iter illud agens fuerat defatigatus, qui soporem adeò placidè potuit dura tellure capere, & sub diuo requiescere! vtroque parente orbatus, fratris machinationibus impetitus, & familiarium satellitio iam nudus dormit, qui olim blandis recubans fors nequiuerat obdormire. Sanè quia 83.

Genes. 28. v. 11.

Dominum

Dominum incumbentem contemplabatur scalæ, de alieno dolore suæ medetur ærumnæ: Eucherio, Augustinóque teste, Dominus scalæ innixus Christus est in cruce pendens. Dum ergo Dei filium æternis immortalis lucis splendoribus genitum cruci contemplatur affixum, dum nudum prorsus spectat, dum sentibus horridum, dum indignis contumeliis proscissum, dum pectus mucrone ingratissimo videt transfossum, calamitatem suam non abhorret; sed libentissimè amplectitur: iacebat solo; sed vestitus, innitebatur lapidi caput; sed terebrantibus non cingebatur spinis: fugabatur à fratre; sed Christus ligno turpissimo suspendebatur à filiis. Dum ergo sortem suam cum Christi Domini sorte confert, non austeram causatur; sed vti mitissimam gratanter amplectitur: *Iacob mysticè corporalem Domini speciem vidit*, inquit Eustachius Antiochenus in catena Lippomani, *& triumphale Dominica crucis sub figura scala trophaum contemplatus est.* Et Augustinus ibi: *Verus Iacob Dominus noster prius in scala, id est, in cruce occubuit.* Plurimum Iacobi calamitatis sæuientes fluctus detumescebant, vbi lignum, sentésque crucifixum Dominum ostentabant: quidni sorte sua, quantumuis ad speciem aduersa placidè obdormiret contentus, qui eodem loco duriorem Christi Domini sortem agnouerat contemplatus. Vtinam quos Dominus inuidentiæ fluctus enauigarit, attenderes, quo inuidentiæ morsus faciliùs tolerares. Vtinam dolores Christi Domini iniuriásque, famem, & nuditatem cum ærumnis tuis conferres, vt quæ pateris, facillima verax diceres, ast dum auertis oculos ab aliorum infortuniis, tuámque tantummodò nimis profundus speculator attendis, morbi calamitatísque in teipsum vires exacuis. Aspice quid alij perpessi: plures suo incendio superstites, & funera sua viderunt, plures regno eiecti, plures à grassatoribus occisi, plures diuitiis nuditati: non adeò durum est, quod tibi accidit, vt trucior in alios non desæuierit fortuna, & vrgentior afflictarit miseria.

Eustach.

August.

84. Christus Dominus, cùm pro disseminanda veritate discipulos delegaret, cúmque odia probra, calumniásque beneficiorum pretium accepturos videret, suo illo efficacissimo exemplo obarmat, quo calamitatis impetum leniat: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Odij immanitatísque fluctibus iactatos discipulos, vt in illum, securam equidem ad frustrandas procellas Helicem, dirigant aspectum, hortatur, quò vires resumat animus, dum exéplo armatur obtutus. Graue sanè est ingratissimas sustinere iniurias, indignas accipere plagas, cúmque Reipublicæ fuerint salus, vt nocentissimam pestem aduri; grauiùs tamen magister ipse sustulit infortunium, cùm & diuinitatis luminibus prædictus, & clarissimo Regum sanguine fuerit exortus: piscatores discipuli mirum non esset, si despicerentur abiecti, nec ab instituto vitæ peregrinum; si laborarent afflicti; Dominum tamen iniuriis dehonestari, odio immanissimo vrgeri, & regali stemmati ignotum, & diuinitatis maiestate prorsus alienum. *Exhortans Dominus suos seruos*, inquit Augustinus in catena, *ad mundi odia perferenda patienter, nullum eius maius, & melius, quàm de seipso proponit exemplum.* Fremunt odia; sed Dominum regio sanguine ignominiosa asper-

Ioan. 15. v. 18.

August.

fere olim flagella: seruulorum manus ferrei nexus constringunt; sed manus Domini impiissimi claui transfodiunt: vnde non ineptè Poëta.

Solatium est miseris socios habere Penates.

Nam quidquid Penates tulerint maiestate fulgentes, mirum non est homunculi sustinuerint obscuri. Reuoca in memoriam tempora, & quò tuam calamitatem soleris, inuenies plurimos longè te nobilitate, ingenióque supergressos, quos durissima inopia pressit, & iniquissima sors afflixit.

Non casu; sed diuina prouidentia duram ibi Hebræi sustinent seruitutem, vbi & Ioseph duram etiam tulerat seruitutis dolorem: videbant se nefariis artibus affligi, & flammis lutulentis aduri; sed ibi etiam Ioseph iniustè pallio nudatus, ibi ferro candicante ignominiosè fuerat adustus: frater scelerum prorsus ignarus ob scelera mulctatus est; ipsi flagitia plurima commiserunt; quid mirum si pœnas dederint? Ioseph captiuitatem tulit prorsus immeritam; illi ob perpetrata in fratrem flagitia ferre tenebantur dignissimam. Cur ergo sortem suam lamententur, quando simillimam fratris innocentissimi contemplantur? Solatium aliquomodò erat suæ calamitatis Iosephi memoria, & nullo perlata merito infamia. 85.

Venenosis serpentum morsibus populus inuio laborabat deserto: obmurmurarant audaces, liuidoque Moysis, & quod grauius est, Numinis famam obscurauerant dente, & quia maliloquiis alienam temerare famam sunt ausi, & serpentinis dentibus sunt percussi. O quot linguas quisque serpentum tulit, dum alienum honorem fœdis detractionis nebulis obscurauit: doloribus adurgebantur durissimis, ac perirent omnes grassante plaga, ni efficacissima mederetur vulneribus medicina: Moyses namque consulto Numine serpentis ænei constructionem molitur, quo de illius aspectu sugeretur antidotum, & euaporaretur venenum: *Fac serpentem aneum, & pone eum pro signo qui percussus aspexerit, viuet.* O immensam in homines vel maliloquos Numinis misericordiam! offensus elaborat medelam, & properat depellere plagam: verùm si immenso deflagrabat amore, cur arcam non iussit spectari, vt vulnerum maturaret auxilium; sed construi serpentem, vt abstulerit mortale venenum: Profectò arca iam affabrè erat elaborata, citissimè in illam dirigi quiret aspectus, de visúque serpentini morsus detumesceret vulnus: ergo satius erat arcam medelam constitui, quàm serpentem fabricari. Sed esto non constituatur arca, cur non designetur columna regalis ille thronus radiorum luminibus ad venustatem conspicuus, & cælesti lumine regius? nam si solidus serpens elaborandus, & artificum opera moras trahet, & materiei durities instrumentorum conatus eludet, & de morositate tandem anhelantia salutis studia defatigabit. Iam si fusilis serpens typo indigebit, & typo tempus consumet. Ergo vel arca, vel nubes aptiùs adscriberentur auxilio, quam serpens proponeretur remedio; imò moralissimè serpens datur remedium, ne arcæ, aut columnæ visus aliquomodo augerent damnum. Profectò dum Hebræi adurerentur doloribus, si arcam marino collucentem flore, grato purpuræ nigrore vernantem aut columnam 86.

Num. 21. v. 8.

insertis luminibus splendentem inspicerēt, plus de aliena felicitate calamitatem nutrirent, flammamque angoris incenderent: nam propria calamitas de alterius felicitatis conspectu adurit præcordia grauior, & ferit durior, dum tamen aspiciunt serpentem ipsum Deum non tantùm serpente morsum; sed morsibus sanè extinctum, medelam fugiunt, quia non adeò iratam sibi fortunam credunt. Delinitur de aspectu grauioris vulneris vulnus, de duriore alterius calamitate demulcetur & gemitus: grauiora sustinuit, qui totus pendebat serpens, cùm nullatenus meruerit serpentis morsus, aut ligni duros cruciatus.

Isidor. *Quod aneus est serpens*, aiebat Isidorus quæst. in Numer. 36. *ipse Christus intimatur, qui ligno suspensus est: as quippe metallis cateris durabilius esse solet, & aptè aneus serpens ligno suspensus est, vt Dominus & in serpente mortalis, & in are significaretur aternus.* Aptè æneus serpens dolore laborantibus obiectatur, vt vis doloris remissa deferueat, quandoquidem non est mirum mortalis infirmitate laboret, quando immortalis diuina natura adeò sæuam in homine mortem tulerit. Ergo à fulgido throno, à lucente arca baiulorum humeris vecta auertant oculos, ne duros incrementarint cruciatus: videant serpentem truculentiores fortunæ vultus perpessum, vt de visu erudiatur patientia, de patientiaque plagis adhibeatur vtilissima medicina.

§. XXI.

Plurimi, vt pecuniarum auarè incrementauerint lucra, vitæ sibi angustare solitant commoda.

87. PEcuniæ amor sic dementat homines, sic torquet, vt ipse sibi pro pœna sufficiat; se contrahunt ab omni lætitiæ, & felicitatis gaudio exulantes, vt vni auaritiæ inseruiant: perturbationibus agitantur, erroribus anguntur, ignorant quietis serenum, placidæque, & felicis serenitatis nesciunt tranquillum. Quàm benè aiebat Seneca lib. 2. in sapientem non cadere iniu-

Senec. ria n cap. 12. *Non quicquam inter illos pueròsque interesse quis dixerit, quòd illis talorum, nucumque, & æris minuti auaritia est; his auri, argentique, & vrbium: quòd illi inter ipsos Magistratus gerunt, & prætextam, fascésque, ac tribunal imitantur, hi autem campo, foróque seriò ludunt: illi in littoribus arenæ congestu simulacra domorum excitant; hi vt magnum aliquid agentes in lapidibus, ac parietibus, & tectis moliendis occupati ad tutelam corporum inuenta in periculum verterunt.*

Plures homines seriò pueri.

Vt pueri candentis Solis, & torridæ æstatis æstus non semel ferunt, vt albos lapillos per fluminum littora errantes ingenti labore inquirant: vt laborant minuti æris copiam aggerantes; ita plures maiori errore seipsos despiciunt: vt pecuniam aggerent, æstibus, periculis, vndis intrepidi exponuntur, vt sordidis diuitiis ditentur: si aliquid præcidendum sit aut de vitæ commodis, aut de auri lucris, sibi deficient, ne pecuniarum quid denegarint augmentis, & ad ignotos forsan transmittendis subtraxerint lucris. Theodahadus rex cùm optima decreta sabxisset, contrauenientibus pœnam statuit triginta librarum auri, qum corporali pœna redimi posse decreuit, si quis aurum insana auaritiâ fouaret: *Quoniam humana ambitio*, inquit 10. var. 28. *nisi per metum damni non potest inhiberi; his, qui à nobis titulis ordinatis, siue suffragijs, siue patronum precibus ausus fuerit cuiquam succedere, statim triginta librarum auri mulctâ feriatur, à vobis nihilominus exigendâ: quòd si ad hoc damnum idoneus non potuerit inueniri, corporali supplicio pœnam luat.* Olim corporale supplicium redimebatur auro; auaritia iam redimit aurum corporali supplicio. O quot ad soluendas auri libras se denegarint idoneos, eligentes plus corpori affligi, quàm suis visceribus, auro scilicet denudari. Iosephitæ vnanimi consensu subsellia petunt, & se nimis angustè collocatos non sine supercilio queruntur: Locuti sunt filij Ioseph ad Iosue, & dixerunt: *Quare dedisti mihi possessionem sortis, & funiculi vnius, cùm sim tanta multitudinis, & benedixerit mihi Dominus.* Se angustis nidulis coarctatos queruntur, quasi incommoda adeò habitatio fuerit, vt non tam illis sors videatur adscripta, qua spatiarentur læti; sed qua arctarentur constricti. Quid tunc Iosue? *Si populus multus es*, inquit, *ascende in syluam, & succide tibi spatia terra Pherezai & Raphaim.* Prolatis adeò funiculis sors Iosephitis adscripta spatiabatur, vt nihil illis ad commodā habitationem addi fuerit opus, quandoquidem non arctari sortis angustia; sed propria ignauia. Ecquis hoc dicat? Ipse textus: *Subiecerunt*, inquit, *Chananaos, & fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos.* Si Chananæos, vt habebant in præceptis, expellerent, amplissimis dilatarentur spatiis; noluerunt tamen depellere; sed impia misericordia concesserant habitare; & cur ampliora vitæ commodis spatia detrectent quærere, qui de angustis limitibus non cessant distributorem ferire? O vide: Si Chananæos depulerint, ampliora sortientur spatia; sed magna amittent tributa; si accipiant tributa, obtinere nequibunt habitacula vitæ commoda; ea tamen erat auri improba sitis, vt maluerint arctissimis cingi terminis, quàm carere tributis: de habitationis commoditate præcidunt, quo auri cupiditatibus addunt. Adest Abulensis quæst. 3. *Non est intelligendum quòd nequaquam potuerunt filij Manasse delere habitatores vrbium harum; sed non potuerunt à principio postea autem potuerunt; sed non deleuerunt facientes illos sibi tributarios.* Clariùs infrà: *Ephraita & Manassita habebant sufficientem terram ad habitandum; quia tamen relinquebant morari hostes in vrbibus suis cupiditate tributorum, non sufficiebant eis loca.* Aut tributis aut amplis sortis terminis illis carendum; si Chananæos tributarios secum habitare patiantur, angustis terminis includuntur, si depulerint, prolatis spatiantur limitibus; sed auri priuantur censibus, adeóque ardenter inhiarunt auro, vt termino includantur angusto: vt nouerit homines sæpè sæpiùs se contrahere, de honestísque commodis non semel præcidere, quod addiderint lucro, & insano diuitiarum cumularint augmento.

Cassiodor. Iosue 17.v Abulens.

Cùm Paulus ad orationem ascenderet, puella occurrit pythone spiritu possessa, quæ ad commiserationem Apostolorum mouit: *Factum est euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum pythonem obuiare nobis, qua quastum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hac subsecuta Paulum, & nos, clamabat, dicens:* 88.

Actor. 16. v. 16.

dicens: *Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus: dolens autem Paulus, & conuersus spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea: & exijt eadem hora.* Prodigium, quod in admirationem omnes rapere debuisset, puellæ dominos dolore non modico exulcerauit: tragœdias excitant, turbas in populo faciunt, & salutis auctores vti reos iudicibus denunciarunt: *Videntes autem domini eius, quia exiuit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum, & Sillam, perduxerunt in forum ad Principes, & offerentes eos magistratibus dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram.* Qui gratias agere debuissent, captiosas insidias illi prætendunt: puellæ domini modò carent domesticis perturbationibus, & extimendis periculis: quid tam solicitum, quid tam perturbationibus plenum, quid adeò tranquillitati contrarium, quam dæmonem domi habere, cuius ingenium est torquere hospites, replere perturbationibus domicilium, terroribus concussisse habitaculum: cur ergo accusationem tanti miraculi mercedem largiuntur, qui de tranquillitate, de domus pace, de familiæ commodis amplissimas gratias agere tenebantur? Quia quæstu carent, inquit Aldhelmus epist. de virgin. cap. 11. *Pythonissa, inquit, per spiritum falsitatis friuola vaticinatur, & ob hoc sumptuosas procerum opulentias affluenter cumulans, gazasque quæstuum deliciosas, affatim locupletabatur.* Spiritu fatidico procerum opulentiam affluenter cumulabat; menti reddita lucro proceres illi carebant, ísque illis erat insanus cumulandi diuitias ardor, vt elegerint domi perturbationis causam, periculorum originem, anxietatis negotium secum habere, quam auri cumulo dispoliari. Domi pythonem habentes necessum est frequenti concutiantur timore, & anxia agitentur solicitudine; verùm non solùm non pudet tantis incommodis ob lucrum angi; sed non angi dolet, quòd auri auolasset lucrum, & diuitiarum augmentum, illis erat ingens supplicium: malebant inquietam, ærumnosámque ducere vitam, quàm auri amittere copiam.

Aldhelm.

89. Vidit Nabuchod. proceram illam arborem foliis pulchram, ramorum brachiis dilatam, floribus nitidam, & fructuum copia refertam: confluebant aues, concurrebant animalia: & quid ad prædiuitem non confluerent, quando & spes prolectat, & commodum vocat; verùm vt nihil est variatione exemptum; imò vt præclarum excedénsque communem sortem crebris fortunæ ictibus est expositum, dura in Nabuchod. fulminatur sententia, exilium scilicet, agrestis pastus, & cæli inclementiis aduri corpus expositum: *Alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis, quæ foris sunt, & rore cæli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ.* Consultus Daniel hanc testatur posse deliniri sententiam, si pauperibus erogetur aurum, vitæque consulat diuitiarum lucrosum satis detrimentum: *Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* De auro quid monet Daniel vtilissimè minuendum in corporis commodum, & in salutis auxilium: *Vis*, inquit exponit Theodoretus orat. 4. *clementiæ fructum percipere: hanc eandem erga eos ostendito, qui vnam tecum sortiti sunt naturam: ita enim iudici persuadere poteris, vt minas extinguat, neque sinat eas ad exitum perduci.* Quàm facile, & salubre consilium, ad cuius adimpletionem etsi non virtutis honestas, corporis cogebat commoditas: durum námque erat imbribus tingi, insipidis herbis vesci, & ferreis vinculis illigari. Quid tunc? *Omnia hæc*, inquit, *venerunt super Nabuchodonosor regem.* Hîc ad speciem desudat fides, laborat auditus, stupet animus, & humanus deficit sensus: nam si adeò durum supplicium facili auertebatur remedio, cur despecto facili remedio durum voluit experiri supplicium? Ne minueret censum, ne expenderet aurum: maluit corporis persoluere mulctâ, quàm pecuniarum fraudari copia. *Propheta igitur*, addit Theodoretus, *hanc sententiam exposuit; ille vero, cùm se durum, & inexorabilem præbuisset, scelerum præmia tulit; & quæ audierat tristia, hæc oculis conspicatus est.* Auaritia induratus agris exerrat, & ne diuitiarum imminuat copiam, nudo corpore tulit pruinam: ab omni lætitiæ, & felicitatis gaudio exulat exclusus, ne tantisper auro viduatus.

Dan. 4. v. 12.

Theodor.

Est quasi diues, cùm nihil habeat aiebat Salomon, *& est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit.* Hanc sententiam variè explicant interpretes. Septuaginta ita reddunt: *Sunt qui dicant se nihil habere, & sunt qui humiliant se in multis diuitijs.* Sanctes-Pagninus ita legit: *Est qui pauperem se ostendit, & diuitiæ multæ sunt ei.* Vt enim pauperes angusto vtuntur cibo, pannosa veste, casuláque pro habitatione, ita nonnulli diuites secum agunt, ac si prorsus inopes essent, nullis cõuiuiis congreges, nullius gaudij participes; sed semper à luce, & à sumptu exules: agrestis cibus, breuis familia, nulla pompa; imò famem tolerant, & sitim ferunt, ne vel obolum expendant, vt putes aurum illorum viscera, & interiora præcordia: omne illorum studium est aggerare diuitias, obnoctant, sudant, & vt non semel audiui, morbo correpti, ne quid erogarint in medicum, vel vitæ tolerauere periculum. Adest Iansenius ad hunc locum: *Sunt qui pauperibus sunt similes, tametsi magnas opes habent, vt qui suis vti non audent, nec eis contenti sunt, semper plura desiderantes, iuxta illud: Auaro tam deest, quod habet, quàm quod non habet.* Illis deest, dum studiosius satagunt, ne desuerit: studia opponuntur studiis, & subtrahunt sæpè stomacho, quod addere possint lucello: pauperes victu, ditissimi censu: Iri sordent vestibus, Croësi ditantur facultatibus: Miraberis in seipsam insanire naturam, & cùm facultates quærantur habenti, habens deuouetur facultatibus: radicibus victitant, squalore vestiuntur, tuguriolo inhabitant, vt auro auaritiam repleant. Omnibus corporis dicantur incommodis, vt auri inseruiant augmentis.

90. Prou. 13. v. 7. Septuag. Sanctes-Pagnin.

Iansen.

91. Cùm Naaman è Syria salutis causâ aduentasset, optima de Deo Israëlitarum præsumptio falli non debuit: curatus est à lepra, cúmque patriam repeteret, Giezi, vt ab eo quid pietatis specie furaretur, cucurrit: largitus est Princeps amplissima dona, sub donis domini inhærebat fœdissima lepra: *Accepisti argentum, &c.* carpit illum Elisæus; *sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum: & egressus est ab eo leprosus quasi nix.* Et cur Giezi à domino exierit leprosus, cùm è longinquis terris

4 Reg. 5 v. 26.

terris lepra ad prophetam properarit infectus? Si causa est petitum fraudulenter argentum, restituat ablatum, vt de restitutione mutuetur remedium, qui de argento procuderat sibi probrum.
Seleuc. *Discamus*, aiebat Basilius Seleuc. orat. 1. *Scripturam, dum tacet, audire, & dum loquitur, erudiri.* Giezi leprâ carebit, si aurum restituat; ni restituat, sustinebit; verùm non audies pro salute rogasse, quia maluit pati lepram, quam lepræ amouere causam: lepra corpori incommodum, aurum auaritiæ delirium: Giezi ergo & leprâ infici, & ab hominum collegio elegit secludi, potius quam diuitiis nudari: non dominum orat, vt temperet maledictum, non ingeniculatus fatetur errorem, aurum non reddit, vt lepra auolauerit cum pecunia, si cum pecunia aduentauit lepra; sed vt auaritiæ aduletur, saluti & commodis corporis refragatur. Vt noscas plures se ipsos imprudenter despicere, auróque insanis æstibus inhiare. Ergo Iosephitæ angustis terminis se conqueruntur inclusos; nolunt tamen ob lucrum depellere Chananæos.

---

§. XXII.

Non ita exprompté multis obstricti beneficijs homines didicerunt reddere gratias, quam; si quid desit, iactare querelas.

92. ID multis ingenium est, vt obsequia sibi deberi crediderint, & quæ accipiunt beneficia, impensa magnitudini suæ vectigalia putarint: hinc ingratorum grex, hinc & criminantium turba: nam si quid illorum obsequiis vanissimi excogitarint detractum, querelis & criminationibus abrodunt, quem putarunt iniurium: etsi multa in illorum sinum congesseris beneficia, nulla tibi impendent obsequia; imò si somniauerint sibi aliquam detractam gratiam, proferent statim querelam Iosephitæ duplici præ aliis sorte donantur; verùm cùm limites sibi adscriptos arbitrarentur angustos, Iosue adeunt, & querelas non sine stomacho proferunt: *Locutique sunt filij Ioseph ad Iosue, & dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis & funiculi vnius, cùm sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus?* Vt se magnos, & Numinis fauorē cogitauerunt adauctos, concessos sibi limites conqueruntur angustos: de dupla sorte non agunt gratias, de angustis suo iudicio limitibus dant querelas: quasi illud magnitudini suæ debitum, & hoc contra rationem rogatum. Nescio quæ terminorum prolatio ambitioni deerat; & quia, vt rebantur, tantisper constricti, Iosue interpellant de iniuria, cùm gratias non egerint de doni magnificentia: hæc enim est mortalium conditio, vt faciliùs, si quid arbitrentur denegatum sibi, magnas proferant querelas, quam si multa beneficia accepta, reddiderint gratias.
Masius. *Existimat Nehmanus*, scribit Masius, *Manassenses simulatque hæreditatem suam nacti per sortitionem fuissent, conatos esse eliminare prorsus Chananæos; sed cùm id frustra tentassent, tum comitatos fratribus suis Ephraimitis questum adijsse Iosuam de sortis suæ angustia.* Exiguam prolatæ adeò sortis partem Chananæus occupabat, & quasi id Iosue accidisset arbitrio, questum adeunt: existimabant namque se non modica parte fraudatos; non autem gratias actum adiere: quia vberrimis campis, ditissimísque possessionibus agnouerant se opulentos.

Pater ille optimus quam non auarus; sed 93.
prouidus conseruabat substantiam, ambobus altero petente filiis diuisit: *Diuisit illis substantiam.* Luc.15.v.13. & 29. Non multò pòst adolescentior filius cupiditatibus vstulatus, & ad passionum adimpletionem auro opitulante expeditus longinquas petit regiones: ibi patrimonium consumpsit, & gloriam generis dehonestauit; verùm egestate pro collyrio vsus lucē admisit, & paternos lares repetiit: pater iniuriæ immemor, memor naturæ redeuntem benignè excepit, cordísque lætitiam sumptuoso conuiuio prodidit: frater domui appropinquans dulcisonam symphoniam audiuit, & stitit gressum, quousque tanti gaudij rationem disceret, tātæque nouitatis causas calleret: seruum vocauit, vt disceret: non est ingressus domum, vt nouerit. Denique in fratris gratiam parati conuiuia agnoscens exasperatus ipso concentu patris prodigalitatem abrosit, sibique auarissimum infamauit: *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer.* Fratri inuidus gratus esse non potest: esse querelarum causam hœdum non dedisse: & quid interest non largiatur hœdum, si amplissimam filiis hæreditatem diuisit? en vel non petentem ditauit auro, vberrimo donauit fundo; nec tamen largiter adeò concessa hœdi non dati tumulare valent querelas, nec egisse patri consulunt gratias: *nunquam*, vociferatur, *dedisti mihi hœdum*: hœdum non dedit; sed forsitan gregem integrum est largitus: hœdum non dedit; sed amplissimo censu ditauit: hœdum non dedit; sed substantiam totam diuisit: hœdum non dedit; sed charo pignori omnia seruauit: *Omnia mea tua sunt*: & negatus hœdus filium exasperat, quem pater tot beneficiis exornat. O inciuile hominum ingenium! si quid sibi arbitrentur negatum, criminabuntur, supercilium adducent, querelas dabunt, non tamen se gratos exhibebunt, quamuis summis beneficiis obstricti, & muneribus opulentis donati: *Nunquam dedisti mihi hœdum*: tot beneficiorum oblitus non dati sibi hœdi conseruat semper memoriam, vt proferre possit querelam. Innuit Chrysologus serm. 4. *Paternæ largitatis* Chrysol. *memor non est, qui est fraternæ immemor charitatis: hœdum sibi datum negat, qui substantiæ partem totam tempore diuisionis accepit.* Solùm retulit, quòd speciem habebat offensæ oblitus gratiæ: de non dato sibi hœdo queritur exasperatus, nec gratias egit tantis beneficiis allectus: ea namque est hominum indoles, vt plus vel minimis exasperentur, quam vel maximis obstringantur.

Hoc idem vel in paradiso accidit Euæ. Omnium creator omnia in creaturæ manu ponit, 94.
auium concessit imperium, in animalia dominium, omnes paradisi plantas arbitrio Adami, Euæque relinquit, vnica tantùm prohibita, non quidem vt denegaret delicias; sed vt morsis arceret pœnas: ipsa arboris inhibitio munificentiam largitoris cumulatiùs deprædicabat, quandoquidem non solùm liberalitas splendescebat concessis; sed lucebat etiam negatis. Et quidem adæquè amorem commendat & profutura

tura concedere, & nocitura negare. Serpens ad inuidiam excitatus Euam alloquitur, & adulationibus delinitam dolosis mendaciis fallere aggreditur: In commiserationem, inquit, veni videns vos in medio paradisi ieiunos: satius erat paradisum denegasse, quàm paradisi incolis omnium plantarum fructus interdixisse: Genes. 3. v. 2. mulier incauta respondet: *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus.* Rupertus Abbas lib. 5. Rupert. in Genes. cap. 5. Euam Deum vti auarum sugillasse, & vti parcum abrosisse testatur: *Iam impatienter ferebat, & murmurabat, quòd quasi parcus vel auarus Deus pretiosa medij paradisi reseruaret, & viliora quaque per circuitum colligendo in cibum hominis concessisset.* Vltra cupiditatis metas inexhausta diuinæ largitatis scaturigo dona hominibus ampla concesserat, in omnes paradisi plantas dederat facultatem; verùm mulier vnam sibi obmurmurabat prohibitam, nec tantam reliquarum copiam gratificabatur concessam: cæteras depretiabat superba, & hanc vnam maximi faciebat ignara: cum serpente miscet colloquia, vt de Numinis parcitate obmurmuret, vt de auaritia queratur; & cùm tam larga dona non suaserint auctori reddere gratias; quia vnica planta prohibita, magnas excitauit querelas: de vnica planta Deum suspicatur inuidum, quæ de tot concessis non deprædicauerat largum: *Obmurmurabat, quòd quasi parcus, vel auarus Deus pretiosa medij paradisi reseruaret.*

95. Populus eductus est de Ægyptiaco ergastulo magnis prodigiis: naturæ leges immutabantur, siccis mare transmittebatur vestigiis, carnes in modum pluuiæ aduentabant, nubes manna cælesti sapore condito depluebant: saxa fontium imitata ingenium scaturigines ministrabant, amaritudo ligni medicamento in dulcedinem vertebatur, tantisque miraculis populi commoditas procurata, vt illis enarrandis nullatenus suppetiuerit summa; verùm cùm aliquando aqua tantisper siti differretur, non solùm Moysem, & Aaronem carpunt queruli; sed minantur Num. 20. v. 2. seditiosi: *Cùm indigeret populus aquâ, conuenerunt aduersum Moysem, & Aaron, & versi in seditionem dixerunt: Vtinam periissemus inter fratres nostros coram Domino.* Tot accepta beneficia non refrænarunt insaniam; aquæ vel modicis interuallis inopia protulit seditiosam querelam; *Versi in seditionem*: obliti beneficiorum, memores indigentiæ criminantur seditiosè aquā siti non concessam: non extollunt elogiis naturam miraculis immutatam: ita humanum ferè semper tulit ingenium, vt si quid deficiat, exarserit in querelas, cùm ferè beneficiis obrutum lentè aut nunquam reddiderit gratias: aquæ exiguo tempore inopia inflammauit ad criminationes, quos tam perpetua beneficia nunquam effecere memores: *Hic describitur aqua defectus,* Lyra. scribit Lyra, *vbi propter hoc describitur primo populi murmuratio.* Obmurmurant, queruntur de aquæ inopia, miraculorum obliti summam.

96. Dominus mundi opificium digerens variis dies creaturis honorat, luce pictoris adinstar mundi parietes dealbat, vt posteà colores insertat: iam cælum oppansum, iam vastum telluris corpus nihilo appensum, cùm Solem, Lu- Gen. 1. v. 14 námque producit: *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem.* Quærunt Patres cur prima die Solem, Lunámque noluerit producere; sed in quartum distulerit cælo appendere: nam cùm omnia diuino nutu facillimè perficiantur, qui lucem locutus est, & Solem valuit creare: quæ ergo dilationis ratio? Seuerianus præ reliquis rationem attulit thesi nostræ opportunissimam, scilicet primo die Solem non condidisse, ne homines Deum haberent, & sacrilegis, profanisque ritibus adorarent: *Ne noua superstitione*, inquit apud Cephyrum in catena, *irretiremur, Solem, Lunam, & astra tanquam deos suspicientes: cur etiam neque Solem primo die fecit, neque Lunam.* Seuerian. Profunda sanè Seueriani mens: quid enim interest primo an quarto die luminare maius resplendeat, vt ad veram cognitionem, vel ad superstitionem adducat? Nonne quarto die formatum, dum in sui admirationem rapit oculos, profanos suadebit & cultus? Intuetur homo purissimos Solares radios, quibus plantas alit, aërem illustrat, terram fouet, & præ stupore mens deficit, sensus fatiscit: ergo eodem modo Sol quarto die productus aut primo superstitioni occasionem præbebit formatus. O profundam Seueriani cogitationem! Si ab initio Sol benignis aspectibus orbi adfuisset, eius nullum experiretur defectum; at quarto die conditus iam lucem elapsis tribus non effuderat, nec terram splendoribus illuminarat; idque est creaturarum ingenium, vt non tam venerentur quia exinceps semper adest quia influxibus benignissimis fouet, quàm despiciant, quia illis aliquando defuit. Querentur fortè Solem lucem triduo non impertiisse, nec tellurem influxibus illustrasse. Iugi ratione mouetur, perenni motu agitatur, depellit tenebras, calore confouet plantas, & omnes tacitis influxibus promouere nititur creaturas; at si aliquando Solaris lux illis defuit, plus querentur de defectu, quàm venerentur de influxu. Ergo, ne Solem adorauerint Deum, quarto die, non primo resplendeat, vt lucis denegatum vel tempore exiguo obsequium superstitiosum exterminarit piaculum: *Ne noua superstitione irretiremur Solem, Lunam, & astra tanquam deos suspicientes, neque Solem primo die fecit, neque Lunam.* Non adsit Sol omni tempore creaturis, vt de defectu in se querimonias excitet, nec adorationem conciliet.

---

§. XXIII.

Non semel qui eruditâ litterarum non adornantur sapientia, ambitiosiori ardere solitant flamma.

Docti, & scientiarum luminibus exornati ab ipsa scientia didicere modestiam, nec ambitionis intumescere solitant arrogantia; qui 97. verò scientias à limine tantummodò salutarunt, dum optimis non informantur doctrinis, ambitionis cæteros supergredi conantur alis, & quod solertissimus lucrari debuisset labor, quibusuis artibus superbus acquirere tentat tumor: conqueruntur, ni præferantur, & si quid illis vel vltra meritum ob importunam instantiam adieceris, nullatenus ambitionis placabit flammam

mam; sed flabellat amplius querelam. *Agricultores quidem*, aiebat Plutarchus lib. Quemadmodum sentias, &c. *Inter spicas vident cupidius illas, quæ inclinatæ sunt, & ad terram vergunt; surrectas verò præ leuitate inanes ac fallaces ducunt. Ex adolescentibus item, qui ad philosophiam applicauerunt animum, qui maximè essi sunt, nec pondus habent, ferociunt, ac gestum, incessum, vultum habent contemptus, fastidiique plenum omnium despicientis. Enimuerò vbi impleri, & colligere cœperunt ex doctrina fructum, tunc supercilium, & vanitatem deponunt.* Solida firmè quiescunt; vacua, dum aëris flatibus peruia, perturbationibus agitantur, & concutiuntur. Iosephitæ Iosue adeunt, nec sine supercilio sibi angustatos terminos sortibus adscriptos queruntur: *Quare dedisti mihi possessionem sortis, & funiculi vnius?* Ad quos Iosue: *Ascende in syluam, & succide tibi spatia.* Glossa moralis religiosis historiam adaptans ait; non semel in religiosorum collegiis cathedras, ac honoris prærogatiuas ambire, qui nec litterarum luminibus adornati, nec vigiliis studiosum excoluit: *Per filios igitur Ephraim, & Manasse petentes amplitudinem possessionis, significantur religiosi mendicantes petentes per se, vel per alios expositiue, vel interpretatiue ampliationem promotionis in officiis prædicandi, legendi, & [illegible], plus quam sunt apti: propter quod exemplo Iosue debet eis prælati dicere: Ascende, [illegible] te ad studium sacræ Scripturæ, & [illegible], vt per hoc merearis in dictis officiis dilatari.* Ima habitabant, non excelsa, qui supercilium fastu, & querelis premebant: & quidem si montium apicibus eminerent, querelis huiuscemodi nullatenus superiorem semel, & iterum referirent. *In Philosophiæ limine*, addit Plutarchus, *& ad vestibulum sanctum contemplabere, & ferociam, & garrulitatem, cum ad gloriam nonnulli contendunt insulsè, & violenter; qui verò ingressus est intro, ac lumen aspexit [illegible], sicut cum panduntur adyta, tunc alio modo componit se, silet, contremiscit, ac doctrinam quasi Deum demissè ac modestè consectatur.* Vir eruditus, & bonis litteris informatus de se modestiùs sentit, & quia scientiæ pondere solidatum, vanitatis ac superbiæ motibus non concutitur; vacui verò, inanésque, quia vanitate replentur, reboant, & doctos sæpè perturbant. Iterum rediat Plutarchus: *Vt cum accipiunt liquorem vasa, inanis aer impulsus euolat, sic in hominibus, quibus bona infunduntur [illegible] fit fastus tumórque mollior; at qui [illegible] causa [illegible], meditationem vertunt ad animum, stimulóque, & [illegible] potissimum vtuntur. Cum aliis agunt mitius, Philosophi appellationem, atque opinionem philosophandi non arrogant, vt antea sibi, atque ascribunt.* Quod soliditatis deest, aër replet in multis; & quia inuenit vacuos, reddit, & superbiâ turgidos: inscij, & ventosi, ignari & superbi; & quia acumine ingenij fraudari, semper factitiis causis conquesti.

Gloss. moral.

Plutarch.

[illegible] tyrones [illegible] capissimi.

[illegible] plerumque opinione eruditionis student.

98 Cum Dominus Pharisæorum arrogantiam, & tumorem describeret, sic aiebat: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi... amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Contenti non sunt cathedras qualescúmque in scientiæ contumeliam, in sapientiæ iniuriam occupare; sed primas ambiunt, & sibi non datas queruntur: iam quali scientia emineant, audi ab ipso Domino: *Cæci sunt, & duces cæcorum.* Lumine indigentes officium sortiuntur luminis, & qui ob cæcitatem manuducendi, cæteros gestiunt ambitiosissime manuducere: primas cathedras amant ad vanitatis plausum, qui lucem requirere debuerant ad gressum: stulti impingunt, hebetes scientias nullatenus comprehendunt, & primas cathedras ambitiosè discupiunt, & deberi sibi contendunt; nec tantùm cæcorum ducatum superbè anhelant; sed & videntium oculos esse laborant. Adest Gillibertus serm. 23. in Cant. *Nescio se homines, qui oculi habent officium, tenent, & vsum: duces cæci; nec tantùm cæcorum; sed quod indignius est, & videntium... Qui oculi non habent officium ex promotione; sed vsurpant ex præsumptione, & quidem frequens hæc turba.* Lippitudine laborant; imò cæcitate clauduntur, & oculorum oculi fore contendunt, non contenti cathedras captum excedentes habere; sed primas gestientes vanis artibus occupare. Ima habitant Iosephitæ, cùm se cæteris non prælatos quæruntur: si enim ad altiora peruenissent, de se & modestiùs cogitassent: Iosue ergo, vt ascenderent, adhortatur, quia nouerat sedandas de profectu lucis querelas, nec adeò ardenter quærendas cathedras. O quàm bene aiebat Menedemus! *Nauigare ait complures studiorum causa Athenas, sapientes primùm, inde fieri philosophos, mox oratores, progressu temporis tyrones, atque quò magis imbuti litteris sint, eo arrogantiam magis, & fastum deponere.* Qui primis labris scientias delibarunt, se hausisse putant, & iniuriam factam sibi quæruntur nisi ad honorum fastigia repentinis successibus euehantur: Sapientes se initio iactant; quia verè tyrones, & se putarent tyrones, si forent verè sapientes.

Honesto desiderio nostram thesim confirmet 99
Zachæus: statura pusillus, cæteris inferior, & cæteros præcellere cupidus: *Quærebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.* Non iam contendit se aliorum staturæ exæquare; sed nititur eminere; & quò cæteris altitudine longè antecellat, arborem sycomorum non sine labore inscendit: *Præcurrens ascendit in arborem sycomorum.* Honestum, vt aiebam, Zachæi studium; sed dignis actionibus ignorantiæ hominum, arrogantiæque sororis perpulchrum depinxit exemplum: quia corporis mensura aliis inferior, de fastigio iam grandior; & qui in terra positus cæteros non posset aspicere, studiosiùs arte aggreditur superare. E reliquis nullus arboris cacumen inscendisse refertur, solus Zachæus corpore exiguus, pusillus membris altitudinem exambisse narratur: excellere voluit fastigio, quibus semper inferior solo. Huc voco Philonem lib. 1. legis allegor. *Arrogantiam vocat cognatam ruditati, & ignorantiæ.* Cudit sibi merita ignorationis phantasia, & quia sapientia non informatur, insipienter semper effertur: pusilliores, homuncionésque staturæ consciij, & arrogantiæ captiui altiùs adnituntur ascendere, quando sapientes de se demissiùs sentiunt, & vel ad Philosophi nomen ora rubore suffundunt. Ignorantia vanitatis cognata est, ruditas superbiæ mater: ventosissimi turgent, qui

Matth. 23. v. 2.

Matth. 15. v. 14.

Gillibert.

Menedem.

Luc. 19. v. 3.

Philo.

qui ignorant, & factam sibi queruntur iniuriam, cùm nondum salutauerint scientiam.

100. Job 39. v. 13. Iob struthionis pennam accipitris, herodiique testatur similem alis: *Penna struthionis similis est pennis herodij, & accipitris:* volatus adornatur specie insipiens & rudis: *Priuauit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.* Quid tunc? *Cum tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum, & ascensorem eius.* Equi pernicem deridet cursum, & se putat aptissimum ad volatum; alas in altum erigit; & quia accipitris ad instar raris alarum plumis fulcitur, vel equos velocissimos aspernatur: nescio quas enerues habet alas, & cùm intus hoc animal ignorantia sit plenum, de externis alis volare tentat præsumptuosissimum. Queretur forsitan equi velocitatem sibi anteferri, & quia ignorans vel dum grauitate corporis terræ affigitur, aues pernicitate vincere stultus & turgidus arbitratur. Ad rem

Gregor. Gregorius lib. 31. moral. cap. 5. *Ipsa struthionis penna ad pennas herodij & accipitris similitudinem coloris habet, virtutis verò similitudinem non habet: illorum namque conclusæ & firmiores sunt, & volatu aërem premere virtute sua soliditatis possunt; at contra struthionis pennæ dissolutæ eo volatum sumere nequeunt, quò ab ipso, quem premere debuerant, aere transcenduntur.* Quia similibus pennis herodius, accipiter, & struthio ornantur, struthio eadem se ad volandum præstantia suffultum putat, & equi velocitatem despectat. Raræ plumæ densissimam nutriunt superbiam, & vult accipitribus exæquari: quia nescio quibus pennulis se videt fulciri: *Accipitris & Herodij,* aiebat vbi supra Gregorius, *parua sunt corpora; sed pennis densioribus fulta, & idcirco cum celeritate transuolant, quia in eis parum inest, quod grauat, multum quod leuat; at contra struthio raris pennis induitur, & immani corpore grauatur, vt, etsi volare appetat, ipsa pennarum paucitas molem tanti corporis in aere non suspendit.* Raris plumis ornatus equi se velocitati antefert; & volare exambit, quia ferè immensa corporis mole premi se nescit. O quàm superbit animal stultitia plenum, si aliquibus, quantumuis raris pennis vestitum. Ignorantia corporis non attendit impedimenta, & præsumptio alarum ostentat fulcra: equo se præferri tentabit, & equi velocitatem despiciet. Quia nescio quam cum herodio, & accipitre habet in externo vestitu similitudinem, cum illis exambit palitatem. Et quidem in cœnobiis religiosorum non semel inuenitur struthio.

101. Moyses in omni Ægyptiorum scientia eruditus populum deposcebat exolui; verùm cùm Pharao ad mira confugeret, ne legibus rationis pareret, virga proiicitur, & in serpentem mutatur:

Exod. 7. v. 10. *Tulit Aaron virgam corã Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* In virga hac Verbi sapientiam agnoscit Interlinearis:

Interlin. Isidor. *Sapientia intelligitur.* Consonat Isidorus in quæstionib. in Exod. cap. 12. *Virga est Verbum Dei*, & quidem in hac virga omnem sapientiam requieuisse testatur

Isai. 11 v. 2. Isaias: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus.* Virga ergo sapientiæ thesaurus in serpentem vertitur; Magorum virgæ rudes prorsus, & solùm falsò scientiæ colore fucatæ in terram etiam proiiciuntur, & in superbos, ac turgidos

Interlin. dracones mutantur: *Versa sunt in dracones.* Interlinearis minores ipso Moysis serpente fuisse testatur: *Versæ sunt in dracones minores serpentes.* Vides Magorum virgas sapientia vacuas, quantumuis astutia plenas, Moysisque serpente non solùm re; sed & specie minores. Quid tunc? Luctam cum serpente ineunt, & iam de primatu sapientiæ contendunt: vincere anhelant vel Dei sapientiam, & stipites rudes, quia sapientibus, aut Magis adscripti, tumore ventosissimè inflari: se excellentiores, serpentéque sapientiores ostentant: mirúmque fuit ne detrectauerint cùm serpente luctam ob turgidissimam arrogantiam: quasi illis cum Moysis serpente indecorum esset prælium, eorúmque sapientiæ esset dedecus, cum virga Moysis in stadio concertatio. Huc voco quod de tenebris aiebat Philo lib. de opificio mundi: Philo. *Contentionibus de principatu mutuis pertinaci ambitione luctam appetentia.* Serpentum; imò draconum speciem externam indutæ virgæ cum virga infinitè sapiente de principatu contendunt, séque præferendas temerariis ausibus ambiunt: Magorum virgæ serpentes nomine, Moysis virga reuerâ sapientiæ luminibus illustrata; at quia rudissimæ illæ, de principatu contentiosissimè decertabunt. Fors in eo Pharaonis Magi apparuere astutissimi, quòd virgas non in serpentes Moysi serpenti æquales; sed in minores mutarunt: nam quia minores, contentiosiùs Moysi serpenti opponentur, & auidiùs præliabuntur; astutè minores efficere sunt conati: quia de sæculi more nouerant stultiores arrogantiùs ambire, & imprudentiùs audere.

Naxera in Iosue Tom. 2.

---

§. XXIV.

Prudens nunquam subiacebit peccato, vt alius maiori diuitiarum fulgeat augmento.

STultum est voluptates sequi turbidas, magnóque leuandas, prudente indignum diuitiarum esse seruum, séque non solùm nummis commodasse; sed vendidisse. O quot indignæ cupiditatis sunt vernulæ! gaudium à vitio petunt; sed laborant quidem delusi. Auaritiam cupiunt explere, nec possunt: quia auaritiæ flammæ nutriuntur nummis, & diuitiarum flabellantur crementis: quies, & gaudium dotes virtutis sunt, dolor & solicitudo vitiis cognata: sola virtus gaudij mater est, sola pacis genitrix, & soror tranquillitatis. *Sola virtus*, aiebat Seneca, Senec. Sola virtus gaudij mater. *præstat gaudium perpetuum, securum: etiamsi quid obstat, nubium modo interuenit, quæ infrà feruntur, nec vnquam diem vincunt.* Quidquid à virtute desciscit, in ærumnarum, & laboris confinio viuit; verùm licet omnes, qui vitia insectantur, errent, aliqualem habet excusationis colorem, qui vt voluptati suæ aduletur, vt blandiatur auaritiæ, à lucis & rationis regione exulat, cupiditati scilicet animorum tyrannidi cessit, & proprias voluptates captauit; at ab omni rationis luce, ab omnique excusationis tutela alienus est, qui propriis delictis alienis famulatur augmentis, quando deterior probatur esse malitia nullis commodis prouocata, nec propriis incrementis illecta: erroris sui nec vmbratilem potest prætendere excusationem, qui 102.

non propriæ cupiditatis probatur seruus; sed alienæ auaritiæ captiuus. Iosephitæ Imperatorem adeunt, terminos sibi datos produci deposcentes obnixè. *Quare dedisti mihi possessionem sortis, & funiculi vnius?* Quid tunc Iosue? *Si populus multus es, ascende in syluam, & succide tibi spatia:* propinquitatis gratia filii vltra sortem extendi deposcebant funiculum; verùm Iosue noluit alienis detrimentis suorum cupiditatibus inseruire, quandoquidem quæ illorum fuissent augmenta, Iosue semper verterentur in probra. *Non fuit datum aliquid de terra Manasse, & Ephraim,* scribit Abulensis q. 3. (Abulens.) *præter id, quod habebant: quia terra eorum diuisa est per funiculos, sicut cæteræ sortes: & proportionaliter datum est eis, vt cæteris tribubus... Quia tunc grauarentur cæteræ tribus.* Noluit Iosue iustitiæ temerare iura, vt eius contribules hæreditatis ac sortis prædia sortirentur latiora: esset enim prudente indignum alienis lucris inseruire, & famam de alienis commodis obscurare.

103. Paulus cum cælestem doctrinam disseminaret, ad orationemque doctrinæ energiam Deum oraturus accenderet, puella occurrit pythone spiritu oppressa, quam intuitus Paulus ad misericordiam commotus est: *Factum est euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando,* &c. (Act. 16. v. 16.) *Dolens autem Paulus, & conuersus spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea.* Et cur Paulus puellæ huius stragem præ aliorum dolebat? Hominem nobilem tyranno subiici, tormentis distineri dolorem vel inimicis aspicientibus creat, quando personæ conditio vim calamitatis exaggerat, & ad commiserationem vocat: ancillam verò laboribus assuefactam, & ærumnis innutritam vexari non sic animos intuentium percellit: cur ergo Apostolus huius puellæ miseria præcipuè tangitur: *Dolens,* inquit, *Paulus?* Iure equidem: huius namque puellæ miserrimus erat status, quandoquidem ipsa sustinebat tormentum, vt totum alij mererent lucrum: de ancillulæ dolore herus ditabatur, & eiam ipse cumulatius augeret Gazas, durissimas illa à dæmone sustinebat possessa pœnas. O quàm luctuosum, quam miserum erat dæmoni subiici, & lucro subiectionis carere, inseruire alienæ cupiditati, & dicari propriæ noxæ! illa patiebatur dæmonium, & lucrabatur dominus aurum. Opportunè Aldhelmus epist. de virgin. cap. 11. (Aldhelm.) *Pythonissa per spiritum vesaniæ friuola ratiocinatur, & ob hoc sumptuosas propriorum opulentias affluenter cumulans, gazas quæstuum deliciosas.* Digna sane calamitas, quæ ad commiserationem moueret: si dæmoni inseruiens sibi acquireret aurum, de cupiditate aliquantulum leuaret tormentum; at alterius augere lucra, & sibi acquisiisse supplicia res erat dolore plena, quandoquidem nec dolor sopiebatur de lucro, nec luctum obueniebat miseræ de supplicio. O quot libidinis victimæ lenonibus pendunt, quod delictis fœdis acquirunt! ô quot serui, quo dominorum augeant gazas, in furtiis artibus colorauere rapinas! Qui ob diuitias sibi acquirendas peccat, est improbus; qui ob acquirendas aliis, & improbus, & stultus.

104. Serpens cunctis animantibus appellatur non (Genes. 3. v. 1.) prudenter; sed callidior: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Scripturæ proprietatem notanter animaduertunt interpretes, scilicet vocatum callidum, non prudentem: & in Hebræo ponitur verbum *Arum,* quod nequam, & versipellem significat. Ita Hieronymus in (Hieron.) quæstion. Hebraic. *In Hebræo habetur Arum, quod Aquila, & Theodotio interpretati sunt nequam, & versipellem: magis itaque ex hoc verbo calliditas & versutia, quàm sapientia demonstratur.* Sapientis titulo priuauit textus serpentem; imò insipientis probro poterat denotare. Et cur vocare abstinuit prudentem? Recole historiam, & causam clarissimè inuenies: cùm Adamus, Euaque paradisi topiariis deliciarentur, ad inuidiam excitatus est dæmon, quem hospitio serpens recepit, cuíque ad inuehendam confusionem linguam commodauit: ille hoc instrumento vsus rem aggreditur per insidias, infelixque consequitur desiderium, hominémque ruina, quo ardebat in Creatorem, demulcet odium. Itaque in hoc facinore, si quid cōmodi; totū dæmoni serpēs verò interna furiā maculatur, externæ pœnæ subiicitur: maledictus repit, & exécrādus: *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* (Serpens non prudens, sed miser, & versipellis) Mulctam tulit; dæmoni subiectus est; & cum ipsi crescat cruciatus, dæmoni totus fuit huius fraudulentiæ fructus. Iure ergo Scriptura renuit appellare prudentem, quem vidit alieno lucro proprio subiacere dehonestamento. *Quia sic ministrasti,* scribit Chrysostomus apud Lippoman. (Chrysost.) *& a mea beneuolentia excidere voluisti creaturas meas, ministerio maligni dæmonis sententia exhibito, qui ob excellentem inuidiam, & superbiam suam è cælis in terram deductus est: & propterea quia te in his vt instrumento est vsus, perpetuam tibi pœnam impono.* Non prudens; sed stultissimus probatur serpens, qui proprio, si dici liceat, delicto, alieno famulatus est gaudio: Peccauit Eua; sed spe diuinitatis illecta: peccauit Adamus, ne contristaret delicias suas; peccauit dæmon, vt aliena miseria vrgentissimas inuidentiæ sopiret flammas; serpens verò nihil sibi exambiens; sed solùm alteri seruiens. Ergo nullatenus appelletur prudens; sed versipellis: quandoquidem vel prudentiæ vmbrā priuatur, qui propriis culpis alienis prorsus dicatur augmentis: *Magis ex hoc verbo calliditas, & versutia, quàm sapientia demonstratur.*

Cùm Dominus desertis degeret ieiuniis, & 105.
orationi consecratus, dæmon, qui in insidiis erat, tentationem aggredi non est ausus, donec fames occasionem protendit; tunc subdolus, pietatemque simulans; *Dic,* hortatur, *vt lapides isti panes fiant.* O improbam dæmonis (Matth. 4. v. 3.) patientiam! si immortali exæstuat odio, cur prolixis quadraginta dierum, noctiúmque spatiis non tentator accesserit? Mentiatur ipse famem, Christóque lapides offerat in cibum mutandos, & quam simulat, famem petat depellere, & vrgenti adeò ciborum inopiæ occurrere. Certè Dominus miseria commouebatur aliena: testatur aliud desertum, quo panes miraculosè multiplicat, vt sequentium subueniret necessitati: cur ergo quousque famescat Christus, expectat, qui virulentissimo æstuabat odio, & vehementissimo ardebat sceleris desiderio? Ob id ipsum odium reprimit, & expectat: nitebatur namque versutus suadere culpam, vt faci-

litus suadeat, Christo etiam proponit emolumentum: nec enim adeò imprudentem credidit, vt culpa lapides in panem transmutare aggrederetur, si vtilitas tota alij obueniret; nec emolumentum aliud præter culpam sibi captaret. Innuit Caietanus: *Non est intelligendum, quòd diabolus hæc sola verba dixerit, quod ex abrupto proruperit, dicendo: si filius Dei es; sed quòd multis compositis verbis necessitate panis ad vtriusque sustentationem allegata suadendo protulerit hanc sententiam.* Cæca dæmonis temeritas aggressa est maculis defœdare Deum; nec tamen persuasit sibi posse cordato homini persuadere opus ex quo alteri emanaret totum commodum, & solum remaneret sibi peccatum. Ob id ergo famis tempus expectat, vt lucrum faciliùs persuaderet piaculum: *Allegata vtriusque sustentatione suadendo protulerit hanc sententiam.* Famescente Christo vtrique necessarius cibus; non famescente solùm tentatori videbatur necessarius. Ergo diabolus animum non induxit, vt persuaderet cordato rem aggredi, ex quâ alteri totum lucrum, & sibi solùm peccatum: stultissimum namque est infici culpis, vt alius ditescat copiis.

Caietan.

106. Cùm Christi Domini æmuli illius plausibus torquerentur, Iniquissimis artibus de medio tollere tentant: auro corrumpunt discipulum, & de Apostolo cudunt proditorem: post multas iniurias Pilato tradunt certè vt mortis reum: Pilatus causâ diligenter discussâ cùm nullam inuenisset culpam, coràm omnibus testatus est innocentiam: *Nullam inuenio in eo causam.* Noluit alienæ famulari inuidiæ: sciebat namque quòd per inuidiam tradidissent eum, séque iniustæ scelere irretire sententiæ. Quid tunc? *Si hunc dimittis,* exclamant, *non es amicus Cæsaris:* aliquod ex huius absolutione Præsidi minantur periculum, vt ex condemnatione promanare sibi putauerit commodum: nec enim Pilatus aliter pepetraret scelus, ni sibi aliquod emanare crederet commodum, aut propulsari periculum: astuti aduersarij quid ad damnationem validè vrgeret præsidem, cogitarunt: videbant namque, si nullum illi periculum immineret, nullatenus iniustam prolaturum sententiam; sed potiùs declaraturum innoxiam causam. Cessit Pilatus timori, cessit periculo proprio; non tamen adduci potuit, vt in aliorum solùm vtilitatem contaminaretur scelere: inuentus est de timore pessimus; sed sine timore inueniretur & pessimus, & cæcissimus *Pilatus,* inquit Augustinus apud D Thomam, *eorum legem non timuit, vt occideret; sed magis filium Dei timuit, ne occideret; nunc verò non sic potuit contemnere Cæsarem auctorem potestatis suæ, quemadmodum legem gentis alienæ.* Imbecillis metu desipuit turbatus, & damnationi subscripsit improbus: nam intentatas debuit criminationes despicere, nec contra ius iniquum adeò sententiam ferre; at in hoc se politicè prudentem ostendit, quòd sententiam distulit, quousque aliquod sibi commodum sensit: est enim imprudentissimus, & peruersus, qui alienam felicitatem de culpa sua cumulat, & cum subiaceat periculum piaculo, proprio nullatenus inseruit augmento.

Ioan. 19. v. 4.

Ioan. 19. v. 12.

August.

Naxera in Iosue Tom. 2.

§. XXV.

Non semel rem aspicimus, qua parte alios onerat, non qua nos grauat.

107. CVm res eadem & alios ad speciem oneret, & nos grauet, ea malignitatis perspicacia distinguimus, vt nunquam qua nos onerat, parte videamus: querimur alios nostræ, cùm tenerentur, nullatenus prouidisse causæ, nec videmus eamdem ipsissimam rationem nostrá condemnare ignauiam, & redarguere clarissimè amentiam. Solent pictores eo artificio depingere tabulam, vt cùm in se varias contineat figuras, non omnes simul oculis spectantis obiiciat; sed pro diuersitate situs vnam intuenti tantummodò prodat: & quidem quod picturæ ars, in nobis quotidie socordia ostendit: cùm eodem vinculo alter cum altero deuinciatur, eam solùm partem, quæ alterum constringit, attendit. Innuebat Seneca epist. 94. *Multos inuenis æquos aduersus homines, aduersus deos neminem: obiurgamus quotidie fatum, quare ille in medio cursu captus est, quare ille non rapitur, quare senectutem & sibi & aliis grauem extendit: vtrum, obsecro te, æquius iudicas, te naturæ, an tibi parere naturam?* Nullus attendit naturæ parendum, & queritur quòd filio, aut amico in medio cursu vitæ filum præciderit inopinè natura: casum expectat, qua parte excitare potest querelas, non quâ æternæ rationis venerari debueris causas. *De morte,* aiebat ibi Stoicus, *Metronactis philosophi querebaris tanquam & potuisset diutius viuere, & debuisset: æquitatem tuam desideraui.* Desideratur hominis æquitas, & fati accusatur improbitas. Debebat ille, dicis diutiùs traxisse vitam, in ætate namque viridi mortuus est; debebas tamen quisquis casum pertulisti, te voluntati diuinæ aptare; at communis hominibus ille est error, vt solùm adspiciant, qua parte incusauerint prouidentiam, non qua prouidentiæ debent mentem subiicere humanam: se sæpè sæpiùs homines coarguunt, dum aliis causas obiiciunt, & quibus alienam adnituntur probare culpam, suam produnt manifestè socordiam. Iosephitæ copia aucti, & præ aliis tribubus numerosi, non sine supercilio Iosue adeunt, & sibi angustam sortem impertiisse queruntur: *Quare dedisti mihi possessionem sortis, & funiculi vnius, cum sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus?* Tribus suas hominum copia refertas allegant, vt Iosue improuidæ sortis criminationem obiiciant: cùm tamen suis conuincantur rationibus posse terminos dilatare, & nemora adscriptis sibi limitibus inclusa præcidere: *Ad quos Iosue ait: si populus multus es, ascende in syluam, & succide tibi spatia in terra Pherezæi, & Raphaim:* Hominum copiâ exundare terræ diuisores cogebat prolatos signare terminos, ipsasque tribus arma capere in inimicos; ipsi tamen allegant copiam, qua parte sortem suo iudicio latiorem peteret, non qua in hostes irruere cogeret: *Si populus multus es,* exponit Abulensis quæst. 3 *ascende in syluam: hic sumitur ex verbis eorum argumentum contra ipsos: dixerant enim quòd multi erant, & indigebant magna sorte: ex hoc arguitur contra ipsos: quia si multi erant, poterant pugnare contra hostes habitantes*

Senec.

Abulens.

habitantes in sylua, & accipere loca eorum ad habitandum. Numerus, & sortem exigebat amplam, & compellebat ad pugnam; Iosephitæ verò nullatenus attendebant, qua parte numerus compellebat ad pugnam; sed qua exigere videbatur ampliorem terram.

108. Christi Domini conciues illi obiiciunt patriam despexisse, extraneásque ciuitates miraculis honorasse: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Quid tunc Dominus? *Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua:* Conciuem suum recordabantur, vt illi erga patriam nullum studium obiicerent; cùm tamen, vt amarent, nullo modò recordarentur conciuem: tenebantur illi impendere Christo, vtpotè secum innutrito, & ferè eisdem laribus nato obsequia: Christus tenebatur ad speciem in patria præ aliis vrbibus patrasse prodigia; at ciues qua parte tenebantur, obliti; eam afferunt, qua criminationes possent obiectare conquesti: eadem causa maleuolis prohibebat inuidiam, & Christum Dominum ampliorem cogebat ad indulgentiam; verùm & oderunt conciuem contra naturæ, & patriæ decreta, & obiiciunt non peregisse miracula: *Ipsi se charitate patriæ, dum inuident, abdicarunt*, inquit Ambrosius hic: *charitas enim non æmulatur, non inflatur; nec tamen exors beneficiorum patria diuinorum est: quod enim maius miraculum, quam quod in ea natus est Christus?* Christus Dominus patriæ nullatenus subtraxerat beneficia, illi turgebant maleuolentia, & cùm eadem ratio, quæ cogebat Dominum, cogeret etiam conciues, solùm illum attendebant, non qua parte eos videbatur vrgere; sed qua parte iniuria Dominum videbatur afficere: adeò versipelle est malignitatis ingenium, adeò odium peruersè acutum.

Luc.4. v.23.

Ambros.

109. Pessimus ille latro, qui nec ipsa morte ad salutem eruditus, nec de ardentis charitatis Dominicæ confinio inflammatus Christum Dei allegabat filium esse, vt de infami stipite maledicum liberaret, cùm ipse Dei filium non attenderet, vt blasphemiis abstineret: *Vnus de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos.* Christum diuinitate potiri latronem ad venerationem cogebat: latronis graue tormentum potentem ad commiserationem vocabat; ille verò, vt à ligno solueretur, appellabat Christum; non tamen suspiciebat, vt linguam frænaret, Dominum: eadem persona illi videbantur duæ malignitatis artificio, & cæco furoris odio: agnoscebat Christi potentiam, vt opem ferret dolenti, non agnoscebat, vt linguæ frænum iniiceret blasphemanti: quasi diuina maiestas ipsum nó cogeret ad obsequium, & Christum compelleret ad miraculum. Sic sapit humana temeritas, sic desipit cæca mortalitas: cùm eadem ipsissima res, & te grauet, & alterum oneret; nunquam ea parte, qua grauaris, spectas: quia qua oneratur alter, semper consideras. Corripuit latronis audaciam socius, cui fors ingenuus animus, & acutior intellectus: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es:* quasi dicat: ligno affixum esse, mortique vicinum te Domini timorem docebat; tu verò recordaris periculi, vt quæras à consorte auxilium; non verò ad patientiæ documentum: tuum cruciatum ea solum parte consideras, qua consortis potest sugillare potentiam; non qua tuam debet reprimere audaciam.

Luc.23. v.39.

Adamus paradiso deliciabatur, erátque voluptas innoxia serpentino carens veneno; verùm in tanta rerum affluentia, etsi animalium frueretur obsequio, consimilis carebat consortio: errabundus erat hospes, dominus in medio paradisi palabundus desolatione paris societatis, si dici liceat affligebatur. Quid tunc humanissimus opifex, & sapientissimus artifex? E latere membrum mutuatur, vt mulierem construat: partitur naturam, vt iam sint duo ad amoris exercitium; vnus homo ad conformitatis elogium; sine numeri confusione vnus, sine vnitatis dispendio duo; verùm serpens ad inuidiam excitatus hominis structuram per latus euertere inceptat, & mulierem insidiosè aggreditur, cúmque immortali odio æstuarent viscera, pietate mentita diffluebant labia: mulier malum cum oculo communicauit, & passionum vinculis impedita fructum tulit, cuius se Deum ope futuram credidit: tantisper sustentato feruore delicti accedit Dominus, & ne inauditum condemnet, Adamum ipsa oris turbatione, palloréque scelus prodentem rogat: *Quis indicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* Quid tunc Adamus? In auctorem ipsum salutis criminis occasionem retorquet, & dum nititur excusare delicta, cumulatiùs grauat peccata: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Sociam dedisse Deum, eiúsque imperio subdidisse mulierem culpam Adami adaugebat, quandoquidem tenebatur studiosè attendere, & attentè vigilare; ex alia parte, quia mulier culpæ fuerat causa, mulierem efformasse culpæ ad speciem videbatur occasio. Ergo Adamus, cùm data fœmina, & maius superiorem compelleret ad studium, & ambitionis perpetrarit piaculum, obiectat ea parte, qua videbatur culpâ Dominum aspergere, non qua certum erat incuriam eius damnare. Innuit Basilius Seleuciensis orat.3. *Hic responsionis egere, hærere, in mulierem audax facinus transferre, vitæ societatem causari, & criminari.* Itaque Adamus illud? *Quam dedisti mihi profert*, quasi in datorem transferendo culpam, cum datam fuisse, & peccasse eius manifestè sigillaret ignauiam. Aptius Gregorius apud Lippoman. *Imputare sibi Adam peccatum suum noluit, quando culpam suam in creatorem refudit dicens. Mulier, quam dedisti mihi sociam.* Consonat Eucherius ibi: *Ad cumulum peccati sui superbè respondit, non humiliter, quasi querimoniam in Deum dirigeret, cur ei talem dedisset sociam, vnde ei occasio peccati esset.* Habere sociam, nec cum serpente colloquia vitasse Adami culpam augebat; ille verò solùm qua parte Deum ad speciem tangeret, societatem commemorat; qua verò ipsum ignauiæ, incuriæque reum ostendit, prorsus ignorat. Et quidem hic error in posteros latè grassatur transfusus: nam cùm vna eadémque ratio nos, & alteros tangat, solummodò consideramus quà alios grauat, non qua parte nos ipsos onerat. 110.

Gen.3. v.11.

Seleuc.

Gregor.

Eucher.

Cùm sepulto Domino adhuc non sopiretur aduersariorum inuidia; sed arderet maleuolentia, sepulchro feralis deputatur custodia. O quàm anxia torquetur semper iniquitas, quàm suspensa, 111.

suspensa discruciatur semper peruersitas: appositi sunt milites; sed qui mortis custodes, resurrectionis sunt testes: luminis perstringuntur oculi claritate,& iam Dominus ante pedes morte gemente inuidiæ frustratur curam, & eludit militum vigilantiam; verùm candenti adeò lumini oculos negauit inuidia, & copioso auro emere molitur mendacia: militibus persuadent, vt resurrectionis prodigium in discipulorum vertant piaculum: *Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eos vobis dormientibus.* O infelix mendacium! dum somnium allegas,& testimonium infirmas: eadem ratio militum condemnabat ignauiam,quæ discipulorum mentiebatur rapinam, quandoquidem in excubiis semper damnabilis somnolentia; verùm cùm somnus, qui discipulorum rapinam somniat, testetur militum culpam, ea parte solùm attendunt, qua potest sugillare mentitam discipulorum audaciam, non qua constat clarè militum condemnare socordiam. *Si custodes dormierunt*, scribit Remigius apud D.Thomam,*quomodo furtum viderunt? Etsi non viderunt,quomodò testes fuerunt? Et ideò, quod voluerunt facere, non potuerunt.* Aptiùs Chrysostomus: *Vide omnes corruptos: Pilatus enim ipse persuasus est, plebs Iudaica commota est, milites corrupti sunt.* Allata à militibus ratio ipsos criminis arguebat, cùm discipulos condemnabat; verùm iniqui iudices astutè dissimulabant, quod sequaces suos premebat, solummodóque quod discipulos grauare videbatur,exaggerabant,sæpè namque acutissima argutia, & arguta satis malitia, cùm se aut suos eadem, quæ alios ratio condemnet, ea solùm parte vident, qua alios onerat, non qua se aut suos clarissime grauat.

Matth. 28. v. 13.

Remig.

Chrysost.

---

§. XXVI.

Sub improbæ matris disciplina non solùm addiscunt filij delicta; verùm impietatis euadunt monstra.

112. RErum causæ semper in semine sunt,& à radice sugitur quicquid in fructu aut contemnitur, aut laudatur: generosa radix succum secretos per meatus inspirat,qui gratos explicetur in flosculos,& dulcissimos condiatur in fructus; at si radix fuerit corrupta, marcent folia, siccantur rami, & fructus gignuntur. ad ignominiam, dum radicis publicant notam. Quàm benè aiebat Cassiodor. 2. var. 15. *Prouidentia nostra ratio est in tenera ætate merita futura tractare, & ex parentum virtutibus prolis iudicare successus: quia bona certa sunt, quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo nescit deficere,quæ consueuit radicitus pullulare.* Et quidem si sub honesta patris disciplina, si de generosa prosapia nihil non procedit splendidum, moribúsque concinnis excultum,fortiùs in cõtrariis valet exemplum, quando deteriora studiosiori auiditate addiscuntur, & quodammodò inuiscerantur. *Fertur cursu perenni*, addit Cassiodorus, *fontium vena vitalis, & hanc conditionem sustinent cuncta manantia, vt sapor, qui concessus est origini, nisi per accidentia fuerit fortè vitiatus, nesciat riuulis abnegare.* Sapor originis in riuulis perseuerat, qui si fuerit noxius, & adhæret efficaciùs, & perseuerat prolixiùs. Sub probæ matris disciplina proficiunt concinni mores, quia filios semper efficacibus informat exemplis; at sub sceleratæ matris disciplina non iam nutriuntur vitiosi; sed ipsa vitia, & sceleris sanè monstra: *Ascendé in syluam*,monet Iosephitas Iosue, *& succide tibi spatia in terra Pherezai, & Raphim.* Origines hom.22. in Iosue Raphaim, *resoluta matres* testatur interpretari: *Raphaim inuenimus interpretatum resoluta matres.* Matres resolutæ filios generant non communi cæteris in vitiis mensura; sed gigantæa sanè proceritate: testatur Og à Iosue deuictus de reliquiis Raphaim: *Terminus Og regis Basan de reliquijs Raphaim*, cuius giganteæ molis lectulus clarissimum testimonium: *Solus Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum: monstratur lectulus eius ferreus, qui est in Rabath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.* Ecce quantum Og cæteros altitudine corporis fuerit supergressus, quia de stirpe gigantum natus, *de reliquijs Raphaim*: nec enim Raphaim proles communi poterat mensura constare; sed magnitudine monstruosa debebat alios excedere: nam si Raphaim, vt vidimus ex Origene, matrem significat resolutam ab omni rationis vinculo, honestatísque debito, non poterant non enutriri gigantes, & mensuram cæteris in vitio communem longè excedentes: cunctis hominibus quodammodò innatum vitium; at dum materna disciplina filios erudit, filiósque cohibet, timoris pondere non semel pressi in iniquitatis altitudinem non exurgunt; at filiæ sub resolutæ matris disciplina in monstruosam excreuere malitiam, & communem coæuis superauere procaciam. *Hoc ergo significatur*, addit Origenes, *sub nomine Raphaim, vt huiuscemodi de nobis matres remissas, quæ sensus ineruditos, & inutiles pariunt, expurgemus.* O quàm gigantes motus sub matris remissæ disciplina gignũtur! quàm monstra crescunt, quàm efferantur, vtpote nulla eruditione domiti, nulla coërcitione cohibiti. De Raphaim prodiere semper gigantes; quia de improbis ac remissis parentibus mediocris non generatur malitia; sed gigantæa semper promanauit audacia: *Illis, in quibus fortis est*, præmiserat Origenes, *& valida ac robusta, generat sensus validos, & potentes, & qui superari à contradicente non possunt.* O quàm validi filij, in quo mater fortis, in remissione scilicet, in cupiditatibus, in euanidis appetitibus: gigantes sunt cæteros homines excedentes, monstráque imitantes.

Origen.

Deut. 3. v. 11.

Origen.

Cassiodor.

Origo nescit deficere.

113. Iram inuidentiæ fugiens tenebat Dominus per Tyri, & Sidonis terminos: *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Hanc dæmonis vexationem putat Basilius eam fuisse, quæ & canum latratus edere cogeret,& ferarum insaniam imitari: *Domo exiliens*, inquit orat. 10. *vrbem peruagatur, in altum manus extendit, oculos distorquet, comam nudat; dæmoni receptaculum filiam peperi, verecundiam omnem calamitas excutit, & ingenitum à natura pudorem mali vis captiuum ducit; ciet vlulatus canum latratibus*

Matth. 15. v. 22.

Basil. Seleuc.

haud absimiles. En monstrum, en puellam dæmonis receptaculum. Et quare? Quia Chananææ filia Tyrum & Sidonem inhabitantis. In-
Glossa. nuit Glossa moralis: *Sic filia mulieris Chananææ à dæmonio vexatur:* Colebat mater idola, & filia dæmonibus dicabatur: nec vtcùmque studebat filia prauitati; sed monstra, antiquáque figmenta actionibus referebat, ciebat latratus canum adeò propriè, vt canem diceres puellam: & quid à matre Chananæa disceret, nisi referre canes, & malitia gigántes nutrire mores? Certè mulieres aliæ à dæmonibus oppressæ, non tamen adeò procaces: in synagoga inuenta est mulier à dæmonibus occupata; illa tamen, etsi à dæmonibus occupata, synagogam frequenta-
Luc.13.v.11. bat ad speciem modesta: *Ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem, & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.* Et cur hæc mulier occupata à dæmone non ciuerit canum latratus, cùm altera nec domi posset detineri, nec modestiæ limitibus coarctari: Fors innuit Christus: *Hanc filiam Abrahæ,* inquit, *quam alligauit Sathanas ecce decem, & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die Sabbathi?* Abrahæ filia de paterna eruditione moderatior, filia Chananææ insolentior: hæc vrbem peruagatur omnes modestiæ terminos supergressa; illa etsi dæmoni tradita; non ab omni pietate prorsus exclusa: hæc infirmitate ad terram inclinatur, illa canis, & fera humana latratibus vlulat, & vlulatibus clamat: *Sic filia mulieris Chananææ à dæmonio vexatur.* Sub Chananææ matris disciplina monstruosos retulit mores, & miraculo solùm medicandas infirmitates.

114. Agar illa carnis ænigma, & præsumptionis emblema in mitem dominam sic exarsit, vt opus fuerit insolentiam eius reprimere: vexata fugit, cúmque desertis montibus deerraret, solatur Angelus, & filium pronunciat nasciturum agre-
Gene.16. v.11. stem satis, & ferum: *Paries filium, vocabísque nomen eius Ismael, eo quòd audierit Dominus afflictionem tuam: hic erit ferus homo.* Oleaster hic ad litteram illud *ferus* accipit substantiuè iuxta illud Prophetæ: *Singularis ferus depastus est eam:* itáque ait filium promitti ferum moribus
Oleaster. referentem: *Pere* (quod verbum in Hebræo respondet) *dicunt Hebræi significare asinum sylnestrem, vt Iob 6. Nunquid rudet Pere, id est, asinus, seu onager.* Verùm ipsa verba sibi contrariari videntur; nam si homo, quomodò ferus; & si ferus, quomodò humanus? Transmigrauitne in brutum humana natura? Probat Angelus metamorphoses antiquorum deliria: Angelus non probat deliria; sed his verbis magna nobis præbet documenta: filius ille matri traditus, à paternáque domo expulsus sub eius disciplina degit: quid ergò mirum, si mulier appetitus carnalis emblema, præsumptuosa, & suæ prorsus conditionis ignara filium adeò agrestem nutriuerit, vt non imitetur hominem; sed referat feram: Matris mores eiusmodi fuisse testatur Paulus, dum Ismaëlem natum vocat secundum carnem, & Sara innuit, dum expul-
Lippoman. sionem procurat: *Ejice ancillam hanc,* inquit Lippomanus: *Quasi dicat: ancilla hæc cum suo filio immemor suæ conditionis irridet filium meũ, & me, quasi hæreditatem tuam sibi vendicare mediteur. Non hæc mihi promisit Dominus: ejice potius eam superbam, & præsumptuosam cum filio irrisore non tuo; sed illius.* En filius materna indulgentia nutritus, & incuriosè satis adultus: quid ergo mirum, si non sit homo; sed ferus? Sub matris namque non cordatæ disciplina pignora degenerare solent in monstra.

Seminauerunt triticum, & spinas messuerunt, 115.
aiebat Ieremias: & quidem triticum degenerare Ierem.12.
in lolium non infrequens; monstruosum tamen v.13.
est coalescere in sentes, & duras pullulare in spinas: quomodò ergo triticum tribulorum horrores sibi potuit aptare, & in naturam aliam transire? Quia ea erat mater terra, vt ab ipsa natura desciscerent segetes, nec iam solummodo adulterarent ingenium; sed in effectum transiret monstruosum: *Hæc propriè accipi, & figuratè possunt,* scribit noster Sanctius: *propriè* Sanctius.
quidem, quia reuera propter aquarum inopiam ex copiosa semente nihil præter spinas retulerunt Iudæi: Et hoc ipsum apertè docet Ieremias cap. 14. in quo de siccitate, sterilitatéque religionis Israeliticæ satis multa. Erat telluris matris sterilitas, adeò à benignis cæli remota aspectibus, vt in eius gremio aristæ monstruosè degenerarint in sentes, omnes lacerantes, omnes mordentes, & tribulorum ad instar omnes dispoliantes. Natura, si terra cæli foueretur influxibus, promiserat triticum; sed mater prodire fecit rubetum. O quàm in aliquibus fœminis inconcinni mores! ô quàm deponunt muliebrem pudicitiam, & in militarem transeunt audaciam! peruersitatis videas portentum, in molli scilicet corpore atrocem animum, & militare, ferúmque ingenium: de materno telluris ingenio triticum horridos mutatur in sentes, & contra ipsa naturam, quique aspicientibus stuporem faciant, ebibit mores. Et quid producat terra nec imbribus cæli irrigata, nec benignis syderum radiis fota. Quid mirum triticum peruersa metamorphosi horridas degeneret in spinas, si tellus solùm amplectitur feras? A procace matre, à garrula, ab immodesta discunt sæpè filiæ limites transilire modestiæ, & inuerecundæ viuere infamiæ.

Paterno Deus plangit populi sui peruersita- 116.
tem affectu, hominésque ferociam, & sæuitiam
mutuatos asserit à leonibus: *Eduxit vnum de* Ezech.19.
leunculis suis, & leo factus est, & didicit capere v.3.
prædam, hominémque comedere. Sermonem hîc
de Ioachaz institui tradit noster Sanctius: *Hic* Sanctius.
est Ioachaz, qui etiam vocatus est Sellum, quem populus pro Iosia à Pharaone occiso regno præposuit; verùm si homo, quomodò hominum pernicies? Induítne humana ferinos mores natura? si bellua, non erit homo, & si homo, non erit bellua: quomodò ergo vtrúmque adeò sibi contrarium conueniet? Explicuerat iam Propheta: *Mater tua,* inquit, *leæna inter leones cubabit:* mater cùm esset mulier, refragante natura transiuit in feram, leoninam sibi mutuata est audaciam: sub matre ergo leæna, quid mirum si leones prodierint filij? Quid mirum Ioachaz regno præfectus ad miserorum solatium attulerit luctuosum excidium? Quid mirum vorarit, quos debuerat nutrire? Homo monstrum, specie persona, factis bellua; & vnde illi adeò truculentum ingenium? De materna sanè disciplina: mater namque non fœmina; sed leæna: *Leænam appellat Ierusalem,* scribit Sanctius: Ierusalem teste Christo Domino sic à virtutis cultu, morúmque probitate aliena, vt prophetas occideret,

occideret, & imbre saxorum durissimo lapidaret. Sub huius ergo institutione filij, quamuis ortu homines, sæuissimas transibant ad feras: nam de peruersa parentum vita filij prodeunt ad morum infamiam, ad generis notam, ad naturæ humanæ ruinam.

§. XXVII.

Facilè coronatur triumphis, qui de suis viribus non præsumit, & Domini præceptis obedit.

117. ILle in vitia legitimè procedit armatus, qui suis viribus nullatenus arroganter innixus, qui de corde præsumptionem infelicitatis germanam exclusit, & pudentem diffidentiam sororem felicitati vocauit: quantum quisque suo robore fretus, & auxilio diuino nudus, & quia nudus, ab aduersariis facillimè vulneratus: non coëunt & diuina suffragia, & hominis præsumptuosa iudicia, nec vnquam virulentus hostis securiùs sibi promisit triumphum, quàm si secum congredientem animaduertat superbum: quisquis de se confidit, & sibi imposuit, & vires hostibus addidit. Non eneruet animum pusillanimitas; sed nec vana instauerit confidentia: magna tentanda sunt de diuina ope, & de humana pauperie: qui se imbecillum humilitate putauit, & cælestem opem asciuit: qui se magna posse præsumpsit, ignobiliter citò corruit. *Præsume*, aiebat Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 4. *non de operatione tua; sed de Christi gratia.* Optima præsumptio, quæ digno timore immista & securitatem affert metuenti, & cautelam suadet speranti. O geminam virtutum plenitudinem, quæ Domini ebibit vires, dum proprias non renuit fateri imbecillitates! O prudentem animum de periculi præuisione trepidum, & de spei vigore munitum! O inuictam conscientiam, quæ de spei vigore animos contra discrimen resumit, & periculi anxietatem mutat in victoriæ gloriam, quæ vnde macie videbatur confecta, de fiduciæ viribus validiùs exurgit contra aduersarium robusta! Iosephitæ arctis limitibus inclusi Iosue adeunt sortis suæ prolatationem poscentes: Iosue inscendere montem, & excidere syluas præcepit. Quid tunc? *Responderunt fily Ioseph: Non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis curribus vtantur Chananæi, qui habitant in terra campestri.* Iosue dum honestè timidos, suísque viribus nullatenus innitentes agnoscit, fortitudinem laudat, & securum de hostibus triumphum promittit: *Populus multus es, & magna fortitudinis: non habebis sortem vnam; sed transibis ad montem, & succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia, & poteris vltra procedere, cùm subuerteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, & esse fortissimum.* O quàm ducis mens, & militum animus discrepat! illi suam impotentiam fatentur: *Non potemimus ad montana conscendere:* & strenuus dux deprædicat fortitudinis excellentiam, & de hostibus non dubiam prædicit victoriam: *Poteris vltra procedere, cùm subuerteris Chananæum.* Non solùm in Chananæos viribus præualebunt; sed difficiliora tentabunt: illi fatentur impotentiam; sed quia suis viribus non fidunt, adeò vires suas adornant, robúrque incrementant, vt qui aduersus Chananæos arrogantèr non præsumpserant pugnam, de Chananæis gloriosam reportarint victoriam: *Poteris vltra procedere:* cùm vel Chananæis non posse se existimant congredi, maiora iubentur aggredi: quia dum sibi non fidunt, & robustiores euadunt. *Dixerat Iosue*, scribit Abulensis quæst. 4. *quòd ascenderent in syluam ad succidenda spatia habitandi, & colendi, quod rectè dictum fore existimauerunt fily Ioseph; sed responderunt se ad hoc impotentes.* Dum se viribus orbatos existimant, & vires in aduersarios crementant, & de se diffidentibus Iosue promittit victoriam, qui tumentibus aduersam minaretur fortunam.

Ambros. (margin, beside "Præsume")

Abulens. (margin)

Gùm Gedeon aduersariorum iniurias, ne inhonestè toleraret, laudabiliter vellet effugere, solatur Angelus, & in meliores spes erigit: *Cùm Gedeon excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, apparuit Angelus Domini:* promittit amplissima aduersariis expugnatis trophæa: Gedeon mirabilium Domini memor obiectat: *Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus?* Angelus placido vultu, & gratis oculis Gedeonem aspiciens fortem deprædicat, & vti iam victorem coronat: *Respexit ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua.* Et quæ Gedeonis fortitudo? De se adeò non præsumpsisse, vt cogitauerit fugam, eámque habuisse in Domino confidentiam, vt mirabilium recordaretur: hæc Gedeonis maxima fortitudo, se prorsus imbellem existimasse: *Ego minimus in domo patris mei*, & Domini mirabilia memoria tenaciter retinuisse: de Domini non dubitare potentia, nec stulta de se præsumere audaciâ, maxima Gedeonis fortitudo erat: ô quam certos offerebat de hostibus triumphos in aduersarios de mittentis obedientia, non de inani roboris humani fiducia. Adest Theodoretus quæst. 12. in iudices: *Quoniam memor erat mirabilium Dei, firmámque de Deo tenebat opinionem, illum, si vellet, eos facilè liberare posse è calamitatibus, quibus detinebantur, meruit vt audiret ab Angelo: Proficiscere in robore fidei huius, & vinces: neque damnet quisquam ea, quæ sequuntur: non enim velut diffidens de Deo dixit: Familia mea humillima est in tribu Manasse, & ego minimus in domo patris mei; sed vt de se modestè sentiens.* O quàm artifex inuictæ fortitudinis in aduersarios arma parabat humilitas. O quam vincere didicit digna de Domini potentia fiducia, & modesta de propriis viribus diffidentia: apparet Angelus de propriæ humilitatis conscientia adornanti fugam, & de Domini, si velit, viribus nullatenus dubitanti victoriam. Vtrumque Gedeonis vires firmauit, de se nil sperare, & de Deo dignè præsumere, frumenta purgare, vt fugiat, & hostes aggredi, vt Domini præceptis obediat. 118.

Iudic. 6. v. 11. (margin)

Theodor. (margin)

Non caret mysterio Moysis manum leprâ infectam, Dominicam Numinis iussu portare virgam: *Reuersus est in Ægyptum portans virgam Dei in manu sua:* obedit diuinis iussis: *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Et cur in eadem manu & lepra & virga coniungitur? Si immutatus est elementa, cur manu infirmitatis tulerit notam? aut, si manu tulit notam, cur prenset cælestem vigam? Virgæ erit iniuria dextera gestari leprosa; ipsique 119.

Exod. 4. v. 20. (margin)

lepræ accrescet nescio quid dedecoris de eximia virtute virgæ : vicina namque excellentia morbi adauget ignominiam, dum clariùs prodiderit lepram. O sapientiam immortalem! ni manus tabe morbida fuisset infecta, de viribus suis fortè præsumeret, & de præsumptione Moyses miracula retardaret : ni gestaret virgam, nullatenus Numinis æmularetur potentiam; at dum eadem manus candet lepra, & munitur virga, adeò inuictas vires in Pharaonem, eiúsque duritiem ostentat, vt faustè luctamen inire audeat. O quàm dura contra gehennales exercitus erit manus de lepra humilis, Domini virgæ confidens! armata obedientia, & nulla sui innixa fiducia. Prodest Theodoretus quæst. 10. in Exod. *Dextera, quæ admiranda illa perpetrarat, cùm priùs fuisset leprosa, signis diuinis inseruiuit, & elementa mutauit : quæ res Mosem etiam admonuit non superbire debere; sed agnoscere naturam cum recordatione dextræ leprâ priùs infectæ.* Vtrúmque indubiam Pharaoni conciliabat stragem : nam Moyses lepræ recordatione omni superbiæ præcluserat viam, baculíque gestatione, & obtemperabat iussis, & patrandis de humilitate aptabatur miris.

Theodoret. *Prudens recordatur elapsa, ne tumorem excitarint præsentia.*

120. Iam quantum præsumptio incommodet, vide: Cùm Elisæus piæ illi fœminæ, cuius frequenter vtebatur hospitio, filium contra naturæ leges impetrasset, natiuitatísque lætitiam pestilens morbus in mœrorem, luctúmque citissimè conuertisset, Giezi tradit baculum, iubetque velociter tendere excitatum defunctum : *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade : si occurrerit tibi homo, non salutes eum; & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi: Et pones baculum meum super faciem pueri.* Seruus accingitur, baculóque miraculorum officina in mortem armatur; verùm insultabat mors deprælianti, & irridebat conatum : quia nullatenus Giezi verebantur aduersùm : *Posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus.* Inquiramus cur Elisæi duplici spiritu exornati baculus non excitauerit puerum, nec contra mortem coronauerit triumpho ministrum. Et quidem non insolitum commendabiles, & primæ notæ viros miracula operari per seruos. Missi à Christo discipuli, & dæmones subigebant, & pestilentes morbos curabant: mulier dum Elisæi præceptum exprompta exequitur, oleum multiplicat sæculis inuiso prodigio, & inaudito miraculo : quid ergo fuit in causa, ne Giezi triumphum caneret, mortémque canere lugubre cogeret? Profectò vanitatis præsumptio, ac præceptorum nullatenus exacta adimpletio. Se ad suscitandum mortuum missum superbè iactabat, & vanissima confidentia Prophetæ baculo vires adimebat : nam dum in seruulo creuit vanissima confidentia, baculi prorsus eneruata est efficacia : erat namque vtrúmque ad mortem deuincendam pernecessarium; de Elisæi figuram Christi gerentis virtute honestè audere; & de propriis viribus nil præsumere; at Giezi, dum obscuratur insolenti iactantia, & baculi impedita est energia : solus namque potest lauris redimiri gloriosis, qui exactè obtemperat iussis, nec torosis fidit lacertis. *Dicit Rabbi Salomon*, scribit Lyra, *quòd hoc fuit propter demeritum Giezi, qui non seruauit præceptum Elisæi; sed occurrentibus sibi hominibus iactanter dicebat se missum ad suscitandum mortuum.* Dum se ad depellendam mortem aptissimum iactanter publicat instrumentum, de superbia impedit triumphum : si exactè obedisset, si se prorsus virtute ad mira patranda nudum existimaret, inuita morte puerulum luci suscitatum redderet; at dum sibi fidit, dum magna de se vanissimus cogitat, quantumuis Elisæi gestauerit baculum, perficere nequit prodigium; est enim ad victoriam necessarium de se nihil separare, & de Elisæi virtute intrepidè in mortem audere. Dum præceptorum normam non seruat, dum cum sibi obuiantibus verba miscet, nec de morte reportat victoriam, nec matris depellit angustiam. O quoties vana præsumptio superbiáque iactatio egregia facinora retardauit, baculíque virtutem efficacissimam impediuit.

4. Reg. 4. v. 29.

Lyra.

121. Dauid patris executus mandata in castra venit : Dixit Isai ad Dauid filium suum : *Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos... Surrexit itaque Dauid mane, & commendauit gregem custodi, & onustus abyt, sicut præceperat ei Isai.* Castra ingressus monstrum illud superbiæ, ad cuius omnes diffugiebant aspectum, intrepidus spectauit, & in certamen prosilire animosus gestiuit : rex timore perculsus pastoris inducitur oratione, & in certamen prodire iubet: in arenam armorum inexpertus descendit, funda, & baculo solùm munitus : quibus enim rebus ad regnum promouit gratia, eisdem coronauit victoria; verùm Goliath faciei florem intuitus, in risum effusus est, ludicrum aduersarium despiciens. Quid tunc Dauid? *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel.* Nullis armis fretus, nulla experientia confisus, humanísque prorsus auxiliis nudus in nomine Domini fiduciam habens cum immani hoste congreditur, & vel ante congressum iam canit triumphum : *Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te.* Omnia gratiæ adscribit, & dum nulla sui fiducia tumidè vanus, & paterni præcepti executione munitus, facilè de immani aduersario triumphat, & abscisso Philisthæi capite Hebræorum cumulatiùs gloriam incrementat : *Præualuit Dauid aduersum Philisthæum in funda, & lapide.* Opportunè Basilius orat. 15. *Ego belli inexpertus, quæ res animos mihi facit : neque enim viribus meis fretus, sed gratia in aciem prodeo.* Addit post aliqua Dauidis etiam nomine : *Non hisce meis manibus; sed diuinis obarmatus sum, tibique cum vita caput adimam.* Victoriam facilè obtinuit, dum Dei ope in campum processit fisus, & paterni mandati adimplētione obarmatus : vel manus fundam rotare doctas prorsus inutiles reputabat; sed diuinis se manibus obarmatum credebat. Ergo dum omnia gratiæ viribus adscribit, nec humanæ industriæ, aut virtuti propriæ quid arrogat; se immortali triumpho coronat : redimitur namque gloriosis trophæis, qui de se nihil præsumit, & de cælesti virtute indubiè confidit.

1. Reg. 17. v. 17.

Seleuc.

* * *

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Sapiens, virtutisque studiosius vitia prorsus conatur depellere, aut si non possit, minuere.

122. NOn est firma valetudo, quæ comparata periculoso morbo vocatur sanitas; sed quæ per se vegeta, & omni ex parte robusta: imbecillimis fortior, & modestissimis lætior, & effrænatissimis moderatior, & humillimis maior esse potest à fortitudine & temperantia alienus, & vitiis quidem obscurus: ridiculus erit, qui velocitatem suam laudet ad debiles & claudos spectans. Illa potest appellari velocitas, quæ intactæ segetis per summa volat grauamina, nec teneras cursu lædit aristas, vt aiebat Poëta:

Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Hæc est pernicitas per se extollenda, non quæ tardigradi collatione laudatur. Non est sanus, qui leuiter febricitat, nec perspicax cuius visus aliquo, etsi exiguo humore suffunditur. Audi Senecam epist. 86. *Non est bona valetudo mediocritas morbi*: ita equidem; verùm optimi medici, si morbi violentiam vno impetu nequeant frangere, prudenter satagunt emollire, vtque prorsus extinguant, paulatim extenuant, nec parum se fecisse putant, si vrgentis insaniam febris, aliquantulum temperarint: nam vbi vis morbi remittitur, opportunior curationi locus conceditur. Stoici affectus non tollunt; sed temperant. Peripatetici apud Senecam loco citato aiebant suprà naturæ vires esse immunem adeò viuere aliquem, vt nullis vitiis tangatur, & obscuretur: itaque apud illos ille est sapiens, qui mœrore non vincitur: est enim vltra virtutis ac prudentiæ metam non tangi. *Illud*, scribit Stoicus, *aiunt humanam naturam negare, alicuius animum immunem esse tristitia, sapientem non vinci mœrore; cæterum tangi: & cætera in hunc modum sectæ suæ respondentia: non his tollunt affectus; sed temperant.* Fateor hoc esse diminutionem malorum, non vacuationem: fateor vitia nulla debere esse, non pauca: nam si vitiorum remaneant semina, fota crescent, & ad se rationem non semel trahent: oculos grandis suffusio excæcat, modica turbat; sed non parum arti suæ plaudet, qui cæcitatem ad perturbationem deduxit. Itaque sapiens omnia prorsus vitia extirpare studebit; verùm si se imparem experitur, à facilioribus incipiet, vt maiora extenuata faciliùs valeant depelli. Iosephitæ non audent ad montana conscendere, certaménque cum Chananæis falcatis curribus, & copiosâ manu instructis inire: *Non poterimus ad montana conscendere, cùm ferreis curribus vtantur Chananæi, qui habitant in terra campestri.* Quid tunc Iosue? *Ascende in syluam, & succide tibi spatia in terra Pherezæi & Raphaim.* Quasi dicat: Si hostes vrbibus munitos murísque tectos vincere non audes, saltem cie bellum contra syluæ habitatores, vt imminutis hostibus faciliùs possis in remanentes insurgere. Ita Abulensis quæst. 3. *In hoc innuitur quòd Iosue non suadebat Ephraitis, & Manassitis pugnare contra Pherezæos, vel Chananæos, qui erant in vrbibus: quia fortè contra hos esset pugna difficilis; sed quòd acciperent terram syluarum, etsi qui ibi habitarent, faciliter poterant inde eos expellere.* Monuit, vt à facilioribus inciperent, vt ipsis inescati victoriis animosiùs, & valentiùs insudauerint præliis. Iosephitæ Chananæos secum habitare permittunt: *Cœpit Chananæus habitare in terra sua*: posteà Chananæis aliquantulum iam arctatis Iosephitarum vires robustiores viguerunt, & Chananæos tributa pendere compulerunt. *Postquam conualuerunt filij Israel, subiecerunt Chananæos, & fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos.* Iosue tributa pendentes fore subuertendos pronunciat: *Poteris vltra procedere, cum subuerteris Chananæum.* Ecce priùs Chananæus ablata possessione arctatur, posteà tributis subiicitur, ac denique prorsus euertitur: & ille, qui falcatis curribus obarmatus terrorem vel aspicientibus incutiebat, paulatim attritus triumphos Iosephitis peperit: *Non poterimus*, aiebant, *ad montana conscendere, cùm ferreis curribus vtantur Chananæi.* Quid ergo faciendum? Hostes in angustias redigere, redactos tributis non modicis onerare, & ad vltimum oneratos subuertere. Notauit Origenes hanc industriam hom. 22. in Iosue. *Videamus nunc quid sibi velit hæc de Chananæis tripartita narratio. Primò Chananæus nobiscum est quidem, & sub tributo est; non est tamen obediens nobis, neque seruus; secundò etiam seruus efficitur, & obediens: Chananæum hic carnem nostram accipiamus, vel ea, quæ carnis sunt.* Si caro contra spiritum armatur in prælium, si frementibus appetitibus, efferatisque passionibus irruit, & ratio minùs diligenter succincta de peccandi vsu, aut de affectionum pruritu eius adsultus penitus non valet euertere, aut appetitus sopire, curabit saltem non solùm non cedere inhonestè; sed vires eius eneruare industriè, vt iam caro latis terminis nullatenus diuagetur; sed angustioribus constringatur; nec quod illi libet, fiet ad eius arbitrium; sed pati compellet tantisper frænum; posteà resumptis viribus tributariam faciet spiritus, vt iam pœnitentiæ sit vectigalis, quatenus nec vrgere audeat stimulis, nec obnubilare fallaciis: tandem iam extenuatam, & rationabili castigatione subiectam sic rationi parere coget, vt deseruiat augendis triumphis, non conciliandis periculis.

Senec. *Non est valetudo morbi mediocritas.*

Senec.

Abulens.

Iosf. 17. v. 13.

Origen.

123. Moyses, qui in populi ducem parabatur, qui virtuti dedicabatur patronus, in Ægypto degens vnicum Ægyptium occidit: *Percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Ægyptium interemit; verùm animi timorem testatur ceruix huc & illuc circumacta, & adstantium oculos vitita: *Cùm circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset,* &c. posteà cùm ad terram Madian profugus excurrisset, fœminas, quæ potandis gregibus non sine ingenti labore aquam eduxerant, ab inciuilibus pastoribus iniuriam passas intuitus est: Superuenerunt namque rustici pastores, & viribus præfidentes alieno labore, vt accidere sæpè solet, oues suas adaquare gestiebant. Quid tunc? Intrepido animo iam non huc atque illuc circũacta ceruice puellas defendit, & pastores dignis conuitiis carpẽs aut occidit, aut saltem abegit. *Surrexit Moyses, & defensis puellis adaquauit oues earũ.* Denique Numinis voce pro tessera armatus Ægyptum petit, & cõprehẽsa pastoritia virga, elementisque imperans non iam vnicum Ægyptium tumidus; sed omnes aggreditur subuertere intrepidus: fortitã ni vnicum,

Exod. 2. v. 12

cum, iam liberiùs pro virtutibus audet, & dum liberiùs audet, & penitus etiam Ægyptios extinguit Si initio voluiſſet extinguere, fors haberetur temerarius, & fuiſſet conatus irritus; verum dum ſe in minoribus exercet, dum præludit, ſe ad maiora certamina prudenter diſponit: Ambroſ. *Moyſes hinc priùs orſus eſt*, ſcribit Ambroſius lib.1. offic. cap.36. *tentamenta bellicæ fortitudinis: nam cùm vidiſſet Hebræum ab Ægyptio iniuriam accipientem defendit ita vt Ægyptium ſeruaret, atque in arena abſconderet.* Priùs fugit, poſteà palàm auſus eſt, tertio in Ægyptios irruit: vnum occidit, vt multos poſteà vorticibus ſuffocaret: ergo qui in vitia audere diſcupit, nec impetu valet euertere, extenuet, imminuat numerum, ſepeliat vnum, vt de victoria animoſior in cætera audeat, & feliciſſimè expellat: fugiat initio, vt iam Numinis voce obarmatus, & cæleſtium contemplatione munitus, mortificatione, crucíſque virga prehenſa, & poſſit congredi audaciùs, & coronari feliciùs. Forſitam ob id prudens allaudatur ſerpens.

124 Deliciabantur parentes noſtri paradiſæis viridariis, vbi & canoræ aues aures demulcebant concentu, vbi limpidiſſimi riuuli blando ſerpebant excurſu, vbi redolentes, variíque flores colorum adulabantur conſpectui, vbi ſapidiſſimi fructus proritabant palatum, inflammabantque deſiderium; verùm ad inuidiam excitatus eſt dæmon, ſerpentem efferatus induit, & poſt aeris ſectionem terrà fœdis ſpiris obuoluitur, mulierem à viri conſpectu tantiſper abductam inſidiosè aggreditur, & commiſerationem ſimulans ſeruum nititur cum Domino committere: vetitæ plantæ venuſtatem exaggerat, fructuum ſaporem commendat, & fallaciis ambitioſam proritat: quid times, inquit, fructum capere; cuius ope Deus euades, ac diuinitate potieris? Gen.3.v.1. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus: qui dixit ad mulierem*, &c. Et cur non ad hominem; ſed ad mulierem? Ambos alloquatur, vtríque diuinitatem promittat, vt glorioſiùs vincat, dum vtrúmque ſubiicit, aut honeſtiùs vincatur, dum non ab vno proſternitur; ſed à gemino inimico ſubiicitur. Proh ſerpentinam aſtutiam! veretur; ne, ſi Adamum, Euamque ſimul aggreſſus fuerit, pudore ſuffundatur victus, & ignominiosè abactus, neceſſumque ſit obſcuras repetere latebras, complicareque fœdiſſimè ſpiras: ergo per partes ſtructuram ſubruere inceptat, & ab infirmiori exorditur: Seleuc. *Per latus hominis*, aiebat Baſilius Seleucienſis orat.3. *ſtructuram ſubruere inceptat.* In eo ſerpentina commendatur aſtutia, quòd infirmiorem partem aggreditur, vt ad fortiorem perueniat: de mulieris ſubactæ triumpho validior in Adamum inſurgit, & infauſtè fortunatiſſimus vincit: quò de caſu erudiaris ad profectum. Hercules dum ſingulatim capita obtruncat, Hydræ vires prorſus deuincit: quia paulatim extennata faciliùs deperibat extincta; fors ſi Hercules omnia ſimul capita tentaſſet præcidere, irrito labore ſudaſſet, & nullatenus euiciſſet.

125 Exod 1.v.9. Pharao aſtutiæ ſibi aſciſcit auxilium, vt fortiori populo excitarit naufragium: *Populus hic multus, & fortior nobis eſt: venite ſapienter opprimamus eum.* Et quæ in euertendo populo ſapientia: Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, inquit, in flumen proiicite: timet ſi in populum audeat vno impetu, ſuperari, ſe enim teſtatur fortiorem. Quid ergo? Infantes aggreditur, vt dum populum paulatim imminuit, victor euadat; & qui maiores fortè aggreſſus concedere cogeretur victoriam, infantes adorſus imminuit aſtutè ſummam: ab exiguis incepit, vt ad maiora veniret. O diſcant filij lucis ab improbis prudentiam, & dum ſe aut praua peccandi conſuetudine, aut ingenij fragilitate impares cognoſcunt plurimis ſimul deterendis vitiis, ea procedant induſtria, vt maioribus, vti Pharao, intulerint moleſtiam, & minoribus abſtulerint vitam. Pharao vtrúmque decernit, & viros oneribus moleſtis deprimere, & infantes vorticibus tradere: & quidem, ni ſtaret pro populo omnipotentia, infelix aſſequeretur votum aſtutia. Ergo ſi graues tentationes nequis abigere, ſaltem preme, nec illis quicquam conceſſeris, ac ſimul infirmiores audacter occide: hoc enim modò victor triumphabis, & inimicos omnes prorſus delebis. Adeſt Baſilius Seleucienſis orat.9. Seleucienſ. *Contentiosè cum Deo agens Pharao generationis amplificationem minuere aggrediebatur: Venite*, inquit, *ſapienter opprimamus eum: ſi maſculus fuerit, in fluuium iacite; ſi fœmina, reſeruate ad vitam: vt maſculinam ſobolem cum nulla condemnat humanitate, partim dum cauſas generationis accidit, partim dum ventris progreſſiones expectat edicto.* Ecce prudentiam, à facilioribus incipere, nec difficilioribus indulgere: miraculis opus fuit, ne fortunatum euaderet deſiderium, adeò intentioni aptum excogitauerat artificium.

Hanc induſtriam à meliori diſcamus magiſtro. 126 Cùm Angelus proceram illam ſuperbiæ plantam profundas in Nabuchodonoſoris phāntaſia radices agentem moliretur excidere, miniſtris ſic præcipit: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & diſpergite fructus eius.* Dan.4.v.11 Eſto edictum primum fuerit neceſſum, aliud de ramorum truncatione, de diſcuſſione foliorum, de diſperſione fructuum videtur ſuperuacaneum: ſi planta repetitis ſecuris ictibus præciſa corruit, quid neceſſum eſt tempus terere in ramorum brachiis truncandis, foliíſque repellendis: humore deſtitutá, & truncatá nec folia viriditas exornabit, nec ſuccus condietur in fructus; ſed omnia langueſcent vigore deſtituta, ad commiſerationémque commouebunt marcida. O ſapientiam immortalem! Magna & procera arbor non adeò facilè quibat corruere: quid ergo? Vt faciliùs teres truncus diſiiciatur foliorum priùs viduatur pulchritudine, ramorum pondere, fructuum grauitate: per partes extenuata faciliùs corruit arbor ſecuri percuſſa: quò erudiamur vitiorum proceram arborem profundas prauis affectibus radices agentem induſtria minuendam: vt ſi tota ſimul non poſſit cadere, ſaltem extenuetur, quouſque penitus atteratur: quod quidem faciliùs fiet præciſis vanis pompis, ſuperfluis ornatibus, nociuis viroribus: *Fiat eius pulcherrima*, inquit Lyra. Nicolaus de Lyra: *Hoc dicit quantum ad eius ornatum, & iocalia, quæ diuerſis regnis ſuperatis congregauerat, & fructus propter multitudinem diuitiarum artificialium.* Ornatus pompa, ingens diuitiarum ſumma, fructuum copia illi plantæ erant veluti fœcundi imbres ad irrigandam ſuperbiam, & nutriendam altiùs inſaniam: toroſus pullulabat truncus vanitatis vndis, & roſcidis

roſcidis fortunæ auris: Angelus ergo dum arborem ſuccidi præcipit,& ſuccilionis modum præſcribit : dum enim partes truncantur, faciliùs planta dilicitur.

---

§. XXIX.

Glorioſum eſt ad virtutem ductorem ſequi; ſed glorioſiùs viam ſibi facere, & ſequentibus aperire.

127. Senec. **Q**Voſdam ait Epicurus, ſcribit Senec.epiſt.53. *ad veritatem ſine vllius adiutorio exiſſe, feciſſe ſibi ipſos viam; hos maximè laudat, quibus ex ſe impetus fuit, qui ſe ipſos protulerunt: quoſdam indigere ope aliena, non ituros, ſi nemo præceſſecerit; ſed benè ſecuturos:* præcedentium honeſta veſtigia premere non modicam affert laudem, quandoquidem pluribus non tantum duce opus eſt; ſed,vt ita dixerim,coactore: videas pecorum more proſilire plures in vitia, pluréſque non ſolùm ſequi;ſed viam ſequentibus aperire. *Quod in ſtrage hominum magna euenit*, inquit Stoïcus de vita beata cap.1. *hoc in moribus accidere videas: cùm ſe populus premit, ſic quiſque cadit,vt alium ſecum trahat: primi exitio ſequentibus ſunt. Ita quidem euenit: nemo ſibi tantum errat; ſed alieni erroris cauſa & auctor eſt.* Hoc euenit profectò in vitiis; ad virtutem tamen mirum erit, ſi ſatis ſit manuduci, nec opus fuerit compelli: non quidem faſtidienda eſt copia illa hominum, quæ compelli, cogíque ad rectum patiuntur. Itaque infimus gradus eſt cogi, ſecundus duci, excellentiſſimus eſt præire. O quàm pauci illi primæ ſerieri adſcribuntur: rari ſunt, qui nitantur ad ardua, & qui aliis ſequenda figant veſtigia; imò pauci ſunt,qui alieno beneficio ſalui eſſe velint, nec eſſe duces cadentium malint. Hinc Ioſue quos magnos Ioſephitas agnouerat, hortatur montem inſcenderint,& inacceſſa retro in planitiem labore induſtrio deduxerint: *Populus multus es, & magnæ fortitudinis: non habebis ſortem vnam; ſed tranſibis ad montem, & ſuccides tibi, atque purgabis ad habitandum ſpatia.* Magnus & fortis Ioſephitarum populus deprædicatur, cùm ſibi ſpatia humanis greſſibus anteà ignota in montium præruptis ſuccidit: ab aliis culta habitare non eſt eximiæ fortitudinis teſtimonium; at habitanda aliis excidere eſt inuicti roboris argumentum. *Hoc eſt primum remedium ad extendendum*
Caiet. *ſortem*, inquit Caietanus, *vt quia multi & fortes ſunt, reddant montem habitabilem.* Habitabilem non occupant montem; ſed faciunt. Hoc ergo fortitudinis eſt elogium: alios namque ſequi ſecundis laudibus dignum.

128. Ionathas adoleſcens animo erecto, ad facinoráque glorioſa parato Philiſthæos, qui adinſtar locuſtarum campos repleuerant, aggredi tentat, & per abruptiſſimas petras vel ibi cum greſſibus illibatas viam aperit, armigeróque ſe-
1 Reg. 14. v.4. & 13. quenda veſtigia imprimit: *Erant inter aſcenſus, per quos nitebatur Ionathas tranſire ad ſtationem Philiſthinorum, eminentes petræ ex vtraque parte, & quaſi in modum dentium ſcopuli hinc & inde prærupti... Aſcendit autem Ionathas manibus & pedibus reptans, & armiger eius poſt eum.* Vterque Philiſthinis attulit exitium, dum obturbatos, mentéque confuſos contra ſe ipſos committit in prælium. *Itaque alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat ſequens eum.* Verùm tota hæc victoria Ionathæ adſcribitur,& de armigero tacetur. *Fecit*, clamat pulus, *ſalutem hanc magnam in Iſrael: cum Deo operatus eſt hodie.* Et cur armigeri virtus laudibus non extollatur, nec fauſtis acclamationibus celebretur? An quia alter ſeruus, & alter Princeps,& de ſtatus obſcuritate in altero non videtur, quod de faſtigij lumine in altero ſemel & iterum allaudatur. Non equidem: nam quamuis is ſit frequens ſæculo ſtylus, modò Ionathæ virtus celebrior,& animus decenter audacior: vterque in phalangas inimicorum irrupit: at Ionathas viam per inacceſſa armigero apueruit: armiger præcedentis veſtigia preſſit, ideò eius virtus ſecundæ notæ, vt virtus Ionathæ primæ.
Huc voco Senecam citato loco: *Egregium hoc* Senec.
quoque; ſed ſecundæ ſortis ingenium: nos ex illa *Artificem*
prima nota non ſumus; benè nobiſcum agitur, ſi *commendat*
in hanc ſecundam recipimur... quamuis enim ad *opus materia*
eundem finem vterque peruenerit; tamen maior *difficilis.*
eſt laus idem effeciſſe in difficiliore materia. Difficiliùs viam ſibi fecit Ionathas; faciliùs armiger ſecutus eſt iam apertam: Ionathæ ex ſe impetus fuit; ſe ipſum protulit: adhortatione armiger indiguit aliena: benè ſecutus eſt; non tamen iret, ni Dominus præceſſiſſet. *Ionathas*,
ſcribit Gloſſa, *columba donum, hi ſunt, qui dono* Gloſſa.
Spiritus ſancti replentur, per quos Dominus hæreticorum conuentus diſſipat, atque in fugam vertit; armiger eius ſpiritualium diſcipuli. Magno ſpiritu probatur ornatus, qui laudabili audacia iter aperire eſt aggreſſus; qui præcedentis ſequitur veſtigia, habetur diſcipulus. O ſimus inter exempla, & qui nouas ad vitia ſemitas perverſè adinuenimus, ad virtutes nouas ſtudioſè quæramus: ſatis non ſit impreſſa ab aliis veſtigia ſequi; ſed laudabili audacia aliis ſequenda ſignate.

David, vt Virginis Mariæ, Eccleſiæque glo- 129.
riam ſumptuoſiùs extulerit, virginitatis arctam aperuiſſe teſtatur ſemitam præcedentibus qui-
dem ignotam: *Aſtitit regina à dextris tuis in ve-* Pſalm.44.
ſtitu deaurato, circumdata varietate. Et poſt pau- v.10.& 15.
ca: *Adducentur regi virgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi*: Illa Deo proxima, aliæ eius
exemplum ſecutæ: illa regina, iſtæ ſeruulæ. Euthym.
Proxima eius, ſcribit Euthymius, *illa nimirum, quæ moribus,& ſapientia proximæ ſunt, quæque à ſponſa regis filia non longo diſſipantur interuallo.* Præmiſerat paulò anteà idem Euthymius: *Virginitatem quidem introducendam prædicit; ſed non ſtatim ab initio congregationis fidelium, atque ideò dicit, poſt eam.* Quæ virginitatis edocuit viam,& regina, & mira virtutum varietate circumdata: quæ ſequuntur, eam nullatenus perfectionem attingunt. *Adducentur regi virgines.*
Sciendum, ſcribit Incognitus, *quòd glorioſa Virgo* Incognit.
Maria fuit inter mulieres prima, quæ in Eccleſia Chriſti ſponſa votum virginitatis emiſit, & ſuam virginitatem Deo conſecrauit: & ſic fuit prima, quæ ad ſponſum adducta fuit, quam cæteræ virgines ſequuntur: quia exemplo eius aliæ multæ mulieres virginitatem ſuam Chriſto Sponſo dedicauerunt: & hoc notans hic pſalmus dicit: Adducentur regi
virgines: & hoc poſt eam. O quàm glorioſum *Virgo prima*
Mariæ oſtendiſſe cæteris viam, nulliúſque *fuit, quæ vir-*
exemplum ſecutam extitiſſe ſemper exemplum! *ginitatem*
vouit.

O quàm

O quàm factum ex Spiritu sancto habuit impetum, qui ignotam illam cæteris omnibus viam in arduo positam complanauit, & tractabilem sequentibus fecit! Aliæ sunt proximæ, quia secutæ vestigia: illa charior, illa celebrior, illa augustior, quia imitanda cæteris exhibuit exempla. O quàm Mariæ Dominæ nostræ gloriæ detrahunt, qui ante ipsam virginitatis viam voto firmatam patuisse prophetis aliquibus arbitrantur. Non negauerim à nonnullis, eisque paucissimis virginitatem excultam; inficiabor tamen semper, ab aliquo ante Virginem voto firmatam, sacramentóque stabilitam. Hæc prærogatiua Matri Virgini seruabatur, vt omnibus modis cæteris anteiret, & viam virginitatis prima suis gressibus explanaret.

130. Postquam Pharaonis peruicacia confusis vorticum voluminibus est sepulta, populúsque puluerulentis gressibus maris profunda calcauit, ne variis circuitionibus ageretur, tritúsque erroribus Ægyptum repetere cogitaret, Angelus Dei vices agens viam per abstrusa desertorum ostendit, splendenti columna pro regali solio vsus, & luminibus pro ornatu vestitus: *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* (Exod 13. v.21.) Angelus est, qui præcedit, populus, qui commonstrato itinere sequitur. O quàm erat cæteris eleuatior, qui ignotam viam & populis aperiebat, & explanabat! Laudandus Hebræus, dum per locorum difficultates, per desertorum ardua, & per montium inaccessa ductorem sequitur Angelum; ille verò, dum viam aperit, nec vestigiis præcedentis insistit, & probatur prorsus diuinus, & cæteris omnibus antelatus: *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis*: alibi rubo inclusus apparet, ferrū alibi nudum stringit; hic tamen regali solio præfulget: quia non poterat non eminere eleuatus, qui per ignotas vias aliis sequenda vestigia impresserat primus. Hebræi pedites sequebantur: nam etsi laudabile sit tendentem ad virtutes sequi, non adeò excelsum, vt cæteris omnibus anteire: præcedit, vt ostendat primus, & certe præcedit primus, quia ostendit. *Nubes ista præcedens*, scribit Isidorus apud (Isidor.) Lippoman. *Christus est, idem etiam columna, quia rectus, & firmus, & fulciens infirmitatem nostram.* O quàm Christo quodammodò inuisceratus, qui viam cæteris demonstrat Angelus! nam alios fulcire, & viam ad excelsa semper docere metas diuinitatis attingit, & humanam conditionem excedit. Adest etiam Zeno (Zeno.) Veronensis apud Lippoman. *Columna viam demonstrans Christus est Dominus.* Christum refert, qui calcata ab aliis non sectatur vestigia, sed sequenda omnibus transmittit exempla.

131. Cùm Iordanis transmittendas esset, Iosue iubet sacerdotes arcam humeris sublevare, longumque spatium inter sacerdotes arcā portantes, & reliquum populū intercedere: (Iosue 3. v.3.) *Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, & sacerdotes stirpis Leuiticæ portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes: sitque inter vos, & arcam spatium cubitorum duûm millium, vt procul videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulastis per eam.* Arcam humeris conuehunt, qui cæteris viam demonstrant, magnúmque spatium interiacet inter sequentes, & tutam suis gressibus viam cæteris designantes. Non poterant non intimiùs adhærere Deo, qui per confusos vortices, per stupentia aquarum volumina, & viam securissimam demonstrabant, & sine exemplo premebant: Sacerdotes viam nulli antè aperiebant tritam, populúsque ab aliis pressit calcatam. Iosue ergo, vt virtutis, perfectionísque præeuntis, & sequentis sæculis explicaret discrimen, magnum voluit intercedere spatium, vt ab aliis distantissimos noueris, quos virtus consecrat in exemplum: *Vos consurgite, & sequimini præcedentes, sitque inter vos, & arcam spatium cubitorum duûm millium.* Et cur tam lata distantia? Quia populus aliorum premit vestigia; at arcæ baiuli cæteris relinquunt exempla. O quàm Deo coniungitur, qui nullis virtutis difficultatibus frangitur, qui ad inaccessa contendit magnanimus, vt virtute emineat excelsus: laudabile est sequi; sed gloriosum longè præire: *Per Sacerdotes*, inquit Origenes hom.4. (Origen.) in Iosue apud Glossam, *deducitur populus, & iter agit ad terram repromissionis magisterio sacerdotum.* Et post aliqua: *Ipsi enim sunt, qui edocent populum exire de Ægypto, de erroribus scilicet mundi, & transire per eremum vastam, id est, tentationum genera diuersa transcurrere.* Magnum intercedit spatium inter sacerdotes, & reliquam multitudinem: quia Sacerdotes edocent, Hebræi sequuntur: sacram humeris ferunt arcam, cùm adaperiunt ignotam cæteris viam: quia gloriosum est sine duce ardua laudabiliter vincere, & cæteris ad magna exemplum præbere.

Regnum accepit Ezechias non tam hominum copiis, quàm fœdis exundans vitiis: 132. excelsa dicabantur mendacio, erigebantur statuæ, lucos repleuerat turpitudo, & ipsa vitiorum medicamenta in sceleris iam transierant auxilia; verùm rex zelo armatus, & imperiali sceptro munitus coronæ firmitudini militauit, dum impietatem penitus abolere decreuit: *Dissipauit* (4.Reg.18 v.4.) *excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses, siquidem vsque ad illud tempus filij Israel adolebant ei incensum: vocauitque nomen eius Nohestan. In Domino sperauit: itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Iuda.* Abulensis quæst.19. vocat in dubium, an Ezechias sanctior Iosia fuerit: nam Iosias eis virtutibus resplenduit, vt aromatum fragrantissimam confectionem odore vicerit, & vel cælestes milites admiratione replerit: *Præcepit rex Helciæ Pon-* (4.Reg.23 v.4.) *tifici, & sacerdotibus secundi ordinis, & ianitoribus, vt proijcerent de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & vniuersæ militiæ cæli, & combussit ea foris Ierusalem in conualle Cedron, & tulit puluerem eorum in Bethel.* Magna gessit pro virtute Ezechias; Iosias tamen vsque ad puluerem impietatem redegit, & radicitus extirpauit: & quidem perfectiùs Iosiam in idololatriam pugnasse, eiusque vel minima vestigia deleuisse nulli dubium est. Ergo Ezechias sanctitatis gloria non excelluit; imò Iosias facinoribus religiosissimis superatur. Profectò Iosias clarissimis resplenduit virtutibus; verùm virtutis normam habuit Ezechiam; Ezechias verò nullum secutus posteris reliquit exemplum. Hic ergo eximia laude præcessit, seque immortalitati dicauit. *Licet Iosias*, verba sunt Abulensis, *destruxerit omnem idololatriam,*

latriam, quæ erat in terra, perfectiùs, quàm Ezechias; tamen non fuit ei similis: quia Ezechias fecit hoc à se ipso non habens aliquem priorem, cuius sequeretur exemplum: Iosias autem secutus est exemplum Ezechiæ; magna tamen laus est, quòd aliquis fecerit bona, quæ nullus antè fecisset. Addit Abulensis in Virginis Mariæ Dominæ nostræ laudem, eam habuisse prærogatiuam, vt in vouenda virginitate prædecessorum nullum fuerit imitata; sed ab ipsa primùm virginitatis gloria voto firmata in mundum fuerit inuecta: *Sic dicitur de Domina nostra: Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo: id est, non fuit aliqua, quæ emisisset votum virginitatis propter Deum ante Dominam nostram.* Quid dilucidiùs? Quid pulchriùs?

§. XXX.

Nihil est tam arduum, quod diligens non euincat industria, & solers absoluerit diligentia.

133. NOn est abiecta res virtus, nec facilè cuiquam parata: elaborandum est, & per ardua eius studioso enitendum: terret quidem primo aspectu visa; sed incussum terrorem deliciis compensat familiariùs tractata: prima specie incutit metum; sed accedentis oblectat animum: qui horrida spiris Moysem percellit fera, manu capta inuenitur virga. Hoc sanè inter vitium virtutémque discrimen versatur, quòd vitium iucunda facie propinat fucata oblectamenta; sed crudeli manu, vel dum propinat, altissima infligit vulnera. Quàm benè scyllæ ænigmate, & Harpyarum specie vitia depinxit antiquitas. *Scylla*, inquit Hildebertus epist. 59. *facies humana; sed caninis capitibus accincta describitur: Harpyæ vultum habent virginum; vngues autem aduncos, & rapaces.* Nitida specie & colorata artificiosis lenociniis facie alliciunt Harpiæ; accedentem tamen dilaniant, & aduncis dilaniatum vnguibus deuorant. Virtus seuero vultu, graui aspectu obiicitur aspicientibus; sed si familiariter accesserint, blandissimo admittit gremio, brachiis charitatis constringit, & honestis voluptatibus replet; verùm si ita, per ardua, vt initio dicebam, virtutis sequaci gradiendum sit; euincet industria, quod impossibile mentiebatur ignauia: emolliet assidua cura difficultates, & iam quod sylua horrida, deliciosissima transibit in topiaria. *Est montanis lapillis terra rarissima*, scribit Cassiodor. 12. var. 14. *arida pascuis; sed vndosa vindemijs: segetibus aduersa; sed oliuis accommoda: & ideò cultura eius omnis in sarculis est: quia superficies eius sicca nutrire non valet supernè nascentia: tergore illic ager nudus, industria potius quam natura vestitur.* Vel syluæ vastitas, vel montis asperrima cutis, vel tellus natura aduersante infœcunda industria vestitur, & iam conditione deposita floret grata oculis intuentium amœnitas: vbi oculos offendebat confusa spinarum horriditas. Iosephitæ, cùm se angustis limitibus conquerentur arctatos, arctísque terminis circumcinctos, monet Iosue montem inscendant & excisa sylua amœna habitationi præparatint spatia: *Transibis ad montem, & succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia, & poteris vltra procedere.* Mons syluosus, & anfractibus impeditus industria potest domari; vt iam commoda hominum habitationi inueniantur spatia, vbi anteà cauernosa ferarum lustra. Adest Caietan. *Iuxta Hebræum, habetur: Et erunt tibi exitus eius: qua expelles Chananæum. Non est vsquequáque clarum, an per exitus significentur prouentus, seu fructus exeuntes ex monte iam culto; an fructio libera terminorum syluæ iam succisæ significetur.* Sylua potest excidi, sustinent montuosa explanari; & iam de honesto sudore vindemia, vbi anteà ferarum latibula. Omnia vincit laboriosa industria, omnia absoluit industriosa diligentia: tenta, & absolues: nam quamuis mons difficultatibus plenus nullatenus videatur artis posse edomari sudoribus, assiduo labore flauis sine dubio curonabitur aristis, & generosis exundabit vindemiis.

Hildebert. *Scyllæ facies humana; sed caninis capitibus cincta.*

Cassiodor. *Industria vincitur sæpè natura.*

Naxera in Iosue Tom. 2.

Caietan.

134. Cùm Philisthinorum phalanges montium asperitatibus se tuerentur, nec via facilè ad aduersarios pateret, vt erat Ionathas excelso animo, rem aggreditur supra humanum ad speciem captum armigerum vocat, & per inaccessa & abrupta viam sibi facere tentant: *Erant inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philisthinorum, eminentes petræ ex vtraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc inde prærupti.* Nec auibus liberè volare concessum, nec figere gradum per eminentes scopulos hominibus datum. Quid tunc? Serpentis Ionathas mutuatur ingenim, vt si ille nequissimus hominum adrepsit ad ignominiam, prudentissimus hîc Hebræorum tellure reptaret etiam ad gloriam: *Ascendit Ionathas manibus, & pedibus reptans:* obtinuit industria, quod loci denegabat natura: viam sibi fecit per inaccessa, & quæ ascendenti minabantur præcipitia, industrio peperere trophæa: industriè repit, vt gloriosè vincat; si non semel ignominiosè repunt homines, vt ad altitudinem ambitiosissimè ascendant: quasi pendebat à rupibus; sed nec timor inuictum eneruare valuit animum, nec difficultas studium. Aptè nostro instituto Abulensis quæst. 8. *Loca illa, per quæ ascendebat Ionathas ad castra Philisthinorum, erant petrosa nimis, atque asperrima: ideò non poterat ascendere erectus; sed manibus reptans.* Concinit Iosephus 6. antiquit. apud Abulens. *Quasi repentes, & trahentes semetipsos cum multo labore naturam loci vicerunt, & ad inimicorum castra conscenderunt.* Vicit labor loci naturam, & adepta est industria sæculis inuisam retrò victoriam: vt noueris nihil esse adeò durum, quod diligentia non possit emolliri, nihil adeò arduum, quod improbo labore nequiuerit superari. Vel syluosa hominum aptantur in habitacula, vel ardua deducuntur in plana, vel profundissimis firma radicibus euelluntur robora, & iam habitationi deseruiunt tecta, quæ habitationi fuerant obstastacula. Ionathas dum laudabili, industriáque corporis tractione per abruptissimas petras graditur, loci natura labore vincitur, ipséque lauris florentissimis coronatur.

1. Reg. 14. v. 4.

Abulens.

Ioseph.

135. Materno in vtero Iacob & Esau, veluti in stadio de primogenitura deprœliabantur: Esau ad speciem robore fortior deuicit: primus egressus est, naturâ antelatus, & viribus fratri præpositus; verùm Iacob quam fortunam arcere videbatur natura, aggreditur asciscere diligentia:

fratris induitur vestibus, manus hœdinis pellibus circumiectis fraternam similitudinem referunt, hocque pio dolo patri accedens benedictionem exposcit: *Parauit illa cibos, sicut velle nouerat patrem illius, & vestibus Esau valdè bonis, quas apud se habebat domi, induit eum, pelliculà que hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.* Profectò videantur cui mater & Iacobus desipere; rem namque tentant difficillimam: si Iacobus benedictionem obtinere aggressus cum fratre certamen iniit, & viribus superatus est, quando paternum non refragabatur studium, qua ratione modò non feret repulsam, cùm & nascendi aduersetur titulus, & patris affectus, & Esau maternis ex visceribus triumphus? O profundum veritatis mysterium! fratri benedictionem subripuit diligentiâ, quam visus est amittere luctâ: ardua ad speciem, & supra naturæ vires res pertentatur; verùm fortunatus exitus solertiæ probauit studium, & matris commendauit ingenium: *Det tibi Deus de rore cæli,* inquit pater, *& de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.* En quod supra vires videbatur naturæ, diligens obtinuit solertia, & solers sibi acquisiuit industria. Nihil est adeò arduum, adeò hominibus inaccessum, quod industrio non perficiatur studio, & studioso absoluatur desiderio. *Arte hædorum pelles applicabat manibus, & collo,* scribit Lippomanus, *vt senj imponeret cæcutienti, soloque attactu contento.* Annuit August. lib.16. de ciuit. cap.37. *Quis est dolus simplicis, qua fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis?* Profundum quidem veritatis mysterium, Iacobum, & certamine superatum, & industriâ diligentiâ præpositum, vt constaret vel inaccessa naturæ viribus posse gratiæ obtineri suppetiis, solertibusque virtutis industriis: suis adulatur cupiditatibus, qui se in mores iam conuersas vincere passiones nullatenus posse mentitur: vel robora tortuosa artificis explicat diligentia, & rectitudini aptat industria. Iacob viribus ad speciem inferior, natura exclusus, subornata patris affectione impeditus, dum arte nuda tegit, & saporatos cibos componit, præripit benedictionem diligentia fortunatus, si natura, & certamine à felicitate fuerat exclusus. Adde indecorum esse vitiorum asseclas, cupiditatum alumnos mutuari ab industria suffragium, vt cupitum adimplere valeant delictum; virtutisque studiosos suppetias non petere, vt virtutes valeant perficere desiderium. Fortassis ob id voluit Deus incussis vulneribus medelam ab industria peti, quandoquidem vitium didicerat ab industria vires mutuari.

Genes.17. v.14.

Lippoman.

August.

136. Duæ fœminæ sic vitiis inseruire exambiebant, vt exiguas sibi vires lamentarentur, & ne fraudarentur votis, industriis muniuntur alis: parum erat celerrimis gressibus ad iniquitatem excurrere, quia suspirauerant inuolare: retardabat natura studium: quid tunc? Addidit industria volatum: *Ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ, & dixit: Hæc est impietas; & proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius: & leuaui oculos meos, & vidi, & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum: & habebant alas quasi alas milui: & leuauerunt amphoram inter terram, & cælum.*

Zach.5.v.7.

Pudet ambulare, pudet currere, quia ad impietatem fœminæ desiderant inuolare, & quia pergrauantur natura, industria votis adulari nituntur penna: volucres desiderant fieri, vt latiùs vitiorum possint regionibus diuagari: satis non est, si sceleribus polluerint terram, vel aëris ambiunt intulisse regionibus culpam: ad id mutuatitias assumunt alas; & quia naturales non suppetunt vires, ab industria accommodatas desumunt pennas: en libidinum victimæ, en vitiorum asseclæ industriè sibi procudunt vires, vt plures lucrentur scelerum occasiones. Hinc disces, cur fœminæ illi syderibus redimitæ aquilæ pennæ fuerint concessæ: fugit illa pedes serpentum, in solitudinem se recepit; verùm cùm tardus illi videretur gressus, aquilinos, vt desertum petat mutuatur volatus: *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum locum:* muliebris natura alas non fert aquilinas; sed nec miluorum fert alas: cur ergo si ardens nequitia supra vires audet, & volat, non inuolet virtus, & supra naturam audeat? ibi inuolarunt fœminæ; hic etiam mulier dissecuit liquidum, & inuolauit ad cælum: semper numerus improborum est maior; verùm illustris hæc fœmina vindicauit virtutem, ne iactabunda gloriaretur iniquitas, vires addidisse sibi damnanda solertia, quandoquidem & virtus etiam robur addidit sibi laudabili industriâ: illæ inuolarunt, vt iniquitatem stabilirent; ista, vt virtutis regnum extenderet, & firmaret: vicerunt illæ vel impossibile infelici solertia, hæc deprædicanda semper industria. *Istæ mulieres,* inquit Gregorius lib.14. moral. cap.16. *alas habent quasi alas milui: quia actiones earum diabolo proculdubio similes sunt: quia insidiantur sæpè raptu parvulorum.* Diabolus semper insidiatur paruulorum rapturæ, mulieres idem prorsus studium pectore gerunt; vtque assimilentur diabolo, mutuatitia leuantur miluorum penna, si impediebantur natura. Non solùm fœminæ illæ naturæ viribus inseruire culpæ contentæ; sed addiderunt industriè alas: ergo Euangelica mulier aquilinas induat pennas, & illuc perueniat volatus alæ, quò attingere nequiuerat vis naturæ. *Mulier,* inquit Hugo Cardinalis, *prius fugit quasi pede; sed sub Deo modo volat:* piguit per terram incedere, ideò est aggressa per liquidum inuolare. Impossibilem censeres volatum; industria tamen volando petiuit desertum, ne minùs solers virtus ad religiosa inueniatur obsequia, ac vitium ad scelesta peccata.

Apoc.12. v.14.

Gregor.

Hugo.

---

§. XXXI.

Magnum Dei beneficium est ad eas redigi angustias, vt opus sit vitia fugere, aut, quod gloriosius est, oppugnare.

Felicitas, & blanda fortuna plurimarum calamitatum origo est; dum alliciunt animos, fascinant fraude voluptuosa corporis sensus, ipsáque voluptate inescatos vitiis durissimis tyrannis tradunt, & deteriori, quia voluntariæ seruituti subiiciunt. Cato repellit fortunam, 137.

vtpotè

vtpotè virulentum hostem sub habitu, & specie amici. Prouocamur iucundis, irritamur differtis mensis, & inardescimus generosis vinis. O quanta vitia per gulam in præcordia descenderunt! quàm exoculatam insolentiam diuitiarum nutriuit copia! quot fœditates veluti in asylo vixere sub purpura! *Omnes malè habet ignorantia veri*, scribit Seneca epist. 119. *tanquam ad bona feruntur decepti rumoribus: deinde mala esse aut inania, aut minora, quàm sperauerint, adepti, ac multa passi vident: maiórque pars miratur ex interuallo fallentia, & vulgò bona pro magnis sunt.* Felicitatis pars est videre quàm sint fallentia, quæ errore putabantur eximia; caræ, sed felicitatis pars est de ipso errore veri cognitionem excudere: ea pati, per quæ animus sibi redditus audeat dicere: Nihil mihi tecum, fortuna: non facio tibi mei copiam: quia calamitatibus eruditus transfuga fortunatus excurro: labascit vigor mentis de prosperitate, intumescit animus de diuitiis, de calamitatis fluctibus resumit animos, & quæ infeliciter detinebatur malacia, fertur in solidum veritatis portum fausta procella. Iosephitæ arctis inclusi terminis, ducem adeunt, & se præ cæteris ad angustias queruntur reductos. *Quare dedisti mihi possessionem sortis & funiculi vnius, cùm sim tantæ multitudinis?* Quid tunc Iosue? *Populus multus es, & magna fortitudinis: non habebis sortem vnam; sed transibis ad montem, & succides tibi, atque purgabis ad habitandam spatia.* Quasi dicat: Arctis limitibus premeris, & terminis strictissimis coarctaris: ipsæ ergo, quæ te premunt angustiæ, vt in aduersarios irruas, compellunt; te cogunt, vt maiora spatia, quibus sine molestia possis dilatus viuere, ab hostibus animosè nitaris honestis certaminibus comparare. Ergo arma cape in aduersarios, & ipsis angustiis incitatus expugna viriliter Chananæum, & depelle de possessione aduersarium: *Transibis ad montem*, scribit Caietanus, *hoc est primum remedium ad extendendum sortem, vt quia multi & fortes sunt, reddant montem habitabilem.* Non capiebat illos habitabilis tellus in eorum sorte: ipsa ergo necessitate compulsi depulere Chananæos, & subegere aduersarios. Explicatiùs tradiderat Caietanus paulò anteà: *Ex multitudine quidem consentit quòd eis non sufficit sors vna, nisi extendantur ad occupanda finitima acquisita, & habitata terra: non enim intendit dare tribui Ephraim de sortibus aliarum tribuum; sed consentire, quòd sola sors quoad terram acquisitam & habitatam non sufficit eis: hunc enim esse germanum sensum testantur subiuncta remedia.* Chananæum depellere opus est Iosephitis, vt protulerint terminos: & quidem non exiguum illorum sortis commodum erat eis arctari terminorum angustiis, vt nullatenus vel ignauis, imbellibúsque licuerit abstinere honestissimis præliis. Ecce beneficium fuit angustis limitibus coarctari, quandoquidem ipsa necessitas impulit, vt in Chananæos vitiorum ænigmata animosiùs irruerint, & viriliùs expugnarint.

Senec. *Multa sunt ex interuallo fallentia.*

Caietan.

138. Prodigus ille filius censu proritatus ad vitium sic à crimine in crimen prolapsus est, vt humanam fermè denudarit naturam, & brutalibus addictam appetitionibus transmutarit in bestiam: ab homine quodammodò transiuit in brutum vetitus rationis monita, & suspirans cupiditatis deliria: ab homine transiuit in bestiam, vt vitiorum campis liberiùs quiuerit diuagari, nec posset rationis vinculis detineri: porcorũ addicitur seruituti, quasi parũ fuerit exercuisse vitium, ni & criminum inuerecũdè exerceret magisterium. Quid tunc? Fames adurget valida, nuditas premit dedecorosa, labor absumit vires, & iam mens ipsa fatigatione reluminata memoriam aduocat consiliatricem, & dolet porcorum pascua excurrere, & indecorúmque munus satagit desertasse. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo! surgam, & ibo ad patrem meum.* Fames suffragata est virtuti, & dum porcos pascendo se tabe, & inedia cõsumi agnoscit, relinquere vile ministerium decernit: ipsa calamitate vti calcaribus prouocatus ad paternam domum inuolat, qui auro opulẽtus ad regionem criminum inuolarat. Et quando pater suam erga filium charitatem sumptuosiùs adornat? Cùm censu opulento ditat, an cùm fame durissima vexat? Magnum sanè beneficium erat, ni imprudenter abusus, diuitiis copiosissimis exundare, grandius tamen fuit durissima fame premi, ad cálque angustias reduci, vt paternam domum peteret, ne periret. Adest Chrysologus serm. 2. *Fames reuocat, quem saturitas exularat: fames illi patrem dedit sapere, cui copia tulerat sentire genitorem.* O fortunatiorem de ærumna, proh infelicem de copia! *Surgens*, inquit, *venit ad patrem suum:* nuditate compulsus, fame & inedia vexatus: *Pauper redyt*, addit Chrysologus serm. 3. *qui ditatus absceßerat*: felices ærumnæ, & exambiendæ semper angustiæ, quibus prodigus eruditus, & patri, & rationi est redditus. Non semel cælesti misericordia pestilens morbus affligit, corporis deficiunt vires, premit egestas, vt meliora sapiamus, & quæ animitus colebamus, crimina deieremus: porcos reliquit, quia porcis inseruiendo vel rudes siliquas acquirere non poterat manducando: *Ego autem hic fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum.* Verùm etsi fortunatum sit vitia fugere calamitatum consilio; fortunatiùs est pugnare, & vincere compellente acerrimo metu.

Luc. 15. v. 17.

Chrysolog.

139. Eliæ mortem intentat muliebris insania: & quid tentaret muliebris amentia, nisi necem virtuti, vt liberiùs indulgeret cupiditati: Propheta vitæ consulens feralẽ fugit sæuitiã, & quo sors non perueniret tranquillus, montem Dei appulit discriminis metu agitatus: *Timuit Elias, & surgens abyt, quocúmque eum ferebat voluntas.* Iezabelem carnalis cupiditatis emblema fuisse tradunt Patres, & sacræ Scripturæ interpretes. Ita Glossa moralis: *Per hoc quod Elias fugit à facie Iezabel significatur: quod bonus discipulus fugere debet concupiscentiam carnis, quæ significatur per Iezabel, eo quod interpretatur fluxus sanguinis.* Consonat Ambrosius lib. de fuga sæculi cap. 6. *Fugit Elias mulierem Iezabel, id est, effusionem vanitatis, & fugit ad montem Horeb, quod significat exiccationem, vt siccaretur in eo carnalis profluuium vanitatis, & cognosceret plenius Deum.* O quàm faustum fuit Eliæ in eas deuenisse angustias, vt opus fuerit aut vita excedere, aut carnis concupiscentiam relinquere: ni periculosis anxietatibus afflictus, nec concupiscentiam adeò studiosè fugeret, nec Horeb summitatẽ celeriter adeò teneret: itáque felicissimũ fuit infortuniũ, quod ad relinquendum impulit vitium; verùm alibi

3. Reg. 19. v. 3.

Glossa.

Ambros.

alibi Elias de periculo adhuc illustrior: nam cùm montis vertice degeret, impius rex militum cohortem prophetam captum immisit: peruenere truces milites, prophetam cingunt, & ad vincula ferè trahunt: *Misit ad eum quinquagenarium Principem, & quinquaginta, qui erant sub eo, qui ascendit ad eum, sedentique in vertice montis ait: Homo Dei, rex præcepit, vt descendas.* Quid tunc Elias? Cùm milibus obsessus posset nullatenus arripere fugam, cælestem auxiliarem asciuit flammam; & quia non licebat fugere, aggressus est superare: *Respondénsque Elias dixit quinquagenario: si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itàque ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo.* Ardentibus armatur flammis, quia inextricabilibus adurgebatur periculis: iuuit extrema experiri: quia aliter hostiles manus nequibat euadere. Innuit Abulens. quæst.19. *Volebant illi quinquagenarij tenere Eliam, & ducere vinctum: ideò petiuit ignem descendere ad cremandum eos, ne possent eum tenere.* Ni flammis in aduersarios irruat, periculum non valet effugere: acribus ergo constrictus angustiis, & celeberrimis est coronatus victoriis. Grande beneficium fuit nimis vrgeri ad vtilissimam fugam; sed maius omnino cingi ad decantandam victoriam. Ergo si laboribus, si ærumnis, si periculis afflictaris, ne cedas eneruiter; sed arma cape viriliter: honestè de te præsume: crede ad illum te deuenisse statum, vt gloriosiorem obtineas triumphum. Iosephitæ, ni fortis angustiis laborarent constricti, fors nec Chananæorum triumphis splendescerent coronati: aggressi sunt viriliter inimicos, vt nimis angustos proferrent terminos.

4. Reg. 1. v. 9.

Abulens.

140. Virulentissimus serpens fœminæ illi syderibus redimitæ bellum intentat, filium recèns editum anhelat ore spurcissimo deuorare, quò mulier nec partus vitarit cruciatum, nec possederit fructum: prudens fœmina sexus fragilis gnara, & Euæ infortunatis casibus erudita, fugâ periculum eludit, & solitudinis portum petit: *Mulier fugit in solitudinem.* Ambrosius hîc ad Christum testatur confugisse, securum sanè contra serpentis versutias asylum, & patens omni fugienti profugium. *Solitudinem, inquit, Christum vocat.* Serpentina rabies acriùs frustrata desæuit, & nouis technis mulierem vexat, & fugientem defatigat. Quid tunc? Mulier aquilinas assumit alas, & serpentis versutiis constricta conatur viriliter detriumphare: quia satis non erat fugere. *Data sunt ei duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum locum.* Et cur mutuatas aquilæ desumpserit alas, quando columbinas suspirabat Propheta: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Si Dauid de columbinis alis quietem sibi promittit placidam, cur fœmina alam mutuata sit aquilinam? Certè vt cum dracone decertet, vt discerpat, vt vincat: ad eas angustias redacta est mulier, vt necessum fuerit aut hostem vincere, aut ab hoste superari. Ergo quia infame auersatur iugum, honestum animosa aggreditur prælium: vult vltimam experiri fortunam, ne patiatur infamem captiuitatis catenam. Huc voco Plinium lib.10. natural. histor. cap.4. *Acrior est cum dracone pugna: multóque magis anceps, etiamsi in aere: oua hic consectatur aquilæ auiditate malefica; at illa ob hoc rapit vbicumque visum.* Aquilæ cū dracone perpetua pugna: mulier ergo aquilinam induit alam, vt cum dracone descenderit in arenam: primum quod minabatur periculum, grande asciuit mulieri commodum, scilicet ad solitudinem fugere, quidquid in admirationem sui rapit, generosè relinquere, ad Christumque celeri gressu inuolare: secundum tamen discrimen illustriorem illi procudit fortunam, quando pressiùs constricta de serpente obtinuit victoriam. O quàm repetere possumus verba Senecæ aliorsum dicta lib.1. de Clementia cap.12. *Temperatus timor cohibet animos; assiduus verò, & acer, & extrema admouens in audaciam iacentes excitat, & omnia experiri suadet. Si feras lineis, & pinna conclusas contineas, easdem à tergo eques incessat; tentabunt fugam per ipsa, quæ fugerant, proculcabúntque formidinem. Acerrima virtus est, quam vltima necessitas extundit: relinquat oportet securi aliquid metus, multóque plus spei, quàm periculorum ostentet; alioqui vbi quiescenti paria metuuntur, incurrere in pericula iuuat, & aliena anima abuti.* Serpentis mulieri anima abuti placuit, & quia aliter euadere nequibat insidias, aggressa est tentare victorias. Grande mulieri beneficium periculo ad solitudinem duci; sed grandius vrgentiùs impetitam triumphis amplissimis adornari: maiorem illi Deus procurauit victoriam, quando grauiorem permisit angustiam: est enim sæpè in magnis beneficiis numerandum ad eas deuenisse calamitates, vt iam satis non sit fugere; sed opus fuerit animosè pugnare.

Apoc. 12. v. 6.

Ambros.

Plinius. *Aquila serpenti inimica.*

Senec. *Acer timor extrema experiri suadet.*

---

§. XXXII.

Virtutis studiosus adepta victoria vlteriorem solicitatur ad pugnam; non deponit arma ad ignauiam.

CVpiditas, aiebat Seneca epist.74. *incipit* 141.
semper à fine: infeliciter cum hominibus actum esset, si hoc cupiditati solum ingenium; similis est virtuti etiam conditio: à fine semper incipit, & quem putabas itineris terminum, noui itineris est exordium. *Laborem non refugit*, aiebat Theodoricus 1. variar.24. *qui virtutis gloriam concupiscit*: parum dixit, non solum non refugit; sed anhelat: otium discutit, ignauiam ignorat, & cùm virtutis fructibus labore partis possit pacatissimè frui; insatiata, sed honesta cupidine conatur vlterius progredi. Sunt nonnulli, qui post saturitatem esuriant, qui helluationis metas oppleto, & ingrauatissimo stomacho excedant: sunt qui reuocent sedatam sitim: sunt, qui post omnia aliqua semper discupiant, & naturæ terminos rumpant: vitij ergo æmula virtus nunquam sedabit studium, quia semper renouat desiderium. Sacra hydrope quo plus ingerunt, & plus sitiunt: nec illis honestæ cupiditatis est finis: quia de fine sibi ad vlteriora efficere conantur gradum. Virtutis studiosis infatigabilis ambitus, quia semper ardentior flabellatur affectus. Iosephitæ populus magnus, eximiæque fortitudinis dilaudatur, cùm post parta gloriosa trophæa sitit semper noua certamina. *Dixit Iosue ad domum Ioseph, Ephraim, & Manasse: populus multus es, & magnæ fortitudinis:*

Senec. *Cupiditas incipit semper à fine.*

Cassiodor. *Qui virtutis gloriam concupiscit, laborem non refugit.*

dinis : non habebis sortem vnam ; sed transibis ad montem , & succides tibi , atque purgabis ad habitandum spatia , & poteris vltra procedere, cùm subuerteris Chananæum. Satius videbatur dixisse : Poteris quiescere , cùm subuerteris Chananæum , vt sperata tranquillitas acriùs animos inflammaret ad bella , vt laudanda à bellico sudore feriatio validiùs cieret ad arma:spes fruendi aliquando pacis aptior videbatur , vt ignobilem submoueret ignauiam , & obscuram exterminaret socordiam ; at vlteriora vel eliminatis Chananæis denunciata prælia euigorare videntur corda : semper namque sub strictis papilionibus viuere, aperiendo vallo insudare,campúmque hostilem percurrere animum frangit, & vel torosas vires resoluit. Ergò Iosue quietis placiditatem proponat , vt ad bella Iosephitas alliciat. O vtilem nobis eruditionem ! Extulerat Iosue Iosephitarum fortitudinem , dilaudarat virtutem : *Populus multus es , & magnæ fortitudinis :* ne ergo dubium reddidisset elogium , nouum debellandi semper expressit studium : depulsis Chananæis placidè potuissent quiescere ; hoc tamen esset eximiam fortitudinem obscurare : virtutis namque nobilis conditio est,nouam semper laudis exambisse materiam, nec otiosam admittere ignauiam : *Hoc ex*
Caietan. *fortitudine populi promittit* , inquit Caietanus. Decet eximiè fortes nunquam deponere arma; sed noua tentare sitienter bella : subuersis ergo Chananæis Iosephitæ ad vlteriora procedunt: quia non tam designabant amore commodi,
Abulens. quam honesti : *Cum tenerent Manassitæ , & Ephraitæ terram hanc montanam* , scribit Abulensis quæst 4. *si videretur eis angusta , poterant transire vltra , id est , vltra terram montanam, & hoc cum subuerterent Chananæum.* Chananæum depellunt , montibus excelsa occupant; sed omnia illa eximiæ fortitudini videntur angusta ; ideóque infatigabili ambitu procedit ad vlteriora.

142. Dauid cùm in castra deuenisset , monstrum illud superbiæ in Deum contumelias iactare insolenter audiuit,cúmque generosus iuuenis minoris vitam , plurísque Dei faceret contumeliam , in arenam religiosus desiluit vel iam deprædicandus studio , quamuis occubuisset prælio : vicit tamen , & qui ob oculorum elegantiam , ob generum florem citissimè videbatur dilacerandus , sic fidei armis processit munitus, vt triumpho rediret citissimè coronatus : lingua de fide cum incredulo disputabat,& fundam dextera in certaminis parabat vsum. O felix victoriæ auspicium ! Dextera operibus verba suffulciens , & lingua cælestem opem dexteræ implorans. Misso igitur lapide galea rumpebatur , caput admittebat plagam, & anima corporis effugiebat custodiam : sublato Goliath gladio dominum diuidit armis in vsus debitos ver-
1. Reg. 17. v. 51. sis , & digne iniqui baiuli cruore tinctis : *Cucurrit , & stetit super Philisthæum , & tulit gladium eius , & eduxit eum de vagina sua , & interfecit eum , præciditque caput eius.* Hoc ipso gladio postea ad pugnam iterum obarmatur , & quod videbatur corona gloriæ , aptabatur futu-
1. Reg. 21. v. 9. ræ pugnæ : *Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in valle therebinti* , ait Achimelech , cùm Dauid arma deposceret, *est inuolutus pallio post ephod : si istum vis tollere , tolle.* Quid tunc Dauid : *Non est huic alter similis , da mihi eum.* Et cur gladium hunc aliis præferat ? cur illo se auidiùs accingat ? Quia quiuis alter Dauidis non ita deprædicasset virtutem ; hic verò deprædicabat sæculis laudem : essent cæteri instrumenta ad pugnam ; non tamen ab aduersariis partam testarentur victoriam ; hic verò erat Dauidis triumphus , & immarcescibilis laurus: dum ergo ipso triumpho ad vlteriorem armatur pugnam , virtutis deprædicat excellentiam: non vtitur gladio ad partæ ostentationem victoriæ : non deponit arma bellico labore feriatus; sed ipso triumpho in nouum aduersarium procedit accinctus : huic ergo alter similis nullatenus esset : ideóque virtus hunc præ cæteris expetiuit : *Non est huic alter similis : da mihi* Sanctius.
eum. Cum nullum Sacerdos gladium haberet, scribit noster Sanctius , *præter illum , quem Dauid ipse non multò antè in tabernaculo posuerat, vt extaret ibi tantæ victoriæ illustre monumentum , illum Dauidi tradidit , quem ille lubens , & gratus accepit : quia ad obuios quósque casus erat opportunus, & qui Dauidis lacertis tanquam habile instrumentum versari posset.* Addit postea doctus interpres : *Ex quo obseruo robusto atque procero corpore fuisse Dauidem,cuine que inutilis, neque inhabilis fuit gladius ille , quem gigantææ molis Goliath antè gestauerat.* Quis alius fortitudinem Dauidis adeò clarè minimè testaretur : nec enim , vt ille , gigantæos lacertos exposceret , & accincti robur assereret ; ille verò, dum Dauidi habilis , & opportunus probatur, procero corpore , & inuicto robore præditum fuisse conuincitur.Hoc ad litteram ; sed ad mores , ille gladius præ cæteris Dauidis dilucidiùs commendabat virtutem , quandoquidem ipso triumpho ad nouam pugnam vtebatur vt instrumento : prostrato gigante non prorsus discingitur ; sed armatur , partæque victoriæ trophæum in noui certaminis vertit subsidium.

Hanc , ni fallor , Sponsus in Sponsa deprædicat excellentiam : *Quæ est ista , quæ progredi-* 143. Cant. 6. v. 10.
tur quasi aurora consurgens , pulchra vt Luna, electa vt Sol , terribilis vt castrorum acies ordinata ? Fortassis videantur cui castrorum arma superuacua , quandoquidem iam aurora de tenebris obtinuit victoriam : nox confusis horroribus, horridis obscuritatibus, tenebrarũ agminibus lucis nititur tumulare splendorem ; verùm aurora roseis radiis armata sic luminum ictibus aduersas obscuritates euertit,vt idem illi sit , & deserere cunabula , & gloriosa reportare trophæa. Si ergo aurora nocturnos deuicit horrores , si iam aucto lumine Sol claruit, si Luna oculos casta pulchritudine allexit , ad quid castrorum ordo , & campi solicitudo : *Vt castro-* Gregor.
rum acies ordinata ? Quia in noua bella post victoriam parari erat virtute eximia lucere : parum esset euertisse tenebras , & de nocte reportasse victoriam,si triumphus suaderet otium,nec triumphorum ardentius ingereret desiderium; at posse deuictis hostibus pace frui , & in bella vlteriora armari est eximiæ virtutis elogium, & dignius Sponsa cælesti studium : nocturnos deuicit horrores ; sed virtutum copias digerit ordinatas in acies : *Vt castrorum acies ordinata. Contra malignos spiritus* , scribit Gregorius , *pugnare non desinit.* Coronatur victoria ; & tamen stat armis succincta in arena:& quò magis ditescit triumphis , & magis etiam munitur armis.

144. In Iobum, quem fortissimum, virtutibúsque vndique armatum nouerat, bella mouet nequissimus aduersarius, eisque adunatis calamitatum voluminibus tentat obruere, vt miserabile naufragium passa fuerit constans patientia, ni opem diuina tulisset gratia: ad omne acerbum nuncium nihil aliud, quàm Deo gratias, respondebat, & hostem de gratiarum actione ingentissimè discruciabat: *Nuncius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia.* (Iob 1. v. 14.) Diuitiarum iacturam magnanimè adeò pertulit, vt nullatenus vel asperum verbum protulerit. Iterum instat dæmon, filios tumulat non conuiuij helluationibus; sed ædificij ruinis; Iob tamen nec naturæ telis feritur; sed victor assurgit, & victoria coronatus athletæ subit munus, intrepidus aduersarios prouocat nouos triũphos exãbiens non adeptis triumphis quiescens: *Surrexit Iob, & scidit vestimenta sua.* Aptius nunc videbatur sedere, & placidè triumphis potiri tot aduersitatum ictibus tolerantiæ clypeo retusis, tot phalangibus aduersariorum euersis: cur ergo modò surgat, & victoriis onustus vestibus aduersarios prouocet denudatus? Quia ea est Iobi virtus, fatetur Origenes hom. 1. in Iob, vt in eadem actione, & partam prodat victoriam, & ipsa victoria nouam inflammetur in pugnam: surrexit, quia nullatenus vulneratus, quia plagis nec leuiter ictus: surrexit, vt aduersarios pedibus conculcaret, vt corpus ab iniuriis immune prorsus ostenderet: Scidit vestimenta sua, vt strenui athletæ adinstar prius aduersarios terrore vinceret, & de terrore incusso gloriosiùs, dum detrectant pugnam, triumpharet. Audi Origenem: *Tunc surrexit Iob: si enim vulneratus, vel contaminatus, vel laceratus fuisset, surgere omnino non potuisset. Ergo quia surrexit, manifestum est quòd fortissimus perseuerauit, atque illæsus perstitit. Tunc surrexit Iob, surrexit animo, surrexit fide, surrexit veritatis studio, surrexit ad prælium, surrexit ad virtutum, surrexit ad officium constantiæ.* Addit Origenes: *Tunc surrexit Iob: certum est, quia cum surrexisset, dicit: Nunc belli tempus, nunc approbatio, nunc victoria acceptio, nunc coronarum compositio.* En surgens sæculo publicauit victoriam, & indumenta proiiciens vlteriorem aptatur in pugnam. Núc, inquit, belli tempus, nunc victoriæ acceptio; imò quia victoriæ acceptio, belli non tempus: iam discincta poterit otiari constantia, quia triumphorum redimita coronâ. Hoc, inquit Iobus, mediocribus congruet virtutibus: strenuo namque athletæ ipsa victoriæ corona ad nouas pugnas est flamma. *Conscidit*, inquit, *vestimenta sua*, verba sunt Origenis: *cur conscidit? Ob hoc conscidit, vt expeditior, atque constantior extitisset in prælio, vt illa, quæ retardant, deponeret, vt illa, quæ impediunt, à se proyceret, vt tanquam audacissimus prælıator, & tanquam singularis monomachus aduersus innumeros inimicos, & aduersus inæstimabiles aduersarios singulariter immobilis perstitisset.* (Origen.) Athletham agit, dum victor exurgit: eximia namque virtus nescit patris victoriis quiescere; sed gestit semper trophæis recentibus coronari.

CAPVT XVIII.

Vers. 1. ONGREGATIQVE sunt omnes filij Israël in Silo, ibíque fixerunt tabernaculum testimonij, & fuit eis terra subiecta. 2. Remanserant autem filiorum Israël septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas. 3. Ad quos Iosue ait: Vsque quò marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram: quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis? 4. Eligite de singulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant, atque circumeant terram, & describant eam iuxta numerum vniuscuiusque multitudinis: referántque ad me quod descripserint. 5. Diuidite vobis terram in septem partes: Iudas sit in terminis suis ab Australi plaga, & domus Ioseph ab Aquilone. 6. mediam inter hos terram in septem partes describite, & huc venietis ad me, vt coram Domino Deo vestro mittam vobis hîc sortem: quia non est inter vos pars Leuitarum; sed sacerdotium Domini est eorum hæreditas. Gad autem, & Ruben, & dimidia Tribus Manasse iam acceperant possessiones suas trans Iordanem ad Orientalem plagam, quas dedit eis Moyses famulus Domini. 8. Cúmque surrexissent viri, vt pergerent ad describendam terram, præcepit eis Iosue dicens: circuite terram, & describite eam; ac reuertimini ad me. vt hîc coram Domino in Silo mittam vobis sortem. 9. Itaque perrexerunt, & lustrantes eam in septem partes diuiserunt scribentes in volumine, reuersíque sunt ad Iosue in castra Silo 10. Qui misit sortes coram Domino in Silo, diuisitque terram filiis Israël in septem partes. 11. Et ascendit sors prima filiorum Beniamin per familias suas, vt possiderent terram inter filios Iuda, & filios Ioseph 12. Fuítque terminus eorum contra Aquilonem à Iordane: pergens iuxta latus Iericho Septentrionalis plagæ, & inde contra Occidentem ad montana conscendens, & perueniens ad solitudinem Bethauen. 13. Atque pertransiens

transiens iuxta Luzam ad meridiem ipsa est Bethel: descendítque in Atharot Ad-
dar in montem, qui est ad meridiem Bethhoron inferioris. 14. Et inclinauit cir-
cuiens contra mare ad meridiem montis, qui respicit Bethhoron contra Africum:
súntque exitus eius in Cariath-baal, quæ vocatur, & Cariathiarim, vrbem filio-
rum Iuda: hæc est plaga contra mare ad Occidentem 15. A meridie autem ex
parte Cariathiarim egreditur terminus contra mare, & peruenit vsque ad fontem
aquarum Nephtoa. 16. Descendítque in partem montis, qui respicit vallem fi-
liorum Ennom, & est contra Septentrionalem plagam in extrema parte vallis Ra-
phaim. Descendítque in Geennom, (id est, vallem Ennom) iuxta latus Iebusæi
ad austrum: & peruenit ad fontem Rogel. 17. Transiens ad Aquilonem, & egre-
diens ad Ensemes, id est, fontem Solis. 18. Et pertransit vsque ad tumulos, qui
sunt è regione ascensus Adommim: descendítque ad Aben-boen, id est, lapidem
Boen filij Ruben, & pertransit ex latere Aquilonis ad campestria, descendítque
in planitiem, & prætergreditur contra Aquilonem Beth-hagla: súntque exitus eius
contra linguam maris salsissimi ab Aquilone in fine Iordanis ad Australem plagam.
20. Qui est terminus illius ab Oriente. Hæc est possessio filiorum Beniamin per
terminos suos in circuitu, & familias suas. 21. Fuerúntque ciuitates eius Iericho,
& Beth-hagla, & vallis Casis. 22. Beth Araba, & Samaraim, & Bethel 23. Et
Auim, & Aphara, & Ophera. 24. Villa Emona, & Ophni, & Gabee ciuitates
duodecim, & villæ earum. 25. Gabaon, & Rama, & Beroth. 26. Et Mes-
phe, & Caphara, & Amosa. 27. Et Recem, Iayephel, & Tharela. 28. Et Sela,
Eleph, & Iebus, quæ est Ierusalem, Gabaath, & Cariath: ciuitates quatuorde-
cim, & villæ earum. Hæc est possessio filiorum Beniamin iuxta familias suas.



§. I.

Commentarius litteræ.

Vers. 1. Congregatique sunt omnes filij Israël in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij, & fuit eis terra subiecta.

1. HACTENVS Chananæorum terram debellatam, hæreditatúmque sortitionem inceptam: nondum tamen absolutam, & integram; imò vtrúmque imperfectum textus adnotauerat; cùm aliquæ tribus suas nondum essent sortitæ partes, aliæque, quibus iam hæreditas obtigerat, descriptas sibi vrbes prorsus non expugnassent; imò Ephraimitæ, & Manassenses sub tributorum onere hostes degere permisissent. Masius ab excessu Mosis ad cœptam vsque hæreditatum distributioné septem circiter annos elapsos putat; quantum verò inde ad hanc trāsmigrationem temporis fuerit positum liquidè non definit, statuit tamen longiusculum præteriisse interuallum, cuius argumentum est Imperatoris obiugatio, qua tribus multas veluti oscitantes ac marcescentes sugillat. R. Dauid Kimhi quatuordecim annos positos à transinisso Iordane, septem expugnandis hostibus, septem distribuendis hæreditatibus consumptos definitè tradit, absque dubio immemor quòd nunc maxima faciendæ ditributionis pars superfuerit. Hebræi quia locatis iam vtrínque Iudæis, & Iosephitis quasi præsidiariis militibus tuti sibi videbantur, sese otio addicentes communem illam in statiuis vitam, quàm peculiarium possessionum gratia nouas bellorum rursus molestias subire, conducibiliorem duxerunt: nec enim credebant hostes suis de sedibus nisi per vim acerrimam eliminandos, aut depellendos. Hac socordia ignauiaque possessi mille commoditates ad fouendam vitam comparauerant, sibíque veluti diu ibi mansuris vel delicias plurimi extruxerant: hanc igitur segnitiem vecordiámque vt depelleret imperator, aliò mouenda castra prudentissimè statuit, quo iam illis nociuis commoditatibus expediti suas quæque tribus obtinere portiones, & cuperet viuidiùs, & intenderet efficaciùs. An cùm arca fuit mota, & castra etiam mota fuerint, aut potiùs dissipata, in dubium verti posse testatur Masius: definit tamen Iosue diuino oraculo, Eleazarique diuinæ voluntatis interpretis hæc omnia monitis, & consiliis tentasse: volebat namque Deus Iosephitas, & Iudæos transmisso Rubenis culpa nascendi prærogatiuo amplificatas, nobilésque præ aliis sua præsentia alteros post alteros nobilitare, amplioríque honore decoratos efferre: Silo namque erat in Iosephitarum hæreditate, Galgala in Iudæ sorte. Itaque apud eos primùm collocari suum voluit sacrarium, apud quos tunc principatus florebat: erat enim Iosue tribulis Iosephitarū. Chald. Paraphrasis sic habet: *Et congregati sunt omnis congregatio filiorum Israel ad Silo, & posuerunt ibi tabernaculum fœderis, & terra subiecta est ante eos.* Septuaginta parum discrepant: *Et congregata est omnis multitudo filiorum Israel in Silo, & fixerunt illic tabernaculum testimonij, & terra subiugata est ab eis.* Abulensis quærit cur Iosue tabernaculum in Silo fixerit præ aliis ciuitatibus, respondétque: *Fuit Silo ciuitas quadam in sorte Ephraim: causa autem quare tabernaculum ibi primò fixum est, fuit quia Iosue, qui tunc erat Princeps populi, erat de Tribu Ephraim, & inter eos accepit possessionem: cùm autem ipse esset magnus zelator legis, quia iusserat ei Deus quòd diligenter obseruaret legem Moysi, vt patet supra 1. & in caremonijs, quæ fiebant in Sanctuario, consistebat potissima legis occupatio, voluit*

Masius.

R. Dauid Kimhi.

Chaldaic.

Septuag.

Abulens.

Præcipua Imperatoris cura sit diuinarum legum vigilans obseruatio.

quòd esset Sanctuarium in sorte tribus suæ, vt sic ipse diligenter obseruari faceret cæremonias, cùm posset hoc videre. Curauit Imperator strenuus ea figere, quæ populi felicitatem in dies fulcirent, Sacramenta videlicet eius legis: & quidem præcipua Principum cura illorum adhuc, qui & æternare nomen, & extendere ditionem ambitiosè contendunt, cultus sacrorum fit. *Diligenda sunt ista,* inquit Cassiodorus in gnomologia, *vnde respublica videtur esse firmissima.* Silo loco pulchro, & peramœno sitam fuisse, distaréque ab Ierosolyma trium ferè horarum itinere tradit N. Tirinus. Verbo illo: *Congregati sunt omnes filij Israel*, denotari putat Arias Montanus conuentum hunc solemnissimum, communíque consensu celebratum, vt in religiosis, publicísque causis sæpe sæpiùs consueuit Ecclesia. Ex Hebræo transfert hic auctor: *Congregati sunt omne concilium filiorum Israel,* id est, illorum omnium, qui nomen, ius, auctoritatem, personamque gerebant, nempe Pontificis, Imperatoris, Sacerdotum, Seniorum, siue eorum, qui Septuaginta duo dicebantur: procerum præterea, illorúmque omnium, quibus adesse competebat concilio. Fixum tabernaculum dicitur, quia iam veluti habitationem sibi delegerat: mansit namque ibi, vt ex Iudæorum Chronologia definitur, annis trecentis sexaginta nouem. Cur denique Siluntem desereret, plures magníque momenti causæ sacris produntur litteris. Masius aduertit, curæ primùm fuisse populo Dei sacrarium, cultúmque diuinum: *Laudanda profectò est,* inquit, *populi religio, cui ante omnia cura est Dei sacrarium, & cultus diuinus: tunc enim demum feliciter succedunt res humanæ, quando diuina præcesserunt. Et frustra atque peruersè nostra nos commoda quærimus ante procuratas res sacras.*

Cassiodor. *Principij, ea vnde respublica firma, studiosè diligenda.*
Tirinus.
Arias Mont.
Silo locis amœnissimus sita.
Masius. *Prima populi cura religio.*

Vers. 2 Remanserant autem filiorum Israël septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas.

2. Chaldaic. Septuagin.

Chaldaica Paraphrasis: *Et relictæ sunt in filiis Israel, qui non partiti sunt possessiones suas, septem tribus.* Ferè idem Septuaginta: Tribus, quibus hæreditas debebat sorte assignari, duodecim erant: nam Leui exhæres, duæ & dimidia ex illis iam cis flumen sortem quieuerunt adeptæ; duæ item & dimidiæ nuper trans flumen locatæ: superant tantùm septem, quas, vt dicebamus, imminentium ad speciem periculorum metu, & adulantis habitationis, commoditatísque studio auertisse animos, nec propriarum possessionum ambiuisse hæreditatem, obiurgatio sugillatiua testatur. Optimus ergo Imperator non dissimulanter tulit; sed acriter desidiosam ignauiam carpsit. Actum hoc ad Silo concilium has duas curasse causas videtur, scilicet quæ ad diuinum cultum spectabant, firmare, & desides admonere: ea namque res etiam ad Dei gloriam, liberandámque eius fidem plurimum conducebat, vt contrarium obliuionis, negligentiæque in libranda fide detractoribus exaggerandæ occasionem quadamtenus ministrabat.

Vers 3. & 4. Ad quos Iosue ait: Vsquequo marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis? Eligite de singulis tribubus ternos viros.

Chaldaica Paraphrasis sic habet: & dixit Iosue filiis Israël: *Vsquequò vos remissi ad hæreditandum terram, quam dedit vobis Dominus Deus patrum vestrorum? Date nobis tres viros ad tribum, & mittemus eos, & surgent, & peragrabunt terram, & describent eam ad os possessionum vestrarum, & venient ad me.* Septuaginta: *Date ex vobis tres viros de tribu,* &c. Decertat profectò fidelis ducis animositas cum ignaua militum oscitantia: hi metu cupiditatéque victi hostes pertimescunt; ille sic audet, vt illæsos exploratores reditum ire affirmarit indubiè. Notauit hoc Arias Montanus: *Diuinorum promissorum, donorúmque constantiam, & veritatem nullis vel temporum, locorum, vel personarum difficultatibus impediri locus hic manifestè docet, cùm Iosue vno, & viginti viris tantùm amandatis periculum facere constituat, tum Dei curæ atque prouidentiæ erga eos, qui ipsius dictis, promissisque fidem habent, dum securitatis, & virtutis eorum, quos fides armat, quos efficax Dei timor ac pietas instruit.* R. Leui F. Gersonis existimat distribuendam esse modò terram, adhuc ab hostibus occupatam; anteà verò vacuam hostibus fuisse partitam. Hanc sententiam sugillat Masius: iniqua namque fuerit Imperatoris obiurgatio, si tribus istæ cæteris pacatè locatis ad hostiles terras, adsultúsque extruderentur. Iosephus lib.5. cap.3. decem modò viros esse missos regionem omnem exploratum affirmat, sacróque textui apertissimè contradicit; an verò tribus omnes vel septem tantùm ternos viros pependerint, dubium: sunt autem terni, non singuli ex singulis tribubus dati propter iudicationis difficultatem. Masius hæreditatum partitionem non spatio; sed terreni bonitate metiri, aliisque portionibus exæquari verosimilius putat. Quod si opponas Numer.33. vbi decernit oraculum pro tribulium copia aut paucitate mensuram hæreditatis signandam, respondet ex multorum sententia hæc Numinis decreta non primas sortitiones; sed secundarias spectare: nam partitis iam æquè hæreditatum funiculis prout singulis familiis fas erat, iterum tribuni portiones signabant. Itaque censet Masius inter septem istas tribus partes æquales fuisse distributas, redditque rationem: nam pro præsente numero tribulium aliam tribum alia locupletiorem facere id sanè parum æquum videri poterat, quando res ipsa docuit paruo annorum spatio alias maximo numero augeri, alias imminui. Disputat Abulensis quæst.4. quomodò designati huius terræ geographi inoffensè hostiles terras peragrare potuerint, cùm iam hostes, & clade vicinorum perculti, & Hebræi manifestè omnibus cogniti. Respondétque fuisse non semel inducias inter Chananæos, & Israëlitas; vnde isti aliorum negotiorum obtentu terras illorum inoffensè adire, omniáque valuerunt lustrare. Paruerunt tribus Imperatoris præceptis, designatique geographi, quantumuis res difficilis videretur, iussa executioni mandarunt. *Vtile est vnum semper eligere,* scribit Cassiodor.7. variar.27. *cui reliqui debeant obedire: quia si voluntas diuersorum vaga relinquitur, confusio culparum*

3. Chaldaic.
Septuag.
Arias Mont. *Securi pugnant quos fides armat.*
R. Leui.
Masius.
Iosephus.
Qualis fuerit sortium distributio.
Masius.
Abulens. *Inter Hebræos, & Chananæos aliquando erant induciæ.*
Cassiodor. *Vbi vnius imperiū moderatur, confusio culpæ amica tollitur.*

culparum amica generatur. Dum vni parent, benè reguntur; si tamen diuersorum opponerentur præcepta, nunquam prouenissent tribubus commoda. Mirum est quanta alacritate, quantóque studio rem, vt in præceptis erat; hi metatores executi fuerint, cùm sæpè sæpiùs ab ipso Deo accepta mandata variis excusationibus vel viri sancti molirentur extrahere; verùm pro humanis hæreditatibus adaugendis nihil non tentant homines; cùm tamen pro adimplendis diuinis iussis sæpissimè formidolosi cunctentur. Audi Masium: *Legimus quidem viros etiam sanctissimos quæ à Deo iussi fuere, timidè cunctantérque aggressos esse; imò verò retractauisse etiam tergiuersatos. Nota est enim de Mose, de Iona, de Anania, de alys historia sacra.*

Masius. *Exactiùs obedimus humanis.*

Vers. 5 Diuidite vobis terram in septem partes: Iudas sit in terminis suis, *&c.*

4. Ratam facit Iosue eam sortitionem, quæ in Galgalis facta fuerat, ea conditione, vt duæ illæ tribus, & dimidia suis stationibus ab austro, & Septentrione maneant; non verò vt portiones eæ, quæ rudi tunc designatione pro statiuorum tutamento determinatæ fuerant, solidè atque illorum vniuersè manerent: nec enim iniquè mensores locis omnibus accurata diligentia lustratis septimam de Iudæorum hæreditate partem præciderunt, animaduertentes adeò fines Iudæ amplos protendi, vt absque vllis regiæ tribus angustiis portio vna cæteris par inde præcidi posset: quæ sors diuino nutu Simeonitis contigit, qui cum pauciores numero, Iudæos minùs arctabant, minori inclusi terreno. Sortes coram Deo iactandas statuit, quia ea conditio, opinióque non solùm vtilem; verùm necessariam populo religionem stabiliebat: nunquam enim sortibus contenti quiescerent, ni Dei arbitratu sic accidisse putarent. Leuitarum conditionem replicat iterum, vt septem tantùm partes modò tribubus dilargiendas statuat. Iam cinctis viris, & ad profectionem paratis iubet Imperator omni diligentia, solicitudinéque terram perlustrare, ac tabellis describere, ne illorum incuria, & tempus triuerit, & legari alios ad rem sanè difficillimam persuaserit. Metatores vrbes inspexerunt soliciti, omniáque diligenter adnotarunt studiosi: quantum verò temporis posuerint in his indagandis, textus non definit: Iosephus verò lib. 5. cap. 3. post septimum mensem reuersos indubiè statuit. Abfuerunt quidem Moysis speculatores dies dumtaxat quadraginta; at illis nec ita insistẽdum, nec adeò peculiariter telluris ingenium examinandum, his vero exploratoribus opera multa insumenda erat, vt qui accuratè inspicere ad amussimque iubebantur speculari telluris conditionem, an fœcunda, an exucca esset, an nuda montibus, an syluis impedita: denique an vrbes muris cinctæ, an apertæ; an ciues bellicosi, aut imbelles; an occurrerent rari, aut obiicerentur frequentes. Moysis exploratores officij modum prætergressi vulgi animos perturbarunt: nec enim vni Moysi; sed cuncto populo, quæ timor confixerat, monstris scilicet exundare terram contestati sunt: qui peruersus, mentitúsque rumor, & Hebræis cladem, & Moysi procudit inuidiam, cui periculo vt obuiet disertissimus Iosue, tria modò speculatoribus seriò iniungit, vt omnes scilicet simul circumeant terram, quò accuratiùs considerent: id enim Hebraicum verbum significat: alterum vt lineas geographicis in tabulis ducant annotatis locorum accuratè interuallis: tertium vt quæ adnotauerint, ad neminem priusquam ad se deferant iam regressi. Curauit omnes occasionis fibras præcidere, ne iterata culpabilis diffidentia, & Numinis concitaret iram, & populo inflictam produceret, iterum pœnam.

Iosephus.

§. II.

Commentarius litteræ.

Vers. 10. Qui misit sortes coram Domino in Silo, diuisitque terram filiis Israël in septem partes, & ascendit sors prima filiorum Beniamin per familias suas, vt possiderent terram inter filios Iuda, & filios Ioseph.

CORAM Domino sortes missæ dicuntur, hoc est coram Domini Arca: ibi namque Dei maiestas Regali veluti in throno fulgebat, indéque multoties pro rerum articulis oracula consulentibus dabat: *Et misit illis Iosue sortes,* inquit Paraphrasis Chaldaica, *in Silo ante Dominum, & diuisit ibi Iosue terram filys Israel iuxta diuisiones eorum.* Septuaginta: *Et iniecit eis Iosue in sortem in Silo coram Domino, & diuisit illic Iosue terram filys Israel per partitiones eorum.* De sortibus aliqua iam præmisimus; hic varia curiosi minutarum rerum vestigatores opinantur, & tradunt, quæ cum nullo Scripturæ testimonio fulciantur, aut stabili argumento firmentur, nec discernere, nec definire valemus. Putat Abulensis quæst. 5. à metatoribus iuxta tribulium copiam pro tribu qualibet terræ quãtitatem designatam, posteáque sortem ad tollendum contentiones superinductam, ne quis putaret fœcundiorem, amœniorémque vni vel alteri præ reliquis contigisse iudicum fauorabili arbitrio, non prouido cæli decreto; verùm si iam conueniens portio hominum iudicio decreta, alicui sors non videatur necessaria: alij putant tellurem omnem æquales in portiones diuisam; sortem verò hanc vni partem, illam alteri consignasse magnitudine quidem æquales, conditione verò dissimiles, cùm altera scrupulosior, altera amœnior. Omnia hæc dubia; illud tamen certum ratúmque asserimus, cuique tribui aptissimam, & ad vitæ studiorum publicorum, & priuatorum genus omne opportunissimam sortem contigisse. Quam præter idoneam soli, sitúsque naturam singularis Dei prouidentia fouebat, quamdiu syncerè pietas ab habitatoribus exculta, & decreta legum religiosè seruata.

5. Chaldaic. Septuag. Abulens.

Vers. 12. Fuit terminus eorum contra Aquilonem à Iordane, *&c*

Arridet Arias Montano in illo sacro ac mystico ornamento, quod Hebraicè *Vrim, & Thumim* 6.

Quales pro tribubus sortes.

Thummim dicitur, pro consulentis sacerdotis animo oculis imaginem fuisse obiectam, de qua responsum petebatur. Itáque consultum Numen Beniamin cæteris prætulit, vbique locanda foret, speculo illo apertè repræsentauit: *Cùm cæterarum tribuum imagines*, scribit Arias Montanus, *in sacro illo speculo, sine quidquid erat, non apparerent, repentè Tribus Beniamin extitit inter duas illas, vt sortis auctoritate Moysis prædictio firmaretur, qui post Iudam, & post Leui, cui nulla in terra possessio, nomen Beniamin celebrauit, post quem etiam Iosephitarum citauit familias.* Nec solùm Beniamin Iudæ terreno hæreditatis coniunctus; verùm etiam religione, & fide strictiùs cæteris copulatus: hæ namque duæ Tribus Iuda, & domus Iacob appellatæ: aliæ, quæ à Dauidis domo, à religionéque sæpè defecerunt, Israëlis, Ephraimique nomine dictæ. Lyranus ascendisse sortem Beniamin interpretatur, quia ab Iordane demissiori quidem loco Ierusalem versus editiori situ collocatam procedebatur; sed nihil opus hypallage, quandoquidem missa manus in vrnam sortem extrahebat, & ascendere, si dici licet, faciebat. Beniaminitarum hæreditas arctis finibus videtur inclusa, si loci spatium cum tribulium copia comparemus; verùm si de terreni vbertate censenda non angustos, sed amples satis terminos inuenitur inhabitasse: nam vt Iosephus lib. 5. antiq. cap. 1. scribit vti Chananæa superabat soli bonitate quæuis in orbe loca, ita cæteras ipsius partes, quæ circa Ierichuntem, & Ierusalem hæreditates iacebant, amœna plantarum fœcunditate, omniumque mitium frugum copia fertili longissimè superabant. Limites Aquilonares ab Oriente versus Occidentem primùm describuntur, qui ferè idem cum Australibus Iosephitarum limitibus: inchoantur igitur funes isti ab ea ferè Iordanis parte, quam Israëlitæ vestigiis puluerulentis calcarant, ascendebantque molliter inter Septentrionem, & Occidentem ad Ierichuntem: quam quidem vrbem intro receptam vlnis vel iis complectuntur. Ab Ierichunte verò dum versus mare, hoc est Occidentem pergunt, montem in quo vrbs Bethel, sibi exambiunt, procedúntque ad desertum Bethauen, vbi tandem sistunt, non quidem quòd prorsus consîdant, vbi ad desertum hoc peruenere, fines sortis Aquilonares; sed quia non longiùs excurrant Septentrionem versus; sed deinceps in meridiem sensim reuertantur.

Arias Mont.

Lyra.

Ioseph.

Hereditates Ierichunti vicina cæteris vberiores.

Vers. 13. Atque pertransiens iuxta Luzam ad meridiem ipsa est Bethel, descenditque in Atharot-Addar in montem, qui est ad meridiem Bethhoron inferioris.

7. Ad meridiem sic iam limites illi deflectebantur, Luzam seu Bethel sitam in Iosephitarum hæreditate ambitiosè quadamtenus accingebant, hincque aliquantulum versus Austrum progressi Atharot-Addar iuxta montem, qui à meridie adiacet Beth-horon inferioris isti videbantur: cùm enim Ephraimitarum fines iam attingerent versus Orientem, rectà quidem minimè processerunt. De Luza, & Bethel suprà iam diximus, nec quid superest quod addamus. *Suntque exitus eius in Cariath-baal, quæ vocatur, & Cariath-iarim*, &c. Ab Atharot-Addar reducto fune versus Austrum vsque ad Cariath-baal vrbem in Iudæorum finibus positam limites huius hæreditatis describuntur occidui; sed obseruandum est verbum נגבה, quod bis hoc versu: reperitur scriptum, priùs significare *ad meridiem*, secundò vero *à meridie*. Hanc rem Septuaginta interpretes minimè obseruasse, ideóque peruerso ordine locum hunc interpretatos sugillat Masius: laudat Chaldæum, qui priore loco dixit *versus Austrum*; posteriori verò *ab Australi parte*. Verùm nimiùm videtur fidere sibi, dum non solùm in Septuaginta; sed in vulgatum nostrum rigidè desæuit inuectus. Ego certè plus Hieronymo, quàm Masio tribuo. Plaga Meridionalis versus Orientem, qua termini australes hæreditatis Beniaminitarum notantur, quinque versibus definiuntur: sunt autem iam ostensi in finibus Iudæorum Aquilonaribus, etsi inuerso ordine: ibi enim ab Asphaltitide ad Cariath-Iarim tendebatur linea; hîc verò à Cariath-Iarim ad Asphaltitidem regressa excurrit; ideóque ibi ascendere lineam; hîc verò descendere dicimus. R. Salomon existimat verbo illo *contra mare* significari lacum quempiam inter Cariath-Iarim, & Nephtoa fontem; verùm non est quod mari inuideat aut lacui faueat. Prætermittuntur hîc inter Cariath-Iarim, & Nephtoa vrbes montis Hebron: ille namque Iudæorum erat, non illatenus ad Beniaminis terminos pertingens. Porrò quod hic dicitur in partem montis, qui respicit vallem filiorum Hennom, descendere, arbitratur Masius eam montis partem, qua valli Hennom ab Occidente impendebat, significari; sed quisnam mons hic fuerit, in dubio est. Ziegl erus *KalKaldema* vocauit, Masius *AKeldema*, seu vt in Euangelio *Haceldama*. Hic mons eminebat altissimus ad vrbem Ierusalem ab adiacente agro, qui pretio sanguinis Christi ad sepeliendos peregrinos coëmptus, nomen mutuatus est; agrum verò hunc sicut, & montem inter Orientem & Austrum, si vrbs spectetur, adiacere reperies: cúmque hic nondum occiduam partem fuerit funiculus prætergressus, videtur verosimilius denotari hîc montem illum, vbi Salomon obscurissimis mulierum amoris nebulis demens fanum Deo Chamos satis superbum struxit, à quo flagitio posteritas nomen monti indidit, *offensionisque* appellauit: nam vallis illa Hennom nefariis etiam superstitionibus obscurata huic monti adiacebat. Denique nihil certum de hoc monte statuere quis potest, cum locorum illorum facies tot vastationibus prorsus videatur mutata.

Masius.

R. Salomon.

Masius.

Zieglerus.

Masius.

Vers. 16. Descenditque in Gehennom (id est vallem Ennom) iuxta latus Iebusæi ad Austrum, *&c.*

Chaldaica Paraphrasis: *Et descendit ad vallem Hēnom ad latus Iebuz ad meridiem.* Septuaginta paulò aliter: *Et descendent in Gehennom in dorsum Iebuz ab Austro, & peruenient ad fontem Rogel.* Apertè Iebusæum Beniaminis finibus videtur includi; & tamen certissimum est vrbem hanc tenuisse Iudæos, quam sic Masius dirimit controuersiam. *Videntur sanè*, inquit, *tam arcta inter se amicitiæ necessitudine fuisse coniunctæ tribus istæ in sequentibus temporibus, vt tanquam vna existimarentur, quod ex perspicuum* 8.

Chaldaic.

Septuag.

Masius.

Ad quam tribum spectarit Iebus.

cuum satis est, qui regum historias legit. *Quare mirabile non est, si multis, & præsertim his vrbibus, quæ in confinio positæ fuerunt, communiter sint vsæ: nam & in Euangelica historia penè vniuersos istos Beniaminitarum fines Iudæis attribui* Arias Mont. *videmus.* Arias Montanus existimat rectam lineam Iebusæum intra Beniaminitarum hæreditatem concludere, licèt ipsi Iebusæorum agri in Iudæ tribu continerentur. Itaque hic auctor nec totum Iudæis, nec totum Beniaminitis adscribit, sicque ab illa controuersia se explicat; sed nescio an benè. Quod dicebat Masius, non dubito posterioribus temporibus accidisse; verùm cùm modò limites describantur, nondum tribubus adeò stricto amicitiæ vinculo copulatis, opportunum non videtur effugium: vnde ipse Masius exhibitæ solutioni satis non fidens Masius. addit: *Si quis existimare malit montem Zionem, atque etiam Moriam, in quorum altero exadificatum est sacrum templum, in altero Regia ipsa, eos inquam montes fuisse his finibus exclusos, atque apud Iudæos relictos, cum eo non pugnauero.* A fonte Rogel ad Aquilonem tantillum reflexus in Solis fontem incidit funiculus: inde in Geliloth, quem Vulgatus tumulos vertit, Masius verò Galgala transtulit, diuersáque putat ab illis prope Iordanem, quæ prima Hebræorum statiua castra nobilitarunt. Ex tumulis autem ad lapidem Boen filij Ruben decliui tractu funis producebatur, campestriáque siue desertum à meridie relinquens in Iudææ regione ad ortum adhuc procedens partem attingebat campestrium.

Vers. 19. Et prætergreditur contra Aquilonem Bethagla, súntque exitus eius contra linguam maris salsissimi ab Aquilone in fine Iordanis ad Australem plagam, qui est terminus illius ab Oriente.

9. A planitie illa, siue deserta plaga productus limes aliquantulum curuus in latus excurrit Aquilonare, adinstárque arcus Bethagla pertingit: ex quo loco ad Iordanis in Asphaltitidem lacum influentis ostium perducitur: quod ostium totius Beniaminitici termini finis Australis est. Itaque tota hæc hæreditas terminis his continebatur inclusa à Iordane vsque ad Atharot-Addar Ephraim confinium: & hic terminus meridionalis: ab Atharoth-Addar vsque ad Cariath-baal siue Cariath-Iarim, occiduus excurrebat tractus: hinc ad Iordanis ostium Boreale latus erat: ab hoc secundum Iordanis ripam ad proximum Ierichunti locum finis Orientalis.

Vers. 21. Fuerúntque ciuitates eius Iericho, *&c.*

10. Textus apertè describit vrbes: ego vt potero addam nonnulla significata. Iericho sonat *Lunam*: vallis Casis *profundam incisionem*, Beth-Araba *domum deserti*, Samaraim *geminum vellus*, Bethel *domum Dei*, Abin *contortum*. Aphara *fertilem*, vel *vaccam*, Ophera *pulueruIentam*. Villa Emona *pagum Ammoniticum*, Ophni *vitium campum*, Gabee, *cliuum*, Gabaon, & Rama, & Beroth iam superiùs explicata. Mespheh *speculam*, Caphara *leunculam*, Amosa *exitum*, Recem *acu pictam*, Iarephem *medicinam fortis*, Sella *rupem*, Eleph *militare*. Cariath *vrbem muratam*.

---

§. III.

Nulla felicitas adeò fixa, quæ culpæ adsultibus non nutauerit, & armis sceleris non corruerit.

NIl stultitiâ pacatum habet, vox est Stoici epist. 60. *tam supernè illi metus est, quam infrà: vtrúmque trepidat latus, sequuntur pericula, & occurrunt: ad omnia pauet; imparata est, & ipsis terretur auxilijs.* Tantisper sapit ipsa stultitia dum crebris timoris ictibus agitatur, & quia sui conscia, iure trepidat semper timida: nulla ferrea anchora, nulla artificiosa sagacitatis industria fundare quibit fortunam, quam exagitat culpa, & sceleris impetiuit offensa. *Leon Euchratidæ interrogatus, qualis in vrbe habitare queat quis securè* scribit Plutarchus in apophthegm. *vbi*, inquit, *neque plura, neque pauciora possidebunt incolæ, atque vbi iustitia vigebit, & languebit iniustitia.* Sapienter equidem respondit: parum namque interest altissimis muris cingatur ciuitas, si interna impietate proditur: est namque culpa securitatis venenum, & veræ placiditatis exilium: faciliùs inito fœdere contrahent tenebræ, & lux amicitias, quàm in vnum possint coire vera securitas, & insidiosa semper peruersitas. Excogitauit Ithaci prudentia quibus aduersus procellosos fluctus Sirenum cantibus excitatos posset frustrari pericula; nulla tamen arte eximi possunt quas procellas excitare solent scelera: *Se soliditati arboris*, scribit Cassiodor. de Ithaco 2. var. 40. *constrictis nexibus illigauit, vt & famosos cantus liberis auribus probare potuisset, & pericula dulcissimæ vocis vnda rapiente vinclis euaderet.* Vndarum rapiditatem euasit industrie vinctus, non posset offensis attaminatus. Vel ipsas altissimas radices arborum euelleret culpa, vt Ithacus pateretur naufragia. *Sapiens ad omnem incursum munitus, & intentus*, verba sunt Stoici vbi suprà, *non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus, & contra illa ibit, & inter illa: nos multa alligant, multa debilitant: diu in istis vitijs iacuimus, elui difficile est.* Facto licet impetu prudentem armata doloribus, & molestiis agmina calamitatum impediuerint; pedem referre non facient: quià æquitatis ponderibus semper affixus, & iustitiæ clypeo protectus: quem interna prodit malitia, quantumuis externis firmetur vinculis, miserandis facilè iacebit ruinis. Omnes Israëlitæ in Silo conueniunt, vt Domini tabernaculum figant. *Congregati sunt omnes filij Israel in Silo: ibique fixerunt tabernaculum testimonij.* Quàm alta fundamenta iaciunt, quàm fixè tribus omnes vnitæ concorditer stabiliunt: eo verbo vsus est textus, quod inconcussam perpetuitatem denotet, & firmam sæculis stabilitatem insinuet: ibi fixerunt tabernaculum; verùm quam Silo felicitatem de tabernaculi præsentia populi affixit cócordia, auulsit postea improbi ministri culpa:

11. Senec. *Impietas ipsis deterreri solet auxilijs.*

Plutarch.

Cassiodor. *Ithaci aduersus syrenas industria.*

Senec. *Sapiens contra omnia paratus est.*

Repulit

Pſ. 77. v. 60. *Repulit tabernaculum Silo*, deplorat Pſaltes, *tabernaculum ſuum, vbi habitauit in hominibus, & tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Sacerdotum deteſtanda auaritia, libidinis fœda audacia, fixam illam, & ſtabilem felicitatem, ſic facilè auulſit, vt iam ingenui traderentur in ſeruos, iam quos paulò antè coronauerat gloria, conſtrinxerit ferrea catena. *Notandum*, ſcribit Incognitus ad hunc Pſalmi verſum, *quòd tota iſta repulſio ortum habuit à peccatis ſacerdotum filiorum Heli, vt habetur 1. Reg. 2.* Per longas generationum traduces deriuata dignitas, fixa dignitatis excellentia ſacerdorali auellitur auaritia, & tranſlata eſt obſcœnitatis inſania omnes conuenerunt, vt altiſſimè figerent: *ibi fixerunt tabernaculum teſtimonij*; ſed ſacerdotalis iniquitas gloriam à parentibus deriuatam obliterauit, & auulſam felicitatem deperdidit: vt vera ſit noſtra theſis, ſcilicet nullam felicitatem adeò fixam, quæ culpæ fluctibus non nutauerit, & pulſibus iniquitatis corruerit.

Incognit. Libido vel firmiſſimam felicitatē labefactat.

12. Dan. 4. v. 30. Vt amens, & à ratione exul expulſus eſt poſt ſtatuæ caſum Nabuchod. *Fœnum*, inquit, *vt bos comedet.* Ab hominibus abiectus quodammodò tranſmutatur in beſtiam, vtpotè rationis lumine interdictus, & naturæ honore mulctatus. Ecqua tanti ſupplicij cauſa? Euoluamus hiſtoriam. Dormienti ſuperbiſſima ſtatua obiicitur, durius obfirmata metallis temporum irridebat adſultus, & annorum deſpiciebat ſuperbè morſus; verùm lapillus ſine Latomi opera monte deciſus omnem ſtatuæ ſuperbiam obtriuit, & cineres etiam ad ventorum ludibria ſparſit: ſomno immerſos deducit oculos; ſed vt tetrioribus tenebris obſcurarit: ſtatuam auream operoſa mole confingit, & cæleſtibus minis opponit: Dan. 3. v. 1. *Nabuchodonoſor rex fecit ſtatuam auream altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex, & ſtatuit eam in campo Dura prouinciæ Babylonis.* En brutalitatis delirium, eniti ſtatuam de auri ſumptibus, de artis induſtria, de ſumma regni potentia obfirmare, & Babylonio campo iacere fundamenta, & altiſſima procurare imagini retinacula: nec attendiſſe ſuperbia cæciſſimum, & cæcitate prorſus exoculatum ipſam terram, quam pro baſe pedibus delegit firmiſſima, firmitudinem imaginis comminuere, & duritiem metallorum abrodere: Babylon confuſionis eſt regio, dura iniquitatis emporium; ab homine ergo deſciuit, vt tranſiret in brutum, qui potentiæ in ipſa iniquitate firmum iacere molitus eſt fundamentum. Adeſt Gloſſa Gloſſa. moralis: *In campo dura, qui interpretatur loquela, ideò ſignificat verboſitatem ſine veritatis* Theodoret. *ſubſtantia.* Conſonat Theodoretus orat. 3. *Proprium ſ[illegible]ſtum quaſi caſtra Deo opponens ipſe quoque ſtatuam conſtruit, tantam ipſi magnitudinem tribuens, quantam potuit ars humana præbere, non autem ipſam etiam ex auro, argento, ære, ferro ædificat; ſed ex vna auri materia conficiendam curat, vatis infelix iſte falſas oſtenſurum ſe Dei prædictiones.* O exoculatam amétiam: baſim veritate carentem, & prorſus inanem ſtatuæ pedibus ad firmamentum ſupponere, & æternandam amenter credere! aurum coaceruat, vt conſtanti & potenti ſemper metallo ſtatuam contra fortunæ vultus, ac temporum firmauerit morſus; ſed ipſa tellus preſſa minuebat pedes, de baſiſque inanitate patiebatur ruinam, quando de baſi æternam falſus præſumebat conſtantiam: amens eiicitur ab hominibus; imò vt brutum pellitur, qui perſeuerante culpa, credidit poſſe durare, & lapidis ictus eludere. O quàm plures opulentiſſima filiis patrimonia relinquunt; ſed quia pauperum rapinis fundata, & citiſſimè diſperiere conſumpta! O quot filij ampliſſimas à maioribus accepere diuitias, quarum, dum libidini indulgent, dum vanitatis ſectantur pompam, celerrimam ſuſtinuere iacturam! quidquid veritate ſuffultum, durat; quicquid ſtabilitum virtute, in longa tempora perſeuerat: non ſeneſcit, quod de charitatis flamma ad inſtar Phœnicis floret: ſi cupis volubilem ſiſtere rotam, generis æternare memoriam, ſectare ſemper iuſtitiam.

Iſaac filium Iacob ampla benedictione ſtabi- 13.
lit, imperia illi poſteriſque velut teſtamento Geneſ. 27.
mandat, *Dominum tuum illum conſtitui, & om-* v. 37.
nes fratres eius ſeruituti illius ſubiugaui: frumento, & vino ſtabiliui eum. En Iacob, eiúſque poſteri Eſau prælati, regnóque cæleſti oraculo, matris induſtria, & patris feliciſſima ignorantia firmiter ſtabiliti. Quid tandem? firmum adeò diſſipatur imperium, & imperij corruit faſtigium. Adeſt Iſaac Eſau filium ſolatus: *Tempus veniet; cùm excuties, & ſolues iugum eius de ceruicibus tuis.* Dum excutitur iugum, fratris certè imminuitur imperium: & quomodò potuit corruere tot tantiſque fulcris ſuffultum? Audi Chaldaicam Paraphraſim: *Et erit, quando* Chaldaic. *tranſgredientur filij eius verba legis, auferes iugum eius de ceruicibus tuis.* Accinit Lippoma- Lippoman. nus: *Veniet tempus in quo non ampliùs ſeruies: id eſt, poſteritas tua, ſcilicet quando præuaricati fuerint Iſraelitæ legem Dei, & abiecerint à ſe iugum præceptorum eius: nam tunc, & tu rumpes iugum eius.* Non potuit Eſau præualens viribus, ac luctamine victor fratris ſtabilitatem minuere, donec ſuffulciebat eius imperium legis obſeruantia, & cæleſtis Numinis reuerentia: dum Iacobi poſteri religioſum Numini impenderunt tributum, Dominationis extenderunt ſemper imperium; at quantumuis ſtabiliti, quantumuis ampliſſima patris benedictione firmati, dum legibus parere detrectant, & à ſe imperium amandant: *frumento, & vino*, inquit pater, *ſtabiliui eum*; verùm, licèt, paternis fuerit curis, & diuitiarum copiis ſtabilitus, non modica imperij parte luget viduatus: quæ cupiditatis libidiniſque fluctibus labefactabatur firmitas, non potuit ſtabilita conſiſtere, nec antiquum ſplendorem ſeruare: Eſau exertæ validæque nullatenus obfuerunt vires, dum Iacobæi prætulere ſemper virtutes; at dum virtutis orbati ſunt energia, & fratris gladio ceſſit potentia. Adde eam debilitatem afferre delicta, vt exiguis vincatur viribus ad ſpeciem robuſtiſſimus; cùm ſi ſceleris abfuerit lues, nullis viribus ſuperetur infirmus.

Producamus in medium Pharaonem illum 14.
potentia armatum, & Danielem nullius præter Dei ſupplicem, nulliſque viribus præmunitum. Hunc furens dynaſtarum inuidia maligna curioſitate obſeruabat; dúmque captioſas tendunt inſidias, de religione criminantur, & virtus curiā tulit indignum ſupplicium, vt potentia conſequeretur infauſtum votum: belluis traditur deuorandus; ſed ſopita leonum feritas Danieli præbebat obſequium, quia virtutibus videbat

debat munitum. Inter horridos ferarum rictus, inter cruentos belluarum vngues triumphauit indemnis, qui curiâ inter maleuolentiæ, & æmulationis furores viuere nequiuit immunis. Dan 6. v. 22. *Deus misit Angelum suum*, regem alloquitur Daniel, *& conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo iustitia inuenta est in me.* Dum interna iustitia præmuniat; parum interest feralis nequitia sæuiat: leonibus apparebat terribilis, quia Daniel lucebat virtutibus commendabilis. Transi modò ad Pharaonem: sic muscis vexatur, vt exertis clamoribus fateatur se victum, qui duritie ostentarat armatum: Exod. 8. v. 24. *Venit musca grauissima in domos Pharaonis, & seruorum eius, & in omnem terram Ægypti, corruptáque est terra ab huiuscemodi muscis.* Et cur Deus in Pharaonem non armet tigres, quando in Danielem inuidia prorítauit leones? aut cur potentissimus Pharao vincatur muscis, cum Babylone mancipium gloriosè triumphet de feris? O dignam Deo sapientiam! Muscam in Pharaonem armat, vt noueris vel exiguis facilè vinci, quem interna constat malitia pulsari; at virtutibus præmunitum nec rictibus leoninis decerpi, aut belluis famelicis deuorari. Rupert. *Grande spectaculum*, scribit Rupertus lib. 1. in Exod. cap. 34. *Deus vniuerso orbi præstitit, cum superbiam Ægyptiorum non de leonibus, & vrsis; sed de ranis domuit, & muscis.* Superuacuum esset leoninos vngues in Pharaonem acuere, aut cruentas belluas immittere: satis erat musca ad victoriam, quia interna culpa grauiorem attulerat plagam: in Danielem nec feritas valuit, nec leonina rabies profuit: cui namque virtus contulerat reuerentiam, fera non potuit inferre iniuriam; at quem tradebat iniquitas exarmatum, vel musca ostendit deuictum. Disce hinc virtutis fulcris, iustitiæque fulcimentis tuam stabilire fortunam: nam si iustitia desit, iniquitatis flatibus ædificium vel saxeum corruet. In Silo tabernaculum figitur, sed fixum de sacerdotum nequitia auellitur.

---

§. IV.

Quo plus viget religionis obseruantia, & securiùs fundantur regna: nam religionis temeratio est regnorum semper concussio.

15. VT nauis inter confusas voluminum stupentium procellas fundatur anchora; vtque fundata ventorum adsultus despicit, & illæsa insaniam tempestatum euincit, ita regna vera religione fundantur, & religionis obseruantia semper augentur: exhibita Numini sacrificia semper valida regnorum fulcra, & semper contra irruentes calamitates auxilia: seruitutis dignæ exhibitio, dignísque operibus regentis diuinitatis confessio est salutis stabilimentum, & expromptum semper subsidium. Iam si religio marceat, si cultus deficiat, si oscitanter virtus exculta, nihil non nutat: quia fulcris destituitur, & fundamentis nudatur. Plutarch. Superstitio perturbationum mater. *Hæc profectò culpa*, scribit Plutarch. lib. de superstitione, *omni adhæret perturbationi, quod impulsibus cogens acribus consilium vrget, & incendit.* Dei cultus, & in hostes armat, & ab hostibus semper defendit: quo quis negotia religionis studiosiùs curauerit, eo faciliùs tumultuosas perturbationes repellet, de religionis cultu viget concordia, pax efflorescit: ex hac vna virtute plura proueniunt hominibus commoda, vt ex superstitione, & impietate dissidia: *Obliuiscuntur herorum, cum dormiunt serui*, addit vbi supra Plutarchus; Vinctis leuat cõpedes somnus. *vinctis leuat somnus compedes, vulnerum inflammationes, fera carnem depascentia vlcera, & infesti cruciatus à sopitis abscendunt. Hoc dicere non permittit superstitio: sola enim non paciscitur cum somno inducias, neque animo vnquam respirare, vel excitare permittit, amaris depulsis, & grauibus de Deo opinionibus.* Si cui de Deo grauis, & amara fuerit opinio, si infelix nutauerit fide, si dum fugit colere verum, in spinosum superstitionis deuenerit campum: si aut nullum crediderit Deum, aut existimauerit plures, inextricabilibus se calamitatibus implicabit, & dum temeraria audacia nullius imperio subiicitur, tyrannis affectibus subiugatur: Plutarch. *Impium apparet non moueri numine*, Plutarchum audis, *superstitiosum moueri quidem; at inepto modo, atque ira distorqueri.* Vt variis æstibus agitata vnda nescit quiescere; sed cogitur semper turbari, ita qui impietate aut superstitione laborat, nec quiescere didicit, neque stabiliri nouit; at vera religio salutis compendium, tranquillitatis portus, & regnorum est firmamentum. Hebræi congregati sunt in Silo, vt Numinis tabernaculum figerent, Deúmque humanis præesse rebus testarentur religiosis sacrificiis, & legalibus cæremoniis: *Congregati sunt omnes filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij.* Quid tunc? *Et fuit eis terra subiecta.* Iam pacatum possident regnum, dum figunt Numinis tabernaculum: illos hostibus religio effecit terribiles, & de religione præ armorum potentia cunctis hominibus commendabiles. Adest Masius hic. Masius. *Laudanda profectò est populi religio, cui ante omnia cura est Dei sacrarium, & cultus diuinus. tunc enim demum feliciter succedunt res humanæ, quando diuinæ præcesserunt.* Dei cultus, & religionis contestatio facilè eam Hebræis attulit felicitatem, regníque firmitudinem, quam diu armis studiosè tentauerant, nec prorsus obtinuerant; at vbi tabernaculi refertur fixio, & inimicorum adiungitur subiugatio: *Fixerunt tabernaculum testimonij: Et fuit eis terra subiecta.*

Ismaël seruili ingenio præditus, & regnandi desiderio ambitiosissimo exustulatus ludi specie Isaac felicitatem satagebat concutere, & potestatem turbare: quod animaduertens Sara, statim domo eiiciendum consuluit, cuius Deus consilium probauit: *Cum vidisset Sara filium* Gen. 21. v. 9. *Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Non exigua interpretibus lis in huius rationis cohærentia: quid interest tempus terant ludendo pueri, vt iam vereatur Sara filium suum regia hæreditate priuandum? hæreditas paterno iure transmissa, & cæli oraculo est suffulta: ludus puerilis oblectatio, & temporis ætati congruens amissio: quid ergo Sara vereatur à puero, vt tam seriò Ismaëlem damnet exilio? Innuit Hieronymus in quæstionibus 16.

Hieron. Hebraicis: *Dupliciter hoc ab Hebrais exponitur: siue quod idola ludo fecerit, siue quòd aduersùs Isaac, quasi maioris ætatis ioco sibi & ludo primogenita vendicaret: quod quidem Sara audiens non tulit, & hoc ex ipsius approbatur sermone dicentis: Eyce ancillam hanc cum filio suo:non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Has technas versutissimus Ismael excogitauit, vt partem sibi hæreditatis subriperet, scilicet si Isaac vel per iocum à religione deficeret, quò hæreditatis fulcro careret: nouerat Ismael regiam fratris potestatem, si religione suffulta, fore nullatenus perturbandam, conatúsque est vel per iocum à religione disiicere, vt posset hæreditatis parte fraudare: ergo prudentissima Sara peruersam pueri intentionem prænoscens domo depellendum curauit, quo filij regnum fulciret: regna namque religione fundantur æterna, etsi religio nutauerit, vacillabunt semper concussa. Ismaelis astutia, & Saræ decertauere prudentia: Sara vel superstitionis speciem non sustinet, quia filio firmissimum regnum exambit: Ismael, vt hæreditatem potiatur, idola ioco confingit, & Isaac venerari cogit.

17. Ose.10.v.5. Oseas dum Samariæ impietatem sugillat, & regum honorem tacet: *Vacas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.* Rupertus ibi ingeniosè adnotat non dixisse prophetam: Coluerunt reges; sed venerati sunt habitatores, quasi iam ipsa superstitio regibus minaretur ruinam, & sceptri detereret gloriam: dum religionis vera regnorum fulcra impietatibus abstulerunt, & regnum miserabiliter concidit, & populus infeliciter luxit: *Quia luxit*, addit propheta, *super eum, populus eius.* Addit Rupertus loco citato: Rupert. *Notandum & hoc, quia non dixerunt, coluerunt reges Samariæ; sed, coluerunt habitatores Samariæ.* Honorifico regum titulo mulctauit, quos religionis exortes vidit: nec enim stare poterat regnum, quod & impietas oppugnabat, & religio vera destituebat: non reges colunt; quia dum à vera religione desciscunt, iam nullatenus sunt reges.

18. Non caret mysterio, in argumentum durabilis possessionis exhiberi Numinis sacrificium. Desiderabat Abrahamus pro se suísque posteris certam felicitatis tesseram diuinitus accipere, túncque sacrificium Domino offerre monetur: Gen.15.v.8. *Domine Deus, vnde scire possunt quod possessurus sim eam?* amplissimam scilicet hæreditatem. Quid tunc? *Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam.* Et cur hîc signis iusti fulciatur spes, quando miraculis de cælo datis aptiùs ad speciem poterat suffulciri? Sol retardatus subsistat, aut retroactus iterum ad orientis fascias descendat: coruscauerint crebra fulgura, aut montibus reboarint tonitrua. Profectò aptissimum dominationis eligitur signum, religionis scilicet testimonium. Innuit Theodoret. quæst.65. in Genes. Theodor. *Quidam ferunt, quòd Deus volens demonstrare promissionem suam firmam esse, de more qui tunc obtinebat, pactiones iniuit: solebant enim, inquiunt, sacrificio bipartito sic pactiones iuramento firmatas contrahere.* Ecce indubium futuri regni testimonium, Dei scilicet cultus, res eadem & Numinis maiestatis protestatio, & tituli hæreditarij exhibitio. Dum Abrahamus religioso Deum sacrificio honorat, & posteritatis suæ regnum inconcussè obfirmat: nec potuit certius dari felicitatis argumentum, quàm dicatum Numini sacrificium: est namque religio exilium calamitatis, prosperitatis illicium, regnorum stabilimentum, & futuræ semper felicitatis dilucidissimum testimonium.

Quærunt patres, cur Iosue in Silo præ aliis 19. ciuitatibus tabernaculo præpararit hospitium, cum & ciuium copiis, & amplioribus ciuitates aliæ dilatarentur spatiis: *Congregati sunt omnes* Ios.18.v.1. *filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij:* respondéntque Iosue ibi tabernaculum statuisse, quia commodiùs frequentiúsque vtpotè de tribu Ephraim, ipse poterat sacris insistere, ad solemniáque & cæremonias ritè peragenda ministros præsentiâ vrgere: nouerat namque Imperator prudentissimus populi felicitatem non tam armis acciri, quàm sacris ritibus confirmari: ideò ergo, nec aliqua offensa, aut in peragendis sacris ignauia felicitatem populi retardaret, tabernaculum constituit: vbi commodè posset religionis curare negotia, vt vniuersalis prosperitatis, ac communis salutis fomenta. Ita Lyra: *Silo erat in sorte Ephraim,* Lyra. *de qua tribu erat Iosue, qui præ cæteris magis zelabat de cultu diuino, & ideo ibi fuit positum tabernaculum ad manendum.* Consonat Abulensis ad hoc caput: *Cum ipse esset magnus zelator le-* Abulens. *gis, quia iusserat ei Deus, quòd diligenter obseruaret legem Moysi, vt patet suprà 1. & in cæremonijs, quæ fiebant in Sanctuario, consistebat potissima legis occupatio, voluit quod esset Sanctuarium in sorte tribus suæ, vt sic ipse diligenter obseruari faceret cæremonias, cùm posset hoc videre.* In primis Imperatori de religione fuit cura, vt qui nouerat diuinis ritibus aduersus varios fortunæ vultus & frequentes temporis casus stabiliri regna, & regum firmari solia.

Non semel Christus Dominus regis honora- 20. tus est titulo; cùm in tuguriolo nascitur, magi inuolant, & exertis liberísque vocibus recens natum regem proclamant: *Vbi est, qui natus est* Matth.2.v.2. *rex Iudæorum:* Verùm quæ Herodis pectus ignis premebat inuidiæ, tetris vaporibus, obscuris nebulis tituli regalis gloriam obscurauit: *Ite,* Matth.27. *& interrogate diligenter de puero:* modò puer, v.37. qui rex anteà. Hic idem, cùm cruci affixus penderet, regis titulo coronatur: *Hic est rex Iudæorum.* Titulum iterum obscurare aggressa est inuidia, & furens æmulorum maleuolentia; verùm irritus potentiæ conatus tituli militauit gloriæ, vt non solùm cruci affixus regalibus coronaretur litteris; sed etiam ipse titulus redimiretur victoriis. O quàm crucifixi ostentabat omnipotentiam, quando potentium proculcabat inuidiam! Stetit Pilatus pro veritate aliquando, si steterat pro iniustitia, & qui iniustissimus abstulerat vitam, adduci non potuit, vt obscuraret tituli gloriam: *Quod scripsi, scripsi.* Ecqua Ioã.19.v.22. huius discriminis ratio est? Si recens nati regalem titulum inuidentiæ tenebris sepelire valuit malitia; cur modò non potuit ligno affixi regnum interturbare potentia? Expressit Paulus, scilicet quia crux erat religiosæ victimæ ara: *Per Spiritum sanctum semetipsum obtulit imma-* Ad Hebr.19. *culatum Deo.* Ecce cur nullatenus potuerit re- v.14. gnum nec potentiæ conatibus, nec malitiæ adsultibus dimoueri à cruce: quia crux erat religiosissimæ victimæ ac mundissimæ ara: ergo licet Herodes recens nati regis astutè obscu-

tauerit

rauerit titulum, de ara dimoueri non potuit regnum. Vt nouerit mundus sceptra victimis religiosis stabiliri, & coronas aduersus temporum procellas firmari. *Monstrabatur*, scribit Beda apud D. Thomam, *iam tunc regnum ipsius, non, vt ipsi putabant, destructum; sed potius augmentatum*: Expende illud *tunc*, scilicet quando filius hostia in crucis ara Patri oblatus, quando oblatus olim ab Adamo honor Numini restitutus, quando consummatum est sacrificium, & sacrificio stabilitum imperium. Discant ergo Principes suam augere, & æternare fortunam de exhibita Numini reuerentia, de religionis studiosè culta obseruantia.

Beda.

---

§. V.

Suorum amator non tam gestit facultatibus ditare, quàm virtutibus suffulcire.

21. CVm te tam obnixè rogo, aiebat Seneca epistol. 35. *vt studeas, meum negotium ago: habere amicum volo; quod cõtingere mihi nisi pergis excolere te, vt cœpisti, nõ potest: nũc enim amas me, amicus nõ es: quid ergo? Hæc inter se diuersa sunt? imò dissimillima: qui amicus est, amat, qui amat, nõ vtique amicus est: itaque amicitia semper prodest; amor etiam aliquando nocet*: Amor sæpè suis affectionibus obcæcatur, & quibus impetu improuido cupit proficere, nocet: anhelat execrationes, diuitias inquam, vitiorum fomenta, & infelicitatis auxilia. O quam discupiunt patres, cognati, affines, suos amplissimis facultatibus exundare, & fastigiis dignitatum lucere! quam obliuiscuntur prodesse, dum exambiunt honoribus ac diuitiis nobilitare. Conspectus, præsentia, conuersatio, dignitatis accretio, & quidquid humanam felicitatem suffulcit, aliquid habet voluptatis, quod imprudentes amatores sibi concupiscunt, & ad quod cognationis iure adulterato contendunt. Qui amicus est, prodesse discupit, non placere: etiam amor artificiosè excuditur, & fucis coloratur: non est syncerus, non est generosus; sed mentitus, qui animi obliuiscitur bona, & solum temporalia anhelat crementa. Redeat iterum Seneca epist. 61. *Queror, litigo, irascor, etiam nunc optas, quod tibi optauit nutrix tua, aut pædagogus aut mater: nondum intelligis quantum mali optauerint. O quam inimica nobis sunt vota nostrorum, eò quidem inimiciora, quò cessere felicius!* Iam non admiror, si omnia nos à prima pueritia malà sequuntur: inter execrationes parentum *creuimus*. Iure vocauit parentum execrationes immeratas, & cæcas cupiditates; dum cumulatiùs filios diuitiis onerant, & ad vitia viuidiùs proritant; verus amor non anhelat extendi possessiones; sed augeri semper virtutes. Iosue tabernaculum in Silo figit: *Congregati sunt omnes filij Israël in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij.* Quærunt interpretes, cur in Silo, & non aliis in ciuitatibus, cùm & ampliores, & illustriores eligi potuissent? Abulensis respondet: ideò Silo electam, in Ephraim sorte, quia Iosue ex Ephraimitarum tribu: *Fuit Silo ciuitas quædam in sorte Ephraim, causa autem quare tabernaculum ibi primò fixum est, fuit,*

Senec.

Amicitia semper prodest amor aliquando nocet.

Senec.

Abulens.

Naxera in Iosue Tom. 2.

quia Iosue, qui tunc erat Princeps populi, erat de Tribu Ephraim. Præcedenti capite accesserant contribules, cognatique, vt sortis suæ ampliationem exigerent: *Locuti sunt filij Ioseph ad Iosue, & dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis, & funiculi vnius?* Audiuit querelam; non tamen sortis ampliauit mensuram; modò tamen tabernaculum inter Ephraimitas figi curauit, vt doceret verum amorem non tam diuitiarum amatis curare copiam, quàm virtutum summam: se probauit legitimum Ephraimitam de fixione tabernaculi, non sic de terminorum prolatatione; quò nos doceret verum suorum amatorem plus illis suspirare eximias virtutes, quàm amplissimas facultates. Iosue 17. v. 14.

Circa Esau paternus maternúsque decertabat affectus: pater obsoniis delinitus, & si dici liceat, eduliis honestè subornatus, agrestem satis moribus, longa benedictione, amplissimis prædiis, copiosisque facultatibus ditare ambiebat. E contra mater fratri subiicere, & angusta sorte premere: *Isaac amabat Esau eo quod de venationibus illius vesceretur*: amoris motiuum amoris obscurabat elogium: venalis, & adulteratus erat, qui propriis indugebat commodis, non alienis. Rebecca Esau diligebat vt filium, & nobiliori quidem affectu, quandoquidem non studebat ditissimis facultatibus onerare; imò facultatum dispendio virtutibus communire. Audi Philonem lib. de nobilit. *Euenit vt vota pro minori facerent amplissima, quæ Deus absque vlla exceptione rata esse voluit; alterum verò miserati hoc affecerunt beneficio, vt fratri eum subijcerent existimantes id ei fore vtile, si homo nequam in sua potestate non relinqueretur, qui si hanc seruitutem libenter tulisset, poterat mereri secunda virtutis præmia.* Consonat Ambrosius lib. de Iacob, & vita beata. *Rebecca non quasi filium filio; sed quasi iustum præferebat iniusto. Etenim apud matrem piam mysterium pignori præponderabat, illum non tam fratri præferebat, quàm offerebat Domino, quem sciebat collatum sibi munus posse seruare, in quo, & alteri consulebat, quem diuinæ subducebat offensæ, ne grauiore implicaretur reatu; si acceptâ gratiam benedictionis amitteret.* Mater amat ingenua, & liberali affectione: quia non adulatur cupiditati, sed pignoris attendit virtuti: dispendio diuitiarum, dignitatis iactura filium exoptat carere offensa: quia nouerat prudentissima mater amorem nobilitari de procurata virtute, & sæpiùs obscurari de adaucta felicitate: pater tacuriebat, & amorem de mercedis spe non modicum dehonestabat. Cupiebat diuitem filium, vt impenderet saporata obsonia, vt propinaret generosissima vina: voluptatis suæ causa diligebat, dum filium diuitiis exornare amplissimis anhelabat. Hic ergo non syncerus, sed obæratus amor; Rebeccæ, & purior, & generosior.

22.

Genes. 25. v. 28.

Philo.

Ambros.

23. Iacob erga Rachelem honesti amoris ostentat pompam, & viuidissimam obsequiis conseruat flammam. *Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Magnus sanè amor, qui nec torridæ æstatis languescit æstibus, nec horridæ hyemis tepescit frigoribus: magnus animus quia laboribus comprobatus, & difficultatibus innutritus, verùm si recolamus historiam, non minor Rachelis inuenietur affectio: ficcis oculis patrem omnémque parentelam relinquit, vt

Genes. 29. v. 20.

Magnus amor laboribus comprobatur.

Iacobum paternam domum repetentem comitetur, idola patris furatur, mortem contemnens, vt sponsi anxios labores, & paternas fraudes
Genes.31. v.32. auro compensarit: *Apud quemcumque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Ecce Rachel mortis sententiæ subiacet, quia in Iacobi vtilitatem patris subripuit idola: *Rachel*, inquit, *furata est idola patris sui.* Iam hanc fuisse
D.Thom. Rachelis intentionem, testatur D. Thomas ad hunc locum: *Posset dici quod scilicet zelo iustitiæ contra eius auaritiam seu rapinam hoc fecerit.* Si ergo Rachel morti exponitur, vt Iacobi diuitias augeat, vt fraternas fraudes compenset, cur amor eius in Iacobum silentio tegitur, quando Iacobi affectus deprædicatur? O amabo te, vide quid Iacob suis omnibus, Rachelique con-
Gen.35. v.2. sulacrit: *Iacob conuocata omni domo sua ait: Abiicite Deos alienos qui in medio vestri sunt, & mundamini ac mutate vestimenta vestra. Surgite & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo:* aufert aurum, vt ab eis sustulerit etiam idolum. Rachel e contra paruipendit introducere idolum, vt augeat aurum: Iacobi ergo amor, & virilis & syncerus, Rachelis fœmineus
Oleaster. & adulteratus. *Audi ast hoc*, inquit Oleaster cap.35. ad mores, *communitatum rectores, & discant a vitiatis auferre, quæ illis sunt nocitura:* profuisset aurum; sed noceret idolum: ergo Iacob virtutis alumnus, & honesti purique amoris norma diuitiarum dispendio virtutis promouit studium: Rachel diuitiarum fouit studium virtutis dispendio, huius ergo amor silentio tegitur, vel despectu præteritur: non enim suos diligit, qui diuitiarum copiam augere anhelat, sed qui virtutibus exornationes procurat.

24. Ioseph egregius ille castitatis athleta euauigatis inanibus fraterni odij, immanioribusque impotentis amoris fluctibus peruenit ad regnum: strenuus modiperatur in fame alimenta populis impertiebat. O laudabilem prouidentiam, quæ summæ egestatis tempore non sibi solùm, sed & cæteris abundabat; aduentarunt fratres, & postquam ludicris terriculamentis ad ad veram adduxerat pœnitentiam, felicitatis suæ illis communicarit lætitiam: cùmque omnis paterna domus Ægyptum iam inhabitatura pro-
Genes 46. v.33. ximaret, hoc Iosephus dedit consilium: *Cum vocauerit vos, Pharao, & dixerit: Quod est opus vestrum? Respondebitis: Viri pastores sumus serui tui ab infantia nostra vsque in præsens, & nos, & patres nostri; hæc autem dicetis, vt habitare possitis in terra Gessen: quia detestabantur Ægyptij omnes pastores ouium.* Profectò haud prudens videatur esse consilium; imò odij partus, non amoris affectus: si Ægyptij ouium detestantur pastores, cur cogit omnibus esse detestabiles, quos debuerat desiderare felices? Si regni prorex, si priuatus Principis fratres ad dignitatum euehere potest excelsa, cur ad pastoritiæ artis humillima & laboriosa cogit studia? Quos curiæ incolas potest ditare, compellit à curia exilium quodammodo sustinere. O verum & germanum amorem: eos vocat, vt famis allenarit tormentum, non tamen vult commisceri Ægyptiis, ne aliquod virtutis incurrerint damnum: non curat fratres dignitatum luminibus ampliare; sed ornatos semper virtutibus custodire: legitimus namque affectus virtutum studet crementis, non diuitiarum nociuis inhiauit copiis. Prodest Eucherius apud Lippomanum. *Hæc dicetis, vt habitare possitis in terra Gessen: hæc interpretatur propinquitas vel proximitas, per quod ostenditur, quia etiamsi in Ægypto habitat Israel, non tamen longè est a Deo, sed proximus est ei, & coniunctus.* Facilè posset Ioseph fratres curiæ incolas facultatibus ac honoribus ampliare; maluit tamen, ne virtutis obscurarint gloriam, & Ægyptiorum pati odium, & quodammodò in officij pœnam exilium. In Gessen Deo approximant; sed dignitatum luminibus carent; sed odibiles sunt Ægyptiis, in Ægypto resplenderent culmine dignitatum, diuitiarum copiis; sed vitiorum obscurarentur periculis. Ergo Ioseph quos ardente charitate constringit, vitiis amat nullo modo attaminatos, quantumuis dignitatibus nudos. Quàm rari Iosephi imitantur studium! Suos arbitrantur teneriùs diligere, si diuitiis fecerint exundare. Paruipendunt virtutis iniuriam, dum sui diuitiarum sortiantur copiam. Quod primum Iosepho in studiis, à vitiorum fratres periculo arcere, non facultatibus diuitare.

Contrarij studij, & quidem frequentioris 25.
iam Saul præcessit ænigma: filium monet, vt 1.Reg.19.
rupto fœdere, violato iure per insidias aggre- v.1.
diatur: Dauidem: *Locutus est Saul ad Ionatham filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid:* filium facit immeritæ mortis artificem: & quæ huius nefandi consilij causa? Iam
irâ succensus explicuit: *Omnibus diebus, quibus* 1.Reg 20.
filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, v.31.
neque regnum tuum. Vt filius potiatur regnum, ipse pater consulit perpetrare delictum. Curabat solùm fucis ornare, non virtutibus excolere. Initium fœdus ferrum arcebat, Dauidis innocentia manus cruentare vetabat; at Saul insano Ionatæ amore vstulatus, vt manu gestauerit sceptrum, horrendum suasit delictum: æstimabat magni caducam filio felicitatem, & depretiabat virtutem: proh detestandam insaniam, & furiosam semper amentiam! Amor hic odio deterior, & longè immanior, quandoquidem desiderabat filio virtutis dispendio euanidæ felicitatis nitorē, & caduci splendoris lucem. Adest Iosephus lib. antiquit. cap.12. & apud Glos-
sam. *Saul videns Dauid & apud Deum, & apud* Ioseph.
homines approbari, expirauit, & metum celare non valens timore magnarum rerum, id est regni & vitæ, ne priuaretur vtroque, cogitauit eum crudeli calamitate perimere, eiusque mortem Ionathæ filio, & reliquis familiaribus delegauit. Timuit priuari Ionatham regno, & hortatus est exambire sibi sceptrum iniquitatis auxilio: non auersatur filium insidiis attaminari sceleribus, dum diadematis fulgurarit luminibus; at meus Iosue suorum, non curat limites extendisse; sed studiosè solicitat præsentia tabernaculi ornasse.

---

§. VI.

Eucharistiæ mensa ea exigit puritate conspicuos, vt ægrè patiatur accedere à temporalibus penitùs non auulsos, aut culpis leuibus taminatos.

IS altè incedentium superbè tumor, arro- 26.
gans adeò vanitatis est factus, vt illatam sibi putarint iniuriam, si quis eorum conspectibus aliquam

aliquam deformitatis obiecerit maculam: regalibus oculis habitu apparere incultum graue reputatur peccatum, quandoquidem oculorum reuerentia solertem suadebat ornatus curam: vel naturalis officit culpa, vt Principis quis apparuerit præsentia, quasi nobiles offenderit oculos, qui suos non timuit videri defectus. Nabuchod. ille arrogantiæ ænigma, ac superbiæ norma de insolenti fastu vtilem nos edocuit doctrinam: pueros iussit seligi, quos sanguinis commendaret nobilitas, & quos oris nobilitaret venustas, quos mensæ decreuit ministros, omni deformitate voluit exemptos. *Ait rex Asphenez præposito eunuchorum, vt introduceret de filys Israel, & de semine regio, & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina, vt qui possent stare in palatio regis.* Legunt alij: *Præcepit, vt separaret*, &c. Voluit ventosissimus Princeps, vt quos mensæ inseruientes suo dignabatur aspectu, nulla deturparet macula, aut naturalis excluderet culpa: quos regio cibo, & potu innutriri præcepit, & omni venustatis elegantia fulgere voluit: ab reliquis iubet separari, vt eius mensæ valeant inseruire: *Constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino, vnde bibebat ipse.* Regali decebat potatos vino omnis pulchritudinis ornari elogio: nec enim regalis aspectus videre dignaretur obscuros. *Si quid occurrit distortum, & fœdum*, scribit noster Sanctius, *quasi inauspicatum aliquid horrent delicati atque elegantes oculi, maximè Regum, ac Principum; quia ea in re morosi nimium ac superstitiosi sunt.* Deformitas regali aspectui obiecta res habetur inauspicata, quasi imperialis honoris fuerit offensa vel parum industriæ naturæ culpa. In Silo Dei tabernaculum figitur: *Congregati sunt omnes filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum Domini.* Cur in Silo præ aliis ciuitatibus, rogant Interpretes; sed nomen ipsum reddit sponsum: Silo namque significat auulsam, vel translatam. Audi Hugonem: *Silo interpretatur auulsa, vel translata, vel dimissio, vel restitutio, & religio omnis debet esse auulsa à mundo mente, & conuersatione:* ab omni mundiali fæcé auulsa esse debet anima, in qua Dei tabernaculum figitur, & Eucharistia asseruatur.

Dan. 1. v. 3.

Sanctius.

Hugo.

27. Hebræus populus ferreis compedibus fractis, vinculisque detritis Ægyptum deserit, & stupentibus vndis mare sicco vestigio transmittit, iam deserti tuta calcabant, cum vexati fame peribant: Deus copioso pane famem sequenti die se depulsurum promittit: *Ego pluam vobis panes de cælo.* Et cur liberalitatem obscurat, dum beneficium egestatis vocibus compulsus præstat? cur non ante vertit panis abundantia inopiam? cur criminatricem non impediuit querelam? Fallar, ni huius tarditatis innuerit textus rationem. *Tulit igitur populus*, inquit, *conspersam farinam, antequam fermentaretur, & ligans in pallijs posuit super humeros suos.* Dum Ægyptia farina humeros deterit, mensam cælesti pane refertam, diuina generositas non apponit: tantisper patitur suam liberalitatem obscurari, vt constet farinæ Ægyptiæ nec puluerem superesse, quasi male conuenianr, & panis cælestis mensa, & Ægyptiorum farina. Adest Abulensis quæst. 1. ad Exod. 16. *Cum magna cer-*

Exod. 16. v. 4.

Exod. 12. v. 34.

Abulens.

Naxera in Iosue Tom. 2.

dis amaritudine ista dicebant, quia fame cruciabantur: nam triginta diebus satis laborauerant, modicum cibum sumentes, nec ad saturitatem propter inopiam: nam solùm comederunt pastas, quas tulerant de Ægypto non fermentatas, faciebántque de eis subcineritios panes ambulantes per desertum vsque illuc; nunc autem pasta consumpte fuerant. En moræ causam: quo Deus cœlestis panis præberet largiter alimentum, expectauit, vt Ægyptium prorsus defecisset subsidium: maluit tarditatis subire notam, quàm præbere panem profanam possidenti farinam: crucientur priùs fame longo itinere ab Ægypto auulsi, & Ægyptiis eduliis prorsus orbari: dum famis exaggeratur cruciatus, omnis farinæ proditur etiam defectus: vt ergo constet ad cœlestem accedentes mensam longè latéque ab Ægyptiis remotos nullísque Ægyptiorum cibis pollutos noua liberalitatis industria liberalitatem tardat; quia beneficium non tam temporis commendat celeritas, quàm accipientis vtilitas: opportunius ergo erat accipienti beneficium, cum nullum ex Ægypto suppetiuerat alimentum. Non dubito leues offensas impedimentum non esse, vt quis ad Eucharistiam accedat; adhortor tamen eximia puritate accedentes ornari; quia ad hoc frequentibus sacrarum litterarum exemplis constat homines erudiri: minus exigitur, vt Deum quis possideat, quam vt mensa cœlesti prandeat.

Ieiuniū optimo ad Eucharistiam præparatio.

Prodigus ille vitiorum ærumnis satis castigatus, & molestiis eruditus paternam domum repetere instituit: nec mora, surgens venit ad patrem suum: à longè venientem aspicit pater; quia amoris oculus semper lynceus: qui plus diligit, & viuaciùs etiam adspicit: cucurrit, & nudum filium paternis charitatis brachiis astringit: *Accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum: dixitque ei filius: Pater peccaui in cælum, & coram te.* Amor paternus apparat filio conuiuium, sed priùs adornare vestibus gestit: *Dixit pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.* Patrem, vitulúmque eamdem personam diuerso emblemate designasse tradunt Interpretes. Ita Chrysolog. serm 3. *Pater peccata filij redemit osculo, clausit amplexu.* Addit serm 5. *Occidit et vitulum saginatum: hic est vitulus, qui in epulum nostrum quotidie ac iugiter immolatur.* Vides vitulum & patrem ad eamdem personam referri: inquiramus modò cur brachiis pater adstrinxerit nudum, & ad vitulum accedere velit ornatum. Certè si nuptiales vestes, si cultior ornatus exigebatur ad sacras vituli epulas, etiam videtur requiri ad paterni amplexus delicias: iubeat à seruis vestiri, præcipiat à famulis stolis primi ornari, & postea paterno amplexu constringat, aut si pater amplectitur nudum, cibet etiam inornatum. O sapientiam immortalem! Idem designatur Deus, & patris titulo & vituli epulo, vtque noueris sub cibi speciebus eximium ornatum & puritatem exigere, accedere vetuit nudum, quāuis patris specie brachiis constrinxerit inornatū. Adhuc nudus, dum fatetur pœnitudine perpetrata delicta, dū ingemit: *Peccaui in celū, & coram te*; paterna meretur brachia; voluit tamē pater, vt nudus ad saporata nō accesserit fercula, nō quia mēsa illa repelleret

28.

Luc. 15. v. 20.

Chrysol.

pœnitudinis dolore perculsum, quamuis cultiori ornatu carentem; sed vt doceremur plus exigere huius mensæ decentiam, quam alio ænigmate gratiam. *Date calceamenta in pedibus eius,* Chrysol. verba sunt Chrysologi serm.3. *ne vel in pede remaneret deformitas nuditatis. Certè vt calceatus anterioris vitæ rediret ad cursum; & adducite vitulum saginatum.* Nec in pede deformitas nuditatis remanet, dum mensam coronat vitulus, & qui amplexatus est nudum, vitulo cibauit ornatum, vt noueris quantam virtutum pulchritudinem in conuiuis requirat hæc mensa, quantam morum concinnitatem depopoſcerit Eucharistia. Expende etiam in itinere paternis frui brachiis, domi potiri conuiuiis, quasi hæc mensa plus exigat vel à vitiorum regione distare, & ab appetituum patria longiùs recedere: paterna domo plus distat à vitiis auulsus, itinere à criminum regione non adeò remotus: ergo in via potitur amplexibus, domi saturatur edulibus. Adde, vt huius mensæ puritatem nobis sacra dilucidiùs explicauerit Scriptura, sic disposuisse ænigmata, vt aliquando minus studium depingat ad gloriam, & vigilantiùs ad mensam.

29. Vidit Ezechiel quadrigam illam sacris animalibus vectam, quorum quodlibet, etsi non Ezech.1. v.12. lento, gressu tamen viam metiebatur: *Vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat:* Hic gloriam exprimi dilucidè propheta testatus est: Ezech.2.v.1. *Hæc visio similitudinis gloriæ Domini.* Vides aquilam ad gloriam gradi: verte modò oculos ad eandem visionem Apocalypſ. 4. vbi aquila, quasi iam piguerit in terra ambulare, aëra dissecat, & celeres alas explicat: Apoc.4.v.7. *Quartum animal simile aquilæ volanti.* Iam pungit scrupulus: si ibi graditur, cur hic volat? Ibi aiebat, *coram facie sua gradiebatur, hic simile aquilæ volanti.* Quia animalia cætera ibi gradiuntur, & aquila dedidiscit volatum retardata de exemplo, aut reliquorum attemperata instituto: & quidem satius erat vnicam aquilam trium assimilari ingenio, quam tria vnius imitari volatum: vel aquilam gradi prudentia est, dum in gradientium viuit consortio, aliter namque ingenti volasset periculo; apud Ioannem verò, quia aliorum non exprimitur gressus, aquilæ potuit explicari volatus. Benè; thesi tamen nostræ aptiora rimemur: Ioannes in throno agnum intuetur Apoc.5. v.6. stantem: *Ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum.* Ezechiel gloriæ spectauit speciem: *Hæc visio similitudinis gloriæ Dei*, vtque noueris quam à terra remotos exigat agni mensa, quando vel solo gradientes admittit gloria, aquila gloriam possidet de impigro gressu; ad agnum verò pernici tendit volatu: agno regali throno fulgenti adstans, celerrimè inuolat, *simile aquilæ volanti:* gloriam possidens, in terra graditur, quasi gloria admittat gradientes, mensa tamen exoptauerit inuolantes: Lyra. *Agnum stantem tanquam occisum*, scribit Lyra, *quia quotidie in Ecclesia immolatur:* dum Eucharistiæ aquila mysterio assistit, cælo proximior celeres alas expandit, gloriam terræ propinquior conuehit, & gressum tellure figit. Adde sic à terrenis auulsos, sic vel specie torporis detersos hanc mensam conuiuas exigere, vt si quando quis torpens, aut terræ inhærens accesserit, accessisse non censeatur.

30. Fugiebat Elias mulieris insaniâ furentis minas: deserto errat afflictus & timore exagitatus: tandem in iuniperi vmbra tantisper quiescit, & fessos artus recreat, somno, & alleuat curarum exilio: 3.Reg.19. v.5. *Proiecit se, & obdormiuit in vmbra iuniperi.* Angelus dormientem excitat, hortatur surgere, & cor cœlesti cibo firmare: *Surge & comede. Respexit & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rursum obdormiuit.* Iterum Angelus interpellat dormientem, iterum comederit monet: *Reuersus est Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitque illi: Surge & comede: grandis enim tibi restat via.* Monitus surrexit, & surgens cœlesti cibo famem depulit, metum exclusit. *Cùm surrexisset comedit & bibit.* Tertullianus vnicum ab Angelo accepisse Tertull. pastum asserit lib. aduerſ. Psychic. cap.6. *Minantem Iezabel fugiens post vnicum pabulum & potum, quem ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipse quadraginta diebus & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Choreb.* Tanti Doctoris pace eius sententia textui repugnare videtur: bis namque excitatur ab Angelo, bis cœlesti recreatur cibo: ergo non vnicum accepit pabulum; sed geminum ferculum. Non me latet Tertulliani sensus; sic tamen eius verbis ad mores vtor. Priùs Angelus & surgere & comedere monuit. *Dixit illi surge & comede:* tunc comedisse narratur; surrexisse tamen tacetur: *Comedit*, inquit, *& bibit & rursum obdormiuit:* posteà non solùm refertur pransus; sed & à terra eleuatus refertur: *Cùm surrexisset*, inquit, *comedit, & bibit:* quamuis ergo bis comederit, quia priùs telluri inhærens, illa numero non habetur cibatio, posteà tamen quia terram deserens, quia eleuatus ad altiora, quia sopore discusso, iam refertur ab Angelo accepisse pabulum, quia dignum pabulo refertur etiam studium: *Ambulauit*, inquit, *in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Cuius illius? Illius scilicet, quem surgens comedit, non quem semisopitus, & prostratus tellure accepit. Quo discas hanc mensam à terrenis exigere prorsus auulsos, & conuiuas reddere terrenorum vtiliter fastidiosos: *Arido ventre, ore sicco peruenit vsque ad montem Dei Choreb.* Quid plura?

Cælestis mensa à terrenis exigit prorsus auulsos.

---

§. VII.

Superioris aspectus vigorem subditis & virtutem inspirat, & ad munia ritè peragenda vocali silentio allectat.

31. Animus reipublicæ est Princeps, inquit Seneca lib.1. de clementia cap. 4. *illa corpus.* Et quidem si aliquod membrum animi destituatur præsentia, vitalem motum deperdit, & vsum operationis amittit; spiritus verò energia fotum munera ritè obit, & ad operandum occultè vigorem trahit. Disertè ergo Seneca Principem reipublicæ corporis dixit animum, quia de eius distantia, aut præsentia vires subditi sugunt ad obeunda ritè munera, aut marcent ad muneris exercitia. Principis aspectus operantis est energia, quando gaudent omnes ab illo spectari, cui gestiunt semper placere. Honestus ambitus

Senec. *Princeps est reipublicæ animus.*

ambitus Principis gratiam inire, quia opera non
erubescunt videri. De remora exiguo piscicu-
lo produnt vel nauigia fauonio inflata virtute
occulta morari, & de magnete vel renitente
pondere ferrum vi arcana suspendere. Superio-
ris aspectus vtriusque imitatur ingenium: nam
frænat passionibus agitatum, & ad virtutem im-
pellit vel consuetudine praua impeditum. O
quàm solerter vitare curat offensam, qui exa-
minis effugere nequit iudicium. Quàm resupi-
nus stertit, qui ad absentiæ recurrit suffragium.
Omnes in oculis Principis solertiùs inuigilant,
& curiosiùs adlaborant de placendi ambitu, aut
Cassiodor. de exasperandi metu: *Securitas te nostra non
inducat absentia*, monebat artificem Cassiodo-
rus 7. variar. 18. *quidquid feceris, nos videmus,
qui vsu ipso subtilissima perquisitionis, & terro-
res artificum possumus prima fronte reprehendere,
& laudabiliter operata iudicare.* Virtus de as-
pectu Principis exacuitur, ipsáque audacia fræ-
natur: quia vel temeritas fugit aspectu iudicis
deprehendi, & virtus meretur laudari. Filij ho-
Apoc. 1. v. 15. minis flammæ assimilabatur aspectus. *Oculi
eius tanquam flamma ignis*, vt incusso terrore
procaces reprimeret, & virtutis studiosos inspi-
rato ardore foueret. In Silo tabernaculum figi-
tur, cùm aliæ ciuitates fuerint frequentiores
hominum copiâ, & celebriores artis structurâ.
*Congregati sunt omnes filij Israel in Silo, ibique
fixerũt tabernaculum testimonij.* Interpretes red-
dũt causam. Iosue scilicet, vtpotè legis zelatoré,
ibi statuisse tabernaculum, quò de eius præsentia
ministri accuratiùs inseruirent, & studiosiùs
Abulens. Numinis cultum curarẽt. Ita Abul. & Lyra: *Cùm
ipse esset magnus zelator legis* (verba sunt Abul.)
*quia iusserat ei Deus quòd diligenter obseruaret
legem Moysi, vt patet supra primo, & in cære-
monijs, quæ fiebant in Sanctuario, consistebat po-
tissima legis occupatio, voluit quòd esset Sanctua-
rium in sorte tribus suæ, vt sic ipse diligenter ob-
seruari faceret cæremonias, cùm posset hoc videre.*
Nouerat disertissimus Imperator, de aspectu
Principis ministrorum foueri sedulitatem, acui
solertiam, de absentiáque procreari sæpius igna-
uiam; & ne sacræ cæremoniæ aut fierent incu-
riosiùs, aut relinquerentur indigniùs, adesse
voluit, quò eius aspectus ministrorum extermi-
naret ignauiam, dum inspirat obeundis ritè
muneribus energiam.

32. Hanc superioris aspectus efficaciam nouerat
benè prodigus in regionem abiens longinquam:
Censu accepta cupiditatis irritatur insania, &
in possidentis perniciem auri ad scelera adole-
scentem impellit copia: sine patre census filium
exemit patria, ciuem transtulit in peregrinum,
filium in mercenarium, liberum mutauit in ser-
Luc. 15. v. 13. uum, in egenum locupletissimum: *Abijt in re-
gionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam
suam.* Et cur itineris adeò longi non excusarit
molestias, & in patria sectatus non sit delicias?
Natiuo in solo maior peccandi occasio, minor
in peregrino; & filius scelerum ambitiosus ten-
dit ad remota, cùm posset incoluisse propinqua?
viles ne libidinum victimæ patria defuerant?
an frequentes salacem occasiones non prolecta-
bant? plures namque ipsa difficultate irritan-
tur, & viuidiùs accenduntur: Certè plus ha-
beret, quod libidini impenderet, si longo iti-
Chrysolog. nere nil insumeret. *Quæramus*, aiebat Chry-
sologus serm. 1. *quæ res filium rapuit hos ad ab-
sit? Respondétque: Cupit viuendi libertate
gaudere.* In Patria non infrequentes occasio-
nes; imò generis nobilitas audaciùs proritabat
insolentiam, & insolentiùs nutriebat audaciam;
verùm ea paterno aspectui inerat vis, vt quo-
dammodò præpeditus, nec cupiditatibus posset
effrænatè studere, nec salacitati inseruire. Ergo
quia discupiebat vitiis omnibus ingurgitari, as-
pectum in primis curauit fugere, & in regio-
nem remotissimam tendere: *Cupit gaudere li-
bertate viuendi.* Pateretur in patria intestinum
cupiditatis delirium, & sustineret durissimum
aspectus paterni frænum; & scelerum ambitio-
sus à paternis oculis satagit distare longissimus.

Vidit Ioannes agnum illum oculis clarissimis 33.
exornatum: *Ecce in medio throni, & quatuor* Apoc. 5. v. 6.
*animalium, & in medio seniorum agnum stantem
tanquam occisum habentem cornua septem, & ocu-
los septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in
omnem terram.* Profectò spirituum, & oculo-
rum differre videntur munia, oculi colores dis-
cernunt, lucem aspiciunt, & de his, quæ sub
aspectum cadunt, sententiam dicunt; spiritus
in terram missi dormientes vt olim Eliam, ex-
citant, torporem depellunt, & virtutem quo-
dammodò clientibus suis infundunt. Tobiam
à piscis immanitate liberat spiritus, à leonum
exacutis vnguibus, & acuto rictu Danielem
conseruat illæsum Angelus: horridæ fornacis
flammas in roseum roris afflatum mutat cæ-
lestis minister. Oculi agno inseruiunt, spiritus
hominibus etiam assistunt, quomodò ergo spi-
ritus vocentur, oculi appellentur spiritus, quan-
doquidem quibus diuersum adeò ministerium
vnicum non videtur adaptari vocabulum. *Oculi
septem*, inquit, *sunt septem Spiritus Dei missi in
omnem terram:* agni in throno regnantis as-
pectus munera omnia spiritus exercebat, inspi-
rabat namque contra effrænatas passionum bel-
luas efficaciam, infundebat virtutibus energiam.
Principis aspectus subditorum est custos, quan-
doquidem oculorum reuerentia, ne in scelus
labantur, & opportunissima ligatura: impellit
non semel appetitus insania; sed videntis cor-
rigit visio seuera: vires abscindit torporis igna-
uia; sed visus roborat energia: ergo quiuis supe-
rioris aspectus pro virtute est spiritus missus, &
hostis contra vitia delegatus: quia armatur ope-
rantis constantia de superioris notitia. Adest
Rupertus ad hunc locum: *Agnum vidi*, inquit, Rupert.
*stantem in medio throni, & quatuor animalium,
& seniorum, id est, Christum sanctum Sancto-
rum, regnantem, & dominantem in medio om-
nium Sanctorum cornibus septem, & oculis septem,
id est, spiritibus septem, quorum omnem in se ha-
bet plenitudinem corroborantem, & illuminan-
tem omnes, qui per fidem in circuitu eius sunt.*
Ea vis inest aspectibus, quæ septem inesse cog-
noscitur spiritibus; imò omnium spirituum in
se plenitudinem habet, vt aspectos regat, &
ad virtutem vtilissima verecundia promoueat;
& quidem spiritus mittuntur in terram, quia sa-
tis erat ad circumstantes aspectus, ad longin-
què tamen positos multiplex requirebatur spi-
ritus. Ea est Principis oculis efficacia, tanta lon-
gè positis est necessaria tutela.

Miserum hominem gehennalis possederat fu- 34.
ria, hospitij merces erat durissima diuexatio, &
citra omnem feritatem sæuitia; hic dæmonum
in homines furor: ardent homines deglutire,

 aut

aut saltem durissimè dinexare. Miserabilis hic cum esset dæmonum domicilium, pro domicilio inhabitabat sepulchrum: grauioréque morte ipsa vitam sustinere cogebatur: nam quos inuaserit mors, sensu dolorum priuat, & quos vita recreat, sepulchralibus fœtoribus non amádat; hic verò cætera mortuus solùm viuebat, quo ægrimoniæ suæ sensu torqueretur: reprimendo furori humana satis non erat industria,

Marc. 5. v. 3. & ferrea violentiæ cedebat sæpè catena: *Domicilium habebat in monumentis, & neque catenis quisquam poterat eum ligare: quoniam sæpè catenis, & compedibus vinctus, dirupisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare.* Extremæ huic calamitati Christus Dominus opem inuolat allaturus, & iam vel à longè sic aspectu frænat, vt ad pedes procumbens supplex adoret, qui paulò antè, & mortuos inquietabat, & viuentes deterrebat: *Videns Iesum à longè cucurrit, & adorauit eum.* Et quomodò tam citò dæmonum rabies sopita, quomodò procella sedata? Christus graue nondum comminabatur supplicium, & dæmoniacus velut deuotus adorat, & iam deposita feritate Dominica vestigia prehensat. Ecqua huius causa est? Reddit Basilius Seleucientis dæ-

Basil. Seleuc. monum nomine orat. 23. *Hominem cum videamus, velut à Deo tractamur, velut cœlo delapsus, non Nazaretho profectus flagra importas.* De aspectu trepidant, de oculis verberantur, & quibus mollia extiterant ferrea vincula, oculorum Principis ferre non poterát verbera. *Attendas,* scribit Chrysostomus apud D. Thomam, *inexpugnabilem virtutem Christi conquassat Sathanam, cui verba Christi sunt ignis, & flamma secundum quod Psalmista dicit: liquefacti sunt montes à facie Dei.* Christi facies facillimè absoluit, quod nec vincula, nec ferrei compedes potuerant efficere: vt noueris Principis, superiorisque præsentiam pro catena esse superbis, & virtutis pro calcaribus studiosis: in Principis adspectu iam adorat specie deuotus, qui absente Domino omnia turbabat vel compeditus. Adde aliquando si suam Princeps aut superior præsentiam subtrahat, nec miraculis posse absolui, quod de aspectu constat facillimè perfici.

Chrys. [illegible]

35. Prodeat Pharao, qui sæpiùs de libertate populi interpellatus opposuit peruicaciam, & incredibilem peruicaciæ duritiam: tenebræ lucem intempestiue euincebant, & Solis labor inutiliter consumebatur: liquor perspicuitatem sanguineis horroribus commutabat, ranarum agmina aures importunissimis clamoribus reseriebant: locustæ in modum nubium volabant; nec tamen nequissimus ille refractarius adduci potuit, vt sibiipsi consuleret, & Dei populum ablegaret. Tandem coactus est exeundi facultatem concedere; verùm qui longa adeò spatia in pertinacia consumpserat, nec breue tempus dicare voluit virtuti. Fugientes insequitur, & duriores pœnas procax ac furibundus minatur. Mare virga percussum vndis in se contra se obnixis fugientibus viam puluerulentam concessit, & Hebræus gurgitum profunda sicco vestigio calcauit: inusum adeò sæculis retrò prodigium effrænem Ægyptij insaniam cohibere non valuit; sed per medios vortices debita sibi

Exod. 14. v. 24. naufragia periturus irrupit. Quid tunc? *Ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum: dixerunt ergo Ægyptij: Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Ecce Domini aspectus facillimè obtinuit, quod Moyses tot miris non impetrarit: Respicientem Dominum fugiunt, quia de Principis aspectu temeritatis impediebatur audacia, & perculsa trepidare cœpit conscientia. Sanè Moyses fidelissimi ministri manus patratis miris gnauiter depugnarat, & pugnacissimè temeritas restiterat; id tamen discrimen est inter serui manum, & Principis visum, vt Princeps obtinuerit citissimè aspectu, quod minister nec longissimis interuallis manus. *Cum vigilaret* Interlin.
Dominus Deus, scribit Interlinearis apud Lippomanum, *ad custodiam populi sui, qui ante dormire videbatur, respexit in quarta custodia super castra Ægyptiorum.* Consonat Caietanus: Caietan.
Tanquam dissimulauerit vsque ad illam horam Deus supremus, describitur quod respexit illa hora ad castra Ægyptiorum: quia vsque ad illam horam permisit Ægyptios prosequi Israelitas: & tunc incepit aduersus eos operari. Nec Pharaonis duritia Principis non vereri potuit adspectum, nec remotis ad speciem oculis miraculosam ministrorum extimuit manum. Ergo prouidentissimus Iosue, dum legem, legisque cæremonias zelat, in Silo tabernaculum figat, vt de eius aspectu energiam sumpserit ministrorum studium, dum placendi Principi fouerint pectore desiderium.

---

§. VIII.

Diuina ritè non celebrantur solemnia de corporali solùm præsentia; sed de studiosa attentionis cura.

INiuriæ genus est mentali vagatione deserere, quæ corporali præsentia ostentaueris colere: 36.
parui æstimat animus, quem vagus mentis ad alia desertauit excursus: vmbratile obsequium est, quod deuotæ mentis non commendauit studium, dum variæ curæ inertem auocauerint animum; cadauerascit cultus de attentionis absentia, & de vagationis ignauia; verùm etsi magna omnia studiosæ solertiam attentionis requirant, Numinis tamen cultus potiori iure totum sibi vendicat animum, & deuotius religionis deposcit obsequium: est namque iniuriosæ depretiationis argumentum corporali solum honorare præsentia, & longissima abesse mentis distantia, quandoquidem quæ magna habemus, & studiosa diligentia tractamus: sedula circa pretiosa desudat ars, operosa defatigatur industria, & vigilantissima solitat obnoctare solertia. Deus spiritus est, & spiritu discupit adorari, vnde qui mentem subtrahit, pretiosiorem cultus partem subtraxit. *In Solis solemnibus*, scribit Plutarchus de Iside & Osiride, Plutarch.
Deum contemplaturi præcipiunt aurum corpore ne gestent, neve asino pabulum præbeant... Nihil Quæ Solis olim solemnia.
voluerunt solemnitatis intercipere studium, nec magna auro expressa, nec exigua iumento adumbrata: adulterat namque seruitium, qui dum exhibet, ad alia auocauit animum: in maiestatis vergit offensam intentam remittere curam. Hinc ad tabernaculi collocationis solemnia Hebræus

bræos sub Israëlis nomine prodit noster textus conuenisse: *Congregati sunt omnes filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij.* Non solùm publicauit aduentum, sed Israëlis etiam expressit titulum, vt constaret adstitisse non solùm corporali præsentia; sed animi intentissima cura. Israël namque interpretatur Deum videns: vt ergo dignum agnoscatur obsequium, & mentis proditur vigilantia, & refertur corporalis præsentia. *Filij Israel*, scribit Hugo Cardinalis, *sunt religiosi, qui sunt filij per amorem, Israel per cognitionem, vel certè filij per laborem actionis, Israel per visum contemplationis: hi congregati sunt mente, & corpore.* (Hugo.) Inanime præstitissent obsequiū de solo populorum concursu, si aut deuotionis deesset affectus, aut attentionis caligauerit visus; at dum attentionis litant studium cumulatiùs religionis honorauerunt obsequium. Vt noueris Numini cultum impendere de studiosa animi cura, non solùm de corporali præsentia.

37. Hanc in honorando solertiam, quo ab hominibus posset efficacius exigere, in hominis plasmatione Deus olim ostendit, dum ad exemplaris imitationem effinxit: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* (Gene. 1. v. 26.) Et cur qui cætera sine exemplaris expressione formauerat, hominem ad exemplaris imitationem ædificat, cælum profectò extendit, terram imperij sui columnis suffulsit, mare omnigenis ditauit piscibus, terram variis animalium honorauit generibus; aëris regionem pennatis adscripsit auibus, firmamentum luminosis astrorum depinxit floribus; nulla tamen ad similitudinem referuntur creata; sed nutu, aut potestate vocali condita; solus homo imaginis honoratur titulo, & imitationis gaudet priuilegio: *Ad imaginem, & similitudinem nostram.* (Tertuil.) Ecqua huius discriminis causa est? Reddit, vt assolet, ingeniosus Septimius lib. de resur. carnis cap. 5. & 6. Quæ ad imitationem non conduntur, animi intentum adeò sudasse studium nullatenus contestantur; at quæ ad exemplaris imitationem fiunt non solùm exigunt operantis manus industriam; sed vigilantem oculorum solertiam: speculatur intensissimè oculus, quæ coloribus linteo ad imitationem exprimat manus. Ergo Deus vt hominem cumulatiori nobilitaret honore, diuini exemplaris appellauit transumptum, quo constaret non solùm in eius fictione manus adlaborasse Industriam; sed & attentionis desudasse solertiam: nec enim si dubitaretur de animi studio, nobilitaretur homo satis de fictricis manus opificio. Deus animum ab operibus suis nullatenus subtrahere potest; in aliis tamen operibus noluit attentionem exprimi; cum in homine litteris curauerit commendari, vt disceret Numini reddere obsequium, quando in seipso Numinis legebat studium. *Magna sine dubio differentiæ ratio*, inquit Tertullianus, *pro conditione scilicet rerum.* Addit posteà: *Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis adfectione, quæ lineamenta ducebat: quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod & limus, & sermo caro, quod & terra tunc: sic enim præfatio patris ad filium: faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* In hominis structura laborat manus, vigilat sensus: vt nouerit Deum non solùm astitisse in eius dedicatione corporali præsentia; sed & mentis intensissima perspicacia.

38. Obtulit Abraham Deo sacrificium; sed importunæ volucres hostias defœdare pertinacissimè nitebantur: *Descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham.* (Genes. 15. v. 11.) Diuus Gregorius in his volucribus varias animum auocantes cogitationes intelligit: dæmon ergo non remouet à sacrificio Abrahamum, sed attentionis intercipere conatur studium, quia nouit vel plurimam hostiam diuinis oculis non placere, si constet mentem offerentis vagari. Audi Gregor. lib. 16. moral. cap. 19. *Sæpe in ipso orationis sacrificio importunè se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus: vnde Abraham cum ad occasum Solis sacrificium offerret, insistentes aues pertulit, quas studiosè ne oblatum sacrificium raperent, abegit.* (Gregor.) Dæmon altipetam capram, vaccam fœcundam, optimum arietem offerri non disuasit, nec Abrahamum dimouere curauit ab ara; gestiuit tamen, vt mentis abesset cura, quia nouerat Numinis maculari solemnia, si distet animus, quantumuis proximauerit corpus. Offerat plurimam hostiam Abrahamus, insistat aræ vicinus, dum tamen animi diuagetur conatus variis cogitationibus interceptus: tunc namque inanime exhibetur obsequium, quia attentionis victimam deseruit studium. O quàm plures inutiliter molestum sustinuere laborem, cùm laboris metere nescierint fructum: genu flexo ante aras sæpè procumbunt: sacris assistunt ritibus, & Numinis intersunt solemnibus, varias tamen nullatenus desinunt vaga peragrare regiones mente, dum templum occupant corpore: ibi non sunt, vbi sunt, & ibi habitant, vnde distant, & se quodammodò dissipantes, animum abstrahunt, corpus relinquunt. Abrahamus ergo deuotioni, & sacrificiis sacratus volucres mentis repressit excursus, quo deuotiùs sacrificij celebrauerit ritus: parum namque profuisset corporali approximari præsentia, & vagæ elongari mentis distantia.

39. Illi duo primi fratres sacrificium ad Numinis contestationem aris imponunt, Cainus de frugibus terræ, Abelus de optimis pecoribus: *Factum est post multos dies, vt offerret Cain de frugibus terræ munera Domino, Abel quóque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* (Gen. 4. v. 3.) Numen grauari aram Caini muneribus digno vultus fastidio ostendit, Abelis tamen hostiam placidissimo oculorum adspectu honorauit: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain verò, & ad munera illius non respexit.* Huius discriminis varias interpretes reddunt causas. (Rupert.) Abbas Rupertus lib. 4. in Genes. cap. 2. testatur ideò Abelis sacrificium placuisse, quia non solùm aræ victimam imposuit; sed cor etiam illigauit; Cain verò sic aris adstabat litans sacrificia, vt cordis tunc caducis, & temporalibus rebus simul sacrificaret studia. Sacrificium ergo, quod deuotionis non commendabat attentio, nec potuit placere, nec cæleste valuit Numen honorare, at sacrificium Abelis, quia animi vegetum cura, honoratum est oculorum Numinis respicientia. *Vterque, cui debuit, obtulit, & proinde vterque rectè obtulit;* sed

sed non rectè vterque diuisit: nam ille, Cain scilicet, cum Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat repositum habens in cupiditate terrena: huiusmodi portionem Deus non accipit; sed prabe, inquit, fili cor tuum mihi; at ille, vt iam dictum est, cor suum retinuit sibi, & fructus terra Deo obtulit. Porrò Abel primò cor suum, deinde rem suam offerendo plurimam hostiam per fidem obtulit. Abelus sic sacris solemniorum ritibus dicabatur; vt manus altaribus superponeret hostiam, & cor attentionis etiam dicaret curam; at Cainus vago abest corde, dum altaria grauat munere: parum ergo illi profuit, quando corde constabat distare, corpore sacrificiis assistere: attentio namque & voluntatis deuotio est sacrificiorum penna, quo celeriùs volarint ad astra. Inanime Caini sacrificium displicuit; imò & aras offensa non modica maculauit. Cor suum retinuit, rem suam obtulit: Abelus & rem obtulit, & attentionem dicauit.

40. Cùm magnus ille Elias terram fastidiret, cœlestémque regionem ardentissimè suspiraret, ab Elisæo industriè voluit disiungi, quasi vel vnius hominis consortium ascensus fuerit impedimentum: Elisæus re cognita sic studiosè magistri lateri adhæsit, vt nullatenus potuerit auelli. O quàm omnes ascendentem studiosè comitantur, quàm cadentem obliuiscuntur! Elias deuotionis præmium offert, & donum discipuli arbitrio committit: *Quid vis vt faciam tibi, antequam tollar à te?* Elisæus nobilis magistri informatus exemplis, etiam fastidiuit terrena: & quia illi non fas conscendere tunc in cælum, cœlestem ad se aduentare postulauit spiritum. *Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus.* Quid tunc Elias? *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti.* O vtilem nobis doctrinam! Satis non erat Eliæ ascendenti astitisse corpore; sed ad profectum opus erat animi studio: si Elisæus aliò aspectum dirigeret, corpore ibi esse parum prodesset, nec magistri ascensum corporalis honoraret præsentia, ni oculorum ascendentem comitata sit perspicacia. *Videbat & clamabat:* opportunum impetrationi erat vtrumque; clamor namque accendebatur de visu, & visus reluminabatur de affectu: inanis esset clamor attentionis viduatus studio: visus gratiam promeruit præsentiæ corporalis commendatus obsequio: anima Eliæ solemnitatibus, & sacris ignibus assistebat; manus antiquas vestes nudabat, & quidem nuditas commendabat visum, visus suaserat nuditatem; nam qui contemplantur cœlestia fastidiunt humana, & qui non fastidiunt humana nondum contemplantur cœlestia. *Vid. bat, & clamabat: Fuit reuelatum Eliæ,* scribit Lyra, *quòd si Elisæus eum videret in raptu, eius petitio impleretur, aliter non.* Orabat Elisæus, sed dum oratio mentis attentione non informatur, nec petitis clamore exerto perfruitur: aliò dirigere oculos orationis retardaret effectus; vox & oculus necessum est coëant, vt collatis viribus gratam vim Numini faciant. Oratio attentione destituta rogato extitisset offensa, quandoquidem constabat aliquomodo depretiari, quem animi vis non curabat revereri.

4. Regum 2. v. 9.

Lyra.

41. Abner Principis adstabat tentorio, somno tamen correptus non modico Principis detrimento obdormiuit, quod Dauid acri increpatione sugillat: *Ait Dauid ad Abner: Numquid non vir tu es? & quis alius similis tui in Israel? quare ergo non custodisti Dominum tuum Regem?* Abner non subtraxit corporis assistentiam; sed animi vigilantiam: adeóque præmio non censetur dignus, vt mortis supplicio videretur mulctandus. *Non est hoc bonum quod fecisti: viuit Dominus, quoniam filij mortis estis vos.* Magna sanè regi inferebatur offensa, quando in adstante desiderabatur animi cura: quid interest Abner regali tabernaculo corpore fuerit vicinus, quando animo nullatenus erat proximus. Adstabat; sed somno immersus: adstabat; sed ignauia sopitus: adstabat; sed oculos dicans ignauiæ: adstabat; sed debitæ offensam inferens reuerentiæ: satius esset corporali distare absentia, si absuturus & animi fuerat cura: regi assistere, & oculos somno tradere est maiestatis offensa, & dignitatis iniuria: *Doleo,* aiebat Bernardus serm. 7. in Cantica, *proinde aliquos vestrum graui in sacris vigilijs deprimi somno, nec cœli ciues revereri; sed in præsentia Principum tamquam mortuos apparere.* Mortui apparent, qui animi studium remittunt, cùm sacris, aut orationibus intersunt: nec merentur de assistentia gratiam; sed incurrunt de ignauia mulctã.

1. Reg. 26. v. 15.

Bernard.

§. IX.

Humana solerter tractanda; sed diuina diligentiùs ferenda.

Hic apud homines frequens error solicitiùs tractare humana, & oscitantiùs diuina: 41. magnatum terunt limina, crudis, & indigestis salutationibus gratiam sibi potentium conciliare satagunt, & vt suæ cupiditati carè adulentur per asperrima & contumeliosa gradiuntur: seria magno pretio digna aut oscitanter tractantur, aut quod peius est, contemnuntur. Propter volaticum gaudium libertatis & lætitiæ ambitiosus priuatur commodis, & sui ipsius dispendio anhelat auarus copiosis diuitiarum exundare crementis: cœlestia minus mouent animum passionibus fascinatum, & de vsu fastidiendi salutaria ad errorem & ignorantiam vsque perductum. Quo solet ingenio arguit Gnosticos Tertullianus apud quos & volaticam gloriam dispendio etiam salutis & vitæ exambire laudibus celebratum; ob religionem tamen subire labores vilissimum. *Pictes ipse,* scribit aduersus gnosticos, cap. 6. *non queritur, dolere se non vult, corona premit vulnera, palma sanguinem obscurat: plus victoriatum est, quàm iniuriatum. Hinc tu læsum ex stimabis, quem vides lætum; sed nec victus ipse de agonotheta casum suum exprobrabit, Deum dedecebit artes & disciplinas suas educere in medium in hoc sæculi spatium, in spectaculum hominibus, & Angelis, & vniuersis potestatibus?* En adeò humanum obscuratur iudicium, vt extollat pertinaciam in sustinendo liuores, cruores, vibices ad negotiationem euanidæ coronæ, ad priuilegia publica, ad ciuica imaginis stipendia, ad statuarum erectionem, & ad quidquid potest præstare de fama æternitatem, de memoria resurrectionem: cùm non licere asseras error vitam exponere, aut sanguinem fundere pro vera æternitate, pro salute propria, pro præstanda Numini gratitudine. Verùm etsi amentia hæc apud plures cupiditatibus impeditos, & passionibus prorsus obcæcatos viguerit, apud cordatos tamẽ, &

Tertull.

& rationis trutina res ponderātes humana decēti tractantur cura; sed diuina diligentiori solertia. Seneca. *Quæ sensibus seruiunt nos irritant, & efficacius accendunt.* *Quid ex istis traham*, aiebat Seneca epist. 59. *quod cupiditates meas comprimat? Vel hoc ipsum quod omnia ista, quæ sensibus seruiunt, quæ nos accendunt, & irritant, negat Plato ex his esse, quæ verè sint. Igitur ista imaginaria sunt, & ad tempus aliquam faciem ferunt: nihil horum stabile, nec solidum est, & nos tamen cupimus tanquam semper futura, ac semper habituri imbecilli fluidique per interualla constituimus. Mittamus animum ad illa, quæ æterna sunt.* Ad æterna mittunt prudentes animum, caduca, & fluida solùm prout ratio dictat, sequuntur, & quatenus possunt virtutibus inseruire, sectantur. En Israëlitæ conueniunt solerti studio, & alacri deuotione, vt Domini tabernaculum figant, & religionis vtilissimas curas foueant. *Congregati sunt omnes filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij.* Quò stata in sæculum, formáque cæremoniarum, cultúsque diuini obseruantia innotescat, fixum dicitur tabernaculum, & ad hoc omnes tribus conuenisse, & quodammodò studio pietatis certasse. *Congregati sunt omnes filij Israel.* Hoc ipso tempore reprehendit Iosue nonnullarum tribuum ignauiam, quasi paruipendant ditissimas possessiones adire, & amœnissimas regiones intrare. *Vsquequo marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis.* Mira res: ignauia marcent ad occupandam terram, cùm solertia gestiant fœderis fixisse arcam: non laudo ignauiam; in hoc tamen leuiori periculo erratur, & quidem si aliquo modo exorbitandum, conducibilius est, ignauè tractare terrena, quàm oscitanter diuina. O quàm Dei populus probabatur electus, quem opus erat ad terrenas, temporaléſque commoditates vrgeri; cum necessarium non fuerit ad Numinis cultum, ad religionis negotium adhortationibus cogi. Lyra. *Non erant benè diligentes*, scribit Lyra, *ad habendum portiones determinatas*: ad hoc non erant benè soliciti; ad tabernaculum tamen Domini statuendum nullatenus sugillabantur ignaui: vt iam ipsa ignauia vtilissima nobis fuerit doctrina: scilicet humana leuiùs tractanda, & diuina solicitiùs semper agenda.

43. Cum parentibus nostris largus liberalitatis diuinæ fons de inexhausta munificentiæ scaturigine vltra humanæ cupiditatis metas propinaret beneficia, & potioribus obscuraret muneribus munera, ad inuidiam excitatus est dæmon, & odij ac maleuolentiæ quasi alternantibus æstibus repercussus sub officiositatis specie odium tegit eo pestilentiùs, quo industriè occultiùs. Candida Euæ simplicitas serpentinæ versutiæ inexperta fidem præbuit dolosis machinationibus, & grato adulationis vase pestifera venena ebibit, sibíque, & filiis vitam abscidit: misero statu ad commiserationem mouent, qui paulò antè inuidiam felicitatis facibus inflammarant: iam extorres, iam exules, iam nudi, qui nuper, & Principes, & innocentiæ vestitu ornati. Nec solùm priuantur paradiso; sed & paradisi spebus: & licèt felicitas prorsus non excluserit casum, casus occlusit penitùs
Gen 3 v. 24 paradisum: *Eiecit Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Cherubim fulgentissima luce claret, dum refractarios ardenti gladio deterret: lucem Cherubinum versus eiaculatur gladius, ne careret præmio obsequium, & afferret gloriam incussum digno duplicium. En Cherubim vnus tot diuitiis custos apponitur; transi modò ad Isai. 6. vbi geminus Seraphim multiplicibus pennis veluti profundis vallis thronum muniunt, & temeritatis audaciam reprimunt: Isai 6. v. 2. *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Sibi faciem non velant; imò sedulè inter profunda volitant sacramenta, & felicissima lucis fluctibus patiuntur naufragia: quia constat nihil capacitatis mansisse vacuum, quandoquidem alis arcere conantur excessum. Bernardus serm. 5. de verbis Isaiæ, duos Seraphinos asserit constitutos ad dæmonis reprimendam audaciam, ne impuro aspectu cādidissima luce fulgentis throni maculauerit gloriam: Bernard. *Quid enim æstimare vetat deiecto lucifero ad peruigiles excubias Seraphim constitutos, sicut eiecto homine teste Scriptura Cherubim ad custodiam posuit Deus: nec incongruè forsitan Cherubim flammeus traditur gladius, vt à ligno vitæ incisio pariter, & incensio, quibus nihil carni terribilius manum prohibeant corporalem. Porrò Seraphim tantum alas accipiunt, quarum velamine arceant oculum spiritualem. Denique duabus*, inquit, *velabant caput eius, & duabus pedes, vt nec alta Dei, nec profunda eius in quo ille valeat contemplari.* Benè; sed si paradiso vnicus adhibetur Cherubim, cur & throno non adhibeatur Seraphim vnicus? aut si duo Seraphim throno, quidni & duo Cherubim paradiso. Profectò hominis audacia, ambitionis temeritas, deliciarum cupiditas ipsa solet pericula contempsisse, & per hostilia arma temeritate inuolasse: nescio an audacior dæmon, an aliquando peruicacior sit homo. Ergo custodia paradisi augeatur, quandoquidem non minor humanæ temeritatis insania, quàm diabolicæ audaciæ amentia. O vide: alibi terrena custoditur paradisus, alibi Numinis thronus, alibi spiritualia curantur, terrena alibi præmuniuntur: vtque noueris quidquid ad virtutem spectans solertiùs, & accuratiùs tractandum throno custodia adhibetur gemina; paradiso verò vnica. *Seraphim alas accipiunt, quarum velamine arceant oculum spiritualem:* Vt qui natura spiritus, & vitio diabolus, arceatur, duo Seraphim senis alis decernuntur instructi, vt paradiseæ illesæ adseruentur deliciæ, vnus Cherubim gladio deterret armatus.

Ezechiam pestilens morbus aggreditur, morbi anxietatibus non potuit mederi purpura, nec 44.
mortis pericula imperialis arcere fascia: obtinuit tamen lachrymis, quod non potuerat diuitiis, & pœnitudinis officina procudit sibi salutem, qui de ingratitudine, lue sanè hominibus familiarissima contraxit infirmitatem. Isaias Solis cursum regis committit arbitrio, an malit immaturum occasus intrare sepulchrum, roseumve Orientis repetere exordium. Rex prudentissimus noluit aliorum vitæ dispendio suæ prouidere saluti; sed aliis vitæ producere spa-
tia de salute sibi concessa: *Reduxit vmbram per lineas, quibus iam descēderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.* 4. Reg. 20. v. 11.
Conferamus portentum

tum hoc cum illo Iosue 10.nam cum Gabaonitæ ad Hebræorum religionem transissent, séque illorum arbitrio mancipassent, circumuicinæ nationes coactis armatorum agminibus acerrima bella tentant, terroribúsque ac discriminibus vehementer angustant: opem tulit proselytis Iosue, & retrò sæculis inuiso prodigio Solis rapiditatem stitit, ac Lunæ anhelos equos tar-
Iosue 10. v.12. dauit: ***Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steterúntque Sol, & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.*** Si pro regis salute luminarium retrocessit alterum, cur pro Gabaonitis hæsit firmamento geminum? Gabaonitæ iam Hebræorum seruitia, iam potentia nudi, & antiqua quodammodo libertate priuati. Ezechias rex potentissimus purpura collucens, & diadematis lapillorum lùminibus fulgurans; ergo maius regi debebatur obsequium, & celebrius patrandum erat miraculum: cur ergo Isaias non geminum luminare in regiæ salutis tesseram adducit, aut Iosue illorum alterum in auxilium bellorū sistit? Quia alibi religionis agebatur causa, alibi regalis protelabatur miraculo vita; vtque scirent homines vel præ regali salute, quæ ad fidem & religionem salutaris tractanda, alibi Sol & Luna si-
Glossa. stuntur; alibi tantùm Sol tenoris oblitus Orientem repetit, & nouum iubar effundit. *Hic de*[illegible] *Iosue contra quinque reges Amorrhæorum*, scribit Glossa moralis: *per quos intel*[illegible] *quinque sensus corporis pugnantes con*[illegible]. Consonat Adamantius
Origen. Origenes homil.11. in Iosue: *Dum ergo paterna præcepta complentur, & Ecclesia crescit, & plenitudo gentium intrat; vt tunc demum omnis Israel saluus fiat, dies producitur, & differtur occasus, nec vnquam Sol occumbit; sed semper oritur, dum credentium cordibus Sol iustitiæ lumen veritatis infundit.* Vbi religionis negotium geritur, & mirabilius patratur prodigium; vbi verò salutis humanæ tantummodò studium non adeò eximium miraculum. Vt discamus pluris diuina æstimare, & minoris humana habere. O tempora, o mores! Non semel ab imperitis pretiosiora conculcantur, & auidissimè terrena complectuntur.

45. Iacob nullum laborem fugitat, vt Rachelis venustate sinu, in quo ardebat amoris flamma, vt ipsis impedimentis cresceret innutrita, &
Genes.29. v.20. ipsis difficultatibus vinculis micaret aucta. *Videbantur*, inquit, *pauci dies præ amoris magnitudine.* Molestus adeò hic labor præmium tulit fallaciam, & horridæ hyemis niues, & torridi æstus ardores mercedem accepere impostu-
Genes.31. v.40. ram: *Die noctúque æstu vrebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Tot laborum fluctibus, tot ærumnarum vorticibus nec flamma potuit extingui; imò nec tantisper sopiri. Alibi familias pater conductos operarios in cælestem adducit vineam, præmio labores emolliente, &
Matth 20. v.11. stipendio laborum molestias indulcorante: *Accipientes murmurabant aduersus patrem familias dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus.* Diem tantum in vineæ cultura ponunt, noctu quiescunt: præmium statim accipiunt, & nihilominus patris liberalitatem serpentina lingua abrodunt: quasi exiguam mercedem improbus ac molestissimus sudauerit labor, & deuicerit longè laboris sudor: non compulit illos disertissimus pater noctibus laborare, pro vnius diei spatio amplam mercedem largitus est, tulerunt caloris æstum; sed rigorem gelu ignorarunt; cúmque Iacob noctu diúque laborans æstu gelúque vexatus, Rachelis pulchritudinem augustius longéque laborem superans arbitratus sit præmium. *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*; operarij se nimis defatigatos queruntur, & ingenti adhuc præmio remunerati laboribus immodicis exiguam mercedem obtinuisse arbitrantur; ita apud homines maximi habentur caduca, ita depretiantur æterna. ***Potest quæri***, scribit Gregorius apud Grego. D.Thomam, ***quomodo murmurare dicti sunt, qui ad regnum vocantur.*** Ipsa quæstio est meo iudicio responsio: murmurant, quia vocantur ad regnum: quia vel vnius diei labores, & molestias nolunt perferre pro regno, cùm annos plurimos posuerint pertinacia infatigabili pro mendacio: ea studiosè curant, quæ sensibus facata placent, ea oscitanter quæ animi virtutes promouent. Ergo operariis vnius diei æstus intolerabilis videtur pro regno, Iacobo pauci videntur dies pro fallaci venustatis illicio.

---

§. X.

Augustius Numini obsequium, grandius virtutis cælestis illicium, durius gubernalis curæ tormentum non est affluens populorum frequentia; sed amica animorum concordia.

VNum politico ex illis, quæ eius officij sunt, scribit Plutarchus in præceptis polit. *reli-* 46. Plutarch.
quum est, quo nullum est bonum aliud excellentius, vt concordiam semper constituat, amicitiamque inter ciues suos mutuam: Vnum & ego Nullum maius concordia bonum.
Christiano, & religioso viro, quod eius muneris est, bonum dixerim, concordiam: hac enim Numinis in nos ostentamus imaginem pacis penicillo depictam, & cælestibus semper cognatam: pax Trinitatis vinculum, concordia sacratum personarum elogium: *Ego, & Pater,* Ioan.10. v.30.
aiebat Christus Dominus, *vnum sumus.* Naturæ nexu arctissimo copulati æternum florent, & sine immensæ felicitatis discrimine fulgent. Ergo vbi naturæ diuinæ characterem concordiam spectant, Trinitatis personæ honorant. Pax Sacrosancta cælestibus ara, & lucrosa semper humanarum ac diuinarum facultatum vsura: *Concordia*, aiebat Agrippa apud Senecam epi- Senec.
stol.95. *paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.* Vel exiguum Deo oblatum munus de amicitiæ fœdere crescit, & de flore concordiæ lucet: ritè sacra peraguntur solemnia de pacis vinculo, & de vnionis sacramento. Confluens hominum copia, & exundans populorum caterua votis suis contrariantur, ni vinculo pacis ligentur, Deo gratior ara concordia est, & quod pax non commendauerit sacrificium, Numinis non meretur adspectum. Iosepho felicitatem protendit, non spica ab aliis seiuncta; sed manipulus illigatus, vt vnio stabiliret fastigium aduersus amés multorum odium. *Grues*, Cassiodor.
aiebat Cassiodor.9. variar 2. ***moralem nouerunt exercere concordiam, inter quas nullus primatus quæritur,***

Grues se diligendo muniuntur. *quertur, quia iniquitatis ambitus non habetur: vigilant vicissim, communi se cautela custodiunt; ipse pastus alternus est, sic honor nullis adimitur, dum omnia sub communione seruantur. Is etiam volatus vicaria æqualitate disponitur, vltima fit prima, & quæ primatum tenuit, esse posterior non recusat. Sic quadam communione sociata sibi sine regibus obsequuntur, sine dominatu parent, sine terrore famulantur. Voluntariè seruiendo liberæ sunt, & inuicem se diligendo muniuntur.* Ad æthera tendunt vnitæ, & metu periculorum exemptæ. Cæleste nobis firmatur auxilium, vbi cælestis pacis, concordiæ relucet instrumentum. Fixum stabiléque testimonij refertur tabernaculum, vbi Israëlitæ conuenerunt non tam loco, quam studio: *Congregati sunt omnes filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij.* Et cur hic præ aliis locis refertur fixum, & iam quodammodò æternum: *Ibi fixerunt tabernaculum testimonij*, scilicet vbi conuenerunt non solùm corporali præsentia; sed animorum concordia. Prodest Hugo Cardi-
Hugo. nalis: *Congregati sunt*, inquit, *mente, & corpore*: nec enim rite celebrarentur solemnia de frequenti hominum copia, ni commendasset conforme animorum studium, & idem omnibus desiderium.

47. Cum Gedeon lætissimum ab Angelo nuncium accepisset sacrificio gratitudinem suam testatus est: aram cæleste victoriæ pignus con-
Iudic. 6. v. 24 struxit, & titulo pacis nobilitauit: *Ædificauit ibi Gedeon altare Domino, vocauitque illud, Domini pax.* Et quid super altare hoc Deo oblatum benignum eius non promereatur affectum? illustris ara, & cælo semper iucunda, quam pacis [illegible], & concordiæ nobilitauit affectus. O quam aduersis potestatibus exitialis hæc ara! non potuit augustius haberi victoriæ auspicium, quàm pacis concordiæque sacramentum. Huc voco Bernardum lib. de modo
Bernard. benè viuendi serm. 41. *Magna est virtus concordiæ apud Deum, sine qua non placent Deo nostra sacrificia, quibus delentur peccata.* Hostes gehennales facilè vincuntur concordia, quia oblata pacis ara diuinam opem impetrant: facillimè sacrificia, de pace accipit commendationem oblatio, de concordia. Numini gratior est cultus: ergo ara quam Gedeon victoriæ erigit auspicium, & placati iam Numinis argumentum, pax dicatur, quia de pace refloret vel paucissimis triumphus, vt de discordia vel pluribus fatalis imminet casus.

48. Redeat iterum Gedeon: cùm iam copiosam militum manum contraxisset, ad aquásque descenderet sitibundus exercitus, vndis diuerso modo potatur: alij namque curuatis genibus bibunt, alij canum adinstar sitim potius temperant, quàm extinguant, iubétque Deus hos trecentos solum viros in aduersarios armari,
Iud. 7. v. 7 cæteros castris depelli: *In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, tradam in manu tua Madian.* Et cur manus adeò numerosa contrahitur, si emittenda, aut cur emittitur, si contracta? Certè in aquarum potatione magna partes [illegible] rimantur: ego sic ad mores velitor. Alteri exercitus pars ab altera discordabat: si ergo vtraque prodiret in campum, aut esset hostili furori victima, aut tergo aduersariis mucronibus impressa omnes infamaret nota. Non poterant vincere, quos conflabat actio-

nibus dissidere; altera ergo pars concordia armata quantumuis exigua, reportauit de [illegible] victoriam, & innumeris attulit aduersariis ruinam. Redeat etiam iterum Bernardus citato lo-
co: *Nihil est quod Diabolus tantum timeat quam vnitatem concordiam, & charitatem: nam si omnia quod habemus damus propter Deum, hoc diabolus non timet: quia ipse nihil habet: si ieiunamus, hoc diabolus non timet, quia ipse nunquam dormit; sed si charitatem, & concordiam tenemus, hoc diabolus vehementer timet.* De concordia hostibus reddebantur terribiles, qui de numero satis pauci: si vtráque exercitus pars prodiret in campum; periret bello, quia discordabat studio. Adde: pacem, concordiámque non solùm gehennalium virium esse venenum, sed faustum cælestis columbæ aucupium. *Petrus [illegible] Diabolus non tam ieiunium extimet, quàm concordiam timeat [illegible].*

Iam Christus Dominus astra ascenderat, iam inferna irremediabilibus gemitibus vlulabant, 49.
cùm Apostoli cælestis Pneumatis desiderio in
eadem domo conuenerant. *Cum complerentur* Actor. 2. v. 1
dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco. Cum in sacra Scriptura nullum [illegible] supersit verbum: hîc nobis aliquod quærendum arcanum: *Pariter*: inquit, *in eodem loco.* Certum erat pariter habitare, si ad eandem locum omnes constabat confluere. Illud ergo *pariter* videtur superuacaneum quando de loci vnitate constat expressimè: nec enim in eodem loco esse poterant, & non pariter. Imo vt [illegible] inquit Hugo Charensis de [illegible] 18. [illegible] pariter illicium non tam esse numerorum ad eandem partem concursum, quam concordem animorum consensum, illo verbo *pariter* priùs expressit morum concordiam; deinde in eodem
loco præsentiam. *Erant omnes [illegible]*, Hu- Hugo.
gonem audis, *congregati pariter [illegible] loco; pariter concordia voluntatum, in eodem loco.*
Adstipulatur Bernardus sæpe laudatus. *Nihil* Bernard.
prodest, si nos contineat vna domus, & [illegible] voluntas diuersa. Hos diligit Deus [illegible] animi, quàm loci. Non poterat cælestis non descendisse columba, quam alliciebat concordia: parum esset ad habitaculum idem confluere, si obstinato animo dissidere.

Cum Iacobus iram fratris fugeret nocte im- 50
peditus, & labore itineris fatigatus somno fessos recreare artus decreuit: lapides capiti pro
ventose turgentibus puluillis subiecit: *Tulit de* Genes. 28.
lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo v. 11.
dormiuit in eodem loco. Hic Deus cælesti aspectu peregrinum dignatur, Angelorum locum commercia nobilitant, & veluti cælestium missionum nundinæ faciunt. Iacobus mane surgens erexit gratitudinis columellam. *Surgens ergo Iacob mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper.* Antea dixerat: *Tulit de lapidibus*; modò lapidem capiti supposuisse refertur. Et quomodò plures vnus, aut vnus plures. Cur sacrificium offert lapide, qui caput reclinarat lapidibus? Vnum erigit gloriæ, cùm plures elegerit sarcinæ. Certe arcano mysterio, si credas Rabbinis [illegible] vnum erexit, & capiti plures supposuit: nam qui ante plures iam sic in vnitatem coaluerant, vt pluralitatem respuerent, & aram vnicam efformarent. *Secundum Iudæos* inquit Abulensis, *licet* Abulens.
plures lapides posuisset, omnes tamen [illegible] miraculose redierant, & erexit in titulum, id est, in memoriale, quod Deus ibi apparuisset,

ei: & vt in futurum locum sacrum ibi constitueret. O quàm ritè Numini ibi dicabantur solemnia, & sacra erigebantur altaria, vbi concordiæ vigebat studium, & vnitatis miraculum. Lapides illi dum in vnum miraculosè conueniunt, sacris mysteriis aptantur: gratum erat absque dubio Numini sacrificium vnitatis ara dicatum, & de concordiæ altari cælo transmissum: ibi Angelorum nobilis conuersatur frequentia; ibi ampla honestáque decimarum vsura, ibi posteris promissa victoria, ibi contra irruentes aduersariorum assultus opportunior tutela: quia ibi inter plures pacis, & vnitatis concordia.

51. Psal. 127. v. 4. Vt Psaltes cælestis mensæ sub ænigmate dignũ edoceret homines cultum: *Filij tui*, inquit, *sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Et cur non sicut alterius arboris nouellæ, cur non sicut mali surculi? cur non sicut vitis pompaticæ brachia? Quia oliua, inquit Incognitus, pacis & concordiæ ænigma: illi ergo sacræ mensæ [illegible] solemnia celebrant, quos & concordia nobilitat, & pax virore immarcescibili adornat. Oliua [illegible] despicit, virorem semper conseruat, [illegible] Numinis symbolum, & lignum [illegible]: hi ergo decorè cælestem mensam [illegible], quos eadem radix concordiæ [illegible] ligat. *Notandum quod per oliuam [illegible] significatur pax, & vnitatis concordia.* [illegible] paulò: *Oliua pacem significat: quia charitate est, sine qua nulla pax esse potest, & hi filij [illegible] mensæ tuæ: quia satiantur mensa [illegible].* Nouellæ oliuæ eandem constituunt arborem, quantumuis numero plures: vna illarum [illegible] qua vniuntur, numerus varius, quo [illegible] illi ergo cælesti mensæ ritè adsistunt [illegible], qui oliua nouellarum assimilantur natura, vtpote quos concordia ligat, & stabilis [illegible]. Parum intererat ad eandem [illegible] consistere, illamque studiosissimè ambire, [illegible] vinculo vniri, & vnione semper [illegible].

52. Ezech. 1. Sanct. Clarè [illegible] thesim hanc Ezechiel ænigmatica illa quadriga, eidem iugo nobiles ceruices subdebant; [illegible] tamen sic vnum ad alterum ligabatur, vt potiùs ala alæ videretur inserta, quàm [illegible]: *Duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum: pennas* [illegible] animalis, sed diuersorum coniungi [illegible] noster Sanctius ad hunc locum: *Quod [illegible] coniunguntur, diuersorum sint, modus [illegible] apertè declarat.* Sed videamus quid [illegible] fuerit alas coniungi, quando animalia [illegible] iugo gloriosè constabat premi? Satis [illegible] eidem inseruire loris, quin iungerentur [illegible] alis? Profectò in alis depingebantur affectus: vt ergo noscas diuinam gloriam non ita celebrari dum plures eidem conueniunt loco, quàm dum honesto vniuntur studio: idem iugum animalia iungit loco, & ala concordat affectu. Et fortè ni vnirentur pennæ pace concordes, iugum aut inutiliter portarent, aut excussissent ceruices. Adest Rupertus lib. 1. in

Rupert. [illegible] cap. 8. *Omnes isti [illegible] iunguntur, & concor[illegible].* Concorditer [illegible], dum iunguntur. [illegible] quidem [illegible], quantumuis [illegible], nisi animalia, & alas [illegible].

§. XI.

Mirum est plures ad virtutis officia spontaneos inuolare, & à voluptatibus vel coactos aliquando recedere.

FErè innatum homini est suspirare nociua, & respuere fastidiosissimè salutaria: sic ab æquitate, rationéque exorbitamus, & venenis auidissimè inhiamus, nec iam singulariter sectamur vitia; sed veluti communi consensu, & vniuersali suffragio. *Passim vagamur*, aiebat 53.
Seneca de vita beata cap. 1. *non ducem secuti; sed fremitum, & clamorem dissonum in diuersa vocantium.* Conteritur vita inter errores: ducem sequi detrectatemus, clamorem dissonum, & multorum fremitum sequimur: de industria ad virtutem limitem scire nolumus, ad vitiorum prærupta cæcissimè currimus: versat nos, & præcipitat sitibunda vitiorum hydrops, nunquam erroribus saturata, & semper virtuti aduersa. *Nihil magis præstandum est*, Stoicum audis, *quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quo eundum est; sed quo itur.* Gregatim currimus ad voluptatum fallacias, & ad fucatas sensuum delicias: si voluptatis non inueniatur fomentum, marcebit honestatis prorsus studium: voluptate alliciente confluit populus, & frequentissimus est ad oblectamenta concursus. Audi huius veritatis expertam: *Trahe me*, aiebat Sponsa, *post te: curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vbi pura vocabat honestas, sola inuenitur Sponsa; imò, & Sponsa sequitur tracta: *Trahe me post te*; vbi verò iam sensuum oblectamenta, & fragrantia vnguentorum illicia, plures accurrunt celeri gressu; imò pernici satis volatu: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Innuit Bernardus serm. 21. in Cantica. *Trahe quodammodò inuitam, vt facias voluntariam: trahe torpentem, vt reddas currentem; erit quando non indigebo tractore, quoniam voluntariè, & cum omni alacritate curremus. Non curram ego sola, etsi solam me trahi petierim: current, & adolescentulæ mecum curremus pariter, curremus simul ego odore vnguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo, atque hortatu, ac per hoc omnes in odore vnguentorum tuorum curremus.* Vbi redolens vnguenti suauitas sensus recreat, vbi fragrantia suauitatis prorítat, plures accurrunt, vbi mera honestas sola sponsa ducitur, imò torpens quodammodò trahitur: sic mortales sensuum suspirant lenocinia, sic honestatis fastidiunt sæpè seuera. Hinc mirabar Hebræos omnes ad tabernaculi collocationem coaceruatim confluxisse, & certatim quadamtenus inuolasse. *Congregati sunt omnes filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij.* Religionis causa conueniunt: & quidem egregia illorum probatur virtus, dum confluunt sincero cultus desiderio, & religionis studio. *Filij Israel*, scribit Hugo, *sunt religiosi, qui sunt filij per amorem, Israel per cognitionem, vel certè filij per laborem actionis, Israel per visum contemplationis: hi congregati sunt mente, & corpore.* Religiosissimi probantur, qui ad virtutis opera associati confluunt: cum ferè semper vnus aut alter iam virtuté colat, ad vitiũ verò copiosa cateruа currat.

Senec.

Cant. 1. v. 3.

Bernard.

Hugo.

Nato

54. Matth. 2. v. 2. Nato Domino Magi inuolant sydereo iubare allecti, & fulgentissimæ stellæ splendoribus incitati: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam dicentes: vbi est qui natus est rex Iudæorum: vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Chrysolog. Chrysologus quo solet acumine multa in hoc aduentu profunda adinuenit mysteria: *Plus cæleste de magis*, inquit serm. 156. *quàm de stella signum est: quod Iudæa Regem, quod legis auctorem Magus scit, nescit Iudæus, Chaldæa defert, non defert Iudæa.* Et quod de magis miraculum: tres scilicet cucurrisse, vt legis venerarentur auctorem: mirum adeò non fuit nouo exoriente Sole recens etiam sydus micare; at Magos concordi assensu inuolasse adeò nouum, ac peregrinum, vt grandius iure Chrysologus deprædicarit miraculum, & sæculis inuisum retrò prodigium. *Plus cæleste de magis, quàm de stella signum est: quod Iudæa Regem, quòd legis auctorem magus scit.* Iam vnica stella veritatis demonstrat viam: *Vidimus*, inquiunt, *stellam eius*: cùm astra plurima errori occasionem procuderent, & quodámodo ad falsitatem dictarent: *Chaldæos*, præmiserat antea Chrysologus, *siderum scrutatores errantes per astra Magos, cæli meatus in tenebris noctium perquirentes nascendi, moriendi causas stellarum cursibus adscribentes, [illegible] hominum de [illegible]. Euangelista hodie ortum Christi absconditum [illegible] docuit [illegible].* Vnica stella veritatis itinere graditur, plures cæcis erroribus præbuere materiam: non ducunt Magos stellæ plures ad veri Numinis cultum, nec vnica ineuitabile persuasit hominibus fatum: *Errantes per astra magos [illegible] Christi absconditum sæculis stella duce docuit [illegible].* Ad errorem plurima spectantur astra, ad veritatem vnica stella: vt de mundi stylo noueris nec plures ad virtutis inuolare lucra, nec vnicam ad erroris cucurrisse venena.

55. Gen. 19. v. 1. Lothi familiam crepitantibus iam flammis cælestis eripuit misericordia, vt cumulatè compensaret hospitalitatis officia. *Venerunt duo Angeli Sodomam.* Necessum fuit Angelicos faciei vultus ostendere, quo facilius Lothum, eiúsque familiam ingruentem iamiam flammarum procellam suaderent effugere: nam ni cælestes nuncios credidissent, illorum monita paruipenderent; imò post crebras vrgentissimásque adhortationes sic paradiseis illis deliciis Lothus detinebatur allectus, vt penè non fuerit eductus, sed quodammodò violenter extractus: *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus illi; eduxerúntque eum, & posuerunt extra ciuitatem.* Satis non fuit patris apprehendisse manum, vt familia reliqua sequeretur; sed opus fuit quemlibet manu extrahere, & omnes vt pericula frustrarentur, vrgere. Rupert. Adest Rupertus apud Lippoman. *Amœnitate Sodomorum tenebatur, & irriguis pœna paradisiacis arnis, idcirco quasi non satis intelligeret quod dicebatur; cum percelleretur nuncio instantis periculi dormientes oculos, & amore diuitiarum pressos auertebat à lumine præsenti.* Diuitiæ oculos cæcãt. Chrysost. Consonat Chrysostomus ibi: *Angeli volentes eorum alacritatem roborare manum eorum apprehendunt, & educunt foras.* Vt leones iusto parcerent, satis fuit Angelum vnicum descendisse: Dan. 6. v. 22. *Misit Dominus Angelum suum*, inquit Daniel, *& conclusit ora leonum*: Huc geminus inuolauit spiritus, quia non à leoninis rictibus liberandi; sed à deliciis voluptatibúsque Lothus, & filiæ extrahendi. Mira res: plures scilicet periculorum euasisse minas, & ignium frustrasse flammas: *Angeli volentes eorum alacritatem roborare, manum eorum apprehendunt, & educunt foras.* Mira res: plures conuertisse vel vrgentibus Angelis, vt salutis asylum peterent, & charas voluptates relinquerent: est enim [illegible]solitum plures vel coactos renunciare deliciis, vt spontaneos studere virtuti. Adde ferè semper aliquod impedimentum opponi, ne plures concorditer sequantur virtutem, nullum tamen inueniri, si allexerit lucrum, aut temporale inuitauerit commodum.

Demortuo Lazaro vitam infundere properat Christus Dominus verè amicus: & quidem inde probatur, vnde cæteri ferè semper effugiunt, omnes, dum fortuna arridet, gratis adulationibus plaudunt, omnes dum spes lucri, amicis certatim assistunt; si tamen calamitas opprimat, aut aliqua necessitas corporalis adurgeat, corrumpunt conscientiam in dissimulationem, ac ignorantiam affectant in euasionem: Christus verè amicus, & veræ amicitiæ norma vitam contendit refundere, non lethale somnium fouere, Apostoli quia laborem refugiebant, periculi minas repræsentabant: *Dixit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Periculum opponunt, aduersariorum odium in medium adducunt, ne excitatum Lazarum tendant, & quidem opus fuit intrepida Thomæ adhortatione vt alacriter viam arriperent, nec magistrum meticulosè desererent. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Dydimus ad condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Adhuc post condiscipuli adhortationem, adhuc post magistri exemplum discipulos expresse magistrum comitatos non lego: *Venit itaque Iesus*, addit Ioannes, *& inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.* Et vbi discipuli Lazari domo cum magistro recepti, & pasti? non est dubium discipulos comitatos magistrum; hic tamen arcano silentio tegitur, & solùm Christi aduentus, litteris consignatur: *Venit itaque Iesus.* Alibi cum Petrus piscatum tenderet post feralem Christi passionem, condiscipuli intrepidè comitantur: *Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Dydimus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari: dicunt ei: Venimus & nos tecum; & exierunt, & ascenderunt in nauim: & illa nocte nihil prendiderunt.* Pharisæorum in discipulos ardebat furor, & accensi magistri sanguine rabies ardentius vitam discipulorum sitiebat: illis opus, & lucem fugere, & portas studiosè metu solicitante obserare; & cur modò Petro periculum non opponunt? Cur in medium non adducunt inimicorum insaniam, & in eos deseuientem pharisæorum potentiæ amentiam? Hic constat Petrum cæteros comitatos, illic de illorum tacetur aduentu. Ecqua huius discriminis causa est? Quia Christus eximias virtutes operaturus tendebat, at Petrus humana commoda procurabat: ad capturam igitur omnes incunctanter accurrunt, ad misericordiam studiosè

56.

Ioan. 11. v. 7.

Ioan. 21. v. 2.

diosè difficultates opponunt: vtrobique aduersariorum ardebat furor, & discipulorum ceruicibus minabatur ferrum; nec tamen vtrobique prudentis metus causas opponunt; sed alibi vt piscentur, prætereunt. *Formidabant pro seipsis,* scribit Chrysostomus apud D. Thomam: *nondum enim erant in fide firmati.* Addit posteà Chrysostomus: *Posita vna confortatione discipulorum* (scilicet in luce non inueniri offendicula) *hic alio modo eos confortat ostendens quoniam non Ierosolymam debent ire; sed in Bethaniam.* Ad operandam virtutem vna, & altera confortatione fuit opus; ne piscatum tenderent, nec illos arcuit periculum, nec aduersariorum perterruit odium: plures namque sæpè concordant si humanum alliciat lucrum, nec adeò spontè confluunt ad virtutis ministerium.

Chrysost. *Plures aliena vtilitatis prætextu, sua semper discupiunt.*

57. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum,* aiebat Psaltes, *vt videat si est intelligens, aut requirens Deum: omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* Non respexit Dominus, vt videat, sint intelligentes, aut requirentes Deum: quasi supernacanea fuerit hæc cura, quando de peruerso sæculi vsu plures ad virtutis opera non conueniunt. Ergo Deus singularem virtutis studiosum requirit: *Vt videat, si est intelligens aut requirens Deum*; cùm tamen exorbitant, iam non vnus aut alter; sed omnes declinauerunt simul inutiles facti, & pro vitiis semper vniti. *Declinauerunt quidem*, scribit Euthymius, *in iam connumerata studia, atque exercitia, inutiles vero facti sunt, cum adeò abominabiles essent, vt inter ipsos neque vnus etiam reperiretur, qui bonus appellari posset.* Plures gregatim sectabantur scelera, cum nec singularis honestatis sectaretur studia, quasi hoc ineuitabile virtutis sit fatum, ab hominibus despici, vt vitio ab omnibus exambiri.

Ps. 13. v. 22.

Euthym.

---

§. XII.

Discincti marcent in aduersarios ignauia, si ambita diuitiarum, voluptatumve milites eneruauerit copia.

58. VIros desiderat Mars voluptatibus aduersos, & laboribus innutritos: à comptis, & de capsula totis nil forte aut virile sperandum; imò ne homine indigna commiserint, extimendum. Qui vmbram amat, qui multa niue vini calorem eludit, castris non nascitur, sed popinis. Benè Tertullianus ad Martyras cap. 3. *Athletæ, inquit, segregantur in strictiorem disciplinam, vt roborati ædificando vacent, continentur à luxuria, a cibis lectioribus, a potu iucundiore, coguntur, cruciantur, fatigantur, quanto plus in exercitationibus laborauerint, tanto plus de victoria sperant.* Durus labor milites strenuos innutrit, & omnis imbonitas vsibus armorum adaptat. *Nemo miles*, iterum audis Septimium, *ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; sed de papilionibus expeditis, & substrictis, vbi omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas consistit.* Profectò deliciæ militem eneruant, nec reportandis præparant triumphis, sed dedecorosæ fugæ tergo imprimendis obiiciunt notis, castra robustos expetere nouerunt, non molles: adsunt nonnullæ Israëlitarum tribus huius veritatis testes: deuenerant subactis iam hostium pluribus in Silo, ibi fixerant tabernaculum, & armis quodammodo feriati de subigendis reliquis aduersariis minimè cogitabant; sed culpabili ignauia marcebant: ad quos Iosue sic ait: *Vsquequò marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* Eccur marceant oscitantes ignauia, qui sic anteà ardenter experiuerant prælia. Mare traiiciunt desertorum erroribus circumacti desudant, mõstra deterunt, quo ambitas possessiones adierant, & modo imbelli obscurantur inertia, & fœminea dedecorantur ignauia? Regionis fertilitas, & diuitiarum vbertas olim strenuos modò sic reddebat imbelles vt inertibus deliciarum addicti otiis, honestis abstinere decreuerint præliis. Ita Masius: *Apparet verissimum esse illud, quod nuper dicebamus, & nouorum periculorum metum, & præsentis habitationis commoditates auertisse animos omnium à propriarum possessionum cupiditate.* Qui gigantes vultu, & proceritate terribiles omni diritie, & insuauitate innutriti potenter subegerant, voluptatibus assuefacti pygmæos quam maximè formidabant: creuit hostium metus eisdem incunabulis, quibus deliciarum amor: enerues reddunt homines Ceres & Venus armorum hostes, & roboris tineæ: vel Martem ipsum, si Veneris frequentet cubilia, passeris adinstar, vulcana illigabunt, ac capient retia. Optima politica quos viros fortes certaminibus aptat, à deliciosis spectaculis, à iucundis, & lætioribus comessationibus prudenter ablegat: & quidem in hoc non dissimilis corporis viribus, & animi virtutibus fortuna est. *Id agere debemus*, aiebat Senec. epist. 51. *vt irritamẽta vitiorũ quã longissimè profugiamus. Indurãdus est animus, & à blandimẽtis voluptatũ procul abstrahẽdus. Vina Hannibalem hybernæ soluerũt, & indomitum illum niuibus, atque Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitijs victus est.* Pruinæ & tempestates vires addiderunt Hannibali, vina & deliciarum fomenta eneruem tradiderunt hosti. Quàm cæcè felicitatem sæpè vocamus, infortunata fortuna est. Tribus Hebraicæ prædiuitem hæreditatem adire recusant, deponunt arma, quia delicati mollésque discupiunt noxia voluptatum fomenta.

Tertull.

Non venit miles cum delicijs ad castra.

Masius. *Commoditates vel masculos animos reddunt molles.*

Senec. *Animus à voluptatibus arcendus.*

Bellum adoritur Sodomitas, qui citissimè ignobiles fugæ notas tergis reportauerunt impressas, hostibúsque multiplices concessere victorias; dum auditur bellum, auditur etiam Sodomorum exilium. Plures reges ignobiliter fugam capiunt, & hostibus indecenter triumphum concedunt. *Itaque rex Sodomorum, & Gomorrha terga verterunt.* Sodomorum rex primus reliquis fugæ procurauit subsidia, qui gloriosius caderet honesta milites adhortatus ad Quid tunc? Abraham seruorum cogit manum, & vt temporis permittebat angustia, hostes insequitur parta superbientes victoria: exiguo milite è manibus aufert triumphum, qui ad speciem temerarius sibi miserandum maturare videtur casum. *Numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem, & octo, & persecutus est eos, reduxitque omnem substantiam.* Mira res: exiguus armatorum numerus tot phalãgas triũphator euertit, & innumerus Sodomorum exercitus hostibus triumphos adauget: verum si hostes vel paucorum militum audaciæ cesserũt, quomodò de tot Sodomorum regibus detriumpharunt? 59.

Genes. 14. v. 10.

phatunt: Vide quam regionem rex ille inhabitet, Sodomam scilicet paradisiis deliciis refertam, voluptatum, diuitiarumque copiosis veluti imbribus [illegible]: *Sicut paradisus Domini.* Vbi ergo blandè scaturiebant corpori voluptates, [illegible] contra aduersarios imbecilles [illegible]: solùm didicit Sodomorum rex [illegible], solum nouit terga vertisse; at Abrahamus asperrimos montes habitans, & laboriosas incolens valles sic robore [illegible], [illegible] metum, & [illegible] abstulerit triũphum. [illegible], aiebat Chrysostomus apud Lipponanum in Genes. 14. [illegible] *Dei* [illegible] *Amalecitas,* [illegible] *Sodomas, & in fugam ipsos verterant, omnémque illorum diripuerant substantiam.* Sodomitæ imperij voluptatibus [illegible], diuitiarumque [illegible] [illegible] sunt [illegible]; at Abrahamus qui [illegible] regiones [illegible], triumphus gloriosis emicuit. *Nobis quoque,* aiebat Seneca citata epistola, *militandum est, & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam* [illegible] Victus est Lot, forte de regionis voluptuosa vbertate eneruis; vicit Abraham de solo austeriori fortis.

60\. Adest Ionathas huius etiam veritatis nobilis testis: cum hostes insequeretur armatus, [illegible] terga darent, ventum [illegible] plenum, & melleis apum [illegible]. Ionathas deliciis allectus, [illegible] mucronem melle [illegible]: *Extendit* [illegible] *manu* [illegible]. [illegible] hostes non [illegible], [illegible] officium, & palato [illegible] oblectamentum. Audi Ambrosium serm. 25. & apud Gloss. *Cum Saul abstinentiam suis omnibus indixisset, & Ionathas eius filius præcepti nescius inter medias acies hostium victor incedens fauum mellis gustasset, tanta indignatio repentè commota est, vt & differretur victoria, &* [illegible] *lederetur. Denique nec bellis finis imponitur, nec regi responsum propheticum datur:* [illegible] *culpa cunctis confertur ignauia.* Quem scopuli in modum dentium exacuti, montiumque præerupta [illegible] reddiderant triumphos, [illegible] mella reddiderunt ignauum: *Ascendit Ionathas manibus, & pedibus reptans.* En adeò graui labore exercitus adeptus est gloriosa trophæa: [illegible] floridis, fragrantibus rosis, manum [illegible] fauis ignauus interrupit certamina. Quàm bene Lactantius lib. 6. cap 4. *Omittenda est voluptas, ne hostis opprimat, vigilandum: stationes agendæ militares, expeditiones* [illegible]. Deliciæ hostibus vires [illegible], quia illis vtentium vires eneruant: duri sentes, horridi scopuli, ardentia saxa animum [illegible] excuderunt virilem; faui, mella, rosæ infamauerunt inertem: Fuge voluptates, & blanda cupidinis lenocinia, si à visibilibus, inuisibilibúsque exambis hostibus adipisci trophæa: iucundior potus vires resoluit, lectior cibus robur eneruat: deliciæ libidinis subiugant, diuitiarum fallaciæ irretiunt. Sane masculus animus, audaxque virilis inter aspera nascitur, & inter dura enutritur.

61\. Producamus Samsonem cum Leonum feritate certantem, & meretricis delinimenta expetentem: illi occurrit Leo horrida iuba, immani rictu, exacutis vnguibus mortem celerrimam minitans, metúmque gelidum vel robustissimos pectori incutiens: *Cum venissent ad* Iud. 14. v. 6.
vineas oppidi, apparuit catulus leonis sæuus, & rugiens, & occurrit ei. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem quasi hædum, in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu. Iuxta vineas vicit, qui nec in vtero merum gustauit. *Dixit Angelus Domini ad* Iud. 13 v.
Manue. Ab omnibus, quæ locutus sum vxori tuæ, abstineat se: quidquid ex vinea nascitur, non comedat. Ibi Spiritus Domini vel in desæuientes feras Samsonem armauit, vbi delicias repulerat abstinentia, & ieiunium colebat infantia: dum à iucundiori potu abstinet, irruentem feram occidit. Verte modò oculos ad impudicæ voluptatis cubiculum. Ibi caligant oculi, ibi lassescunt manus, ibi nexibus colla præbet, ibi aduersariorum ludibria sustinet. *Cum apprehen-* Iud. 16. v. 20.
dissent Philisthiim statim eruerunt oculos eius, & deduxerunt Gazam vinctum catenis. Quàm sibi dissimilis Samson in meretricis cubiculo ac in ferarum campo: Leonina ferocitas fortitudini cedit, & fortitudo deliciis eneruata mulierem non vincit. Satius Samsoni fuisset ferarum saltibus degere, quàm impudicæ mulieris prostibulum frequentare. Benè Ambrosius epistol. 70. Ambros.
Ex somno experrectus, faciam, inquit, sicut soleo, & excutiam me super aduersarios; sed nec animaduertitatem, nec virtutem agnouit: nec vigor erat, nec gratia manebat. Vigorem extinxerunt deliciæ, & commendauerunt feræ. Leo trucidatur vt hædus, vbi contemnuntur deliciarum oblectamenta; Samson vt agnus vincitur, vbi voluptatum excoluntur illicia: vicit leonem, à libidine victus est. Fuge ergo delicias, virtutis venena, robori sque veneficia.

62\. Puerulus Dauid montibus adultus, ferarúmque certaminibus exercitatus hostem videt vultu trucem, proceritate immanem, incessu terribilem, corporis mole superbum, & in campum prosilit agolo, & funda obarmatus. *Non* 1. Reg. 17. v. 20.
concidat cor cuiusquam in eo: ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum. Vides patrem adeò strenuè audentem, & de superbiæ monstris triumphantem: vide filium sic vel in cubiculo territum, vt cubili iaceat agminibus armatorum stipato, & lectorum militem armis cincto: *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes* Cant. 3. v. 7.
ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ecce Salomon vel in eburneo lecto recubans timet, cùm Dauid ad se prouocationem certaminis traxerit. Quæ ergo causa inuicti huius animi, & illius meticulosi adhuc somnij? Ipse Salomon 2. Ecclesiastæ dicit: *Feci mihi cantores, &* Eccles. 2. v. 8.
cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos & vrceos in ministerio ad vina fundẽda, & supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Ierusalẽ. Reliquos superbis opibus supergressus, &

& infantili etiam metu reliquos superauit: *Saul* Seleuc. *interim in tumultu erat*, scribit Seleuciensis Basilius orat. 15. *Israel in expectatione seruitij; terror ipse vires refrænabat, hostilis adspectus Israelitas vel armatos de statione deturbabat. Minæ intempestiuæ animos percellebant; ante viri mente, quàm corpore consternabantur, tunc militem suum producit in medium gratia verè Regem factis declarans dum pugnæ prouocationem Dauid ad se rapit.* Dauid vel non prouocatus certamina difficillima ardet, & aliorum metus persanat: turris adinstar extabat Philisthæus intempestiuis minis animos cæterorum percellens; & tamen Dauid, quia mapalibus innutritus, quia austeriori alimento cibatus sic timorem ignorat, vt in certamen prosiliat; at Salomon deliciis circumfusus, exundans opibus, purpuræque splendore sanguinolento collucens timet & armatis cingitur, ne inter dormiendum angatur.

63. Nec solùm ventris gulæque delinimenta robur expectorant, & metum nutriunt; sed floridæ vestes, & nitidior cultus pompa animum prorsus eneruant. Deprælitabatur Zara maternis visceribus pro palæstra vtens cum Phares fratre, nec consanguinitas certamen auertit; imò plus certatores ad belligerandum coniunxit: erat purpura brauium, & vbi ambitiosus diadematis pallor allicit, nec fraternitatis cognatio certamina auertit: vicit Zara, & manum extulit quasi in victoriæ testimonium eleuasset vexillum: obstetrix coccineum filum ligauit, & iam manum retrahit, & victoriam Zara fratri concedit: Gen. 38. v. 29. *Illo retrahente manum egressus est alter.* Parum profuit bene cœpisse, quia stitit mediis conatibus. Cœpta victoria miseriam adauxit: nam cui nunquam triumphi spes adulata est seruili pressus luget catena; at qui victoriam potiri cœpit, duplici adurgetur tormento, si felicitas auolarit, & calamitas ingruerit. Verùm disquiramus cur Zara adeò fortis, vt aduersarium materno vtero subiugauit, manum coronatam retraxerit velut vinctam. Profectò coccinum fortitudinis extitit fascinum: sic euigorauit dexteram collucentis purpuræ nitor, vt victoriam cesserit fratri. Quàm verè aiebat citatus supra Lactantius! Lactant. *Omitte ida est voluptas, ne hostis opprimat*; dum gaudebat terra vomere laureato, & triumphali aratore gaudebat campus strenuo milite; at cum vestis luxus, cùm nitoris ornatus, cum irrustata cæsaries creuit, & vigor militaris euanuit. Purpura collucens victus manum retulit, qui antequam purpuræ nigrore luceret ad triumphalem palmam extenderat manum. Chrysost. *Postquam ligauit obstetrix manum coccino*, scribit Chrysostomus in catena, *retraxit manum, & exijt frater eius.* Vt ferreo posset vinculo cultioris ligatus est vestis fastu: eneruauit luxus pompa, quem egregium militem ostenderat pugna. Quid certius? Quid vsitatius?

§. XIII.

Tepidus gratulatur sibi vitasse discrimina. perfectus illustri etiam gestit coronari victoria.

64. NOnnulli non ita infamis se cupiditatibus permiserunt, vt auribus ceram obdant, ne salubria monita conscientiæ percipiant; ita tamen conscientiæ parent, vt simul suæ gratulentur ignauiæ; hostilia desiderant vitare discrimina; torpent tamen vt coronentur victoria; sic affectus molliter temperant conscientiæ & ignauiæ, vt auidè fugiant perire, nec velint viriliter decertare. Anxij conantur non maculari sceleribus, ignauè morantur coronari virtutibus: vir prudens & virtutis alumnus solerter curabit vtrumque, vitia fugiet, & virtutes auxiliares asciscet. Benè Seneca epist. 32. *Propera,* Senec. Vitia nos infestantur à tergo, ideò celeri fugiendum conatu *Lucili charissime, & cogita quantum celeritati additurus fueris, si à tergo hostis instaret, si equitem aduentare suspicareris, ac fugientium preme vestigia. Fit hoc, premeris, accelera & vade, perduc te in tutum.* En primum boni viri studium, vitia vitare, ac tuta gressibus anhelis adire: hoc tamen culpis immunem asseret, perfectum non excudet. Addit ergo Seneca, vt vtiliorem perfectionis partem adiungat. *Subinde considera quàm pulchra res sit consummare vita ante mortem; deinde expectare securum reliquam temporis sui partem, nihil sibi in possessione beatæ vitæ positum, quæ beatior non fit, si longior. O quando videbis illud tempus, quo scies tempus ad te non pertinere, quo tranquillus placidúsque eris, & crastini negligens, & in summa tui satietate.* Vita non lætior si longior. Vtrumque monuit & fugere hostis ferociam, & iam in tuto perfectam agere vitam: illud primum probat liberum; sed hoc secundum perfectum. Hebræorum populus adeò indulgebat otio, vt asperrimam ducis increpationem meruerit: *Vsquequò marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* Ignauos carpit, desides corripit: & vide quando studuerint ignauiæ, scilicet quando iam ab hostibus tecti, ab illorúmque incursionibus nonnullis tribubus triumpho iam coronatis liberi. Ita Masius: *Cùm collatis vtrìque Iudæis & Iosephitis quasi præsidys sibi tutus videretur, otio se dedit, & communem illam in castris statiuis vitam potiorem duxit, quàm vt peculiarium possessionum gratia nouas rursus molestias subire luberet. Facilè enim existimabat reliquos passim hostes, etsi bellum non esse facturi viderentur; tamen de suis sedibus nisi per vim depulsum non iri, & eliminatum.* Masius. Cùm iam pulsis hostibus Iudæ tribus Iosephíque posteritas reliquas populi partes veluti præsidio cinctas hostili metu liberasset, se cincti hísque muniti præsidiis inerti consecrârunt ignauiæ, nec potiundæ deinceps ardenter inhiauere victoriæ. Gratulabantur sibi ab hostium iam incursionibus degere liberatos; non tamen gestiebant trophæis micare hostilibus redimitos. Itaque neque amabant pericula, nec exambiebant trophæa. Hos ergo Iosue ignauos carpit, & desides acriter reprehendit: *Cur marcetis ignauia?* nec enim ad perfectionem satis est vitasse pericula, sed necessum reportasse trophæa.

65. Ab exordio religio passa est inuidiam, est namque obiecisse se discrimini peruersorum tempore inseruire virtuti. Prodest Elias huius veritatis assertor: religionis vindex fatidicos occidit prophetas quod amentis reginæ furorem adeò inflammauit, vt prophetæ sanguinem sitienter ambierit. Minæ aliquantulum cõturbauere prophetam, vtque periculum frustraretur, ocyoribus timoris alis aufugit. *Timuit ergo Elias, & surgens abyt quocumque eum ferebat voluntas.*

Fugam

fugam iniit optimam medicandis odij affectibus medicinam: longè iam factus, & extra periculi aleam somno indulsit, & sub vmbratili frondosæ arboris pompa requieuit: *Proiecit se, & obdormiuit in vmbra iuniperi.* Angelus dormientem excitat, & ad diuini montis culmen ascensum instigat: *Surge & comede: grandis enim tibi restat via.* Et cur Angelus lassum dormire non sinat: pascat esurientem, sed sub placido tegmine arboris derelinquat: quid necessium est nouam inire viam, quando iam iram elusit aduersam. Elias profectò dormiens iustorum, non tamen perfectorum erat exemplar; montem tamen Dei post fugam adiens, non solùm iustorum, sed & perfectorum ænigma: frustrasse iam pericula otio indulgens sibi gratulabatur: iam non currebat nec promouere gradum, nec nouum cogitabat ascensum, quasi commendare cuperet, & otij ignauiam, & periculi fugam: cum minabatur discrimen, timuit: *Timuit ergo Elias, & surgens abijt.* Distantia tutus subsedit: *Proiecit se, & obdormiuit.* Quasi satis esset vitasse discrimina, etsi virtutum non ascenderentur excelsa. *Desertum*, aiebat Ambrosius lib. 1. de fuga sæculi cap. 6. *fuga est bona, id quod fugit Elias. Fugit Elias minantem Iezabel, id est, effusionem vanitatis, & fugit ad montem Horeb, quod significat exiccationem, vt siccaretur in eo carnalis profluuium vanitatis, & cognosceret plenius Deum.* Benè Ambrosius; sed aliquin aptius Glossa moralis: *Post inchoationem vitæ austerioris aliqui tepescunt: ideò subditur: Et obdormiuit in vmbra: tepor enim aliquando nomine vmbræ in Scriptura sopor. Angelus custos hominis eum excitat ad bonum exercitium dicens: Surge per mentis vigilantiam.* Angelus sugillatiua, & incussa voce Eliam excitat, ne solum hominem referat, sed prophetam. Hominis, & quidem tepidi erat se criminis substraxisse periculo, sibique gratulatum inerti feriari otio; perfecti est non solùm criminum frequentes vitasse assultus, sed ad virtutum summa celeres potuisse gressus. Elias ergo montem adiens perfectionem expressit, dormiens fugato periculo imbecillitatem hominis adumbrauit: sunt namque plures, qui nec sustinent imminere sibi pericula, nec ad virtutum nituntur excelsa; sed si conscientiæ fugerint morsus, perfectionis exambiunt minimè plausus.

Ambros.

Glossa.

Angelus custos non dormientes excitat.

66\. Fugit Moyses regalem luxum, Ægyptiorum consortium, adiuit celeri pede desertum: *Fugiens de conspectu eius moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum.* Hîc oues agenti Deus conspicuus obiicitur, & iterum in Ægyptum legat, non sine diuinitatis titulo, & honorifico dignitatis vocabulo: *Ecce constitui te Deū Pharaonis.* Deus ad Ægyptum redit, qui solummodo homo aufugit, & cur modò Deus, qui retrò antè tantummodo pastor? Vide circumstantiarum diuersitatem, anteà imminentia sibi pericula est prouidenter frustratus; modò non solùm frustratur pericula; sed digno submersis naufragio hostibus gloriosa est adeptus trophæa: *Tulerunt namque iusti spolia impiorum:* adeóque magnum discrimen est inter Moysem pericula fugientem, & ipsum animosè triumphantem, vt solùm fugiens lineam non excedat humanam, vincens attingat quodammodò perfectionem diuinam: erat virtutis fugisse; perfectionis fuit detriumphasse: solùm euadens omnem prorsus notam ad speciem non detriuit ignauiæ, animosè audens omnésque Ægyptios vorticibus rapidis consepeliens plausu est potitus victoria: parum erat tutum degere, & de sertorum montibus immorari, ni apprehensa virga elementis imperaret, & turbulentis hostes aquarum voluminibus mergeret: naturam non exuit humanam fugiens pericula, adeptus est diuinam quodammodo dum accepit trophæa. Gratulabatur sibi Moyses de periculorum tutela, Deus tamen impulit, vt triumphorum micaret gloria. Fuga decorum Deitatis non excuderat titulum, congressio victoriáque pastoris depulit habitum. Non est viri perfecti, animosíque prouidisse tantummodo periculorum tutelæ, sed triumphorum inhiasse gloriæ. *Imperando elementis*, inquit Rupertus apud Lippoman. *Deus erit Pharaonis.* Dum confligit, dum in Pharaonem armat elementa, dum potitur victoria, Deus appellatur, qui pericula solùm fugiens hominis non denudarat ingenium, nec virtutis consummarat studium. Plures inter ignauiæ consilia, & conscientiæ cruciamenta se scipsos distribuunt, vt conscientiæ largiantur non peccasse, ignauiæ virtutis itinera non pressisse. A peccatorum recedunt castris; sed tyrones adhuc in virtutum statiuis: fugiunt Ægyptum, ne commiserint lapsum; renuunt tamen pugnare, quasi nunquam ambiuerint triumphum; cum tamen ignauia sit gaudere solùm tutela, dum fas est coronari victoria: Fuge, & deduc te in tutum; inde tamen vitam consumma, & omni prorsus perfectionis consilio vaca: nec putes te fecisse gloriosa, si effugisti solùm discrimina, vitiorum nondum adeptus trophæa: ignauus namque est, qui blanditur sibi de fuga, nec cogitat de victoria.

Exod. 2. v. 15.

Exod. 7. v. 1.

Sapient. 10. v. 20.

Rupert.
Qui creaturis imperat gloriosum sibi titulum parat.

Signum magnum apparuit in cælo, mulier Solis splendoribus redimita; sed splendor, vt assolet, quia oculos perstrinxit, inuidiæ furorem exacuit maleuolentiæ: serpens igniuomus, & spiris horridis truculentus, non iam deliciarum blanditiis, sed terrorum insaniis mulierem conatur euertere: fugit illa naturæ conscia, quantumuis lumine redimita: *Et mulier*, inquit, *fugit in solitudinem.* Adhuc instat draco, & datæ sunt mulieri ocyores aquilæ pennæ: *Datæ sunt*, inquit, *mulieri alæ duæ aquilæ magnæ.* Hîc mulieris splendidiùs cumulatur gloria; antea namque nondum resplendebat toto lumine plena; verùm cur aquilæ datæ sunt alæ? Benè est quod aquila celerrimè volat; sed vt colubrum pectora per ima trahentem effugiat, adeò celeri opus non erat volatu: assumat ergo pennas illas columbæ deargentatæ, cuius posteriora in pallore auri, dum namque pallet turbata periculo splendidissimo micantiùs rutilat auro, & si aliis in præliis terga vertere est splendoris obscuritas, hîc terga vertisse est auri pallor, & fortitudinis honor. Ergo pennas mutuetur non aquilæ, sed columbæ: cedit namque in aduersarij gloriam volucris adeò pernicis ambisse alam, quandoquidem constat aduersarij extulisse conatum, qui ad fugam citatiorem assúpsit gressum. Cur ergo aquilæ? Quia aquila serpentem discerpit, & aduersarij sanguine plumas gestat nobiliter variegatas: vt ergo huius mulieris perfectissima resplenduerit gloria, satis non erat serpentinam fugæ auxilio vitasse audaciam; sed oportebat reportasse victoriam. 67.

Apocal. 12. v. 6.

Dum ergo ad solitudinem fugit, se prodidit iustam; dum in serpentem aquilæ auxilio irruit, prodidit se perfectam. Huc voco quod aiebat Plinius de aquila lib. 10. natural. histor. cap. 4. *Acrior est cum dracone pugna: oua hic conjectatur aquilæ auiditate maleficus; at illa ob hoc rapit vbicunque visum.* Fugit anteà, sed modò vicit: parum namque erat intentata à serpente fugisse discrimina, nisi adepta fuisset trophæa: est namque ignauus, qui solùm timet perire, si viriliter detrectet pugnare: vt perfectus qui & fugere didicit & triumphasse: Iosue ergo ignauos prodat Hebræos, dum detrectant bella blandientes sibi quod iam frustrarunt pericula.

Plinius. *Aquila serpenti semper aduersa.*

68. Cum Tobias vna cum Angelo viam carperet, ventum est ad Tygrin amœnum sanè & celeberrimum fluuium, cùmque iunior pedes fluctibus emaculare contenderet, immanis marina bellua hiante rictu totum simul deuorare gestiebat: tunc Tobias pauore territus, & terrore obturbatus auxilium poposcit à socio, ne immanei absorberetur periculo: *Domine inuadit me.* Fugiebat belluam, sed iubet Angelus gradum vertere, & inuadentem inuadere: *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te:* iuueni Angeli consortium merenti sat non erat periculum effugisse, sed erat opus triumphasse: perfectus namque sibi non blanditur de periculis solum elusis, sed de triumphis reportatis: ignauo sati erat bellua non capi; perfecto necessum fuit deuicisse.

To. 6. v. 3.

§. XIV.

Deus aliquando tollendo donat, & cumulatius vel humanis commoditatibus ornat, dum humanis delicijs nudat.

69 NOn adeò tetrici vultus & aspero ingenio est virtus, vt nullas alumnis suis permittat delicias, aut abscissat commoditates; imò si humana mens non erraret passionibus obcæcata sciret veras innoxiasque voluptates virtutis esse consequentias, ac honestatis appendices: nunquam sine vera lætitia virtus: nam opiparum semper bona conscientia conuiuium, & imperturbatum est gaudium *Miserrimos mortalium iudicet*, scribit Seneca lib. 7. de benef. cap. 2. *in quantiscumque opibus refulgebunt ventri ac libidini deditos, quorum animus inerti otio torpet... illa est voluptas & homine & viro digna, non implere corpus, nec saginare, nec cupiditatibus irritare, quarum tutissima est quies; sed perturbatione carere, & ea quam hominum inter se rixantium ambitus concutit, & ea, quæ intolerabilis ex alto venit. Vbi de dijs fama creditum est vitiisque illos nostris æstimauimus: hanc voluptatem æqualem, intrepidam, nunquàmque sensuram sui tædium percipit hic, quem deformamus: qui maximè vt ita dicam, diuini iuris, atque humani peritus de præsentibus gaudet, ex futuro non pendet.* Virtutis voluptas gaudium affert imperturbatum, & dum cor futuri metu non angitur, pacatè præsentibus fruitur; at qui delicias commoditatésque virtuti aduersas suspirat, cæca auiditate sibi conciliat tormentum, quia plus timet futura, dum maiora aggeret commoda: ipsa præsentium delectatio est doloris matrix: quia nouit vel obcæcata pessimorum conscientia commoda illa nullatenus duratura: & iam præsenti dolore anguntur, quia aliquando dispoliandi, & à voluptatibus excludendi: itaque quia à futuro pendent, nec præsentibus gaudent, imò ipsum gaudium amissionis acuit timorem, & timor perturbat gaudium, at virtus cordi tranquillitatem inspirat, dúmque depellit metûs molestias, securitatis parit decias. Nec solùm internas affert commoditates; sed externas etiam procudit. *Sicut vitta coccinea labia tua*, aiebat sponsus, *& eloquium tuum dulce: sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet.* O augusta felicitas vbi interna & externa consonant, vbi animus tranquillus, & vultus placidus. Septem tribus elaboratis sibi commodis excultísque non exiguo tempore deliciis promissionis sibi debitam sortem nullatenus ab inimicis curabant eripere, aut in posterum possidere: *Remanserant filiorum Israel septem tribus, quæ needum acceperant possessiones suas.* Quid tunc Iosue? Statiua castra mouet, tabernaculum in Silo transfert, quo ignauia torpentes ad intrandam terram promissionis impellat: *Congregati sunt omnes filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij, & fuit eis terra subiecta.* Vt terra illis amplior subiecta fuerit, vt augustioribus potiantur commodis, statiua antiqua destruit, & quas sibi extruxerant commoditates, & otio elaborarant delicias, penitus aufert. Ita Masius ad hunc locum: *Socordiam atque ignauiam mirificè souebant, vt est credibile mille commoditates quas sibi in tam diutina statione omnes comparauerant. Hanc igitur segnitiem, atque desidiam, vt castigaret Imperator, prudenter aliò esse mouenda castra putauit, aut dissipanda potius, & quemque ad suas possessiones extrudendum.* Ecce commoditates abstulit, vt ampliores largiretur commoditates: demolitus est castra, vt amplissima largiretur regna: terra illis subiecta est, dum exiguis renunciarunt deliciis, & Iosue quas in virtutis detrimentum delicias possidebant, destruxit, vt quas virtus ampliores affert, haberent: deliciosa illa mollitie corrupti Dominicum obliuiscebantur præceptum, & præceptorum obliti terminis augustissimis deliciabantur otiati; at dum virili animo commoditates antiquas proterunt, maiores delicias, & commoditates acquirunt: *Et fuit illis terra subiecta.*

Seneca. *Miser est qui inerti otio torpet, etsi splendoribus fulgeret.*

Felix de præsentibus gaudet, ex futuro non pēdet.

Cant. 4. v. 3.

Masius.

Sponsus capris vellere nudatis exæquauit sponsam: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.* Et cur non capris vellere indutis; sed nudatis? aut cur capris Galaad fertilem montem habitantibus, & amœnos vertices depascentibus? Si vellere dispoliat, cur amœnis pascuis alimenta decernit, aut si opima alimenta decernit, cur lana denudat? Profectò pastores capras tondent, vt agiliores reddiderint, vt deposita velleris sarcina aquarum commodius vndis ablutæ puriores niteant, vt de aquis ascendentes dulcem montibus pastum studiosiùs requirant: itaque auferunt quod oneri esse poterat, vt capratum studuerint saluti: pascunt altis montium verticibus lætiori cibo, auctam se habere curam ostendit, scilicet auferre exigua commoda, vt commoditatis ampliora largiatur argumenta. *Onera mundi deponunt*, scribit Gregorius, *vt ad cœlestia consequenda, quo liberius, eo facilius gradiantur.* Annuit Gillibert. serm. 23. 70.

Cant. 4. v. 2.

Greg. 1.

Gilbert. ferm.23. in Cant. *Onere superuacuo leuati ac loti alacrius ad superiora conscendunt: siquidem ipsi pili veteres oneri iam esse incipiunt, cum primo noua vellera germinant: cum hyems transijt, imber abijt, & recessit.* En pili detrahuntur antiqui vt vegetiores splendidioresque germinauerint noui, tollitur onus, vt nitidius ac recentius exornet vellus. Itaque onera aufert humana, vt expeditiùs teneant excelsa: Et in excelsis, addit Ambrosius hîc, maiores ministrat commoditates, quo nec amiserint commoda, dum auidiùs tetenderint ad cælestia. Ambros. *In altis grex iste pascitur... ibi cibus dulcior, ibi fructus electior: spectantur à pastoribus suis dumosa de rupe pendentes, vbi luporum incursus esse non possunt, ibi fœcundæ arbores fructum integrum subministrant.* Dum vellere ornatæ vallium degebant imis, luporum obiiciebantur incursibus, in montium verò summis verticibus sine discriminis metu otiantur, & dulcissimis fructibus innutriuntur: ergo optimus pastor, quo ad sibi commodiora liberior inscendat capra, velleris detraxit onera, & aliquam velleris auferendo commoditatem commoditates addidit ampliores, dum luporum arcet periculum, & ministrat integrum pabulum. O quoties Deus quasi ex peruerso auxiliatur, & auferendo diuitias auget: nam fortè quis diuitiarum fallaciis, & præstigiis voluptatum illusus dæmonum subiret ictus, at ipsa egestate ad virtutem ducitur, ærumnisque diuexatus virtutem colit, & de virtute ampliores innoxiasque sibi diuitias acquirit. Ipsa imminutione augetur, & ipsa detractione copia vtilius incrementatur: *Medicum qui per mirabilis etiam in illo*, inquit Tertullianus aduersus gnosticos cap.5. [illegible] *quod ferme pares adhibet qualitates medelarum aduersus qualitates querelarum, cum quasi de peruerso auxiliatur, per ea subueniens, per quæ laboratur: nam & calores caloribus amplius onerando compescit, & ardores siti potius macerando restringit, & fellis excessus amaris quibúsque potionibus colligit, & sanguinis fluxus de fusa insuper venula reuocat.* Aquam denegat ægroto medicus, vt quam modò quantò auidius, periculosius biberet, posteà maiori copia bibat & liberiùs, & securiùs. Cum venam aperit, vt sanguinis fluxum restringuat, auferendo donat, nam, integra vena periret, qui scissa discrimine gaudet ereptus, & quia purior sanguis est restitutus. Itaque auferendo medicus tribuit, & denegando concedit.

71. Christus Dominus eo in homines ardebat amore, vt ad humilia non recusarit descendere: Vitem se dixit, Patrem agricolam appellauit: sub palmitum ænigmate sibi adhærentes expressit: Ioan.15.v.1. *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est: omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* O infelicissimos palmites!, quos tam nobilis vitis fœcunditas non valuit aureis exornare quis, & quos in tali vite ariditas validioribus deputauit incendiis. Addit posteà Christus: *Omnem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat.* Videre est agricolam flagella frondosæ vitis ferri violentia amputare, & vsque ad gemitum dolore nuditatis perculsam cogere: verum non amputat, vt abstulerit; imò vt viti fructus incrementarit, vt dulciores illam nobilitent vuæ, vt fœcundiores racemi, vt viridior foliorum pompa, vt floridior pompæ elegantia; auferendo sanè auget, tollendo donat, & subtrahendo incrementat: *Hoc est circumcidere palmitem*, scribit Chrysostomus apud D.Thomam, *cùm magis germinare facit.* Chrysost. De amputationis ad speciem iniuria maiora solicitantur augmenta: & quia antiquis brachiis orbata, in longiora flagella viget producta. Ergo rationales vites non semel optimus circumcidit agricola, vt copiosioribus fructibus adornarit, & nitidiori pompa excoluerit: *Hoc est circumcidere palmitem, cum magis germinare facit.*

Sponsa absentia dilecti sui diuexata, vel quæ pudicam, & nobilem videbantur tardare, amore saucia rupit honestissimè impedimenta: quærebat Sponsum; sed cultiori ornatu, & pompatico fortè amictu. Ciuitatis custodes pallium auferunt, & molestiis inciuiles ad speciem afficiunt: *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Custodes Patrum multi Angelos interpretantur, & quidem ipsi custodes sponsæ ad agni nuptias regium ornatum ministrant, quo ad Sponsi thalamum formosior accedat, splendescenti candidissimóque operitur byssino, & cultiori resplendet ornatu. *Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se; & datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido.* Iam pungit scrupulus: si, vt ad Sponsum accesserit pretiosis ornamentis vestitur, cur pallio ad Sponsum inuolans denudatur? Si denudant, non vestiant; aut si exornant non denudent: sanè nudata est non de auaritiæ rapina; sed de charitatis flamma: nudata est, vt expeditior curreret, & Sponsum amplexata veste nitidiori fulgeret: fors ornatus ille tardabat gressum: quia adhuc redolebat sæculi stylum: ergo dum nudatur augetur. Adest Ambrosius ad Cantic.5. in collect. *Dum nudatur, à Domino plus amatur; expolians se veterem hominem, vt nouum induat, quem non operiunt indumenta; sed mentis secreta clarificant, aut quia amictum sapientiæ sæcularis ad Christum ventura deposuit... Hæc vulnera non metuenda sunt; sed optanda: quia vulnera charitatis sunt.* Dispoliatur, vt expeditior accedat, vtque nitidiori accedens cultu refulgeat: quia pallium sæcularis sapientiæ ablatum, splendens byssinum dilargitum. Itaque boni custodes abstulerunt, vt darent, nudarunt, vt pretiosiùs excolerent; vt verum fuerit dedisse auferendo, exornasséeue dispoliando.

72.

Cant.5.v.7.

Apoc.19.v.7.

Ambros. Charitatis vulnera optanda.

§. XV.

Ea sit superioris obiurgatio, vt absciderit culpam; non tamen læserit, aut denigrarit personam.

NOn est vnum imperandi genus: aliter imperat Princeps ciuibus suis, aliter pater liberis, præceptor discentibus, centurio militibus. 73. Malus profectò videretur pater qui assiduis plagis, ex leuissimis etiam causis filios affligeret, pessimus qui ignominiæ nota infamaret. Compescendi sunt filij, illorum corrigendi excessus; sed ita vt si fieri possit, nec cicatrix leuis remaneat. Pater ille Euangelicus calceamenta

Luc.15.v.23. Chrysol.

menta filio præberi iussit: *Date calceamenta in pedibus eius: Ne*, vt placet Chrysol. serm. 3. *vel in pede remaneret deformitas nuditatis: certè vt calceatus anterioris vitæ rediret ad cursum.* O dignam patre sapientissimo correctionem! antiquum reducit ad cursum; curat tamen ne vel in pede nuditatis remaneat dehonestamentum: à patre desciuisset, quantumuis filium instaurare rationi, ni consuleret etiam famæ: nec à seruis nudum voluit videri, cum ab ipsis voluerit exornari. Quàm opportunè Seneca lib. 1. de clementia lib. 17. *Nullum animal morosius est, nullum maiore arte tractandum, quàm homo; nulli magis parcendum, mollem medicinam desiderat, ipsumque medentem minimè infestum ægro.* Peritus medicus artem commendat suam, quando vulneris partes in antiquam ita fecit coiisse concordiam, vt nec curiositas animaduerterit sectiuram. *Agat Princeps*, addit vbi supra Stoicus, *curam non tantum salutis; sed etiam honestæ cicatricis*: sic ad virtutis nitorem errantes reducendi sunt, vt si cicatrix manserit, non afferat famæ notam; sed honestati quadamtenus elegantiam. Facilius admittitur obiurgatio, quando ad obiurgati vtilitatem cognoscitur superioris studium, nec vel leuissimum odij in correptione possit reperiri argumentum. Non tam contigit superior reprehendendo, quàm dubitando, vt ipsa dissertatio consulat honori, dum proponit et dicit sententiam communi: dum inquirendo causam suspendit iudicium, ne quis aperte agnouerit fuisse erratum. Aduertamus in optimo Principe Iosue optimæ correctionis exemplum: Cùm septem tribus otio deditæ, quas sibi extruxerant, commoditatibus diuini præcepti obliti indulgerent, ad præcepti adimpletionem hortatur; ea tamen lenitate vt potius videatur inquirere ignotam causam, quam notam carpere culpam. *Remanserant filiorum Israel septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas: ad quos Iosue ait: Vsquequo marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* Non seuere carpit, non superciliosus admonet: blandè rogat, vt fortiùs impellat. *Mali medici est desperare, ne curet*, aiebat citatus Stoicus. *Idem in his, quorum animus affectus est, facere debebit, cum tractatio salus omnium est, non cito spem proijcere, nec mortifera signa pronunciare:* peritus medicus sic vel grauissimis morbis medetur, vt ægroto periculum aliquando celet: nam si mortifera signa prodat, ægrotus medicamina respuet: & quia iam desperat de vita, nullatenus medicamentorũ patitur aduri molestia. Decens ergo curationis artificium est infirmum in spem erigere, & nec assistentibus pestilentem morbi vim palam denunciare. Sic ægrotus curandus est, vt si fieri possit, citra animi periculum ipse infirmitatem suam leuem putauerit, & facillimè medicandam crediderit: exaggerare morbum, omnibus denunciare periculum artis in moralibus est non semel iniuria, aut sæpè certè imprudentia. Ergo culpa sic à bono medico corrigenda est, vt si fieri possit, nec ægrotus ipse à reprehensionis duritia nouerit grauitatem, quo decentiùs consulatur honori. Ignauiam vocat Iosue grauissimam culpam; nam etsi agnouerit penitissimè, dubitauit ad speciem vt honori consuluerit prudenter.

Senec. Nullum animal maiori, quàm homo arte tractandum est.

Senec. [illegible]

74. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas:* In sponsæ dentibus eximius deprædicatur candor, & candidus commendatur nitor: in dentibus concionatores, superioresque designari non dubium. *Vides quomodo lotos & irreprehensibiles esse oporter*, scribit Gillibertus serm. 23. in Cant. *eos, qui aliorum excessus debent remordere, & corripere.* Et cur ouinis dentibus superiores comparentur? Ea est ouium dentibus proprietas, vt herbas mandentes nullatenus pestifero halitu marcorem ingerant, aut siccitatem infundant: prata ab ouibus depasta amœniora delectant citissimè oculos, & grato virore adulantur aspectibus: nonnulla bruta pestiferis adeò dentibus prata, aut montes solent depasci, vt prorsus corrumpant, & marcidos reddant: hos ergo pestilentes dentes ignorat sponsa; lacerant namque & pestilens venenum infundunt, dum carpunt. *Nolite fratres istorum vereri morsus dentium*, scribit Gillibertus, vbi suprà: *non sunt canini, sed ouini: detonsarum enim gregi conferuntur . . . ipsi doctores ecclesiæ & præpositi nonne tibi videntur dentes quidam, qui redargutionis beneuolæ velut morsibus subiectos conuincunt, dijudicant, manifestant, & ad meliorem emolliunt statum.* Sic mordent, vt nullatenus lacerent: non venena morsu diffundunt; sed superflua tantummodò abrodunt: non reddunt herbas dente pestifero marcidas; sed depascunt, vt floridiores ac vegetiores repullulent, sic beneuolè corrigunt, sic carpunt, vt potiùs censeas herbas artificiosè detonsas, non incuriosè laceratas. E contra non semel solet accidere, tales sunt aliquando præpositi, vt penitùs ignorent officij munera, & cum deterrere debe- rent latratu, audaci lacerant morsu.

Cant.4.v.2.

Gillibert. Qui alios corrigit, culpa vacet.

Gillibert.

Speculatores eius cæci omnes, deplorabat Isaias, *nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare.* Et vtinam vt non valentes latrare, nec valerent etiam mordere; sed in vtroque peruersi latratu non abigunt, & vulnera silenter infligunt. Euangelici canes, qui ad gregum deputantur custodiam, latratu debent reprimere luporum audaciam, & ouium depellere somnolentiam; at nonnulli non tam curant arcere periculum, quàm intulisse tormentum. Latrare nesciunt, mordere sciunt: & quidem muneri suo satisfacerent, si actiones inuerterent, si nescirent scilicet dilaniare, & didicissent monere. Adest vbi suprà Gillibertus. *In canibus non dilaceratio, sed latratus commendantur: Canes muti, dicit Isaias, non valentes latrare, canes impudentissimi nescientes saturitatem, ac si quibusdam exprobret, quod in altero se canum officio exuant, in altero se canes exhibeant, latrare non valentes, & non desinentes lacerare.* Dentes imprimunt, & maiori damno damnum conantur auertere: periculosiùs hic laboratur ipso remedio: illi canes gregi Dominico sunt opportuni, qui nesciunt mordere, & didicerunt latrare, qui sic latrant vt non mordeant: silenter mordere canis fraudulenti est; latrare & mordere, audacis; non mordere & latrare prudentis: latratus audentem abigat, morsus non lædat: nam sæpè qui tulit morsum, ardentiùs irritatur, & periculosiùs accéditur: *In canibus non dilaceratio, sed latratus commendantur.* Ouis impressi dentis non relinquit vestigium; canis morsus relinquit sæpè argumentum: ergo sponsa ouinis, non caninis dentibus comparetur, quo nouerint superiores non lædere;

75. Isai.56 v.10

Gillibert.

dere; sed corrigere, quo latrare didicerint, non mordere.

76. Postquam synagoga se sceleribus prostitutam fœdauit, vrgentissimaque sibi pericula ambienda studiosissimè censuit, clementissimus pater medelam tanto vulneri adhibere properauit, vtque commodiùs corrigat vitiorum libidinibus insanientem in solitudinem ducit, ibique vel sensibus correctionis notitiam quodammodo subtrahit, vt honori corrigendæ decentius studeat: *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Osee 2. v.14. Rubori pepercit, dum medelam adhibuit crimini. In solitudinem duxit, ne de increpatione honor apud auidè audientes denigraretur: studuit medelæ, & adæquè consuluit famæ; imò ne vel ipsius sensus criminis renouarent notitiam, si increpationis aduerterent disciplinam, cordi sugillatiua inspirat verba, ne vel apud aures deturparetur criminis notâ. Certè si loqueretur ad aures, dum per ipsas ad animum transmitteretur correctionis disciplina iam criminis aures informarêtur notitia, optimus ergo superior Deus sic emendat culpam, vt illæsam seruarit famam. In solitudinem ducit, nedum corrigitur, ab audientibus de crimine depretietur: adhuc solitudine constitutam sic sine strepitu corrigit, vt correctionem ignorauerint sensus, ne diuulgata culpa intulerit notam, quando satis erat cor corrigere ad pœnitentiam: *Et loquar*, inquit, *ad cor eius.* Innuit Rupertus ad hunc locum: Rupert. *Sic sermo diuinus medicinæ potens experientissimus voces suas ponderatas, atque ad mensuram libratas dispensat.* Quia curare exambit, votes ponderat, correptionem mensurat, ne asperiori verbo exulcerent plagam, & in morbi suffragium conuerterint medicinam. Ad cor loquitur sermo, quia medicinæ experientissimus: hoc namque est mederi, aliud esset dehonestare. *Offensionem*, addit postea, *labiorum infantilium, & gutturis impatientias fugit atque deuitat, quatenus medicamentum quocumque modo temperatum penitus infundat*: infantilia sunt labia, quæ nesciunt non lædere corrigendo, aut carpere non lædendo. Culpa corrigitur; sed honor delinquentis seruatur. In solitudinem ductam alloquitur, ne apud aliquem honoris subeat detrimentum, ibique vel ipsis sensibus correptionis denegauit notitiam, ne vel apud sensus notæ remanet vestigium. O discant superiores optimam hanc correctionis normam, ne de imprudenti remedio aliquando adauxerint culpam, dum notæ immeritam infuscant famam.

77. Cùm filius Sunamitidis morbo pestilenti periret correptus, mater prophetam adiuit; nec patri demortui casus notitiam communicauit, nec Giezi roganti an omnia rectè haberentur, quidquam patefecit; imò Prophetæ ipsi non tam miserabilem casum indicauit verbis, quàm lachrymis: 4 Reg. 4. v.27. *Cùm venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius.* O dignam tanta muliere prudentiam! sic procurauit filio vitam, vt nulli patefecisset miseriam: sic celauit casum, vt prouiderit solerter remedium: Propheta lachrymis informatus, ad domum celeri gressu inuolat, & se puero substernens ad vitam reuocat: *Ascendit, & incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius.* Arcanus sanè reuocandi ad vitam stylus: cur non excitat verbo sicut Petrus Dorcadem; sed se ipsum insternens, & puerum imposito corpore aspectibus subtrahens? Sanè, vt ad vitam reducendi optimam nos edocuerit formam. Refouet, & occultat: demortua tegit membra, ne apud aliquem dehonestentur inspecta: vitam infundit, ne perseuerauerint mortua: vna eadémque actione, & auertit notam, & demortuo refudit vitam, ne, si apud omnes demortui subiisset infamiam, tardius admiserit medicinam. *Venit exquisitus medicus*, scribit Basilius Seleuciensis orat. 10. Basil. Seleuc. *Elisæus Christus Dominus: inuenit corpus mortuum: quid agat? Seipsum totum imposuit toti corpori.* Exquisita medendi ars; sed effectu comprobata, medendos defectus tegere, & vitam tegendo infundere: totum se corpori imposuit, vt negaret oculis mortuum: negauit oculis mortuum, vt matri redderet viuum: nec passus est demortuum iacere, nec sustinuit spectari. Vt discamus sic aliorum mederi culpæ, vt nullatenus intulerimus offensam famæ.

---

§. XVI.

Multi desiderijs videntur deuoti, opere tamen probantur inertes.

78. VIrtus vt est facie pulcherrima, prolectat oculos intuentium: habet; tamen adiunctam difficultatem; quæ desidem arcet, & ignauum fallaci metu deterret. Hinc plures, qui nec se totos voluptatibus, nec virtutibus addixerunt conscientiæ de desiderio adulantur imbecillitatique de otiosa ignauia deseruiunt: ad virtutem non promouent gressum, cùm promiserint sæpè sæpiùs conatum: quasi in obscura tetraque casuri non audent: hærentque suspensi inter labores, quos fugiunt, & virtutis honestatem, quam diligunt. *I quà cœpisti*, monebat Seneca Lucilium epist. 83. Senec. *& in isto te vitæ habitu compone placidè non molliter. Malè mihi esse malo quàm molliter.* Incipiunt plures virtutis insistere viæ; sed veluti irato mortémque minanti colubro deterreantur, pedem referunt, & insistere fortiter nolunt: plures magna sibi promittunt; sed dum opportunitas vocat, imbecillitatémque suam sero rubore fatentur. Audi Senecam citata epist. *Hæc quidam putant ipsos sine philosophia repressisse; sed cum securus aliquis casus expertus est, exprimitur sera confessio. Magna verba excidunt, cum tortor poposcit manum, cum mors propius accessit, possis illi dicere: facile prouocabas mala absentia. Ecce dolor quem tolerabilem esse dicebas, ecce mors, contra quam multa animosè locutus es: sonant flagella, gladius micat, nunc animis opus Ænea, nunc pectore firmo: faciet autem illum firmum, si non verba exerceueris; sed animum.* Plurimi rei [illegible] ra [illegible] verba. Plures inter virtutis complacentiam, & inertis otij desidiam sic vitam diuidunt, vt virtuti pendant imbecillia desideria, aut verba gloriosa, inertiæ tamen torporem, gerunt animo magna, cum opere compleuerint nulla. Cassiodor. *Honestum [illegible] ambitum laudis, qui [illegible] per [illegible]* *Constat*, aiebat Cassiodor. 7. var. 38. *iucundum esse rerum bonarum saporem, & vtilem ambitum laudis quia petitur per argumenta virtutis.* Sapit multis virtutem desiderare, dolet exercere,

exercere, & ne saporis amittant oblectamenta, nec ignauiæ amiserint otia desideriis adulantur conscientiæ & alij blandiuntur ignauiæ. Filij Israel, dum terræ promissionis animo voluerent commoda, anxia Ægypto eiaculabantur suspiria: adeò vt Ægyptius rex proditionem aliquam vereretur, & artibus iniquissimis præcaueret. (Exod.1.v.10.) *Venite*, inquit, *sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatísque nobis egrediatur de terra.* Ad quæ Rupert. lib.1. in Exod. cap.3. sic ait: (Rupert.) *Hic nempe, si prudenter legas, necessario subintelligis filios Israel solitos fuisse suspirare ad terram, quæ patribus eorum repromissa fuerat. Hoc auditum a patribus venientibus filiis spem verbosam auscultantibus Ægyptijs iracundiam excitabat inuidiam.* Ecce auxiis suspiriis promissionis tellurem exambiebant; cùm tamen inertissimæ ignauiæ illos insimulet Iosue: *Vsquequo marcetis ignauia & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* Et marcent & suspirant: dum meditantur amœnum hæreditatis lætitiam, fœcunditatem fundorum placidam anhelis exambiunt possidere suspiriis: gratus namque erat, vt aiebat Cassiodorus, illius bonitatis sapor, & hæreditatis splendor; verùm cum arma arripere, & hostibus certamina præsentare necesse, torpent, marcent, hærent, & suspiria adiungunt ignauiæ, & texunt ignauiam suspiriis. Inuitante opportunitate probantur inertes, qui se longe politi mentiti sunt ambitores. Benè (Masius.) Masius: *Diutino bello fessus populus cum collatis vtrinque Iudæis & Iosephus qui si præsidijs sibi tutus videretur, otio se dedit, & communem tamen in castris statiuis vitam potiorem duxit, quam vt peculiarium possessionum gratia nouas rursum molestias subire subiret.* Qui audiret suspiria, cuiperet crederet ardentissimos in certamina; qui videret contemplantes ignaua otia, sibi non persuaderet flammantia fuisse anhelo pectore desideria: sic namque sibi contrarij sunt, vt & honesti votis & torpes simul appareant desiderijs.

79. Petamus à Genesi per pulchrum huius thesis exemplum. Vterini fratres Zara & Phares materno pectore vti strenuo stadio de maioritate certabant: iam aduenerat parturæ tempus, cùm Zara teneram dexteram luci dedit; nondum tamen prorsus exertam retraxit, & maternis iterum visceribus reddidit. (Gen. 38. v.27.) *In ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum dicens: Iste egredietur prior, illo verò retrahente manum egressus est alter.* Mira res, & manum protraxit & protractam recondidit: si retracturus erat, quid vtero ambitiosissimè decertabat, etsi fratre depræliabatur exambiens primogenituræ gloriam, quid prolatam contraxerit dexteram? Quia vtrumque opus mysterio, & necessarium arcano: dum portionis non appetit tempus, Zara ardenter maioritatem anhelat, & ad speciem suspirat; at dum necessum est manum porrigere, & ad ardua animosè protendere, cedit ignauus, qui censebatur honesto desiderio ambitiosus. Ad rem (Rupert.) Rupertus in Catena: *Duo gemini in vtero Thamar reperti sunt discordantes & quasi de priuilegio nascendi contendentes.* Audi quæ paulò pòst subdit: *In ipsa*, inquit, *effusione infantium vnus protulit manum: vnus ille, qui primum manum protulit, Iudæus est, qui primus legem accepit, & cui primum oportebat loqui verbum Dei; at ille repulit illud, & indignum se iudicauit æterna vita: manum ergo coccino ligatam citò retraxit.* Ambit & torpet: anhelat & marcet: hæret & inuolat: virtutis ardua refugit opera, & amore allectus virtutis crebra eiaculatur suspiria. O quot in mundo Zaræ! dum pariendi tempus non adest, gestiunt, lucem exambiunt, sibi magna facturos promittunt; opportunitate tamen inuitante dexteram prorsus retrahunt, & arida desideria relinquunt.

Chamæleon bestiola illa vocabulo grandis, & inter mediocres exigua edicto à sacrificandis arcetur: *Mygdale*, inquit, *Chamæleon, & stellio, & lacerata, & talpa omnia hæc immunda sunt.* 80. (Leuit 11. v.30.) Respuit Deus Chamæleontem fortè quia cum exiguus sit, vt cibum, ventosum nomen affectat: quid enim odibilius, quàm exiguitate omnibus nota premi, & ventosissimè super cæteros superbire. Aliam rationem subdit ingeniosissimè Tertullianus lib. de pallio cap.7. Chamæleontem scilicet semper speciè promittere gradum, cùm ferè nunquam explicet gressum, putabis audacem, experieris semper hærentem: aëre quodammodo libratur, quasi gressum promoturus, & cum facile sit nullo obstaculo præpediente oscitans semper marcet, & marcibus semper hæret. (Tertull.) Accipe Tertullianum. *Capit & alia bestiola versiculum de mediocribus oppido; sed nomen grande: Chamæleontem qui audieris haud antè gnarus, iam timebis aliquid amplius cum leone; at cùm offenderis apud vineam ferme sub pampino totum, ridebis illico audaciam & Græcum nominis... hebes, fessus, vix se à terra suspendit, molliter incessum stupens & promouet: gradum magis demonstrat, quàm explicat.* Chamæleon pulchrum sanè ignauorum emblema, gradum promittit, videtúrque promouere gressum, cùm idem semper occupauit spatium: non explicat gradum, quo oscitanti adulatur ignauiæ, & promittit falsæ quo blandiatur fiduciæ. Ita plures magna spondent, ad egregia facta se accingunt, & cum facturos nullatenus dubitaris, nunquam egregia opera patrasse videbis. Se fallunt, sibique ipsis imponunt de appetentia, & seipsos experiuntur de ignauia.

81. (Luc.1.v.31.) Angelus Virginem Mariam mundi dominam allocutus sic ait: *Ecce concipies in vtero, & paries filium:* quod ad motum concinnitatem adaptans eleganter Ambrosius in Catena, verbum illud: *Et paries*, quod videbatur superfluum, apprimè asserit necessarium: sunt namque plures animæ, quæ diuinum verbum vtero cordis concipiant; nec tamen formatum pariant; sed abortiuum excludant, concipiunt affectu, infelici excludunt abortu: desiderant, sed non efformant. Cùm exercendi, quod concupiuerant, tempus imminet opportunum, aut in opportunius protelant, aut de industria dissimulant, toti desidia, & toti prorsus ignauia: (Ambros.) *Non omnes*, inquit Ambrosius, *sunt sicut Maria, vt dum de Spiritu sancto concipiunt, verbum pariant: sunt autem quæ abortiuum excludunt verbum antequam pariant: sunt quæ in vtero Christum habeant; sed nondum formauerint.* Cùm facile sit oculos honestate sibi pellicere, virtutis species placet, verùm cùm adiunctam sibi arduitatem habeat, cùm doloribus constet partus, respuitur ignauia profectus. Concipiunt desiderio, excludunt

dunt peccato, & eodem tempore videbis plures carnis negotia curantes, diuitiarum cumulum exambientes, dignitatis splendorem tentantes, & virtutis fallaci desiderio delusi, & ambitu sanè falsi. Concipere desiderant, quia hoc affert oblectamentum: recusant parere, quia partus anxium reportat cruciatum.

82. Sponsa somno indulgens se omni ornatu carentem prodit, & prorsus honestè nudam testatur: *Spoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* (Cant. 5. v. 5.) Audis nudam, audi posteà dispoliatam: somnum excutit, surgit, vt dilecto adaperiat: fugientem perquirit, cùmque in satellitum manus incidisset, se pallio dispoliatam causatur: *Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Sibiipsi videtur sanè contraria: nam si omni ornatus lenocinio se gloriabatur nudam, quomodo se causatur pallio spoliatam? pallium habebat, quæ prædonum manus potuit incurrere, & tamen prorsus se vestimentis iactabunda gloriabatur carere. Si tempora discernas, vtrúmque reperies verum: somnians virtutis oblectata sapore, omni prorsus cultioris ornatus desiderauit carere gloria; expergefacta tamen sese solertiori adornauit cura: erat namque desiderium illud somniatum, & studium pompæ verum: secum certabat, dum cupiebat viuere nudam, & satagebat fulgere ornatam; nuditas placebat somno obrutæ, ornatus expergefactæ: queritur amisisse, quod gloriabatur nudasse. Hac voco Gregorium in 1. Reg. cap. 11. (Gregor.) *Quidam totam sanctam Ecclesiam denotat per desiderium suum; sed concreta vitiorum debilitate remissi: possunt quidem bona proponere; sed quia exequi quod proponunt, nequaquam possunt, ei concupiscentia superantur.* Decertat virtutis studium, & concupiscentiæ votum: quia virtus pulchra illam respuere nequeunt, & exequi, quia ipsi ignaui, non possunt: vtque acres conscientiæ sopiant morsus, & vitiorum non amittunt appetitus, ignaua virtuti consecrant desideria, cum fœda opere exercere moliantur vitia; sicque vnde dolorem emollire conscientiæ nituntur, grauius exulcerant, cùm grauius sit virtutis desiderium abortiuum excludere, quàm nunquam desiderare: affert enim desiderium reatum, si desiderans opere exercuerit vitium.

---

§. XVII.

Quidquid ad honestatem pertinet, lentè geritur, quidquid ad humanas vtilitates solerter ambitur.

83. Actionum gubernaculum est affectus, quæ magni habet, & studiosè requirit; pretium rebus imponit iudicium; sed affectionibus subornatum vilia mentitur pretiosa, & pretiosa despicere solet, vt vilia: qui hos affectionum fluctus, quibus non solum voluimur; sed rapimur, animo sereno intuetur, scit virtutem honestatémque præferendam, & quidquid in admirationem turbam mouet, aut præstigiis eludere, aut dum prenditur, elabi. *Demetrium virum optimum*, aiebat Seneca epist. 63. (Senec. *Breuis ad diuitias via diuitiarum contemptus.*) *mecum circumfero, & relictis conchyliatis cum illo seminudo loquor, illum admiror: quidni admirer? vidi nihil ei deesse; contemnere omnia aliquis potest, omnia habere nemo potest. breuissima ad diuitias per contemptum diuitiarum via est. Demetrius noster sic viuit, non tanquam contempserit omnia; sed tanquam aliis habenda permiserit.* Dignus sanè Demetrius, qui sui omnibus admirationem fecerit, quando sedulè honesta tractauit: & quæ mundialem ac vanum conciliant plausum, despexit. Non fuit quidem Demetrius vnus è multis, quandoquidem inter multos nec eius similis vnus: ferè omnes insatiabilis dignitatum vexat ambitio, vrget vel chlamydatos, & conchyliatos cupiditas: & qui vel extincto Sole virtutis non recordantur, antelucana luce, ambitiosis cupiditatum æstibus adurgentur. Quam benè Seneca epistol. 61. (Seneca. *Homini nec tellus satis nec mare.*) *Quamdiu sationibus implebimus magnarum vrbium campos, quamdiu nobis populus metet, quamdiu vnius mensæ frumentum multa nauigia, & quidem non ex vno mari subuehent? taurus paucissimorum iugerum pascuis impletur: vna silua elephantis pluribus sufficit; homo & terra pascitur, & mari.* Insatiabilis cupiditatis aluus nunquam caducis impletur, & cum fastidiat cælestia, implacabili cupiditate suspirat humana. Hebræorum populus Numinis præceptorum oblitus sic commoditatibus humanis studuit, vt in his sibi parandis infatigabiliter laborarit. Marcebant ad diuina præcepta demerebili segnitia, ad humana ardebant studiosissima diligentia. *Vsquequò*, illos carpit Iosue, *marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* Marcescebant pigritia, vt Dominicis parerent præceptis; cum tamen nulla denigrarentur ignauia, vt humanis inuigilauerint commodis. *Hac socordiam*, scribit Masius, (Masius.) *atque ignauiam mirificè souebant, vt est credibile, multæ commoditates, quas sibi in tam diuturna desidia omnes comparauerant.* De præceptis Domini adimplendis nulla illos vrgebat cura, de parandis humanis commodis magna omnibus fuerat solertia: adeò ignauè vtiliora tractamus, studiosè adeò caduca ambimus.

84. Dormiebat Isboseth feruente die commissa ancillæ custodiæ cura: illa tritico purgando incumbebat; sed blandus irrepsit somnus, & sui muneris obdormiuit oblita: Rhecab, & Banaa domum dissimulanter ingressi Isboseth somno illigatum crudelissimè interfecerunt: *Venientes filii Rhemmon Berothitæ Rechab, & Baana ingressi sunt feruente die domum Isboseth,* (2. Reg. 4. v. 5.) *qui dormiebat super stratum suum meridie, & ostiaria domus purgans triticum obdormiuit... Percutientes interfecerunt eum, sublatoque capite eius abierunt per viam deserti tota nocte.* Ecce per asperrimas rupes, per desertorum anfractus celeri pede gradiuntur, nec illos vrget somnus, nec anxius diuexat labor, cum ostiaria vel feruente die somno correpta obdormierit. Facilius sanè erat inuigilare die, ægriúsque somnum abigere nocte: homicidæ tamen illi somnum nó viderunt nocte, cum ostiaria resoluta curis obdormiuerit die. Ecqua huius discriminis causa est? Homicidas profectò aliquod humanum præmium à Dauid rege expectasse; ostiariam verò custodiæ honestæ incubuisse: tenebatur illa purgare solerter triticum, & custodire vigilantissimè Dominum; at honestum munus

ſic ignauè geſſit, vt meridie ſomno indulſerit; fratres tamen ſic impigrè ambitionis geſſere negotia, vt tota nocte per deſertorum ambulauerint inuia. *Oſtiaria*, inquit Gloſſa moralis, *triticum purgat, cùm mentis cuſtodia diſcernendo virtutes à vitijs ſeparat: quæ ſi dormierit in mortem domini proprij inſidiatores admittit: quia ſi diſcretionis ſolicitudo ceſſauerit, ad interficiendum animam malignis ſpiritibus iter pandit.* Quæ virtutes diſcernit, dormit; vigilant, qui ambitionis negotia gerunt: nec longa nox itineris labore armata fratres, vt dormirent tantiſper coëgit: cùm tamen oſtiariam facilè ſomnus ligarit. *Eſt ſenſus*, ſcribit Abulenſis quæſt. 7. *quod illi viri occidentes Isboſeth in meridie fugerunt illicò, & non ceſſauerunt die illa, & tota nocte ſequente ambulare per deſertum, vt velociter venirent in Hebron.* Subdit ſtatim rationem Toſtatus: *Quia putabant ſe aliquid magnum afferre, pro quo reciperent larga beneficia à Dauid*; ambitioſi non dormiunt: ſpebus namque quaſi calcaribus incitati per rupes ac deſertorum confragoſa adinſtar caprearum exiliunt, cùm oſtiaria domus ſomno ignauiſſima indulſerit, ac Domini morti aditum ignauia aperuerit. Adde temporis exiguum dicari virtuti, vitio plurimum, quæ ad temporalia ſpectant ea ſolertia tractari, vt nihil illorum poſſit deperdi; quæ tamen pretioſiora, ea ignauia geri, vt facillimè potuerint labefactari.

Gloſſa. Si dormiat mentis vigilantia auferetur virtuti vita.

Abulenſ.

Cupiditas & ambitio per latrocinia viis incurrere ſolet diſſendia.

85. Seruus ille Pharaonis carcere incluſus ſomniam vidit non ſolum infauſti euentus ænigma; ſed affectuum noſtrorum etiam emblema. Putabat ſe tria farinæ caniſtra ſupra caput ferre, in quorum ſupremo regius portabatur panis; in aliis verò duobus cibarius quidem & communis: *Et ego vidi ſomnium, quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum, & in vno caniſtro, quod erat excelſius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria, auéſque comedere ex eo.* Ioſephus apud Abulenſem hîc putat duo caniſtra communibus aut cibariis panibus plena; ſupremum verò delicato obſonio inſtructum: accinit etiam ibi Auguſtinus: *In ſuperiori erant panes delicati, in aliis erant panes communes*: ecce pro communibus panibus, pro ſeruorum edulijs caniſtrum deputatur geminum; pro regio cibo ſignatur vnicum: cùmque in caniſtris dies fuerint adumbrati vnicus dies, & quidem extremus regi inſeruiendo dicatur; duplum verò tempus ſeruis attendendis eligitur. O quantum tempus vanitati dicamus, quam exiguum & ferè extremum virtuti addicimus. Et quidem tolerabile eſſet, ſi ea ſolertia vel exiguum virtuti dicatum tractaremus, qua caducis dicata tractamus. Ecce tria caniſtra panibus plena, & tamen aues ſupremum ſolum defœdant, & roſtris panes deflorant: *Auéſque comedere ex eo*; & cur ex aliis aliquid non decerpant? Quia ea erant, reſpondet Abulenſis hîc, diligentia occluſa, vt nil in illa caniſtra auium audaciæ licuerit: extremum ſolum, vbi regius, & delicatus cibus, patebat auium adſultibus; cætera verò vbi rudiores cibi nullis auium peruia occludebantur conatibus. Audi Abulenſem: *Ex ſuperiori caniſtro dixit aues comediſſe: quia de alijs comedere non poterant: quia inferiora duo caniſtra erant clauſa: quia cum vnum eſſet ſuper aliud, fundum eius erat ſuper aperturam alterius, & claudebat illam: manebat ergo iſto modo os caniſtri ſuperioris apertum, de quo ſolum comedere poterant aues.* Solùm patebat auibus, quod maiori debuerat cuſtodiri diligentia; illa tamen ſedulè ſeruabantur, circa quæ parum nocuiſſet ignauia. Profectò humana ea ſæpiùs ſedulitate tractantur, vt nihil aliæ curæ prorſus diſcerpant: intentiſſimè incumbitur ambitioni, vigilantiſſimè fœnori: dum his vacat, nullis curis interpellatur affectus, aut auocatur diſcurſus; ſi verò ſacris concionibus, aut contemplationi intendamus, multiplices aues, hoc eſt tumultuoſæ cogitationes ferè omnia diſcerpunt, dedecoroſiſque roſtris adeò corrumpunt, vt delicatus ille cibus indecorè fœdatus non poſſit regiis obtutibus præſentari; ſed debeat ad offerentis pœnam à Principe faſtidiri. Ex ſuperiori ſolùm caniſtro comedere poterant aues, cùm vilia alia caniſtra, & omni diligentia occluſa, & ſolertia omni obſerata. Adde ſic homines virtutem deſpicere, ſic intentiſſimè vanitatibus ſtudere, vt honeſta vel cùm ignauè geſſerint, nullatenus dolore gemant perculſi, cum ſolertiſſimè caducis ſtudentes ſe veluti ignauos carpant, & quaſi oſcitantes reprehendant. Itaque in caducis vel ſolertiam reputamus ignauiam: in honeſtis vel ignauiam deprædicamus ſolertiam.

Gen. 40. v. 16.

Ioſeph.

Auguſt.

Vltimum tempus virtuti, plurimum deputatur voluptati.

Abulenſ.

Pater ille optimus lucem anteuertit, vt in vineam miſerit operarios: id erat culturæ ſtudium, vt nullis temporibus pepercerit deſiderium: non quieſcit; ſed iterum atque iterum iterat viam, vt promouerit vitium culturam: *Circa vndecimam exijt, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hîc ſtatis tota die otioſi?* Ecce otium putant in foro ſtare: audi quid de ſuis ignauis ſanè curis, & laboribus primi illi in vineam delegati ſenſerint: *Portauimus*, inquiunt, *pondus diei & æſtus.* Otium illud interpretatur Chryſoſtomus apud D. Thomam illicitis artibus circumuenire proximum, aliena rapere, & credita ſibi non reddere: *Vidit alios in foro ſtantes otioſos. In hoc enim mũdo vendendo & emendo viuunt homines, vt inuicem ſibi fraudem facientes vitam ſuam ſuſtineant.* Annuit Gregorius ibi. *Qui ſibi viuit, qui carnis ſuæ voluptatibus paſcitur, rectè otioſus arguitur: quia fructum diuini operis non ſectatur.* Ecce quid otium æſtiment, quid ignauiam reputarint, fouere vitia, ambire rapinas, iniquas alere ſemper concupiſcentias, piacula putant otia, & cum dicatur otioſus, qui nihil agit adhuc in ipſo impietatis feruore ſe nihil agere autumant, & vacare ſemper exiſtimant. E contrario qui diuini operis ſatis oſcitanter negotium exercent, ſe ſolertiſſimè incubuiſſe iactant, & omne virtutis pondus viriliter ſuſtinuiſſe aſſeuerant: *Portauimus*, inquiunt, *pondus diei & æſtus. Omnis retro vocatio*, ſcribit Hieronymus apud D. Thomam, *gentilibus inuidet, & in Euangelij torquetur gratia.* Accinit etiam Hilarius ibi: *Secundum inſolentiam populi, iam ſub Moyſe contumacis hoc murmur operantium eſt.* Incurioſè adeò virtutis geſſerunt ſtudia, vt corde geſſerint odia. Ignaui & contumaces ſe de ſtrenuo labore iactant, ſéque totum virtutis pondus conſtantia infatigabili toleraſſe ſuperbè ſatis oſtentant. *Portauimus pondus diei & æſtus.* En iſti in virtutibus exercendis pigritiam inaniter prædicauere ſolertiam, cum illi in vitiis exercendis ſolertiſſimam curam otioſam reputarint ignauiam. 86.

Matth. 20. v. 6.

Chryſoſt.

Gregor.

Hieron.

Hilar.

Villicus ille, vt victum honeſtè comparauerit, ſe terram fodere non poſſe teſtatur: *Fodere* 87.

Luc. 16. v. 3.

non

non valeo. Vt terram vertat, & honesto labore viuat, manus torpent, vires lassantur, corpus teritur, ac tandem, quia deest voluntas, & facultas etiam abest. Audi quid alter fecerit: *Qui vnum* (talentum) *acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.* Vt pecuniam abscondat, vt vitio viuat, & terram vertet, & laboriosissimè fodiet. Fodere valet, vt sectetur otia, non tamen valet fodere, vt tractarit honesta. O quàm suppetunt vires ad consectandas, venandásque voluptates, quàm deficiunt ad exercendas virtutes! alter terram vertit, vt delinquat, alter vertere non potest, vt debita reddat. *Talentum quippe*, scribit Gregorius apud D. Thomam, *in terra abscondere, est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare.* Vt terrenis actibus implicetur, nullis laboribus fatigatur; vt honestè viuat, nec valet fodere, nec virtutibus poterit studere. *Impotentem esse in opere*, scribit Chrysostomus apud D. Thomam ad Lucæ 16. *crimen est vitæ inertis: non enim timeret, si consueuisset affectare labores.* Iners honestos labores fastidit, voluptuosus terræ versioni non parcit. Vt noueris quam solerter alter gerat terrena, quam alter ignauè diuina.

Matth 25. v.18.

Gregor.

Chrysost.

---

§. XVIII.

Vir perfectus ad dignitatis honorem veniet accitus, diuinum vel defendet intrusus.

88. VIr perfectus insanum honoris subiugat appetitum, quia quietem præfert inquietis ambitionis tumultibus, & laboriosis cupiditatis conatibus, nec solum pedem non efferet, vt culmine dignitatis refulgeat; sed viam carpet, & longius abscedat. Aliquando dignitatem admittet; sed accitus, sed rogatus, imò compulsus; verum is idem, qui honorem rogatus adhuc difficulter adiuit, sic ad Numinis honorem procurandum, asserendúmque inardescet zelotypus, vt à seipso agitatus inuolet, pericula generosè despiciens, vitámque animo erecto contemnens: magnanimus despicit gloriam, sed acerrimus diuini honoris nititur repellere offensam: ipse se ingerit, & intrudit adæquè diuinæ offensæ impatiens, & splendorem proprium contemnens. Populus cùm militarem gloriam facile quiuerit promouere sic differebat certamina, vt admonitione sugillatiua quodammodo opus illi fuerit: *Vsquequò*, inquit Iosue, *marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* Diues inuitabat hæreditas, & opulenta possessio; nec tamen curabant diuitiarum augere copiam aut sibi æternare famam; verum hi ipsi ad speciem desides sic in arma ruunt aduersus Rubenitas, & alios, quos Numinis temerasse religionem putabant, vt opus fuerit illorum animositatem frænare, ac ardorem bellicum cohibere. *Cum audissent filij Israel, & ad eos certi nuncij detulissent ædificasse filios Ruben, & Gad, & dimidiæ Tribus Manasse altare in terra Chanaan super Iordanis tumulos contra filios Israel conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos.*

Ios. 22. v. 11.

Hîc, vt vides, ambitiosè armantur in prælia, qui ad speciem ibi otiosa marcescebant ignauia: & cur qui retrò desides, hîc audaces? Ecqua huius discriminis causa est? Quia ibi propria vtilitas alliciebat, temeratus hic ad speciem Numinis honor vocabat: & qui ad propriam adhortatione indigebant, ad Numinis defendendam gloriam vnanimiter festinabant: expeditionibus pepercerunt cum illorum nouis certaminibus adaugeri posset fama, nec vocati omnes suopte properarunt, vt à Numinis honore vel existimata depelleretur offensa. *Incenduntur Israelitæ*, scribit Masius, *suspicione atrocis rei aduersus fratres suos vsque eo, vt bello ipsos inuadere parent, atque ex lege agere, quæ in Deuteronom. scripta est: qua in re vindicanda auitæ religionis zelus laudem meretur maximam.* Non accenduntur, vt amplioris sibi certaminibus diuitias acquirant, imò adhortatione Ducis est opus, vt terminos hæreditatum produxtrint; ast, vt auitæ religionis illæsam conseruent laudem, vel infratres irruptionem ardenter tentant, & debellare suspirant. Quod videas ad propria commoda acciri, & ad Numinis honorem vrgeri.

Masius.

David imperfectus per adolescentiæ tempus sub diuo oues vberrimis pascuis agebat, innocens cum innocentibus deputatus, qui quamuis benè auctus esset gregum copia singulari morum omnibus enituit modestia: frater paruulus agri laboribus indurabatur, cum maiores indulgerent otio, & vmbratili quiescerent habitaculo. O quoties de labore pauperum otiantur magnates, & quibus ætas aut fortuna commiserationem poscebat, violentia iniustitiaque semel, & iterum grauat. Dauid ergo oues sequebatur, & dum pasceret pecora, tota virtutum inserebat animæ prata. Deus ergo quem homines despiciebant, pluris æstimabat, a gelumque regale mutare gestit in sceptrum. Ergo Samuele magno sacræ Vnctionis ministro constituto ad Isai domum legat, & eligendum nomine communi designat ne vel notitia electionem adulteret, neve humani fauoris gratia electi immubilet splendorem. Senis domum accedit Propheta, & mysterio cognito filiorum chorus Samuëlem ambitiosissimè circumdabat, & quisque lateribus studiosè adhærebat; verùm cùm iam esset consumpta vteri vbertas, nec vngendum cælestis electori gratia demonstraret; an reliquus superstit filius interrogat, cui pater. *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues:* quantociùs vocari iubet, & Dauid obedientia accitus venit: *Misit, & adduxit eum.* Vides ad regalem purpuram compellatum, vide ipsum, vt Numinis honorem vindicet, ardenter intrusum. Stabat gigas ille proceritate superbus, & præsumptione infinitus Dei phalangas opprobriis vilissimis deuenustans, & exprobrasse inaniter glorians: milites animo prasternebantur antequam corpore, & victoriam ne certamen subirēt aduersariis ignominiosissimè concedebant. Venit Dauid fratres inuisendi causa, & cùm belluā illam audiret blaterantem, in Numinísque honorem indignis contumeliis audentem, vt erat zelotypus, non sustinuit, sed ardenter vitam exposuit, & ad se prouocationem certaminis rapuit: *Non concidat cor cuiusquam in eo. ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.* Ecce non vocatus pugnat cum gigante,

89.

1.Reg 16. v.12.

1.Reg.17. v.32.

& regale ad sceptrum solùm recurrit compulsus, cum ad dignitatis splendorem ambitiosi homines inuolent festinanter, & quæ ad se prælia non pertinent, fugiant prudenter, cur Dauid se præliis intrudit, qui coronis se denegauit? Quia in vtroque, respondet Basilius Seleuc. perfectus, & dum proprium honorem fugit, & dum diuinum exambit. *Cùm nullus*, inquit orat. 15. *è toto exercitu probaretur satis, essétque in periculo Saul, tunc militem suum producit in medium gratia, verè Regem factis declarans.* Plenas amoris diuini voces vel ante victoriam potitas victoria emittit, & cum infido de fide disputans manum in certaminis vsum armat. *Deo contumelia dicitur*, addit Basilius Dauidis nomine, *ecquis in pugnam non armetur?* Non suspirat purpura collucere, nec fasciis regalibus redimiri; sic tamen honorem ardet diuinum, vt non vocatus prodeat in prælium. O quàm aliter multis accidit! vt prætextam capiant, vt volaticæ dignitatis apice decorentur, iniurias negligunt vindicare diuinas, quo de ipso neglectu ad ampliores sibi dignitates fecerint gradum. Causam non defendunt populi, viduarum querelas contemnunt: ea solum cogitant, quæ potentium possunt adulationi inseruire, & infidelem fortunæ gratiam mereri.

Basil. Seleuc.

90. Christus Dominus in Regem à populis expetebatur; sed adæquè se gessit magnum in honoribus promerendis & aspernandis: post illam tot myriadum satiationem, cùm cognosceret gratos animos, vt illum inaugurent Regem inclinare, præscientia vtens diuina gratos elusit affectus, & frustrauit conatus: *Iesus ergo cum cognouisset quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem fugit iterum in montem ipse solus.* Non solùm ascitus, imò compulsus dignitatem non adiit; sed præscius aufugit Maiori industria vsus est ad vitandum, quam ambitio soleat ad obtinendum. Hic idem non vocatus venit in templum, cúmque nundinis profanatum videret, in merces, & mercatores insiluit. *Ascendit Iesus Ierosolymam, & inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios sedentes, & cùm fecisset quasi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo.* Hic venit, & ibi fugit. Et sanè videbatur illic venturus, fugiturus hic: hic enim Principes populi aduersus se exulcerabant, ibi diadema perdebat: si in eius oculis delinquerent, nil mirum virtutis vindex arderet; at humana consulere videbatur prudentia magnatum se subtraxisse conspectibus, séque populi permittere plausibus, & tamen honorem ibi timuit, & hic honorem exambit. In vtroque sanè perfectionis exemplar; sic Dei ardebat honorem, vt se quodammodo ad defensionem ingereret, intruderétque: sic humanum aspernabatur honorem, vt alatus fugeret, & magnanimus inuolaret. Dei zelus flagellis in aduersarios armari consuluit, humilitatis amor futurum regem fugauit, nec adamauit proprium, nec honorem permisit maculari diuinum: in vtroque perfectissimus, dum fugit, & dum aduentat: zelus namque consuluit aduentum, humilitatis amor consuluerat volatum. *Expulit vendentes & ementes*, inquit Origines in Catena, *quorum expulsio transcendebat dignitatem eius, qui reputabatur filius carpentarij, nisi quod diuina potestate sibi omnes subiecit.* Non pertinebat ad speciem hoc factum ad Christum,

Ioan. 6. v. 15.

Ioan. 2. v. 14.

Origen.

vtpote nulla tunc publica iurisdictione in peccantes donatus; verùm zelus adussit, & honor Numinis inflammauit. *Discipuli*, addit ibi Beda, *videntes in eo hunc feruentissimum zelum recordati sunt, quia zelo domus patris Saluator eiecit impios de templo.* Zelo suadetur, vt ad speciem ad se non pertinens vitium corrigat, humilitate, vt ad se pertinens regnum effugiat. O quàm vterini germani sunt & honoris proprij despectus, & zelus diuini ambitus, qui nimis propriis honoribus inhiat, haud inhiabit diuinis; qui cupiditatibus suis indulget, & alienis vitiis licentiam faciet; at gloriam ardebit diuinam, qui magnanimè contemnat humanam. Ad ea, quæ specie tenus ad se non spectabant, zelotypus inuolat; quia zelus nescit moras, dedidicit ignauiam, calcat periculum, & vel intrusus ardentem prodit affectum. *Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* Quasi dicerent: Qua frueris publica potestate, quóve iure hanc tibi licentiam vsurpas, & templo vendentes castigas. Ipsa interrogatio nullam in eo tunc iurisdictionem publicam testabatur agnosci; sed quod afferebatur ad exaggerationem procaciæ, commendabat zelum vindictæ: Dei namque zelo adustus prudenter se ingerit, & vt diuino honori consulat, vel importunè se intrudit.

Beda.

Iam qui honorem proprium ambitiosè suspirat, negligenter tractare diuinum, & qui diuinum studiosè tractat, magnanimè despicere humanum, duo illi fratres Moyses & Aaron contrario stylo probarunt. Aberat Moyses apud Synæum a Numine legem populis accepturus; verum populus qua furebat idololatriæ libidine dari sibi Deum tumultuosis clamoribus postulauit: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Parum Aaron restitit; imò quam citò obediuit, non exaggerauit operis deformitatem, flagitij insaniam, sacrilegij enormitatem; sed meticulosus cessit, & improbè dominans obediuit: *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorúmque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.* Caietanus rem metu actam, & ambitione testatur perfectam: *Aaron*, inquit apud Lippoman. *primatum nolens perdere ædificat altare coram vitulo non expectans rogari.* Coniecit rem gratam Principibus se facturum, si sumptu pompáque extulisset idolum, nec expectauit rogari, qui dignitatem didicerat exambire: suam curans spreuit Numinis dignitatem, & honoris proprij studio, nullo diuini inflammatus est zelo. Hoc eodem tempore non iam populus, sed Deus ipse Moysem rogat, ne ardentem in scelestos iram cohibeat: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam.* Maximo prolectatur honore, Dei quodammodo precibus adurgetur. Quid tunc Moyses? *Ne quæso dicant Ægyptij: Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra.* Sui oblitus causas fecit honoris diuini, & ne Numinis vel apparenti suspicione degeneret fama, redimiri aspernatur gloria. Ecce qui ad diuinitatis honorem vel reluctanter ascitus, vt Numinis honori consulat non desistit rogatus, cùm Aaron vel cesserit semel rogatus quia volatici honoris fuit ambitiosus. Ibi Deus Moysi aiebat: *Dimitte me*, hîc populus ad Aaronem: *Fac nobis Deos*; sed Moyses vtpote perfectionis culmine clarus restitit; Aaron verò obscura

91.

Exod. 32. 1.

Caiet.

Exod. 32. v. 10.

detentus

Lippoman. [illegible]

detentus valle obediuit: *Dicat Moyses*, scribit Lippomanus, *redundabit hac ira tua Domine hoc iudicium tuum, quantumlibet iustum in blasphemiam tui nominis, in præiudicium veritatis, in offuscationem veritatis tuæ, in scandalum electorum etiam ex omnibus gentibus, cum audierint cœpisse te liberare populum hunc tuum, & vel noluisse, vel non potuisse, quod vtrúmque intolerabile sanctis.* Moyses se ingerit, vt oret, vt honori consuluerit diuino, qui vel ad Diuinitatis infulas vocatus linguæ toties impedimenta allegauit, & pro viribus fugit: perfecti namque renuunt honorem asciti, diuino consulunt vel intrusi: iubebatur tacere: *Dimitte me*, id est, ne ores, & piè reluctatus institit exorare. Alibi iussus accipere dignitatem renuit, hic taciturnitatem iussus decenter non paruit: vbique perfectus, & cùm dedignatur honorem proprium, & cum asserere exambit diuinum. Aliter quidem Aaron obscurauit diuinum, quia vanus quæsiuit proprium. Disce ergo, & Numinis honori inseruire, & volaticum splendorem contemnere.

---

§. XIX.

Cum omnium virtutum quisque debeat florere censu, gaudet, si vnius aut alterius resplendeat ornatu.

91. SApientis vita vnius coloris est, omnia ad virtutem concinne adaptat, & quibus delectatur vulgus, æquus iudex tenuem ac perfunctoriam voluptatem reputat: nescit improuidis mansuetus iracundiæ caloribus vti: nec vt pudicus dedecorosis luxuriæ maculis defœdari. Quodcumque inuentitium gaudium, & sine solido fundamento fucatum, prorsus fugiendum agnoscit, cúmque imperturbatum vitæ, & actionum tenorem obseruat, vt illum possit effecisse beatum, & omni honestatis laude conspicuum; verùm plures extrinsecè tantùm splendescere laboriosé curant, nec ad perfectionem spectant: hi sanè sui optima parte non fruuntur, sed caris fallaciis felicitatem non sinceram mercantur: *Veri boni*, aiebat Seneca epist 33. *auiditas tuta est: quid sit istud, interrogas, aut vnde subeat, dicam: ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ, & continuo tenore vnam prementis viam.* Omnis via æquis virtutis gressibus dimetienda: nam vagari, & transilire non parit virtutis elogium; sed prodit inconstantis animi ingenium: sibi nonnulli plaudunt de continentia; cum tamen insana efferbuerint ira: alij se gloriantur misericordes cum tamen alienam famam tetra obscurauerint lingua, & venenata abroserint maledicentia. Satis non est ad pulchritudinis elogium oculos habere venustos: omnes faciei partes debent sibi concinnè respondere, & ad elegantiam constare: ille solùm virtutis verè discipulus, & alumnus est, cuius nulla actio calumniatorem delectat, aut beneuolum contristat. In Silo conueniunt filij Israël, septem tamen tribus etsi faustis acclamationibus tabernaculi veluti dedicationem concelebrent: ignauia erga alia præcepta marcent: & ne sibi de religione plau-

Senec. *Verum ac felicium bonū [illegible] ag[illegible].*

dant, ac si virtutibus conspicui eluceant. Iosue teporem illorum carpit, & virtutibus omnibus inuigilandum ostendit. *Congregati sunt omnes filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij, remanserant autem filiorum Israel septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas ad quos Iosue ait: Vsquequo marcetis ignauia?* Religionis studiosi confluunt; sed commoditatibus, & deliciis indulgentes marcescunt. Ergo Iosue illos ad depellendam ignauiam hortatur: quia virtutibus studioso satis non est vna aut altera virtute lucere; sed omnibus concinnè sibi concordantibus debet constare. *Non erant benè diligentes*, scribit Lyra, *ad habendum portiones determinatas, & per consequens minùs soliciti ad extirpandum gentiles.* Florebant religionis obsequio; sed marcescebant ignauo otio: hos ergo Imperator optimus carpit, & ad cumulum virtutum impellit. Lyra.

93. Fortè hoc nobis prodidit Scriptura in duobus illis Pharaonis seruis. Vidit alter florulentam vitem tribus propaginibus instructam, aureísque vuarum racemis ditatam. *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere.* Vidit alter tria farinæ canistra, in quorum celsiori saporatæ Pharaonis dapes; in aliis autem panes cibarij minùs studiose confecti: *Et ego*, inquit, *vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria.* Iosephus optimus somniorum coniector alteri Pharaonis promittit gratiam, & appetentem alteri pandit iram: *Auferet Pharao caput tuum ac suspendet te in cruce:* Et cur cùm simillima fuerint ad speciem somnia, somniorum adeò interpretatio diuersa? Vidit alter tres propagines, tria & alter canistra: alter ministrauit potum; sed alter cibum: ergo vtrique aut faustus denuncietur euentus, aut euentus vtrique dirus. O expende somniorum differentiam. Vidit vitem alter, cuius palmites aureis ditabantur vuis: nec enim illorum alter germinabat dulcissimas vuas, alter verò ingratas labruscas; sed omnes eodem tenore crescebant, & dulci fructu micabant. Pistor autem tria ferebat canistra, quorum vnum tantùm studiosè conformatis ditabatur panibus, duo tamen alia aut vacua, aut cibario pane repleta. Cuius ergo dies dissimiles, Pharaonis promeruit iram nec mortis effugere potuit sententiam; nam licet aliquod vitæ tempus dignis obsequiis effulxerit, plurimum vitæ spatium operibus vacuum, aut indignis impensum curis offendit. Quàm sibi fortè gratulabatur de vnico canistro, qui poterat vereri de gemino: non erant vnius coloris dies, nec eodem tenore constabant; imò humerum eodem tempore, duo canistra cibario pane deferebant repleta, & in alio edulia artificiosis conditurus elaborata: hic ergo sustinet mulctam, & ille redit ad gratiam: vt nobis liqueat vitam sapientis omnibus virtutibus adornari, non vna aut altera tantùm fulgere. *Sunt qui interpretentur*, scribit Lippomanus, *tria canistra foraminata.* Concinit Abulensis ad hunc locum: *Satis patet ex hoc quod ista tria canistra non habebant eundem modum cibi.* Diuersus erat canistrorum cibus, idem propaginum fructus: ideò alterius infaustum somnium, & alterius fortunatissimum: nec enim satis

Genes 40. v. 9.

Lippoman.

Abulens.

satis erat ad felicitatem vna aut altera virtute fulgere, si cæteris constabat priuari.

94. Matth. 20. v. 1. Pater ille familias, qui operarios conducere egressus est, conductos misit in vineam: *Exijt*, inquit, *primo mane conducere operarios in vineam suam.* Hanc vineam ipsorum operariorum virtutes designare docet Chrysostomus apud D. Thomam: *Vinea eius iustitia est.* Sed videamus cur sub vineæ ænigmate iustitiam adumbrarit? Quia in vinea, inquit Chrysostomus, non vna aut altera vitis, sed plures: vt ergo intelligerent ad excolendam Dei iustitiam satis non esse luxuriantem lasciuiæ vitem ferro castitatis præcidere, si maliloquij sentes, si cupiditatis gramina, si nociuæ aliæ herbæ fundi innubilauerint faciem, vineam appellauit iustitiam, quia iustitia omnibus virtutibus quasi vitibus debet constare, non vna aut altera tantum excellere. *Vinea eius iustitia est, in qua*, addit Chrysostomus, *diuersæ species iustitiarum positæ sunt quasi vites: puta mansuetudo, castitas, patientia, cæteræque virtutes, quæ omnes generaliter iustitia appellantur.* Non est vinea, quæ vna aut altera vite constat; sed quamplures generosi liquoris matres illustrant. Ne igitur de mansuetudine sibi blandirentur auari, ne de misericordia sibi turpes adularentur vanissimè, iustitiam appellauit vineam multis vitibus diuitem, multis opulentam racemis, aureis exundantem vuis. Cum Miletum ingressus Alexander multas statuas olympicis cursorum vidisset, in risum effusus est, quandoquidem subacti ab hostibus sibi plaudebant de cursibus. Ita Plutarchus in apophthegmat. *Mileti multas statuas contemplatus athletarum, qui ludis Olympicis, & Pythicis fuerant victores: vbi erant*, inquit, *tanta corpora, cum vrbem vestram barbari expugnabant.* Argutè illorum insultauit amentiæ, vtpotè qui gloriarentur de ludis, & hostibus triumphum concessferint armis: quid enim intererat vicisse cursu, & terga vertisse campo. Illius solùm æternitati dignè consecratur imago, qui in nullo victus omnigenis virtutibus florat, aut certè aliis non dissonantibus factis aliqua eximia laude antecelluit: partam de cursu victoriam obscurat in campo ignauia, nec campo ignauia parta Olympicis decorare valuit victoria.

95. Sponsus Sponsæ amore saucius sic pernici per montium ardua cursu inuolabat, vt cursus ibices doceret: ostium pulsat: tunc delicatissima Sponsa pedes suos abluisse testatur: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos.* Quid tunc? Sponsus inuolat, & pedes lotam desertat: *Surrexi vt aperirem dilecto meo; at ille declinauerat, atque transierat.* Si declinat, quid tam celeri pede aduentauit? aut si tam anxiè aduentauit, cur celeriter adeò fugit? Certè eam munditiam in Sponsa desiderabat, quam antecedenti capite expresserat: *Dentes tui*, inquit, *sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* De lauacro non pedes solùm; sed reliquum corpus ablutæ ascendunt: ergo cùm Sponsa ad pedes tantum angustauit lauacra, Sponsi dignè punitur absentia: nec enim satis erat ad honestè deliciosos Sponsæ amplexus nitere pedes gressuum munditia, si facies aut manus decumpabatur aliqua nota. Se fortè iactabat Sponsa de gressuum pudicitia, quod nullatenus ad turpitudinis vias, ad appetitus deflexa laboriosas semitas deuiaret, cùm & otio indulgeret, & corporis commoditates nimis studiosè curaret: gloriabatur de pudicitia; sed denigrabatur de ignauia: facie sordescebat decolorata: ipsa enim ait: *Decolorauit me Sol*, pedibus gloriabatur abluta. O quot alienam famam tetræ oblocutionis nebulis infuscarunt. O quot nimio corporis luxui indulserunt; qui tamen iactabundi gloriantur de hac aut illa virtutis excellentia, cùm eos non exigua denigret vitiorum nota. Aperiri sibi exoptabat Sponsus quia nondum in dormientis cor penitus illapsus, & cum Sponsa de somnij ignauia debuisset pœnitere, de pedum cœpit ablutione gloriari. *Cor, quod penetrat, aperis tibi*, scribit Gillibertus serm. 43. in Cant. *apertum tenes, dum te subtrahis; & fortè vtraque necessaria est, & cognata sunt sibi apertio Sponsæ, & apertio Sponsi: apertio Sponsi apparitio eius, apertio Sponsæ apparatus eius, & coaptatio ad tam dulces vsus.* Nondum erat ad dulces vsus coaptata quando aperire iubebatur Sponso; illa tamen clausum esse ostium parum attendens, se nitere pedibus mundam dormiebat glorians. Gillibert. Adde solummodò Deo perfectam attulisse lætitiam, qui omnium virtutum sibi aggerauerit copiam: laboriosámque intulisse molestiam, quem, quamuis aliis fulgeat ornatus, alicuius denigrarit virtutis defectus.

Die septimo Dominus requieuisse refertur, cùm tamen cæteris quasi laborasse dicatur: *Requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat, & benedixit diei septimo, & sanctificauit illum.* Quærunt interpretes cur hic præ cæteris dies gratus, & benedictione præcipuus; aiuntque in ipso omnia consummata, & ad perfectionem perducta: inquit enim textus: *Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat:* quoadusque opus perfectè absolutum luxit, dies tota sanctificationis luce non resplenduit dicata quieti, sed labori: cælum quidem productum est prima die; verùm adhuc rude: tellus extensa, sed imparata: quæque dies eximio aliquo opere refulgebat; sed & alterius opus desiderabat: solùm die septimo omnia completa, & ad consummationem perducta: hic ergo dies nunquam tenebris æternatur deturpandus, vtpotè quem nec vrget vespera, nec tremulis illustrat radiis aurora. Prodest Hieronymus in quæstion. super Genes. *Deus operatur in Sabbatho complens opera sua in eo, & benedicens ipsi diei, quia in illo vniuersa compleuit.* Micabat dies quartus recenti luminarium iubare; sed nondum productus homo, dies alius de firmamenti molitione gloriosus; sed de cælesti lumine non iucundus: Sabbathum solummodò opus habet completum, ideo & benedictione sacratum: vt iam vel à sæculi exordio hanc Deus doctrinam tradiderit, videlicet satis non esse vno aut altero eximio opere ornari, si aliis contigerit non fulciri; solúmque requiei Domini dies dicendus, cui nullus virtutum deest cumulus; sed lucet omnigena virtutum luce perfectus. 96. Genes. 2. v. 2. Hieron.

§. XX.

Dum quis deliciarum vinculis detinetur, ad virtutem properare lentatur.

Bona fortuna virtutis solet esse nouerca: nā dum deliciarum, commoditatúmque gratis prolectat 97.

[illegible] im ig- [illegible] pr[illegible]s non [illegible]m. De [illegible] referunt [illegible] ad- [illegible], & penitus retardare: portus solidi- [illegible], fauonius impletis velis iter sollicitat; nec tamen nauis mouetur: quia vi pisciculi re- [illegible]. O quam remora rationis est magna felicitas, quàm moratur ad virtutem gressum, dum iucundo properantem illigat fascino! Vel Zara, quam ad opera manuum miserat, retardatur de coccino splendescenti, & de obstetrice acclamanti: *Illo verò retrahente manum egressus est, alter.* Qui sine coccino prodiit, qui coccino ornatus, lentiùs exiuit. *Sirenas in miraculum cantasse curiosa prodit antiquitas*, scribit Cassiodorus 2. variar. 40. *& quamuis nauigantes fluctus abduceret, carbasa ventus inflaret, eligebant [illegible] decepti scopulos incurrere, ne tantam paterentur dulcedinem præterire.* Dulcedinis detinebantur illiciis, quantumuis adurgerentur fauoniis. Ithacus autes industriè obsepuit, vt ad portum posset appellere: agnouit namque sibi esse contraria cantus dulcedine prolectari, & ad tenendum portum auide eniti. Aurum superbiæ semper fomentum, deliciarum patria, voluptatum est officina: delicatus cibus virtutis fascinatio, & roboris imminutio: cultus pompaticus castitatis dolus, pudicitiæ fraus, & proxeneta vitiorum. *Archidamus*, scribit Plutarchus in apophthegmat. *Pollicenti suaue vinum; quo? inquit: siquidem, & exhibetur largius, & animos strenuos labefactabit.* Virtus labefactatur deliciis, & mens hominis, si dici liceat obbrutescit felicitatibus. Lycurgus aurum exterminauit à republica, quo depelleret iniustitiam, impelleretque ad honestatem: quasi aurum ad virtutem tardaret gressus, & pondere eneruaret conatus: *Monetam auream, & argenteam antiquauit: ea re exterminata Lacedæmone omnis est iniustitia.* Auro exundans ad virtutem graditur tardior, & ad cælum tendit morosior. Iosue graui obiurgatione tribus nonnullas carpit: quia nec in vlteriorem tellurem parabant progredi, nec hostibus depræliari. *Vsquequo marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* Huius ignauiæ causam reddunt interpretes. Placet inter alios Masius: Putat hic auctor cùm iam non exiguo tempore armis abstinuissent, plurimas sibi commoditates extruxisse, & delicias studiosè parasse, quibus vinculorum adinstar sic compediti detinebantur, vt progredi vlterius nullatenus conarentur: *Hanc socordiam, atque ignauiam mirificè fouebant, vt est credibile mille commoditates, quas sibi in tam diuturna statione omnes compararant. Hanc igitur segnitiem, atque desidiam vt castigaret Imperator, prudenter aliò mouenda esse castra putauit, aut dissipanda potius, & quemque ad suas possessiones extrudendum.* Commoditates dissipauit, vt quémque ad terram sibi promissam extruderet, quasi ni commoditatum rumperet vincula, nullatenus ad legis adurgere posset præcepta. En socordiæ causam, mille commoditatibus exundare, & deliciosissimis voluptatibus frui. Acre illud progrediendi studium, quod omnes olim nobiliter adurebat, adeò languidum, vt de pessimo otij vsu nec conscientiæ morsibus pulsarentur. Vitam constituerant prorsus ignauam, & militari robore indignam: quia sic deliciis, & voluptatibus emolliti, vt nec curarent promouere gradum, vt optatum peruenirent ad terminum: adeò deliciæ irretiunt; adeò voluptates emolliunt. *Quemadmodum aliqua vestis*, scribit Seneca epist 52. *sapienti ac probo viro magis conuenit, quàm alia, nec vllum colorem ille odit; sed aliquem putat parum aptum esse frugalitatem professo, sic regio quóque est, quam sapiens vir, aut ad sapientiam tendens declinet, tanquam alienam bonis moribus.* Audi attentius, quæ subdit. *Videre ebrios per littora errantes, & comessationes nauigantium, & symphoniarum cantibus perstrepentes lacus, & alia, quæ velut soluta legibus luxuria non tantum peccat; sed publicat, quid necesse est? Id agere debemus, vt irritamenta vitiorum quàm longissimè profugiamus: indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Vina Annibalem Hyberna soluerunt, & indomitum illum niuibus, atque Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniæ.* Dum placida fruitur Annibal quiete, dum coronatur victoriis, dum blandis irretitur deliciis non solùm ad virtutem non promouit gradum; sed eneruiter emollitur virtutis prorsus expectorauit studium.

Genes. 38. v. 28.

Cassiodor.

Plutarch. [illegible]

Lycurgus à republica auream monetam exterminauit.

Masius.

Senec. Regio virtuti aduersa fugienda est.

Luxuria non solùm peccat, sed delictum publicat.

98. Signum magnum apparuit in cælo, mulier scilicet, quam luminosi flores coronant, quam Sol radiis fulgentissimis vestit, cuius Luna ministerij sui gloriabunda vestigiis inseruit; verum vt felicitas non solùm auida est, sed & alienæ auiditati exposita inuidentiæque semper inimica, cæruleus coluber ardentibus squamis vestitus spiras sanguinolentas explicat, caput erigit carnibus obarmatum, & acre mulieri fortunatæ mouere nititur bellum, illa fugam auxiliarem asciscit, & ad solitudinem fugit: *Et mulier fugit in solitudinem.* Draco Angelicis armis subactus atque ad terram detrusus voluitur: cúmque serpentinis antris deberet fractus latere, impudens nouum in mulierem anhelat bellum tentare: illa maturatis magnæ aquilæ alis dissecat liquidum, & celer tendit desertum: *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum locum.* Inuersus fortè videatur alicui ordo: integros serpentis, & nondum fractos adsultus satius videbatur volando fugere, & secundos gradiendo fallere: cur ergo mulier à solitudine in desertum inuolet, & à luminibus gressu solitudinis secretum petierit. Vide, vt thesim nostram actionum coloribus mirè expresserit: prius fortunatissima micat, Solis candidissimis luminibus, tremulis astrorum radiis, argenteis Lunæ nitoribus; posteà iam solitudine degens his ornamentis exuta, & fortuna illa amplissima orbata. Ergo quamuis vbique virtutem suspiret, id inter fortunatiorem, & minus fortunatam discrimen est, vt alibi pedes fugiat, alibi alata inuolarit, quasi illa micans pompa, & ad speciem augustior fortuna volatum tardauerit; imò, & explicare gressum celerem non sustinuerit: luminibus vestita graditur fugiens, solitudine degens assumptis inuolat alis, & aquilinis frustratur oculos pennis, dum splendentibus Fortunæ soluitur vinculis, aquilinos imitatur volatus: semper namque amplior fortuna, aut virtutem prorsus eneruat, aut saltem celerem ad virtutem gradum retardat. *Mulier*, inquit opportunè Hugo, *prius fugit quasi pede, & quasi adhuc amans*

Apoc. 12. v. 6.

Hugo.

amans terrena; sed sub Deo modò volat, quia iam pedibus non tangit terram. Non tangit pedibus terram solitudinis incola, nec volat tantis fortunæ voluminibus stellata. Vel masculum robur emollit grata oculis luminum fulguratio, adulatur vestis florida affectui, & quamuis virtutis penitus non exterminarit propositum, ferè semper tamen moratur studium, celerior inuolat luminibus nuda, pedes graditur syderibus coronata.

99. Christus Dominus monte nubibus coæquato fulgurans spectaculum edidit: Vultus Solares radios vincebat, & vestis purissimos niuis candores nobiliter obscurabat: obstupuit Sol videns spectaculum, quod non didicerat antè, & alienis fulgoribus nubium adinstar occuli doctus est. Hic Dominus cum Moyse, & Elia de passionis doloribus differebat, & vestitus luce nuditatem crucis ardentissimè suspirabat:
Luc.9.v.29. *Facta est dum oraret, species vultus eius altera, & vestitus eius albus, & refulgens, & ecce duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moyses & Elias visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Vox paterna intonat, splendescentique accentu Christum Dominum filium declarat, & ex eius verbis confirmat: *Hic est filius meus dilectus; ipsum audite:* Hac tempestate Petrus opportunus tantæ gloriæ speculator tantisper errat, dum ibi semper manere studiosè desiderat: *Bonum est nos hic esse; faciamus tria tabernacula vnum tibi, & vnum Moysi, & vnum Eliæ nesciens quid diceret.* Ecce Petrus Apostolorum coryphæus, qui piscationis laboribus fatigatus se ad martyrium præparat, & æquora audenter dissecat, vt cinctus ad Passionis Christi imitationem perueniat, modò passionem recusat, nec iam exambit pati; sed culminibus immorari. Ecqua huius causa est? Quia alibi anxiis piscationis laboribus attritus; imò & spebus piscationis fraudatus; in naui nudus ad Dominum accelerat gradum, séque strictè præcingens præuento carnificis officio magistri imitatur exemplum:
Ioan.21.v.7. *Tunica succinxit se: erat enim nudus, & misit*
Chrysolog. *se in mare.* Audi Chrysolog. serm.78. *Tunica se præcinxit, qui præcingendus erat martyrij passione:* in naui nudus Christi Passionem suspirat, vndasque intrepidè calcat. *Qui in naui nudatus est*, præmiserat ibi Chrysologus, *in mare se demergit indutus:* à nuditate gressus est celerrimus ad passionem; at cacumine montis excelsus, radiis splendidissimis circumfusus, ad fastigium dignitatis elatus; quia illa iucundè felicitate potitur, non solùm crucem non cogitat; sed recusat. *Bonum est nos hic esse*: amabat otium, ideò virtutis emarcuit studium. *Audiebat quod*
Chrysost. *Solitudo magna cōtra aduersarios tutela est.* *oportebat ipsum mori*, scribit Chrysostomus apud D.Thomam, *& tertia die resurgere; videbat autem multam distantiam, & solitudinem: vnde considerauit quòd plurimam haberet locus tutelam: ob hoc dixit: Bonum est nos hic esse.* Mortem hîc refugit, ibi ardet: quia hîc & montis cacumine excelsus, & ibi nudus: Augustior ergo fortuna animi deuotionem imminuit, & conatum ad crucem Domini retardauit. Vidimus quid Petrus sentiat culmine excelsus, & luminibus adornatus: videamus modò quid Christus. Candidissima luce refulgens crucem loquitur passionem anhelat: vt ergo agnoscatur filius, non tam prodest coruscum vultus lumen videre, quàm verba passionis audire: *Hic est filius meus dilectus*, intonat vox paterna. Ecquod huius veritatis indicium, aut vt meliùs dixerim, testatissimum argumentum? *Ipsum*, inquit, *audite*: quasi dicat: si merus esset homo, nec diuinitatis censu vnigenitus meus filius mótis vertice vestis niueis candoribus adornatus, Solis luminibus redimitus, non loqueretur crucem, non suspiraret ignominiosum patibulum; sed de corde crucis depelleret desiderium: ambiret ibi vti discipulus tabernaculum; at in tanto fortunæ apice crucem suspirare, & ad Ierosolymam indefesso gradu tendere, testatior paternæ originis tessera diuinitatisque indubius character est. Ob id fortè cum Iordane filium candida coronasset columba; hic oculis non est obiecta; resonuit vtrobique sonorus patris accentus filium designans, & vt erat decens, honorans; Iordane tamen paterno testimonio candidissimæ columbæ adstipulabatur volatus; hic tamen pro columba ipsius Christi Domini substituuntur verba: *Ipsum audite*: ibi namque nudus deserti petebat molestias; hîc toto fortunæ iubare micans crucis suspirauerat ignominias. Ad Iordanem igitur descendat columba, ne de filiationis charactere aliqua iniquis animis suspicio sit; hîc verò quia verba testatissimam fidem produnt, columba oculis non apparet; sed auris suscipit fidem: *Ipsum audite.* Ni enim plus esset quam homo, felicitatis irretiretur deliciis, & voluptatum illigaretur catenis: est namque magna fortuna ad virtutem semper mora. *Dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem*, *videlicet*, inquit Cy- Cyrillus.
rillus apud D.Thomam, *mysterium dispensationis in carne: necnon salutiferam passionem completam in venerabili cruce:* Crucis verba in tanto dignitatis culmine, in tanto splendoris censu indubia diuinitatis sunt signa: vnius namque Dei proprium videtur candidissimis radiis fulgere, & gressum nullatenus ad virtutem tardare: *Effœminat animos amænitas*, scribit vbi supra Stoicus: *amœna sine dubio aliquid ad corrumpendum vigorem potest regio. Quamlibet* Seneca. *Amœna animum effœminant.*
viam iumenta patiuntur, quorum durata in aspero vngula est, in molli palustrique pascuo saginata citò subteruntur, & fortior miles ex confragoso venit: segnis est vrbanus, & verna, nullum laborem recusant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur: in primo deficit puluere ille vnctus, & nitidus. Quid aptius?

---

§. XXI.

Virtus non semel vitij ad speciem non respuit consortium, vitium verò virtutis refugit sodalitium.

NOn æqua virtutis ac vitij sors: quia nos iniqui iudices, & peruersi æstimatores sic 100.
virtutem colimus, vt nonnihil vitiis permittamus; cùm tamen sæpè prauus affectus omnem fastidiat saporem virtutis. Ismael nódum Isaaco orto vigebat, Isaac in Ismaëlis creuit sodalitio, & quidē domo nullatenus exterminaretur, ni diuinū cōsuluisset oraculū, & Numinis vrgeret præceptum. Cogita bonum virum; nec tamen adeò vitiis defœcatum ac virtutibus reperies excultum,

tum, vt nihil liceat iracundiæ, nihil auaritiæ, nihil ambitioni, nihil superbiæ. Perpendebat acutè Cassiodorus lib. de anima cap. 5. corpus animæ ingenium non induere; animam verò corporis passiones sibi quodammodo coaptare. *Quia mox vt data fuerit, ineffabili conditione diligit, carcerem suum amat, propter quod libera esse non potest: doloribus eius vehementer afficitur, formidat interitum, quæ non potest mori, & sic ad corporis sui casus trepida, vt ipsam magis sustinere credas extrema, quæ non potest deficere per naturam.* Conditiones corporis quodammodo spiritus ebibit de carnis collegio; cùm tamen corpus non adeò facilè spiritus qualitates suxerit de eius consortio. Sol nebulis defœdatur, vaporibus obscurissimis tenebrescit, cum tamen nox nec Solis illustretur lumine, nec caligo eius valeat depelli splendore: itaque Sol non respuit aliqualem obscuritatem: interueniunt namque sæpè sæpiùs & obstant obscurissimæ nubes; cum tamen solares nullatenus noctis tenebras depulerint splendores. Ecce cum tribus omnes ad tabernaculi dedicationem inuolant, ignauia marcescere reprehenduntur. *Vsquequo*, inquit Iosue septem illas tribus nondum sortibus donatas allocutus, *marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* Marcent ad virtutémque torpent vel cum religiosissimi videntur, & cum Numini seruire probantur. *Congregati sunt*, inquit, *omnes filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij.* In ipsa virtutum pompa, inerti defœdantur pigritia, & marcescente obscurantur ignauia. *Cum [illegible] trimque*, scribit Masius, *Iudæis, & Iosephinis quasi præsidijs sibi tutus* (populus) *videretur, otio se dedit.* Vicerant hostes, partem non modicam telluris promissionis acceperant; verùm in ipsa iam virtutis regione rem exercebant vitij, & studebant desidiæ. Hos ergo in tabernaculi dedicatione damnabili marcentes ignauia nulla in idoli inauguratione marcescere spectabis pigritia: auroram anteuertunt, aram operosissimè construunt, parant victimas, ducunt choreas. *Surgentes manè obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Non eguerunt ad vitia calcaribus; imò nec dispendiorum retardari potuerunt frænis: quantumuis despicias, nec vmbram virtutis in sacrilega idoli inauguratione reperies: vt tabernaculum verò figant, & adigi ab Imperatore fuit opus, & adhuc ad alia marcent præcepta, & ad Numinis torpent iussa. *Hanc segnitiem atque desidiam* (verba sunt Masij) *vt castigaret Imperator, prudenter alio mouenda esse castra putauit, aut dissipanda potiùs, & quemque ad suas possessiones extrudendum.* Vi quodammodò segnities depellitur; cum tamen in sacrilega vituli solemnia nulla, quæ honesta quidem esset, ignauia torpeant, aut pigritia marceant.

Cassiodor. *Anima de corporis societate eius passiones quodammodo sugit.*

[illegible] 18.

Exod. 32. v. 6.

101. Luc. 8. v. 7. Inspiciamus geminam agricolæ illius optimi sationem. *Exijt seminare semen suum*, cúmque seminis pars sortiretur spinas, sic à tribulis suffocata est, vt nequiuerit germinari in herbam, assurgere in culmum, aut maturescere in granum. *Aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.* Spinæ cœleste semen protinus extinguunt, nec germinare patiuntur. Transi modò ad sationem aliam, in qua cum optimus agricola selectum terræ semen commisisset, inimicus homo inuidentia adustus, & semina gestit perdere, & laboriosa agricolæ studia frustrare: *Venit inimicus homo, & superseminauit zizania, & abijt.* Quid tunc? *Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.* Ecce triticum & zizania simul excrescunt: *Sinite*, inquit paterfamilias, *vtraque crescere*; semina tamen inter spinas nequaquam assurgunt. Ecqua huius discriminis causa est? Cur optima grana zizania suffocare non possunt, cum spinæ suffocent grana? Pullulauerant dices antequam seminaretur triticum tribuli: nam aliud cecidit inter spinas, verùm & ante zizania triticum telluri commissum: *superseminauit namque zizania in medio tritici.* Ergo aut vtrobique similis respondeat effectus, aut nullibi respondeat pessimus fructus. O veritatem miris coloribus adumbratam: optima terra & alendis optimis seminibus præparata gremio zizania admittit, & admissa equidem fouet: produxit sanè fructum, zizaniorum verò non extinxit obstaculum; at terra illa, quam spinæ possederant, quam horridi sentes infamarant, sic deputatur sterilitati virtutis, vt solùm ad suffocandum virtutis admiserit semina. Aptè Chrysostomus apud D. Thomam: *Spinæ non permittunt oriri semen; sed ex condensatione suffocant immissum:* non sic optimi seminis densantur grana; non adeò vniuntur strictè, vt zizania extinguát, & impotentes è tellure eruptiones frænent; at tribuli sic spissè densantur, sic improbè vniuntur, vt semen bonum dilacerent, nec foueri permiserint. Plures inuenies, in quibus nulla vel virtutis vmbra: oculos possedit lascíuia, linguam maliloquentia: veloces pedes ad effundendum sanguinem, fraudes manus concinnant, ac denique sic totum iniquitati dicatum, vt virtuti nihil permissum; reperies tamen rarum adeò virtutibus cultum, vt nullam vitij admiserit notam, aut criminis effugerit prorsus maculam.

Matth. 13. v. 25.

Chrysost.

Seruus ille Pharaonis carcere detentus somnium refert huius veritatis non ineptum exemplar. Tria vidit canistra, quorum infimum & medium cibariis panibus erat refertum, vltimum regiis obsoniis dicatum, inter delicias tamen regias aliquid habebat etiam rude, minúsque accuratè elaboratum. *Vidi somnium, quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria.* In vno solùm canistro cibi portantur duo alia cibis prorsus vacua, ac edulibus nuda. Augustinus in quæstionibus super Genes. legit *tria canistra panum cibariorum*; quæritque quomodo in illo canistro, vbi regiæ dapes, & delicatæ deliciæ, cibarij panes esse potuerint: *Illud mouet, quomodo panem cibarium potuerit Pharao habere in escis: dicit enim in superiori canistro fuisse omnia, ex quibus edebat Pharao opere pistorum.* Respondétque in aliis canistris nullatenus delicatas dapes fuisse; at in canistro regio cibarios etiam panes immistos, rudésque cibos ingestos: *Intelligendum est etiam ipsum canistrum habuisse panes cibarios, quia dictum est tria canistra χονδρίτων, & desuper fuisse illa ex omni genere operis pistoris in eodem canistro superiore.* In superiori canistro insipidi panes iniecti, in aliis tamen duobus nullatenus delicati; itaque gemina canistra ni- 102.

Genes. 40. v. 16.

August.

hil arte conditum, nihil delicatè elaboratum amplectebantur; supremum verò cum delicatis cibis panes cibarios admittebat, & rudes cibos portabat. Ita profectò sæpiùs contingit vel in illis supremis canistris, quibus delicatiores cibi, & regiæ epulæ, aliquid inuenies, quod oculos offendat, quódque aliqualem notam inurat; si tamen alia inferiora canistra diligenter scruteris, inuenies nihil delicatum, nihil arte conditum alius cibi rusticitatem quadamtenus honestare, aut cupiditatem allicere. In contemplatione mentis vagationem inuenies, in eleemosyna vanitatem, in ieiuniis vanam gloriam; cum tamen in excandescentia, reperias nihil mititatis, nihil pudoris in turpitudine, nihil in comessationibus temperantiæ.

103. Componamus, si placet Giezi cum Moyse. Hunc delegat Deus ad populi libertatem, vocéque veluti imperatoria tessera obarmat, virgam tradit miraculorum officinam, omnipotentiæque honestissimæ æmulam: Moyses comprehensa virga elementis imperabat, & Israëliticas oues studiose pascebat; verùm dextera illa, quæ diuinis rebus inseruiuit, lepræ maculis obscurata, & morbida tabe infecta: *Protulit leprosam instar niuis.* En manus, quæ virgam in serpentem mutarat, quæque serpentem in rectitudinem pristinam restituerat, lepram admisit. Verte modò oculos ad Giezi ob cupiditatis delictum lepra mulctandum: accepit namque à Naamano cum auro lepram. *Egressus est leprosus quasi nix.* Huic vel antequam in morbum incideret, virgam tradit Elisæus, qua mortem depulerit, & miracula patrarit; verùm nullatenus Giezi dextera lepræ iam dicata, & cupiditati addicta mortis valuit infringere iura, aut matris temperare lamenta. *Giezi præcesserat ante eos, & posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox neque sensus.* Inficiendus posteà lepra, nulla operatur miracula; manus tamen Moysis serpentem in virgam mutans fœda maculatur lepra. Et quæ huius discriminis causa est? Certè quam dicebam, scilicet vel virtute eximios aliquam contrahere maculam cum non semel vitiis dicati nec leuem virtutis admiserint vmbram. Si Giezi totus addicitur lepræ, vt comprehensa virga vim nullatenus intulerint morti; at Moyses, quantumuis virga miraculorum armatus scatu igne lepram gerit pectore, & manum commodat maculæ. Innuit Theodoretus quæst.10. in Exodum. *Dextera, qua miranda illa perpetrarat, cùm prius esset leprosa, signis diuinis inseruiuit, & elementa mutauit.* Miracula patrat dextera; sed lepra aliquando inficitur; at Giezi, qui lepra inficitur, miracula nulla patrat: altera manus admisit maculam, altera virtutis respuit vmbram. Vt nostra thesis sit vera, dum constat vel Moysem virtutis apicem, qua manu gestat virgam etiam admisisse lepram; Giezi verò, quia admissurus lepram, otiosè portare virgam. Ad hæc Moyses dum ad Ægyptum tendit è vinculis populum extracturus, sic gressum lentat, vt periculum mortis incurrat: *Occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* at Giezi sic auidus lucri, vt vel agitatos, ac ex se velocissimos equos cursus pernicitate facile vincat: *Curram, inquit, post eum, & accipiam ab eo aliquid.* Ecce nulla in Giezi cursu inuenitur mora, cum in Moysis profectione diuinam incurrat iram pigritia. Et quæ discriminis causa est? Moysem scilicet rem exercere virtutis, Giezi verò fraudis; in fraude ergo nil inuenitur virtutis, in virtute inuenitur aliquid tarditatis.

Exod.4.v.6.
4. Reg.5.v.27.
4. Reg.4.v.31.
Theodoret.
Exod.4.v.29.
4. Reg.5.v.20.

Prodigus ille pietatis desertor sic à paternis oculis exul vitiis inseruiebat, vt opus fuerit, & annulo ornare manum, & calceamentis pedes, corpus stola, & vitam alere mensa: *Proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum.* Aduertit Chrysologus nihil asportasse; sed omnia prodegisse. Audi illum serm.1. *Quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod est gloriæ nihil reliquit.* Ecce ciuem mutauit cupiditas in peregrinum, liberum in seruum, & filium in mercenarium: adeò nobilis originis character detritus est, vt prorsus redierit nudus. Aspice eius fratrem paternam domum incolentem, & mandatorum, vt gloriabatur exactissimum obseruatorem: *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterii, & nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer:* tumore superbiæ turget, symphoniam refugit, & pectore inuidiam alit. Qui à patre absens omnia virtutum ornamenta deposuit; qui patri assistens, vitiorum inquinamenta prorsus non purgauit. Adest iterum Chrysologus serm.4. *Inuidum fugat symphonia pietatis, chorus charitatis excludit, & quem venire ad fratrem, & appropinquare domui vocat ratio naturæ, hunc peruenire zelus non sinit, liuor non patitur introire?* Quid thesi aptius, & quid in moribus certius? 104.

Luc.15.v.22.
Chrysol.
Chrysolog.

§. XXII.

Optimus Princeps non solùm virtutum suis curet augmenta; sed & temporalia prouideat commoda.

BOni Principis est suos in primis ad virtutem prolectare; imò, si necessum est, cogere: id maximum, & primum studium: non copiosos habere subiectos; sed virtutibus exornatos: quia Principis gloria non tam de immetato numero multitudinis, quam de laudabili oritur ornamento honestatis. Lycurgus legislator ille optimus cum primum reipublicæ accepit clauum curauit suos virtutibus adornare, deinde ad vitam necessariis fulcire. Audi ipsum suos alloquentem apud Plutarchum in apophthegmat. *Nec nobis igitur ciues natalium apud vulgus celebrata claritas, nec quod stirps sumus Herculis prosit, nisi sectemur ea, per qua mortalium omnium ille nobilissimus, & generosissimus euasit meditantes, & condiscentes per totam vitam honesta.* Addit Plutarchus: *Cum partitus agrum esset, omnibúsque ciuibus sortes æquales distribuisset, ferunt posteà peregrè reuertentem agrum frugibus modo demessis peragrasse, cernentémque aceruos comparatos æqualiter & pares, lætum arridentémque comitibus dixisse: Nonne totam Laconiam dicas multorum fratrum, qui modo eam inter se sint partiti, esse?* Ad honesta priùs adhortatus est, omnes deinde necessariis ad vitam stabiliuit, ne improbum egestatis consilium virtutibus pareret detrimentum. Amplæ sine 105.

Plutarch. Parum interest stirpe nobilis nisi honestate exornata.

v irtute

virtute diuitiæ procellosa possidentibus sunt naufragia; virtus sine ad vitam necessariis frequentissima incurrit pericula. Vnde bonus Princeps non solùm studet suorum commodis; sed virtutum etiam ornamentis: nec solùm prolectat ad honesta; sed etiam prouidet necessaria. Eleganter aiebat Politicus ille Christianus 1.
Polit. Christ. *Punire potest qui præmia virtutibus dilargitur.* tom. cap. 27. *Punire potest, qui digna laboribus præmia largitur: durum verò est punire quem necessitate ad illicita impellis. Vis incorruptam pudicitiam, egestatem amoue. Ad quæ non cogit paupertas?* Vocat non semel nobile ingenium honestas; sed trahit ad indigna mendicitas: geminum hoc studium strenuum meum Imperatorem Iosue exornare licèt aduertas: omnes ad tabernaculi solemnia, ad veluti dedicationis sacra suis adhortationibus impulit: *Congregati sunt omnes filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij.* Illuc conuenisse Principis monitis, & Imperatoris consiliis tradit Masius:
Masius. *Non igitur temerè aut à seditioso quopiam & turbulento homine motos esse Israelitas, vt Siluntem confluerent, intelligimus; verùm Imperatoris iussu illuc esse conuocatos.* Religionis curam & temporalium est secuta prouidentia: depellit namque blanda obiurgatione suorum ignauiam, vt à Deo sibi datam possederint terram. *Vsquequo marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* Curauit, ne telluris fructibus fraudarentur, vt commodiùs, liberiúsque inseruirent virtuti:
Masius. *Reliquarum tribuum cessationem,* inquit Masius, *grauiter incusat: quasi iam diu post inchoatam distributionem nihil pensi habeant de suis hæreditatibus.* Et commoda curat, & sacra vt boni Principis cumulatiùs impleuerit munus, quandoquidem ad prouidum superiorem spectat subiectos ad virtutem allicere, & temporalia illis etiam commoda procurare.

106. Sponsus, vt sponsæ commendauerit caput,
Cant. 4. v. 1. capris comparauit: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad: dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro: omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.* Et cur capris sponsæ exæquarit capillos? An quia vittis liberi diuagantur in aëre? An quia aureum oculis repræsentarint colorem? Abstrusiora mysteria excogitauit Ambrosius. Id capris ingenium alta semper petere, eóque fœtus ducere, vbi nullo discriminis metu perculsi liberiùs pascantur, & cælo proximiores orientur: videas capras in montium apicibus illibatum cæli rorem de rupibus lambere & fœtibus vbere distento reddere: id capris diligens semper studium: illuc partus ducere, vbi & periculis eximant, & lacte copioso alant. Audi
Ambrosius. Ambrosium cap. 4. in collect. *Quod specie de capris dicitur mysticè de Ecclesia grege sentiendum. Nec vilia tibi animalia ista videantur: vides quod in altis grex iste pascitur, audax in monte: itaque vbi alijs præcipitia, ibi capris nullum periculum, vbi alijs periculum, ibi gregis huius alimentum; ibi cibus dulcior, ibi fructus electior: spectantur à pastoribus suis dumosa de rupe pendentes, vbi luporum incursus esse non possunt, vbi fœcundæ arbores fructum integrum subministrant. Cernere licet vberi lacte distentas super teneram sobolem materna pietate solicitas: ideò elegit eas Spiritus sanctus, quibus venerabilis ecclesiæ cœtum compararet.* Sponsæ capilli digna capitis lucent ornamenta, quando illis inesse caprarum agnoscuntur studia: capra hœdos suos ad alta ducit, vt luporum rictibus liberet: iam liberos nutrit, & lacte copioso alit. Superior ergo, qui munus laudabiliter gerit, subiectos ducit ad celsum: omnia ab eis solicitè propellit pericula, & dulcia præbere satagit alimenta: parum namque iuuaret capram hœdos suos omni discrimine exemptos in montium altissimis statuisse, si lacte prorsus orbasset, parúmque prodesset cibasse vbere semper distento, & in imis obiecisse periculo. Ergo Spiritus sanctus his animalibus capitis compara tornamenta, quia ritè vtraque peragere cognoscuntur officia.

Capra fœtus suos à luporum studet exemisse periculis.

Cùm Elias plurima in Elisæi conspectu peregisset miracula, nunquam currus Israel, & aurigæ eius audiuit elogia: mare pallio diuidit, 107.
nec Elisæus laudibus magistrum effert; cùm tamen quadrigam illam luminibus insertam inscenderet, & ad altiora inuolaret, iam exertis clamoribus currum & aurigam pronunciat: *Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius.* O 4. Reg. 2. v. 12.
quàm rerum præsentia pretium illis sæpissimè subtrahit, quàm commendare solet absentia! à conspectibus iam abstractus vocatur populi fulcimentum, & calamitatum exilium; modò aurigam, & rectorem optimum vocat, quia & spiritū discipulo delegauit, & palliū, quo nudus tegeretur decenter, misit: *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Miracula patrare eius prodebat virtutem: publicabat sanctitate eximium, non verò eximium adhuc gubernatorem. Diuisit mare, ne discipulus raptus vorticibus disperiret: tunc tamen spiritu gemino non ornauit; modò & delegat spiritum & tegendo decenter corpori mittit pallium; modò ergo optimi gubernatoris faustum audiuit elogium, quia modò perfectiùs adimpleuit officium. *Leuauit pallium,* inquit
Lyra. *Non a casu cecidit; sed ex diuina ordinatione, vt Elisæus ipso operiretur, in signum quod spiritus Eliæ requiescebat super eum.* Discipulus spiritu adauctus & decenti ornatu tectus exertè testatur omnibus Eliam optimi gubernatoris excellentissimique Principis munus obiisse, & Dei populum gubernasse. Alij patres non solùm intelligunt hoc elogium respectu vnius Elisæi; sed totius populi: vocat ergo & currum & aurigam: quia falcati currus adinstar ab inimicis tegebat, & vti auriga optimus per confragosa Lyra.
periculo immunes ductabat. Redeat iterum Lyra: *Currus supportat, & auriga dirigit: sic Elias populum Israel supportauerat defectus supplendo, sicut patet supra 3. lib. cap. 18. in impetratione pluuiæ periclitanti populo Israel: similiter ipsum reduxit ad veram fidem vnius Dei per impetrationem ignis super holocaustum suum.* Accinit Rabbi
Salomon: *Currus Israel & militia eius, id est potentior ad defensionem Israel, quam militia cum curribus bellicis.* Vtrumque ritè absoluit Elias pluuiam impetrat orando, quam populus exterminauerat delinquendo: veram edocet fidem, vt diuinis populum instruat præceptis, & humanis fulciat auxiliis: hîc ergo recti superioris meretur elogium, quia nec religionis remittit curam, & vitæ prouidet alimoniam. R. Salomon.

Christus Dominus monte excelso cælestem populis inspirat doctrinam; posteà tamen extemporaneam explicat mensam, quo famelicis subueniret: Panis pariebat panem, & præ alimenti copia coangustabatur eremus. Turbæ 108.
tanto

tanto beneficio excitatæ Regem satagunt conclamare ad[illegible] studiosè vt se fuga necessarium fuerit subducere: *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* (Ioan.6. v.15.) Profectò copiosa, & sæculis inuisa miracula patrauerat Dominus, & tamen nulli in mentem venerat conclamare Principem, & inaugurare regem: alibi leprosos curabat, vim inferebat sepulchris, inuitos depellebat dæmones non tamen populi regem gestiunt constituere, nec ad thronum moliuntur rapere: cur ergo hic regalem agnoscunt tesseram, & felicis imperij normam? Quia alibi vni aut alteri morbido afferebat medelam, hîc omnibus prouidit remedium contra adurgentem inopiam; hîc vtrúmque coniunxit, cælesti scilicet illos doctrina excolere, & alimentis opportunis ad vitam subuenire: hîc ergo præcipuè regem conclamant: quia vident optimi regiminis politiam scilicet doctrinam, & alimoniam. (Alcuin.) *Duo pisces*, scribit Alcuinus apud D.Thomam, *dicta vel scripta Prophetarum vel Psalmistarum significat*: piscis & panis verum contestabantur regem: quia qui multitudini præest, & doctrina debet pascere, & humanis etiam commodis studere. *Turba*, addit Beda loco citato, *viso tanto miraculo intellexerunt pium atque potentem: & idcirco voluerunt ipsum facere regem: homines namque volunt habere regem pium ad regendum, & potentem ad tuendum.* Cælesti doctrina erudit, alimonia enutrit: & quia vtráque pars regem ac superiorem nobilitat, hic populus Christum regem esse proclamat: tuetur à calamitatibus mira potentia: liberat ab erroribus superna doctrina. Ergo quamuis alibi rex non habeatur, hîc turbis omnibus rex habetur.

109. Arcam fœderis constituit Iosue inuij itineris ducem: (Iosf.3. v.3.) *Quando videritis arcam fœderis Domini Dei nostri, & Sacerdotes stirpis Leuiticæ portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes.* Paruit populus, & qui ducente nube insanis clamoribus Aaronis aures diuerberabat Deos sibi producere quærens: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant*, iam hic meliora sapiens dedignatur vitulum, nec ducem deposcit alium. Ecqua huius causa est: Quia in arca & manna necessitati subueniens, & lex tabulis exarata mentem luminibus instruens: (Ad Heb.9. v.4.) *In arca*, inquit Paulus Hebræos alloquens, *vrna habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.* Vtrámque partem amplectebatur arca doctrinam & alimoniam: ergo, quamuis alibi vel ducem Angelum fastidierint, hic nullatenus arcam ducem detrectant; imò auido gressu sequuntur: quia vel à cæcis non poterat non haberi egregius Princeps, cui & temporalis commodi studium, & doctrinæ cælestis est magisterium.

---

§. XXIII.

Prudentes alieno sæpè iudicio plus fidunt: nam iniqui censores, & nostra extollimus, & aliena depretiamus.

110. FAmiliariter domestica aspicimus, scribit Seneca 1.cap. de tranquill. vitæ, *& semper iudicio fauor officit: puto multos potuisse ad sapientiam peruenire, nisi putassent se peruenisse: nisi quædam in se dissimulassent, quædam apertis oculis transiluissent.* (Iudicio fauor officit.) Nescio quibus affectionis præstigiis, & maleuolentiæ fallaciis noster oculis circa propria, & circa aliena turbatur: quidquid ad alium spectat inuidentiæ perspicacia mille imperfectionibus scaturire videmus; imò fingimus; nostra aut dissimulanter transimus, aut vanissimè commendamus. *Non est enim*, addit Stoicus, *quòd magis aliena iudices adulatione perire, quàm nostra. Quis sibi verum dicere ausus est? Quis non inter laudantium, blandientiumque positus greges plurimum tamen sibi ipse assentatus est.* (Quisque assentatur sibi.) Nobis assentamur, & grata fallacia illudimur: nullus, aut rarus æquum de se iudicium protulit: quia affectionibus interpellatus, aut syncerè non vidit, aut cæcè deuiauit: alterius iudicio standum; si modo illum nec spes aliqua corrupuerit, nec affectio adulterarit. Qui aleæ adest, vt ludentes videat incorruptiùs aleatoribus ipsis de ludo censet, & accuratiùs videt: quia nulla cupiditate obturbatus, nullóque felicis sortis desiderio impeditus. Hinc prudentiam miraberis Iosue, cùm ad describendam terram exploratores mittere opus esset, ex quauis tribu delegari trinos consuluit: *Eligite de singulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant atque circumeant terram, & describant eam iuxta numerum vniuscuiusque multitudinis.* Rogat Abulens. an ex septem solis tribubus, quibus nondum data possessio, exploratores missi; an ex tribubus omnibus delegati. Masius censet ex tribubus solùm, quibus nondum determinata possessio adscripta, fuisse mensores ablegatos. (Masius.) *Illud effici videtur*, inquit, *è Solis septem tribubus ablegatos esse mensores*; verùm ipsa ablegationis ratio à tribubus omnibus mensores designatos fuisse, ni fallar, conuincit: delegabantur namque, vt de terræ ingenio, de cuiusque tribus multitudine iudicium ferrent, vt æquis pro numero partibus sine iustis querelis aut criminationibus portiones acciperent: *Circumeant terram*, inquit, *& describant eam, iuxta numerum vniuscuiusque multitudinis.* Si ergo iudicium hoc, quorum intererat, solum demandatum, aut quisque suam tribum alia numerosiorem diceret, quantumuis veritas oculis ingesta pateret, lætiúsque ac fœcundius solum quæreretur aliis dari, & sibi deberi. Ergo Iosue prudentissimè ex quinque tribubus iam locatis mensores etiam legauit, vt synceriùs veritatem referrent, dissidentiúmque lites pacatè ac incorruptè componerent. (Abulens.) *Dicendum est*, scribit Abulens. quæst.2. *quòd de omnibus tribubus fuerint missi viri, & de qualibet tribu tres viri: erat enim multum conueniens eos mitti: nam iustius isti in hac parte iudicarent, quàm illi, quorum intererat, scilicet quod accepturi erant aliquam sortem: nemo enim benè de suis iudicat: quia quilibet sibi nimis fauet.* Cupiditas interpellat iudicium: subornatum cupiditate iudicium annuit affectui: ideò necessum erat eos delegari mensores, quorum interesse nihil, vt æquam & de cuiusuis tribus numero, & de telluris sententiam ferrent ingenio.

Prouidus pater ille familiàs auroræ lucem anteuertit, vt colendæ vineæ operarios delegaret. Misit primo manè alios, hora tertia nonnullos circa vndecimam horam reliquos: cúmque 111.

quæ iam merces laborum cuique solueretur, pater vltimis denarium largitus est, quod primi illi aspicientes sic inuidentiæ telo perculsi, vt in
Matth. 20. v. 11. pientissimum patrem linguas armauerint. *Accipientes murmurabant aduersus patremfamilias dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus.* En suos labores exaggerant, aliorum imminuunt: & quidem vt interpretibus placet extremo vocati tempore sic strenuè laborarunt, vt tempus compensarint diligentia, amissúmque recuperarint industria: primia illi longiora sibi tempora promittentes satis dormierunt ignaui, & quidem alios quæsisse solerter familiàs patrem illorum sugillabat pigritiam, quandoquidem si illi necessariam vineæ nauarent operam, pater alios circa horam non delegasset vndecimam: cúmque & extremi laborarint solerter, & ipsi otiati fuerint ignauè sic inuidentiæ nebulis cæcabantur, vt aliorum despexerint industriam, & suam exaggerarint solertiam. *Gentiles,*
Chrysost. scribit Chrysostomus hom. 34. in Matth. *liberè extiterunt Christo credentes, & per compendium gratia ad plenam salutem reuertentes: nam neque legis onera portauerunt sicut Iudæi, nec seductiones passæ sunt diuersorum errorum, quemadmodum illi.* Erroribus primi obscurati, vltimi per compendium gratiæ conspicui; sic tamen affectionibus interpellatur iudicium, vt labores suos primi grandi præmio dignos putarint, & merita aliorum despexerint. *Possunt autem hi esse Christiani, & Iudæi,* scribit Euthymius, *aut fidelium quidam in principijs negligentes; postmodum verò serio operam dantes, quidam autem in principijs diligentes; postmodum verò negligentes:* de tempore gloriabantur primi: cùm erubescere debuissent de actione; sibi tamen sic adulabantur, vt omne pondus se tulisse iactarint. Sic iudicat liuoris oculus, sic censet cupiditatis affectus.

112. Moyses Dei voce veluti imperatoria tessera armatus populum deposcebat exolui. Pharao quia nolebat rationi parere, ad miracula gestiuit recurrere: ille publicum non metuit; sed pro veritate certauit. Virga in colubrum vertitur, vt vel iniquis animis omnem suspicionem auferret, hæc scilicet non vafrамentis fieri; sed
Exod. 7. v. 10. diuina virtute patrari: *Tulit Aaron virgam coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Pharao, eiúsque curiales miraculum infamauere præstigias, magósque vocant, vt clarissimæ luci densissimas incantamentorum offundant tenebras: *Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* Magicarum virgarum dracones Pharaoni habebantur miracula, Moysisque miracula habebantur incantamenta. Profectò dracones specie tenus mouebantur, oculis verò imponebant; ita tamen circa propria humanus delirat affectus, vt Moysis miraculum audierit impostura, magorúmque imposturæ fuerint celebrata miracula. Inuuit Tertullianus
Tertull. de anima cap. 47. *Corpora videbantur Pharaoni, & Ægyptijs magicarum virgarum dracones; sed*
Veritas mendacia detriuphat. *Mosey veritas mendacium deuorauit.* Moysis virga, vtpotè cœlesti virtute armata virgarum magicarum ostendit fraudes; verùm sic Pharaonis obcæcabatur mens, vt ventosissima figmenta crederet esse solidissima corpora. *Pharaoni & Ægyptijs corpora videbantur,* oculorum acies iam præiudicio corrupta, affectionéque subor-

nata dracones serpentum Principes reputabat quidquid ad magos, illorúmque virgas pertinere videbat: iniquissima sententia Moysis virga virtutum officina habebatur fraus, fraudésque magni apud curiales & Principes habebantur: ita iudicium circa aliena & propria adulterauit affectio, ita affectionis errabat opinio. Ergo prudentissimè Iosue, ex tribubus quarum nihil intererat, terrarum mensores etiam legauit: aliæ namque aut suam magnitudinem plus merito exaggerarent, aut aliarum tribuum deprimerent.

Nato Domino stella magis apparuit candida luce comata, & nouo iubare redimita: *Apparuit non cœli motu,* inquit Chrysolog. serm. 156. 113.
sed diuinitatis impulsu, non lege syderum; sed nouitate signorum, non cœli climate; sed virtute nascentis. Virtutem nascentis splendescenti voce, aut lucido silentio testabatur stella: Magi curiosi rerum scrutatores stellam faustissima nunciantem aduertunt, eiúsque ductum sequuntur: Chrysol.
Vbi est qui natus est rex Iudæorum: vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2. v. 2.
Chrysologus iam citatus augustius miraculum arbitratur Magos Iudæorum Regem laudibus celebrasse, quam astrum eximio lumine circumfusum præter astrologiæ leges luxisse: *Plus cœleste de Magis, quam de stella signum est: quod Iudæa Regem, quod legis auctorem Magus scit, nescit Iudæus: Chaldæa defert, non defert Iudæa: Ierosolyma auertitur & refugit, Syria sequitur & adorat.* Adeò insitum est mortalium animis aliena despicere, suáque magnis laudibus prædicare, vt non sic rarum fuerit stellam rota luminis Solem euicisse, quàm Syriam regem Iudæorum adorandum deprædicasse. Mira res & extremæ obstinationis portentum, Iudæam regem suum pueruli iam dedecorasse vocabulo: *Ite & interrogate diligenter de puero,* aut Ducis minuisse titulo: *Ex te exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Humanus hic stylus mira nouitate inuenitur inuersus: hominum namque mori vsitatius videbatur Magos Regem Iudæorum Ducis imminuere titulo, Iudæósque vel Ducem Regis honorare vocabulo: hìc verò, vt nascentis virtus Hebræique peruersitas dilucidiùs clareret, Syria alienum regem inuolat adoratum, Iudæáque proprium minori titulo prodit despectum: *Plus cœleste de magis, quam de stella signum est:* Et quare? Reddit rationem Chrysologus: *Quòd Iudæa Regem, quod legis auctorem Magus scit, nescit Iudæus:* adeò augendo propria fallimur, adeò aliena minuendo desipimus.

Populus ille idololatriæ furore insanus Deos sibi producere cupit: Aaron, vt de peruerso auxiliaretur, ac de cupiditate mederetur insaniæ, pro conflando Deo fœminarum deposcit inaures; verùm impigri ad delinquendum affectus facillimè fœminis persuaserunt, vt aurium præberent ornamenta, quo ducis nanciscerentur auxilia: idolum effictum est, & iam faustis, iteratisque acclamationibus adaugent numerum, Deúmque patratis miraculis nudant, vt figmentum suum vanissimum vestiant: *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Ambrosius vituli tantùm caput conflatum ait apud Lippomanum: *Caput vituli excudit;* verùm cæteris destitutum partibus spectare satis non fuit vt minutum crederent, cùm satis fuerit vel 114. Exod. 32. v. 4. Ambros.

caput tantùm habere, vt diuinum deprædicarent, & quid illos in apertam adeò deiecit amentiam? Sanè suo auro conflatum: quod suum videbant, & miraculosissimum conclamabant. Vel mira, & prodigia, quæ in populi liberatione exercuerat Deus, denegant, dum repudiant quasi extraneum, & quæ vitulus nequibat efficere, illi adscribunt, dum reputant suum. Adest Hieronymus apud Lippomanum: *Relinquentes eum, qui redemit eos de Ægyptia seruitute, & eduxit in excelso brachio; ipsi verò locuti sunt contra Dominum mendacia, dicentes de idolis: Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Verum Deum iam reputabant alienum: ideò nullis miris credebant celebrem, cum figmentum suum asseruerint miraculis exundare, & omnipotentia fulgere: adeò cæca nostra iudicia, adeò de rebus nostris, & alienis à vero aberrans sententia. Hieron.

§. XXIV.

Regius minister sit studiosus meritorum indagator; non tamen munerum pro libito distributor.

115. HVmanæ vires angustæ sunt: fatiscit variis distractum curis ingenium, lassescit crebris occupationibus animus, & quia nescit immensitatem habere, per se non potest, & plurima administrare. Amplissimi regni negotia frequentes causæ sic vel solertissimi vires exhauriunt, vt ni ministrorum ad regni curas vtatur suffragio, Princeps nullatenus solerti valeat comprehendere studio: diligendi sunt sedulò industrij ministri, quibus & tuto aliquarum rerum delegata sit cura, quibúsque in Principi obediendo sit nota solertia, verùm ita se Reipublicæ moderator aliquibus exuerit curis, vt regalis munificentiæ, regiæque liberalitatis nullatenus se abdicauit elogiis: nouerint subiecti à regis decreto relucentia beneficia descendere, ne si pro ministrorum distribuantur arbitrio Princeps carere censeatur imperio: dependeant omnes à Principe, ne, dum alios munerum, aut officiorum putauerint dominos, dynastas crediderint, non ministros [illegible], scribit Politicus Christianus tom.1. cap.46. *ne per illorum manus respublicæ munia [illegible] cant, ne obstrictos hi teneant; & sic obseruatio omnis à regibus ad hos munerum distributores vertitur: quæ res innumeris periculis ostia pandit: nec enim res vlla vincendis animis donis potentior est.* Regis obseruatio non solùm de maiestate floret; sed de munificentia etiam viget: quod gloriosius in imperio à se abiecit, qui ministris impertiri reipublicæ munia delegauit: nec solùm carere munificentia Principi infert notam, sed aliquando ministrorum insolentem nutrit audaciam. Redeat iterum Christianus Politicus ibi. *Audeant tantùm munifici hi donatores, non deerunt qui sequantur. Regia ergo manu, & voluntate regni munia eroganda, quo obstrictas sibi suorum mentes rex teneat; nec alterius hi, quàm Regis sui munificentiam agnoscant, ne alterius imperia sequantur.* Quibus se debere putant officia, & illorum colunt imperia, & quia ministros aliquando reges Principum agnoscunt, &

Christian. Politic. *Nulla res vincendis animis donis potentior.*

Principes veluti fortuna sua vti nescientes depretiant. Iosue Imperatorum norma cum telluris portiones tribubus essent dilargiendæ, industrios ministros pro describenda terra, pro curiosè inspiciendis regionibus, & regionum tractibus delegauit; eâ tamen lege, vt terræ messores tribubus nullatenus distribuerent partes; sed ad se deferrent notata, & accuratè descripta, vt ipse prout fas, ratióque exigeret, decentibus quámque tribum tractibus collocaret, & congruis sedibus stabiliret: *Eligite de singulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant atque circumeant terram, & describant eam iuxta numerum vniuscuiusque multitudinis referántque ad me, quod descripserint.* In vtróque meus Iosue prudentissimus dum industriis ministris vtitur ad notitiam, dúmque per seipsum regalem exercet munificentiam. Adest Abulensis quæst.5. *Referant ad me quod descripserint, id est, diuidant totam terram proportionaliter secundum singulas tribus, & scribant in libro: postea autem referant ad me quod scripserint: & hoc erat ad duo: primum erat vt Iosue, & cæteri diuisores terræ dati ab eo approbarent, quod isti describerent, & non videretur tota potestas diuidendi relicta istis.* Cauit prudentissimus Princeps, ne impertiendi sortes apud hos ministros videretur facultas esse: nam plebs vt plurimum solum eos colit, à quibus sperat accipere: ergo vt regalis obseruatio nullum sustinuerit detrimentum; istis non largiendi; sed solerter describendi delegauit officium, vt ingesserint iussit Principi, quam ipse per se acquirere non poterat notitiam; ipse tamen reseruauit sibi munificentiam. Abulens.

Christum Dominum vsque ad desertorum inuia populi sequebantur: videbant nullam aliam viam errore vacantem, ipsum morborum depulsorem, salutis auxilium, vitæ copiosam scaturiginem, & certatim inuolabant, Dominus, vt erat piissimus, mensam vult apponere extemporariam: Philippus rogatur, vnde emi panes potuerint. Andreas puerum quinque hordeaceos panes, & duos pisces habere retulit, & Dominus Apostolis præcipit, vt discumbere facerent multitudinem: *Facite homines discumbere.* Rite iam turbis dispositis panes accipit Dominus, ac distribuit discumbentibus: *Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Minus profectò ardens cibandi tot homines videatur studium, quando morosè adeò illis impertitur alimentum. Nónne celerius absolueretur, & perficeretur commodius cibationis beneficium, si discipulorum quisque panem aut piscem acciperet, & turbis daret? Si Apostoli à Domini manibus accipiût fragmenta, vt turbis accepta apponant; ita namque testatur Matthæus: *Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus aspiciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.* Geminum insumitur tempus, dum è Domini manibus ad discipulos, è discipulis frustula transeunt ad turbas: nec temporis quidem modicum breuiaretur, si adæquè Domini discipulorúmque manus panes frangerent, & populis auidissimis impertirent: cur ergo Dominus, dum benefaciendi producit moras, largitatis venustatem adulterat. O sapientiam immortalem! si Apostoli adæquè ac Dominus largirentur populis beneficia, fors & populorum cæ- 116.

Ioan.6.v.10.

Matth.14. v.19.

tetuæ

tetuæ illum inaugurare regem ambirent, à quo & accepisse cognoscerent; modò verò quia, omnia à Domini manibus intuentur descendere beneficia, & ad dignitatis illum tantummodò euehere conantur excelsa: *Illi ergo homines cum vidissent, quod Iesus fecerat signum, dicebant: quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum.* Si ergo adæquum signum facere Apostolos expectassent, & de Apostolis etiam idem adæque dixissent: essétque maiestatis iniuria distribuentium pro libito copia; modò verò dum Domini manu omnia perficiuntur, & solùm Dominum conclamare Regem ac prophetam conantur. Ad rem Seleuciensis Basilius orat. 33. *O quæ tunc res videre fuit! Panes pariebant panes, & mensa alimento extemporario differta erant: panes absque rusticano sudore parti non de spicis erumpebant; sed de Domini manu efflorescebant.* Dominus agnoscitur dum largitur, vt doceat Pricipes per se conferre populis beneficia in regiæ auctoritatis decorum, debitúmque in ministrorum vsum: vtque optimæ politiæ documenta occasione hac nobis præberet, Apostolis reliquias colligere iussit: *Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.* Discipuli apponunt humerum, Princeps manum. Notauit laudatus Basilius: *Pari cum Apostolis numero sunt cophini, vt singuli singulos baiulando laborem miraculi testem subeant, humerísque dum teritur, rei gestæ sensum ingerat.* Ministrorum teritur humerus in miraculi recordationem & in Principis leuamen: Princeps per se largitatem exercuit, minister in Domini obsequium humerum oneri ferendo supposuit: hic ergo populus dignissima æconomia eruditus, Christum proclamare Regem statuit, & quidem si inuerso ordine, Christus rex non haberetur, dum minister falsò putatur. Adde ad regalem spectare decentiam ad ministros remittere quidquid munificentiam non exornarit regalem; vendicare tamen sibi quidquid generositatem commendat, & munificentiam exornat.

Seleuc.

117. Dura inopia diuexabat Ægyptum, populíque necessitate coacti regem adeunt, alimentúmque ad sustentandam vitam sibi dari importunissimè exorant. Pharao populos ad Iosephum pro regem mittit: *In vniuerso orbe fames præualuit: in cuncta autem terra Ægypti panis erat, qua esuriente clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens: quibus ille respondit: Ite ad Ioseph.* Posteà cùm iam Ioseph habere fratres, nobilissimámque cognationem constaret, Pharao ad Ægyptum properent, iubet, & se terræ optima illis daturum promittit: *Ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ.* Suis non largitur, promittit extraneis: nec vnicus in hac re Pharao: sunt namque plurimi, qui vt indebita largiantur extraneis, & debita denegant propriis; hic tamen altius eruendum nobis mysterium est. Vide quomodo priùs alimenta habuerint Ægyptij, pretio videlicet comparata: *Aperuit*, inquit, *Ioseph vniuersa horrea, & vendebat Ægyptijs: nam & illos oppresserat fames.* Ergo vbi alimenta pretio comparanda, ad Iosephum remisit: dedeceret namque regiam dignitatem vendere; at vbi medulla terræ gratis donanda erat, sibi vendicat, dedeceret namque ministrum dare; nec Pharao vendit, nec Iosephus largitur, & quidem vtrumque rectè: nam quidquid liberalitatem non sapit, à rege semper

Genes. 41. v. 54.

Genes. 45. v. 18.

Genes. 41. v. 56.

Naxera in Iosue Tom. 2.

alienum: quidquid regalem munificentiam redolet, ministro fit peregrinum. Iosephus optimus administer famis subsidia sub æquitate disponit, Princeps largitatis munificentiam exercet, quo adeò firma stabilisque aduersus temporum, & famis adsultus perseuerat respublica, vt sola Ægyptus efflorecat, cùm terra vniuersa lugeat. *Liberalitas regis describitur*, inquit Lippoman. ad Genes. 45. *Domino sic volente.* Ioseph describitur nundinatio; regis liberalitas: nec enim debebat rex per seipsum nundinari, nec minister per se largiri. Addit postea idem auctor. *Spontè & liberaliter patri & fratribus, ac propinquis propter Ioseph regia munificentia promittit bona.* Vbi munificentia exercenda regi adscribitur, Iosepho, vbi nundinatio. Per ministros Pharao vendidit, per se donauit.

Lippoman.

Cum populus aquæ penuria vrgeretur, & in clamores effusus sitis ardore frigidas deposceret vndas, iubet Moysi Deus, vt petræ, quasi habuerit aures necessitatem denunciet: *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Si petra illa teste Paulo Christum Dominum referebat. *Bibebant*, inquit, *de spiritali consequente eos petra, Petra autem erat Christus*, quid necessum erat Moysem reipublicæ necessitatem suggerere, aut calamitatem nunciare. Aut cur Moysi non committitur vortices miraculosè largiri; sed petræ iubetur loqui? Eget ne diuina liberalitas precibus importunis? Sanè anteuertere vota est liberalitatis elogium; expectare aliquomodo dehonestamentum. Ergo Deus Moysis non expectauerit verba, vt aquarum præbuerit sitientibus flumina. Non quidem expectat morosus; sed benè politicus, ostendit administrum spectare populi calamitates referre Principi, ad Principem verò pertinere populo adhibere medelam, & liberalitatis largiri gratiam. Petra impertitur aquam, suggerit minister notitiam. *Bibebant de spiritali consequente eos petra*, Moyses petræ hoc est Christo, renunciat populi statum, & penuriæ refert incommodum, sicque ritè sui quisque muneris partes obit, dum minister incorruptam defert notitiam, & Princeps aquarum aperit venam. Innuit Tertullian. lib. de baptismo cap. 9. *Aqua de comite petra populo defluebat.* De petra aqua, per Moysem ad speciem notitia: quo erudiantur Principes munera per se elargiri, ministris tamen vti ad synceram rerum notitiam, & in labore solertiam. 118.

Num. 20. v. 8.

1. Cor. 10. v. 4.

§. XXV.

Optimus administrator reipublicæ obeundis ritè muneribus quærit industrios, non officijs adaptat suos.

Reipublicæ felicitatas de administrantium solertia, & de obeuntium munera floret industria, dum aptus eligitur, cunctorum vtilitas procuratur. Hinc optimi reipublicæ administratores, quibus munera commiserint, diligentissimè indagant: quia inepti aut auari electio amplissimæ calamitatis occasio; verùm ea est auara cupiditas, vt seruis non semel nullum deputetur salarium, quia pro salario alicuius donatur administrationis officium; vt tantisper consules prouideant lucello, ineptos munere dona- 119.

 re

ræ solent, & in maximum vergit reipublicæ detrimentum, modicum ipsorum commodum. Muneri debet præcipuè prouideri, non huius, aut illius vtilitati consulere. *Recepistis itaque virum*, aiebat Cassiodor.8.var.15. *& diuina gratia probabiliter institutum & regali examinatione laudatum: nullus adhuc pristina contentione teneatur, pudorem non habet victi, cuius votum contigit à Principe superari. Ille quinimò suum efficit, qui eum sub puritate dilexerit: nam quæ sit causa doloris, quando hoc & in isto reperit, quod alteri in partem ductus optauerit.* Laudabilis sanè electio, cùm in electo, quamuis alterius partis, inuenitur, quod in proprio semper expetitur, quando dignum examinis præcesserit studium, nec in electo peculiare quæritur commodum. Iosue, cùm terram nondum diuisam describendam & examinandam censeret, populum monuit, vt industrios viros eligeret: *Eligite de singulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant, atque circumeant terram, & describant eam iuxta numerum vniuscuiusque multitudinis.* Et cur ipse non deligat; sed delectos à populo mittat? Nonne plures Principi famulabantur, quos potuisset delegare, & magnis ob legationem stipendiis augere? Posset quidem Iosue ex suis aliquos delegare ministris, posset iniungere munus asseclis: quia tamen negotium viros desiderabat industrios, noluit committere famulis: vt doceret non tam famulantium commodis studendum, quàm commodum reipublicæ amandum: *Noluit Iosue eligere viros*, inquit Abulens. quæst.3. *sed permisit populo eligere, vt magis sic fieret ad voluntatem populi cùm per illos res fieret, quos populus elegisset. Etiam quia ad hoc erant necessarij viri industrij & melius poterant singulæ tribus cognoscere viros, qui in eis erant, quàm Iosue.* Laudabiliter quid suæ dignitati detraxit, vt vtilitati populi prouideret: poterat equidem ipse eligere, suàmque in eligendo dignitatem tutari; quia tamen non illum superbus premebat ambitus; sed honestus publicæ vtilitatis affectus; eligi consuluit industrios, non tamen misit, vt ditauerit, famulos.

Cassiodor.

Optima probatur electio, si electus, quas contrarij expetunt, partes sortiatur.

Abulens.

120. Elisæum prophetam producamus in medium: cùm filium Sunamitidi hospitalitatis mercedem orationibus impetrasset, repentè illa mulieris felicitas turbata est: pestilens namque morbus puerum adoritur, & matrem dolore intolerabili affecit; verùm vel doloris procellis rationis gubernaculum non amisit; sed pro tanti mali medela ad prophetam celeri gressu contendit. Propheta mulieris lachrymis informatus Giezi famulum vocat, baculo instruit, & muneri tanto delegat: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade.* En famulus delegatam baculo accipit potestatem, tendit à propheta honorabili satis ministerio legatus. Quid tunc? Pueri mater non satis electo fidens prophetæ electionem tantisper carpit. *Porrò mater pueri ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua non dimittam te.* Cur mater post Giezi non inuolet? Cur vitam filio refundendam non speret? Prophetæ baculus mittitur, & familiarissimus delegatur. Gratias ergo prophetæ agat, & celeri gressu redeat. O mulieris prudentiam! Nouerat illa ministrum illum non tam missum ob meritum, quàm ob prophetæ præstitum famulatum & timuit causam demortui deteriorem reddendam, dum non tam operi, & quidem satis arduo deputabatur aptus, quàm honoraretur munere seruus. Et quomodo demortuo vitam infunderet, qui gloriabundus de munere superbiebat, qui celeri gressu tendere iussus omnibus occurrentibus notitiam sui muneris ingerebat superbus: qui pecuniis inhiabat, nec muneri suo satisfacere ambiebat: prudentissimè mater electionem improbauit, & prophetam prudenter aduertit. Millies reperio in adeò excellentissimis viris præclarissimísque prophetis nullatenus reperiri culpam, suis tamen actionibus vtilem peperisse nobis doctrinam. Et quidem dum Elisæus tanto muneri delegat sine crimine famulum, in se depingit non semel culpabiliter legari seruum. Hanc veritatem in nostro casu probauit euentus: Giezi namque nullatenus puero vitam refudit; imò mortis iura firmauit. *Quamquam Elisæus misisset Giezi ad suscitandum puerum*, scribit Tostatus quæst.49. *non contenta fuit mater: quia fortè non credidit quòd per eum suscitaretur: ideò instetit, quòd Elisæus illuc iret.* Timuit de electione famuli: nam cùm sæpiùs in eius domo hospitio fuisset receptus, agnouerat minùs aptum ad miraculum, & studiosiorem ad lucrum.

4. Reg 4. v.29.

Tostat.

Cum Moyses legis tabulas exaraturus montem inscenderet, populi regimen Aaroni fratri legauit; nec tamen Numen de graui adeò negotio consuluit: aiebat alibi: *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini sicut oues absque pastore.* Hìc autem non huiusmodi funduntur preces; sed Aaron tanto muneri delegatur: *Ascendens Moyses in montem Dei senioribus ait: Expectate hìc, donec reuertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos*: iam nulli dubium qualis huius electionis fuerit euentus. Vitulus conflatur, Aaron dispoliat populum, aufert aurum: *Videns Moyses populum quòd esset nudatus: spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat.* O quàm luctuosa strages afflixit populum, cùm Aaroni iniunctum est ministerium: religiosissimum Moysem nullus ignobilis deturpabat affectus; verùm dum fratrem præficit, preces fundere non narratur; fudit tamen, dum Iosue eligitur: & quia alibi muneri quærebatur aptus, alibi verò honorabatur munere sanguine coniunctissimus, magnum electionum discrimen fuit: Iosue namque Solis rapiditatem sistit, Lunæ velocitatem moratur elementis imperat, vt victoriam populo pariat; Aaron verò idolum conflare audet, quia de Principis consanguinitate confidit. Alibi populi imperium de electo accepit honorem; alibi procuratum est, vt electus frater acciperet honorem de imperio. Si Moyses oraculum consuluisset, fors populi regimen fratri nullatenus delegasset; sed dum Aaronem discupit dignitatis nobilitare fastigio, nihil quæritur ab oraculo. O quot protelant ignorantiam in occasionem, aut corrumpunt conscientiam in dissimulationem, aut vtrumque! Affectant ignorantiam, vt seruis aut cognatis vtilem alicuius muneris iniungant curam, & inconsulta publicatur electio, ne impediatur, si consulta. *Iste Hur*, scribit Lyra, *fuit maritus Mariæ sororis Moysi:* frater 121.

Numer.27. v.15.

Exod.24. v.14.

Exod.32. v.25.

Electio sine orationis suffragio periculosa, de oratione secura.

Lyra.

frater, & leuir muneri præficiatur; sed populus electione non modicum obscuratur. Huc voco alio quidem sensu prolata verba Oleastri

Oleaster. ad Exod.24. *Docentur hic reges, & gubernatores non relinquere suos.* Dum Moyses suos relinquit, magnum præter intentionem discrimen populo affert: si quæsisset industrium, à populo auertisset periculum: Dum in electione Iosue oraculum consulitur, & salus populo generalis creatur; at dum non rogatur, vt frater fastigio dignitatis donetur, populi eligitur rapina, & idololatriæ miseria.

122. Ioan.1.v.19. Iam appetere noscebatur Iudæorum reipublicæ luctuosam ruinam, cùm muneri non quærebatur persona; sed ambiebantur personæ munera: *Miserunt*, inquit Ioannes, *Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es?* Hic Ioannem ad Messiæ dignitatem ambiisse, testantur Patres. Itaque Christus, aut Ioannes inaugurandi videbantur. Ioannem vitæ commendabat austeritas; sed plurima alia à dignitate excludebant: Christum omnis Scripturæ pagina attestabatur Messiam; & tamen Sacerdotes, Leuitæque Christum Dominum respuunt, & Baptistam muneri exambiunt. Et quæ illos impulit ratio? Sacerdotis esse filium illorum certè cognatum, aut saltem affinem, vtque præfecerint consanguineum, dignissimum auersantur. Certè iam securis ad illius reipublicæ radicem posita erat, quando ius erat ad dignitatem cognatio, quando præferebatur consanguineus, abiiciebatúrque benemeritus. Adest Chrysostomus apud

Chrysost. D.Thomam: *Passi erant Iudæi quandam humanam Passionem ad Ioannem: dignum enim existimabant subiici eum Christo propter multa, quæ Ioannis claritatem demonstrabant: quorum primum erat genus illustre: Principis enim Sacerdotum filius erat.* Annuit ibi Origenes: *Iudæi quidem ab Ierosolymis, vt cognati existentes Baptistæ de stirpe sacerdotali existentis sacerdotes, & Leuitas destinant sciscitaturos quis esset Ioannes: eos scilicet, qui reputati sunt secundum electionem ab aliis differre, & ab electo Ierosolymorum loco. Ioannem itaque quærunt cum tanta veneratione: erga Christum autem nihil huiuscemodi factum legitur a Iudæis.* Ecce calamitosum reipublicæ statum abiicere dignum, muneri delegare cognatum. Certè si consulere vellent Scripturas, nullatenus Christum Messiæ muneri deputatum quirent dubitare; studiosè tamen obcæcabantur, quia cognatum desiderabant eligere, & dum electio ob cognati peragitur commodum, certissimum reipublicæ procuratur excidium. Si reipublicæ suspirarent Leuitæ, & Sacerdotes augmenta, Baptistam nullatenus ad Messiæ euehere conarentur fastigia; at sanguini consulebant, & communis salutis dispendio suis commoda procurabant. Ergo meus Iosue, vtpotè reipublicæ studiosissimus, non elegit ad munera cognatos, aut seruos; sed à republica petiuit industrios.

Origen. *Curiales ferè semper eligũt humana, respuũt diuina.*

§ XXVI.

Vbi sacratus Trinitatis elucet numerus, & propulsantur pericula, & cælestia impetrantur facillimè dona.

123. Cassiodor. NVmeros apud antiquos arcana inclusisse mysteria nulli dubium: *Senarium*, scribit Cassiodor.1. variar.10. *non immeritò perfectum docta antiquitas definiuit*; verùm inter reliquos numeros ternarium, vtpotè Numinis personis competentem sacratiorem testatur veritas: *Numero Deus impare gaudet*, aiebat Maro; Christi Domini temporibus clarior huius numeri notitia seruata; aliqua tamen, & pristinis impertita. Numerus hic tantisper ab antiquis vmbratili luce cognitus, nobis tamen fortunatissimè reuelatus. In eo rerum salutarium notitia discitur, & credentibus vita præstatur. Ab hoc numero diuinæ lucet hominibus Trinitatis arcanum, ab illo veluti felicitatis vena emicat quidquid humano generi profuturum. Hinc Iosue cùm exploratores non sine periculo describendæ telluri prouidentissimus delegaret, huius numeri Sacramento muniuit, & de mysterio securitatem dignè præsumpsit, qui de legationis difficultate nullatenus dubitauit: *Eligite de singulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant, atque circumeant terram, & describant eam.* Adhuc hostes plurimi perstrepebant, adhuc obuia pericula retardabant; credidit tamen dux inclytus reuersuros illæsos, quos aduersus hostiles adsultus numeri sacramento delegabat armatos. Satius videbatur delegasse pauciores, vt qui facilius hostium effugere valerent notitiam, & secretius rem sibi absoluere delegatam; Iosue verò tres ex quauis tribu deligi voluit, vt numerus tegeret, quos difficillimæ descriptionis pericula videbantur proscribere. Repetere possem Cassiodori verba de diuid. lection.c.16.

Senarius numerus perfectus.

Cassiodor. *Tradit, (vt numera cuncta vincentur) sanctæ Trinitatis adorabilem cognitionem, quam per tot sæculorum tractus idolis dedita cæca, & flebilis ignorauit humanitas... Cuius si pietatem quæris, audi breuiter comprehensam. Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Tribulatio imminet, periculum terret; numerus tamen eam opem auxiliarem asciscit, vt per medios inimicorum cuneos irrumpant exploratores illæsi, & degant inter aduersarios securi.

Barbarus ille Nabuchod. tres pueros nimia crudelitate instigante nigris flammarum tradit vorticibus vstulandos, vltra quam solet stupa ac pice in innocuos ignis armatur: pueri proiiciuntur vinculis illigati, ac in obscuras ad speciem fauillas citò soluendi; sed ò spectaculum Deo dignum! Roseulenta puerorum pedes allambit flamma, & quibus animi corporisque puritas contulerat reuerentiam, ardor non est ausus inferre iniuriam; imò dum humiliter contactum refugit incensores refugiens obruit, vt inueniret dignum pabulum, quia indignum renuerat exercere supplicium. *Non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit.* Zeno Veronensis ingeniosus mysteriorum indagator numeri sacramento adscribit globulos viam vaporibus extra fornacem quæsisse, nec intra exceptos cremasse. Audi ipsum serm.4. de tribus pueris. *A sit accendiam incendentibus, non incensis. O admirabilis ratio! ò inæstimabilis gloria Dei Sacramento Trinitatis tam potentis elementi subacta natura est.* Addit serm.5. *Vbi iactati sunt in fornacem ignis ardentis, hos deuotè cupidus ignis excepit: lambunt roscidos flammæ blandientes. Mira res, species intus, incendium foris est: intus hymnus cantitur, foris vlulatus auditur.* Statim ac sacratum Trinitatis numerum flammæ exceperunt, & mi-

124.

Dan.3.v.50.

Zeno.

Naxera in Iosue Tom.2.

cantibus pueros sopito ardore splendoribus coronarunt: extiterunt quidem tyrannica rabie fortiores, dum sibi partes: Trinitatis resplendent sacramento muniti, fide vnitatis armati, & passionis victoria gloriosi: nec poterat flammarum nocere iniuria quos sacri adeò numeri defendebat tutela. Ergo prudentissimus Iosue exploratores tres non sine arcano mysterio delegari deposcit, vt de numero aduersariorum frustrarentur studia, ac hostium vincerent arma.

125. Cum seipso componamus Iordanem. Per medios vortices arca ingreditur, humero vecta sacerdotali: Iordanis vnda reuerentiali, solidante timore suspenditur, & fuga metum testatur. Vidit mare percussum virga liquorem in muros vel inuitum durasse, & prudenter vitauit ictum, & spontiuè recedens augustius cumulauit obsequium. *Steterunt aquæ descendentes in loco vno, & adinstar montis intumescentes apparebant procul ab vrbe.* (Iosue 3. v. 15.) Sacerdotales plantas verentur vndæ, & arca honorabili labore terens dorsa pedibus impediuit naufragia. Sacro ponderi subiecti elementis sunt dominati, dúmque Domino venerationis debitum persoluunt tributum à creaturis indebitum accipiunt obsequium; (*Qui debitum Deo soluit tributum, à creaturis indebitum solet accipere obsequium.*) verùm hîc idem Iordanis, qui ad legalis arcæ præsentiam fugit postea ad Trinitatis præsentiam liquorem nullatenus indurauit. Christus Dominus aquis abluitur, candidissima columba è cœlo missa verticem abluti coronat, resplendens Patris auditur accentus; & tamen nec Iordanis sistitur, nec vnda tanti miraculi terrore frænatur: *Vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se, & ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* (Matth. 3. v. 16.) Chrysologus profundo ingenio, & florido stylo celebris serm. 160. rogat, cur Iordanis hîc tranquillus fluxerit, cum alibique timore perculsus cesserit: *Quid est quòd Iordanis, qui fugit ad præsentiam legalis arcæ ad totius Trinitatis præsentiam non refugit?* (Chrysolog.) Profectò grauiorem incutere debuissent metum Trinitatis personæ, quàm legalis arca; & tamen Iordanis ad legalis arcæ præsentiam fugit, ad Trinitatis totius præsentiam non refugit. Ecqua huius discriminis ratio est? An quia legalis arca? Quia virga miraculorum officina munita? an quia non Princeps; sed Principis gerens munus? Sæpè namque maiorem deposcunt adorationem ministri; hic tamen sacratius indicabatur mysterium, & prodebatur arcanum. Ipsa Trinitas, quæ timoris occasio, erat timoris medela: nam & periculi fuga. Audi Chrysologum: (Chrysol.) *Quia pietati obsequitur, incipit non esse timori: hic Trinitas exercet gratiam totam, totam secum loquitur charitatem:* nouit Iordanis de sacræ Trinitatis præsentia repulsa semper pericula: nouit de sacro numero copiosa emanare dona, & ne tanto numero inferret de metu iniuriam, cursus noluit irrupisse constantiam. Timuit alibi conspectam virgam quia Trinitatis non aspexit præsentiam; hic verò deposuit metum, quia reseratum vidit Trinitatis arcanum: ab hoc enim diuinissimo numero nil hominibus promanauit rigidum, nil acerbum. Ergo & alibi rationabiliter metuit, & alibi prudenter timorem deposuit: quia vbi Trinitatis non spectatur præsentia, & timeri possunt pericula; at vbi diuinus elucet numerus, irrationabilis esset metus. Accipe & alium ab Scripturæ promptuario non inconcinnum exemplum.

Ardenti sole in tabernaculi ostio sedebat pientissimus Abrahamus: despexit æstum, ne peregrinis hospitalitatis negauerit beneficium: 126. sedebat; non tamen ignauè otiosus; sed studiosissimè pius: sub id temporis tres illi iuuenes obiiciuntur statura pares, oris pulchritudine augusti, vt iam ipsa facie virtus animi reluceret, & quasi Diuinitas per sensuum rimulas effluens micaret: cucurrit ille, & quamuis annosum refragaretur senium, alas charitatis præstabat studium. *Cùm eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè eum.* (Genes. 18. v. 2.) Hîc opiparè cibati dignóque fidei hospitio recepti tantisper requiescunt, & sub vesperum Sodomam petunt, non iam tres iuuenes; sed duo Angeli: *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere.* (Genes. 19. v. 1.) Varia interpretes in hoc itinere mysteria venantur. Cur Abrahamo tres apparuerint iuuenes, rogant, & cur Sodomam duo intrauerint Angeli? Tertiúsne conuiuio oppletus gressum tardauit? Inuolabant ardenti adeò infligendi supplicia studio, vt expectare noluerint socium, ne vel exiguo tempore flammarum differretur diluuium? Profectò illos cibus non potuit grauare, quia nec illis opus comedere; numeri tamen varietate nobis reserauere mysteria, anteà hominibus fortè inuisa: Abrahamo Trinitatis apparet numerus: quia & beneficiis amplissimis cumulandus, Saræ sterilitas soluitur, ætate senili vigor infunditur, filius vel longæuo promittitur; Sodomam verò teter flammarum imber adurit, horrendum strepentes globuli ciues depascuntur, & eximia camporum amœnitas, horrenda luget iam sterilitas. Vbi ergo exercendum erat supplicium, nec Trinitatis potuit apparere mysterium; vbi verò exercenda amplissima gratia, & Trinitatis resplenduit etiam notitia. Adest opportunè Glossa: *Notandum quod tres Angeli numero impari Abrahæ apparent: quia numero impari Deus gaudet: Sodomam venerunt pari numero, id est duo, qui numerus primus ab vnitate recedit. Venerunt in vespere: quia iam Sodomitis occubuerat Sol iustitiæ.* (Gloss.) Annuit Glossa Græca *Notandum, vbi beneficia Dei explicantur, Deum adesse; vbi verò supplicia exercentur, Angelos mitti.* Si Trinitas Sodomis appareret, horrisonus non Sodomitas flammarum imber absorberet: arcerentur namque de augustæ maiestatis præsentia supplicia: adeò namque sacratus Trinitatis est numerus, vt felicitatis sit tessera, & salutis officina. Ergo Abrahamo impar obiicitur numerus: quia & felicitatibus munerandus; Sodomitis verò subtrahitur Trinitatis notitia: quia flammarum iam inuolabant tormenta. Adde in mortem adhuc vegetum, adhuc toto virium censu munitum Trinitatis præualuisse numerum, vt ab illo fuerit deuicta, & lugubre cecinisse coacta.

127. Inuolat Elisæus Sunamitidis filium excitatum, bis incubuit, mortémque abegit; magister tamen eius Elias ter super puerum dimensus est: *Expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus.* (3 Reg. 17. v. 21.) Quærunt Patres cur Elias tribus dimésionibus veluti præpilatis telis mortem adoriatur; cum Elisæus bis tantùm super puerum incumbat? Seleuciensis Basilius mortem ab Elia primùm vinci testatur edoctam: Elisæi tempore iam erat viribus fracta, iam à corpore humano depulsa; at Elias cum morte congreditur integra:

Seleuc. integra: de antiquisque triumphis insolescente, ideò & maiori vi opus. Audi Basilium orat. 11. *Contra hom nes mors inuicta per Eliam vinci didicit, ac lingua prophetica vim passa lugubre cecinit: primum enim mortuum ab se abstractum hominum more lugere didicit.* Itaque primus mortuus per Eliam luci redditur, morsque etsi inuitè cessit imperio. Ob hanc igitur causam tribus se dimensionibus obarmat Trinitatis numerum referentibus: quibus armis, & vitam ablatam reduxit, & tyrannidem mortis abegit.

Lyra. Ita Lyra *Tribus vicibus hoc fecit Elias facto profitens fidem Trinitatis quia fides maximè operabatur in operibus miraculosis.* De Trinitatis fide, de sacro dimensionum numero mors adeò debilitata est, vt quæ ingerebat hominibus luctum more hominum eiulare inceperit, & veluti fatali sibi numero vinci didicerit. Prudenter itáque Iosue tres exploratores ex qualibet tribu delegat, vt numeri sacramento muniti hostibus sint terribiles, & antiquis exploratoribus feliciores.

128. Duo Pharaonis serui somnia vident futurorum indicia: alteri obiicitur singularis vitis triplice propagine coronata. *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines.* Alteri tria canistra, sed quæ prorsus distincta, nec aliqua veluti fœcunda radice vnita: his Ioseph optimus somniorum coniector diuersos prædicit euentus, dissimiles prorsus casus; alteri namque ait somnium felicitatem protendere; alteri verò infaustam sortem nunciare: iam si discriminis causam curiosius requiras, nullam aliam, ni fallor, reperies; præterquam pincernam Trinitatis symbolum spectasse; pistorem verò nullatenus præuidisse. Vitis vna erat singularissima numero, sed adæquis triplex brachiis, at canistra etsi trinum referrent numerum, nullatenus retulerant vnitatem, & quia vnitatis defecerat symbolum, Trinitatis non exprimebant mysterium; at vitis de numero singularis, de adæquè pullulantibus propaginibus triplex non obscurè exprimebat, ac depingebat arcanum: ergo Ioseph vbi Trinitatis spectat ænigma, & felicitatis prædicit augmenta; at vbi Trinitatis non videt vmbram, infelicitatis indubiæ prædicit causam; nam ab hoc sacro arcanóque numero quicquid faustum, vt sine illo quicquid aduersum. *Per somnium vidit*, inquit Ambrosius apud Lippomanum, *reddi sibi principatum suum.* Vbi Trinitatis aliqualis erat vmbra, & prosperitatis causa, vbi Trinitatis non adumbrabatur mysterium, mortis minabatur supplicium.

Genes. 40. v. 9.

Ambros.

---

§. XXVII.

Numinis fauor non respondet prolixis annorum tractibus; sed copiosis virtutum censibus.

129. QVi gratias pulchellarum depinxerunt facie, vtilem nobis doctrinam emblematis tradiderunt: non senescit virtus, nec annorum ponderibus ingrauatur; imò, & honesto processu vegetior semper, & floridior: humanæ vires tacitis annorum adsultibus, temporisque annosis fatiscunt dentibus: quæuis dies validè impellit ad casum, dum præteritorum adauget numerum; at virtus dum habitas adhuc processu adauget, & vegetiores ac lætiores reddit. Quàm benè Seneca epist. 67. *Duo illa superiora bona diuersa sunt: prima enim secundum naturam sunt gaudere liberorum pietate, patriæ incolumitate: secunda contra naturam sunt fortiter obstare tormentis, & sitim perpeti morbo vrente præcordia: quid ergo? aliquid contra naturam bonum est? minimè; sed illud aliquando contra naturam est, in quo bonum illud existit: vulnerari enim & subiecto igne tabescere, & aduersa valetudine affligi contra naturam est; sed inter ista seruare animum infatigabilem secundum naturam est.* Naturale est animum non defatigari virtute, vt atteri corpus labore. Hinc in Dei domo nullus de longo temporis tractu, si indulgeat ignauiæ, init gratiam; imò ni vegetior, incurret notam; virtus namque dum per longiores temporis moras exercetur refuso semper nouo vigore lætatur. Qui de prolixis virtuti adscriptis annis sibi plaudit, suáque de tempore incrementa metitur, & iam à virtutibus feriandum contendit, fallitur; quia Numinis gratia meretur virtutibus non temporibus: parum interest exiguum temporis quis posuerit, si viam arripuit alacriter, & ad summa peruenit celeriter; vt iuuat parum ante æuum cœpisse iter, si quis testudinis adinstar non explicat gradum; sed potius suspédit gressum: hic enim in via moratur, & vacuo nomine gradiens dicitur. *Obsecro te, mi Lucili,* aiebat Stoicus epist. 94. *hoc agamus vt quemadmodum pretiosa rerum sic vita nostra non pateat multum; sed multum pendat: actu illam metiamur, non tempore.* Plures vitam metiuntur tempore, quia pendere non possunt actu, & de longæuitate priuilegia sibi primásque in omnibus debere contendunt, cùm tamen ipsa annorum longæuitas ignobilem illis incutiat notam, dum per longa tempora inertem prodit ignauiam. Ecce Iosue dum terram diuidit, Iudam tribum primam collocat, Iosephitásque omnium veluti supremos constituit. *Diuidite vobis terram in septem partes: Iudas sit in terminis suis ab Australi plaga, & domus Ioseph ab aquilone: mediam inter hos terram in septem partes describite.* Veluti honorabiliores Tribus Iudæ, & Ioseph supremis locis constituit: & quidem Iosephitæ cæteris iuniores, tribus aliæ septem multis annorum tractibus præcesserunt: ergo bonæ œconomiæ Iosue Christi Domini vmbra aduersatur, dum Ephraim puerulus ante tribus alias; imò, & præ tribubus aliis eligitur. O Iosue dignissimam politiam! tribus alias septem otiosa sugillabat pigritia: *Vsquequò marcetis ignauia*, carpit illas Iosue, *& non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* Iosephitas alacritatis commendabat excellentia. Hos ergo præ aliis sedis nobilitate honorauit, vt doceret apud Iesum non iniri gratiam de canitie temporis, sed de vigore virtutis. Adest Lyra: *Iudas erat in termino australi, & Tribus Ephraim in aquilonari: quia erant tribus bellicosiores.* Priùs collocantur, quæ bellicâ tribus excellebant virtute; posteà quæ præcesserant tempore: nec enim annorum apud Iosue commendare poterat summa, quos inertis otij sugillabat ignauia.

Senec. *Vel inter aduersa, & aspera sapiens infatigabilis perseuerat.*

Senec. *Vita actu metienda, nō tempore.*

Lyra.

Cum iam ab Heli domo dignitas foret remouenda, eiúsque gloria ad occasum vergeret, 130.

Deus cum Samuele puero miscet colloquia, illique denunciat arcana: *Vocauit Dominus Samuel, qui respondens ait: Ecce ego.* Pucrilis ætas, & nondum lanugine picta facies diuinis apta non videbatur colloquiis, senilisque Heli ac grauis ætas aptior auscultandis mysteriis, & cur Deus Samuelem adolescentulum ad regalis colloquij extulit gloriam, quando seni excluso ad speciem aggerat ignominiam? Repetamus quæ de puero ac sene prodidit textus: *Puer Samuel,* inquit, *ministrabat Domino coram Heli: Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre.* Heli marcet otiosa pigritia, Samuel diligenti Domino ministrat solertia: ergo quantumuis ætate puerulus, colloquiis inuenitur diuinis aptus; Heli tamen quamuis annosus, à Principis colloquio exterminatur exclusus. Certè Dei templum regiámque Numinis domum plures annos Heli frequentauerat, & incoluerat, Samuel exiguum tempus posuerat; at dum alter ministrat sedulè, & alter iacet ignauè, & gratiam alter init, & in gratiam alter incurrit: quia apud Dominum quisque apparet gratus de egregiis factis, non de sæculis prolixis: *Visio Heli manifesta non est,* scribit Gregorius lib. 3. in Reg. cap. 1. *quia Iudæorum Sacerdotium in perfidia sua cæcitate sepultum est: Heli ergo iacet in loco suo: quia & litteram legis habet, & in lege & prophetis non habet statum luminis; sed lapsum cæcitatis.* Heli multis temporum processibus prægrauatus; sed virtutibus nudus: Samuel exiguo tempore puerulus; sed censu virtutum eximius. Ministrat alter; alter de temporis processu superbit. Ergo Heli excluditur, dum gloriatur inaniter, puer init gratiam dum obsequitur diligenter: vt videas apud Dominum censeri homines virtutibus, non temporibus.

1. Reg 3. v. 4.

Gregor.

131. Hebræus populus per desertorum inuia nubis columnam ductricem sequitur: illis Deus cœlestem explicat mensam, & manna certa sub mensura largitur. *Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum gomor per singula capita.* En alimoniam mensura breuiatam. Transi à deserto in montem, vbi populorum turbæ Christum Dominum sequebantur: videbant morborum depulsorem, indefessam salutis scaturiginem, doctrinæ cœlestis thesaurum, & ab eius ore pendentes vsque ad desertorum inuia contendebant. Iam tribus elapsis diebus illorum Dominus curam gerit, & mensam etiam extemporariam apponit. *Cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus, similiter & ex piscibus quantum volebant.* Qui diebus tantummodo tribus sequuntur, exundant panibus, & saporatis implētur piscibus: qui verò per quadraginta annos desertorum inuiis exerrant donantur panibus intra mensuram contentis, & intra modum arctatis; & quæ huius discriminis causa est? Exolue textum: alibi inuenies columnam populos Hebræorum duxisse; illi tamen non referuntur secuti; sed videntur inuitè quodammodo tracti: *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam:* alibi verò non referuntur tracti sed secuti: *Sequebatur eum multitudo magna.* Deserto Dominus ingratis eorum vocibus sæpè est repercussus; monte faustis iteratisque acclamationibus dilaudatus: *Dicebant: Quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum.* Repetebant alibi: *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate, cur eduxistis nos in desertum istud?* Ergo quia diuersissimus animus, & beneficiorum etiam diuersissimus cumulus: ditiores inuenti sunt, qui tribus diebus alacri & exprompto animo sunt secuti, quàm qui per quadraginta annos quodammodo errauerunt coacti. *Quadraginta annis,* scribebat Dei nomine Psaltes, *proximus fui generationi huic, & dixi: semper hi errant corde.* Itaque inutili labore alij plurimos annos insumpserunt; alij verò tres dies sitiendi auiditate diuinis sermonibus excipiendis dicarunt: ideò his & mensa locupletior, & cibus gratior. Adest Seleucensis Basilius orat. 33. *Nunc profusior quàm necessitas postularet suppeditatio auctoris potestatem testatiorem facit: verùm quod loquor aliundè clarè discamus. De cælo manna quondam Israelitis dabatur. Escam librans cælum Iudæis demittebat, & tempus donum vincebat, ac intra modum gratia cohibebatur.* Præmiserat Basilius huius rationem anteà: *Cùm olim in solitudine Deus Israelitis manna suggereret, & terra iter habentibus cælestem explicaret mensam, necnon petram doceret imbres emittere, & prærupta saxa nubis ingenium imitari, ingratis eorum vocibus repercussus est.* Ad instar famulorum iam feriantium omnia deserto abrodebant, & iniquissimis linguis obmurmurabant: his ergo manna datur in mensura: aliis profusior liberalitatis copia: iuuant enim plus tres dies virtuti studiosè consecrati; minus quadraginta anni pigritiæ ac ignauiæ addicti.

Exod. 16. v. 16.

Ioan 6. v. 11.

Exod. 13. v. 21.

Basil. Seleuc.

Prodigus ille, qui in longinquam regionem à paternis oculis remotus vitiis effrænatè indulsit, ærumnis vitiorum castigatus paternam tandem domum repetiit: gemitibus eluit maculam, flebili confessione depulit culpam: dignitate filij nobilitatus ad seruorum censum humiliter se deiecit; benéque secum agi arbitratus est, si vel in mancipium admitteretur: pater tamen lauto venientem conuiuio excipit & saginatus vitulus paternæ testatur pinguedinem charitatis: *Occidite vitulum saginatum, & manducemus & epulemur.* Senior filius redit, & improuidā patris liberalitatem sugillat, quasi etiam ipse cum prodigo in prodigalitatis partem deuenerit: *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hædum.* Venienti saginatus exhibetur vitulus: tot annis paternam inhabitanti domum nullatenus datur hœdus; & quidem vtrumque rationabiliter. Prodigus aduentat modò; sed eo antiqui erroris dolore perculsus, vt necessarium non fuerit asperis verbis corrigere; sed spebus bonis leuare. Qui natura filius, inseruire desiderat mercenarius: *Fac me sicut vnum de mercenariys tuis:* pandit pœnitudo peccata, humilitas suam indignitatem fatetur, & de intimo cordis dolore omnibus citissimè virtutibus exornatur: Senior filius agro eradicat gramina, nec liuoris sentes auellit: fratris maliloqua lingua famam obscurat, & quam, vt mederetur, non viderat culpam, vt infuscaret, aspexit, gloriam: iure ergo, etsi tot annis ad speciem inseruierit, non accipit hœdum, & iure prodigus accipit vitulum: quia hic meretur de virtute, ille non meretur de tempore: *Tacendum potiùs,* scribit Chrysologus sermone 5. *quàm loquendum esse iam diximus: quia Iudæus loquitur, & non facientis*

132.

Luc. 15. v. 23.

Chrysolog.

cientis verba sunt; *sed tumentis*: virtute nudus, tumore inflatus: multis temporibus apud patrem degit; non tamen fecit; sed tumuit: *Non facientis verba sunt; sed tumentis*: pater ergo nec iuniori pœnitenti denegat, nec seniori tumenti largitur: vt doceat apud cælestem patrem iniri gratiam, non de tempore, sed virtute. Adde apud Deum pluris haberi opera; minoris verba.

133. Exod 7. v. 1. *Opera præferenda floridis verbis.* Moyses Deus Pharaonis deligitur, Aaron fratris Propheta legatur: *Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Aaronem tempore præcessisse non dubium, floridóque stylo, eloquentique sermone exornati certum: Moyses est tardus lingua, impeditus loquela: cur ergo iunior ad diuinitatis effertur titulum, cùm senior solum Prophetæ honorem fuerit adeptus? Quia Aaron excellebat cultis sermonibus, Moyses miris antecedebat operibus, & apud Deum excellentior Moyses de manu, quàm frater fuerit de verbo. Adest

Seleuciens. Basilius Seleuciensis orat. 26. *Pastor fuit, & Moyses in montibus Madian, & ouium curator Iothori, postferens Ægypti regnum, & magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucũditatem: cuius electionis ipsum Deus admiratus se videndum offert viri tam cordati merito, & spectaculum inter, ac spectatorem medium ignem interlocat rubo, & floribus insidentem innoxiè.* Auidiùs audi quæ subdit: *Neque cùm ab ouibus oculos amouisset artem pastoritiam desiit; sed comprehensa virga elementis imperabat.* Moysem commendabant opera, exornabant Aaronem verba: quamuis ergo Aaron tempore longæuior, Moyses apud Dominum honoratior: quia eius gratia non censetur de temporum tractibus, sed virtutibus.

§. XXVIII.

Optimus superior omnes à subditis iurgiorum fibras præcidit, & concordiæ prouidenter causas disponit.

134. QVod primum superior in subiectis curabit attentè, est ad pacis legem componere, & omnia ad charitatis regulam ordinare: rempublicam ditat, & exornat tranquillitas, euertit iurgium, & turbat semper litigium. Lis animorum exacerbatio, pacis tinea, tranquillitatis ærugo, reipublicæ flamma; pax bonorum scaturigo. felicitatis vena, & virtutum

Senec. officina: *Hæc indiuidua bona*, aiebat Seneca epist. 74. *pax & libertas, tam omnium tota quàm singulorum sunt. Cogitat itaque sapiens per quem sibi horum vsus, fructúsque contingat, per quem non ad arma illum, nec ad seruandas vigilias, nec ad tuenda mœnia, & multiplex belli tributum publica necessitas vocet, agitque gubernatori suo gratias.* Sub vite & sub ficu pacatè quiescere, nec timori tributum soluere beatitudinis pars est: agendæ sunt gratiæ plurimæ gubernatori: cui præcipuum studium à suis litium remouere causam, & fructiferam ac vitalem stabilire concordiam: nulli vt hoc consequatur arduo labori parcendum, nulli industriæ non vigilandum. Cupiditas, & hydropica semper ambitio ipso quo implentur, & viuidiùs inflammantur: & quidem nisi stabiles ac firmi limites, quos transgredi nequeat, eius exoculatam non arcuerint audaciam, in turbas facilè totam scindet rempublicam. Nec satis gubernatori sit à suis depulisse discordiam; sed abscindet etiam, quæ in futurum discordiæ possunt, præbere materiam. *Quid quærit vltra*, scribit Cassiodor. 3. variar. 3. *cui offertur absoluta iustitia? Dicam planè quod sentio. Qui sine lege vult agere, cunctorum disponet regna quassare. Sed melius est vt inter initia periculosa reprimatur assumptio, vt sine labore perficiatur omnium, quod certamen esse poterat singulorum. Recolite namque Henrici senioris affectum quantis vos iuuit semper muneribus, quotiens à vobis proximarum gentium imminentia bella suspendit.* Optimi gubernatoris est, non solùm bella depulisse grassantia; sed & impedire imminentia; nam subiectus populus, dum à futuri metu non angitur, & pace iucundiùs fruitur. Iosue in rationabiles partes terram iubet tribubus diuidi: *Diuidite vobis terram in septem partes*: vt tribus quælibet, dum adscriptis continetur limitibus, alterius terminos non attingat, nec contendat esse proprium, quod lege constat alienum. Septem remanserant tribus, & septem pro cuiusque tribus copia diuidi iussit portiones, vt dum rationabilis sors cuique tribui partem adsignat, ambitio semper inquieta nec statos trangredi sit ausa terminos, nec inquietare vicinos. *Remanserant*, inquit, *filiorum Israel septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas.* Has ergo, ne aliis inuiderent, discupit tribus ditare, & ne confusio lites ingeneret, illarum terminos definire. Adest Abulensis quæst. 1. *Sciendum quòd istæ tribus non petebant possessiones: quia nihil eis deficere videbatur, etiam cùm nondum petyssent possessionem: nam fuerat eis subiecta maxima pars terræ, Chanaan extirpatis inde hostibus, & hanc possidebant tribus istæ pro indiuiso. Et quia terra satis lata erat sufficiebat cuilibet ad habitandum, & colendum, nec multum curabant propria possidere.* Addit posteà Tostatus: *Quia tamen augeretur populus ad maiorem modum in breui, non caperentur quietè in terra insurgentibus litigijs de possessione: ideò vt tollerentur hæc, debuit terra diuidi.* Pacatè degebat populus; quia tamen posteà adauctus poterat in contentiones venire; curauit prouidentissimus gubernator omnes à suis iurgij occasiones aufetre; nouerat namque pace stabiliri rempublicam, cupiditatibúsque immetatis generari semper discordiam. *Stulta auaritia*, aiebat Seneca iam laudatus, *mortalium possessionem, proprietatémque discernet, nec quidquam suum credit esse, quod publicum est.* Ergo, ne posteà alienum ambitiosa sibi adscriberet auaritia, consulta modo partem cuique prudenter diuidit prouidentia.

Cassiodor. *Cautè initia periculosa sunt extinguenda, ne velox omnia consumpserit flamma.*

Abulens.

Senec. *Auaritia nulla publica amat, omnia sibi propria habere suspirat.*

Christus Dominus indelebili, quantumuis ambitio fuerat, crucem titulo Regis coronat. 135.
Et quomodò à Christi cruce auelli potuerit regnum, quando crux ipsa est inconcussum regnorum fulcrum: *Iesus Nazarenus rex Iudæorum.* Hunc ergo titulum dum conatur auellere inuidia, stabilem & æternum ostendit lancea: pectus aperitur sæua illa militari rhomphæa, vt aqua de cælesti petra largiter profluens rhomphæam illam Cherubini extingueret, & à paradiso prorsus arceret. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua.*

Ioan 19. v. 20.

aqua. Quærunt Patres, cur ossium pati noluerit fracturam, & pectore tulerit lanceam. Theophylactus de lateris vulnere profluentem aquam flammam illam homini minitantem paradisi limine sopiuisse testatur.

Theoph.

Rhomphea militis figura est rhomphea versatilis, quæ prohibet nos à paradiso: & quia omne quod versatur, nisi quid obsistat, non obsistit à suo cursu, Dominus ostendens, quòd rhompheam illam sistat supponit in figura latus framea militis. Attende curiosiùs, quæ subdit: *Ostendens nobis quòd sicut framea militis appulsa lateri stetit, ita & flammea stabit, & non vltra interminetur, & versione sua exterreat prohibendo ingressum in paradisum.* Dum frameam prensat Angelus in hominem, dum homo adhuc non concordat cum Angelo regnum nondum apparet sæculis firmum; at dum Princeps superiórque omnem inter suos inimicitiarum causam abscindit, iam & lucet amplificatum, & quantumuis inuidia furat, æternatur stabilitum. Nato Domino regni titulum Herodes obscurat quia nondum inter Angelos hominésque firmata concordia; hîc verò aduersus malitiæ dolos inuidentiæque adsultus crucis vertice eminet gloriosus titulus, quia iam de-stabilita subiectorum pace crucis stabiliebatur corona: vbi inauguratus est rex, ibi vtraque fecit vnum, vt doceret præcipuum superioris studium & à suis depellere culpam, & inter suos stabilire concordiam. Hoc etiam spectasse mysterium ossa remansisse integra testantur Patres; & quidem, si ossa suis locis dissiderent elocata, & corona fuisset deleta, & salus non adeò celeriter restituta; at quia corona nunquam delenda, nec membrorum vnio turbanda.

Tolet.

Integrum corpus manere voluit, scribit Toletus ex Origene, *significans citò resurrecturum.* Non poterat mors vnitum depascere, nec infernus concordantia membra glutire. Citò inimicorum conatus eludit, qui vnionem membris curauit; mystico Ecclesiæ corpori in suo Dominus citò detriumphandi aduersarios modum ostendit, dum vnionem membrorum prouidentissimus custodiuit. Insaniat quantumuis externus hostis, si internam non abscindat concordiam, exiguo tempore affliget, nec felicem prosperámque fortunam euertet. Ergo Christus Dominus, quia in se optimi gubernatoris ac Principis delineabat exemplar, & membrorum vnionem vetuit turbari, & homines, Angelósque concordiæ vinculo curauit vniri, vt doceret Principes impensissimè studere paci, & inuigilare concordiæ.

Citò inimicorum vincit conatum, qui pacis conseruat vinculū.

136. Ioseph fraterna charitate inter se vinciri fratres agnoscit: omnes namque vnius Beniamini seruitutem lugent, Iudásque fratris loco futurum se mancipium spondet; verùm quos concordes vidit, ne postea occasione aliqua dissiderent, curauit: *Dimisit ergo fratres suos, & proficiscentibus ait: ne irascamini in via.* Futuræ obuiauit discordiæ, & ne fraternitatem scinderet aliqua occasio, illos strictiùs confœderauit præcepto: quasi boni Principis non complesset officium, si præsenti tantùm studuisset concordiæ, nec prouidisset futuræ.

Genes. 45. v. 24.

Non solùm igitur benignissimus Ioseph remisit peccatum in se, scribit Lippomanus; *sed monet quoque, ne in via contendant, ob facta pristina.* Annuit Ambrosius in Catena: *Quàm bene docet ab iracundia præcauendum, quod ea posset etiam amantes sui separare germanos, & maximè in via fugiendam esse discordiam, vbi ipse viandi comitatus debet esse inuiolabilis, & gratia habere consortium.* Studiosè curauit concordiam inter suos vel in futurum extendere, & omnes causas iurgiorum abscindere: parum namque interesset illorum consuluisse famæ, nî prouidisset etiam concordiæ: præcipua namque superioris cura circa pacem debet versari, omniúmque tranquillitati studere.

Lippoman. Ambros. *Iracundia separare solet germanos.*

137. Non vacat mysterio patris decorari titulo, qui aduentanti prodigo explicuit mensam, regémque conclamari, qui deserto populis præstitit alimoniam. *Iesus ergo*, inquit, *cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem*, &c. hîc rex habetur; pater alibi nominatur, & quæ discriminis causa est? cùm vtrobique epulæ testatiorem euulgarint potentiam, prodiderintque inexhaustam generositatis scaturiginem. Omnia equidem arcana, & nullibi vel defectus vmbra; si tamen historiam recolas, inuenies alibi etsi iniustè, fratrem conquestum, alibi quidquid iurgium fouere poterat, fuisse præcisum: ibi ergo regium sonat nomen; alibi tamen occulitur: *Nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer*; criminabatur ingratissimus ille filius: & quamuis iniustam protulerit aduersus patrem querelam, nonnullam exhibitum fratri conuiuium videtur præbuisse ansam; deserto verò cuilibet Apostolo cophinus est concessus, & censu æquali ditatus, ne illorum quis aut impertientis criminaretur affectum, aut inuidentia abroderet socium: hîc ergo nomen proditur potestatis, illic amoris. *Pari cum Apostolis*, scribit Basilius Seleuciensis orat. 33. *numero sunt cophini*, Apostolorum quisque cophino æquali donatur, ne, vel Iudas in Dominum, sociósque iniqua lingua obarmetur. Vbi ergo litigij occasio præcisa, ibi & regia maiestas prodita.

Ioan. 6. v. 15. Luc. 15. v. 29. Seleuc.

138. Redeat iterum Iosue hoc ipso in capite. Exploratores delegat, quos ab omni tribu accuratè deligi postulat: *Eligite de singulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant, atque circumeant terram*: satiùs videbatur vnum aut alterum exploratorem misisse, quando & res cautiùs & secretiùs ab vno poterat fieri, nec tantus numerus inimicis posset celari. Ergo Iosue binos mittat, vt negotium secretiùs absoluat. O eximiam optimi Imperatoris solertiam! Si ab vna aut altera tribu mitterentur exploratores, reliquæ iniuriam fortè in telluris partitione, descriptionéque sibi suspicarentur illatam, essétque iurgiorum causa, quod tranquillitatis putabatur esse materia. Ideò vt iurgiorum vel leuissimas impediret occasiones ab omnibus tribubus exploratores eligi iussit, & concordiæ solertissimè attendit: *Eligite de singulis tribubus*, inquit Lyra, *vt nulla tribus posset conqueri de illa descriptione.* Tantisper ad speciem opportunæ est aduersatus cautelæ, vt consuluerit concordiæ: primum namque Principis studium esse debet charitatis fouere flammam, & omnem iurgiorum remouere materiam.

Iosue 18. v. 4. Lyra.

Ne possent posteà conqueri, ex omni tribu exploratores delegit, & futuris criminationibus obuiauit.

§. XXIX.

§. XXIX.

Dum quis à terra remotior, certius de terra efformabit iudicium, & verius agnoscet ingenium.

139. Seneca. *In freto viximus, in portu mori curandũ est.*

SI potes, aiebat Seneca epist. 19. *subduc te istis occupationibus; si minus, eripe: satis multum temporis sparsimus: incipiamus in senectute vasa colligere: Nunquid inuidiosum est? in freto viximus: moriamur in portu.* Qui marinis æstibus procella desæuiente agitantur, ipso obturbati periculo, quantum periculum fuerit ignorant: ab littore insistentibus penitiùs agnoscitur, quia sine proprij periculi metu conspicitur: ita accidit inter mundiales delicias iactato: affectio praua interpellat iudicium, & rationis sæpè turbat serenum. Qui subductus ab his tempestatibus quietem possidet, syncerius format iudicium: quia puriorem possidet etiam affectum. In ipsa securitate se animus ad difficilia aliquando præparat, & contra fortunæ iniurias inter eius beneficia se obarmat: miles aliquando in media pace decurrit, sine vllo hoste vallum iacit, vtque necessario possit sufficere, superuacuo se labore gestit prudentissimus indurare; verùm quamuis tantisper his velitationibus obfirmetur ac erudiatur animus; si tamen se nondum subduxit, aut in tuto collocauit, properantibus malis ac discriminibus non benè consilium capit: quia metus vrget: qui se eripuit, qui omnia ista, quæ amantur ac timentur, libenter deseruit, clarius intuetur quàm timenda sæpiùs amauerit, & quam optanda timuerit: tunc in affectionum pacata tranquillitate mirabitur se puerilibus anteà strictissimè illigatum, & fallacibus ambitiosissimè addictum. *Adeò mihi placet*, addit ibi Stoicus, *tentare animi tui firmitatem, vt ex præcepto magnorum virorum tibi quoque præcipiam, interponas aliquot dies, quibus contentus minimo ac vilissimo cibo, dura atque horrida veste dicas tibi: Hoc est, quod timebatur.* A ciborum mensæque solicitissimis curis ac deliciis distans, scit quàm paruo sit natura contenta, intelligitque ad saturitatem non opus esse fortuna: nam quod necessitati sat est, largitur etiam irata: securius de diuitiis censet, quem non gratis paupertas, & horridus habitus docet pompaticas vestes esse vanitatis fomenta, naturæ onera. Qui quod superbia exambit, quod suspirat cupiditas, quod vt plus læderet, blandior concessit sæpè fortuna à longè speculatur, stupet intuitus, quàm nitamur caducis, quàm inhiemus euanidis. Iosue terræ lustratores mittit, qui eius describant ingenium, qui mentiantur longitudinem, qui latitudinem eius taxent, quin aut fallacia adaugeat, aut auaritia diminuat: *Diuidite vobis terram in septem partes: Iudas sit in terminis suis ab australi plaga, & domus Ioseph ab Aquilone: mediam inter hos terram in septem partes describite, & huc venietis ad me.* Disputat Abulensis quomodò exploratores hi lustrare potuerint terram, cum & hostilibus muniretur copiis, & armatis custodiretur phalangibus? Certè facile non erat per medios aduersariorum cuneos irrumpere; illorumve ciuitates metu solertissimo intentas dissimulanter intrare. Huic difficultati ex aliorum sentẽtia respõdet factum ab istis, vt ab aliis Numer. 13. scilicet perueniendo ad altissimos montes, vnde & terræ possint facilè dispicere ingenium, & noscere incolarum studium. Audi præceptum Numer. 13. exploratoribus datum: *Cùm veneritis ad montes, considerate terram qualis sit, & populum, qui habitator est eius, vtrum fortis sit, an infirmus: si pauci numero, an plures: ipsa terra bona an mala.* Altissimis montium verticibus constituti terram speculabantur penitùs, & iudicium ferebant certius. *Aliquis fortè dicet*, scribit Abulensis quæst. 4. *quod circumierunt terram illam sicut prius circumierunt exploratores, qui missi sunt de Cadesbarne, quibus iussum est, quòd lustrarent totam terram Numeror. 13.* In aliis profectò rebus officit visui distantia, in his nocet proximitas: nam mundialibus splendoribus acies reuerberata putat quæ sunt euanida, firma, quæ vilia pretiosa, & quæ caduca semper æterna: qui se ab his fallaciarum fluctibus exemit, ab altóque circumspexit quàm sit exigua terra, cognouit: dispicit namque eius limites, & imperturbatus considerat qualitates, de quibus verum nullatenus antea ferebat iudicium, quia obturbatum ac impeditum patiebatur affectum.

Numer. 13. v. 19.

Abulens.

140. Diabolus nondum propria eruditus ruina noua in Christum Dominum tentat deserto certamina: proh amentiam obcæcatam! Cum ab ipso vel puerili ætate fuerit deuictus, cum maiori nondum detrectat congressus: panes offert, Angelorum manus promittit, ac tandem in altissimum montem ducto euanidam mundi gloriam, & fucatum splendorem ostendit. *Assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Chrysologus vt erat acutissimo ingenio, hîc Dæmonem ait sibiipsi tentationibus aduersari, vtque sæpiùs cæca cupiditas, dum auidiùs properat, longiùs à desideratis distat, ita diabolus dum studiosiùs tentationes adornat, à voto miserabiliùs aberrat. *Miser*, inquit serm. 11. *malus vis esse; sed non potes: cupis tentare; sed nescis.* Examinemus, si placet, tentationis huius ignorantiam, & dæmonis errantem malitiam. Cur tentare nesciat, qui mundi gloriam, & gloriæ delicias offerat? Et aues, & pisces esca oblectante capiuntur, nec minus homines ambitionis inescantur fallaciis, & falsis voluptatum deliciis. Ergo id offert diabolus, quod plurium obscurauit oculos, & captiuos duxit affectus. Ergo opportuna spicula armat, nec ab scopo tentationis deerrat: *Tentare*, inquit Chrysologus, *cupis, sed nescis.* Et quare? Quia in montem celsissimum duxit, & à mundialibus rebus lõgissimè separauit. Certè Christus Dominus vtpotè omnis gratiæ scaturigo, omnis luminis inexhaustus fons, omnisque veritatis fœcundissima vena fallaciis minimè expositus nec vel discriminũ vmbris subiectus; dæmonis tamen tentandi ars adhuc cordato homini nullatenus persuaderet: nam à tumultibus, mundialibúsque vndis extractus facillimè dolum agnosceret, & quàm omnia despectu digna calleret, debuisset dæmon, vt hominem industriè falleret, & callidè impeteret, vndis mundialibus inseruisse, vt inter homines faciliùs desiperet, ac inter acres vanitatis, & ambitionis flatus, confusósque cupiditatis fluctus iactatus erraret, nec ad portus soliditatem appelleret;

Matth. 4. v. 8.

Chrysol.

Senec. *Aliquo tempore te delicias nega; vt facilius postea prorsus renuncies.*

Chrysolog.

pelleret; at ducere ad montem altissimum, eductóque fluctus vanitatis ostendere erat abigere, non tentare: *tentare cupis; sed nescis*: nam quò quis à rebus humanis distantior, faciliùs obuia intuetur pericula, & fallacissima agnoscit voluptatum irritamenta. O quot se agnouere compeditos, nec tamen valent disrumpere vincula; quia fortissima illos detinet cupiditatum catena. Exire volunt; sed sua semper detinentur fortuna, splendentium officiorum vexat, & allicit gloria, & dum fastidiunt, & viuidiùs sæpè appetunt: errat dæmon dum altissimo montis vertice mundialem ostendit vanitatem: ibi namque eius quisque faciliùs deprehendet fallaciam, cum ipsa distantia sit aspectibus pro collyrio, & affectibus pro remedio.

141. Cæcum illum extrahit Christus Dominus à tumultu, vt refuderit perfectiùs lucem, orabat ille, vt acciperet visum, & clementissimus Dominus eduxit extra ciuitatis commercium: *Adducunt ei cæcum, & rogabant eum, vt illum tangeret, & apprehensa manu cæci eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos eius impositis manibus suis interrogauit eum, si quid videret.* (Marc. 8. v. 22.) Quid tunc cæcus? Lumini restitutus homines velut ambulantes arbores intuetur: *Aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulãtes.* O quàm iam illi restitutus erat aspectus: arbores ni tellure radicibus obfirmentur citissimè floribus, ac virore nudantur: marcet hodie auulsa, quæ heri gratè oculos detinebat miris floribus coronata. Cæcus ergo à tumultu exemptus iam videt, quàm caduca sint, quæ ab hominibus habentur firmissima, quàm adinstar arborum floreant & marcescant: non otiosè illum Dominus eduxit, vt videat: quia de pessimo frequentíque cæterorum exemplo maximi habebat exigua, & æstimabat minimi magna: eductus agnoscit, intra Bethsaidam non videt. Adest Hieronymus apud D. Thomam: *Eduxit eum extra vicum, id est vicinitatem malorum; expuit autem in oculos eius, vt videat voluntatem Domini per flatum Spiritus sancti; impositis autem manibus interrogat eum, si videret: quia per opera Domini videtur maiestas eius.* (Hieron. *Malorum vicinitas visũ tardat.*) Accinit Beda ibi: *Tangit Dominus, cum mentem afflatu sui spiritus illustrat, atque ad agnitionem nos propriæ infirmitatis studiúmque bonæ actionis accendit.* (Beda.) Eductus tangitur, & tactus intuetur, quasi inter humana nequeat videre: quia constat multas tenebrãs oculis passionibus irretitis semper offundere.

142. Psaltes hanc nobis veritatem coloribus miris expressit: *Vidi impium*, inquit, *super exaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat.* (Psalm. 35. v. 35.) Profectò faciliùs erat videre non existere, dum approximat, quam dum transit: si impio vicinus, curiosèque eius felicitatem aspiciens cedros Libani & grato semper nitore, & ambitiosa altitudine æquare censuit, quomodò dum intuetur remotior, inquit non fuisse: nec enim ait, iam non est; sed non erat? O arcanum in his rebus oculorum aspectum! dum approximant vicini, felicitatis præstigiis falluntur eius: dum à longiùs prospectant, quia fraudis transilierunt metas, acutiùs vident. Inter peccatores sic Dauidis arcanè impediebatur obtutus, vt firmissimas altissimásque putauerit cedros; at dum secedit, dum è rationis vertice, solitudinisque tranquillo rem penitiùs examinat, luminum reperit fallaciam, & agnoscit nec cedri vidisse vmbram: *Transiui & ecce non erat:* quando non erat? Cum ego, inquit transiui, cùm ego longiùs recessi, cùm à mundialibus elongaui. Certè ni Dauid transisset, veritatem non spectasset; at longiùs semotus terram aspicit non cedris ornatam; sed omni cultu ac decore desertam. *Modò*, inquit Euthymium ad hunc locum audis, *illum sese gloriantem dimisi: pertransiui, & statim euanuit.* (Euthym.) Ab approximante censetur florida, à distante cedrus inuenitur euanida. O si transiremus tantisper, si cellis cupiditatum non iactaremur vorticibus, si appelleremus portum, quàm dilucidè inde prosperum aliorum in mari iter videremus esse naufragium; at quia eisdem vndis impellimur, quia flatibus eisdem agitamur, res vt sunt, dispicere non valemus; sed mergimur tenebris, & noctibus cæcutimus profundissimis. Ex altissimis montium verticibus terram exploratores describunt: quia distantes eius ingenium dilucidè agnoscunt.

Prodigus ille adhuc diuexatus fame, dum mundialium consortia non refugit, nec calamitatis suæ ærumnosissimum statum agnoscit: in villam tamen missus in se reuertitur, & iam quàm sectetur vana deplorat. *Misit illum in villam suam vt pasceret porcos. In se autem reuersus dixit*, &c. (143. Luc. 15. v. 15.) Qui inter homines à se migrarat, & transierat in bestiam, inter bestias ad se migrauit, & transiuit in hominem, & quid eius illustrauerit mentem? A terrenis degere separatum, & à longè spectare mundum: nouit semotus, quod agnoscere mundialibus non valebat immixtus: de improborum consortio mens caligabat de fœdo cupiditatum fumo, oculus tenebrescebat: Non poterat præstigiis delusus sentire quæ remotus valuit agnoscere. Adest Chrysologus serm. 2. *Iacebat qui dixit: Surgam: intellexit lapsum, sensit ruinam: iacere se turpis luxuria respexit in lubrico, & ideò exclamat: Surgam & ibo ad patrem meum.* (Chrysolog.) In villa sensit ruinam, in ciuitate ambitiosè amabat miseriam: *Porcis addicitur*, præmiserat Chrysolog. serm. 1. *Porcorum traditur seruituti: porcorum pascua lutulenta percurrit: Inquieti gregis teritur & maculatur excursu, vt sentiat quàm miserum sit, amarum quam sit quietis paternæ beatitudinem perdidisse.* Dum montes porcorum curam agens incolit, quàm miserum sit inseruire mundo cognoscit. Felix de secessu, qui infortunatissimus de mundialium consortio.

§. XXX.

Alacriùs solent homines obire difficiliora ab hominibus imperata, morosiùs faciliora, si à Domino iussa.

144. Multa sunt quæ virilem deposcant animum, multa quæ nobis ingerant metum: audent tamen homines, vt hominibus placeant, vt adulentur cognatis, vt obtemperent consanguineis; si præcepta verò Numinis aliquam difficultatem præseferant, veluti barbarica contemnuntur, & supergressa humanas vires putantur: Numinis præceptio difficultatem quodammodò operis auget, cum imperium humanum leuiget: adeò homines hominibus morem gerere

rere didicerunt, adeò Numini seruire ignorarunt; per hostiles cuneos, & sanguinolentos mucrones irrumpent Dauidis milites, vt cupediis eius blandiantur; à Domino tamen terram repetere Iacob iussus semel, & iterum trepidauit: de humanis præceptis armari solet contumax peruicacia, cum diuinis iussis obsequi refugerit obedientia: *Incredibilia sunt ista*, aiebat Seneca epist. 93. *apud eos, qui virtutem colunt, cùm apud eos reperiantur, apud quos voluptas imperauit.* Quæ voluptas, quæ humana affectio persuasit facillima, à virtute iussa formidantur vt ardua. Hinc disces prudentiam Iosue: cùm ad arduam, periculosamque telluris nódum captæ descriptionem exploratores mittendi essent, noluit hoc per se præcipere; sed commisit tribubus delegare: *Eligite de singulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant, atque circumeant terram.* Electi à contribulibus adeò alacriter, exprompteque obire munus festinant, vt nullatenus imperium difficultatibus plenum moliantur extrahere, aut in futura tempora mittere. *Cum surrexissent viri vt pergerent ad describendam terram, præcepit eis Iosue*, &c. Nullas difficultates opponunt, nullas exceptionis causas allegant, cum difficillimum hoc esset munus, & vt videri poterat, obuiis discriminibus plenum. Ecqua huius alacritatis est ratio, cùm Moyses, Ionásque à Deo legati vsque ad contentionem processerint, obedientiamque quadamtenus obscurarint. Ionas nauim inscendit, Moyses linguæ balbutiem opponit: *Descendit in eam, vt iret cum eis in Tharsis à facie Domini.* Si Ionas animitus detrectat imperium, quia sibi falsus rebatur incommodum, quomodò metatores isti negotium adeò perplexum arripiunt alacri animo, & expromptissimo studio? Eam discriminis putarim causam, Ionam scilicet à Deo delegatum, hos verò à contribulibus missos: faciliùs namque homines hominum, præcipuè suorum exequuntur præcepta, cùm ægriùs exequantur Numinis iussa. Ergo prudentissimus Iosue, qui & munere & nomine Domini gerebat personam, noluit metatores deligere; sed quo faciliùs absolueretur negotium, à contribulibus amandari. Innuit Masius, *Non solùm libenter; sed etiam alacriter, & suscepisse, & executi esse difficillimum hoc, & vt existimari poterat, periculosissimum munus, videntur isti metatores.* Addit post pauca. *Legimus quidem viros etiam sanctissimos, quæ à Deo iussi fuere, timidè cunctantérque aggressos esse; imò verò retractauisse etiam tergiuersatos: nota est enim de Mose, de Iona, de Anania, de alijs historia sacra.* Ionas à Numine missus molitur extrahere imperium: metatores isti a suis contribulibus missi exequi festinant mandatum: & quidem maioribus difficultatibus hoc negotium plenum: erat enim hostiles ciuitates in Hebræos armatas, & solicitissimè intentas intrare; illarúmque proprietates describere; sed de suis obsequendi desiderio alacres viam arripiunt nullis difficultatibus retardati, nullísque discriminibus impediti.

Seneca. *Hominibus voluptas imperat.*

Iona. 1. v. 3.

Masius.

145. Sponsus dormientem vocat Sponsam, blanditiis allicit, vtque ad aperiendum ostium exurgat, rogat: *Aperi mihi soror mea Sponsa, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Blandissimis vocibus excitata mille excusationis causas opponit, exuisse tunicam, lauisse pedes: *Expoliaui me tunica mea, quomodò induar illa? Laui pedes meos: quomodo inquinabo illos?* Res sanè facilis iubebatur; sed de somni ignauia, de obediendi pigritia, veluti difficultatibus plena detrectatur, adeóque morosis gressibus pergit Sponsa, vt Sponsus maluerit noctium sustinere incommoda, quàm inciuilis Sponsæ lenta expectare vestigia. Transi modò cogitatione ad Samuëlem somno quidem (puer namque erat) immersum, & quodammodo illigatum. A Domino excitatus impigro gressu; imò celeri volatu non semel adit magistrum, & expromptum offert obsequium. *Samuel dormiebat in templo Domini, vbi erat arca Dei, & vocauit Dominus Samuel: qui respondens ait: Ecce ego: & cucurrit ad Heli; & dixit: Ecce ego: vocasti enim me.* Seminudus impiger puerulus properat obedire, cùm Sponsa Sponso ostium renuat semel, & iterum reserare: & quidem vterque vocatus dormiebat; & profundius ætatis beneficio Samuel: cur ergo iste celeri excurrerit gressu, cum illa obediat lentissimo. Innuit sanè Gregorius in 1. Reg. cap. 4. *Puer*, inquit, *qui loquentem Dominum esse magistrum putauit, vocem corpoream audiuit:* putauit Samuel à magistro vocari: testatur ipse: *cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego vocasti enim me:* Sponsa verò à Domino cognouit iuberi: *Vox dilecti mei pulsantis:* adeóque impigrè suorum homines exequuntur præcepta adeò morosè diuina, vt Sponsa vel modicos gressus renuerit ponere, cùm Samuel gestiuerit inuolare. Et fortassis Deus quò alacriùs Samuel exequeretur mandatum, mutuatus hominis vocem, humanum simulauit præceptum: *esse magistrum putauit*, ideò ad magistrum cucurrit: celerius videbatur accursura Sponsa, dum vocem Sponsi clariùs audiuit; morosiùs Samuel, dum magistri vocem putauit; ea tamen est in diuinis præceptis exequendis ignauia; ea in hominibus obtemperando solertia, vt qui magistri vocem arbitratur, excurrat; quæ verò Domini agnoscat pulsum, torpescat. Ergo prudenter Iosue abstinuit præcepto, vt metatores alacriùs pergerent de contribulibus placendi studio.

Cant. 5. v. 2.

1. Reg. 3. v. 3.

Gregor.

Iubet Deus Samueli cornu reiectaneum implere oleo, ad vngendúmque prouisum in filiis Isai regem properare: *Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filiys eius mihi Regem.* Quid tunc? Saulis indignationem opponit, periculum allegat, & quodammodò adimplendi præcepti modum ignorat: *Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me:* Vides eximium prophetam Domini iussa exequi quadamtenus refragantem: vide ab Elisæo Prophetarum filium ad simile opus delegatum nulla tergiuersatione pergentem. *Elisæus Propheies vocauit vnum de filiys prophetarum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad: cúmque veneris illuc, videbis Iehu filium Iosaphat filij Namsi, & ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, & introduces in interius cubiculum, tenénsque lenticulam olei fundes super caput eius, & dices: Hæc dicit Dominus: Vnxi te regem super Israël.* Quid tunc? nec metum pectore gerit, nec periculum opponit: *Abijt*, inquit textus, *adolescens puer Propheta in Ramoth Galaad.* Profectò 146.

1. Reg. 16. v. 1.

4. Reg. 9. v. 1.

fectò difficiliùs erat inter armatorum agmina, regiósque milites regem nouum vngere imperatorémque conclamare, quàm peculiarem domum petere, & silenter filium vngere: alibi namque ipse pater totáque familia celare casum ob propriam vtilitatem docebantur; alibi verò stipendiarij milites proditionem ad speciem compellebantur vitare, & in regem id machinantem occidere: cur ergo prophetæ puer timoris non allegat causas, cùm Samuel vel periculi allegauerit vmbras: hic moratur exequi imperium; ille alacriter pergit absoluisse mandatum. Ecqua huius discriminis causa est? quia alibi Elisæus vnum è filiis prophetarum alumnum suum, & fortè contubernalem mittebat, Deus alibi delegabat: & quidem sæpè sæpiùs lentè obimus faciliora si à Domino iussa, cùm intrepidè gestiamus exequi vel difficillima si ab hominibus imperata. *Cur Propheta iussus*, inquit Theodoretus apud Glossam, *timuit vngere Dauid? Quoniam non solum erat propheta; sed etiam homo.* Virtute exornabatur; sed quia humanum non denudarat naturam, ad diuinam trepidat obedientiam; at prophetæ filius magistri iussa non discutit; sed præcepta citissimè absoluit. *Samuel*, scribit noster Sanctius, *timebat non sine causa, ne homo tam barbarus & regnandi cupidus, & sui ipsius impotens cum ex patria Ramatha excessisse cognosceret, suspicaretur noui regis inaugurandi gratia foras esse profectum, & de illius vita tyrannice barbarèque decreto consuleret.* Timore concutitur à Domino missus, nullo angitur ab Elisæo delegatus: *Mariana* scribit ad 9. 4. Reg. Sanctius, *prophetæ discipulus in Ramoth Galaad:* Discipulus, vt magistro morem gesserit, contemnit pericula; Samuel, vt obediat Domino, Saulis extimescit arma: quo honestis actionibus, quæ in nobis a ratione exorbitant vterque depingat, doceátque de placendi amicis, Dominis, aut cognatis studio difficillima sæpiùs tentari, & à Domino iussu lentiùs, & morosiùs absolui.

Theodoret. — Sanctius.

147. Iusserat Dominus Petro vigilare, ne tentationem incurrererer: *Sustinete hîc, & vigilate, mecum:* somnus discipulos inuadit, & blandissimè irrepit; iterum magister vigilandum monet: *Vigilate, & orate*; sed iterum somno ignauissimo corripiuntur, sensúsque torpore ligantur: quid tunc? *Dormite iam*, inquit, *& requiescite*: somnus quadamtenus imperat, vt discipulos vigilare faciat: quasi quidquid à Domino iussum sic lentè exequantur, vt vigilent, si iubeantur dormire, qui dormierant, dum moniti vigilare. Sanè dum *Dormite*, ait, non præcipit; sed insultat; insultatio tamen sub præcepti specie proditur, quo somnus auidissimè dissentiatur.

Matth. 26. v. 39.

148. Post miraculum illud sæculis retrò inuisum, cùm præ panis copia coangustabatur eremus & hominum copiosus vsque ad saturitatem altus est numerus, Dominus discipulos cogit nauim inscendere, fretúmque transmittere: *Compulit Iesus discipulos ascendere nauiculam donec dimitteret turbas.* Ferè omnes Patres illo verbo *Compulit*, testantur non modicam discipulorum denotari renitentiam, & ad mare transmittendum desidiam. Ita Hieronymus apud D. Thomam: *Ostenditur inuitos, eos a Domino recessisse:* Inuiti obediunt; alibi tamen, vt Petrum condiscipulum comitentur, se vltroneè offerunt, & nauigationi incumbunt: *Dicit eis: Simon Petrus: vado piscari: dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in nauim; & illa nocte nihil prendiderunt.* Noctis tenebris retardati, & fumanti inimicorum odio quæsiti, ne amicum & condiscipulum solùm relinquant, vadas petunt, & impigro labore maria traiiciunt; cùm tamen opus fuerit coactione, vt opportuniori tempore nauim à Domino iussi inscenderent, vndásque placidas transfinearent. Fortè discipuli a Domino separari nolebant; hoc tamen verum est à Domino iussos nauim inuitos ascendisse; à Petro tamen vrbanè inuitatos nulla tergiuersatione vortices marinos intrasse. O quoties difficillima aggredimur amici studio, quæ refugimus Dominico adurgente præcepto.

Hieron. — Ioan. 21. v. 3.

§. XXXI.

Vera charitas ambitionis æmula: de proprio labore alienum excudit otium; imò & de honestis periculis procurat augmentum.

AMbitioni & charitati haud dissimile inesse videtur ingenium, cum diuersissimum sit studium: ambitio seruitute emit honorem, & vt vanè crescat, vel ad vernulæ occursum aliquando, vilis demittitur: maria inquietat, mundi limites irrumpit, & quia consilio neque sua neque se ambitiosi disponunt, inquieta semper vertigine aguntur: per medios periculorum vortices viam sibi facere tentant, & ingentibus molestiis vrgentiores molestias comparant: rapiuntur ambitionis impetu, & cupiditatis torrentibus circumacti, si misero non absorbentur naufragio, anxio exagitantur saltem periculo; omnia tamen ambitionis tolerat insania, & leuia censet cupiditatis amentia. Audi Tertull. lib. de pœnit. cap. 11. *Illos qui ambitu obeunt capessendi magistratus neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantum; verùm & contumelijs omnibus inniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant, quæ non atria nocturnis, & crudis salutationibus occupant?* Hæ sunt ambitionis vires, omnibus periculis superiores, ipsísque aliquando difficultatibus irritatæ, & viuidiùs accensæ. *Relinque ambitum*, monebat Lucilium suum Seneca epist. 85. *tumidares est, vana, ventosa, nullum habet terminum, tam solicita est, ne quem ante se videat, quam ne se post alium. Laborat inuidia, & quidem duplici.* Ecce, vt leuissimam venetur commoditatem, non pudet ambitionem incommodis & contumeliis inniti. Nec dissimile charitati est ingenium feliciori voto, & honesto quidem lucro. Quæ sua sunt, obliuiscitur, & quæ aliena, adeò solicita satagit, vt humanam prorsus videatur exuisse naturam. Periculis sæpè obiicitur, laboribus afflictatur, ieiuniis consumitur, & hoc totum, vt alienis indulgeat commodis, & proximi animæ & corporis studuerit incrementis. Adsunt nostri textus designati metatores: nam cum septem tribus nondum sortibus essent donatæ, necessarium erat ingenia terrarum describere, latitudinémque, & amplitudinem certis mensuris taxare. Et quidem negotium hoc difficultatibus plenum, periculis obuium, & vndique laboriosum; verùm metatores

149. — Tertull. *Ambitio ferè immensas vires habet.* — Senec. — *Ambitus res est & tumida, & sanè abiecta.*

metatores sic pro fratrum commodis pericula generosè contemnunt, vt alacriter, & libenter munus suscipiant, & ad vltima terrarum contendant. *Itaque perrexerunt, & lustrantes eam in septē partes diuiserunt, scribentes in volumine.* Masius expendit cum hoc opus arduum satis esset, nec extraxisse imperium, nec exequi cunctatos fuisse mandatum. Quod sanè eximiæ erat charitatis opus, quandoquidem propriis, ac difficillimis laboribus, alienis studebant commoditatibus. *Non solùm libenter*, ait; *sed etiam alacriter, & suscepisse, & exequi esse difficillimum hoc, & vt existimari poterat, periculosissimum munus videntur isti metatores, quippe quod modò dicebam, Deus animos ipsis addebat, securósque reddebat, cum ex ipsorum alacritate penderet multitudinis animorum affectio.* Pendebat multitudinis tranquillitas, & animorum ab hac expeditione: alacritas: ideò nec labores fugiunt subire, nec causas contendunt excusationis afferre.

Deus quos ad ardua destinat, animo virili obarmat.

Masius.

150. Videamus in Iona ambitionis, & charitatis certamen: Niniue erat magna ciuitas, vt hominum copia ditissima, & flagitiorum etiam delictis referta; non tamen diuini amoris flammas superabat; imò humanissimus conditor serpenti morbo medelam prouidit, & Ionam supplicia minantem legauit: ille verò vt honori consuleret, nauim inscendit, Tharsumque petiuit: inuenit tamen mari machinam suis consiliis valentiorem: nam oborta tempestas fluctibus insanientibus diuerberabat scapham: rudentes collabebantur, reboabant horrendum vela, nec iter inuenire quiuerat prora: Propheta sorte ductus naufragium deposcit: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.* Adeò pertinaciter consulebat honori, vt maluerit se periculo tradere, quàm mendacis notam subire. Ita Basilius Seleuciensis orat. 12. nomine Ionæ: *Ego euersionem proclamans vates mendax inueniar: ex duobus hisce malis mœrore conficiar, & mendax videbor, & inimicam vrbem ab infortunio seruatam videbo. Populus quidem impius sine noxa inueniatur; ego verò mendacij pudore confundar. Quid ergo? Inopiam consilij fuga leuabo.* Ecce ambitionis pertinacia vel in aperta naufragia audens: vide etiam charitatis flammam periculis nullis cedentem: *Et remigabant*, inquit, *viri, vt reuerterentur ad aridam: & non valebant, quia mare ibat, & intumescebat super eos.* Non videntur nauigantes internis minùs obturbationis fluctibus concuti, quàm externis aquarum voluminibus adurgeri. Si tempestas venit propter Ionam, illóque naufrago reddito illorum stabilitur tranquillitas, quid laboriosè remigando pericula sibi incrementant? Ionas expetat ambitiosus naufragium, vt imprudenter consuluerit famæ; ipsi tamen suæ prouiderint alieno naufragio vitæ. O laudandam sæculis charitatem! Ionas intrepidus adire non timet naufragium; sed & viri proprium ob Ionam contemnere norunt periculum: proprio discrimine alienæ vitæ consulunt, suisque incommodis alienis moliuntur studere incrementis. Innuit Glossa: *Laborant ad terram reuerti malentes perire quàm sanguinem fundere; remigant autem quia putant absque Sacramento illius, qui passurus erat posse nauem de periculo liberari, cum Iona subuersio sit nauis releuatio.* Ne fundant sanguinem, remigant, & alienam vitam propria quodammodo remedisse procurant: voluit namque Deus charitatem cum ambitione certare, ne plus videretur facere Ionas cæca proprij honoris cupidine, quàm nauigantes miseri hominis charitate. Mutium Scæuolam celebrauit antiquitas fortitudinis exemplum, qui imperturbato vultu manum suam instillare aspexit, ne fortitudinis famæ detraheret. Honestius id factum reperies apud Isaiam cap. 6.

Ion. 1. v. 12.

Basil. Seleuc.

Glossa.

Naxera in Iosue Tom. 2.

Deus Prophetæ obiicitur excelso throno, duo Seraphim tremore testabantur reuerentiam, & cùm honestissimo studio dicuperent proximare, reuerenti metu libratis alis tentabant fugere. Vide flammam volantem & stantem, stãtem de generoso ardore, de prudenti volantem metu: tunc se Isaias labiis lamentatur pollutum: *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum.* Quid tunc? Seraphinorum vnus ardentissimam prunam dextera gestat, & Prophetæ labia repurgat. *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Seraphim volat, vt ad Deum intimius tendat, & volat etiam, vt labiorum maculam auferat: nec ignobilior volatus versus prophetam vt auferat culpam, quam versus throni sublimitatem, vt possederit gloriam; verum quid necessum est prunam gestare manu? voluitne vim experiri doloris, ne alterius labia grauiùs vreret, & intimiùs vstularet. Necessum erat Seraphinũ manu ardentem gestare prunam, vt è Prophetæ labiis abstergeret maculam, eóque interiùs charitatis flammescebat ardore, vt propriæ manus dispendio alieno medeatur peccato. Manum videt instillare quodammodò ob charitatem, nec minùs facit in charitatis obsequium, quàm fecerat scæuola ob euanidæ gloriæ votum: ardet manus, dolorem vrgentissimum sustinet, vt alienam maculam eluat, vt virtuti pollutum restituat. *Et in manu eius, id est, in operatione eius,* scribit Glossa, *id est Christi, calculus, id est, charitas.* En charitatis symbolum calculus propriam manum adurens, & alienæ virtuti consulens. Non timet Seraphim ardenti pruna vstulari, si à Prophetæ labiis maculam contingat auferri; imò proprio labore alienæ prouidet vtilitati, & de manus tormento Prophetæ studet solatio. O quoties Seraphici homines amore diuino ardentes propriæ commoditatis dispendio alienæ indulgent commoditati: ieiunant, vt copiosiores largiantur eleemosynas, se proscindunt verberibus, vt minantem Numinis iram auertant à peccatoribus. Iam se Paulinus gaudet mancipium, vt viduæ filium donauerit libertate. Laudabili cæcitate charitas ignorat sua, vt curet aliena: audet, & ignes despicit, vt subuenerit miseris, vt intulerit bellum peccatis. 151.

Isai. 6. v. 5.

Glossa.

Pharao ille tyrannidis exaggeratio cupiditatis, & ambitionis ænigma, cùm post multa diuinitùs immissa flagella populo abeundi facultatem inuitus fecisset, celerrimè laudabiliter facti pœnituit, & insectatus populum non timuit adire naufragium, quò ampiificaret imperium: per marinos vortices, & media fluctuum volumina temerarius ingreditur, nec imminens 152.

veretur periculum: fluctibus obluctatur, ventis decertat, & ambitionis præstigiis delusus obruitur marinis fluctibus impetitus: *Persequentes Ægyptij ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris.* Vides cupiditate, & ambitione adustum maris non deuitasse pericula, quia suspirabat trophæa: *Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum interficiet eos manus mea flauit spiritus tuus.* Reflante vento reluctatur Pharao, vt pergat; pericula despicit, vt ambitioni, & cupiditati pareat; sed ne plus obstinationi, quàm charitati licuerit, quid Dominus hominum salutis amator fecerit, audi: Nauim inscendit, qua transmisso freto Gerasenorum regionem lustret, & hominem dæmonibus obsessum liberet: *Facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis: & venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum, & exeunti ei de naui statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo.* Chrysologus serm. 16. huius Dominicæ transfretationis inquirit causas: nam cùm nihil illi nouum, non ducebatur videndi curiositate: quæ ergo illum impulit ratio, sæuam adeò sustinere procellam, vt confusis exertisque clamoribus discipuli accurrerint dicentes: *Magister non ad te pertinet, quia primus?* Fluctibus quidem iactatur, tempestates sustinet; eo tamen hominibus benefaciendi inardescit studio, vt propriis incommodis, commodis prouideat alienis. *Christus*, verba sunt Chrysologi, *quòd transfretat maria, quòd loca circuit, non est res humani desiderij; sed causa est salutis humanæ.* Addit posteà: *Lucet sciuisse, & vidisse Dominum, quid mali quid periculi illis haberetur in locis, & ideò illuc esse, vt sic desperatis, afflictis sic miseris subueniret.* Specie pericula sustinet, naufragia patitur, vt ab homine depellat dæmonia: ea inardescit charitatis flamma, vt vortices marinos despiciat, ne minùs videatur egisse ad miserorum leuamentum, quàm Pharao in cupiditatis, & ambitionis auxilium: æmulatur namque charitas honesto peruersitatem studio, & laudabili supergreditur desiderio. Addiderim aliquando, cum æqua sibi, & aliis defatigationis affligat molestia, suam animosè contemnere, vt succurrat alienæ.

Exod. 14. v. 23.

Exod. 15. v. 9.

Marc 4. v. 37.

Chrysolog.

153. Ouis illa fallaciis illecta variisque erroribus circumacta à pastore inuenitur, & humeris sublata refertur: *Imponit in humeros suos gaudens.* Tertullianus leuasse testatur afflictam, & nimiis erroribus fatigatam. *Errat & vna pastoris ouicula*, scribit lib. de pœnit. cap. 8. *sed grex vna charior non erat: vna illa conquiritur, vna pro omnibus desideratur, & tandem inuenitur, & humeris pastoris ipsius refertur, multum enim errando laborauerat.* Ouis errat; sed & pastor, dum syluas obit, dum campos excurrit, dum montium confragosa conscendit. Cur ergo fatigationi itineris fatigationem addiderit oneris, vt alienam sanè fatigationem leuarit. *Montes, & syluas obire non recusat*, scribit Basilius Seleuciensis orat. 13. *obit præcipitia, cúmque deerrante venit in partem errationis, nec ob moues odio inflammatur; etsi morbidam comperiat; sed mali commiseratione mouetur, & subijciens humeros proprio labore ouiculam curat laborantem, gaudet ipsa fatigatione ouium, inuentionem ratus lassitudinis esse leuamentum*, ipse defatigatus proprium leuamentum non curat, & alienæ fatigationis supponens humeros quærit auidissimè leuamentum: eas namque vires humanitas inspirabat, vt quo laboranti ouiculæ indulgeat, laboris sui prorsus ignorarit ærumnas, & oblitus fuerit molestias.

Luc. 15. v. 5. Tertull.

Basil. Seleuc.

§. XXXII.

Quos Deus magnis operibus destinat, & magnis etiam ab exordio virtutum excellentijs exornat.

Theodoricus rex vt Cassiodorum ad Consulatus fastigium eueheret, à principio dignitatum luminibus exornauit. *Ad fastigium præconis conscendit*, inquit 1. variar. 4. *gradibus dignitatum. Primus enim vt scitis, administrationis introitus comitiua Priuatarum mole fundatus est, mox deinde sacrarum largitionum honore suscepto creuit tantùm conuersationis laude quantùm profecerat dignitate.* Et dignitatum laude conspicuum, & probabilis conuersationis elogio ornatum ad apicẽ consulatus euexit, & vt eleuaret variis anteà honoribus decorauit. *Fuit vt scitis*, addit postea, *militibus verecũdus, prouincialibus mitis, dandi auidus, accipiẽdi fastidiosus, detestator criminis, amator æquitatis: ad imperiale secretum tales constet eligi, in quibus reprehensionis vitium nequeat inueniri.* Prudentiæ notam inferret, qui ad summa eligeret inexpertum, nullísque anteà dignitatibus exornatum: electioni suæ plaudit, qui eligendum vel ab exordio disponit. Antiqua proles, laudata prosapia, cum togatis clarus ad consulatus honores deligitur dignus: & quem Principis expoliuit benignitas, laudabiliter supremæ dignitatis excepit claritas: indecorum esset vitiis ac criminibus obscuratũ spectari ad apicem dignitatis electum; verùm etsi in deprædicãdis sæculo viris studiosa eluceat Numinis prouidentia, tunc præcipuè solicitior inuigilat cura, cum aut salus generalis intenditur, & vtilitas publica in electione versatur. Ad describẽdam terrã metatores deliguntur, industrij adeóque alacriter viam carpunt, vt nullis deterreantur periculis, nullísque retardentur incommodis: *Perrexerunt, & lustrantes eam in septem partes diuiserunt scribentes in volumine.* Verùm si negotium hoc multiplicibus periculis plenum, si mille difficultatibus impeditum, erat namque per medios hostes incedere, & ab illis occupata lustrare, quomodò nec extrahere iussionem moliuntur, nec varias excusationis causas colorant, aut difficultates allegant? Quia cum ex illorum alacritate, ac promptitudine generalis omnium penderet affectio, eis Deus pergentes exornauit virtutum prærogatiuis, vt nullis percellerentur aduersis. Itaque summa confidentia delegauit ornatos, eximiísque virtutibus cultos; nam cum illi ad generale destinarentur commodum, prouidit Deus, ne culpa aliqua illorum denigraretur officiũ. Audi Masium. *Non solùm libenter; sed etiam alacriter, & suscepisse, & executos esse difficillimum hoc, & vt existimari poterat, periculosissimum munus videntur isti metatores. Quippe quod modò dicebant, Deus animos ipsis addebat, securósque*

154. Cassiodor.

Dandi sit auidus, & accipiẽdi fastidiosus, qui culmine resplendet excelsum.

Masius.

curósque reddebat, cùm ex ipsorum alacritate penderet multitudinis animorum affectio. Munus, ad quod isti metatores delegabantur difficultatibus satis implexum, cum illis per medios hostes satis de regni sui iactura contra Hebræos exasperatos opus esset transire, & omnia diligentissimè contemplari: verùm quia omnium securitas, omniúmque in mouendis armis alacritas ab horum alacritate pendebat, eos illis Deus animos indidit, vt non solùm armorum potentes non timerent, sed etiam intrepidi, terribiles, & minaces aduersariorum copias despicerent: non dubitarunt periculosis altercationibus obuiare, quia sacro furore videbantur impelli: *Deus animos ipsis addebat, securósque reddebat cum ex ipsorum alacritate penderet multitudinis animorum affectio.* Eximia illos Deus confidentia & laudabili audacia à principio communiuit: quia ad cunctorum vtilitatem legauit.

155. Deus cùm mundi vniuersitatem de nihilo extraheret, cælum mirè deornatum suspendit, terram nihili colúmnis suffulsit: & cùm tanta nutu perfecisset, lucem tamen voce præiuit; nec solùm nobilitauit imperio; sed & laudis diuinæ

Gen.1.v.3. elogio: *Dixitque Deus: Fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem, quod esset bona, & diuisit lucem à tenebris.* Basilius Seleuciensis rogat orat.1. cur Deus ab exordio & voce lucem præiuerit, & diuinis laudibus nobilitarit. Profectò quodcumque collibitum fuerat sine voce abso-

Basil.Seleuc. lutum, & vel solo nutu perfectum. *Cælum profecto productum est, & terra cum aquis,* inquit, *cum vox anteuerteret nulla: lux verò cùm produceba-tur, Deus voce præiuit: quæ tandem vox, & quæ causa vocis?* Basil. Seleuciensi respondet Alber-

Albert.Mag. tus Magnus super *Missus est*, scilicet accuratè adeò ab initio lucem tenebris omnibus repurgatam, mirísque luminibus radiasse cultam, quia posteà Soli præbitura materiam: ergo lux illa, quæ ad Solem astrorum Principem eleuanda, sic defæcata vmbris, sic nobilitata luxit elogiis, vt Angelorum in se conuerterit oculos, iteratísque ac faustis deprædicata sit plausibus. *In hac prima die facta est nubecula, de qua postea factus est Sol: quid autem nubecula materia corporis solaris nisi Beata Virgo mater & materia corporis Christi.* A solaribus luminibus creaturarum fouetur, alitúrque communitas, solaris claritas excelso throno fulget, & reliquis syderibus præsidet: ergo quam Deus ad dignitatis fastigium lucem parabat euehere, ab exordio cœpit nobilitare, ne quis deprehenderet vel in cunabulis næuum in luce, quæ erat insessura regalem thronum. Et quidem si vel in vmbra Virginis solertiam, eximiámque Deus testatam voluit deprædicari curam, quam putamus in ipsius purissimæ Virginis fabrica diligentiam?

156. Moyses in lucem editur sæuiente Pharaonis tyrannide, pulcher adeò facie, & eleganti corporis habitu conspicuus, vt vel malè animatos in sui amorem pellexerit, & dulci quodammodo violentia compulerit; ore tamen puerulus sustinuit vstionis notam, & de vstione balbu-

Exod.4.v.10. tiem contraxit lingua: testatur ipse: *Non sum eloquens ab heri & nudiustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Huius linguæ defectus interpretes causam requirunt, refert Abulensis ad Exod.2. cap. quæst. 5. Moysem à Thermuth Pharaonis filia adoptatum regiis oculis in pulchritudinis admirationem obiectum, Pharaonémque pueri venustatem demiratum coronam illi, in qua Iouis Aretini effigies sculpta erat, imposuisse, quam puer sacra impatientia in terram proiecit, cúmque Sacerdos audaciam morte puniendam diceret, sapiens quidam è contra inscitiæ testatus est adscribendum: tunc in argumentum allatas ardentes prunas ori applicuisse, & vstione linguam tardasse. *Sciendum, quod, vt ait Iosephus,* Abulens.
cum Thermuth filia regis Ægypti adoptasset Moysem desiderauit, vt pater suus eum adoptaret, tulitque eum ad Pharaonem, cuius venustatem ipse admiratus coronam regiam, quam capite tenebat capiti pueri fortè apposuit, in qua Amonis, id est Iouis Aretini figura sculpta erat, puer autem coronam proiecit in terra & fregit... Persuasione autem cuiusdam sapientis, qui hoc per ignorantiam factum esse dicebat, ad veritatis argumentum prunæ delatæ sunt, cuius iudicio experiendum erat vtrum ex industria, aut ex causa hoc prouenisset, prunas autem allatas puer accepit, atque ori applicuit: vnde lingua summitas exusta est, ex quo eum Hebræi impeditioris linguæ factum tradūt. En puer sic impietati idololatriæque refragatur, vt discrimini vitam obiecerit, ne idoli effigiem capite tantillum gestaret. Conculcandam est testatus coronam, quam idoli obscurabat effigies, quantumuis auri commendaret materies. Et cur Deus vel à primis annis impietati ac idololatriæ prodit aduersum? Quid vitam periculo necessum obiici, quando parum intererat capite coronam gestari? O sapientiam immortalem! Moyses editus est ad impietatem coercendam, & ad veri Numeri notitiam litteris promulgandam: noluit ergo Deus vel imprudenter idoli effigie obscurari infantiam, & quodammodò maculari innocentiam, ad magna editus nec exiguis debuit maculis denigrari. Adest Basilius Seleuciensis orat.9. *Hic est scri-* Basil. Seleuc.
ptor arcanorum creaturæ, qui mundi conditionem libro complexus est, qui longè, latéque vagantem per creaturas impietatem compescuit, qui crimine creaturam exoluit, qui primus auctorem vniuersi Deum esse hominibus inclamauit: fuitque auctor, ne à creaturis cultu ad creaturam adoratio transferretur, qui non adorare conseruum edocuit: In principio inquit, creauit Deus cælum & terram. Ad pietatem genitus bellum ab initio idolis contumacia laudabili asciuit, & ne idololatriæ capite vel imprudenter gestaret vmbram, & magnanimè regiam abiecit coronam, & prudentissimè exposuit discriminibus vitam. Sic illum Deus impietate custodiuit intactum, sic vel ab impietatis vmbris alienum.

Hanc thesim ingeniosè probat Tertullianus 157.
Septimius molitionis rerum ordinem prouidentissimè contemplatus: audit cælum rude, initio imperatam terram, abyssum tenebris incubantibus defœdatam; aquam tamen ab origine lætam diuini spiritus sedem, omnique fæce purgatam; imò non purgatam; sed prorsus alienam. *In principio,* inquit, *creauit Deus cælum & terram; terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Dei ferebatur super aquas.* Et cur Deus liquorem gratam sibi deligit sedem, cur insessione nobilitet? Quia ab initio iam aqua, respondet ingeniosus Doctor, sacramentis parabatur, & aquam culpis delendis destinabat, maculis prorsus voluit exem-

ptam. *Habes homo*, verba sunt Tertulliani lib. de baptismo cap. 3. *in primis ætatem venerari aquarum, quod antiqua substantia; dehinc dignationem quod diuini spiritus sedes, gratior scilicet cæteris tunc elemētis: nam & tenebræ totæ adhuc sine cultu syderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cælum rude. Solus liquor semper materia perfecta, læta, simplex de suo pura dignum vectaculum Deo subijciebat.* Huius prærogatiuæ reddit cap. 4. causam. *Ea satis erit percerpsisse, in quibus ratio baptismi recognoscitur, prima illa, quæ iam etiam ipso habitu prænotabatur ad baptismi figuram, Dei spiritum, qui ab initio superuectabatur super aquas, intinctos reformaturum.* Qui aquam eluendis maculis, regenerandis hominibus ab initio destinarat, ab initio etiam cæteris elementis gratiorem, puriorémque seruauit, ne vel culparum macularetur vmbris, quæ abstergendis, ac repurgandis producebatur hominum maculis. Certè ab aqua vel ipsius etiam figurandi hominis opus pendebat: nam sociantibus aquis & terra ministrante materiam, humectam tamen & succidam fabrica constructa est. Multa aquarum ingenia, multa officia: primus liquor, quod viueret, edidit: quæ ergo ad creaturarum vtilitatem producta, & diuino spiritu ab exordio etiam ornata. Ne quis abroderet prouidentiam, si macula inficeret, quam in vniuersitatis commodum produxerat creaturam.

158. Oseas Iacobi fortitudinem, & aduersus Angelum victoriam refert, nec tunc solùm lauro attestatur redimitum; sed vel in vtero fraternis triumphis adserit coronatum: *In vtero supplantauit fratrem suum, & in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est.* Osee 12. v. 3. Iacob antequam quidquam boni aut mali ageret eximia à Deo charitate dilectus & tribuum pater prædestinatus: hunc ergo non solùm Deus virum iam perfectum reportatis ab Angelo nobilitauit victoriis; sed materno etiam in vtero partis decorauit triumphis: imò maternis in visceribus decorauit triumphis, quia Angelicis decorandum prædestinarat trophæis: ne singularem illam gloriam aliqua in vtero captiuitatis decoraret nota, aut obscuraret ignauiæ vmbra. In vtero erecto animo deprœliatur: fratrem subigit, etsi non primogeniti antecellit opinione, præcellit iure: operibus impleuit triumphum, quantumuis apud inscios primogeniti non possederit titulum. Ab vtero materno exiuit, vt vinceret posteà vincens: &, quia illi diademata multa danda, vel ab vtero erat corona acquirenda. Adest Theodoretus ad hunc locum. *In lucem prodijt præsignificans qualis futurus esset... Nocte visus est ipse sibi luctari cum Deo, atque victoriam reportare.* Theodor. Vicit victoriam reportaturus, ne quis abroderet diligentis prouidentiam, si quem destinauerat ad coronam pati vel in matris vtero sustineret iniuriam: ad magna editus vel ab initio lauris resplenduit immortalibus redimitus.

CAPVT XIX.



Vers. 1. ET egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes
suas, fuítque hæreditas, 2. eorum in medio possessionis filio-
rum Iuda: Bersabee, & Sabee, & Molada. 3. & Hasersual,
Bala, & Asem. 4. & Eltholad, Bethul, & Harma. 5. & Sice-
leg, & Beth marchaboth, & Hasersusa, 6. & Bethlebaoth, &
Sarohen: ciuitates tredecim & villæ earum. 7. Ain & Remmon, & Athar, &
Asan: ciuitates quatuor & villæ earum. 8. omnes viculi per circuitum vrbium
istarum vsque ad Baalath Beer Ramath contra Australem plagam. Hæc est hære-
ditas filiorum Simeon iuxta cognationes suas. 9. in possessione & funiculo filio-
rum Iuda: quia maior erat & idcirco filij Simeon possederunt in medio hæredita-
tis eorum. 10. Cecidítque sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas: &
factus est terminus possessionis eorum vsque Sarid. 11. Ascendítque de mari &
Merala, & peruenit in Debbaseth vsque ad torrentem, qui est contra Ieconam.
12. Et reuertitur de Sared contra orientem in fines Ceseleth-thabor: & egredi-
tur ad Dabereth, ascendítque contra Iaphie. 13. Et inde pertransit vsque ad
orientalem plagam Geth-Hepher, & Thacasin: & egreditur in Rhemmon, Am-
thar, & Noa. 14. Et circuit ad Aquilonem Hanathon: súntque egressus eius
vallis Iephthael 15. & Cateth, & Naatol, & Semeron, & Ierala, & Bethlehem
ciuitates duodecim, & villæ earum. 16. Hæc est hæreditas tribus filiorum Zabulon
per cognationes suas, vrbes & viculi earum. 17. Issachar egressa est sors quarta per
cognationes suas. 18 Fuítque eius hæreditas Iezrael, & Casaloth, & Sunem 19. &
Haphraim & Seon, & Anaharath 20. & Rabboth, & Cesion, Abes. 21. & Rameth,
& Enganim & Enhadda & Bethpheses. 22. Et peruenit terminus eius vsque Tha-
bor, & Sehesima, & Bethsames: erúntque exitus eius Iordanis: ciuitates sedecim
& villæ earum. 23. Hæc est possessio filiorum Issachar per cognationes suas vrbes
& viculi earum. 74. Ceciditpue sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes
suas.

suas. 25. Fuítque terminus eorum Halcath, & Chali, & Bethen, & Axaph. 26. Et Elmelech, & Amaad, & Messal: & peruenit vsque ad Carmelum maris, & Sior, & Labanath. 27. Ac reuertitur contra Orientem Beth-dagon: & pertransit vsque Zabulon, & vallem Iephthael contra Aquilonem in Bethemec, & Nehiel Egreditúrque ad læuam Cabul. 28. Et Abran, & Hohob, & Hamon, & Cana vsque ad Sidonem magnam. 29. Reuertitúrque in Horma vsque ad ciuitatem munitissimam Tyrum. & vsque Hosa: erúntque exitus eius in mare de funiculo Achziba. 30. Et Amma, & Aphec, & Rohob ciuitates viginti duæ, & villæ earum. 31. Hæc est possessio filiorum Asser per cognationes suas, vrbésque & viculi earum. 32. Filiorum Nephthali sexta sors cecidit per familias suas. 33. Et cœpit terminus de Heleph, & Elon in Saananim, & Adami, quæ est Neceb, & Iebneel vsque lecum: & egressus eorum vsque ad Iordanem. 34. Reuertitúrque terminus contra Occidentem in Azanoth-thabor, atque inde egreditur in Hucuca, & pertransit in Zabulon contra Meridiem, & in Aser contra Occidentem, & in Iuda ad Iordanem contra ortum Solis. 35. Ciuitates munitissimæ, Assedim, Ser, & Emath, & Reccath, & Cenereth. 36. Et Edema, & Arama, Asor. 37. Et Cedes, & Edrai, Enhasor. 38. Et Ieron, & Magdalel, Horen, & Bethanath, & Bethsames: ciuitates decem, & nouem, & villæ earum. 39. Hæc est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes suas vrbes, & viculi earum 40. Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima. 41. Et fuit terminus possessionis eius Sara, & Esthaol, & Hirsemes, id est, ciuitas Solis. 42. Selebin, & Aialon, & Iethela. 43. Elon, & Themna, & Acron. 44. Elthece, Gebbethon, & Balaath 45. Et Iud, & Bane, & Barac, & Gethremmon. 46 Et Meiarcon, & Arecon cum termino, qui respicit Ioppen. 47. Et ipso fine concluditur. Ascenderúntque filij Dan, & pugnauerunt contra Lesem, ceperúntque eam, & percusserunt eam in ore gladij, & possederunt, & habitauerunt in ea, vocantes nomen eius Lesem Dan ex nomine Dan patris sui. 48. Hæc est possessio tribus filiorum Dan per cognationes suas vrbes, & viculi earum. 49. Cúmque complesset sorte diuidere terram singulis per tribus suas, dederunt filij Israël possessionem Iosue filio Nun in medio sui. 50. Iuxta præceptum Domini, vrbem quam postulauit, Thamnath Saraa in monte Ephraim: & ædificauit ciuitatem, habitauítque in ea. 51. Hæ sunt possessiones, quas sorte diuiserunt Eleazar Sacerdos, & Iosue filius Nun, & Principes familiarum ac tribuum filiorum Israël in Silo coram Domino ad ostium tabernaculi testimonij, partitíque sunt terram.

§. I.

Commentarius littera.

Vers. 1. Et egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas: fuítque hæreditas eorum in medio possessionis filiorum Iuda, *&c.*

1. SECVNDA sors Simeoni contigit, neque id sine nutu Dei singulari, cuius perpetuus, & immutabilis est decretorum tenor: vnde imprudenter R. Salomon hanc sortem solùm Hebræorum consilio patris sui prædictiones attendentium existimauit. Itaque sentit Simeonitas non peculiari sorte donatos; imò vt hæreditatis exortes secundum Iacobi testamentum fuisse consultò relictos, & quodammodò inter adsignatos limites aliis tribubus fuisse dispersos. Quæque tribus cùm cœlitus definitam iam nacta fuisset portionem, videretque Simeonitas prorsus exhæredes, de illorum veluti hospitalitate consuluit, iactísque sortibus ex huius Rabbini sententia Iudæis, vt fratres reciperent, contigit. Omnia ista egrehia somnia; (R. Salomon.)

emisso tamen Salomone blaterante, non sine peculiari Dei prouidentia sors Simeonitas collocat non seorsim; sed in ea quidem portione Iudæis detracta, & post designationem præcisa. Fors vt remaneret æterna cicatrix piaculi illius, quo fratre Leui associatus Simeon perfidè & sæuiter Sichimitas confœderatos occidit: nec enim, vt sæpè vidimus, alienum est à diuina iustitia ob parentum errata filios punire; hæc verò mulcta misericordiis resplendet attemperata: dispersi sunt, & Leuitæ ob id etiam facinus; sed quam honorifica fuerit illis dispersio, res omnibus in aperto est. Disputant Doctores cur Iudas in sorte sua fratrem admiserit, cùm Beniaminica tribus non inferior, nec angustiori possessione dotata. N. Serarius quæst. 5. ait amplioribus terminis, quàm Iudæis opus erat, exundasse; vnde conueniens fuit ipsimet tribui ea præcidi, quæ fratribus forent commoda, & illis quidem fuissent grauamina. (Serarius.) *Dicendum Tribum Iudaicam ad se ipsam comparari, fuisseque maiorem, quàm ei conueniret, sicque abscissam ab ea particulam, quæ Simeonicæ sedem tribui praberet.* Hanc N. Serarij sententiam indicat verbo tenus textus Hebræus. (Hebraica.) *Quia fuit pars filiorum Iudæ*, inquit, *magna præ ipsis.* Recepit Iudas in sua fratrem, & dum illis communis hæreditas, firmior, & contra temporum (Senec.)

 continuos,

Seneca. continuos adsultus fortior. *Habeamus in commune quod nati sumus*, scribebat Seneca epist. 96. *societas nostra lapidum fornicationi simillima est est, quæ casura, nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustinetur.* Hæreditas Judæ fortissima: nam frater, qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas fortis.

2. Occurrit hîc non leuis scrupulus: nam si diuino nutu sortes regebantur, quî fieri potuit, vt eam Iudas hæreditatis portionem sortiretur, à qua veluti errore definita aliquid posteà excerpere fuerit opus. Vt huic difficultati satisfaciat Lyranus, tradit Simeonitas non intra limites Iudæ consedisse assignatos; sed cùm vicini barbari cogente metu ad altas montium latebras, ignotásque locorum fraudes se recepissent, nimiùm protensam veluti ex accidenti Iudæorum hæreditatem: in illo ergo veluti sortis auctario, quod incolis destitutum Iudæis accreuit, Simeon locatus est, vnde etsi in Iudæ hæreditate scilicet possessa dicatur habitasse; non tamen à funiculis rationabili prius sorte definitis quid decerpsisse. Hanc opinionem exibilat Abulensis quæst. 2. nam cùm textus explicatiùs tradat habitasse in medio hæreditarij funiculi Iudæorum, non videtur opportunius responsum, sed excogitatum effugium; verùm non multum incommodat Lyræ opinioni textus, quantumuis in medio funiculi habitasse testetur: medium namque hîc non significat aliud quàm intra eosdem terminos contineri, vicinósque cohabitare, vt iam sæpè vidimus tom. 1. ad illud: *Transierunt præcones per castrorum medium.* Et alia sexcenta. Abulensis igitur, vt quæstioni respondeat, censet errasse non sortem, quæ situm tribubus definiebat; sed metatores, qui designata per sortem regione angustiorem ampliorem ve funiculum pro tribus multitudine aut paucitate assignabant: cúmque hi in prima illa veluti rudi, & impolita portitione amplissimam Iudæis vtpotè Principibus, ad omnémque commoditatem abundè spatiosam hæreditatem tradidissent; posteà verò per alios geographos telluris ab hostibus occupatæ penitiùs cognitis examinatísque portionibus, augustiores, quam rati fuerant, termini inuenirentur, sententiam illam demutarunt, Iudæósque arctioribus terminis concluserunt. Serarius errorem hunc potuisse oriri vel à primis metatoribus, vel à secundis geographis fateri non renuit, addit tamen ex hoc errore plures ad eruditionem nostram vtilitates scaturire; primam vt agnoscamus prudentissimos etiam viros posse aberrare; secundam errore comperto sapiêtium esse suam publicè ac palam sententiam rescindere, nec obstinatè, quia semel statuta, defendere. Principes quidem hi erant, & Phylarchæ insignes; verùm vt se lapsos agnoscunt, meliora sapientes se veritati restituunt. *Non est leuitas à cognito, & damnato errore discendere*, scribit Seneca lib. 4. de benef. cap. 38. *ingenuè fatendum est: aliud putaui, deceptus sum. Hac verò superba stultitiæ perseuerantia est: Quod semel dixi, qualecumque est, fixum ratúmque sit. Non est turpe cum re mutare consilium.* Denique Iudæos minimè fuisse exasperatos possessionibus imminutis, angustioribúsque terminis designatis, exemplum extat sæculis, quandoquidem frequenter ne domunculam, aut agellum; imò exigui momenti reculam sibi frater adscribat, immortales lites oriuntur, acerba flabellantur odia, & forensia desudant prælia. Maluerunt Iudæi angustiùs habitare, quàm fraternitatis detrimento Simeonitas expellere. Raschi Rasbaal, aliique Rabbinorum nonnulli tradunt Iudæos ægrè dolentérque tulisse Simeonitas hospites, & particulones: in cuius fidem afferunt aliquando inquilinos turpiter eiecisse, profligasseque, vt patet 1. Paralip. 4. v. 39. verùm clausis oculis historiam legerunt: ex illo enim textu solùm constat alias acquisisse sedes, quod non amissis, sed prolatis terminis certius est accidisse. Lis ergo illa, & exactio nisi ex Rabbinorum nugamentis non constat. Exprimit textus quales ciuitates Simeonitæ fuerint adepti scilicet:

Lyræ opinio.

Abulens.

Serarius.

Vel prudentissimi viri nonnunquam aberrarunt.

Senec. *Non est turpe cum re mutare consilium.*

Bersabee, & Sabee, &c. Huius tribus describi terminos non fuit necessum, cùm eius sors intra Iudæ funiculos clauderetur. Et quidem termini ad dirimendas lites, cupiditatémque frænandam inuenti fuere, quod hîc minimè necessarium; fuit tamen congruum ciuitates explicatius tradere numerúmque definire, ne si confunderentur iura, & fraterna excitarentur dissidia. Bersabee, & Sabee pro ciuitate eadem reputat Arias Montanus, aitque Sabee vocari contractionis gratia, vt in prolixis vocibus frequens est. Significata huius nominis plura sunt, saturitas, puteus septem aquarum, aquæ copia, & his similia. Nominis imponendi ratio ex Abrahami historia petenda est. *Molada* à gignendo seu pariendo nomen est sortita. Hasersual idem valet quod *vulpis*, Bala idem quod *Rebuelta*, Asem *os* siue *corpus*, Eltholad *fortis genitura*, Arma *solitaria*, Siceleg *stulta*, Bethmarchaboth Latinè idem est quod *domus curruum*, Asersusa *equorum domus*, Bethlebaoth *leænarum domus*, Ain *fons* siue *oculus*, Remmon *malus Punica*, Athar *vapor*, & hinc fortassis æther, Asan *fumus*, Baalad Beer *puteus domina*, vel *domina putei*, Ramoth *culmina*. 3.

Montanus.

§. II.

Commentarius litteræ.

Vers. 10. Ceciditque sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas, *&c.*

CVR Zabuloniæ tribus sors educta fuerit ante Issachar, cùm hic natu maior, interpretibus dubium: putat Masius diuino nutui tribuendum, fortassis vt nosceremus gratiam naturæ consequentiam non sequi. voluit Deus, vt multò ante Iacobus Zabulonios prænunciaret apud littus maris habitaturos, quódque illi etiam Moyses adstipularetur, quo Iacobi posteritas studio Deo esse sæculis clariùs constaret. Fuit itaque limes hæreditatis ipsorum apud Sarid. Masius difficilem ait istius sortis explicationem, cùm lateat inuoluta obscuritate locorum, quæ in ipsa nominantur, nec aliis sacræ historiæ indiciis aut inuestigatu facilia, aut cognitu fuerint clara. Issacharianos Manassensibus proximos aliorum sententiam secutus arbitratur hic auctor, his verò deinceps Zabulonitas, & post hos demum Aseritas, citátque pro hac sententia Iosephum illis in locis natum, & innutritum. Sarid montis Carmeli pars

4. *Cur Zabulon Issachar antelatus.*

Masius. Iosephus.

pars promontorij instar est, quæ Sarid vocabatur, aut quidem ea in parte ciuitas Sarid iacebat. Hinc huius sortis funiculus initium sumebat ab Austro, ascendebátque de mari quoadusque à Sarid reuerteretur, vt legit Masius, *in partem anticam.* Cùm Masio vertit paraphrasis Chaldaica: *Reuertitur à Sarid ad anterius orientis Solis superterminum Chizzloth Thabor.* Septuaginta verò aliter legunt: *Et reuertuntur de Sarid è regione ab oriente Sames in terminos Chasellath thabor*, &c. Itaque maritimus occiduúsque tractus celebrioribus descriptis locis, qui Carmeli oram tenebant, versu illo *ascenditque de mari & Medala*, &c. explicatiùs ab illis protendi vsque ad fluuium siue vallem, siue vtrumque oppido Leconam imminentem textus definit. Meridiani termini versibus illis traduntur: *Et reuertitur de Sarid contra orientem.* Sarid, cui peltæ vel securi nomen fuit, meridiani tractus initium erat, producebatúrque funis in partem laterum Thabor montis: erat autem locus ille in Septentrionali latere Thabor, à quo in Daberet, qua ad dextram relicta, ascenditur in Iaphiam à conspicuitate nomen sortitam: inde verò Australis adhuc funiculus longiùs productus tangebat Geth-Hepher illustrem vatis Ionæ cunabulis. Ab hac denique ad oppidum Remmon in Austro postremum funis procurrebat. Notat Masius multa eius profectò eruditione dignissima, sed quæ apud ipsum legi possunt. Denique à Remmon occasum versus Borealis finis, per Noam protendebatur vlterius, eáque cingebat loca proximis descripta versiculis.

Masius. Chaldaic. Septuag.

Ionas Geth-Hepher ortus.

Vers. 14. Et circuit ad Aquilonem Hanathon, *&c.*

5\. Versus Austrum paulatim deflexisse terminum, vrbémque Hanathon Aquilonari ex parte ambiuisse his versibus conspicuum est: inde in Ieptael celebratam sæculis vallem ob confluuium illud superiùs indicatum, vt ad clausulam huius sortis ab occasu & septentrione ambitiosè tendit funiculus. Cæterùm quæ deinceps recensentur vrbes, intimiores huius sorti sedes occupasse videntur. Cathet idem est quod à custodia, quasi Hispanè dicas, *la Guardia.* Semeron differt ab illa Iosephitarum Samaria, sicut & Bethlehem ab altera Iudaicæ tribus. *Hac est hereditas tribus Zabulon*, &c. Duodecim in descriptione recensentur vrbes, quæ quidem præ cæteris conspicuæ, etsi plurium aliarum vrbium, oppidorum & pagorum sedes & commoditates frequentem adeò tribum occupasse oportuerit.

Vers. 17. Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas, fuitque eius hæreditas Iezrael, & Cassaloth, *&c.*

6\. Fuit quidem, vt iam diximus Issachar maior natu Zabulone; sed nihilominus sorte secutus est: prædixerat longæuus pater Issacharianos felicem, omnibúsque ad vitam pertinentibus commodis sortem adepturos, nec passuros se inde pelli, quantumuis hostibus vectigales, ad instar clitellariorum mulorum, qui si per iter læta gramina inuenerint, succumbunt delectati pabulo, nec facilè verberibus inde propelluntur, quantumuis defatigentur onusti, aut repetitis fustibus icti. Porrò in istis finibus designandis, vt in Zabuloniorum limitibus, incipit funiculus ab angulo australi apud occidentem, procedítque ortum versus. Itaque ducta linea per australes terminos ab oriente in occidentem describitur etiam occiduus trames ab Austro ad septentrionem, in quo tractu suo ordine recensentur vrbes Rabbith, Cesion, &c. Ab occidente in orientem termini Aquilonares designantur Enhadda, & Bethpheses, mons Thabor, *&c.*

Vers. 24. Ceciditque sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas, fuitque terminus eorum Alcath & Chali, *&c.*

Ex hac Aseritarum sorte luculentè relucet cuncta cœlesti prouidentia disponi, humanámque rerum procurationem sapienti Numine gubernari. Et quidem si fortuna dominium aliquod sortiretur, in sortibus appareret; ast euenisse omnia, vt Iacobus retro antè prædixerat, nihílque casu aut fortuitò factum; sed omne illud summa conuincitur ordinatione dispositum. Fuit Aser secundus ex Zelpha Liæ ancilla filius, cúmque Gad natu maiori cis Iordanem prospectum iam de hæreditate esset, sors fratrem proximum nominauit. *Fuitque terminus eorum Alcath*, &c. Hanc sortem non tam latitudine, quàm longitudine excessisse indicare videtur textus: procurrebat námque secundum syriacum mare funis ducto ab Alcath initio vsque ad Chali versus Austrum. Carmelum maris eam Carmeli partem intelligimus, quam promontorij ad instar in mare procurrisse notauimus. In huius latere erat Sihhor, quam à Lebana non distingui censet Arias Montanus, probátque ex fonte Hebræo, & ex numero etiam vrbium descripto. 7.

Arias Mont.

Reuertitur contra orientem Beth-dagon, &c.

A Sihhor Lebana reflexus paululum funis domum Beth-Dagon, seu Beth-Dagan, vt legit Arias, quámque domum tritici interpretatur, ab ortu ambiens vsque ad Zabulonis confinia, vallémque Iephtael, quam ex Boreali parte tangit, latè producitur, pertingitque Bethemec & Nehiel. Iam termini ab Austro per ortum ad occasum tendentes in gyri formam voluuntur, Notantur verò nonnullæ ciuitates, non quia ad hanc sortem pertinuerint; sed quia satis funiculis vicinæ: nam Hamon in Nepthaliticis vrbibus numeratur, nisi aliam dixeris: in his namque rebus vtpotè obscuris plus allucinamur, quam affirmemus. Illud verò: *Reuertitur ad Sidonem magnam*, sic intelligit Montanus, vt terminus ab ortu in occasum ex Boreali latere denotetur. Et quidem Sidon maritima, maximáque erat vrbs, & opificiis superba, & mercaturæ lucris ditissima, ob idque magna vocabatur. *Sidon* (scribit Arias Montanus) *maritima erat vrbs artium, opificiorum, & mercaturæ vsu præstans, & propterea magna cognomētum adepta.* O quantum magnitudinis adipiscuntur apud mundiales diuitiæ! has suspiciunt, vtque sacram cupiditatem cohonestent, quas auent, magnas mentiuntur, quasi amari sit magnitudinis meritum, non dementis ambitionis erratum. *Diuitias nego bonum esse*, scribebat Seneca de vita beata cap. 14. *nam si bona essent, bonos facerent: nunc quod apud malos deprehenditur, dici bonum non potest.* Aurum per se nisi oculis cupiditatis aspectum, 8.

Arias Mont.

Qualis vrbs Sidon.

Seneca.

Quidquid dinei, habetur magnum. ctum, non adeò fuiſſet ſæculis venerandum. De Sidone multa paſſim apud ſcriptores leguntur: nam cum ſingulari artificio plurima ad hominum vſus commoda Sidonij elaborarent, magnáque negotiandi alioqui induſtria pollerent, ad diſſitiſſimas terras ea enauigantes reportabant, quæ cæteris admirationem ingererent, & ſibi lucrum pararent. Erat Sidon æquabili ſolo ad littus maris ſub antilibano fabricata, cuius extremus vicus ab vrbis corde ferè tribus paſſiuum millibus diſtabat.

Reuertitúrque in Horma vſque ad ciuitatem munitiſſimam Tyrum, &c.

9. A Sidone, quæ in occidua parte huic tribui adiacebat vicina, per Hormam occidentalis funis deſcribitur: in hoc tractu celeberrimum illud vrbis emporium Tyrus eminebat, cuius ſitum natura & arte munitiſſimum ſacer textus ſæpiculè indicat. Itaque etſi nunquam Aſeritis adnumeratam legimus, ſæpè ſæpiùs finitimam. *Tyrus vnde dicta. Maſius.* Porrò Tyri nomen, vt Maſio placet, rupem ſaxúmque propriè ſignificat: erat quidem ſcopulus vndique altiſſimus mari vaſto circumdatus, in cuius culmine veluti ſyderum ſitus ambitioſa vrbs: ſuperbiebat ædificata, vnde nomen ei à priſcis impoſitum hanc ſaxeam celſitudinem denotat. *Strabo. Tyrus & Sidon de primatu dubio contenderit certamine.* Strabo lib. 16. tradit Tyrum cum Sidone de primatu dubio certamine contendiſſe. Et quidem Tyrus de originis ſui vetuſtate ſemper gloriabunda iactatur. Hinc porrò ſecundum maris latus, hoc eſt occiduum prolatus terminus per Hoſa, eò redit, vnde primum exierat.

Verſ. 32. Filiorum Nephthali ſexta ſors cecidit per familias ſuas, *&c.*

10. Deſcriptio hæc à Septentrione ſecundum orientalem plagam exordium ſumit ex Helec Iordanis fontibus vicina; inde per Helom valle iacentem Adami etiam tangebat: proſtremam hoc latere Lecum excurrebat hic terminus, reliquum Iordanis claudebat alueus: atque hoc orientale huius hæreditatis latus. *Reuertitúrque terminus contra occidentem, &c.* Trames Auſtralis fune à Iordane occaſum verſus ducto vſque ad Thaboris partem, quæ Thaboris Azanoth, id eſt anſa vel auricula dicebatur, protenſus erat, indéque egreſſus Hucuca tangebat. Hinc demum Zabulonem affinem à meridie habet, vt Aſerem in occidua plaga. Quod verò additur in Iuda ad Iordanem contra ortum Solis, eò ſpectat, vt Nephthali, qui proſtremum omnium locum verſus Boream ſortitus videbatur, commodum nihilominus nactus ſolùm cenſeretur, vtpotè cui ex maritimis oris omnia illa bona, quæ ex commercio nata contingebant: nec minus etiam ab ortu Solis ex Iordanis alueo, celeberrimóque illo lacu Kinneret, quò plura appellebant nauigia, lucrum oriebatur. Itaque omnia illis tam ab ortu & occaſu, quàm à Septentrione ad excurrendum loca ſeſe longè latéque fuſa aperiebant, quo paternum oraculum, Moyſiſque benedictio firma, rataque ſæculis teneretur. Iam quæ in illis interioribus locis fuerint inſignes vrbes, adnumerantur. *Ciuitates munitiſſimæ Aſſedim, &c.* quarum ſignificata, quia ſemel cœpi, ſubiicio: Aſſedim *latera*, Ser *vinculum*, Emath *Calda*, Reccath *ſputum*, Ceneretḥ *citharam*: vnde nomen lacui Genezareth deriuatum eſt. Edema *rubram*, Arma *excelſam*, Aſor *currale*, Cedes *ſegregatam*, Edrai *pulchram paſtionem*, Enaſor *fontem clauſum*, Elon *meticuloſum*, Magolalel *turrim fortem*, Horem *deſertum*, Bethanath *echum vel reſponſionem*, Bethſames *domum Solis*. His verſibus deſcriptæ vrbes cum illis tribus Elon, Iebnael, & Hukok definitum à textu numerum implent.

§. III.

Commentarius litteræ.

Verſ. 45. Tribui filiorum Dan per familias ſuas egreſſa eſt ſors ſeptima, *&c.*

MIRABITVR quis habuiſſe Danitas vrbes adſcriptas antea Iudæis; verùm cùm dixerimus adeo amplam illis regionem fuiſſe præſcriptam, vt nec tutelæ, nec præſidio illi eſſe poſſent, procuratum eſt ea aliis tribubus adſcribere, quæ præciſa vel ipſis Iudæis vtilitatem afferent. Ad hæc Danitæ non intra Iudaicos limites penitus collocantur, etſi particulam aliquam ad meridiem ſorte vendicauerint ſibi. Cæteroqui ab ipſis Iudæis recedunt Septentrionem verſus, &, ſi Ioſepho præſtamus fidem, vſque ad Doram, id eſt paululum vltra Ioppem: nam ad Doram Danitarũ, cùm eſſent Ephraimitæ Manaſséſque interpoſiti, limites ſtatui non poſſunt. Saraa à veſpis nomen ſortita videtur, Eſtaol *petitionem ſonat*, Hirſemes *vrbs Solis* dicitur, Selebim *vulpem* denotat, Aialon à ceruis nomen mutuatur. Iethela *ſuſpenſam* dices, Elon arboris nomen eſſe teſtatur Montanus, quam Alnum Latini dicunt, Themna *ventum auſtrum* ſignificat, Acron *radicem* ſeu *radicalem*, Elthece *fixum*, Gebbethon *eminentem*, Baalath *patronam*, Iud nomen à laude ſumptum, Bane & Barach, quæ duo vnum nomen putat Montanus, ſignificat *filios Barach*, Gethremon *granatorum hortum*, Meiarcon *aquas virides*. Porrò illud: *Cùm termino, qui reſpicit Ioppen*, ea loca includit, quæ agris Ioppe fama celebris affinia erant. Ioppe vrbi ob portus pulchritudinem, ob ſitus venuſtatem, ædificiorúmque elegantiam à ſpecie nomen excuſum eſt. 11. *Arias Mont.*

Aſcenderúntque filij Dan, & pugnauerunt contra Leſem.

Maſius legit: *Porrò egreſſus eſt terminus filiorum Dan ab ipſis, &c.* quorum verborum eam eſſe ſententiam putat, ſcilicet Danitas extra eam hæreditatem, in qua diuina ſorte locati fuerant aut neceſſitate cogente migraſſe, aut ampliores poſſeſſiones quæſitum ambitione petiuiſſe: cùm enim ſedes illas Amorrhæis infeſtantibus montium latebris commutare neceſſum; imò nec ibi ab illorum inſultibus tuti viderentur Danitæ, verſus Boream profecti ſunt, vrbémque Leſem ſorte Nephthalitis adſcriptam, Sidoniorum tamen ditione tunc occupatam armis expugnarũt, ceperúntque: & ne vel nominis antiqui veſtigium ſæculis remaneret, Dan appellauerũt: ſors vt omnium patris memoriam inſculptã marmoribus conſeruarẽt: ſors ne ſortis iure deſcriptam Leſem fratribus reſtituerẽt, dum adulterato nomine aliam mentiuntur. Huius rei prolixior hiſtoria Iudicum 18. traditur: cùm enim Ioſue è 12. *Maſius.*

vinis

viuis excessisset: & vt autumat Masius, nondum Othoniel fuisset in Principem conclamatus, Danitæ hanc in aduersarios irruptionem pararunt; felicissiméque hostes abegerunt. Itaque cùm iam Iosue luce decessisset, nec Princeps nouus fuisset inauguratus, eo veluti interstitio Danitæ qualicumque iure ditionem extendere moliti sunt, vt videas quanta secum afferat incommoda Principe, gubernatoreque destitui rempublicam. Quòd si obiicias eo textu tradi nondum sortem inter cæteras tribus accepisse Danitas, respondet Masius nondum accepisse sortem, qua contenti alacrésque inter alios degerent. In huius rei argumentum affert tunc temporis Saaram, & Esthaol habitasse; vnde sexcentos viros in armis delegarunt, cur Danitæ præ aliis tribubus suam fastidierint sortem, ea redditur à Masio causa, fuisse scilicet minus pios, gratósque aduersus Deum, ob idque barbaras, infestásque sibi nationes occupatis e sedibus depellere nequisse. Ad hæc cum vniuersum illud littus teste Strabone portuosissimum esset, illique suopte ingenio raptores, & alieni appetentes, vt Iacob & Moyses illis sugillauerant, per vim aliena inuadere statuerunt armis iura sibi facientes, non arma iuribus attemperantes. Lesem, siue Lais posita erat ad radices Libani campestri aut valle, quæ Rehobam dicebatur ab vrbe Rehob, vbi præcipuus Iordanis emicat fons. D. Augustinus, Masiúsque putant hanc tribum etsi natu Nephthali maiorem ad vltimum locum reiectam, vtpote infaustissimam oriundo filio scilicet Anti-Christo. *D. Augustinus credit*, verba sunt Masij, *eiusmodi, ex quibus [illegible] possimus, Anti-Christum ex Danitis nasciturum esse. Nec enim ego certe aliam huius rationem dispicere possum satis firmam mutati ordinis.*

Masius. Strabo.

D. August. Masius *Anti-Christus ex Dan oriundus.*

Vers. 49. Cúmque complessent sorte diuidere terram singulis per tribus suas, dederunt filij Israël possessionem Iosue filio Nun in medio sui.

13. Is erat Iosue, vt aliorum commoda suis vtilitatibus anteferret: solicito consilio, vigilantissimóque studio sortes omnibus diuiserat, ac firmarat ipse tamen non auaritiæ indulgens; sed iuri satisfaciens ea possedit, quæ populare illi votum adscripsit: accepit data, non inuasit percupita. Et quidem Calebus non solum de rebus suis; sed de rebus etiam Iosue Deum verba ad Moysem fecisse audiuimus. Itaque diuino stimulante præcepto, & vt censet Masius, Eleazaro etiam cogente, animum induxit, vt sortem illam acciperet. *Prædicanda est*, verba sunt Masij, *sæculis omnibus singularis Iosue modestia, & temperantia, qui cùm summo imperio difficillimis temporibus perfunctus esset, aequumque videretur, vt penes quem maximi fuissent labores, apud eum prima quoque essent præmia: Non antè rebus suis priuatis consultum cupiuit, quàm publicarum procurationem prorsus absoluisset. Ac ne tunc quidem locum aliquem palmarem arroganter ipse occupauit, in quo tanquam in Regia præ cæteris popularibus suis superbè, & splendidè habitaret; ne dum possessiones alicui suas ereptum per vim iuit; sed modestissimè inter suos tribules possessionem nullis præ quauis alia commoditatibus insignem; sed quos est verosimillimum, multis re-*

Masius. *Iosue nulli præmio, omnes labore antecessit.*

bus deteriorem sibi occupauit. Certè montanæ possessiones siccis illis tractibus campestribus deteriores habentur: vnde D. Hieronymus in epitaphio Paulæ illam demiratam scribit, cùm Iosue monumentum inuiseret, possessionum omnium distributorem montana asperrimaque loca sibi delegisse. Iam nec ædificiis celebrem fuisse locum argumento est, quòd ipse vrbem priùs quam inhabitaret, erexerit: Vrbis nomen erat Thamnatath Saraa ab aritudine, siue à pœdore. Concludit textus has esse hæreditarias possessiones, quas assignarunt Eleazar, & Iosue coram Domino, hoc est pro foribus tabernaculi solemni adstante Concilio, vt quidquid sancitum designatumque quasi præsidente, & coram inspectante Deo ratum firmumque futuris exinceps sæculis haberetur.

D. Hieron.

---

§. IV.

Luxuria felicitatis venenum, tyrannide immanior, & feris nocentissimis truculentior.

14. HVmana natura, dum obscœnis dedecorosæ libidinis voluptatibus inseruit, in seipsam præter opinionem insanit: pisces & aues fallaci oblectatione capiuntur, homines veneno oblectantur: temperantia humetotam prolem regerit, & corpori vires inspirat; luxuria verò in corpus ipsum delinquit, dum nocentissimis deliciis ac appetitionibus seruit: lumen oculorum deperditur, nutant crura, lassescunt brachia, auolat aurum, & premit omnis felicitatis exilium. *Crudelis domina*, inquit Gregorius Nyssenus lib. de vita Mosis, *ac tyranna luxuria est: libidine quasi stimulis seruilem mentem exagitans.* Vt seruus duris semper laboribus diuexatur, & verberibus cruentis torquetur, si ferocem, ac in perniciem hominum natum cogatur dominum sustinere; ita qui se libidini effræni addixit, dominam rabiosam ac sæuissimam cogitur pati: *Febris est*, verba sunt Senecæ lib. 4. natural. quæstion. cap. 13. circa finem, *& quidem eò acrior, quòd non tactu venarum, nec in cutem effuso colore deprehenditur; sed cor ipsum excoquit luxuria, inuictum malum, & ex molli fluidóque durum atque patiens.* O quanta patitur, qui voluptatibus seruit! Zelotypiæ anhelis flammis aduritur, desideriis impotentissimis adurgetur, curis semper solicitis diuexatur: nec adhuc huic morbo in animum solum facultas; sed in corpus etiam dura potestas: robur exedit, ac immaturè vitam abscindit. *Sophocles, an consuetudinem habere cum muliere valeret rogatus*, scribit Plutarch. de cupiditate diuitiarum. *Bona verba quæso, inquit, in libertatem asserui me, qui rabidos & feros dominos senectutis beneficio profugi.* Profugit calamitatum colluuiem, seque in salutis ac libertatis lætitiam asseruit, dum corporis obscœnis voluptatibus renunciauit. Adstipulatur Ouidius.

Nyssen. *Luxuria domina crudelis est.*

Senec. *Inuictum malum luxuria.*

Plutarch.

Ouidius.

Scilicet asserui iam me, fugique catenas:
Cede fatigato pectore turpis amor.

Amor turpis durissimis illigare nouit catenis, salutem depasci; imò vitam venenis gratis abscindere. En Simeonis tribus sortem accipit exiguam, & si fas est dicere, à Tribu Iuda quodammodò

dammodò emendicatam: *Egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas, fuitque hereditas eorū in medio possessionis filiorum Iuda.* Abulensis animaduertit quæst. 1. Simeonis tribum præ cæteris numero exiguam: *Erant filij Simeon pauci, nec fuit aliqua tribus tam paucæ multitudinis sicut Simeon; imò nulla ferè fuit, quæ non esset quasi dupla in multitudine ad Tribum Simeon: quia in ea fuerunt solum viginti duo millia virorum, & ducenti.* Vides Simeonis tribum numerosa prole carentem, cùm sub immanissimo tyranno, Pharaone scilicet penè immetatæ multitudinis fuerit: nam cùm egrederentur Ægyptum: *De filijs Simeon per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina, & capita singulorum omne, quod sexus est masculini à vigesimo anno, & supra procedentium ad bellum quinquaginta nouem millia trecenti.* Numeror. 26. hanc summam ad viginti duo millia ducentos imminutam reperies: *Omnis numerus fuit viginti duo millia ducenti.* Quòd si causam huius imminutionis curiosus inquiras, respondet Abulensis loco citato fornicatos fuisse præ aliis cum Moabiticis, & Madianiticis fœminis, ideóque sceleris dedisse supplicium, & magnum numeri tulisse dispendium. *Hoc dicunt fuisse, quia in Belsethim, quando fornicatus est Israel cum filiabus Moabitarum, & Madianitarum, occisa sunt viginti quatuor millia virorum, vt patet Num. 25. & dicunt hos omnes vel plurium eorum partem fuisse de Tribu Simeon.* En morbum pestilentissimè in ipsa corpora, vitámque grassantem, ac sæuissimi truculentissimam tyranni feritatem longè euincentem: Simeonis filij, dum in Ægypto lutosis defatigantur operibus, dum liuidis flagellorum pinguntur vibicibus, copiosam adeò sobolem procreant, vt ferè summam excedant: *Quinquaginta nouem millia trecenti;* at libidini, luxuíque vacantes sic imminuti sunt, vt præ aliis tribubus hæc fuerit numero minor, ac diuitiarum copia pauperior: quæ sordidas corporis secuta est voluptates, quæ indulsit caris appetitus deliciis, & multum luendis corporis oblectamentis, veluti precariò viuebat, & alienæ sortis particulam habitabat: plus sibi tribus ipsa cupiditatum insania nocuit; minùs Pharao immanis bellua, tyrannide inflammatus afflixit: vt noueris verum esse libidinem in homines desæuire, tyrannorúmque feritatem longissimè superare.

Abulens.

Num. 1. v. 22.

Numer. 26. v. 14.

Abulens.

15. Comparemus sibiipsi Samsonem. In leonem incidit iuba horridum, fame exagitatum, inflammata oculorum toruitate necem crudelissimam minitantem. *Apparuit catulus leonis sæuus & rugiens, & occurrit ei.* Samson inopino discrimine circumuentus maluit honestè mori, quàm fugere: leonem inter amplexus sic validè strinxit, vt vitam efflare cogeret: *Irruit Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu.* O quantas vires inspirat vel corpori Spiritus sancti gratia! Quàm succurrit honesta causa victoriæ! Ingens periculum sæculis incrementauit trophæum, & quantò fortiùs impetitus, & lauris dignioribus coronatus. Hic idem Samson, cùm amore infidæ mulieris adurgeretur, inter fraudulentas delicias, & captiosas adulationes secretum aperuit, statimque incautæ pœnas reserationis persoluit: in hostium potestatem deuenit vinctus, & decapillatus, & luminibus orbus. *Dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocauitque tonsorem, & rasit septem crines eius, & cœpit abigere eum, & à se repellere.* Ecce Samson libidini inseruiens deperdit oculos, intrat carcerem sibi anteà prorsus ignotum, brutorum labore teritur, molæque ad ignominiæ incrementum addicitur: conducibilius illi fuit rugientem incurrisse in leonem, quàm blandam ac deliciosam incidisse in libidinem: libido namque denudauit capillis, fera coronauit trophæis: leo dulces ministrauit fauos, salacitas eruit oculos: leonis cruore honestè tingitur dextera, quæ infami posteà ferreáque adstringitur manicâ. Huc voco Fulgentium scribentem de Herodiade caput Baptistæ poscente: *Fallar, si est fera pessima crudelior lasciuia.* Rugiat leo, & impauido pectore, ardentibus oculis, horridis vnguibus armetur ad prædam; nec tamen lædet sæuitia, sed triumphos procudet audacia; at fallax amor, mellita fraus, fraudulenta adulatio, adulatrix illecebra, dum blandè alliciunt, intimiùs feriunt, & dum sui periculi fallunt oblitos, irremediabiliter lædere consueuerunt incautos.

Iud. 14. v. 5.

Iud. 16. v. 19.

Fulgent.

Fugiebat Ionas contectam Dei veniam sub comminationis specie: nauim inscendit; sed inuenit imprudens suo consilio machinam valentiorem: tempestas adoritur nauim, & contrariis ventis quassatam tradere conatur profundo, miserabilique sepelire naufragio: horrendum sibilant funes: lina rumpuntur inflata, prora non inuenit viam, & exhaurit casus gubernatorum prudentiam: Ionas, quem solum tempestas illa quærebat, spontaneum non timet adire periculum: sorte ductus naufragus redditur; imò à ligneo ad nauigium vitale transfertur ferinæ voraginis viuit receptus hospitio, qui horribili traditus videbatur sepulchro Elias verò ille Propheta magnus Iezabelem insanientem sic timuit, vt per desertorum inuios errores diffugeret: *Timuit Elias, & surgens abijt, quocumque eum ferebat voluntas.* Vides Ionam immanis piscis rictus contemnentem: *Tollite me, & mittite in mare:* & Eliam mulieris iram studiosissimè declinantem: & quidem ad speciem inuerso ordine, & alter timet, & alter audet: Ionas namque ferinam rabiem debuisset horrore pauere; Elias muliebres minas non adeò timidè declinare: cur ergo Elias timore concutitur, quando Ionas constantia intrepida armatur? Quia in Iezabel, inquit Ambrosius, carnis appetitus depingitur, adeóque appetitus feris est truculentior, vt alter rationabiliter audeat, altérque rationabiliter fugiat: *Asperiores tentationes*, inquit epist. 33. *has esse cognouimus, quæ fiunt per mulieres.* Consonat Glossa moralis: *Per hoc, quod Elias fugit à facie Iezabel, significatur quòd bonus discipulus fugere debet concupiscentiam carnis, quæ significatur per Iezabel, eò quòd interpretatur fluxus sanguinis, ex cuius abundantia excitatur carnis concupiscentia.* In vitam temporalem etiam armatur libido: ideò Iezabel carnis ænigma mortem Prophetæ minatur: fugit ille sapienter concupiscentiæ insaniam, vt animæ & corporis seruauerit vitam: post naufragium, post feræ viscera Ionas luce iterum fruitur, & portus soliditate donatur; Elias verò, ni celerem arripuisset prudenter fugam, infaustè amitteret

16.

3. Reg. 19. v. 3.

Ion. 1. v. 12.

Ambros.

Glossa moralis.

amitteret vitam: nec enim parceret appetitus carnalis, etsi nouerit immanis parcere prophetæ piscis: est namque concupiscentia indomitum animal, truculentior fera, grassantior pestis, pestilentissima lues: prophetarum vtérque rectè, dum alter ferinos rictus se credidit euasurum; alter verò, ni fugeret, à concupiscentia carnis interimendum. Fuge ergo lasciuiam, discriminum officinam, morborum matrem, mortis conciliatricem, inferni proxenetam, vorantem diuitias flammam. En tribus Simeonis ob lasciuiam violenter occisa, ad angustiam summam redacta, & diuitiis in aliarum tribuum comparatione pauperrima.

17. Imago obiicitur immetatā Nabuchod. cuius caput rutilat auro, cuius pectus splendenti micat argento, cuius femora ære relucent limato, vt tibiæ ferro polito: Adhæsit pedibus terra, quæ sui mollitie sic metallorum fortitudinem euirauit, vt ad lapilli ictum misera strage corruerint confusè mixta, & iam fauillæ flabris volauerint dissipata: *Percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos: tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ raptæ sunt vento.* Ecce immensæ dissipantur diuitiæ, corruit statua, & quæ sæculis videbatur de soliditate insultare, vel lapilli ictum potuit nullatenus sustinere: auro caret, depauperatur argento, & iam nihil, quæ nuper totum. Ecqua huius causa? Luxui, libidinique indulsisse: testa namque carnem, eiúsque delicias expressit, & quæ diues perdurarat ambitiosissimè inflata; permanere nequiuit corporis deliciis addicta: statim ac libidini indulsit, & ferri euaporata est constantia, & diuitiarum auolauit penitus summa. Iam in terrea illa pedum parte carnis adumbrari illecebras testatur Richardus Victorinus part. 1. lib. 1. de eruditione interioris hominis cap. 25. *Planta testea designat voluptuosam superfluitatem: pes autem ex parte ferreus, & ex parte testeus describitur: quia delicata mens nunc in eorum odium obduratur, per quos fortè à suis desideriis restringitur: nunc verò cùm concupita suppetunt, in eorum luxu resoluitur.* Periit resoluta, vbi carnis illecebris maculata: diuitabatur auro, ornabatur argento, quousque sordidas voluptates amplexa est; ast vbi carni indulsit, fortitudinis constantia caruit, & auro nudata corruit.

Dan. 2. v. 34.

Richard.

18. Imponat thesi finem Tertullianus, qui ad Martyras scribens eos consolatur de aliorum non solùm culpâ; sed pœna. Catenis, inquit, constringimini; sed durioribus torquetur mundus, scilicet durissimis lasciuiæ appetitionibus, concupiscentiísque carnis insanientibus. Audi ipsum libro ad Martyras cap. 2. *Si recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse vos è carcere, quàm in carcerem introisse intelligemus: maiores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant: grauiores catenas induit mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt: peiores immunditias spirat mundus, libidines hominum.* Hominis libido luminis oculos priuat vsu, membra veluti catenis illigata infirmitatibus carent motu, & pedes veluti immobiles mulctantur processu: nam effrænis libido non solùm irretit animam; sed armatur temporalem etiam in vitam.

Tertull.

Naxera in Iosue Tom. 2.

§. V.

Princeps corporis voluptates secutus miserum Reipublicæ parat excidium: quia ferè omnes detestabile sequuntur exemplum.

Adulatio lues nocentissima non solùm perficitur verbis; sed, & quod peius est, etiam factis: tolerabile esset, si homines Principum facta mendaciis iniquissimis extulissent, dum factis non commendassent; eò tamen processit dementia, vt detestandas etiam actiones in sui perniciem studiosè ambiuerint imitari: vbi Princeps vitiis indulsit, peccandi ciuibus certamen est: quia de studio placendi studium flabellatur peccandi. *Quæ ciuitas*, aiebat Cassiod. 10. var. 13. *non fiat excusabilis, si Roma deliquerit? Rex minor ad potioris currit exemplum, & alieni facti iure inuidiam sustinet, qui peccatis præstat exemplum.* Dum caput languet, cor mœret: alieni sceleris artifex inuenitur, qui proprio scelere subiectos sibi adhortatur: talia namque probantur omnes assumere, quæ Principibus suis agnouerint ambitiosè placere. En Simeonis tribus cæteris minor minorem etiam possessionem sortitur, & exiguis limitibus coarctatur: *Egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas, fuitque hæreditas eorum in medio possessionis filiorum Iuda.* Abulensis quæst. 1. notauit tribum hanc Ægyptum egressam ea hominum copia exundasse, vt quinquaginta nouem millia ac treccenti expediti viri recenserentur, vt patet Numeror. 1. posteà verò in supputatione facta super Iordanem viginti duo millia ducenti reperti sunt, vt constat Numer. 26. Iam si huius decrementi causam inquiras, repetenda est historia Numer. 25. nam cùm pessimum Regi præbuisset Balaam consilium, eleganter puellas forma decoras, artéque benè coloratas callidè misit, vt quos non potuerat eneruare incantamentis, pulchritudinis euigoraret fallaciis: Princeps de tribu Simeonis impudenter infando alios prouocauit exemplo, & contribules, nescio an maiori adulationis, aut voluptatis deliquerunt etiam studio: *Erat nomen viri Israelitæ, qui occisus est, cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione & tribu Simeonis.* Principis salacitas iusto supplicio punita est; non tamen sibi vni deliquit; sed tribui cladem ingentissimam attulit: *Occisi sunt*, inquit textus, *viginti quatuor millia hominum*: ferè hos omnes de Simeonis tribu fuisse, tradit Abulens. citata quæst. 1. accipe eius verba: *Dicunt hos omnes, vel plurium eorum partem fuisse de tribu Simeon: & satis est probabile: quia Princeps tribus ipsius fuit, quem transfodit Phinees gladio coeuntem cum Madianitide, vt patet eodem capitulo.* Attentiùs audi quæ subdit: *Principem autem imitarentur alij, qui essent in tribu, siue vt complacerent, siue quia nullus eis hoc prohiberet; & sic faciliùs perirent plures de hac tribu, quàm de cæteris.* Princeps obscœnis corporis indulgens voluptatibus nocētissima cæteris lues, dum exemplo incitat, dum flagitio eodem pollutos non frænat. Profectò vrsi de saltibus egredientes pueros prophetæ insultantes lacerauerunt: *Egressi sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Gemini

19.

Cassiodor. *Alieni facti auctor deprædicatur, qui exemplis impulisse censetur.*

Num. 25. v. 14.

Abulens.

4. Reg. 2. v. 24.

mini vrsi quadraginta duos pueros absumunt, vnus Princeps viginti quatuor millia traxit ad pœnam, dum exemplo similem incitauit ad culpam: vt videas grauissimam Reipublicæ pestem esse, & præ belluarum feritate timendum superiorem, Principémque carnis illecebris indulgentem, & corporeis voluptatibus adulantem. Simeonis tribus cæteris censu minor, numeróque pauperior: quia Principem habuit carnis negotia secutum, & immodicis cupiditatibus deditum.

20. Ophni, & Phinees populi Principes, & sacrificiorũ antistites ea diuitiarum adurebãtur cupidine, vt victimarum non tam essent antistites, quàm raptores: nec singulare illos infecit auaritiæ vitium; sed turpis etiam obscurauit lasciuiæ probrum, & fortassis furabantur sacrilegè, 1 Reg. 2. v. 22. quod mulieribus dilargirentur profanè: *Dormiebãt cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi*; verùm quia illorum humana vis frænare non poterat imprudentiam, cœlestis iustitiæ oculus punire decreuit audaciam: *In die vno*, minatur, *morientur ambo*: miser euentus prædictionem comprobauit: nam & arca capitur, & populus occiditur, & Sacerdotium trans- 1. Reg. 4. v. 10. fertur: *Cæsus est Israel, & fugit vnusquisque in tabernaculum suum, & facta est plaga magna nimis, & ceciderunt de Israel triginta millia peditum, & arca Dei capta est: duo quoque filij Heli mortui sunt Ophni, & Phinees.* Verùm si Heli filiis mors intentata est, cur adeò ingens numerus Hebræorum cæsus, ac indecorè fugatus? Subeant illi celerem mortem, quam sibi elaborarunt flagitiis, & indecoris carnis maturauerunt illecebris; populus tamen grauem adeò non tulerit pœnam, nec inhonestam passus sit ignominiam. Profectò dum Principes libidine maculantur, & populares duris verberibus affliguntur: nec enim poterat populus non perire, cui salaces contigerat superiores habere: Princeps namque temperantiæ inimicus diuinam concitat iram, & subiectis populis procurat intemperãtiæ miseriam: mors solùm in Principes fulminata est; verùm vt nunquam fulmen adussit hominem, quin terrore vicinos perculerit, & flammis sæpè obscurarit: ita raro salacis Principis punitur peccatum, quin plurimos peccati Tertull. tangat supplicium: *Hanc meruerat à Deo plagam*, inquit Tertullianus aduersus Psychic. c. 13. *domus impudens, sacrificiorum carnalium defrau-* Raban. *datrix.* Consonat Rabanus apud glossam: *Extincto carnali sacerdotio Iudæorum extinguitur carnalis synagoga, quæ ei carnaliter adhærebat.* Vota amplissima populis facienda erant pro Principis temperantia, & salubri cæteris continẽtia: peccatum namque plebeij ac obscuri hominis pœnam patitur singularem; Principis verò luxuria calamitatem adfert communem. Vnde Plinius ad Traianum hoc magnum deorum Plinius. munus appellat, castum scilicet Principem: *Quid enim præstabiliùs est, aut pulchrius munus deorum, quàm castus, & sanctus, & Dijs simillimus Princeps?* Certe plurima hoc munere continentur beneficia: quia plurima vitantur salutis, ac diuitiarum dispendia.

21. Vt felicitatem Hebræorum Reipublicæ pulchro ænigmate Ezechiel hominibus adumbraret, quadrigam depinxit nobilissimis animalibus Ezech 1. v 19. vectam, & moribus aurigatam: *Cùm ambulabant animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea, & cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul & rotæ.* In animalibus designari pastores, superioresque tradit Galfridus in allegor. Tilmani cap. 1. super Ezechiel. *In specie horum* Galfrid. *animalium, quæ propheta apparuisse leguntur, solos pastores & prædicatores Ecclesiæ credimus designari.* Ad regentis exemplum tota quadriga componitur, & per quas ducit vias, faustè aut infaustè rotatur. Gradientia animalia rotæ sequuntur, cùm eleuatis leuantur: caderent, si animalia cecidissent; hæc tamen gloriæ similitudo erat, vbi rectores agebantur spiritu, carnis non maculabantur afflatu. *Nunc*, addit Galfridus, *quod miserandum est, & dolendum, pluribus in locis cum retrocedentibus animalibus reuertuntur simul & rotæ, & cum cadentibus cadunt, & cum incuruatis ad terram pariter incuruantur.* Rotas secum trahit animal: sic enim rotæ, hoc est, Galfrido interprete, populorum congregationes cum animalibus sunt connexæ, vt sequantur gressum, aut imitentur volatum: ducens quadrigam animal plures trahit secum aut in virtutis votum, aut ad voluptatis delitium: sibi vni caderet à quadriga seiunctum; at illam ducens aut præcipitat corruens aut leuat labore per planas salutis semitas gradiens.

Adsunt Pharao & prodigus huius veritatis testes: 22. prodigus iuuenili sanguinis furore succensus diuitias, quæ sibi obtigerant, petit vitiorum pabula, & insaniæ irritamenta: longè à paternis oculis relegatus libidini indulsit, seque & diuitias citissimè dissipauit: *Dissipauit substan-* Luc. 15. v. 13. *tiam suam viuendo luxuriosè.* Quidquid gloriæ, quidquid honoris, quidquid famæ, cupiditatibus obscurauit; ipse tamen solus erroris experitur tormenta, & prodigalitatis supplicia: *Ipse cœpit egere.* Fames tortor apponitur, & qui diues abscesserat, luridus ac pauperrimus reuocatur. Transi modò cogitatione ad Pharaonem: saram Abraham vxorem ducit in palatium, & dum Venereis frui cogitat voluptatibus, egregiè vapulat diuinitus immissis flagellis: nec ille solus dat pœnas; sed & tota domus emittit diuexata dolore lachrymas: *Flagellauit Dominus* Genes. 12. v. 17. *Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abraham.* Iam curiosum pungit scrupulus: si prodigus fame solus aduritur ob peccata, cur Pharaonis serui ob aliena diuexentur flagitia? soluat Pharao pœnas: quia intemperans carnis discupiuit delicias; cæteri verò, quos non tetigerat causa, nullatenus adusserit pœna. Profectò id est inter Principem voluptatibus deditum, ac peculiarem hominem deliciis obscuratum discrimen, vt singularis piaculum singulari etiam ferè semper absoluatur supplicio; at Principis culpa ad multorum vertatur pœnam: nam aut laudibus improbè factum extollunt, aut suppetias sceleribus ferunt, vt verum sit Principem rectorémque cupiditatibus indulgentem multorum esse ruinam, & afferre pluribus pœnam. Adest Chrysostomus apud Lippomanum: *Ecce quomodo lenonis egere* Chrysost. *officium in regis gratiam auferendo iusti vxorem: quapropter non ipse solus; sed & omnes, qui adhærebant, pœnæ fuerunt participes... Acerbissima pœna concutiens eius mentem discedere fecit à nefario flagitio, coërcuit ab irrationali impetu, cohibuit incontinentem mentem, alligauit concupiscentiam indomitam, refrænauit furoris insaniam.* Magna Reipublicæ infelicitas, magna ciuitati calamitas,

calamitas, si gubernator, aut rector corporis concupiscentiis indulgeat: nam cùm plurimi illi fere semper adhæreant, malitia sæpè asperguntur: quia sequuntur exempla, aut indignis fouent adulationibus vota. Prodigus, quia solus exercuit culpam, singularis tulit & pœnam; at Pharao, dum alienis vtitur operis, & alios obiectat etiam suppliciis: vt vera sit nostra thesis, scilicet in magnum Reipublicæ incommodum vergere, fallaces carnis blanditias Principem aut superiorem discupere.

§. VI.

Nimia diuitiarum copia grauat possessores, vnde quid ad alios deriuare non solùm accipientis est lucrum; sed & donantis est commodum.

23. Plutarch. THeopompus Lacedæmone Princeps, scribit Plutarchus comment. ad Princip. indoct. *adiecit regnantibus ephoros: hinc cum eum vxor insectaretur, quòd imperium filys relicturus esset, quàm accepisset, angustius; imo amplius,* inquit, *quantò firmius; siquidem vbi vim eius immodicam remisit, simul cum inuidia declinauit periculum.* Quamquam Theopompus quidem auertendo in alios imperij, sicut vasti fluminis riuos, quantum eius in alios contulit, tantum sibi detraxit. Vt vtile habetur remedium, flumen copiosis aquarum voluminibus exundans per varios terræ meatus diuidere, & artificiosa industria, ne diluuium afferat, dissecare; ita satis conducibile est immodicam diuitiarum vim, aut dominationis potestatem tantisper minuere, & imminens discrimen auertere. Non aliter ac habitus nimiùm laxus retardat gressum; imò solicitat sæpè casum, sic nimiæ diuitiæ variis curis possessoris diuexant animum, & inuidentis inflammare solent studium. Iure audiuit stultus diues ille, cuius horrea agri non capiebant prouentus, dum nec partiri voluit tenacissimus, & quietem promisit sibi cæteris omnibus inuidiosus. *Congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos, quiesce.* In illius detrimentum diuitiarum exercuit copia, vtilior foret ipsi, si angustior summa. Ita Gregorius lib. 5. moral. cap. 11. *De vbertate agri angustatur animus auari: dicens namque: Quid faciam? profectò indicat quia votorum suorum affectibus pressus sub quodam rerum fasce laborabat.* Genuit anxietatem copia, & variis desideriorum motibus coarctatus efflauit animam, quia pectus diuitiarum amplecti nequiuerat summam. O quàm vtile foret diuiti minus habere, vt plus viuere! at dum in aliorum commodum decreuit nihil largiri, diuitiis suffocatum contigit mori. Sors Simeonis in Iudæorum finibus deputatur: *Fuit hereditas eorum in medio possessionis filiorum Iuda.* Et quidem arbitretur aliquis grauius quidpiam accidisse Iudæis, cùm illi suas possessiones cum Simeonitis communicare debuerint: etsi enim receptissimum sit prouerbium illud: *Amicorum omnia sunt communia*; id tamen vix sine communicantis molestia præstatur: est namque alterum verius prouerbium: *Omnes scilicet sibi melius malle, quàm alteri*; hîc tamen vtrique parti præstitum beneficium est: nam cùm latam adeò prouinciam Iudæorum tribus occuparet, vt eius cultui, atque habitationi numerus impar esset, commodum illis fuit fratribus communicare superfluum, quò belluarum ab inculto saltu prodeuntium vitaret periculũ. Adest Masius: *Existimandum est amplissimam regionem Iudæos, quamuis magno numero essent, occupare totam non potuisse, atque vt barbari vel vltro excessissent omnibus finibus, magnum à feris belluis futurum fuisse periculum, præsertim propter maxima, quæ adiacebant ab Austro deserta: potiùs ergo tantæ prouinciæ tutandæ molestia leuabantur Iudæi, cùm Simeonitas ad se reciperent, quàm aliquid de sua hæreditate amittebant.* Cessit in magnum Iudæorum commodum, quod specie tenus videbatur detrimentum; ni enim ipsis superflua Simeonitis communicassent, belluas truculentissimas sustinuissent; at dum diuitiarum vires tantisper minuunt, & sibi, & fratribus benefaciunt. Masius.

Magnæ prudentia est vel aliquo detrimento declinare semper inuidiam.

Luc. 12. v. 18.

Gregor. *Auaro ipsa diuitiarum vrgetur copia.*

24. Cant. 4. v. 15. Sponsus, vt dilectæ suæ commodis prouidentissimus studeret, putei & fontis titulis exornauit: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Et quidem dum putei laude commendat, eius ad speciem vndarum diuitias incrementare suspirat: fluunt de Libano candicantes resolutarum niuium torrentes, & ambitiosè putei capacitatem adimplere festinant: magna putei felicitas ingentibus puræ vndæ reditibus exundare, & latices copiosissimos possidere; at dum fontis sortitur ingenium, non tam sibi videtur prospicere, quàm floridis camporum amœnitatibus studere: fons namque generosè fluit, vt arentia arua grata floriditate conuestiat; latices non generat, vt retineat: ergo Sponsus hortis consulit, dum fontis vocabulum impertitur; Sponsæ attendit, dum putei elogio remuneratur. Imò, inquit Ambrosius ad hunc locum, tam adornat Sponsæ gloriam indefessa fontis scaturigo, vt copiosa putei receptio: aqua namque, si puteo semper detineatur inclusa, degeneri situ corrumpitur; si tamen honesta largitate profluat, & nitescit ad aspectum, & extenuatur ad potum: quæ ergo vberi incremento adaucta, ni hortis communicaretur, puteum grauaret, largiter impertita, & micantior redditur, & dulcior: latices ergo hortos fœcundare tam est putei commodum, quàm amœnitatis sit incrementum: nam quæ situm auarè generaret detenta, incrementat dulcedinem generosè communicata. Accipe Ambrosium aureo stylo nostram thesim asserentem: *Puteus, si nihil hauriatur inerti otio, & degeneri situ faciè corrumpitur; exercitatus autem nitescit ad speciem, dulcescit ad potum Ita & aceruus diuitiarum cumulo arenosus speciosus est visu; otio autem inutilis habetur: deriuato igitur aliquid de hoc puteo.* Aqua statiua lutosos producit vermes, gratos profluens fœcundat flores: non ergo minus in sui commodum fontis sponsa sortitur ingenium, ac latices ebibat puteus: vtrique conuenit largitas, campo, vt amœnetur, & puteo, ne corrumpatur. Ambros.

25. Hanc veritatem infelici Nabuchod. didicit experientia, dum obturatas cælestis non potuit aures erudire doctrina: sibi ipsi obiicitur subingentis arboris ænigmate: & quid aliud ventosissimus

sissimus homo, quàm seipsum, & somniando videret, & aspiciendo somniaret? *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia: magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ: folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius.* Daniel, vt regi studiosè consuleret, & consultissimè prouideret, monuit fructus pauperibus communicare, ne ramis nimio fructuum pondere contigisset scindi: *Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Non solùm in pauperum vtilitatem; sed in regis etiam commodum hoc Daniel præstitisse comprobatur consilium: arborum namque cultores, dum ramũ aliquem nimio fructu prægrauari cognoscunt, ne casum perferat, fructum prouidenter imminuunt: nam dum exonerant, fulciunt; dum tantisper depauperant, stabiliunt: frangitur namque ramus, & citò marcescit exuccus, si iniustis ponderibus prægrauatus: *Hac eo, quo superfluunt, nocent,* aiebat Senec. epist. 39. *sic segetem nimia sternit vbertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas.* Itaque dum arbor fructus communicat, imminentem eludit casum, & in sequentem annum acquirit sibi prouentum. O quàm montibus Nabuchod. non deerrasset expulsus, si fuisset fructum pauperibus dilargitus: *Propheta hanc sententiam exposuit,* scribit Theodoretus orat. 4. in Daniel, *ille verò cùm se durum, & inexorabilem præbuisset, scelerum præmia tulit, & quæ audiuerat tristia, hæc oculis conspicatus est.* Fructuum exundantia auarè detenta ramis attulit ruinam: *Præcidite,* inquit, *ramos eius:* quæ generosè communicata decoris illius seruasset gratiam, & decentem custodiret arboris opulentiam: esset quidem vtile pauperibus recepisse; sed & plantæ vtilissimum esset donasse: nam ferè immetatum fructuum pondus, & elationem nutriuit, & fractos ramos deiecit.

Dan. 4. v. 7.

Senecà. *Nimia fœcunditas ad maturitatem non venit.*

Theodoret.

26. Succedat pulchellus ille homo aspirante natura faustissimus; sed cæca ambitione miserrimus: oris venustas vsque ad miraculum erat; cæsaries decens pulchritudinis ornatus, etsi non virilis cultus: dum prolixior dilatabatur coma, caput grauabat, & dolorem afferrebat: *Quando tondebat capillum, semel autem in anno tondebatur: quia grauabat eum cæsaries: ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico:* dum non tondetur, grauatur; cùm verò nimia crinis longitudo præciditur, & grauedine caput releuatur: fœminis capillos elargiri ad cultum erat donantis maximum commodum: nam decenter præcisi adulabantur pulchritudini, qui nimiùm proxili deseruierant grauitati. Ita noster Sanctius: *Alebat Absalom comam, & quia elegantia erat studiosus, admodum illam inuitus opere tonsorio deponebat, non quia prolixam magis non gestaret libenter; sed quia illius pondus atque molestiam sustinere non poterat.* Ornabantur quidem fœminæ flauis, & rutilis Absalonis capillis; cùmque Solymitanæ puellæ de communicatis capillis pulchræ, & capitis vires de comæ pondere nullatenus prægrauatæ: erat præcisum illud puellarum Solymitanarum pulchrum ornamentum; sed Absalonis ingens etiam erat commodum: flaui capilli, qui, ni præcisi, molestia afficerent, aliis communicati Absalonis pulchritudinis incrementabant elogium, & capitis leuabant tormentum: plus superbire poterat Absalomus capillis præcisis, quàm superbiret retentis, quandoquidem constabat præ omnibus eximios haberi, quos puellæ venustatis ambitiosæ tanto pretio satagebant mercari.

2. Reg 14. v. 26.

Sanctius.

Capilli tui, sicut greges caprarum, inquit Sponsus, *quæ ascenderunt de monte Galaad: dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas:* molli oues nudantur vellere, vt honestè homines contegantur; sed erat illis sarcina, quod hominibus elaborabatur stola: ni communicassent lanam, ingentem caloris sustinuissent molestiam; at sibi, & hominibus benefaciunt, cùm vellera antiqua deponunt. Adest Ambrosius ad hunc locum: *Non mediocris ista laudatio: primum quidem apta comparatione tonsarum: capræ enim & in altis pasci sine periculo nouimus, & in præruptis securas cibum sumere: deinde cùm tondentur, deonerari superfluis.* Nequibant adeò alacres per montium prærupta secura agilitate discurrere, dum superfluis velleribus molestum erat grauari; at lætiùs ac securiùs ascendunt, cùm nuditati hominum vestes tribuunt; ipsæ deponunt onera, & largiuntur hominibus vestimenta. Et quidem vtrisque est commodum, capris videlicet onus deponere, hominibus ornatum habere. 27.

Cant. 4. v. 2.

Ambros.

§. VII.

Quo quis virtuti, ac mortificationi deuotior, eò in egenorum commodum opulentior.

NAturam sæpè incusamus, & auaram iniustè arguimus, quod exigua dona ad nos miserit, & ferè in inopum censu locarit; iniustè tamen eius liberale accusamus ingenium, cùm nostrum criminari debeamus vitium: cupiditatis insania ducimur, voluptatum amentia depauperamur: nihil satis est cupiditati, nihil non angustum libidini, & quidem si naturæ pareremus, amplæ diuitiæ suppeterent; nec solùm nobis; sed ditandis etiam aliis facultates vel fortuna irata exundarent: à seipso quisque poterit diuitias petere, si suadeat sibi iuxta virtutis ac mortificationis regulam viuere. *Exerceamur ad paululum,* aiebat Seneca epist. 18. *& ne imparatos fortuna deprehendat: fiat nobis paupertas familiaris. Securius diuites erimus, si sciemus quàm non sit graue pauperes esse.* Verum dixit: diues namque est, qui non ad auaritiæ; sed ad paupertatis regulam viuit. Multa millia seruorum multa millia pauperum effecerunt. Qui amplum patrimonium lautissima superbáque insumpsit in cœna, multis temporibus diuexari solet inopia. Nudus rediit prodigus; at moderans pater vestem, quam dilargiretur, habuit, & vitulum: quia patrem nullum inquinauerat vitium, amplissimum ditauit aurum; prodigus verò dum infami salacitati vernula inseruit, vel sordidos porcorum cibos esuriit. Suo quisque vitio suam paupertatem adscribat: nam qui modestiæ ac virtutis vtilissima non detrectat consilia, & laudabili solet fulgere opulentia: 28.

Senec.

Senec. *Cibus ille honestus, qui famem sedat, non qui adulescit gula.*

lentia: *Hanc sanam, & salubrem formam vitæ tenero*, monet Seneca epist. 8. *vt corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est: durius tractandum est, ne animo malè pareat, cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit aduersus infesta corpori: hanc vtrum cæspes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil interest.* Interest quidem fastui & superbiæ operosa domus constructio, & insana fabrica; sed angustior domus pietati: nam in substricto habitaculo amplior degere solet misericordia: sibi austerior, cæteris sæpè est largior, & benignior. Iudæorum tribus suo veluti gremio Simeonitas fratres amplectitur, & in quibus habitare commodè valeant, prædia, & ciuitates largitur: *Fuit hæreditas eorum in medio possessionis filiorum Iuda.* Non casu accidit Iudæorum tribuum amplam adeò hæreditatem habere, vt non exiguam partem Simeonitis valuerit communicare: de Iuda namque aiebat eius pater: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam.* Quæ verba interpretatus Doctor Angelicus sic ait: *Ideò dicit ligans, scilicet præceptis, & sacramentis, & gratiarum donis.* Dum se præceptis strictiùs illigat, & fratres amplissimis muneribus donat: & quidem si minus legis ac perfectionis consiliis esset obtemperans, & diuitiis etiam in aliorum subsidium minùs exundans.

Genes. 49. v. 11. D. Thom.

29. Dauid filium alloquens, & ad sumptuosam templi fabricam construendam exhortans sic aiebat: *Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum; æris verò & ferri non est pondus: vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides præparaui ad vniuersa impendia.* Interlinearis in numeris perfectis perfectionem adserit adumbrari: *In perfectis numeris perfectio designatur.* Talenta Dauidis perfectionem designant, & dum Dauid perfectioni studiosiùs se consecrat, cumulatiores pro templi fabrica copias diuitiarum adaggerat: quàm exigua talenta relinqueret; imò quanta creditoribus talenta deberet, ni perfectioni studuisset; at dum ad naturæ & paupertatis regulam viuit, dignæ Deo fabricæ & auri materiam præbet: vt verum fuerit, quod superiùs asserebat Stoicus, scilicet: *Securius diuites erimus, si scierimus quòd non sit graue pauperes esse.*

1. Paral. 22. v. 14. Interlin.

30. Componamus, si placet, cum præstito à Loto peregrinis officio Abrahami auunculi obsequiũ. Abrahamo in ostio tabernaculi considenti tres viri obiiciuntur, quos ille comiter honorat, generosè inuitat; imò & honestè compellit: sub arbore explicat mensam ferculis saporatis instructam. *Tulit butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis; ipse verò stabat iuxta eos sub arbore.* Post prandium iam non tres; sed duo Sodomam ingrediũtur, quos Lot auunculi pietatem secutus comiter ad cœnam inuitat: domum intrant, & azymis recreantur: *Ingressis domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt.* Notauit Lippomanus Lotum non adeò splendidũ, vt Abrahamus, instruxisse conuibium: hîc namque nec lac apponitur, nec vitulus paschalis defertur: *Frugalius quàm Abraham, Angelis Lot conuiuium instruxit, azyma coxit.* Et Cur Lotus angustiorem apponat mensam duobus, cùm Abrahamus apposuerit lautiorem tribus? Innuit, ni fallor, rationem textus: Abrahamus namque non amplam domum; sed tabernaculum sub arbore habitabat angustum; Lotus verò ampliorem domum: ait namque: *Ingressis domum illius fecit conuiuium:* qui ergo sibi pauperior, peregrinis fuit largior: qui paupertatis leges non adeò religiosè secutus, minùs hospitibus generosus. Accipe Augustinum in serm. de tempore, serm. 66. *Lucum arboris incolebat Abraham, sub qua constructum erat qualecumque suffugium; angustum quidem homini; sed sufficiens maiestati; dignum tamen Deo paulatum fides deuota pingebat, in quo fuisset maiestas diuina pransura.* Abraham cibos apponit multiplices, & toto sapore conditos: quia ipse non amplam domum; sed tabernaculum habitabat angustum; at Lot frugalius Angelis præparauit conuiuium: quia laxiorem habitauerat ipse domum: *Multa millia seruorum*, scribebat Seneca epistol. 18. *multa millia pauperum faciunt.* Dum plures pompaticè viuunt, & constipati seruorum grege procedunt, nil habent, quod peregrinis erogent, qud miseris tribuant: quia ambitiosus omnia consumit fastus, & absumit appetitus. Adde de Christi Domini imitatione adaugeri diuitias, & de austeriori corporis tractatione abundare facultatum pauperibus copias.

Gen. 18. v. 8. Genes. 19. v. 3. Lippoman. August. Senec.

31. Duos silices percussos sitientibus latices ministrasse reperio: cùm per deserta sin populus graderetur, castrametati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendum populo: sitis adurebat præcordia, & impatientia periculosa commouit iurgia; at Dominus tempestiuè succurrit, & petram, vt gelidos liquetur in latices, qua frænati marini vortices, imperat virga feriri: *Percuties petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.* Percussus lapis fontium imitatur ingenium, & sitis vrgens depellit periculum. Iterum populus Numer. 20. aquæ laborat inopiâ, & iterum lapis semel & iterum feritur virga: *Cùm eleuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta.* Vbique audis aquam elici; non tamen aquarum abundantiam audis vbique: prima illa petra aquas præbet, secunda præstat largissimas: ibi aiebat: *Exibit ex ea aqua, vt bibat populus*; hîc, *Egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta.* Et quæ discriminis causa est? Quia priùs, inquit Augustinus, singularis, non gemina auditur percussio; posteà repetitur verberatio: *Percutiens*, inquit, *virga bis silicem:* vbi ergo crucis vmbra, & vndarum largior affluentia. Cùm Domini crux non impressa, minor fuit aquarum sitientibus copia: quæ petra sibi, si fas est dicere, crucem Domini inuisceràuit, largissimas sitientibus vndas præbuit: *Quòd virga petra percutitur*, inquit Augustinus quæst. 35. in Numer. & apud Glossam, *crux Christi figuratur: ligno enim accedente ad petram gratia manauit: & quòd bis percutitur, euidentius significat crucem: duo enim ligna sunt crux.* Bis percussa petra cruce insignitur: ideò vbertim aqua egenis ac sitientibus ministratur: prima illa, quia semel tantummodò verberata in se crucis non expresserat formam, exiguam sitientibus præbuit aquam. En quod duplicis petræ ænigmate figuratum, historia geminæ viduæ est expressum.

Exod. 17. v. 6. Numer. 20. v. 11. August. *Crux fæcunda vena felicitatis.*

32. Sareptam Sidoniorum missus peruenit Elias, in viduam incidit duo ligna colligentem, à qua

 panem

panem solandæ fami petiuit: pauper illa paupertatem honorans non est petitione exacerbata; sed humiliter respondit modesta: *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quãtum pugillus capere potest farina in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo.* Vides apud viduam hanc durissimæ famis tempore farinam & oleum esse: transi modò ad viduam aliam, quæ lætiori tempore ab Elisæo petiuit auxilium: incredibili dolore saucia, quia creditor eius filios ob contractum olim debitum licitari decreuerat, prophetæ interpellat misericordiam, sæuique adeò doloris depellere obnixè precatur causam: rogat propheta quid domi habuerit: *Dic mihi quid habeas in domo tua.* Illa anxia respondit: *Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo vngar.* Et cur hæc non farinam, sed oleum tantummodò habeat, quando illa austeriori tempore & farinam, & oleum habuit? nil mirum vidua Sareptana careret oleo, indigerétque pane, quando nubibus iniecta claustra, & depopulatrici fami dura concessa licentia; mirum tamen est viduam hanc commodiori tempestate carere pane: hæc non habet, quod soluerit creditori; cùm panem, & aquam illa præstiterit pauperi. Quod si diligenter causam inquiras, haud difficulter inuenies: nam vidua Sareptana in gemino ligno crucem amplectitur: *En collige*, ait, *duo ligna*: vidua altera crucis non meminit: ideò hæc pauperior, & illa ditior: hæc non habet, quod soluerit creditori; illa panem dilargitur pauperi: hæc grauatur debitis, alienis illa non legitur oppressa pecuniis: nam dum studet mortificationi, alienæ etiam succurrit necessitati. Audi Isidorum apud Interlinear. *Et ligni nomine, & lignorum numero, signum crucis exprimitur, quo nobis panis vitæ æternæ est preparatus.* Crux Sareptanæ viduæ domum ab egestate defenderat; fastus fortasse aliam periculo obstrinxerat: vixerat fortasse alia pompaticè, insumpseratque ad formæ cultum quod repetebat exactor debitum: ideò in huius domo solùm inuenitur oleum; in illius etiam frumentum: nam quicumque rationi viuit, pericula egestatis depellit; immensis tamen subiacet vanitatis tributis, qui insanis paret voluptatis, & appetitus consiliis: ergo Iudæorum tribus, dum præceptis vtiliter illigatur, quas Simeonitis tribuat, amplissimas possessiones sortitur.

3. Reg. 17. v. 12.

4. Reg. 4. v. 2.

Isidor.

§. VIII.

Non semel constat scelestè perpetrasse, quæ in alijs quis discupit ardentius punire.

33. SVi quisque primus & maximus assentator est, quisque & cæcitate obscuratus, & perspicacia oculorum est præditus: alieni sceleris immetate exaggeramus culpam, & sumere gestimus pœnam, cùm sæpè eisdem inquinemur vitiis, & delinquamus erratis: zelo sæpè tegimus turpissima facta, & ardenti excandescimus ira, cùm eadem nos meritò constringat pœna. Nullus sui curam gerit, aliorum semper nos solicitat causa & adurget inutilis prouidentia: aliorum imprudenter tutores, & nostri prorsus obliti. *Lycurgus monenti, vt Rempublicam in ciuitate efficeret popularem,* scribit Plutarchus in apophthegmat. *tu prius, inquit, domi tua effice Rempublicam popularem.* Ardentiùs curabat Reipublicæ politiam, qui carebat œconomia: alteri dabat consilium, cùm domi suæ prudentia pateretur naufragium: & quidem non semel vidi studiosiùs aliena curare, qui ignauissimè gessere sua; imò ardentiùs in aliena desæuire delicta, qui grandiora admittere non detrectarunt scelera. Simeonis tribus in Iudæ sorte locatur: qiua cæteris minor hominum copia, vt sortis ciuitatúmque summa: *Fuit hereditas eorum in medio possessionis filiorum Iuda.* Quærit Abulensis q. 1. quid fuerit in causa, vt Simeonis tribus, quæ vt constat Numeror. 1. ferè immensa constabat hominum multitudine, ad tam exiguam redacta inueniatur summam. Respondétque tribus Principem effræni ac impudentissima audacia cum Madianitide coiuisse, cæterósque contribules ad simile detestandum facinus exemplo vti stimulis concitasse, ob idque plurimos interemptos, & digno supplicio occisos: *Princeps tribus ipsius fuit, quem transfodit Phinees gladio coeuntem cum Madianitide, vt patet eodem capite* (scilicet Numer. 25.) *Principem autem imitarentur alij, qui essent in tribu.* Itaque Simeonis tribus impudentissima, & quæ vel bruta dedeceret salacitate, omnique rubore amandato carnis negotia tractauit. Hanc ergo tribum in Sichem ob sororis stuprum præ aliis ardentiùs desæuisse reperies. Dina muliebri curiositate regionis fœminas prodiit inspectura; sed dum curiosior spectat, & curiosiùs inspicitur, & à terræ Principe violenter rapitur: *Quàm cùm vidisset Sichem filius Hemor Heuai Princeps terra illius adamauit eam & rapuit, & dormiuit cum illa vi opprimens virginem.* Hanc sibi & sorori illatam iniuriam præ aliis fratribus ægrè adeò Simeon & Leui tulerunt, vt non sine religionis iniuria dolosas sumpserint pœnas, & mortes intulerint, inopinas: *Arreptis duo filij Iacob Simeon & Leui fratres Dinæ gladijs ingressi sunt vrbem confidenter, interfectisque omnibus masculis Hemor & Sichem pariter necauerunt.* En Simeon in vindicanda libidine prior, & præ cæteris ardentior; cùm tamen eius tribus & præ cæteris salacior, & non sine scandalo cum Madianiticis libidinosior. Adest Lippomanus: *Excesserunt modum propter vnius peccatum, vel paucorum tot homines occidendo, similiter & diripiendo.* Modum vltionis excessit tribus, quæ præ aliis libidinis flagitio subiacuit: vt videas non semel grauioribus attaminatos peccatis in aliorum desæuire truculenter errata, & impatienter sustinere flagitia.

Plutarch.

Abulens.

Lippoman.

Christus Dominus, vt ardenti charitatis flamma, qua generosè adustus pro hominum salute subire crucis tormenta gestiebat, adularetur, in hortum festinus pergit: non poterat illum morari execranda proditoris nequitia: quia impellebat viuidissima amoris flamma: iam properant prædatores iniusti, & se offerentem rabida amentia requirunt: tunc Petrus gladium exerit, & non leue procaci ministro vulnus infligit: *Exemit gladium, & percutiens seruum Principis Sacerdotum amputauit auriculam eius.* Iudas illæsus relinquitur, auricula minister mulctatur; cùm tamen ille auctor, & hic exemplum secutus. Alibi forsan huius discriminis inquiram causam:

Matth. 26. v. 51.

ſam : expendamus modò cur Petrus præ aliis Apoſtolis in punienda culpa miniſtri durior, in vindicandóque auris ſcelere acerbior? Fidem Petrus repetita negatione obſcurauit, malè ſuſurrantis mulieris vocibus aures præbuit : ideò aurem cæleſti refragantem doctrinæ ardentior percuſſit, & audacior vulnerauit : qui ad mulieris vocem mollior, qui ad ſuſpectum diſcrimen timidior miniſtri audaciam puniuit acerbior : *Seruo Principis Sacerdotum*, inquit Hilarium apud D. Thomam, *auricula ab Apoſtolo reſecatur, populo ſcilicet ſacerdotio ſeruienti per Chriſti diſcipulum inobediens auditus exciditur.* Inobedientem aurem amputat, qui ſuſurranti Caiphæ ancillulæ temerandas præſtitit aures. *Vocem*, inquit Chryſologus ſerm. 78. *facilè ancillæ ſuſurrantis audiuit.* Seuerè puniuit aurem Dominicis præceptis non auſcultantem : quia aurem habebat ſuſurris negationem inſpirantibus deſeruientem. Ita namque ſæpè magiſtra experientia probatum eſt, vt qui turpiùs peccat, in delinquentem inflammatior inſurgat.

Hilarius.

Chryſolog.

35. Phariſæus quidam, neſcio an ad vanitatis pompam, an in miſericordiæ gratiam, Saluatorem inuitat ad menſam : admiſit benigniſſimus Dominus, non vt delicatis oblectaretur eduliis; ſed vt honeſtè ſubornatus indulgere poſſet peccatis : mulier aduolat in ciuitate famoſa, & largas effuſa in lachrymas rubore honeſto ſuffuſa loquaci fatetur ſilentio culpam, & ſupplici humilitate depoſcit veniam; Phariſæus tumore turgidus, & arroganter ſuperbus Domini ſugillat pietatem, & dum exteriùs apponit deuotus cibos, interiùs Dominicos de impudicæ tactu attaminatos murmurat greſſus: *Videns autem Phariſæus, qui vocauerat eum, ait intra ſe dicens : Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix eſt.* Parum erat oblocutori mulierem dehoneſtare, niſi vno eodemque ictu Dominum etiam feriret : plures accubuiſſe tradit explicitè textus, dum remiſſionem peccati audientes refert miratos. *Cœperunt, qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe : Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit.* Alij mirantur, aut in dubitationem ſanè rapiuntur, cùm vnus Phariſæus, & mulieris ſugillauerit factum, & prophetiæ Domino denegarit ſpiritum : reliqui non abroſere mulierem, damnat Phariſæus : ecqua huius cauſa eſt? Phariſæum ſcilicet multis erga conuiuium deliquiſſe peccatis, nec debitis adornaſſe prandium obſequiis : *Intraui in domum tuam : aquam pedibus meis non dediſti, oſculum mihi non dediſti, oleo caput meum non vnxiſti.* En cur Phariſæus præ cæteris ſit rigidior: quia præ cæteris defectibus maculatior : quia defuit pietati, ſuccenſuit piæ : *Phariſæus*, inquit Chryſologus ſerm. 94. *perfidiæ morbo ſaucius, ſuperbia flamma febriens, per phreneſim ſe neſciebat inſanum : hinc eſt quod Chriſtus illuc primum curam venit, vbi ignota ſæuiebat infirmitas.* Expende illud, ignota ſæuiebat infirmitas : nec enim Phariſæus, ni laboraret infirmus, adeò in mulierem fureret ſæuus. Cæteri quia minùs ſaucij, & minùs etiam mulieris factum damnarunt rigidi; Phariſæus verò, quia ſuperbiæ, ac ignorantiæ ſcatebat culpis, culparum indignabatur medelis.

Luc. 7. v. 39.

Chryſolog.

36. Nulla ſunt vincula, nulla cognationis fides, nullum pudoris frænum, nulla religionis reuerentia, quæ impotens non tranſgrediatur, & diſrumpat amor : non didicit parere frænis, non nouit naturæ legibus obedire, aut ſublimioris potentiæ metu coërceri. Adeſt huius veritatis infelix teſtis Amnon : Thamar ſororem ſpecioſiſſimam quidem ita deperibat, vt à ſeipſo videretur alienus, & in ſe mortuus, ac ſolummodò in illa viuus : fraude ad ſe vocatam violauit: vicit namque pudorem libido, timorem audacia, rationem dementia : repudiata citiſſimè fœmina lugubri habitu, & cinere capite defœdato caſum fratri Abſalon clamoribus indicauit : hic ardentem pectore iram aliquamdiu texit, vt opportuniori ad vindictam tempore proderet : conuiuium inſtruit, fratres inuitat, & ſeruos fratrem occidere iubet : *Præceperat Abſalon pueris ſuis dicens : obſeruate cùm temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis. Percutite eum, & interficite : nolite timere, ego enim ſum, qui præcipio vobis.* Inter reliquos fratres vnus Abſalon ardentiori exæſtuat irâ, & ad vindictam rabidiori incitatur inſania. Iam quid ipſe fecerit audi : proditionem aduerſus patrem inſtruit, vitam auferre ſatagit, & coronam: *Egreſſus rex, & omnis Iſraël pedibus ſuis ſtetit procul à domo.* Nec ſolum impius filius vitæ, & dignitati inſidiatur; ſed patris etiam concubinas polluit, & omni pudore extincto in populi conſpectu cum illis concubuit : *Ingreſſus eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſraël.* Omnes Thamar fratres ab Amnone illatam paſſi ſunt contumeliam, præ cæteriſque Abſalomus geſtiuit punire offenſam, qui præ cæteris ignotam ſæculis perpetrat ſceleſtiſſimus culpam. O quàm arcanum eſt verbum illud, *Ego præcipio vobis!* quaſi dicat : Ego in naturam ipſam inſaniens, ego immaturam patri mortem diſcupiens ego patris vxores deteſtanda audacia temerans præcipio, vt illatam occulte ſorori offenſam ſeuerè vindicetis, & ſanguinem delinquentis adacto ferro fundatis. Profectò lenioribus oculis alienam adſpiceret culpam, ni deteſtabilem adeò perpetrare decreuiſſet inſaniam; at rigidus & ſanguinarius ſororis puniuit iniuriam, qui in patris vitam, honorem, & dignitatem ſtupenda ſæculis inſurrexit audacia. *Opportunitatem captauit Abſalon*, inquit noſter Sanctius, *vt Amnonem fratrem extra ciuitatem patriſque conſpectum extraheret in ſolum aliquem locum, vbi conſilium cædis, quod diu ſecum agitabat, expleret.* Abſalon præ aliis fratribus cædis conſilium pectore fouit, & opportunam nactus occaſionem in contumeliæ vindictam expleuiſſe geſtiuit : impius & proditor, ac impudentiſſimus patris vxorum temerator acrior eſt fraterni ſceleris cenſor, & truculentior probatus vltor.

2. Reg. 13. v. 28.

2. Reg. 15. v. 17.

2. Reg. 16. v. 22.

Sanctius.

Rex rationem cum ſeruis ſuis ponit, & com- 37.
miſſum illorũ fidei requirit : oblatus eſt ei vnus copioſo ære alieno oppreſſus, & plurimum talentorum obligatione conſtrictus : *Oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta :* qui acceptam prodegerat ſummam, reddere nequibat auri materiam : Dominus perpetuam iubet ſeruitutem pati, & filios, ac vxorem eius ſub haſta præconis voce venundari; ille verò dolore perculſus lachrymas aduocauit patronas, & ſupplex impetrauit rogando, quod ſoluere non poterat retribuendo : valent namque apud Dominum multum ſuſpiria, vt apud mundiales dona : dominus totius delicti expers miſericordia

Matth. 18. v. 24.

mouetur, & seruo veniam generositate largitur: hic in conseruum incidit centum denariorum debitorem, adeóque ad reddendum cogit, vt vel respirare non sinat quousque denarios persoluat: *Tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes:* confugit ille etiam ad preces, & tempus sibi dari suppliciter depoposcit; creditor tamen aures precibus obnixis non præbuit; sed in carcerem duris vinctum compedibus misit: *Misit eum in carcerem.* Inquiramus cur adeò se præbuerit inexorabilem, qui tot regi talenta debere se nouit? Certè nil mirum debitorem vrgeret, si ipse debita non cõtraxisset maiora, aut aliena reddere potuisset æra; at sui conscius erga alium se præbere debuisset benignum. Ita sanè; verùm adeò in alium seuerè furit: quia ipse ampliorem longè summam talentorum Domino debet: se benignius gereret, si minus regi debuisset; at quia plurimis talentis grauatus, erga alium seuerissimè rigidus: sæpiùs namque alterius culpam rigidiore adurit censura, qui turpiori sordescit macula. Adest Rhemigius apud D. Thomam: *Per debitorem decem millia talentorum designantur illi, qui maiora crimina committunt; per debitorem autem centum denariorum, qui minora committit.* En grauissimæ contra seruum indignationis causam, maiora scilicet perpetrasse, si enim ipse non adeò esset delictis attaminatus, erga conseruum esset benignus. Ergo Tribus Simeonis proiectissima libidine maculata præ cæteris prima ad Sichimitarum punienda armatur flagitia, & religionem temerans punit scelera.

Rhemig.

---

§. IX.

Quod maiores, parentesue dignè proferunt maledictum, miserum non rarò in filijs sortitur effectum.

38. Pietatis nomen cum ipsa pullulauit origine, nec leuis potest esse reatus, si naturæ tributum denegarit affectus: tanta est naturæ vis, vt vel truces feras parentibus exhibere quadamtenus reuerentiam erudiat: debent filij parentibus, & lucis florem videre, & non modicis sæpè commodis abundare: improbus probatur filius, si illa constet beneficia respuere, quæ vel inimicum poterant obligare. Ferarum catuli sequuntur parentes, ab origine sua virgulta non discrepant, vitis propagini seruit; & homo sæpè parentes afficit tædio, & quod vix credas, non semel prosequitur odio. Proh dolor! non merentur illorum sæpiùs affectum, pro quibus subire debuissent exitium. Maria sæuis tempestatibus agitata amor genitoris non refugit, vt peregrinis mercibus auri aceruauerit copiam, qua filiorum cumulatiùs incrementarit fortunam: & filius non refugit genitoris dulcissimi offensam. Hoc naturæ debitum ciconiæ referunt, & perdices. Audi Cassiodorum 2. var. 14. *Ciconia redeuntis anni iugiter nunciatrix ejciens tristitiam hyemis, lætitiam verni temporis introducens, magnum pietatis tradit exemplum: nam cum parentes eorum pennas senio coquente laxauerint, nec ad proprios cibos quærendos idonei potuerint inueniri, plurimis suis genitorum membra frigida refouentes escis corpora lessa reficiunt, & donec in pristinum vigorem ales grandæua redierit, pia vicissitudine iuuantes reddunt, quod à parentibus paruuli susceperunt: & ideò non immeritò longa vita seruantur, qui pietatis officia non relinquunt.* Hinc grauiùs delinquit, qui nec auium pietatem imitatus, quæ naturæ debet officia, solum compensauit offensa: qui parentes dolore afficit, aut subtractis pietatis officiis dehonestat, diram sibi calamitatem procurat: diuinæ namque vltionis dignè subibit iudicium, qui parentibus denegare rationabile non veretur obsequium. Ad hæc parentum etiam maledictionis non semel incurrunt sententiam: quia indignationis submouere despiciunt causam. Iam quanta mala filiis parentum execrationes attulerint, obuia profanæ, & sacræ historiæ nobis demonstrauerunt exempla. *Iam non admiror*, scribit Seneca epist. 61. *si omnia nos à prima pueritia mala sequuntur: inter execrationes parentum creuimus.* Dum execrationes sibi indignis factis conciliat, qui reuerentiam propensiùs impendere naturę debuerat, omnem felicitatis à se depellit lætitiam, & artifex miserandus nunquam leuandam procudit sibi miseriam. Simeonis Tribus Iudæorum sedibus collocatur, propria sorte, si dici liceat mulctata, & nidulis alienis recepta: *Fuit hæreditas eorum in medio possessionis filiorum Iuda.* Quærunt interpretes, cur præ aliis quasi emendicato vixerit intra alienos limites collocata, & quasi hospitio recepta, aiúntque hoc fuisse ob maledictum paternum: offendit namque Iacobi genitoris non leuiter animum religionem temerans, & ferino ingenio Sichimitas olim trucidans: *Simeon & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia: in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum: maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* Rationabilis indignationis aspicis causam, audi maledictionis sententiam: *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.* Parentis votum auditur, & Simeon aliena sorte locatur. Accipe Masium: *Quòd sors collocat Simeonitas non seorsim in portione alia; sed in ea, quæ Iudæis detracta erat, id non humano; sed diuino fit consilio: est enim quoddam paterni criminis piaculum, & veluti cicatrix illius vulneris, quo suum ipse sauciauerat animum Simeon, quando cum fratre Leui crudeliter, & perfidè Sichimitas interfecerat.* Non caruit effectu, quod pater in filium protulit iustitiæ motus impulsu: vt vereantur filij parentum prouocare iram, ne tulerint maledictionis sententiam: exaudit namque Deus amaras parentis voces, quando filius exasperauit offensa, aut dedecorauit iniuria.

Cassiodor. Longa dantur vita, qui parentibus pietatis reddunt obsequia.

Senec.

Masius.

Succedat fratribus frater: Rubenus ille, qui patrem inuisa retrò temerariæ salacitatis iniuria affecit, dum eius vxorem impudentissimus discupiuit: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio: effusus es sicut aqua non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Paternam execrationem cœlitus confirmatam probauit euentus, quandoquidem & imperio, & sortis amplitudine fuit mulctatus: paterna execratio prophetia fuit: vt noueris dignè parentum fulminatas in filios execrationes prophetiæ adinstar non falli; sed infeliciter 39.

Gen. 49. v. 3.

liciter adimpleri. Ruben imperio non fulget: quia ad tribum Iudæorum deuenit: nec gemina sorte: nam, vt placet pluribus, ob castitatem Ioseph tribus obtinuit, quod Ruben ob salacitatem perdidit: *Accusat insolentiam, atque audaciam Ruben*, inquit Theodoretus apud Lippomanum, *ob perpetratum scelus paucitatem filiorum ac posterorum imprecatur.* Euenit quod pater offensus iustè imprecatus est, &, ni Moyses temperasset geminatis benedictionibus maledictionis supplicium, acerbiorem tulisset casum. Adde non solùm maledictum iustè illatum fore extimendum; sed vel iniustè illatum afferre non semel luctuosum filiis incommodum. (Theodor.)

40. Pater quidam in lachrymas fusus supplex lamentatur, & obnixis precibus Christum Dominum rogat, vt filio à dæmone inhabitato opportunam adhibeat medelam; qua tantam doloris depulerit misericos causam: Christus Dominus tempus infirmitatis inquirit: Interrogauit patrem eius: *Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* (Marc. 9. v. 20.) Requirit passionis tempus temporum auctor, non vt nescius; sed vt prodiderit causam ad sæculorum doctrinam. Respondit pater, hoc ei ab infantia accidisse, frequentérque se ardentes coniicere in flammas, æstus petiuisse marinos, vt miseram finiuerit vitam, ne adeò grauem sustineret molestiam: *At ille ait: Ab infantia, & frequenter eum in ignem, & in aquas misit, vt eum perderet.* Cùm ab infantia hanc puer calamitatem sit passus, quærunt Patres quomodò dæmoni licuerit diuexare innocentiam, & innocuam torquere infantiam. Chrysologus, quo solet acumine, serm. 51. causam moralissimam reddidit, patrem scilicet filium dæmonibus obtulisse, ideò dæmones & innocuum pueruin, & in filio patrem maledicum diuexasse: torquebatur pater in filio, & filius ob execrationem patris. Audi Chrysologum: *Interrogatione tali tempus aperit, ætatem pandit, reuoluit infantiam, vt tanti mali causa non tangat sobolem; sed parentem: quia à Deo sibi datum pignus ad Diaboli gratiam, dæmonum retulit ad honorem, dicente scriptura: Et obtulerunt filios suos, & filias suas dæmoniis.* (Chrysol.) Non ignoro Chrysologi sensum; sed ignorabit nullus eius verba nostro adaptari instituto; dum fortè aliqua paruuli actione irritatus pater maledictionis execratione ferit, diabolo distorquendi licentiam tribuit. Redeat iterum Chrysologus: *Infantia, vt in se diabolo locum faceret, quid criminis admiserat, quid reatus? Sed replentur dæmone paruuli, quando à parentibus suis offeruntur diabolo.* Dum imprudens pater filium offert diabolo, dæmonis inhabitatur ad gaudium, & ad execrantis dilaceratur tormentum: quò abstineant parentes filios execrationibus punire, quando satius est inflictis verberibus emendare: & si absque filiorum culpa non semel execrationis adimpletur sententia, timeri debet vel aliqualis causæ species, vmbraque occasionis. Hanc honestam cautelam edocuit dignis exemplis Iacobus.

41. Prætulerat illum fratri oraculum: tempus appetebat lucrandis benedictionibus opportunum cumque moneretur à matre, vt arcano dolo fratri benedictionem præriperet, sic respondit: *Timeo, ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione.* (Gen. 27. v. 12.) Certè & diuino compellebatur oraculo, & matris adulgebatur præcepto: non gestiebat procaciter irridere; sed sibi debitum fratri præripere; timuit tamen, ne ad speciem patri videretur imponere: & quamuis nulla esset causa ad paternæ maledictionis sententiam, veritus & religiosus ac prudentissimus iuuenis, ne sustineret aliquod maledictum, & ob maledictum tranquillitatis & pacis non modicum detrimentum. Iacobi timor nos docet paternas execrationes semper vitandas, & sine rationabili etiam causa timendas. *Magna pueri gratitudo*, scribit Chrysostomus hom. 43. *& in patrem reuerentia: timeo, inquit, ne in diuersum eueniant studia mea, ne videar aduersari patris sententiæ, & pro benedictione maledictionem mihi adducam.* (Chrysost.) Sanè maledictio diuino aduersaretur oraculo, quando puer arcano accedebat mysterio; adeò tamen vel sine causa timendæ sunt execrationes paternæ, vt Iacobus, quò maledictionis non incurrat periculum, detrectet ambire hæreditatis augmentum. Nec satis est filios paternis oculis irreuerentiam non exhibuisse; sed clanculum, & illorum fugientes oculos irritasse: nam si sceleris inuenitur reatus, & maledictionis citissimè videtur effectus.

42. Noe nudus iacet, Cham paternæ immemor reuerentiæ fratribus rem denunciat, & patrem irrisione dedecorat; agnouit ille vino iam digesto, & nepotem maledictionibus onerauit: *Maledictus Ch[illegible]: seruus seruorum erit fratribus suis.* (Gen. 9. v. 25.) Quanta mala Chanaan posteritas ob hanc auitæ maledictionis sententiam tulerit, omnis Iosue testatur historia, quando Chananæi de amœnis sedibus abiguntur, quando ministeriis vilibus deputantur, quando tributis pendendis insudant, & grauissimo iugo laborant: innumera illos incommoda diuexarunt, quæ omnia ob paternam execrationem tulerunt. Chanaan posteri ignobiles seruituti semper addicti, ac immensis laboribus onerati: *Maledicti fuerunt*, scribit Abulensis quæst. 13. *filij eius descendentes per Chanaan, qui sunt septem gentes, scilicet Amorrhæi, Chananæi, Heuæi, Iebusæi, & cætera patet, quia istæ gentes fuerunt datæ in manus filiorum Israël, vt disperderent eas, & acciperent terram earum.* (Abulens.) Ob maledictionis sententiam seruitutis & paupertatis tulere dignissimam mulctam; vt noueris quam acerbum sit indignationem promereri paternam, & execrationis sustinere vindictam. Nec tantùm parentum execrationes timendæ sunt; sed & maiorum maledictiones vitandæ.

43. Audaces milites Eliam tendunt petulanter capturi; ille iniustè lacessitus, cùm, quibus se protegeret, careret armis, militum petulantiam dignis frænare didicit maledictis: *Descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos:* nec mora, flammei vndantesque globuli cælitus ruunt & milites audaces deglutiunt: *Descendit ignis de cælo, & deuorauit illum, & quinquaginta eius.* (4. Reg. 1. v. 12.) Gregorius Magnus lib. 4 moral. cap. 6. Eliam militibus maledixisse testatur, non de vindictæ studio; sed de iusto æquitatis zelo: *Cum Sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto vltionis; sed ex iustitia examinis erumpunt.* (Gregor.) Addit post pauca. *Hinc Elias duobus quinquagenariis ad se venientibus dixit: si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & consumat vos.* Duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit: quia Elias sententiam maledictionis æquissimus pronunciauit. Hoc idem puerorum misera strages confirmat.

Insulta

44. Insultabant de caluitie Elisæo: tulit ille patientiâ, quæ puerorum in illum probra congerebat audacia; verùm cùm prophetæ modestia in procacitatis abuterentur auxilium, ad maledictionis compulsus est confugisse remedium: (4. Reg. 2. v. 24.) *Maledixit eis in nomine Domini, egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Qui irrisoriè Eliam Dei virum vocant voracis flammæ extinguuntur incendiis; & qui discipulo clarè insultant, sæuientibus traduntur feris: eadem namque contumelia est irrisorie honorare, aut apertis contumeliis afficere. Citissimè pueri contumeliæ tulere supplicium: quia maledictionis propheta in illos fulminauerat telum: sunt namque iustorum maledictiones extimescendæ, & vel leues causæ amputandæ: *Cùm eorum patientia, quibus fit iniuria, non emendantur, qui inferunt,* inquit Iustinus (Iustin.) Martyr. quæst. 80. ad Orthodox. *tunc seueritas iis, qui sunt inemendabiles, vtilior est, quàm patientia.* Itaque non est propheta culpandus propter seueritatem. Execratione pueros in ipsum contumeliosos necauit, vt experirentur vires maledictionis, qui patientiæ noluerant blandissimis vti remediis. Itaque securior viuit Nabuchodonosor inter feras non maledictus in saltu, quàm pueri execratione puniti in hominum frequenti conuentu. Fuge pa[...]um incurrere maledictionis sententiam, ne acerbam sustinere cogaris mulctam.

---

§. X.

Hospites non semel pariunt fastidium; & si diuturni, ingenerant sæpè tædium.

45. Virtus eximia hospitalitas, misericordiæ filia, & charitatis germana: hospitio excipere peregrinos, mensam apponere, obsequia exhibere maximis efferendum elogiis: quia charitatis rutilat flammis: res ardua hospitem excipere, & diuturno tempore alere; omnia tamen suffert charitas, & omnia potest benignitas; verùm ex se res inquieta est hospitem domo excipere, & hilarem semper affatum præbere: iam si non charitas suadeat hospitium; sed humana tantùm politia monuerit obsequium, facilè generatur fastidium; imò & aliquando transit in odium. Hinc Petrus vbi de hospitalitate egit & obmurmurationis culpas extinguere studuit. (1. Petr. 4. v. 9.) *Hospitales,* inquit, *inuicem sine murmuratione.* Non rarò inter prandij lautitias alienus cruentatur honor, & honoris innubilatur splendor: nam lingua potationibus inflammata maliloquiis est expedita. Ita sanè; sed fortassis etiam Petrus hospitio recipientis receptique murmurationem prouidus interdixit: alter namque non adeò honorificè se exceptum queritur, alter & multa pati incommoda, & in hospitis gratiam multa dolet expendisse talenta. (Lyra.) *Hospitales inuicem,* exponit Lyra, *id est sine expensis hospitum:* ni paruo hospes contentus fuerit, obmurmurat, & alter, ne obmurmuret, multam pecuniam expendit: vnde alter alteri grauis: (Hugo.) *Ecce modus exhibendi opera misericordiæ,* scribit Hugo, *quæ se extendere debet ad omnia, quasi, etsi oportet vos multum laborare in seruiendo fratribus, quos in hospitio suscepistis; tamen hilariter hoc facite: & , sine murmuratione, referendo ad susceptos, qui cum gratiarum actione debent recipere illud quod apponitur eis, siue sit multum, siue parum.* Si Apostolica seruaretur norma, suscepti, & suscipientis impediretur offensa; sed quia sæpè charitas non præbet officium; sed vanitas accipit, & ministrat obsequium; hinc alter secum minùs decenter queritur actum, alter dolere solet impendium: (*Susceptus hospitio, qualicumque [gra]tum se exhibeat obsequio.*) Simeonis tribus in Iudæorum sorte recipitur: *Fuit hereditas eorum in medio possessionis filiorum Iuda:* fratres amplectuntur Iudæi; posteà verò, vt constat 1. Paralip. 4. profecti sunt, vt pascua lætiora sui gregibus quærerent, & à fratribus concessa veluti non adeò læta relinquerent: (1. Paralip. 4. v. 39.) *Profecti sunt, vt ingrederentur in Gador vsque ad orientem vallis, vt quærerent pascua gregibus suis.* Rabbini opinantur Simeonitas à Iudæis depulsos diuturnæ adeò hospitalitatis affectis tædio, & diuexatis fastidio. *Opinantur Rabbini,* scribit Masius, (Masius.) *de se conijcientes tandem aliquando Simeonitas à Iudæis esse de istis suis possessionibus depulsos quasi molestos hospites, & inquilinos, non dominos.* Itaque, si Rabbinis credamus, qui benignè accepti, posteà non sine animorum offensione depulsi: hospites namque primo die lætè excipiuntur; secunda iam discessus est hospitantibus desiderium, ac tandem die tertio prolixa parit mora fastidium: qui, si hospitalitatis exiguum intercederet tempus, semper amici; si in longa tempora protrahatur, à se inuicem resilire, & diffidere solent aduersi. Certè magna virtus ad hospitalitatem requiritur: quia multis sæpè incommodis oneratur.

46. Deus ex se benignissimus, & acerbis tunc hominum calamitatibus permotus Eliæ zelum claustra nubibus iniicientis tantisper emollire conatur: coruos mittit administros, qui panes & carnes deferant, quasi ad illum ita loquatur: Coruis præcepi, vt pascant te: & quidem filiorũ proditores tibi sunt alimenti suppeditatores: ne igitur durior fueris coruis pullorum osoribus, ne innatum in pullos imiteris odium, quin potiùs imitare pium illorum in te contra naturam studium: si ergo corui commodato tibi obsequio naturam vicerunt, & tu in Iudæos indignationem conuince. Verùm cùm nec his artibus se Elias exorabilem præberet, aliam excogitauit industriam: ad viduam mittit, quo diuturnum esse hospitem recusauerit, nubésque in pluuias resoluerit: *Vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te.* (3. Reg. 17. v. 9.) Iubet prophetam ad viduam confugere, quò tantam diuturnæ hospitalitatis molestiam viduæ detrectans inferre, & nubes cogatur soluere: ipsi namque non parum molestum erat diu apud viduam manere, vt viduæ etiam diuturno hospitio suscipere. Ita Basilius Seleuciensis orat. 11. (Seleuc.) *Viduam, & pauperem, ac præterea gentilem nominat, vt vel eius mendicitate commoueatur, vel vt gentilis alimentum auersetur, ac vel inuitus euadat humanus.* Viduam adire non recusauit Elias: illo ibi commorante viri mulieris filius excedit, & propheta hospitalitatem demiratus, hanc vt egregium facinus ad pueri suscitationem allegat: *Domine Deus meus etiamne viduam, apud quam ego vtcumque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius?* Quasi dicat: viduam eximia adeò patientia præditam, vt diuturnum hospitem benignè exceperit, lætóque vultu semper ministrarit, sic afflixisti, vt filium eius abstuleris? Hanc vti potiorem

rationem

rationem inducit, qui aliàs poterat in medium causas afferre, vt noueris, quàm molestum sit diu hospitem alere, & vt extraneo semper seruire.
Seleucicus. Innuit citatus Basilius: *Hospitalitatem mulieris admiratus filij necis causam percontatur.* Censebat propheta filium longæua donandum vita, quandoquidem mater charitatis fulgebat gratia, & micabat hospitalitatis patientia: est namque laboriosum diuturno hospiti exhibere obsequia, & læto semper vultu miscere colloquia.

47. Hinc Dominus iustos digna remuneratione coronans sic ait: *Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me.* Magnum quidem esurienti præbere cibum, magnum & sitienti præbere poculum; addidit tamen quasi quid grandius hospites ac peregrinos in Dei obsequium recepisse. Et certè hospitalitatis elegit meritum, qui cruentum plurium dilaudare posset martyrium: multi namque circuierunt in melotis, in solitudinibus errantes, & quia illis dignus non erat mundus, exules & afflicti; verùm eam hospitalitas afferre solet molestiam; vt debitam ipsi proferat iudex æquissimus gloriam: *Humilitatis causa*, scribit Origenes in catena, *laude beneficiorum suorum indignos se proclamant, non obliti eorum, quæ fecerunt; ipse autem eis ostendit suam compassionem in suis.* Ostēdit Dominus dignum mercede laborem, scilicet hospitalitatis gratia exornatos, & misericordia præditos; habet namque ingentes sæpè molestias hospitem habere, & cibos toto sapore conditos studiosissimè ministrare. Hinc vt tentationes pro viribus taxantur, & hospites etiam pro virtutis elogio censentur. Velitemur, si placet, ad mores.

(Matth. 25. v. 35.) (Origen.)

48. Abrahamo sedenti ad ostium tabernaculi sub candenti viuidiùs Sole tres hospites obiiciuntur: *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum:* ille, vt vidit, celerrimus inuolauit; adorat, inuitat, mensam saporatis cibis differtam illis apponit: Sara farinam commiscet, panes conformat, & coquit: ipse senex ad armentum currit, vitulum affert, puer conditurus festinat, & omnes ad hospitum aduentum laborant; posteà iam non tres, sed duo Angeli Loti domum ingrediuntur, & apud illum cibantur: *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere.* Rogant interpretes cur hîc duo, cùm apud Abrahamum tres diuersati fuerint? sed ipsum tempus ab Scriptura expressum quæstioni respondet, scilicet Abrahamo meridie, Loto vespere: pro ardentioris vel tepidioris mensura charitatis numerus aut minuitur, aut augetur: vespere tepescit ardor, meridie inardescit feruor: ergo Abrahamo viuidissima charitate inardenti maior numerus obiicitur; Loto non adeò perfecto minor numerus deputatur. Innuit Ambrosius apud Lippomanum: *Sodomam venerunt vesperi, meridie ad Abraham: quia iusto refulget Angelorum præsentia, impiis tenebras affert.* Opus erat feruido charitatis meridie, vt plures latè recepisset hospitio; & dum flamma non adeò micantior, minor numerus Loti excipitur diuersorio. Iam si hospitem infirmari contingat, quanta tunc omnibus fuerit molestia, non est suspicari difficile. Quòd si è diuinis litteris petamus exempla, inueniemus pondus diei, & æstus duros agri labores non adeò amplam mercedem consequi, vt infirmo hospiti ministrare.

(Gen. 18. v. 2.) (Gen. 18. v. 1.) (Ambros.)

49. Misit Dominus operarios in vineam suam conuentione facta ex denario diurno, cúmque illi breui tempore laborem exaggerarent, vt maius præmium acciperent; non auarus, sed æquissimus moderator dignè testatur compensari molestias, & anxias laboris curas: Pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus; at ille respondens vni eorum dixit: *Amice non facio tibi iniuriam: nónne ex denario conuenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade.* Hic idem Dominus, cùm iter ageret, in hominémque à latronibus dispoliatum, multisque plagis confossum incidisset, vulnera oleo, vinóque fouit; & ligaturis constrinxit: ad stabulum duxit, & stabulario duplicem denarium largitus, quidquid debuerit, se promittit in posterum largituram: *Altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego, cùm rediero, reddam tibi.* Profectò inuerso ordine videtur merces tributa, quandoquidem operarij sub candenti Sole exæstuant, & madidi sudore laborant; at stabularius, etsi habeat curam; non tamen supparem operariis molestiam: cur ergo adeò laborantibus exiguum reddatur præmium, quando minus laboranti duplum datur præsentaneum, & adhuc maius promittitur in futurum? Quia pro meritis & præmia censenda erant: & quidem molestius est, quàm ligone aut aratro insudare, ægrotantis hospitis curam habere: mercenarius namque post prolixos diei labores dulci somno refouet artus, & amandatis curis placidæ quietis fruitur commodo, quin anxia interpelletur solicitudine; at qui hospiti infirmo assistere cogitur, & die laborat, & nocte inuigilat: vrgetur periculi cura, alieno laborat fastidio, proprióque & alieno aduritur desiderio: ideò & duplici præmio dignus, quia & labore vrgentiori vexatus. *Stabularius*, inquit Augustinus apud D. Thomam, *fuit Apostolus.* Addit Ambrosius: *Quia non vacabat Samaritano hunc diu in terris degere, redeundum erat, vnde descenderat. Itaque altero die protulit duos denarios.* Necessarium erat diu laboranti assidere, ægritudinisque molestias simul tolerare: adeóque arduum est, vt perfectio Apostolica requiratur, & duplici præmio donetur. Ergo Iudæorum tribus hospitum diuturnitatem pertæsa etsi admiserit gaudio, depellit, si Rabbinis credas, fastidio.

(Matth. 20. v. 12.) (Lucæ 10. v. 35.) (Molestius ægro assidere quàm ligone desudare.) (August. Ambros.)

---

§. XI.

Delicta non solùm animum offendunt; sed temporales etiam commoditates præcidunt.

SI quis æquus censor vitiorum commoda, incommodaque iudicij lance passionibus non interpellatis pensaret, in animi tranquillitatem, & in corporis etiam vtilitatem pugnare proculdubio reperiret; at dum cæcissimis oculis, fœdisque vitiorum tenebris oppressis credimus, longiùs à corporis sæpè commodis deerramus. Ducimur falsis appetitus opinionibus, & quia delectat delinquere, pudet diligentiùs examinare; verùm non semel ipsa culpa, & delinquenti est grauissima pœna. Vindictam exercuit ille, & excusatiùs ad speciem peccauit; sed solum illi 50.

illi vertere opus, quam iudex posset infligere pœnam, exilij sibi ipse intulit mulctam. Alius studuit rapinæ; sed dum iniquis artibus nititur aggerare pecuniam, & honori imprudenter inussit notam. Esto tuta sint crimina; conscientia tamen oblatrat semper inquieta: esto longo tempore differatur supplicium, semper discruciat metus tormentum. *Prauitas*, inquit Plutarchus lib. an vitiositas ad infelicitatem sufficiat, *absque vllo apparatu simul atque animum attigit, affligit, atque deijcit, implet dolore, lamentis, mæstitia, pœnitentia hominem.* Qui rosam senticosis cinctam aculeis carpit; non semel vulneratus sanguinem fundit. Rosa venustate oculos prolectat exteriùs; sed cuspis sauciare solet intimiùs. *Quando affectus tutos quis habeat*, scribit Cassiodorus 5. variar. 32. *si tunc sceleri subiacebit?* Malè tutus viuit, quantumuis callida prouidentia, & astuta calliditate se protegat, quem delictorum pœnæ circumdant. En Simeonis tribus in Iudæ sorte locatur: *Fuit hæreditas eorum in medio possessionis filiorum Iuda.* Quærunt interpretes, cur hæc præ aliis tribus in aliena sorte locetur, & quasi in emendicatis sedibus constituatur: respondentque hanc tulisse mulctam ob violatam fidem, & inflictam Sichimitis non sine religionis iniuria pœnam. Ita Masius: *Quòd sors collocat Simeonitas non seorsim in portione alia; sed in ea, quæ Iudæis retracta erat, id non humano; sed diuino fit consilio; est enim quoddam paterni criminis piaculum, & veluti cicatrix illius vulneris, quo suum ipse sauciauerat animum Simeon, quando cum fratre Leui crudeliter, & perfidè Sichimitas interfecerat.* Non statim pœna delictum secuta est; sed nec prorsus fuit dimissa: post diuturna namque tempora luit illius flagitij mulctam, qui crudeliter, & perfidè intulerat plagam. Animum suum offenderat Simeon, cùm aduersus datam fidem, & fœdus sanguine circumcisionis sancitum, in religionis iniuriam ob sororis stuprum infandam aggreditur sumere pœnam: animi offensam comitata est exterior etiam cicatrix, quando propriæ sortis quodammodò inueniuntur expertes, & inter Iudæos, si dici liceat, extorres.

Plutarch. *Prauitas mœroris mater est, ac calamitatis officina.*

Cassiodor.

Masius. *Qui peccat, seipsum vulnerat.*

51. Ab exordio inuidiam passa est religio: qui Deo placuerat, occiditur à proprio sanguine auspicata est peruersitas, vt alienum facilius insectaretur: Cainus ille mortis magister, & orci ianitor Abelum ducit in campum sterilem quidem, & confragosum, vt parricidium liberiùs perpetraret, dum nec impediunt arbores fratri ministrantes profugium, nec fructus naturæ respondentis detestandam temeritatis audaciam frænat, & sugillat exemplum: nouerat ille parentum Adamum, quo Dei euaderet iram, ad arboris in medio paradisi sitæ recurrisse tutelam, & ne desæuientem insaniam vel profugij vmbra impediret, ad locum omni arbore nudum ducere fratrem decreuit: sic namque ardent scelesti facinus iniquè excogitatum absoluere, vt vigilanter studeant vel vmbratile impedimentum præcidere: hic ergo fratrem, quia Dei ritè supplex, occidit, & facinus omnibus celandum imprudentissimè credit; verùm iustitiæ oculus causam tacentis examinat, & illatam iusto contumeliam dignissima pœna vindicat: *Vagus, & profugus*, inquit, *eris super terram.* Septuaginta legunt: *Gemens ac tremens eris super terram.* Itaque animus acri timore concutitur, ac trepidatione iugi exagitatur: intestinus, panicúsque cor exedit metus, nec quiescere tantisper nouit, quem improbitas didicit semper vexare, nec tamen solùm animo pœna est inflicta; sed & fructibus post longos, anxiósque labores spes nudata: *Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua: cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* O quàm miserum erat, neque spei habere solatium, nec effugere cupiditatis delirium: terra fructus ingratissimo denegabat; & tamen cupiditas, vt terram labore improbo excoleret, imprudentissimum compellebat. Itaque nec laborem solabatur prouentus, nec otium permiserat appetitus. Caini culpa animum duro metu exagitabat, & telluris etiam prouentus præscindebat: itaque ob scelus inflicta pœna nec frugum copiam, nec otij permittebat ignauiam: animæ, & corporis destituitur auxiliis, quia animum parricidij subiecit peccatis. *Ecce primum fructum*, scribit Caietanus, *ex quo constat maledictio, quod videlicet terra non respondebit secundum vim suam fructificando Cain colenti terram, quæ non parua pœna est agricolæ.* Et animæ & corpori admissum obfuit piaculum: semper namque ab internæ & externæ pacis exulabat gaudio, & acri timoris dilaniabatur tormento: vt noueris non solum animum culpam lædere; sed externa etiam commoditate priuare. Adde non grauiores ærumnas pati, qui vtiliter virtuti dicatur; quàm sustineat qui voluptati prorsus addicitur.

Gen. 4. v. 12.

Caietan. *Ingrata tellus agricolæ magna pœna.*

Signum magnum obiicitur Ioanni, mulier scilicet Deo intus plena, & exteriùs radiis fulgentissimis exornata, tremulis stellarum luminibus redimita fulgebat: Solis iubare faciei elegantiam incrementabat: Luna gressibus ministrat lucem, ne vnquam offendat in tenebris, tot laudatur elogiis: Deo anima fruebatur, & corpus radiis, pulcherrimis irradiabatur, verùm cùm lucis candor oculos inuidiæ perstringeret, ecce virulentis draco toruissimus supercilio, anhelans sanguinem, & totis artubus nigrum iracundiæ respirans ignem mulierem insequitur, illa verò aquilinis assumptis alis tendit ad desertum ocyssima malens aduri inopia, quàm sceleris maculari vel vmbra: *Datæ sunt ei duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum locum.* Notauit Hugo desertum omni commoditate carere, & rerum ad vitam opportunarum inopiam exprimere: *Solitudo excludit tumultum mundi, & non res; desertum verò vtrúmque, scilicet & res mundi, & tumultum.* Itaque dum serpentinam fugit astutiam, mitium frugum, & deliciarum ignorat copiam: hîc totus virtutis labor, hæc omnis perfectionis afflictio; imò si consideratiùs expendas, inuenies paradisæis interiùs deliciis frui, quam externis illecebris vides priuari. Ad hæc loci inopiæque incommoda melliebat propriæ volútatis electio, quádoquidem mulier arbitrio proprio peruenit suasa, non verò violenter adducta. Transi modo cogitatione ad miserum illum hominem à dæmone inhabitatum: sepulchrum patitur viuens, quo nec pœnarum careat sensu, quia viuus, nec sepulchri horroribus, quia immaturè sepulchro traditus: *Occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, nec in domo manebat; sed in monumentis.* 52.

Apoc. 12. v. 14.

Hugo.

Lucæ 8. v. 27.

numentis. Nec huius tempestatis adhuc sistitur fluctus; addit namque Euangelista: *Multis temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta.* Eleganti profectò penicillo Euangelicus pictor peccatoris ærumnarum nobis expressit imaginem. Lucem fugit, sepulchrorum tenebris delitescit, pauper & nudus, & acerrimi timoris stimulis dilaniatus carcerem patitur, catenas sustinet, compedibus præpeditur, & quidem maris adinstar omnia ad illum calamitatum flumina excurrunt: in deserta loca agitur, vt externa videas miseria premi, & interna furia aduri. Agebatur, non ibat, & quæ mulier serpentem fugiens elegit arbitrio, hic patitur terribili coactus tormento. *Agebatur in loca deserta,* scribit Ambrosius, *spiritualium scilicet infœcunda virtutum, profugus à lege, discretus à prophetis, remotus à gratia:* mulier deserta sustinet; sed gratia inspirante vires, & spe melliente incommoditates; at dæmoni traditus deserta incolit, exterius miserè nudus, & interiùs acerrimè diuexatus: non imparia ac virtus incommoda tulit scelus: illud intercessit tantùm discrimen, quòd virtus interiùs iucundabatur serena, etsi exteriùs tantisper vexaretur afflicta; at vitium & internam tulit flammam, & externam desertorum etiam inopiam.

Ambros.

53. Frater ille prodigi, patris mandata secutus, dum aduersus patrem querelas excitat virtutem minùs austeram declarat: iunior filius in regionem dissitam à rationis luce (erat namque regio salacitatis) insanis appetitionibus suasus deuenit: vitiis ibi nullo prohibente libertimè indulsit, eamque citò sibi miseriam asciuit, vt nudus humanos fugere cogeretur aspectus, & famelicus lutulentos porcorum ambire pastus: *Cœpit egere, & abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos, & cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Quam crudele ministerium, quandoquidem non conuiuit porcis, qui viuit porcis! Componamus fratris virtutem secuti querelas cum iunioris fratris angustiis. Senior filius erat in agro variis fortasse floribus amœnato: erat fortassis, vt oblectaret animum, non vt laboris sustineret fastidium: & quamuis colendæ terræ incumberet fatigatus; panibus tamen non esuriebat repletus, quandoquidem in patris domo vel mercenarij exundabant panibus: non habebat hœdum ad delicias; sed duræ famis non sustinebat molestias: cùm eodem tempore iunior frater montes percurreret, pascuaque porcorum lutulentissima enauigaret, culmo adhuc non tectus, & fame rabidissima diuexatus: seniori filio pater non dedit hœdum: *Nunquam dedisti mihi hœdum;* sed iuniori tyrannus herus nec siliquas vilissimas dabat: *Cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* O quàm magnum discrimen inter vitiorum asseclam, & virtutis alumnum! Alter caret cupediis, alter vel rebus ad vitam indiget necessariis: alter cum amicis non epulatur; sed alter neque cum porcis vescitur: animæ & corporis incommodis; imò & contumeliis omnibus dedecoratus prodigus inseruiebat vitiis; frater commodiùs paternis obtemperabat præceptis: vt noueris grauiores esse vitiorum ærumnas, grauissimasque animæ & corpori peperisse molestias. Adest Chrysologus serm. 1. *Affectionis desertor, pietatis refuga deputatur porcis, porcis addicitur, porcorum traditur seruituti, porcorum pascua lutulenta percurrit, inquieti gregis teritur, & maculatur excursu, vt sentiat, quàm miserum sit, amarum quàm sit quietæ paternæ beatitudinem perdidisse.* Appetitus seiunxit à patre, iunxit porcis, addixit ærumnis: frater patri seruiens carebat deliciis; non tamen necessariis sustentandæ vitæ alimentis: vt videas non adeò graues labores ac vitium comitari virtutem. Profectò qui paternam religiosi incolunt domum, opiparis non fruuntur mensis; sed nec miserrimis afflictantur ærumnis, cùm sæpè inseruientes vitiis necessario careant cibo, & vero semper priuentur gaudio.

Luc. 15. v. 14.

Chrysolog.

§. XII.

Humanus superbiæ factus, ne videatur erroris notam incurrere, malè decretum sæpè refugit retractare.

54

INest animo, aiebat Seneca epist. 95. *prauis opinionibus malitia contracta, aut etiam si non est falsis occupatus, ad falsa procliuis est, & citò specie, quò non oportet, trahente corrumpitur.* Rerum fucatis fallimur speciebus, & humana ingenij debilitas, vt ad errorem procliuis est, ita in erroribus fixè, firméque hæret: nec facilè auellere potest lux rationis conspicua, quia imprudentiæ timetur nota: malunt namque homines in vanitatis suffragium in erroribus prosequi pertinaciam, quàm in veritatis obsequium veram, oculisque se ingerentem admisisse doctrinam. Deus obnixè exorandus est, ne quis ex his, qui dignitatum occupant alta, in errorum prolabatur deliria: tunc enim, ne prudentiæ suæ sapientiæue leuem retractationis inusserit notam, omnem prorsus errore obscurat prudentiam; imò à parentibus ad filios error veluti hæreditariè transfusus descendit, & posteris veluti inuisceratus æternum viget: *Error matris,* aiebat Cassiodorus 2. var. 11. *transit ad filios, & nouo infelicitatis euentu fit dedecus proprium scelus alienum.* Scholæ alicuius error sic assectarum animis conuisceratur imbibitus, vt nunquam possit videri emendatus. Hanc hominum pertinaciam, quo solet ingenio, carpebat Tertullianus aduers. hæretic. cap. 11. *Petenti dabitur, inquit, & pulsanti aperietur, & quærenti inuenietur: viderit, qui semper pulsat, quia numquam aperietur: illic enim pulsat, vbi nemo est: viderit, qui semper petit, quia nunquam audietur: ab eo enim petit, qui non audit.* Inceperunt homines indigna brutalitate occupati idola profanis, adulteratisque religionis suffitibus colere, & execrandis cultibus adorare, & quamuis nunquam audiantur, quia cœperunt semel cæcutire, obstinatissimi prosequuntur errare: semper quærunt, vbi nunquam inuenient, & quamuis nunquam inuenerint, semper quærunt: cœperunt semel, nec desistent ab erratis, quantumuis optimis informare velis consiliis. O quàm mirandi

Senec. *Inest animò malitia praua opinione contracta.*

Cassiodor. *Error matris transit ad filios.*

Tertull. *Non semel res quærimus, vbi inueniri non possunt.*

randi sunt terræ promissionis metatores, qui cùm aliquando more hominum in assignandis telluris portionibus per humanam fragilitatem errauerint, cœlesti sorte corripi sustinuerunt, & varias ciuitates in Iudæorum sorte Simeonitis retractato errore adsignarunt: *Bersabee, & Sabee, & Molada*, &c. Adnotauit Abulensis quæst. 2. *Iste error sortis non veniebat ex ipsa; sed ex diuisoribus: ideò postea diuisoribus corrigentibus errorem suum sors rectè distribuit, & hoc postquam Iudas, Manasse, & Ephraim susceperant possessiones.* Itaque diuisores maiorem tribui Iudæ, quam ratio peteret, telluris portionem adscripserant; sorte tamen cœlesti illorum est error deprehensus, & emendatus: & quidem ni cœlestis sors illorum sancitum anteà decretum corrigeret, & error forsitan perseueraret: ægrè namque, qui habentur prudentes, & dignitatum luminibus spectabiles, denudare norunt errorem: quia errasse putant prudentiæ nubilū, & suæ clarissimæ lucis probrum.

Abulens.

55. Decreuit Assuerus pessimis informatus consiliis, vt Iudæorum populus disperiret: in Susan pendebat edicta, & tristissima Iudæorum aduersarios delectauere lamenta: Esther ad orationis asylum confugit, & Numinis auxilium asciscit: puellis comitata ornatu religiosè pompatico exculta regis tribunal adit: sedebat ille eo habitu, quo suam maiestatem diuinæ similem aliis ostentaret, auro fulgidus, & pretiosis lapillis regiæ vesti intextis ad miraculum decorus; aspectu tamen terribilis, & ipsis etiam viris formidandus, cúmque flammiuomos oculos interni furoris indices, toruos videlicet, atque minaces illa spectaret, terrore exanguis corruit, & præ timore pallida nutabundum supra puellarum humeros caput reclinauit: rex de throno desiliens blandis mœrentem solatur verbis, & timoris eximit perturbationem: causam timoris sciscitatur, & illa sibi tantisper reddita sic respondet: *Vidi te Domine quasi Angelum Dei.* Profectò veluti Angelum spectasse maiorē oblectamenti afferebat causam, quàm perturbationis angustiam, & tamen regina de Angelica similitudine expauet, quæ lætari debuisset; verùm si speciem regis cum reginæ voto conferamus, causam metus rationabilem inuenimus: tulerat ille sententiam errore ductus, & consiliis improbissimis incitatus in Iudæorum salutem, nitebatur regina sententiam illam fore vtporè errore innixam retractandam: & quia exteriùs Angeli veluti speciem intuita, corruit gelido timore obturbata: id namque Angelis ingenium est, vt quod semel decreuerint, fixo immutabilique voluntatis proposito prosequantur: ergo dum videt Angelum, timuit nullatenus retractandum fore decretum; imò aduersus veritatem præmuniendum firmiùs propositum. *Differt apprehensio Angeli*, scribit D. Thomas in 1. p. q. 64. art. 2. *ab apprehensione hominis in hoc, quod Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia; quorum est intellectus... vnde voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, & contrario adhærere; voluntas autem Angeli adhæret fixè, & immobiliter.* In tribunali vidit Angelum: ideò timuit sic errori immobiliter adhæsurum, vt nullatenus vellet retractare decretum: in hoc namque magnates, & prudentiæ plausu celebres peruerse solent Angelos imitari, & putant conducibiliorem sibi primaciam, quàm pœnitentiam.

Esther 15. v. 16.

D. Thom. *Angeli immobiliter apprehendunt.*

56. Adest Dauid huius veritatis non tam crimine, quàm mysterio testis: cùm filij proditionem fugeret, subsidióque sibi & militibus indigeret, Siba illi occurrit, & vera ambitione, mentitáque liberalitate cibos offert opportunior: rex de Miphiboseth interrogat, & refractarius seruus fraudem suam de domini infidelitate colorat: in præmium obsequij, ne dixerim fraudis, omnibus domini sui prædiis, facultatibúsque donatur: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* Posteà serui fraus clarè patuit, & Miphiboseth fidelitas depulsis mendaciorū nebulis luxit: quid tunc? *Fixum est*, inquit Dauid, *quod locutus sum: tu & Siba diuidite possessiones.* Comperta veritate & Siba videbatur puniendus, & Miphiboset honorandus; verùm Dauid, ne erroris sui fateretur imprudentiam, sententiæ iniustæ, vt placet Lyræ, admittere non renuit maculam. Accipe Lyram: *Quasi dicat: pro nihilo, quia dictum meum non retractabo totaliter; retractauit tamen in partem dicens: Tu & Siba diuidite possessiones, iniustè concedens seruo suo medietatem hæreditatis suæ.* Renuit retractare sententiam; non renuit ad speciem iustitiæ intulisse maculam: sic arduum potentum error sortitur remedium, sic fixum erroris perseuerat delirium. Adde ingens miraculum esse, si opinione prudentissimi ad veritatis castra transfugerint, si habitare semel in erroris papilionibus cœperint.

1. Reg. 16. v. 4.

2. Reg. 19. v. 29.

57. Christo Domino nato Magi luminosam sequuntur stellam, quod vti insolitum Euangelista notanter animaduertit: *Cum natus esset*, inquit, *Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Mirandum potiùs erat Verbum eo tempore dignatum fuisse indutum carne prodire, quo tyrannica Herodis impietas mores corruperat, religionem temerarat, & quidquid sanctitatis, euerterat? & tamen Euangelista ad natiuitatis admirationem illâ particulâ *ecce* non reuocat animos, cùm ad Magorum aduentum intentissimos depoposcerit sensus. Et quid mirum aduentet Magus cœlesti lumine ductus, & ipsa veritatis euidentia, si dici liceat, coactus? Fatentur ipsi: *Vidimus stellam eius, & venimus.* Ergo non mirum stella ducente venerint; sed mirum esset, si remansissent: nouam exoriri stellam supra naturæ lucet vires miraculum, climatis non sequi leges apertissimum est prodigium: & mirum est Magos tanto miraculo impelli, & ad veritatem adduci? Mirum profectò, inquit Chrysologus: nam Magus deos adorabat stellas: errorem ergo deponere, & ad veritatis castra transire recèns nati Domini in lucem extrahebat virtutem, & ingenerabat sæculo admirationem. *Quando vnum Deum* (verba sunt Chrysologi sermone 156.) *sine Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cœlo dijs totidem, quot syderibus, seruiebat: plus cœleste de Magis, quàm de stella signum est.* Errorem cum veritate commutasse adeò sæculis peregrinum, vt plus cœleste de Magis, quàm de stella fuerit miraculum. Magus opinione doctissimus, naturæ causarum ingeniosissimus perscrutator; sed errore pollutus, quando fatis, syderibúsque religione, sacrilega

Matth. 2. v. 1.

Chrysol.

sacrilega addictus: hunc ergo antiquos abnegare errores, & noui syderis fulgentissima percepisse consilia ignorata retro sæculis illa nota ecce produntur miracula: fixè adeò adhærent opinioni docti, & sapientiæ fama celebratissimi.

58. Saul in Dauidem armatur, quem amplissimis beneficiis obstrictus tenerè amare debuisset; sunt tamen nonnulli, qui argumentum nihil debentium odio quærunt David vt Reipublicæ pestis cogitur exulare, & libertatis ac lætitiæ gaudia fugisse: tandem cùm manum cogeret prędator iniustus, incidit in foueam, quam fecit; verùm generosum Dauidis pectus gratiæ solùm seruire gnarum iniurias humanitate mira vlciscitur, & cùm abscindere potuerit vitam, contentus est in fidei argumentum reuerenter præcidisse chlamydis oram. Tandem cùm Saul euidenti adeò testimonio compulsus Dauidis probitatem agnosceret, in lachrymas fusus non bonam de eius fidelitate opinionem coram omnibus retractauit: *Eleuauit Saul vocem suam, & fleuit, dixitque ad Dauid: Iustior tu es, quam ego: tu enim tribuisti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala*: Chrysostomus hanc antiquæ sententiæ retractationem cum miraculo illo Danielis belluas ferissimas cicurantis confert, nec minus prodigium fuisse testatur superbum demutasse sententiam, quàm leones rabiem ac truculentiam, quàm leones rabiem ac truculentiam deposuisse ferinam Moysi etiam Dauidem comparat, aitque æquali admiratione habendum, dum è lapideis oculis lachrymas educit, ac Moyses cùm è durissimo saxo vndas gelidissimas elicit. Audi eius verba homil. 4 de David & Saul: *Non proinde miror Moysem, quòd ex saxo prærupto fontes elicuit aquarum, vt admiror Dauidem, quòd ex oculis lapideis fontes eduxerit lachrymarum: si quidem ille vicit naturam, & hic vicit animi decretum.* Sic obsfirmatè nonnulli decernunt, vt facilius dixeris silices in vndas liquare, quàm antiquam demutare sententiam. Mira res, Saulem dignitate clarum, auctoritate conspicuum errorem suum fateri, & antiquum animi decretum mutare.

1. Reg. 24. v. 18.

Chrysost.

§. XIII.

Perfectionis asseclæ vel post virtutum saturitatem esuriunt, & post omnia nobili ardore quid amplius semper exambiunt.

59. Virtus non solùm de originis cœlestis nobilitate sacra; sed de æmulatione gloriosa: quæcumque vitium in insani appetitus concupiuit obsequium, & virtus didicit exambire ad perfectionis elogium. Cæca hominum cupiditas sic furoris, appetitionisque terminos aliquādo prolatare sitienter gestiuit, vt post omnia aliquid concupiscat, & immetato ardore adinstar hydrope laborantis semper exambiat. Audi Senecam epist. 119. *Inuentus est, qui concupisceret aliquid post omnia. Tanta est cæcitas mentium, & tanta initiorum suorum vnicuique, cùm processit, obliuio: omnia habet, & plus aliquid appetere denuò incipit. Alexander Macedo quærit, quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in oceanum classes mittit nouas, & , vt ita dicam, mundi claustra perrumpit: quod naturæ satis est, homini non est.*

Senec. *Nonnulli post omnia aliquid concupiscunt. Alexander mundi claustra perrumpit.*

Hoc peruersum cupiditatis ingenium fæcibus expurgatum, maculisque detersum etiam perfectio sortitur: quod naturæ satis, ardori generositatis satis non est: post saturitatem esurit, post flumen ebibitum sitit. Mulier fuit, quæ inuento drachmate quærere abstinuit: nocturno tempore accessit vicinus ille, qui panem accepturus pulsabat, & qui, vt accepit, petere non produxit. Ita Tertullianus aduersus hæreticos c. 11. *Perdiderat vnam ex decem didrachmis anus illa, & ideò quærebat; vbi tamen inuenit, quærere desiit*: languebat feruor dum inuento didrachmate inquisitionis labore abstinuit: non imitabatur Alexandri cupidam ambitionem, & ambitiosam cupiditatem: vel inuento didrachmate, vel accepto pane non est quiescendum; sed indefessis semper ad virtutem conatibus inhiandum. Ecce Iudæorum tribus post longa bellorum certamina sortem accipit pascuis vberrimam, varietate amœnissimam, incolarum numero amplam, cúmque iam censeres feriandum, studiosiùs illos videas terminos prolatare, & in aduersarios ardentiùs insurgere. Non possunt, quas possident, ciuitates inhabitare, & conantur nouas ciuitates semper acquirere: Simeonitis varias ciuitates concedunt, *Bersabee, Sabee, & Molada, &c. Hæc est hæreditas filiorum Simeon iuxta cognationes suas in possessione, & funiculo filiorum Iuda: quia maior erat, & idcirco filij Simeon possederunt in medio hæreditatis eorum.* Quomodò maior fuerit Iudæ funiculus, quærunt interpretes; asserúntque telluris accepisse portionem pro tribulium numero; eò tamen hanc tribum fuisse Martiali ardore præditam, vt terminos suos latissimè prolatarit, & quas ipsa habitare non poterat ciuitates, acquisiisse denuò contenderit. Audi Lyram: *Quia erat tribus bellicosa, dilatauit terminos suos; & ideò, quando postea debuit assignari terra septem tribubus, quæ nondum possessionem acceperant, repertum fuit, quòd terra residua non sufficiebat eis: & ideò aliqua loca de sorte Iuda fuerunt adiuncta sorti tribus Simeon.* Adhuc in termino quiescens laborare gestiebat, & numerum euincentem tellurem sortita non deponebat arma honestè semper inquieta: quas denuò acquireret, nequibat ciuitates incolere, & quamuis non potuerit incolere, ab hostibus nitebatur semper eripere, vt laudabiliter mundialis ambitionis referret ingenium, & insatiabilem sæculis virtutis ostenderet appetitum.

Tertull.

Lyra.

Christus Dominus in crucem actus excogitatas ab æmulatione, & odio pœnas exhausit, vibicibus liuidus, verberibus dilaniatus, clauis confossus, cuspidibus terebratus: hic ardorem insatiabilem exprimit se amplius sitire declarans, & vel hostes ipsos ad potum felleum præbendum excitans: *Sciens*, inquit Ioannes, *quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dixit: Sitio.* Verba ipsa sibi refragari videntur: nam si omnia consummata, quid vltra omnia suspiret? aut si restat quid suspirandum, cur omnia asseruntur finita? O quàm repetere posset Seneca de Sacra tormentorum ambitione: *Inuentus est, qui concupisceret aliquid post omnia*: vires fatiscunt, & ipsa gehennalium furiarum truculentia, veluti exhaustis iam omnibus pœnis nil vlterius tentat: quia vltra ferinæ crudelitatis hyperbolem processisse se nec delusa putat; 60.

Ioan. 19. v. 28.

is tamen erat Christi Domini ardor, vt quas humana sustinere pœnas non poterat iam natura, hydropica ambiret flamma. Huc voco quod aiebat Seleuciensis Basilius orat. 24. *O desiderium passione maius! O desiderium in solam futuri cogitationem intentum!* Membra non capiebant cruciatus; & tamen nouos cruciatus generosè ardens discupiebat affectus. Passio vitam potuit abscindere; non tamen flammam sopire: vicit desiderando, quæ inuidia & odium inflixerant tormenta furendo.

61. Thren. 2. vers. 13. Hanc nobilem Domini flammam pulchra metaphora nobis depinxit Ieremias: *Magna*, inquit, *est velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* Mari comparat non solùm vt pœnarum exaggerauerit summam; sed vt mare referentem ardoris indicauerit flammam: mare terminis fixis concluditur, quos nequit irrumpere, aut transilire; aliquando tamen sic vndarum voluminibus tumet inflatum, sic vento tumidum, vt quod illi non solùm arduum; sed impossibile, altissimè elatum conetur, & vltra vires nitatur: Domini ergo contritio mare refert, non solùm quia omnia dolorum flumina ad passionis mare confluxerunt; sed quia patiendi desiderium maris referebat honestissimè ambitum, & vltra assignatos sibi limites appetitum: *Mare feruens quiescere non potest* (scribit Hieronymus ad illud Isaiæ 57. *Impij quasi mare feruens.*) *Sed redundant fluctus eius, & reuoluuntur ad littora.* Semper carcerem sibi præfixum molitur irrumpere; cùm tamen sit impossibile transilire. *Esto*, scribit Seleuciensis Basilius orat. 1. *ventorum impetu ad terram mare propellatur; fertur illud quidem fluctibus altè elatum; vbi verò terminos attigerit, reuertit.* Non datur illi progredi, & tamen non desinit exambire: Domini ergo contritio terminos præfixos habet; maris tamen imitatur ingenium, dum patiendi pro hominibus videtur prolatare appetitum. Iam hoc meditabatur Tertullianus lib. de patientia cap. 3. *Taceo quod figitur: in hoc enim venerat; nam quid tamen subeunda morti etiam contumeliis opus fuerat; sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat.* Tenebatur mori, voluit tamen despui, verberari, derideri, fœdis vestitui, fœdioribus coronari. Vt enim sunt helluationis Epicurique discipuli non contenti implere ventrem; sed farcire, post saturitatemque conantes iterum esurire, ita Dominus non solùm patientiæ stomachum voluit implere; sed quodammodo prolatare: post saturitatem esuriit, & sedatam tormentorum fluminibus sitim iterum patiendi sacer heluo auidissimè reuocauit: *Saginari voluptate patientiæ discessurus volebat.*

Hieronym. (margin)

Tertull. (margin)

62. Exod. 33. v. 13. & 19. Moyses vltra humanæ naturæ concessum audet, & gloriam sibi ostendi à Domino ardenter expetit: *Ostende mihi faciem tuam, vt sciam te.* Et iterum: *Ostende mihi gloriam tuam.* Quid tunc Dominus? *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.* Et iterum: *Ecce, inquit, est locus apud me, & stabis super petram: cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam.* Homo luteus, naturâ fragilis paruo circumscribitur: *Ponam te*, inquit, *in foramine petræ*; sed quod sustinere nequit gloriæ pondus natura, generosè discupit flamma: vltra homini concessum audet, & mortalitatis terminos sacra impatientia perrumpit. Faciem non potest videre; non tamen erubescit visionem sibi tunc impossibilem exambire: vt noueris perfectos viros peruersitatis laudabiliter æmulos quandoque vltra vires audere, & laudanda temeritate se maiora semper tentare, & post felicitatis culmen maiorem adhuc perfectionem sitire. *Post hanc suæ misericordiæ commendationem*, inquit Augustinus apud Lippoman. *respondet Dominus ad illud, quod ei dictum fuerat: Ostende mihi gloriam tuam; vel quod suprà petierat Moyses dicens: Ostende mihi temetipsum manifestè, vt videam te: non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet, ostendens huic vitæ, quæ agitur in sensibus mortalibus corruptibilis carnis, Deum sicuti est, apparere non posse.* Aspexerat Moyses quod naturæ humanæ licuerat: loquebatur namque ad Deum facie ad faciem, sicut solet homo ad amicum suum; verùm ille, quod humana mortalitas non capiebat, cælesti ardore anhelabat: post saturitatem esuriens, & vltra hominibus datum sitiens: esset namque perfectionis dedecus, si infelicis luxuriæ tormenta non essent felicissimæ ambitionis elogia. Accipe iam à Seneca data epistola insaniæ vota: *Infelicis luxuriæ ista tormenta sunt: quærit quemadmodum post saturitatem quoque esuriat, quemadmodum non impleat ventrem; sed farciat, quemadmodum sitim prima potatione sedatam reuocet.* Infelix luxuria, quia implere non potest vota, & de votis valet sibi procudisse tormenta; at felicissima est virtus, vel cùm desideria nequit implere: quia vel de impossibili sibi didicit amplissima merita crementare.

Augustin. (margin)

Seneca. *Infelix luxuria deuotis sibi procudit tormenta.* (margin)

63. Genes. 18. vers. 1. Tres peregrini meridie obiiciuntur Abrahamo. *In ipso*, inquit, *feruore diei.* Ille vt erat pientissimus, celer accurrit, ciuiliter honorat, vrbanè inuitat, & lautissimè cibat: currit ad armentum, affert vitulum, qui iugulatur, excoquitur: omnia expectant hospites, quæ quamuis alacritate facta, non potuerunt prolixas temporis horas non insumere: opipare cibati discedunt, certè sub vesperum, & Sodomam ingressos Lotus auunculi mores secutus inuitat iterum, &, si fas est dicere, humanitate compellit ad mensam: *Ingressis domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederūt.* Genes. 19. vers. 3. Profectò vel auidissimus helluo Loti respueret conuiuium, quando tam paulò antè apud Abrahamum lautissimum absumpserant epulum: saginati, & si fas est dicere, farti discedunt, & statim nouas, ac lautissimas epulas ambiunt? Loti ingrediantur domum; non tamen admiserint cœnam: censebuntur namque intemperantissimam fouere gulam. O arcanam nobis doctrinam! fercula in Abrahami, & Loti domo erant Sacramentorum ænigmata, vtque nos Angeli doceant post saturitatem, si fas est dicere Sacramenta non fastidire; sed suspirare, post vitulum azymis saginantur, & saginati, iterum auidissimè Sacramentis vescuntur. *His sacramentis*, scribit Interlinearis ad Genes. 18. *aluntur ministri Christi.* Angeli non vescuntur in naturæ auxilium; sed ad eruditionis mysterium: vtque nos doceant post saturitatem quoque esurire, lautissimo vix finito prandio iterum discupiunt cœnare: vt repetat Stoicus: *Quærunt quemadmodum post saturitatem quoque esuriant.* Profectò imbecillis est desiderij stomachus, qui acceptam bis aut ter tantum modo sacram in anno synaxim sic lentè digerit, vt non solùm non famescat; sed, quod verendum, fastidiat.

§. XIV.

§. XIV.

Nulla adeò eximia prudentia, quàm non obscurarit erroris nota, aut saltem aliqua insipientiæ infuscauerit nebula.

64. HVmana sapientia, quantumuis assiduus desudet labor, non solùm animæ obscuratur passionibus; sed etiam propriis innubilatur defectibus: Ars longa, aiebat quidam sapiens, *vita breuis*: adde, & humani ingenij vires exiguę. *Non omnia sapiens scit*, inquit Seneca epist. 110. *etiamsi sciret, breuiores vias rerum aliquis excogitare possit, & has indicare, per quas facilius totum opus circumfertur.* Qui eximia prudentiæ acie pollent, quamuis multa nouerint, multa etiam illorum præteruolasse mentem per humanam fragilitatem, aut per irrepentem errorem clarè fatentur: turgidi & inflati erroribus scateant nil mirum: ipsa enim superbia prudentiæ nouerca est, & dum se iactauere prudentissimos, amiserunt prudentiam, & sordidissimæ ignorantiæ ferè indebilem sibi inussere notam. Bruti ænigmate depingitur Lucifer vanissimus ille superbus, quia de præsumptione stolidus. Egregiè errauit, dum altissima contingere præsumpsit sedendo, cùm Seraphim se non posse attingere fateantur volando; verùm non solùm inflatos ac ventosissimos innatus error infamat; sed etiam extra superbiæ ac præsumptionis lineam positos non semel quod humanæ fragilitatis est, inscitiæ aut imprudentiæ nebula obscurat. Vnde D. August. fulgentissimum Ecclesiæ lumen epist. 75. aiebat: *Ego senex, & tot annorum Episcopus à collega meo nondum aniculo paratus sum edoceri.* Consonat data epist. Seneca: *Sapiens sapienti proderit, occasiones actionum honestarum commonstrabit: præter hæc aliquis suas cogitationes exprimet, docebit quæ inuenerit: semper enim sapienti restabit, quod inueniat, & quò animus eius excurrat.* Restat addiscendum; imò in actis aliquid deprehendi non rarò solet erratum, vt sapiens nec animum de errore despendeat, nec de prudentia superbiat: vel sapientia celebratissimi aliquid commisere, quod litura vitet, aut defæcatior prudentia emendat: Ecce Simeonis tribus sorte in Iudæorum limitibus collocatur, & limes à metatoribus designatus rationabili immunitione præciditur: *Hæc est hæreditas filiorum Simeon iuxta cognationes suas in possessione, & funiculo filiorum Iuda: quia maior erat, & idcirco filij Simeon possederunt in medio hæreditatis eorum.* Inquirit Abulensis cur Iudæorum tribui lata adeò tellus fuerit adscripta, nec cùm cæterarum tribuum portionibus rationabiliter comparata: respondetque hoc accidisse metatorum errore: quamuis enim omni noxia affectione defæcatissimi, nullaque adulatione corrupti, vti homines errarunt non malignitatis desiderio; sed humanitatis tributo: *Fuit error*, inquit q. 2. *in ipsis diuisoribus: nam ipsi accepturi erant pro parte Iudæ partem de terra proportionalem, & in comparatione ad alias tribus, & accepta est terra maioris quantitatis.* Cælestis sors diuersorum correxit errorem. nam quamuis illi viri prudentia celebres, omnique sedulitate conspicui; tamen per humanam conditionem in errorem, quamuis sine crimine, sunt prolapsi. Et quidem horum error solatur errantes, & reprimit superbientes: quis enim se liberum omni imprudentiæ macula reputabit, si adeò eximios viros obscurari nebula viderit? aut quis cadet animo, si quid minùs cordatè actum, cùm videat in laudatissimis viris aliquid semper correctum.

Senec. *Sapiens non omnia scit.*

D. August. *Sapienti semper quod inueniat, restat.*

Abulens.

65. Samuel ille magnus à Domino delegatur, vt Isai filium ad regni thronum inauguret: cum propheta Deus de propheta loquitur; &, cùm Dauid oues insequeretur, Deus regiis ornare sceptris decernit, & Samuele pueri confirmandi causâ ministro cõstituto ad oues adhuc sequentem coronandum fasciis imperialibus mittit: aduentat, ille, cúmque Eliab procera staturâ, pulchra facie illi obiiceretur, reiectaneum inuergit cornu, vt vngat; verùm cùm expectatione frustratus esset, per chorum germanorum discurrit: *Vidit Eliab, & ait: Num coram Domino est Christus eius?* Hieronymus lib. 1. aduers. Pelag. animaduertit hoc facto non solùm diuinam elucere prouidentiam; sed humanam etiam inscitiam: *Samuel*, inquit, *per omnes errat, per omnes corrigitur, vt pateat humanæ mentis infirmitas.* Samuel prudentia eximius, sanctitate præclarus; verùm quia humana non valuit se denudare natura, nec erroris omnem depellere valuit notam: per omnes errat, per omnésque corrigitur: nam dum rationalibus solùm ducitur coniecturis, dum oculorum credit aspectui, occasionem etiam tribuit errori: prudenter, si fas est dicere, errauit: quia quod sapientis erat, perfecit; sed satis non erat se prudentissimè gessisse, vt rem prorsus absolueret, & Numinis decretũ impleret.

1. Reg. 16. v. 6. Hieron.

66. Prodeat in lucem Petrus ille Apostolorum coriphæus, cuius mentem sic reuelatio illustrauit diuina, vt inter varios opinionum errores certissimam protulerit veritatem, & aduersus gehennales spiritus solidam Ecclesiæ tradiderit fidem: *Tu es Christus filius Dei viui*: hæc idem non modò post cùm in Thaboris vertice fulgurans Dominus spectaculum ederet, & vultus claritate solares radios longissimè euinceret, accingitur ad tabernacula fabricanda, & tentoria prophetis, Christoque Domino construenda: *Præceptor bonum est nos hic esse, & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moysi, & vnum Eliæ, nesciens quid diceret.* Inter confusas hominum opiniones veritatem attigit, inter radiorum splendores desipuit: vt nouerit humanum ingenium sibi relictum vel inter luces errare, & à Deo directum vel inter errores omnem veritatem exprimere. Petrus & sapientia claret rutilus, & ignorantiæ nebulis obscuratus: nulla namque est celebris adeò sapientia, quæ suas non patiatur eclipses: errat Petrus splendoribus immersus, cælestem profert doctrinam variis opinionibus impeditus. Audi Hieronymum apud D Thomam: *Erras Petre, & sicut alius Euangelista testatur, nescis quid dicas: noli tria tabernacula quærere, cùm vnum sit tabernaculum Euangelij, in quo lex & prophetæ recapitulandi sunt.* Consonat Remigius ibi. *Errauit, qui voluit, vt regnum electorum constitueretur in terra, quod Dominus promiserat dari in cœlis: errauit etiam, quia oblitus est se, & socios esse mortales, & absque gustu mortis voluit subire æternam felicitatem.* Petrum error aliqualis infuscat, cum sapientia eximia commendat: non enim homini etiam prudentissimo datum est sic per varios casuum fluctus prudentiæ nauim consilij guber-

Matth. 16. v. 16.

Luc. 9. v. 33.

Hierod.

Rhemig.

naculo sine offensione aurigare, vt portum possit laudandus semper appellere. Condiscipulorum veluti magister veritatem Petrus docuit; culmine tamen posteà manifestissimè errauit. O quàm cælestibus rebus aduersari culmina solent, quando Petrus, qui inter densas opinionum nebulas cælestem deprompsit doctrinam, inter fastigij lumina suam non celauit insipientiam.

67. Isaac cum filiis futura prænunciaret, quæ ante oculos, non agnouit: Iacob pio dolo fratris manus pilosas refert, & benedictionem sibi lucratur, dum obsonia parenti offert, cúmque posteà Esau eiulatibus patris animum vlceraret, sic ait: *Viues in gladio, & fratri tuo seruies, tempúsque veniet, cùm excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis.* Mira res: longè posita prædictione infallibili tangit, & oculis obiecta non videt: errauit post humanæ prudentiæ examen diligentissimum, & vidit quæ à conspectu dissitissimum remouerat sæculum: vt mireris errantis sapientiam, & sapientis erroris notam: diuinitus illustratus filiis prædicit futura, solertissimus dolum examinat, & tamen post omnem prudentiæ diligentiam casus prudentis prodit inscitiam: ne de futurorum prædictione glorietur, errat, ne de errore animo cadat, futura prædicit: nullus namque est ea prudentia ac sapientia præditus, vt omnem prorsus errorem vitet. Accipe Gregorium hom. 10. in Euang. *Isaac cum Iacob filium suum benediceret caligans oculis & prophetans in præsenti filium non vidit; cui tamen multa in posterum præuidit.* Accinit Bernardus serm. 28. in Cantica: *Sapiens fuit, sed tamen errauit in sensibus:* videt, & ignorat, ne superbiat de scientia, & ne mœreat de ignorantia: nobisque clarissimum huius veritatis testimonium relinquat, videlicet vel sapientissimos aliqua ignorantiæ nebula obscurari, & notâ imprudentiæ aspergi. Egregiè fallitur, & de superbiæ insania delirat, qui eo se ingenij acumine, aut prudentiæ dote arbitratur ornatum, vt omnia aquilino aspectu præuideat, & serpentina sapientia calleat. Certè Isaac prudenter satis rem hanc interrogando & palpando discussit; & tamen votum suum nequaquam impleuit: hic error potiùs à conditione oriebatur humana, quàm à senis negligentia: exiguum est humani acuminis lumen, oculi sapientium caligant, & ideò non semel errant.

Genes. 17. v. 40.

Gregor.

Bernard.

68. Dauid diuini honoris egregius zelator, cùm tantisper perturbationum fluctus sedati animum placidiùs respirare permitterent, de construendo arcæ sumptuosissimo templo cogitauit: rem Nathan prophetæ communicat: ille approbat consilium, & honestissimum commendat decretum: *Omne, quod est in corde tuo, vade fac: quia Dominus tecum est.* Illa ipsa nocte sermo Domini Nathan instruit, fabricam vetat, etsi consilium non taxat: *Factum est autem in illa nocte, & ecce sermo Domini ad Nathan dicens: Vade, & loquere ad seruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi locum ad habitandum?* Errauit propheta, dum Dauidis approbat mentem; & tamen manet propheta. Audi Rabanum apud Glossam: *Patet quòd prophetiæ spiritus prophetarum mentes non semper irradiat: spiritus enim, vbi vult, spirat: hinc Elisæus ait: Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. Quod Deus ex dispositione pietatis disponit: quia dum prophetiæ spiritum dat, & subtrahit, prophetantium mentes eleuat in celsitudine, & custodit in humilitate, vt accipientes spiritum inueniant quid de Deo sint: & rursum prophetiæ spiritum non habentes cognoscant quid sint de semetipsis.* Consonat Theodor. quæst. 22. *Nathan, cùm laudasset scopum Regis, existimauit opus placere Deo; vnde dixit: Omne, quod est in corde tuo, vade, & fac.* Putauit Propheta pietati congruere, vt Dauid sumptuosam templi fabricam moliretur; inuenit tamen non expedire à Dauide construi; sed ab eius filio Salomone pacifico ædificari: clarus prophetia, à Salomone posteà ædificandum, retulit; pro humana tamen fragilitate fabricam Dauidi suasit: vt humilis agnosceret quid esset humano discursui relictus, quid diuina luce illustratus: nullus ergo miretur bonum Homerum aliquando dormitare, nec præsumat nunquam dormire.

1. Reg. 7. v. 3.

Raban.

Theodoret.

§. XV.

Quos Deus veritatis magistros deligit, aut errare non sinit, aut citissimè illorum errores corrigit.

CÆcutiunt homines inter confusas ignorantiæ humanæ procellas, variisque errorum fluctibus agitati portum nequibant appellere, ni mentis nauem cœlestem Helicen aspicientes didicerint aurigare. *Longa maria traiicientibus*, scribit Basilius Seleuciensis orat. 8. *ad cursum regendum pro tessera sunt astrorum vndequaque splendentium motiones, & gubernator incumbens gubernaculo tollit in cælum oculos astrorum motibus aurigans nauim, cursumque per mare cælesti lumine contorquens fertur in portum.* Astrorum lumine vitantur scopuli, & via inuio itinere tenetur certa, non de gressu; sed de intuitu oculorum secura. Nec materiali dissimilis est rationis enauigatio, vt enim maria traiicientes astris indigent, quorum certis motionibus gubernentur: ita, qui vitæ pelagus rectè student percurrere, indigent rationabilibus astris, quorum lumine ducti valeant confusos secare fluctus, & securos veritatis intrare portus: quid enim faceret homo tot errorum ac periculorum adsultibus impetitus, ni à Deo cōstitueretur Helice, quæ humanos informaret aspectus? Hinc quos Deus doctrinæ cælo vti astra fulgentissima fixit, erroribus liberauit: conducibilius namque esset hac directione destitui, quàm stellis erraticis gubernari, quandoquidem quidquid ad vitiatæ normæ exemplum construitur, & errore simili maculatur. *A domesticis*, aiebat Theodahadus 10. vers. 5. *inchoare volumus disciplinam, vt reliquos pudeat errare, quando nostris cognoscimur excedendi licentiam non præbere.* Quos disciplinæ magistros voluit, omni errore carere decreuit: excusabiliter namque peccaret, qui ad regentis regulam viueret. Hinc Deus, cùm ad distribuēdas rationabiles telluris partes metatores delegerit, ne errarent, cælesti sorte curauit. Iudæorum tribus maiorem partem metatorum sententiâ adepta est; sed statim sors cælestis illorum errorem correxit, ne à Deo ad æquam telluris distributionem electi, errore sordescerent maculati: *Hæc est hæreditas filiorum Simeon iuxta cognationes suas, in possessione, & funiculo*

69.

Seleuc.

Cæleste numen nauigātes ducit in portum.

Cassiodor.

Abul.

funiculo filiorum Iuda: quia maior erat. Maior erat de metatorum errore; sed remansit tribui congruens hæreditas de cælestis sortis lumine. Adest Abulensis quæst.2. *Iste error sortis non veniebat ex ipsa; sed ex diuisoribus: & ideò posteà diuisoribus corrigentibus errorem suum sors rectè distribuit.* Citò errorem suum correxerunt vitandis erroribus destinati, ne ipso laboraretur remedio, & in ipso portu ineuitabili veritas obscuraretur naufragio.

Abulens.

70. Samuel à Deo minister pro eligendo rege constituitur: oues agebat Dauid in deserto; Deus tamen interim thronum illi parabat in empyreo: electus sacræ vnctionis minister properat, & ritè sacrificio peracto ad vnguendum regem accingitur: chorus filiorum Iesse circumstat, & Propheta Eliab natu maiorem, aspectu ingenuum, & mira corporis dispositione decorum vngere in regem decernit, & eleuatum supra verticem cornu oleum præbere cogit: *Cùm ingressi essent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino est Christus eius?* Verum fluxa olei natura stupendo miraculo sursum detenta prophetam monuit, ne cornu ad vnctionem vrgeret. Inquiramus, si placet, cur oleum naturæ oblitum steterit, nec supra Eliab verticē effluxerit? Varias causas piè adæquè, atque ingeniosè afferunt Patres; placet tamen Seleuciensis Basilius orat.14. ait namque stupendo miraculo fluxam olei naturam sursum detentam, ne Samuel pro eligendo rege constitutus erroris subiret notam. Et quidem si Samuel ad eligendum missus erraret, populus electo inculpatè seruiret: ne igitur fallax fuerit electio, olei retardata est miraculo effluxio. Audi Basilium: *Samuel miratus, quod viderat, hisce cum gratia contendit: Num coram Domino Christus eius? & cornu inuergens reiectaneum, vt vngeret, cogebat; sed oleum fluere recusabat, ne cum errante Propheta faceret, & fluxa natura sursum retinebatur, gratiæ legibus obsecuta.* Miraculum patrat Deus in electionis auxilium, ne electoris error populis præbeat scandalum: non permittitur errare: quia elector à Domino missus, & tanto muneri destinatus.

1. Reg.16. v.6.

Seleuc.

71. Dauid, vt erat diuini honoris zelator, secum decreuit operosissimam templi fabricam substruere, & ad Numinis honorem dicare: consilium Prophetæ Nathan aperit, vt eius auctoritate auspicatiùs rem aggrediatur: Nathan approbat decretum, & quantocyùs consulit maturandum: Dixit ad Nathan Prophetam: *Videsne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium? Dixitque Nathan ad Regem: Omne, quod est in corde tuo, vade fac: quia Dominus tecum est.* Dauid consulto Propheta ad opus sedulè accingitur; sed Dominus ea ipsa nocte Nathan apparens iubet retractare consilium, & nullatenus à Dauide erigi templum: *Factum est autem in illa nocte, & ecce sermo Domini ad Nathan dicens: Vade, & loquere ad seruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Inquires cur adeò celeriter Nathan Deus suam aperiat voluntatem, curque per seipsum non erudierit Dauidem? Faciliùs videbatur ad Dauidem sermonem facere, & religiosum animi votum hac cælesti dignatione præmiari, quàm Nathanum instruere, & ad regem iterum mittere; & tamen Nathanum alloquitur, vt templi fabrica suspendatur. Respondent Rabbini, audita responsione Nathan, vti Deo gratum Dauidem moliri templum, & ne inculpatè erraret, suam Deum Nathano voluntatem aperuisse: Nathan à Dauide consulitur vti Dei minister, & diuinæ voluntatis interpres: respondit ille non diuino tunc spiritu motus; sed humana ratione ductus; vtque statim sententiam corrigat, ne error adultus serpat, cælesti Deus lumine illustrat: *Hic ponitur,* scribit Abulensis quæst.6. *diuina prohibitio de ædificando templum, sicut disposuerat Dauid: in nocte illa, id est, in eadem nocte, in qua Dauid consuluerat Nathan super ædificatione templi, apparuit ei Dominus.* Nathan vti diuinæ voluntatis interpretem, propheticóque spiritu nobilem Dauid de templo ædificando consuluit: respondit ille, quod prudentiæ consonum videbatur; sed quia Dei minister erat, citissimè cælesti pulsu corrigitur, ne Dauid contra diuinam voluntatem ædificauerit templum, cùm à Nathano accepisset consilium: à quo enim posset Dauid diuinæ voluntatis inquirere beneplacitum, si consulto Propheta erroris incurreret probrum. *Dicit Rabbi Benina,* addit Abulensis, *quòd Dauid erat homo valde velox in opere suo, & cùm dixisset ei in die præcedenti Nathan, quòd faceret quod habebat in corde, fortè sequenti die inciperet Dauid illud operari, ideò, vt non frustra laborare inciperet, Deus voluit immediatè prohibere:* visione sua dignatur Deus prophetam interrogatum, non tam ad Prophetæ elogium, quàm in consulentis subsidium: à quo enim alio, quàm à Dei interprete potuisset Dauid diuinam requirere voluntatem? & cui nisi Prophetæ cordis aperire dubitationem? Quia ergo Deus Nathanum aliàs pro denuncianda Dauidi veritate veritatis non semel constituerat interpretem, modò eius citissimè emendauit errorem.

2. Reg.7. v.2.

Abulens.

R. Benina. *Dauid erat in operando velocissimus.*

Expende Aaronem apud Ægyptios sacrilegis cultibus, idolisque bellum indixisse, & posteà idolis aram dicasse: timebat Moyses Pharaonis adire præsentiam, & quia Ægyptiis ingratus, & quia ore blæsus: frater in linguæ supplementum conceditur, & ambo ingrediuntur Ægyptum: ibi Aaron virgam suam proiicit, quæ Magorum figmenta auidissimè deuorauit, & veritatem testatiorem omnibus fecit: dracones ad se trahere nitebantur virgam; sed eius non valuerunt euicisse constantiam: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Hic idem Aaron, qui in Ægypto durum mendaciis bellum indixit, contra veritatem posteà militauit: nam cùm frater montis cacumen inscendens, populi iudicem delegasset, ad illúmque cæcissimus populus conuenisset, finxit idolum, & nefandum illi decreuit cultum: *Fecit vitulum conflatilem, dixerúntque: Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti: quod cùm vidisset Aaron, ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens: Cras solemnitas Domini est* Augustinus Ambrosiúsque, quibus adstipulatur Interlinearis, Aaronem testantur mortis timore perterritum furentium idololatriæ libidine annuisse votis, obtemperasseque desideriis: *Non est ausus resistere,* scribit Interlinearis: *quia sciebat populum pronum ad occidendum.* Itaque timore pessimo consiliario vsus è veritatis castris ad mendacij castra infaustè transfuga excurrit, cùm in Ægypto nec timore mortis, nec indigna- 72.

Exod.7. v.12.

Exod.32. v.4.

Interlin.

 tione

tione Principis tertius à veritate defecerit; imò pro veritate pugnacissimè militauerit. Ecqua huius discriminis causa est? Alias reddent alij; ea tamen se mihi offert, scilicet Aaron vti prophetam in Ægyptum à Domino delegatum: *Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus*; populo verò à fratre iudicem constitutum: *Ascendens Moyses in montem Dei senioribus ait: Expectate hic, donec reuertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.* Ab homine electus facilè timore cogente desipuit; à Numine verò Propheta constitutus nullis periculis, nullis discriminibus exagitatus errauit; imò pro veritate semper stetit: Iudex à fratre designatus sacrilegam solemnitatem indicit: *Cras solemnitas Domini est*; Propheta verò à Domino adscriptus nullatenus à veritate discedit: acertimus timor prophetam non potuit in Ægypto corrumpere, cùm in deserto fecerit iudicem deuiare: *Pharaoni dicitur Moyses datus Deus*, inquit Augustinus in quæstionib. super Exod. quæst. 17. *& secundum analogiam Propheta Moysi Aaron; sed ad Pharaonem.* Non est datus ad populum Propheta; sed ad Pharaonem: ideò apud Pharaonem nec minæ, nec terrores, nec intentatæ mortes à veritate deuiare fecerunt; quem posteà leuiora pericula mendaciis sacrilegis mancipatunt: non potuit veritatis minister à Deo datus mendaciis corrumpi; ab homine tamen electus facillimè valuit fraudibus obscurari: *Secundum analogiam Propheta Moysi Aaron; sed ad Pharaonem.*

Exod. 7. v. 1.
Exod. 14. v. 14.
August.

§. XVI.

Gloriosum est laboribus proprijs acquirere, quò possis alienis commodis indulgere.

73. Alienis incommodis liberaliter subuenire, & miserorum calamitates depellere, iam beneficij sortitur præmium, dum populare meretur elogium: crescit ad commodum dantis necessitas exigentis: est namque gloriæ quæstus alienus sæpè cruciatus: de aliena penuria suam generosus cumulatiùs liberalitatem exornat, & quantum de facultatibus ad inopum largitur remedium, tantum sibi adquirit ad munificæ liberalitatis encomium. *Quis nesciat*, aiebat Cassiodorus 3. variar. 29. *nostrum esse commodum supplicantis ad quæstum, & illud bonis Principibus crescere, quod benigna possunt largitate præstare: hæc sunt enim dona regia, quod semina.* Semina pauperi committuntur telluri; sed ad donantis lucrum multiplicatum respondet augmentum; verùm etsi gloriosum sit alienas de abundanti necessitates depellere; quid illustrius est, quo depuleris, propriis laboribus comparare: qui ex abundanti penu largitur, difficultatibus non arcetur; qui verò proprio labore comparat, quo alienis commodis liberalis indulgeat, de arduitate grandius beneficium præstat, & maiori munificentiæ excellentia lucet: agnoscitur namque de difficultate animi generositas, & de superatis obstaculis laudabilior mentis benignitas, quandoquidem, vt alienis indulgeat commodis, propriis non deterretur

Cassiodor. Donum ad instar seminis est.

angustiis. Iudæorum tribus intra sortis suæ limites benigno fauore Simeonitas amplectitur, & commodas habitationi illis ciuitates largitur: *Hæc est hereditas filiorum Simeon iuxta cognationes suas in possessione, & funiculo filiorum Iudæ: quia maior erat.* Maior erat Iudas non solùm de amplificatione sortis; sed de laude largitatis, maior erat: quia cum amœnissimis posset assignatis sibi limitibus conquiescere, laboriosis certaminibus gestiuit, quod fratribus largiretur, acquirere: sortem suam prolatauit pugnando, non ad maioris gloriæ superbam pompam; sed ad fratrum depellendam miseriam: priùs sibi prouidit, quod virtutis est, & posteà alienis commodis insudauit. Audi Lyram: *Quia erat tribus bellicosa, dilatauit terminos suos, & ideò quando postea debuit assignari terra septem tribubus, quæ nondum possionem acceperant, repertum fuit, quòd terra residua non sufficiebat eis: & ideò aliqua loca de sorte Iuda fuerunt adiuncta sorti Tribus Simeon.* Adæque gloriosum fuit Iudæorum Tribui de alieno labore non viuere, & de proprio indigentibus prouidere. Lyra.

Psalmista, vt Christi liberalitatem commendet, *Inebriabuntur*, inquit, *ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quæ explicans Hesychius ait Christum Dominum accepisse fellita, vt nobis redderet dulcorata; propriisque laboribus, & angustiis hominum succurrisse calamitati, vt de liuore liuorem nostrum sanaret, & de siti torrentem voluptatum præberet. Audi ipsum in catena Græca: *Torrens voluptatis fuere Christi pœna.* En vt alios potet, pœnas sustinet, & qui posset de fonte vitæ sine labore cæterorum sitim extinguere, maluit de propria siti voluptatum flumina sitientibus ministrare. *De torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ*: perennis vitæ fons apud Dominum erat; verùm quò suam cumulatiùs charitatem exornet, maluit proprio labore, propriisque angustiis humanæ prospicere vtilitati: *Torrens voluptatis fuere Christi pœna:* de exantlatis pœnis voluptatis nobis torrentes elicuit, qui posset sine labore vndas de vitæ fontibus deriuare.

74. Ps. 35. v. 9.
Hesychius.

Cæsaris exactores indebitum à Domino tributum non sine supercilio deposcunt: Christus Dominus maluit vel irrationabilis scandali occasionem præcidere, quàm propriæ ingenuitatis, ac dignitatis regalis opinioni prouidere, Petrum iubet ad mare tendere, piscemque piscari: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te.* Et quid necessum est laboret in piscando Petrus, quando poterat sine eius industria patrari miraculum? Qui nouit panes de panibus multiplicare, potuit in Petri crumæna staterem includere: cur ergo non iubet, vt manu inuentum staterem reddat; sed vt hamum ad piscem capiendum mittat? Fallar, ni nostram thesim Magistri comprobarit præceptio, & discipuli executio. Si Petrus in manu, aut crumœna staterem inueniret, sine vllo labore magistro exactoribus solueret; cùm verò tendit ad mare, cùm hamum mittit, cùm piscem ascendentem piscatur, non modicam ponit operam ad alieni debiti releuandam molestiam: ergo quò Petri dilucidior appareat charitas, stater labore acquiritur, nec sine labore soluitur: est namque

75.
Matth. 17. v. 26.

namque charitatis elogium laboris subire molestias, vt depuleris aliorum angustias. Theophyl. *Misit*, aiebat Theophilactus, *Petrum tollentem staterem ex ore piscis: discamus hîc & mysterium quoddam.* Chrysost. Propiùs instituto accedit Chrysostomus hom. 59. *Non à reconditis; sed mirabili quodam modo inuentam pecuniam deferri iubet.* Inuentam non sine labore pecuniam vult à Petro solui, qui de habitis non difficilè poterat elargiri: vt Petri ostentaret virtutem, quando constat non sine labore comparatum, quod pro Domino exactoribus redditum: parum namque esset sine vllo labore impendisse; quid excellentius laboribus comparasse.

76. Discamus charitatis virtutem à naturali affectione parentum: nam cùm sæpè possint sine labore filiorum necessitatibus occurrisse malunt honestè charitati adulari, dum labores ambiunt subire. Prodeat Agar huius veritatis testis: de Abrahami domo pulsa sic imprudenter per inuia desertorum errauit, vt ad locum dissitum ab humano commercio, & prorsus aridum deueniret: ibi flabellatus itinere calor pueri ad minus quindecim annorum præcordia sic valide vrgebat, vt præ ariditate animam videretur efflare: lamentum è vestigio est secutum subsidium: & quando à lachrymis distitere calamitatum remedia: Iam fons gelidis ac purissimis vndis emicat, & de periculo redditur æstimabilior: Genes.21. v.19. *Aperuit oculos eius Deus: quæ videns puteum aquæ abijt, & impleuit vtrem, deditque puero bibere.* Et cur puerum ad scaturiginem non mittat; sed ipsa pergat? Ostendat puero fontem, vtque ad sitim depellendam accurrat alacris, iubeat: quid enim necessum est locum, vt Caietano placet, distantem adire, & vtris onere humeros terere, quando puer quiuerat inuolare: O matris amorem! Contenta non est damnum depelli; sed proprio labore ac solicitudine reparare: Caietan. *Ex eo*, inquit Caietanus, *quod subiungitur, & iuit, & impleuit vtrem, distantia nonnulla significatur.* Hieron. Addit Hieronymus apud Lippomanum: *Solicitus monstratur affectus.* Sic materna viscera tenero filij solicitabantur amore, vt de scaturienti fonte noluerit puerum bibere; sed illi potum non sine labore comparatum præbere: si, quem mater viderat fontem ostenderet puero, vt flammam restingueret, sine molestia existeret liberalis; petens verò vtremque vnda implens, & puero præbens, oneris ac itineris pretio emptam, & acquisitam præbebat, adeòque maternus incandescebat affectus, vt ad charitatis pompam noluerit fontem ostendere; sed vndam propriis laboribus comparare.

77. Cùm Legisperitus de charitate in proximum cum Domino dissereret, cælestem illi doctrinam pulchro ænigmate depictam cælestis magister tradidit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: &* Luc.10.v.27. *proximum tuum sicut teipsum.* Legisperitus affectauit fortè ignorantiam: quia vtilem tenuit exercere doctrinam: *Quis est meus proximus?* Hanc nactus opportunitatem Dominus suam sub Samaritani ænigmate charitatem in vulneratum depinxit: nam cùm incidisset in hominem à latronibus dispoliatum, solúmque plagis onustum, ab equo desiluit, & vulnera oleo vinóque refouens linamentis blandis illigauit: *Appropians alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum, & curam eius egit, & altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario.* Profectò aptius charitatis, & amoris videbatur exemplum Lazarus à mortuis excitatus, & flori lucis restitutus: cur ergo Dominus non producit in charitatis argumentum demortui resurrectionem; sed sauciati curationem? Forsitan; quia Lazari suscitatio imperio peracta est: ibi namque voce vocauit, & nullo labore saluti reddidit. *Voce magna clamauit: Lazare* Ioan.11. v.43. *veni foras: & statim prodijt, qui fuerat mortuus*; hîc verò pedes incedit, vt equo saucium imponat, hîc denarios porrigit, hîc sumptibus, & laboribus saluti moribundi prouidit: hoc ergo erat charitatis augustior pompa; illic non adeò micantior lucebat flamma: propriis laboribus vinum compararit, & oleum, quibus medicaretur vulnera; voce tamen alibi euacuarit monumenta: itaque si labores exsuscitationis, & curationis contuleris, plus videtur in curando laborasse, minus in resuscitando fecisse: nummos comparauit, quibus stabularij compensaret studium; solo imperio est absolutum suscitationis miraculum: Gregor. *Vocat hic Christus*, inquit hic Gregorius apud D. Thomam, *se Samaritanum opportunè: cum enim alloqueretur iurisperitum superbientem in lege, voluit exprimere, quoniam nec Sacerdos, nec Leuita, & qui conuersabantur in lege, legis propositum implebant; sed ipse venit consummaturus legis propositum.* Theoph. Addit Theophylactus ibi: *Dicit, iter faciens, quasi ex proposito hoc statueret, vt nos curaret.* Cùm venit Samaritanum curare, cùm munus largitur, cùm oleum, vinúmque infundit, cùm pedes peragrat, se charitatis impleuisse studium fatetur: est enim honestus charitatis fastus propriis laboribus alienis laboribus mederi, & contemptis propriis ærumnis alienis necessitatibus subuenire: vbique vti Dei vnigenitus operabatur; nobis tamen charitatis imaginem eleganti actionum penicillo depingens non protulit Lazarum vocali potestate rediuiuum; sed dispoliatum de ærumnis propriis saluti redditum.

Paulus cùm normam charitatis præscriberet; 78.
iam non furandum docuit, nec solum pauperibus subueniendum; sed etiam in egenorum subsidium manibus elaborandum: Ephes.4. v.28. *Qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti*: non ait, laboret sibi, vt victum acquirat: non ait, de acquisitis largiter in sinum egenorum infundat; sed acquirat laborando; vt charitatem consummauerit subueniendo: est namque charitatis cumulus labore non modico acquirere, quo possis alienis commodis indulgere: Anselm. *Ideò scilicet laboret*, scribit Anselmus, *vt habeat non solùm, vnde viuat; sed etiam tribuat necessitatem patienti, id est, penuriam; hoc est, vt possit pauperes de iusto labore sustentare.* Charitatis culmen attigit, qui sibi; si fas est dicere, non parcit, quo miserorum inopiam leuet: qui laborat, vt acquirat, ad virtutis, & liberalitatis obsequium, non ad diuitiarum cumulum.

Amicus inopinè adulta nocte ad amici aduenerat domum: ille, quia inuida vel in nocte 79.
charitatis ardebat flamma, hospitem excepit non solùm gaudentis gestu; sed animo, vtque cœnam

cœnam hospiti apponeret, ad amicum festinus recurrit: *Ibit ad illum media nocte*: nec tenebris retardatur, nec amici asperis verbis arcetur: sibi panis non quæsiuerat frustulum, & amico solicitat epulum: importunus pulsat, obnixè rogat, necessitatem exaggerat, vt tandem panes obtineat, quibus fessi soletur famem. Ecce viuidæ charitatis exemplum: rogatus amicus dedit, qui suppetiuerant illi panes, rogans acquisiuit petitionis verecundia, & fastidij tolerantia: hoc ergo erat charitatis exemplum, quandoquidem ingenti ruboris pretio non recusabat acquirere, quo inopini hospitis posset commodis indulgere: *Amicus iste*, inquit Theophylactus apud D. Thomam, *Deus est, qui omnes amat, & omnes saluos vult fieri.* Ecce dignus diuinæ charitatis æmulator: nam generosi amoris ænigma, ac gloriosior pompa est laboribus non modicis acquirere, quo posset alienis necessitatibus prouidere.

Luc. 11. v. 5.

Theophyl.

§. XVII.

Regalia beneficia omnibus sunt impertienda, ne de singularitate reddatur obscurum, quod de generalitate omnibus luceret laudandum.

80. Cassiodor. HÆc *sunt regia dona*, scribit Cassiodor. 3. variar. 29. *quod semina, sparsa in segetem coalescunt, in vnum coacta depereunt: optamus ergo munera multis collata diuidere, vt possint vbique nostra beneficia pullulare.* Vt semina, si exiguo telluris spatio fuerint conclusa, ipsa multitudine suffocantur, & suffocatione impediuntur; sic beneficia, quæ pluribus relucerent sparsa, marcent in vno compressa. Fons non probatur copiosus, qui solùm arua vicina fœcundat; sed qui vel distantes segetes amœna irrigatione multiplicat: redduntur dona de singularitate suspecta, nec spectantur ad liberalitatis elogium; sed ad peculiaris affectionis indicium: *Qui beneficia sua amabilia vult esse*, scribit Seneca lib. 1. de benef. cap. 14. *excogitat quomodo & multi obligentur.* Amabile redditur beneficium, quod generalitati concessum: nam in vnius, aut alterius tantum sinum effudisse cæteris parit inuidiam, & ipsi liberalitati non semel inurit notam. *Cecidit sors*, inquit noster textus, *tertia filiorum Zabulon per cognationes suas.* Omnes Zabulonitæ commodis prædiis ditantur, Numinisque dona inter se grata amicitia partiuntur: *Per cognationes suas*, scribit Abulensis quæst. 2. *erant enim familiæ tres in hac tribu: ideò fuit diuisa terra in partes tres primas: deinde qualibet illarum in tot portiones, quot erãt domus in familia; deinde qualibet domus in viros vel capita, quæ est diuisio per œconomias.* En cæleste donum veluti delatus imber omnibus communicatum crescit ad gratiam; vni aut alteri tantùm concessum multorum inflammaret inuidiam: regale agnoscitur donum, quod seminis sortitur ingenium, & ne in vnum depereat coactum, in segetem coalescit pluribus generosè impertitum.

Senec.

Abulens.

81. Christus Dominus Lazarum quatriduanum ab inferis stupendo miraculo reuocauit, vinculis soluit, luci restituit, sororibus reddit; hoc tamen sæculis retrò inuisum prodigium non adeò adstantium omnium animos admiratione repleuit, vt in laudes patratoris prorumperint: *Voce magna clamauit: Lazare, veni foras: & statim prodijt, qui fuerat mortuus ligatus manus, & pedes institis, & facies eius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire.* Ioan. 11. v. 43. Multi stupenda nouitate perculsi, vltra quod humano obiiciebatur conspectui, quid diuinum latere in Christo Domino crediderunt; alij verò miraculum captiosis criminationibus obscurarunt: *Multi ex Iudæis*, inquit, *qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum; quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos*: vtique vt criminarentur factum, vt malignis obmurmurationibus obscurarent prodigium. Transi modò cogitatione ad montem illum, vbi idem Dominus turbas alit panésque multiplicat, videbísque communi adeò plausu miraculum celebratum, vt fuga opus fuerit, ne ad regalis dignitatis thronum euexerint: *Illi ergo homines, cùm vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum: Iesus ergo, cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Ioan. 6. v. 14 Et cur qui in deserto præter opinionem panis spectauere incrementum, faustis iteratísque acclamationibus regale Christi Domini publicauere dominium, cùm tamen mortuum luci restitutum videntes, nec facientis virtutem exertis clamoribus prædicarint, nec omnes maiestatem eius crediderint. Eratne maius virtutis testimonium humanam deuicisse auaritiam, quàm aduersus mortem tulisse sententiam? Profectò iura mortis infringere, & animam fœtenti iam corpori iterum inuiscerare diuinitatis potestatem extrahebat in lucem: iam nonnullis Propheta homines multiplicatis cibis aluerat; nullus tamen quatriduanum mortuum ab inferis excitarat: cur ergo cùm homines cibat deprædicatur, & cùm resuscitat Lazarum, ab omnibus non suspicitur? Erat Lazarus Christi amicus, fusæ lachrymæ affectionem sunt contestatæ: *Lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: ecce quomodò amabat eum.* Itaque amico ac dilecto singulare contulerat beneficium; in monte verò omnibus impertitus est pastum: fauor ergo alter de singularitate affectionéque apud improbos obscuratur, alter verò de generalitate vel apud inimicos extollitur: *Magna res erat*, scribit Basilius Seleuciens. orat. 33. *tot millibus quinque solos panes fuisse satis.* Seleuciens. Aptiùs Beda apud D. Thomam: *Turba viso tanto miraculo intellexerunt pium atque potentem, & idcirco voluerunt ipsum facere regem.* Beda. Chrysost. Accinit Chrysostomus ibi. *Ventre repleto Propheta iam erat apud eos, & regem eum inthronizare volebant.* Vbi beneficium plurimis eluxit collatum, nec ab æmulis infamari potuit obscurum; at vbi in vnius sinu magna recondebantur prodigia, ab æmulis aspersa sunt obmurmurationis nota: non est rex habitus de Lazari excitatione; proclamatur verò rex de multorum saturitate, quasi regalis dignitatis sit tessera generalia beneficia largiri, non vnum, aut alterum magnis muneribus exornare.

Descendit, aiebat Psaltes, *sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* 82. Ps. 71. v. 6. D. Chrysostomus legit: *Sicut guttæ stillantes super*

per

per terram. Et quid necessum est guttas terrarum tractibus impertiri, quando totus imber niueum se infundit in vellus? aut cur pluuia non descendat in terram, & guttulæ velleris irrorauerint lanam? O vtilissimam nobis eruditionem! Vellus beneficiis peculiaribus exornatur; sed ne beneficium in velleris solùm capacitatem receptum putaretur humanum, terra irrigatur stillicidiis, vt credatur de generalitate diuinum: vel magna pluuia in vellus recepta aures strepitu non informat: quia placido descendit illapsu; at dùm terram irrigat, vel dormientes excitat, & surdorum aures vocat. Audi Chrysostomum ad hunc locum: *Guttæ istæ virtutes sunt, quibus idem Dominus noster Iesus Christus dignatus est terram vehementer implere. Guttæ sunt, quando leprosum mundauit, puerum Centurionis à mortis periculo sanauit, paralyticum curauit, cæcum illuminauit? mortuos suscitauit.* Parum esset descendisse in vellus pluuiam, ni terram irrorarent stillicidia; at dum cæcis nouos inserit oculos, dum à morbidis depellit infirmitates, dum manus aridas sanitati restituit, è cælo descendisse probatur, & vel ab inimicis extollitur. Conferat Princeps in sibi coniunctiores, chariorésque grandiora, cumulatioraque beneficia, non tamen sic addicatur vni, vt liberalitatis ad reliquos non peruenerint guttulæ: adulteratur namque liberalitatis decor, si intra vnius sinum tantummodò recondatur.

Chrysost.

83. Elisæus thesim nostram factis confirmat: ingressus Iericho rogatur à ciuibus, vt in illa ciuitate consisteret: habitationis commoda referunt, nec aquarum sterilitatem dissimulant: tunc Elisæus vas fictile iubet afferri, in illudque sal recondi, egressúsque ad fontem aquarum aquas sale condit, & quasi de peruerso medicatur, cùm sale sterili aquas sterilitate repurgat: Egressus ad fontem aquarum, misit in illum Sal, & ait: *Hæc dicit Dominus: sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas.* Posteà cùm mulier quædam contra ferum exactorem à Propheta obnixis precibus postularet auxilium, iubet secretiorem domus partem adire, ibique oleum fontis ad instar testatur fluxurum, vt eius copia creditori soluatur debitum, & vitæ in posterum remaneat subsidium: *Mitte inde in omnia vasa hæc, & cum plena fuerint, tolles.* Et cur modo olei incrementationis miraculum cælesti non adscripserit largitori, cùm aquarum sanitatem expresse adscripserit Numini? Aiebat ibi: *Hæc dicit Dominus*; hîc verò, quamuis miraculum cælesti sit patratum auxilio clausulam illam arcano præteriuit silentio: cur ergo miraculum aliud ad diuinæ liberalitatis ostentarit elogium; in alio verò mysticum seruarit silentium? Quia alibi in vnius commodum patrabatur beneficium; alibi ad multorum aqua sanabatur remedium: ideò ergo alterum Numini expresè adscripsit, & de altero arcanè tacuit: quasi illa sola beneficia diuinam, regalémque exornarint munificentiam, quæ in multorum vtilitatem patrantur; illa verò ingenium sapiant humanum, quæ ad singularis vtilitatem efficiuntur. Innuit Ambrosius serm. 2. de Elisæo Propheta: *Præcepit sibi dari vas fictile, & recondito in eo sale veniens ad exitus aquarum proiecit in aquas dicens: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas istas: non erit ex eis moriens, neque sterilis: & sanatæ sunt aquæ vsque in hunc diem: dum enim sterilitatem auertit aquarum successionem largitur hæredum: non enim hoc facto vnum Elisæus sanauit hominem, aut vnius domus præstitit medicinam; sed totius ciuitatis populum reparauit.* Beneficium in totius populi commodum expresè Numini fuit tributum; quod verò vnius tantùm domus calamitatem auertit, Dei nomen minimè expressum nobilitauit: quasi de singularitate aliud videretur humanum, aliùd de generalitate agnosceretur diuinum: vtrúmque virtus diuina perfecit; ad nostram tamen eruditionem miraculum aliud diuini nominis sigillo munitur aliud sine nomine circumfertur.

4. Reg. 2. v. 21.

4. Reg. 4. v. 4.

Ambros.

Fugiebat Elias insanas mulieris iras, & ne cum muliere certaret, quàm vincere, maluit fugere: est enim augustior triumphus carere discrimine; cùm fessus & sitibúdus subter vnam iuniperum se proiecisset, ibique somnum mœrore conciliante dormiens quiesceret: *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ.* Angelus pabulum, potúmque ministrat, cùm alibi sitienti populo non Angelus; sed Dominus vndas saporatissimas ministrat. *Ait Dominus ad Moysem: Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israël, & virgam, qua percussisti fluuium, tolle in manu tua & vade: en ego stabo ibi coram te supra petram Horeb, percutiésque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus:* vtrobique aqua ministratur; alibi tamen ab Angelo defertur, alibi Domini præsentia elicitur. Et cur Angelus pocula populo non ministret; aut cur Deus zelantis adeò Prophetæ sitim non sedarit? cur hic coram populo gloriosus appareat, qui Agar benefaciens abscondit vultum, & veluti fugiens ostendit tergum? Ipsa quæstio seipsam enodat: alibi namque vni confertur beneficium; alibi generalitati procuratum est commodum: quod ergo singulare, tributum est creaturæ; quod verò vniuersale, applicatum est Numini. Petram illam Christi ænigma appellauit Paulus vtpotè omnibus proficuam, & omnibus benefacere exprompram. Apparuit Dominus: quia dignum erat regali munificentia aqua in omnium vtilitatem concessa. Missus est Angelus: quia ad vnius Eliæ sitim aqua alibi fuit tributa: *Iubetur Moyses*, scribit Lippomanus, *adstante Deo, nimirum columna nubis Deum repræsentante, percutere petram, ne gratia tanti beneficij ho[illegible], & non Deo transcribatur.* Beneficium generalitati collatum Domino fuit adscribendum; vni aut alteri datum, Angelo, creaturæve addicebatur tributum: quasi aliud tantisper de singularitate obscuraretur, aliud micantiùs de generalitate luceret, & gloriosius semper radiaret. 84.

3. Reg 19. v. 5.

Exod. 17. v. 6.

Lippoman.

---

§. XVIII.

Castitas Sacerdotalis dignitatis est tessera: dignitas habetur suspecta, si huius virtutis non constet prærogatiua.

Castitas, & pudicitia pulchra virtutum facies: vt allicit intuentium oculos grata oris 85.

oris venustas, ita vel oblocutorum animos allicit castitas: solus ille regali aspectui dignè videtur offerri, quem constat laudabili puritate exornari: vnde Theodoricus tex 2. var. 1. modestum beneficiis regalibus fatetur dignum:
Cassiodor. *Mira res in iuuentutis flore mirorem puritatis seruare.* *Dignus planè largitatibus nostris, qui in ipso pueritiæ flore maturis moribus lubricam frænauit ætatem, & quod rarum continentiæ bonum est, patre priuatus prauitatis factus est filius: cupiditatem inimicam sapientiæ subiugauit, vitiorum blanda contempsit, superbia vana calcauit.* Quem venerabilis exornabat modestia, dignè regalis admisit curia: nam si spectasset obscœnum, regius macularet obtutus: & si regibus puri diliguntur serui, quanto magis Numinis debent resplendere ministri? Vnde Plinius panegyri ad Traianum aiebat:
Plinius. *Gratior Deo purus, quàm eloquentia exornatus.* *Animaduerte etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentia, & sanctitate lætari, gratiorémque existimari, qui delubris eorum puram castámque mentem, quàm qui præmeditatum carmen intulerit.* Animi puritas pulchritudinis producit eloquia, & cælesti odore fragrantia verba: *Casta placent superis*, aiebat quidam, *pura cum veste venite*; verùm etsi in omnibus castitatis requiratur splendore, in sacris præcipuè altaris ministris, vtpotè quos ad sui honoris pompam superna circumfert maiestas. Vnde Tertullianus, vt deorum gentium nullam comprobaret maiestatem, ad ministrorum recurrit mores, & quia inueniebantur impuri, & illorum dij diuinitate nudati.
Tertull. *Mirer*, inquit aduersus gentes cap. 30. *cùm hostiæ probantur penes vos à vitiosissimis sacerdotibus, cur præcordia potiùs victimarum, quàm ipsorum sacrificantium examinantur.* De ministrorum spurca conscientia, quibus probet illorum deos diuinitate carere, non inepta producit indicia; at è contra in sacri Numinis ministris agnita pudicitia pro vera deitate decertat, & vt gratum eius oculis ministret obsequium, pudicitia offert nobilitatum.
Oratio de carne pudica gratior est historia. *Et offero*, præmiserat Tertullianus, *optimam & maiorem hostiam, quàm ipse mandauit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam.* Zabulon, qui sacerdotes, vt morali glossæ placet, designat, pulchritudo interpretatur: quasi hæc honestatis pulchritudo non solum requiratur in veris ministris; sed vel in illorum vmbris. Et fortassis ob hanc causam iuxta mare pater eius habitaturum fore prædixit.
Genes. 49. v. 13. *Zabulon in littore maris habitabit*: & sors patris comprobauit oraculum: *Cecidit sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas, & factus est terminus possessionis eorum vsque Sarith, ascenditque de mari.* Puritas Zabulonios circumdat, vt constet pulcherrimis candoribus emicare, cum Dei ministros videntur exprimere.
Gloss. *Zabulon*, inquit Glossa moralis, *interpretatur habitaculum pulchritudinis, & conuenit statui clericorum, in quibus refulgere debet decor honestatis.* Perpende quantus in Sacerdote castitatis exigatur splendor, quando vel in vmbris tantus exigitur candor: ni enim Zabulon esset pulchritudinis habitaculum, nostrum non posset vel ænigmaticè adumbrare sacerdotium.

86. Cùm Dominus sacrificiorum leges præscriberet, aliud sempiternum sacrificium, aliud temporaneum signauit:
Numer. 28. v. 38. *Hircum*, inquit, *pro peccato absque holocausto sempiterno, sacrificióque eius, & libamine.* Origenes quo pollebat ingenio, hoc sacrificium sempiternum eos inquit ministros requirere, qui carnis illecebras ignorarit, nec fœdis appetitionibus inseruierint, quasi ab hoc sacrificio exul relegetur, qui vitiorum maculis polluatur. Audi Origenem hom. 23. in Numer. Origen. *Certum est quia impeditur sacrificium indesinens his, qui coniugalibus necessitatibus seruiunt: vnde videtur mihi, quod illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti, & perpetuæ se deuouerit castitati.* Itaque quamuis ad alia sacrificia admittatur, qui omnimoda puritate non splendet, indesinens sacrificium, hoc est sacram Eucharistiam solus ille potest offerre, qui vel impuritatis vmbris se nouerit expurgare: est enim ad hoc sacrosanctum, inuidendúmque sacris spiritibus munus ritè explendum castitas necessaria, veluti regium diploma, & fidem omnibus testata tessera: ab hoc ministerio alienus intruditur, qui Venereis maculis conspurcatur. Adde satis non esse sacerdotem niueis candoribus exornari; sed opus esse popularibus oculis sic exornatum videri: nam quoties de puritate authenticum non constiterit testimonium, circa dignitatem est iurgium.

Adest Aaron huius veritatis testis: nam cùm 87.
plures de populo eius sacerdotali dignitati refragarentur, eóque tumultus excreuisset insania, vt grauissima appetere viderentur pericula, iubet Deus virgas tributim accipi, vtque vel iniquis animis omnis adimatur suspicio, nominibus variis inscribi: Moyses è vestigio obtemperat, & iam Aaronis virga maturo abortu in flores gratissimos explicatur, & in amygdalas saporatas conditur: *Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & tumentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Numer. 17. v. 8. His miris repressa est exoculata multorum ambitio, & quieta exinceps effloruit dignitatis possessio. D. Ambrosius, vt erat mysteriorum profundissimus indagator, lib. 3. epistolar. epist. 25. quærit, cur floribus, fructibúsque micantibus frænata fuerit inuidia, & obstrusa oblocutorum maledicentia: respondétque virgam floribus redimitam puritatem prædicare, & foliis linguarum ad instar castitatis gloriam asserere: cessauit ergo diffidium, vbi puritatis innotuit omnibus argumentum: anteà Aaron eximiis adornabatur virtutibus; non tamen publicum sortiebatur castitatis testimonium, & dum iniquitas maliloquij nebulis potuit dignitatis innubilare gloriam, dignitas adhuc criminationis, dubitationísque non egrediebatur palæstram, vbi verò clarum puritatis omnibus redditur testimonium, vel à maleuolis iniquæ suspicionis exterminatur delirium: quasi anteà dignitas regali caruerit tessera; iam verò pro diplomate nota omnibus fuerit pudicitia. *Virga Aaron floruit, atque ita diuini iudicij munus spectandum in Sacerdote populus aduertit, ac destitit parem sibi humano iudicio vendicare gratiam, qui antè parem sibi prærogatiuam competere arbitrabatur. Virga autem illa quid aliud ostendit, nisi quòd nunquam sacerdotalis marcescat gratia, & in summa humilitate habeat in suo munere commissæ sibi florem castitatis.* Ambros. Ita legit P. Mendoza tom. 1. annotat. 5. circa litteram sect. 1. etsi ego apud D. Ambrosium pro illo verbo *castitatis*; inuenerim

nerim *potestatis*. Ergo ibi castitatis flos nunquam marcescens videtur, & sacerdotalis dignitas ab omnibus honoratur. Aptauerim etiam eiusdem Ambrosij verba lib. 1. de offic. cap. 50. *Decet actuum operumque nostrorum testem esse publicam existimationem, & attestationem, ne derogetur muneri, vt qui videt ministrum altaris congruis ornatum virtutibus auctorem praedicet, & dominum veneretur, qui tales seruulos habeat: laus enim Domini, vbi munda possessio, & innocens familia disciplina.* Dei minister agnoscitur, qui puritate exornatur, quique actionum floribus, castitatisque nunquam marcentibus fructibus omnem malitiae suspicionem exemit, & iniquitatis linguas occlusit. Hoc quantum ad externam existimationem, etsi de fama tantum sacerdotem habere oporteat studium, quantum de interna puritate semper vigere debet desiderium.

Laus Domini de innocentia familia disciplina.

88. Arcanum semper putaui illud Numer. 3. Leuitas scilicet sacris mysteriis ex tunc addictos, ex quo Dominus Aegyptiorum primates ostendit digno supplicio interemptos: *Ego tuli Leuitas a filys Israel pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filys Israel, eruntque Leuitae mei: meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Aegypti.* Itaque Leuitae pro primogenitis Hebraeorum recens natis Domino consecrantur, & pro occisis primogenitis Aegyptiorum redduntur. Et cur Leuita recens nati primogeniti locum obtineat, tuncque sacris altaribus videatur adscriptus, cùm Aegyptiorum primogenitus interemptus? Profectò puer recens natus ab omni carnis foeditate prorsus inuenitur extraneus, quem aetatis seruat pusillitas, & membrorum defendit paruitas: nulla illi pro eo tempore possibilis carnis macula, quando nutrix eius est innocentia. Horum ergo locum sacri occupauere ministri, vt referrent vitâ, pro quibus sacra illos asciuerat caeremonia. Iam si in Aegyptiis carnales cogitationes, & appetitiones signatae, non caret mysterio Leuitas eligi, & primogenitos Aegyptiorum occidi: quasi nec prima deceat impudica cogitatione pulsari, qui destinatur, vt sacris altaribus valeat inseruire: vel primae obortae cogitationes debent iugulari, vt dignitas possit toto splendore lucere. Abraham, dum litat, importunas volucres abigit, ne de ipso accessu iniuriam irrogent holocausto: *Non mediocre officium Leuitarum*, scribit Ambrosius citato lib. de officiis, *de quibus dicit Dominus: Ecce tuli ego Leuitas de medio filiorum Israël, redemptiones eorum erunt, & erunt mihi Leuitae: mihi enim ex quo die percussi primogenitum in terra Aegypti, sanctificaui omne primogenitum in omni Israel.* Annectit: *Cognoui mus, quia non inter caeteros Leuitae computantur; sed omnibus praeferuntur, qui eliguntur ex omnibus, & sanctificantur vt primogenita.* Primogenita ea puritate in lucem edita micant, quae maculis non sit obnoxia; sed pro illo tempore felici impotentia ornata: pro his ergo ministerio altaris deputantur Leuitae, vt nouerint se omnis gerere expertes offensae. Addit Ambr. *Disce Sacerdos, atque Leuita, quid sit lauare vestimenta tua, vt mundum corpus celebrandis exhibeas Sacramentis.*

Numer. 3. v. 12.

Ambrof.

89. Leuitae, Sacerdotésque inhibentur accipere terram, ne dignitati intulerint ignominiam: *Leuitae nihil terrae acceperunt inter fratres suos.* Naxera in Iosue Tom. 2.

Iosue 14. v. 3.

Origenes hom. 21. in Numeros Leuitas ait terrenae haereditatis expertes, vt sub hac vmbra sacri erudirentur ministri, debere scilicet esse ab omni terrena labe discretos, & omnigenae puritati dicatos: *Per hos illi mihi videntur indicari, qui nullis corporea naturae obstaculis hebetati; sed omnium visibilium gloriam supegressi, in sola sibi sapientia Dei, & verbo eius viuendi vsum, exercitiúmque posuerunt, qui corporeum nihil requirunt, nihil rationis alienum: concupierunt enim sapientiam, concupierunt secretorum Dei agnitionem.* Addit post pauca: *Sapientiae illuminatione radiati, vt verae diuinitatis capaces per puritatem cordis effecti.* Vt toto puritatis censu cor fulgeat, nihil terrenum anhelet: omni terra felicissimè sunt priuati, vt omni resplendeant puritate conspicui: eam enim in ministris suis Deus puritatem requirit, vt corporis videantur expertes, quò sacri muneris sint capaces.

Sacerdos nihil terreni examinat.

§. XIX.

Vel in hac vita caelestem delibant gloriam, qui castitatis possederint excellentiam.

90. Castitas vitae ornamentum mentis reluminat aciem, & animo ad contemplanda caelestia arcanum inspirat semper vigorem: ea ad sensibus subducta spectãda pollet castitas mentis perspicientia, vt sensuum illigamentis videatur soluta: hinc vel qui carnis negotia accuratiùs tractabant, deorum oracula per castitatem quaerebant: quasi sola haec virtus cum coelitibus habuerit commercium; imò, & cognationis consortium. *Quae Delphis insaniunt*, inquit Tertullianus lib. 1. ad vxorem cap. 6. *nubere nesciunt*: quas foeminas veluti oraculorum antistites consecrabant, de virginitate censebant: quasi solum illae, quae carnis ignorauere delicias, aptae fuerint ad arcanas caelitum excipiendas loquelas. Perpetuae luci Vestales virgines adhibuit Roma custodes: nam lux non potest deficere castitati, & vbi virginitas, nunquam occidua resplendet claritas: fallebantur egregiè, qui ignem illum caelestem arbitrabantur, cùm gehennalis ignis iam illis esset exordium, & inextinguibilis ardoris auspicium: in ea tamen tali ac tanta erroris insania aliquid veritati ministrarunt: vt si saepè de veritate contra veritatem arma fuerint constructa, de mendacio contra mendacium desetuiant etiam elaborata. *Roma quidem*, addit Tertullianus ibi, *quae ignis illius inextinguibilis imaginem tractãt, auspicia poenae suae cũ ipso dracone curates de virginitate cẽsentur.* Itaque vel penes ethnicorũ errores virginitas perpetuae lucis est custos nec enim deficere potest claritas, vbi intemerata colitur puritas. Iam è contra qui carnis voluptatibus immerguntur, à supernorum commercio exules exterminantur: *Facies*, monet Deus Moysem, *vnctionis oleum sanctum*, &c. *Aaron, & filios eius vnges, sanctificabisque eos, vt sacerdotio fungantur mihi: filijs quoque Israel dices: Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras: caro hominis non vngetur ex eo.* Ipsa verba sibi refragari videntur: nam si caro hominis hoc oleo non potest lucere illita, nec

Tertull. Oraculorum interpretes casti.

Exod. 30. v. 25. 30. & 32.

Aaronis, & filiorum caro ſplendere poterit conſecrata: ergo aut Aaron non vngatur, aut hominis caro vnguenti odoribus non priuetur. O profundam nubis eruditionem! quos cæleſtium indices ſeligebat, ſic à carnis appetitionibus volebat alienos, vt iam caro remaneret ad veritatem ſubſtantiæ: & deſineret ad fallacias prorſus luxuriæ: illi tamen repelluntur ab vnctionis beneficio, qui maculantur appetitus volutabro: Aaron filiique eius, qui ab humana conditione quodammodò excerpti, & vnctione ſacra liniti; vnctionis tamen remanere iubentur expertes deliciis carnalibus vectigales. Ita
Radulphus. Radulphus in allegoriis Tilmani: *Caro hominis non vngetur ex eo: quod quodammodò dictum ſit: quæri poteſt, cùm Aaron, filijque eius ex eo vngi præcipiantur, in promptu tamen eſt aduertere eam quæ ad vſum carnalem pertinet exhiberi vnctionem, non eam, quæ ad ſanctificationem. Vnde non dicitur, homo non vngetur ex eo, vt potiùs voluptatem carnis amputandam intelligat, quàm officium conſecrationis.* Attentiùs audi, quæ ſubdit. *Vnctio iſta ſpiritus eſt: vnguento itaque iſto caro hominis vngi non poteſt: quia quicumque viuunt ſecundum carnem, ſancti Spiritus neſciunt vnctionem.* En qui in carne non ſecundum carnem viuunt, ſpiritus participatione nobilitantur; qui verò deſideriis inſeruiunt, communicatione Spiritus prohibentur: alij namque remanſere terreni, alij nobiliter degenerarunt, & ad Angelorum naturam transmigrauerunt. Hinc non ſine myſterio Thaborem montem in ſorte Zabulonica ſitum inuenies: *Reuertitur de Sareth contra Orientem in fines Ceſeleththabor*, &c. Hunc montem fuiſſe Chriſti Domini gloriæ theatrum tradunt interpretes. Ita Abulenſis
Abulenſ. quæſt. 2. *Videtur quòd ſint duo nomina, ſcilicet quòd Ceſeleth ſit vnum nomen, & Thabor ſit aliud: nam in ſequenti ſorte ponitur Thabor tanquam vnum nomen; & dicendum quòd Ceſeleth ſit nomen vrbis, & Thabor ſit nomen montis: & iſte eſt mons, in quo Chriſtus coram diſcipulis ſuis transfiguratus eſt.* Itaque in Thabore fulgurans Dominus edidit ſpectaculum, & futuræ gloriæ guſtum aſpicientibus dedit. Iam cur Zabulonica ſors hac præ aliis excellentia fuerit nobilitata, innuit Gloſſa moralis Zabulonem imaginem
Gloſſa. caſtitatis teſtata. Accipe eius verba: *Zabulon interpretatur habitaculum pulchritudinis, & conuenit ſtatui clericorum, in quibus refulgere debet decor honeſtatis.* Caſtitas cæleſtem gloriam delibauit, quaſi ab hominum conſuetudine exempta, & cælis ſemper vicina.

31. Adam à Domino ſine coniuge conſtruitur; imò dum fabricatur de coſta coniux, ecſtaſi à ſenſibus alienatus in Angelorum verſatur curia, & dormit adhuc in terra: *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam:* Diuus Auguſtinus
Gen. 2. v. 21. pro ſopore legit *ecſtaſim*; túncque quia conſorte deſtitutus, aſſerit naturæ Angelicæ fuiſſe aſſociatum: *Ecſtaſis hæc*, inquit apud Lippoman.
Auguſt. *quam Deus miſit in Adam, vt ſoporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immiſſa, vt & ipſius mens per ecſtaſim particeps fieret tanquam Angelicæ curiæ, & intrans in ſanctuarium Dei intelligeret nouiſſima.* Poſt Euam conſtructam ecſtaſis nō immititur; ſed cùm deſtituitur vxore ad cæleſtia mens eius rapitur: virgo inter Angelos commoratur, & ſi fas eſt dicere, miſcet colloquia, & acutiſſima mentis acie agnoſcit abſtruſa. Virginitate adornatus delibat cæleſtia, iam maritatus tractat incurioſè humana.

Gabriel mittitur ad Virginem nuntium feliciſſimum afferens: illa, quod Virginis proprium eſt, vel de Angelico ſermone turbatur: 92.
Turbata eſt, inquit, *in ſermone eius.* Non turbatur de aſpectu; ſed de nuntio: ideo ſignanter inquit Euangeliſta *in ſermone eius*: quid enim Virginem turbaret Angelorum præſentia, cui adſtabat cœlitum numeroſiſſima copia? Cum Angelis Virgo conuerſabatur, & ſacrè ambitioſo deſiderio certabant Virgini famulari, & cum illa verba miſcere. Innuit Bernardus ſerm. de aquæductu: *Quidni videas Angelum, cùm iam Angelicè viuas? Quidni viſitet Angelus vitæ ſociam? Quidni ſalutet ciuem Sanctorum, & domeſticam Dei? Angelica planè vita virginitas, & qui non nubent neque nubentur, erunt ſicut Angeli Dei.* Quæ Angelorum erat conciuis, expauet de partu; ſed non de viſu: ſæpiùs namque Angelicis fruebatur alloquiis; & quia eximia puritate fulgebat, iam cæleſtia in terra poſita deguſtabat. Luc. 1. v. 29. Bernard.

Stephanus furoris reliquias, quo in magiſtrum aduerſarij furebant, primus excipiēs dura lapidum grandine ictus occumbit; ſed ante mortem cælos ſibi reſeratos videt: *Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Et quid neceſſum eſt ad cæleſtia iam properaturum ante mortem deguſtare cæleſtia? Plures pro Chriſto furentium inſaniam tyrannorum perpeſſi; nec tamen cælos apertos intuiti: cur ergo cæleſtia Stephano reſerantur, & palatia inter homines degenti panduntur? Innuit ſanè textus: *Viderunt*, inquit, *faciem eius tanquam faciem Angeli.* Caſtitatis decor Angelico prodebatur in vultu, & toto corporis agnoſcebatur in geſtu. Ergo quia caſtitati debebatur in terris delibare cæleſtia, illi ante mortem panduntur arcana: poſſidere æterna gaudia debebatur martyrio, prægustare caſtitatis priuilegio; vtque Deus caſtitati debitum ſoluerit, cælum ante mortem aperuit: eſt namque caſtitatis priuilegium in terris deguſtare cæleſtia, delibareque ſacratiora: *In ipſa colluctatione pugnantis, iam profert ſpeciem reſurgentis*, aiebat Emiſſenus hom. de ſancto Stephano. Si reſurgentes, vt Angeli vident Deum, erunt namque ſicut Angeli Dei, iam Stephanus additur Angelorum numero, & adhuc deſudat prælio. *Pulchritudine candoris*, inquit Interlinear. *benè Angelus erat.* Addit Emiſſenus: *Abundantia cordis tranſit in decus corporis: in exterioris gloriam candor interioris exudat, & abſcondita pectoris ornamenta ſpeculum frontis irradiant: habens intra ſe Spirtum ſanctum, os præ ſe geſtat Angelicum.* Iam fruitur præmiis, quæ meretur, & ne puritas careat priuilegio, iam in terris cæleſti gaudet intuitu. Adde pro caſtitatis menſura arcana non ſemel reſerari cæleſtia. 93. Actor. 7. v. 55. Actor. 6. v. 15. Emiſſen. Interlin. Emiſſen.

Lot gemini obiiciuntur Angeli, illique ſub veſperum: *Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere.* Abrahamo candenti Sole tres obiiciuntur numero diſcreti; ſed myſterio vniti. *Apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum.* Inquires cur numerus alibi imminutus, & alibi incrementatus: cur alibi tenebreſcente veſpere, & alibi ardente Sole? Ipſa Sara quæſtioni reſpondet: nam dum renuit caſtæ voluptati indulgere, indicat integro matrimonio Abrahamū, ipſamque 94. Gen. 19. v. 1. Gen. 18. v. 2.

que matrimonij deliciis caruisse: *Postquam consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo.* Qui renunciauerant voluptatibus, tres Angelos intuentur; à Loto duo tantùm, & sub vesperum spectantur: quasi fuerit castitatis prærogatiua plus de mysteriis cælestibus agnouisse, & clariùs, quæ viderit, spectasse.

Abulens. *Sara, & Abrahamus vsu coniugij abstinebant.*

Ex hoc patet, inquit Abulensis, *quòd diximus supra 15. capite, quòd postquam Sara excessit tempus, vsque ad quod secundum naturam concipere poterat, & muliebria ei fiebant: non fuit cognita à viro suo; sed de communi consensu abstinebant, & hoc erat eis sanctum, & laudabile.* Voluntarius spado pro cupiditate cælesti saluo matrimonio Abrahamus abstinentiam tolerauit: ideò plus dilucidiúsque præ nepote vidit: apud castum hospites diuertunt cælestes non compulsi; sed spontanei: diuertunt apud Lot; sed quasi coacti, & vrbanitate compulsi: *Compulit illos oppidò.* coniugalis castitas non fuit impedimento cælestibus; maior tamen puritas mysteriis nobilitatur clarioribus. Apud Abrahamum diuertit Trinitas, à Loto excipiuntur ministri: vt noueris pro castitatis modo spectari cælestia, clariúsque agnosci diuina.

95. Hoc idem probat Moyses pastor quondam in Arabiæ montibus, & posteà populi imperator, & ductor: hic cùm bona fide ageret in deserto gregem, omnium ætatis suæ pastorum in curandis ouibus solertissimus: dum nulli labori parcit, vt lætiora, irriguáque pascua quæsierit, incidit in grande quoddam prodigium: nam rubus frutex inualidus, & spinosus flammis cinctus efflorescebat, & veluti fœcundis riuis irrigatus micabat: flammis coronabatur ardore flammarum sopito: quia internè Numinis ornabatur simulacro: inuolat pastor; sed arcetur:

Exod. 3. v. 5. *Ne appropies huc.* Qui modo retardatur, posteà montem adire iubetur: *Moyses ascendit ad*

Exod. 19. v. 3. *Deum: vocauitque eum Dominus de monte.* Idem vocatur, & accedere prohibetur. Et cur qui ad colloquium in monte admittitur, ne rubo appropinquarit, sistatur? Quia anteà matrimonij legibus addictus, iam verò renunciatis voluptatibus segregatus:

Epiphan. *Postquam prophetauit Moyses*, scribit Epiphanius lib. 3. aduers. hæres. c. 78. *non ampliùs vxori coniunctus est: habebat enim vitam Domino vacantem: quomodò enim potuisset in monte Sina quadraginta noctes, ac quadraginta dies degere, si nuptijs addictus fuisset, aut quomodò posset quadraginta annos in deserto ad dispensationem Dei paratus esse, & sacerdotio vacare, & quomodò mysteria explicare, & colloquia cum Deo perficere, si nuptijs coniunctus fuisset.* Dum renunciat carnis illecebris, vocatur; dum non renunciat, longiùs arcetur: quasi pro castitatis mensura sacrorum dispensetur notitia, & approximandi taxetur etiam distantia.

---

§. XX.

Præstantissimi superioris est, vbi lenitatis non profuit obsequium, ad culparum correctionem asciscere rigoris auxilium.

96. Cassiodor. PRudens, aiebat Cassiodorus 12. variar. 10. *se ipse compellit:* minùs cautus est, qui vrgetur ab altero; sed quia prudentes sunt rari, & incauti frequentissimi, necessum est illos vrgere, ad officiaque violenter sæpissimè cogere: Iudex superiorque curabit lenitiuis infirmitati remediis occurrere blandísque fomentis causam salutis peragere; verùm si necessum fuerit, ad incisiones, ad sinapis incendium, ad cauterij feram medicinam deueniet, & serpentibus morbis efficax remedium apponet. Prudenter sanè se in Principem eligi detrectauit ille, qui nec panis habebat copiam, nec medicinæ peritiam: *Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me Principem populi:* vtrúmque superiori necessarium, patris animum pane dilargito ostentare, & medici sæuitiam referre: nonnulli namque exhibitis superbiunt obsequiis, & quos cicurare debebant officia, non semel blanda, vrbanáque irritauerunt obsequia: his austerior opus medicina, & aliquando necessaria cauterij flãma: nec dicendus est sæuus, qui sanitatem procurat; sed qui noxia, ignauáque misericordia causas morborum augmentat. *Est planè quasi sæuitia medicina,* aiebat Tertullianus aduersus Gnostic. cap. 5. *de scalpello, déque cauterio, de sinapis incendio; non tamen secari, inuri, & extendi, morderique idcirco malunt, quia dolores vtiles affert; nec quia tantummodò contristat, recusabitur; sed quia necessariò contristat, adhibebitur.* Medicus non recusat, quæ necessariò contristant, adhibere: quia nouit ægrum aliter non posse saluari: non minùs necessarium est superiori ac alimentis nutrire, ferro aliquando secare: & quidem videas medicis non semel quod infirmis debuisset, contingere: vitant laboriosa quæque medicamenta, & ipsi medicinæ præsidium timidi, & malè verecundi recusant; & ne salubrem intulerint ægris molestiam, vtilem correctionis non adhibent disciplinam: vlulat aliquando infirmus, & inter medici ingemit manus; verùm quantumuis mugiat, artifex optimus non detrectat medelam apponere: quia scit ab illo remedio sanitatem pendere: ergo qui medicinæ artem nesciebat, qui carebat pane, prudenter recusauit superioris officium; quia in Republicæ susciperet detrimentum. Non potest ad medicinæ deuenire remedia, qui priùs panis, vestimentique non præbuit liberalis auxilia; verùm post blandum fomentum ad austerum recurrere debet subsidium. Aser sortem accipit quintam: *Cecidit sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas, fuitque terminus eorum Halcath:* Glossa moralis Aserem interpretatur carcerem, aitque adumbrare statum principum, & superiorum quibus competit corrigere suppliciorum remedio, quos blando corrigere non potuerunt officio: *Aser,* inquit, *interpretatur carcer; & conuenit statui Principum, ad quorum spectat officium illos, quos paterna castigatio corrigere non potuit, vinculis & carceribus mancipare.* O quàm aptè in vno Asere coniungitur, & panem pinguem esse, deliciásque ministrare, & proteruos ligaturis vinculorum constringere. *Aser,* aiebat Iacob, *pinguis panis, & præbebit delicias regibus.* Quibus regibus? Illis sanè, qui seipsos nouerunt regere, & ad legis normam componere; refractariis verò, & ceruicosis non est Aser panis delicatus; sed carcer durissimus: nec minorem eius sorti, principatuique decorem attulit hæc fructuosa duritia,

Prudens ipse se compellit.

Isa. 6. v. 7.

Tertullian. *Medicina vtilis sæuitia est.*

Gloss.

Genes. 49. v. 20.

titia, quàm illa panis, & deliciarum laudabilis copia: solùm est illis carcer, quos paterna admonitio, & blanda nequiuit emendare suasio: morigeris namque & deuotis pinguis præbet panis delicias, & deliciarum cupedias.

97. Pessimus ille tentator Christum Dominum in deserto aggreditur, cùmque animo implacabile gerat odium, pietatis ore mentitur obsequium: *Dic vt lapides isti panes fiant:* Dominus quamuis tectas versutias agnouerit, prudentissimè dissimulauit: nec enim superiores omnia oportet videre, aut saltem oportet non omnia arguere: blandè respondit ad hominis sustentationem plus exigi, plus requiri: Non in solo pane viuit homo: institit versutus: quia putauit fraudis inscitiam, quam Dominus ostendebat modestiam: suadet præcipitium: *Mitte te deorsum:* iterum Dominus de aliena peruersitate suam adornat cumulatiùs patientiam. Tandem cùm de Domini tolerantia diaboli adaugeretur malitia, durè illum increpuit, & asperis verbis ad tartarea vincula redire compulit: *Vade Sathana.* Quam pulcher ordo! Bis præbuit exemplum patientiæ, semel flammas ostendit iræ: vbi verò despiciebatur mansuetudinis tolerantia, procacem iusta ad tartara detrusit sententia: *Quia diabolus*, exponit Caietanus, *manifestauerat se esse Principem mundi; ideo Iesus non respondet illi sicut homini, vt priùs; sed expellit eum.* Assumpta pia ira dæmonis frænat audaciam: quia de modestia dæmon incrementauerat insolentiam.

Matth. 4. v. 3.

Caietan.

98. Nabuchodonosori semel, & iterum suppliciorum Deus ostendit imaginem, vt de suppliciorum minis ipsis obuiaret suppliciis; ille verò diuina patientia abusus in eam deuenerat arrogantiam, vt diuinam sibi crederet inesse naturam. Quid tunc? Vinculis constringitur, quo mens eius vexationis medicamine persanetur. *Alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis, quæ foris sunt, & rore cæli tingatur.* Vinculis premitur, ne elationis alis ventosissimis efferatur. O quàm diuinam commendat regiminis politiam, prius monere, posteà vincire! Et quidem ni vinculorum adhibitum fuisset remedium cæca hominis petulantia miserum incurrisset naufragium; at dum catenis illigatus cogitur sustinere molestias, arrogantiæ nouit deponere insanias: dedit intellectum vexatio, & furorem sedauit punitio: *Contra omnes rabie insaniebat,* scribit Theodoretus orat. 4. *necessarijs vinculis constrictus fuerat:* ne insaniret, furoréque agitatus feræ adinstar omnes discerperet, omniáque turbaret, vinculis cogitur deponere amentiam, & ad mentem confugere sobriam. Illigare ad instar bruti ferocientem, ferreisque vinculis detinere non erat regiminis nota; sed laudabilis semper prudentia. Et quidem sæuiendo illi Dominus pepercit; illi forsitan parcendo sæuiret: est namque non semel parcere crudelis ignauia, & fellita misericordia. Cùm opus fuerit, carceris, & catenarum sunt aduocanda remedia, ne lapidescat audacia: *Contra omnes rabie insaniebat: necessarijs vinculis constrictus fuerat.* Discant superiores post patientiæ blanda medicamina post amica monita carceris, & vinculorum vti remedio: sunt namque sæpè virtuti maximo auxilio.

Dan. 4. v. 12.

Theodoret.

99. Samaritanus ille misericors in hominem incidit plagis saucium, & vulneribus confossum: inopinum spectaculum animum horrore percelluit; sed rei difficultas pietatem Samaritani non vicit: Desiluit ex equo, & hominem refouens, plagis oleum, & vinum infudit: *Alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum:* Lucæ 10. v. 34. non priùs vinum, & posteà oleum; sed prius oleum, & posteà vinum; *Infundens*, inquit, *oleum & vinum.* Et cur olei priùs adhibeat medelam, & posteà vinum infundat? Quia optimi gubernatoris, & Principis imaginem præferebat: oleum blandè fouet, tumorem demulcet, & austeritatem nescit: vinum acriùs vrit, viuaciùs mordet: ergo optimus ille medicus, ne vini adhiberet medicamentum, ad olei priùs recurrit subsidium; verùm quia altiora erant vulnera, quàm quæ fomentis blandis curari peterent, remedia austeriora adhibuit: & quidem vinum post oleum, & medici denunciabat benignitatem, & vulneris altitudinem: si enim medicus ex se austerus nesciret oleum, & infunderet priùs vinum; at cùm vino post oleum vtitur, & medici placiditas, & vulneris denunciatur proteruitas. Adest Gregor. apud D. Thomam. *In vino morsum districtionis adhibet, in* Gregor. *oleo mollitiem pietatis: per vinum vngantur putrida, per oleum sananda foueantur.* Certè quæ incute solùm morbum contraxerunt, cauterio, & sinapis incendio curare esset laniena, non medicina; putrida verò ferro non scindere; sed oleo blando fouere, esset habitu pietatis sæuitia, & crudelis misericordia. Optimus ergo medicus Christus Dominus, qui se in Samaritano voluit intelligi, oleum adhibuit; sed quia satis non erat, vini austeritate curauit. Innuit etiam Ambrosius ibi: *Sicut oleo souet remissione peccati,* Ambros. *sic vino compungit denunciatione iudicij.* Multi patientia abusi de patientia arma contra æquitatem procudunt: hos ergo austeritate reprimere necessum est, ne dum lenioris mansuetudinis contemnunt remedia, virtutis æquitatisque euaserint probra.

Deus Ieremiam iubet illigari catenis: *Fac tibi* 100. *vincula & catenas, & pones eas in collo tuo, &* Ierem. 27. *mittes eas ad Regem Edom, & ad Regem Moab,* v. 2. *& ad Regem filiorum Ammon*, &c. Vincula ostendit, quo peccantium insolentiam reprimeret: monuerat sæpiùs, amplissimis allexerat beneficiis, terroris ac minarum asciuit medicamenta; sed recrudescebat plaga: ergo vincula, & catenas in pietatis assumit auxilium, vt omnibus incusserit metum. Discent catenis triti, manicis & compedibus illigati pietati parere, qui renuerant blandis suasionibus obedire. Prodest noster Sanctius ad hunc locum: *Hoc iugum, & lora constrinxere Chaldæi, vt qui nobi-* Sanctius. *lem atque ingenuam seruitutem subire noluerunt sub Deo magis benigno domino, sub duro atque inexorabili subeant ærumnosam, & sordidam.* Rustici superbiunt, si tractentur vrbaniùs; famulantur, si duriùs: ergo Deus, qui priùs exhibita pietate suo placidissimo genio satisfecerat, rusticos, & duros hominum mores vinculis, & catenis ad officium cogere decreuit, ne optimi sui regiminis verteretur in dedecus austeriora non adhibuisse remedia, nec pietatis adiutricem ostentasse in homines iram. Prosunt vincula, & pro virtutibus sunt catenæ: nam dum in sordidum detruduntur carcerem pertinaces, floret aliorum modestia, & quæ de pessimis exemplis forsitan pullularat, suffocatur prudenter

dentet audacia. Aser optimi Principis gerit imaginem, cùm exhibet modestis delicias: *Præbebit delicias regibus*, & iniicit petulanti catenas: *Aser carcer interpretatur.*

§. XXI.

Sub ampla fortuna sic terrenis inhærent corda, vt caducis semper dicentur studia.

101. QVæ ridentis fortunæ putantur munera, sæpè captiosæ insidiæ sunt? aues capiuntur visco, dum oblectantur edulio; nesciunt incautæ simul nasci, & visci compedes, & ciborum voluptates: quo diutius cibi fraudulentis immorantur deliciis, fortioribus illigantur catenis, vt iam illis non liceat per liquidum librare pennas, aut deliciosas illas vitare angustias. *Sapiens*, aiebat Seneca epist. 66. *affectatorque sapientiæ adhæret quidem in corpore suo; sed optima sui parte abest, & cogitationes suas ad sublimia intendit, & velut sacramento ligatus hoc, quod viuit, stipendium putat, & ita formatus est, vt illi nec amor vitæ, nec odium sit, patiturque mortalia, quãuis sciat ampliora superesse.* Sapiens pro corporis, & humanæ vitæ necessitatibus terrenis adhæret, à quibus facile sit disiungi, & animo separari; insipiens verò non adhæret; sed inhæret tenaciter; imò agglutinatur, & mergitur: quia corporis sui vtilem non didicere contemptum, quodammodo insolubile insipienter patiuntur vinculum. Iam si felicior adspirarit fortuna, validiùs illos adstringit, & humanis rebus veluti mancipia tradit. *Maior sum, & ad maiora genitus, quàm vt mancipium sim mei corporis: quod equidem non aliter aspicio, quàm vinculum libertati meæ circumdatum: hoc itàque oppono fortunæ, in quo resistat, nec per illud ad me illud transire vulnus sino: quidquid in me potest iniuriam pati, hoc est in hoc obnoxio domicilio, animus liber habitat: nunquam me caro ista compellet ad metum, nunquam ad indignam boni simulationem, nunquam in honorem huius corpusculi mentiar; cum visum fuerit, distrahàm cum illo societatem, & nunc cum hæremus, non erimus æquis partibus socij: animus ad se omne ius dicet. Contemptus corporis sui certa libertas est.* Qui corporis nondum peruenit ad contemptum; nondum carceris effugit vinculum: quem cupiditatum suarum infausta felicitas extulit, mendacio vinctum detinuit. Seruus est libidini addictus, auaritiæ dicatus, ambitioni venditus, timore perculsus: seruus est quisquis felicitatis catena illigatus est: multos videas dignitatis culmine non euectos; sed affixos; non licet illis aliud agere, aliud animo gerere, aliud tractare: & quidem artifices, si aliquo obscuro loco ad fabricæ structuram deliteant, in publicum aliquando prodeunt, & oculos luci restituunt; isti, verò, quos sua fortuna fefellit, quasi in conditiuo viuunt: non licet illis disrumpere vincula: quia sua nolunt conformare naturæ vota. Ecce Issachar terram sortitur fructibus prædiuitem, amœnis riuulis deliciosam: *Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas, fuitque eius hæreditas Iezrael*, &c. Qualiter se Issachar gesserit deliciis circumfusus, & felicitatibus quodammodo obsessus, explicuit pater eius morti vicinus. *Issachar asinus fortis accubans inter terminos; vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factúsque est tributis seruiens.* Vtrúmque prudentissimus senex iunxit, & optima terra frui, & tributis immodicis prægrauari. Accubuit inter terminos dedignatus arctiora, quia spectauit semper iucunda: *Vidit*, inquit, *requiem*: ipsa requies illigauit vinculis, ipsa fortuna, ne meliora saperet, constrinxit deliciosis catenis: *Prædixerat Iacobus*, inquit Masius, *Issacharianos habituros solum felix, atque amœnum: ideóque non facilè passuros se inde pelli; sed potiùs vectigales futuros superioribus hostibus, similiter atque clitellarij muli, quantumuis onusti, si læta gramina, quæ carpant, per iter nacti sint, neque onere, neque facilè fustibus propelluntur.* Vt bruta læto gramine detinentur, ne vlteriùs progrediantur, solúmque, quæ ad ventrem pertinent, cogitant; ita fortissimi homines in censum brutorum transeunt, sic corporeis voluptatibus, & superbiæ dediti, vt quæ extra conspectum cadunt, ignorent prorsus obliti. Accumbit Issachar; imò inhæret terræ, quin ab illa patiatur disiungi, dum felicitatibus se conspicit redundare: nam infortunata fortuna sic ad terram deprimit corda, vt vltra terram progrediantur nullatenus desideria.

Seneс. Sapienti nec amor, nec odiũ est vita.

Senec. Contemptus corporis secura libertas.

Genes. 49. v. 14.

Masius.

102. Diues ille, cui vberior adulabatur fortuna, dum copiosioribus exundat fructibus, anxiis magis inseruit affectibus: *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Ecce quid cogitet: delicias, epulas, otia, & quidquid ad corporis pertinet studium, & ad animæ probrum; imò ipsa anima veluti in corporis ius tradita nobile quodammodo deposuerat ingenium, & ad terram votis depressa cupiditatum suarum sustinebat, & iam vinculum. Quàm carebat libertate, qui ampliori ditabatur fortuna! Quàm cogitabat terrena pressus, qui amplissimis agri prouentibus diuitabatur onustus! Vel ipsam animam corporis nitebatur ignobilitatibus infuscare, vt iam nec leui cogitatione ad cælestia posset excurrere: operosas mente substructiones molitur, longa vitæ sibi promittit spatia, pingit phantasia delicias, & excogitatas suspirat epulas. *Quiesce, comede, bibe, epulare*: nec menti occurrunt superna: quia omnem sibi mentem captiuarant humana: ipsum fortunæ incrementum in animæ euasit vinculum. Audi Gregorium lib. 15. moral. cap. 13. *Ecce vota completa sunt: quia fructus vberes ager attulerat; sed quia ad recondendum loca non sufficiunt: multiplicatus diues quid faciat, ignorat. O angustia ex satietate nata! De vbertate agri angustatur animus auari: dicens namque: Quid faciam? profectò indicat, quia votorum suorum affectibus pressus sub quodam rerum fasce laborabat.* Et qui grauia portant onera, ad terram caput inclinare coguntur, nec possunt oculos ad alta leuare, dum onus humeros perseuerat atterere; ita quos felicitas, & fortuna laxior ornauit, & ad terram ferè semper depressit.

Lucæ 12. v. 17.

Gregor.

Semper animo voluunt ambitionis crementa, discriminis semper pericula: semper ipsis diuitiis, ac diuitiarum occupationibus illigati caput non possunt leuare incurui. Ecce diues, dum diuitiarum grandior fascis, plus ad terram inclinatur molestia oneris: *Votorum suorum affectibus pressus sub quodam rerum fasce laborabat.*

103. Dan.4.v.1. Florebat Nabuchod. ille vanitatis, & ambitionis emblema: *Quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo:* Deus insipientiæ hominis misertus corrigere, & ad sapientiam traduxisse decreuit: cor eius cum feræ corde commutatus, fructibus interdicitur, & tandem ab hominum consortio depellitur: *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, & septem tempora mutentur super eum. In sententia vigilum decretum est, & sermo Sanctorum, & petitio, donec cognoscant viuentes, quoniam dominatur excelsus in regno hominum.* Profectò decretum non videtur vigilum; sed dormientium: nam si desiderant fere insanum informare sapientia, & cælestium erudire notitia, cur auferunt cor humanum, & commutauere ferino. Bruta capite ad terram prono solùm exambiunt caduca: homo ad cælestes fornices ore leuatus didicit meditari cælestia: ergo satius erit humanum cor disciplinæ castigatione erudire, quàm ferinis cordibus commutare. Proh felicitatis præstigias! proh amplioris beneficium fortunæ! Sic terræ inhæret, dum floret, vt sit arbor latis radicibus illigata, & terrâ semper inclusa; at dum animal, fortuna caret, & in montibus inedia tabescit: exteriùs illigatur; sed intra telluris viscera non includitur: arbor in telluris agit profunditate radices, animal terram tangit; sed terræ molem non sustinet: quantum arbor illa vernantibus micabat floribus, foliisque vernabat viridibus, quantum saporatis fructibus ditescebat; tantum per terræ sinus, & radices dilatabat: quasi idem fuerit terram ambitiosius quærere, & ampliori fortuna ornari: dum floret, nec à Propheta monitus, nec minis perculsus ad superna leuauit aspectus; quia mentem totam terreni distraxerant appetitus; at fera faciliùs à tellure remouit aspectum, vt intueretur Olympum: *Post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui.* Ecce minus obfuit brutalitas, quàm prosperitas: leuauit oculos ab hominibus expulsus, quos non leuauit, dum floridus: quia magna eius fortuna sic captiuauerat mentem, vt cælestia cogitare non sineret. Adest Theodoret.

Theodor. orat.4. *Non sine causa adiecit, ego; sed vt omnes homines doceret: quasi ita dicat: Ille ego, qui tanta olim arrogantia dixeram: Quis est Deus, qui eruat vos de manibus meis? qui somniaueram fore, vt in cælum ascenderem, & super astra ponerem thronum meum; experientia doctus didici, quid deceat: meo supplicio sapere didici, meam seruitutem agnoui: idcirco etiam in cælum oculos meos sustuli.* Prouidentissimi vigiles comprobantur, qui vt oculos leuaret ad cælum, decreuerunt fortuna mulctare, & floribus, ac fructibus interdicere: cum namque secum furorem ampla ferè semper defert fortuna, vt dum viguerit, supernorum homo priuetur intelligentia: dum seruitutem agnouit, in cælum oculos sustulit; dum micantiùs floruit, ad terram cogitationem depressit: *Meam seruitutem agnoui: idcirco etiam in cælum oculos meos sustuli.*

Iobus vt hanc fortunæ conditionem exprimeret aiebat: *Cùm satiatus fuerit, arctabitur.* 104. Iob 20.v.22. Ipsa satietate arctatur: quia ipsa fortuna vincitur: nihil enim aliud cogitat, nisi acquisita seruare, & conseruata adaugere; cúmque terrenis commodis totum eius dicetur studium, cælestibus nec minimum impendit votum: si satiatus non esset, vtiliora mente tractaret; sed terris satietatis nebulis impeditus à supernis exulat cæcus: vt enim qui multo vino indulsit à rationis castris ad appetitus latissimum campum excurrit; nec potest inuigilare intellectus, dum ebrietatis catenis illigatur discursus: ita qui vtitur ampliori fortuna, hac solet, ne cælestia cogitet, præpediri dementia: totus immergitur ambitionis curis, totus addicitur ventris illecebris, deuouetur totus cupiditatis negotiis. Audi Gregorium supra laudatum: Gregor. *Priùs quippe anhelat per auaritiam concupita congregare, & cùm quasi in quodam ventre auaritiæ multa congesserit, satiatus arctatur: quia dum anxiatur qualiter acquisita custodiat, ipsa eum sua satietas angustat.* Inter ambitionis, & cupiditatis curas diuisus arctatur, & dum plus cupit, quàm possit capere, laborat satiatus, & defatigatur onustus: non curat qualiter valeat seipsum custodire: quia curat solùm qualiter valeat acquisita seruare; & dum ambitioso studio diuitiis incubat, à supernorum cognitione prorsus alienatus laborat: sicque amplior fortuna cæcitatem enititur, vt cæcitate per caduca semper vagetur.

§. XXII.

Qui religiosam vitam professi, originis solùm nouerint excellentiam in virtutis auxilium, non in vanitatis suffragium.

Magnum facinus libertati renuntiare, 105. magnum religiosam vitam colentium numero adscribi: est namque arduum carnis transilire illecebras, & præstigiatrices illusisse diuitias: putant de sæculi errore omnes cecidisse in obscurum, qui transiliuit viriliter sæculum, ea solùm magna arbitrati, quæ foris splendent, non quæ intus nitidiùs lucent; cùm tamen ea solùm bona possint dici, quæ sedem in animo constat habere. Audi Senecam epist.15. Seneca. *Hoc nos doce beatum non eum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit; sed illum, cui bonum omne in animo est, erectum, & excelsum, & mirabilia calcantem: qui neminem videt, cum quo se commutatum velit, qui hominem ea sola parte æstimat, qua homo est: qui natura magistra vtitur, ad illius leges componitur; sic viuit, quomodò illa præscripsit.* Hóc profectò verum; sed adæquè vt verum, arduum: magnus est ille, qui se numero deerrantium subduxit, & *Solum est felix, qui ad leges naturæ viuit.* iter ad regionem lucis arripuit; verùm etsi omnes rationi, & naturæ viuere teneantur, illi præcipuè qui mirabiliora calcarunt, ea sola parte qua homo est, hominem æstimare tenentur, aut quidm si antiqui splẽdoris memoria subeat, fouere non debet superbiæ fastum, sed esse virtutis stimulus. Qui præclaris ortus natalibus,

&

& deauratis cunabulis innutritus, antiquæ recordetur originis, vt à se maiora deposcat, quando ad magna tenetur hæres bonorum: ostendat omnibus claritatis originem, non de reliquorum tædio; sed de humilitatis studio: illos laudabilius omnibus postponat humilitas, quos sanguinis antetulit claritas. Noua natiuitate antiquam natiuitatem commutent, vt de claritate solùm remanserit ad virtutem stimulus, & luceat de perfectioris vitæ norma humilitatis affectus. Issachar post Zabulonios sorte donatur; cùm tamen præcedat natiuitatis prærogatiua: *Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas.* Si natiuitatis ordinem curiosus examines, Zabulonem præcessisse reperies; verùm ordinis inuersione aliquod nobis Scriptura reserauit arcanum; & thesi nostræ aptum edocuit mysterium. *In hoc*, scribit Abulensis quæst. 2. *non obseruauit Scriptura penitus honoris, vel dignitatis ordinem: quia debebat præcedere Issachar: nam erant Issachar & Zabulon filij eiusdem patris, & matris; sed excedebat Issachar prioritate natiuitatis, vt patet Genes. 30.* Quòd si inquiras, cur Issachar obliuiscatur originis, cur iudicium non improbauerit sortis, respondebit glossa moralis adumbrare statum religiosorum: ideò ergo prærogatiuæ est natiuitatis oblitus, & solum posteriori loco humilitatem professus: *Per Issachar,* Glossa. *qui merces interpretatur, signatur status religiosorum, qui bona naturæ & fortunæ exponunt pro mercede regni cælorum.* Satis non erat bonis renuntiasse fortunæ, nisi se etiam abdicasset priuilegiis naturæ: non allegauit originis se prærogatiua præcedere: quia religiosam vitam meminerat colere: originis claritas, sanguinis decorosa antiquitas vsque ad religionis ingressum: nam licèt dotes istæ in aliorum debeant vigere recordatione ad venerationis officium, aboleri debent à possessoris memoria in modestiæ & humilitatis obsequium. Odiosum est cunctis antiquam nobilitatem semper ructare, vt gratum humilitate contegere: ignorat Issachar originis præcedentiam: quia religiosam excolit vitam: solum se nobilissimum meminit, vt actionum laudibus comprobarit, vt repetere de illo posset Cassiodorus 5. var. 12. *Si iustitiam colere vniuersos, & amare præcipimus, quantò magis eos qui nostra proximitate gloriantur, quos omnia decet sub laude gerere, vt regiæ possint fulgorem consanguinitatis ostendere: hæc est enim indubitata nobilitas, quæ moribus probatur ornata.* De morum ornatu claritas ostendatur originis, non de fastu tumor offenderit vanitatis.

Cassiodor. *Indubitata nobilitas moribus ostenditur comprobata.*

106\. Ad Hebr. 7. v. 1. Diuus Paulus de Melchisedech agens sic scribit: *Melchisedech rex Salem Sacerdos Dei Summi... sine patre sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens; assimilatus autem filio Dei.* Cùm vnicus Adamus patre, matreque caruerit Deo opifice structus, & omnipotentiæ vtero procreatus; certum est Melchisedechum patrem & matrem habuisse. Quis ergo fuerit iste Melchisedechus, & à quo prognatus, rogant interpretes. Lyranus ex Hebræis respondet fuisse Sem Noemi illius hominum Patriarchæ filium? ad nobis tamen indicandum mysterium binomium fuisse, nempe Sem, & Melchisedech, sub alteróque horum nominum, scilicet Sem, eius genealogiam referti, sub altero tamen, scilicet Melchisedech, silentio arcano signari: *Scriptura describit patrem* Lyra. *& matrem ipsius Sem, & eius genealogiam; sed ad hoc posset dici quòd Scriptura de prædictis non loquitur sub nomine Melchisedech.* Benè; sed redit iterum quæstio, cur sub hoc nomine genealogia careat, qui sub alio genealogiam, & quidem claram sortitur? Certè multi sunt, qui superbiæ fastu, vt obscuram genealogiam celauerint, nouis nominibus antiqua nomina commutarunt, & sub Darij, aut Cæsaris appellationibus nobilitatem mentiuntur; hic tamen cùm Melchisedechus claram celarit originem, quid altius nos cogitare compellit? verùm, ni fallor, ipse Apostolus quæstionem nobis clarauit: ait namque sub nomine Melchisedech Christi Domini imaginem reportasse: *Assimilatus filio Dei.* Dum ergo Christum non induit, generis claritate gloriatur; Christi verò humilitatem præseferens orbus genealogia proponitur: recordatur quidem antiquæ originis, vt Noë imitatus indigentibus præbeat auxilium, vt pro illis cœlesti Numini obtulerit sacrificium; non tamen agnoscit nobilitatem, vt cæteris conciliauerit tædium: dum Melchisedechus, à nullo genitus; dum Semus, clarissimis parentibus exornatus, quò eos, qui Christi Domini humilitatem induunt, instrueret originis obliuisci, & solum virtutis cunabula recordari.

107\. Fors mysterio non caret eos, qui virtutibus consecrantur, nobilitatis characterem nullatenus præ se ferre; imò quidquid originem spirat, nudari: qui in familiarum Principes ad posteritatis gloriam viuunt, originis affectauerint excellentiam; qui verò religiosa semel sectati sunt instituta, solum Deum agnoscant originem, ne de superbiæ fumo virtutis obscurarint nitorem, aut antiquo homine nondum exuti habitu solùm mentiantur virtutem. Anna filium à Deo obtinet templo dicandum, quem Samuelis vocabulo decorauit: *Vocauit nomen eius Samuel, eò quòd à Domino postulasset eum.* Qua construitur, cúmque Adamus eius pulchritudinem demiratus nomen illi inderet, os de regali corpore demptum, & nobilem de rege carnem appellauit: *hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Et cur Euæ nomen originem semper promulget, cùm Samuel patres non referat; sed cœleste solummodo beneficium prodat. Samuelis nomen se à Domino refert acceptum; viraginis vocabulum à rege os illud omnibus prodidit deriuatum. Et cur Anna sterilitatis antiquam non depulerit notam, dum fœcunditatis suæ æternam in nomine erigit columellam? Profectò si genus esset obscurum, nil mirum tegeret, industrioque artificio celaret; verùm dum ab Ephraimo originem trahit, regalem sanguinem fugit: fuit namque Ephraim Iosephi filius, & in Principem ab auo prælatus: si ergo familia de antiquitate nobilissima, de nobilitate omnibus celebranda, cur filio prosapiæ nomen non imponat, quò nobilissimum omnibus nomen ostendat? O miram fœminæ prudentiam! Dicabat filium templo, vt inter ministros viueret, & ab exordio studuit prudentissimè, ne quid originem redoleret, aut clarissimam sanguinis venam saperet. Huc voco D. Hieronymum ad Celantiam epist. 14. *Nulli te vnquam de generis nobilitate præponas, neque obscuriores quasque, & humiliore loco natas te inferiores putes: nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones*

Nescit religio personas accipere. *Vera libertas non seruire peccatis.* *hominum; sed animos inspicit singulorum: seruum, & nobilem de moribus pronuntiat: sola apud Deū libertas est non seruire peccatis; summa apud Deum est nobilitas clarum esse virtutibus.* addit posteà: *Frustra sibi aliquis de nobilitate generis plaudit, cùm vniuersi paris honoris, & eiusdem apud Deum pretij sint, qui vno Christi sanguine sunt redempti: nec interest, qua quis conditione natus sit, cùm omnes in Christo æqualiter renascamur: nam etsi obliuiscimur, quia ex vno omnes generati sumus, saltem id semper meminisse debemus: quia per vnum omnes regeneramur.* Qui eodem habitu amicitur, eandem originem profitetur, nempe se Benedicti, Basilij, aut cuiusque alterius religionis Conditoris filium: cúmque religiosi omnes in eo vitæ instituto eundem agnoscant patrem, vanissimum est de antiqua generis claritate gloriari: quia tunc quis minùs se filium Francisci, aut Ignatij profitetur, cùm de antiqua vena gloriatur.

108. Hoc idem, ni fallor, arcanè in Moyse disposuit Deus: nam cùm sibi illum sacrare decerneret, prophetámque constitueret, ab initio id nomen habere voluit, quod veluti sine patre, & matre, sine genealogiáque assereret: à parentibus fluentis exponitur, & quamuis intimo dolore perciti; se tamen iam filio abdicant, & diuinæ prouidentiæ committunt. Pharaonis adoptat filia; ille tamen adoptionem refutat, cùm in Dei populi censum referri anhelat: *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei.* Ipsum Moysis nomen orbum parētibus declarabat: nam etsi haberet ad illorum molestiam, non habebat ad notitiam: *Vocauit nomen eius Moyses dicens: quia de aqua tuli eum.* Itaque naturalem genealogiam fluctus demergit, adoptiuam nobilitatem fides depretiat, vt in Dei populum cooptatus luceat non nobilitatis stemmatis; sed virtutum fulgentioribus radiis. Moyses ab aqua, vt solum resplendeat nobilis de virtutibus, non superbiat de maiorum facinoribus. Commodabit nobis Tertullianus lib. 4. ad Scapulam c. 2. verba nostro instituto opportuna: *Vtique ex disciplina patientia diuina agere nos satis manifestum esse vobis potest, cùm tanta hominum multitudo pars penè maior ciuitatis cuiusque in silentio, & modestia agimus: singuli fortè non magis quàm omnes, nec aliunde noscibiles, quàm de emendatione vitiorum.* Ecce Christianam nobilitatem vitiis intulisse bellum, de criminibúsque gloriosum reportasse triumphum: nam illæ maiorum decantatæ victoriæ, & penè temporibus iam excisa parta de inimicis trophæa sæculi gloriam sapiunt, & dum præ vetustate iam penè collapsa meliùs antiquitatem suffulciunt; at penes Christum ea nobilitas celebrior, quæ depellere nouit vitia, quæ solùm virtutis agnoscit cunabula, quæ generis claritatem de virtutis splendore nobilissimè obscurat: Moyses in Ægypto degens se regem habere patrem gloriatur; ad Hebræos verò confugiens, nec adoptionis refert gloriam, quia negat; nec naturæ originem, quia nomen de fluctibus publicat. Et fortassis Pharaonis Dei nullatenus fulgeret elogio, si humanam originis gloriam vel nominis proferret indicio. Vt discant qui religionis ingrediuntur scholam, se antiquo prorsus homine denudare, & omne vocabulum prosapiæ nobilitatem spirans animitus fastidire.

Ad Hebr. 11. v. 24.

Exod. 2. v. 10.

Tertull.

§. XXIII.

Generosus terrenorum despectus gaudet serenitatis tranquillo, & placido quietis commodo.

HIc est inter mortalium errores penè maximus, & nocentissimus quod res ferè omnes ab exaerna specie censemus, nec quid sub fucato illo nitore lateat veraces scrutatores inquirimus: magna putamus excelsa, cùm non semel prærupta sint: in oceano tantisper placidè nobis adulante delusi quærimus firmitudinem, in vnda stabilitatem: pannosus, & attrita veste vestitus miser, & contemptibilis habetur; multo conchylio rubens, gemmísque scintillans beatissimus prædicatur, cum tamen huius animum exagitet compugnantia ventorum; illius verò summa adornet tranquillitas, imperturbatum gaudium, & lucis semper serenum. Mihi crede: fœlicitas non de fortuna; sed de fortunæ contemptu metienda est: hydropicus, etsi Iordanem bibat, quia nondum restincta flamma, ardenti discruciatur molestia: qui hoc morbo caret, vel stilla gaudet satiatus, nec lautioris potus desiderio perustus. Itaque non ab aquæ quantitate; sed à cordis affectu metienda est placida vnius tranquillitas, & alterius ardens anxietas: nec aliter ac in corporum habitudine, in morum constitutione crediderls accidisse: in delicatissimis ac plumeis sigmatibus dura angit cura, & solicita diuexat molestia: in nuda humo placidum pastor carpit somnum, & oblectat placiditate serena animum. *Si nobis animum boni viri,* aiebat Seneca epist. 116. *liceret inspicere, ô quàm pulchram faciem, quàm sanctam, quàm ex magnifico, placidóque fulgentem videremus; hinc iustitia, illinc fortitudine, hinc temperantia, prudentiáque lucentibus... Si quis viderit hanc faciem altiorem, fulgentioremque, & quam cerni inter humana consueuit, nónne velut Numinis occursu obstupefactus resistat, & vt fas sit vidisse, tacitus precetur?* Placidè viuit, qui animo nullius rei euanidæ admisit studium, nec magnum putauit pretium: *Cernemus, inquam,* addit posteà Stoicus, *pulchritudinem illam, quamuis sordido obtectam: rursus aquè malitiam, & ærumnosi animi veternum perspiciemus, quamuis multus circa diuitiarum radiantium splendor impediat, & intuentem hinc honorum, illinc magnarum potestatum falsa lux verberet.* Imò quia falsa lux verberat, necessum est vera flamma possidentis animum vrat: nam dum insanus animi appetitus ipsa fortuna proritatus viuidiùs inardescit, carnificis munus subit: ille solùm quietis, & placiditatis fruitur commodis, qui didicit renuntiare vniuersis. Issachar sortem accipit post Zabulon, cùm illi naturæ ordine esset antelatus, & ætatis priuilegio præpositus. *Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas.* In hac sorte placidissimam illi quietem prædixerat eius pater morti vicinus: *Issachar asinus fortis accubans inter terminos vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima, & supposuit humerum suum ad portandum,*

109. Senec. *Animus iusti vel sub pāno pulcherrimus; scelesti vel sub purpura obscurus.* Genes. 49. v. 14.

dum, factúsque est tributis seruiens. O quanta in prædictione inuoluuntur arcana? Si Issachar accubat placidè quietus, quomodò oneribus prægrauatus? Quid apponat humerum ad portandum, si requiem eligit ad recumbendum? Quia Issachar, inquit Moralis Glossa, est typus religiosam vitã profitentium, & mundialia omnia calcantium: dum ergo non contendit de primatu, dum inferiorem sibi locum amat, dum quidquid caducum est, non reputat commodum; sed cogitat detrimentum, quiescit placidè, & recumbit prorsus tranquillè: requie fruitur: quia quod magno in pretio reliqui habent, ipse generosè contemnit. *Per Issachar*, inquit Glossa moralis, *qui merces interpretatur, signatur status religiosorum, qui bona naturæ & fortunæ exponunt pro mercede regni cælorum.* O quàm angeretur Issachar, si primatus ambitiosus postpositum se videret, si imperium suspirans animaduerteret se ferendis oneribus deputari; verùm dum naturæ priuilegia, & fortunæ depretiat dona, requiem videt, & imperturbatus gaudet. Et quidem videbatur Zabulon fratri prælatus hac requie, & tranquillitate donandus; Iacobus verò, qui non externis oculis (caligauerant namque) sed internis res metiebatur, non prædixit quietis commodum magnatibus, & antelatis fortunæ fauoribus; sed omnia generosè contemnentibus: solus namque generosus contemptus placiditatis fruitur commodo, & tranquillitatis gaudet sereno.

Glossa.

110. Modò subit mentem, cur Dominus Moysem in Ægyptum legaturus, non antè dignitatis titulo nobilitari, quàm soluere calceamenta præceperit: illi obiicitur in flammanti rubo, vocémque emittit, qua veluti imperatoria tessera contra Ægyptiorum peruicaciam obarmet. ille ostento allectus alacriter carpebat volatum: proxibetur tamen, & calceis denudari præcipitur: *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Moyses mandatum ad Pharaonem molitur extrahere, & multiplices excusationis causas opponere; verùm Deus, vt omnem animo metum exemerit, Deum constituit: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Et cur, vt omnem metum excusationis artificem citò abegerit, ab initio Deum non vocauit? Certè Deus sereno fruitur, in tranquillitatis regione degit, quam nec aduersa turbant, nec infortunata molestant, nec timores exagitant. Ergo Deum vocet, quò intrepidum in Ægyptios obarmet. O vtilem nobis eruditionem! priùs iubetur Moyses calceamentorum denudatione rebus omnibus renuntiare, quò Deitatis possit priuilegiis gaudere: non poterat calceatus variis cordis motibus nõ arctari, ideóque Deitatis omnis perturbationis expertis non poterat titulis insigniri: ideò differtur titulus, quousque Moyses aptetur titulo discalceatus: dum calceamenta soluit, dum omnibus generosè renuntiat, se diuinitatis dotibus quodammodo adaptat: nam si diuinitatis census est imperturbabili placiditate gaudere, Moyses dicetur Deus, si constet rebus omnibus denudari: vt laudabili æmuletur industria, quod Numen habet diuinitatis natura. *Dicunt nonnulli*, scribit Theodoretus quæst. 7. *scilicet quare iussus est Moyses calceamentum soluere, vt solicitudines sæculares abijceret huic mortali vitæ adherentes.* Exuatur curis, vacuetur affectibus, denudetur

Exod. 3. v. 5.

Exod. 7. v. 2.

Theodor.

votis, vt possit diuinitatis ornari titulis: solùm namque ille, qui se extra affectuum humanorum regionem constituit, poterit ad instar Dei nullis perturbationibus concuti, & nullis euanidis curis vexari. Zabulon quiete non fruitur, etsi præpositus, & diuitiarum radiantium fulgoribus cinctus: quia fortunæ, & naturæ bona non exposuerat; Issachar verò, etsi postpositus, quiete & tranquillitate gaudet: *Vidit requiem:* quia omnia generoso animo contemnere nouit: *Signatur status religiosorum, qui bona naturæ, & fortunæ exponunt.*

Fugiebat Iacobus iram fratris, aut sanè ipsas hæreditaris fugiebat diuitias: quia nouerat experientia anxietudinum fœcundissimas esse venas: sub diuo dormit capiti supponens lapidem, ibique se cælestis curiæ ciuẽ lætatur admissum, & Solis celerrimè redeuntis caussatur cursum: *Dormiuit in eodem loco:* hîc Deus beneficia beneficiis obscurat, & diuinæ liberalitatis delatus imber non solùm cupiditatis euincit flammam; sed excutrit vltra concupiscendi potentiam: *Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo, eritque semen tuum quasi puluis terræ: dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem:* Iacobus se diuinis donis gratissimum exhibẽs affectum omni cupiditate prorsus carentem depromit. *Si dederit mihi panem ad vescendum, erit mihi Dominus in Deum.* Generosus despectus cum Numinis generositate certabat; amplissimis Deus bebeneficiis cumulat, cumulatus largitiorem gratitudine honorat; sed dona terrestria calcat. Tandem cùm ad auunculi domum peruenisset, ouésque curandi munus suscepisset, eis angebatur curis, vt somnum oculis non videret; sed diu, noctúque studiis solertissimis vigilaret: *Iustum est*, inquit ad socerum, *vt aliquando prouideam etiam domui meæ:* hic familiæ prouisor oues agit, nec dormit: *Die*, inquit, *noctúque æstu vrebar & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis, sicque per viginti annos in domo tua seruiui tibi quatuordecim pro filiabus & sex pro gregibus tuis.* Miror Iacobum, dum iram fratris fugit, dormientem, & apud socerum vigilantem. Certè milites seipsos contemnunt, vt laurum accipiant; se tamen ipsum despicere pro exiguo præmio ingens est adfectionis probrum, & æstuantis cupiditatis indicium: cur ergo alibi placidè quiescit, & alibi anxiè inuigilat? Quia dum scalam intuetur, respondet Rupertus lib. 7. in Genes. cap. 21. sic omnem ab animo terrenarum rerum cupiditatem abegit, vt angustissimum tantùm victum desiderarit. *Non frustrà Apostolus patres nostros peregrinos vocat, & aduenas: cùm enim dixisset: Iuxta fidem defuncti sunt omnes non acceptis promissionibus; sed à longè aspicientes eas & salutantes; addidit continuò: & confitentes quòd peregrini, & hospites sunt super terram: qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere, & si quidem illius meminissent, de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi; nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Ecce illorum eiusmodi confessionem, siue expectationem in Iacob agnoscere, promptum est... nam quod ita solitarius exierit, testatur & illud, quòd non habuit, vt caput reclinaret, nisi quòd tulit de lapidibus, qui iacebant, & supposuit capiti suo, & dormiuit in eodem loco.* Audi attentiùs, quæ paulò pòst adiicit: *Quid igitur nisi magna,*

111.

Genes. 28. v. 11.

Genes. 30. v. 30.

Genes. 31. v. 41.

Rupert.

magna, & imitatione digna paupertas spiritus in hoc patre nostro Iacob spectanda nobis proponitur in tali eius exitu: dum paternam domum relinquens nil discupit, placidè quiescit, & tranquille dormit, at cùm in auunculi domo, quæ [illegible]is relinquat, anhelat, dum familiæ solicitus [illegible]idet, somnum nullatenus videt: quasi im[illegible] fuerit placidâ tranquillitate gaudere,& [illegible] terrenorum aduri; at cùm ab animo [illegible]itudinem deposuit, cùm nil præter Deum curauit, sub diuo, & super lapidem dormit: nam vbi non obstrepebant affectus, lectulus non offenderat durus: commodiùs dormire posset sub culmo aut tabernaculo; sed quietem non vidit: quia quantumuis rationabilem, pectore cupidinem fouit: verè pauper spiritu quiescit, dormit, cælestia videt; diuitiarum verò vel honestus ambitor æstu vritur, gelu defatigatur, vigiliisque molestissimis perurgetur.

112. Sponsa ab sponso obnixè precatur in locum meridianæ quietis,& placiditatis admitti: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie; ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Quid tunc sponsus: Officium monet, vt votum differat: *Egredere, & abi: pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Laborant interpretes, quo sponsi responsum sponsæ votis adaptent: illa namque desiderat quietem, ille remittit ad laborem: vult, vt omnes terrenas affectiones transgrediatur, vt iuxta antiquorum Patrum exempla viuat, quo placiditatis,& quietis commodis gaudeat. Audi Honorium apud Delrium: *Abi, per me licet, post vestigia gregum, insere te conuentibus, & congregationibus multorum,& ibi pasce hædos tuos, cogitationes,& desideria nondum prorsus mortificata, nec adulta iuxta tabernacula pastorum.* Desiderat anima meridianæ oblectationis serenum, vtque felicissimè consequatur, opportunum audit consilium: hædos, cogitationes scilicet,& desideria iuxta Patrum disciplinam mortificare, & vitam religiosam instruere: vt enim, qui religionem profitentur, omnibus rebus renunciant, quò nullis curis angantur, nullisque solicitudinibus perturbentur: ita tu, si omnem ab animo solicitudinem abieceris, meridiei quietem & otium acquires. Si ergo, vt sponsa quietis fruatur gaudio, necessum est terreis omnibus denudare animum curis, quid tibi putas faciendum, si eodem teneris voto, & vrgeris vtilissimo desiderio.

Cant.1.v.7.

Honor.

---

§. XIV.

Sæpè sibi conciliant miserias, qui, vt lucrentur familiaritatem Principum, illis architectantur delicias.

113. VT periculosum est potentium incurrisse odia, sic etiam affectasse commercia: vnde Sidonius lib.2. epistolar. epist.3. amicum suum prudentissimè monebat nec ab aula prorsus alienari, nec in illa viuere. *Consuetudinem* (potentium) *spectatissimus quisque flammarum naturæ benè comparat, quæ sicut paulum a se remota illuminant, ita satis admota sibi comburunt.* Multi vt suæ vanitati adulentur, commodis refragantur, ingenti auro emunt potentium familiaritatem, dum pretiosa xenia mittunt, dum artificiosis deliciis oblectant, & mensas exquisitis epulis differtas parant: familiaritas potentioris adinstar ignis adurit: quia omnem fortunæ virorem marcescere citò cogit: commodatur aurum, mittitur donum, præparatur epulum, & dum carissima asciscitur familiaritas, patrimonij perit vbertas. *Hos omnes amicos habere*, aiebat Seneca de Magnatibus epistol.14. *operosum est: satis est inimicos non habere.* Addit postea: *Cautior peritos locorum rogat, quis æstus sit, qua signa dent nubes, & longè ab illa regione vorticibus infami cursum tenet. Idem facit Sapiens, nocituram potentiam vitat, hoc primum cauens ne vitare videatur.* Vt qui incautè ignota maria traiicere parat, dum vela fauonio inflata, Charybdim solet incurrere, & totam nauigationis felicitatem miserabili naufragio in calamitatem vertere, ita qui potentium magnatumque familiaritates incautè colunt, in pericula grauissima offendunt: ideò cautior nauta æstus, & locorum speculatur ingenia, ne vorticibus circumactus aut pereat, aut ad portum nudus euadat. Vidi nonnullos de potentium familiaritate aliquando insipienter iactabundos serâ posteà pœnitentiâ lugere, & inutili dolore consumi: traduntur namque ære alieno oppressi durissimis vinculis, vt ipsi euomant, quòd alij lautissimè comederunt. Aser sortem accipit ditissimam: *Cecidit sors quinta tribui filiorum, Aser per cognationes suas, fuitque terminus eorum Halcath*, &c. Inter ciuitates Aser ascitas munitissima, & potentissima Tyrus, & Sidon magna numerantur: iam si nomen cum sorte conferas, discordare prorsus reperies: Aser namque, vt morali glossæ placet, carcer interpretatur: *Aser*, inquit, *interpretatur carcer*: nomen ipsum vincula carcerésque protendit; sors amplissimum illi patrimoniũ adscribit:& cur diues adeò carcerem intret, & ferrea constrictus vincula subeat? Fallar, ni pater eius causâ benedictione prodiderit: *Aser*, inquit, *pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus*: dũ Principibus gestit præbere delicias, ferreas elaborat sibi catenas: nec enim, quantumuis diues, peregrinas poterat delicias summaribus ministrare, & ingentibus debitis contractis non premi: ergo nomine portat carcerem, qui affectat oblectare deliciis Principem, vt noscamus nocituram fuisse sæpè asseclis magnatum potentiam: nam dum insipienti vanitate turgidi summatum venditauere fauorem, vt venditarent, ingentissimo pretio coëmerunt, & patrimonia lautissima citissimè dissipatunt: Aser delicias præbet; sed carcerem de infausto nominis auspicio subit.

Sidon. *Magnatibus accedendum est vt flammis.*

Seneca. *Magnates nec amici nec inimici habendi.*

Glossa.

Genes.49. v.20.

Cùm Elisæus ministrum delegasset, vt Iesu sacra vnctione regem constitueret, illéque mandatum feliciter absoluisset, nuntium in occulto Iehu referatum curiosi plures indagare gestiebant: aperuit ille, séque in regem vnctum testatus est: *Narra nobis: qui ait eis: Hæc & hæc locutus est mihi; & ait: Hæc dicit Dominus: Vnxi te regem super Israel.* Illi statim nudantur; palliáque in modum tribunalis disponentes faustis acclamationibus promulgant, & sumptibus propriis inaugurant: *Festinauerunt itaque, & vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis.* Lyra hoc fecisse ait, vt gratiam noui Principis sibi conciliarent: *Quærentes gratiam regis noui.* Dei equidem voluntatem implent; sed honestis factis 144.

4 Reg.9. v.20.

Lyra.

factis nostram thesim exprimunt, veluti elegantissimis penicillis: dum sibi gratiam parant, pallium denudant, ad speciem ambitiosi, & de ambitione nudati. Sponsa in prædones incidens pallio spoliata est, & hi similiter spoliantur non prædonum violentia; sed clara promerendi felicitatem industria; vt iam omnibus denuntiarent Principum amicitiam ambientes paupertatis exponi ærumnis, & nuditatis incommodis: nam dum illis domos exornant, dum suppellectilia pretiosa parant, necessum est non solum auri priuari censu; sed pallij decenti nudari ornatu.

115. Minister quidam Pharaonis somnij imagine multorum depinxit studia, & digna studiorum supplicia: somniabat ille tria se canistra supra caput ferre, in illorúmque celsiori omnium, quæ fiunt arte pistoria, cibos portare: *Et ego vidi somnium quod tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auésque comedere ex eo.* Genes. 40. v. 16. Retulit somnium optimo coniectori, qui infaustissimam; sed congruam interpretationem adiecit, scilicet capite truncandum, & stipite suspendendum: *Auferet Pharao caput tuum, ac suspendet in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas:* Et cur ab auibus laceretur, qui Principi eduliis artificiosissimis adulatur? Imò quia eduliis omnibus, inquit Philo lib. de Ioseph adulatur, & auium rostris discerpitur: ille ambitionis flamma succensus omnes cibos offerebat, vt gratiam Principis inueniret: *Omnes*, inquit, *cibos qui fiunt arte pistoria:* vtque solùm vnius exambiret gratiam, multis inferebat iniuriam: hi ergo iniuriam passi carnium morsibus recuperarunt, quod illum inquissimis artibus abstulisse nouerunt: tot aduersus illum iudices interpellarunt querulæ, vt opus fuerit morte illum damnare ad satisfaciendum iustitiæ: *Quod alijs intulit*, inquit Philo, *ipse patitur: quippe qui esurientes, & ab ipso pendentes diuturna fame cruciauit.* Philo. Omnia illius erant vota inseruire, scilicet Principi, adulationibus, obsequiisque non sine multorum iniuria sibi promereri gratiam: ideo dignam promeruit sententiam. O quoties quod illius somnio depictum apud sæculum spectamus expressum! Nonnulli per fas, nefásque acquirunt, quod magnatibus, ac Principibus offerant illorum amicitiæ & gratiæ ambitores stultissimi, posteà verò quia multis debitis prægrauati, & multorum querelis ad tribunalia accersiti, irremediabiles sustinere coguntur molestias, indissolubilésque vinculorum ignominias: pistor contra à se pendentium ius fasque omnia vni offert: & quidem dum omnia vni offert, & ferrea etiam vincula sustinet: illi namque quos diuturna fame cruciauit, veluti manu facta in illum irruentes opprimunt, & à carnibus exigunt famis solatium: quia contra leges pistor illos coëgit famis tulisse martyrium. Iam si indecentiùs gratiam elucrari studeant, ærumnosas sibi calamitates accelerant: laudant sæpè pulchellarum venustatem, vt appetitus insaniam irritent, nec pudet illos in causis votorum suorum ignominioso adeò placere officio, indecoróque inseruire ministerio: de alienis voluptatibus sibi procudunt ærumnas, & sine oblectationis commodis coguntur sustinere miserias.

Sara pulchritudinis miraculum Ægyptum ingreditur, Principes Pharaoni peregrinæ fœminæ peregrinam oris pulchritudinem allaudarunt, & cupiditati igniculos iniecerunt: *Nuntiauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & sublata est mulier in domum Pharaonis:* 116. Genes. 12. v. 15. Deus Abrahami honoris vindex vigilantissimus, & assertor prouidus Pharaonem duris flagellis inflictis puniuit: nec solum Pharao vapulabat; sed & eius domestici non dissimile supplicium subibant: *Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abraham.* Pharaonis supplicium æquissimè videtur decretum; at seruis contra rationem videtur illatum: cur luet famulus, quod peccauerit Dominus? Hoc sanè politiam sapit terrenam, non œconomiam diuinam: apud sæculum namque, cùm non tam animo sit peccatorum cohibitio, quàm iniusta nummorum dispoliatio, illos tantum affligere solet mentita correctionis vmbra, quos ob imbecillitatem faciliùs nummis cupiditatis denudare potest flamma: ergo Deus Pharaonem affligat, non seruos. Iure inquit Chrysostomus & seruos, & dominum iusta puniuit vindicta: quia omnes cupidinis defœdarat insania; imò Pharao excusatiùs peccauerit, quandoquidem propriæ voluptatis lenociniis allectus; seruus verò alienæ cupiditatis assentator turpiùs deliquit quandoquidem nulla obcæcatus cupiditate peccauit: *Ecce quomodo lenonis egere officium in regis gratiam auferendo iusti vxorem*, scribit Chrysostomus apud Lippomanum: *quapropter non ipse solus; sed & omnes, qui adhærebant, pœnæ fuerunt participes:* Chrysost. *Multi Principum gratiā vel indignis ministerijs mercantur.* Regis sibi indignis ministeriis studebant lucrari gratiam, & sustinuerunt Numinis iram: de alieno gaudio sibi procudunt lamentum, & dum iniquis actibus putant sibi adaugere gloriam mortis incurrere solent pœnam.

Concludat thesim nostram serpens ille miserrimus, qui Euæ Adamique affectauit sibi conciliare beneuolentiā, adreptationisque tulit mulctam: 117. Adamus animalium Princeps paradisæis topiariis deliciabatur: serpens, vt colloquia cum Principe præ reliquis animantibus misceret, & præ aliis gratiam apud Principem iniret, gustus offert delicias, pomum videlicet oculis colorum grata commixtione venustum: tulerunt Eua & Adamus pomum à serpente propinatum; at serpens, dum ambitiosè quærit gratiam, prohibitæ arbori infert iniuriam: arbor foliis denudata marcet, viduata pomorum deliciis luget: *Tulit de fructu illius, & comedit; deditque viro suo, qui comedit.* De alieno serpens præparat mensam, vt Principum sibi conciliauerit amicitiam, cæterisque animantibus conflauerit inuidentiam. Quid tunc? Post breuia cum Principibus colloquia dura cogitur sustinere supplicia: Deus namque dignis execrationibus serpentem reddit odiosum, & reptare facit pedibus, vt nonnullis placet, orbatum. *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Gen. 3. v. 14. Quàm miser tellure voluitur, qui ambitionis flabris effertur! Voluit serpens apud Principes præ cæteris animantibus effulgere: aliena offert, quibus palatu curauerit lenocinia, & ob crimen illi cibus deinceps est terra: miser per tellurem voluitur,

& maledictus, quia gratiæ Principum ſuperbierat ambitioſus. *Ex hac maledictione declaratur*, ſcribit Caietanus, *quòd eſt maledictus tum in adiuuando, tum in nocendo præ omnibus irrationalibus, & verè ſic eſt, quoniam vtrumque mala intentione egit, quæ carent irrationalia, & pro vtroque puniendus erit.* Metaphoricus ſermo nobis reſerauit arcana, & ambitionis prodidit artificia: ſerpens inſeruire, & adiuuare affectauit; ſed ab arbore raptum miſera ad terram reptatione perſoluit, & dum magnatibus quærit guſtus delicias, ſibi aſciſcit imprudenter dedecoroſas miſerias: ferè ſemper contrahitur deliteſcens, torpens, & ſordidiſſimo cibo victitans: quia voluit aliquando cum Principibus agere, illiſque delicias offerre. Ergo Aſer dum magnatibus offert obſequia, vel in nomine portat vincula. *Aſer interpretatur carcer.*

Caietan.

---

§. XXV.

Non viuit legibus ſubiectus naturæ, qui diuinæ gaudet priuilegio præſentiæ.

118. REgius conſpectus viſis neſcio quam fauoris gratiam inſpirat: nam quos dignatur videre, beneficiis quodammodò cogitur exornare. Et quidem, vt ad noxij animalis conſpectum omnes diffugiunt: quia ſciunt venena ardentibus oculis effudiſſe: ita ad proficui beneuolique gratiam accurrunt: quia nouerunt de eius præſentia mala non timere; ſed profutura ſibi ſperare: *Quid eſt*, aiebat Seneca epiſt. 122. *quare pauonem, quare anſerem gallina non refugiat, cùm tantò minorem, & ne notum quidem ſibi accipitrem: quare pulli felem timeant, canem non timeant? Apparet illis ineſſe ſcientiam nocituri.* Agni ad canis accurrunt auxilium; luporum fugiunt aſpectum; quia nouerunt alterius præſentiam ad vitam ſibi prodeſſe, & alterius inſidiari. Quod ſi animalibus nobilibus hanc credimus ineſſe gratiam, quis regalibus oculis laudis huius negauerit excellentiam. *Magnus prouectus eſt*, ſcribit Caſſiodorus 12. var. 18. *ſi mereamini ad domini placidos venire conſpectus.* Quiſquis à Principe meruit ſpectari, iam eximia dote conſtat fulgere. De regulo proditur viſu faſcinare vitam, & cui optimo regi non conueniat ad bonum, quod regulo ad detrimentum. *Peſtifera vis eſt*, aiebat Seneca lib. 1. de clementia cap. 2. *valere ad nocendum: illius demum magnitudo ſtabilis fundatáque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt, cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum, atque vniuerſorum quotidie experiuntur: quo procedente non tanquam malum aliquod, aut noxium animal è cubili proſilierit, diffugiunt; ſed tanquam ad clarum, ac beneficum ſydus certatim aduolant.* Et quidem ſi magni reges ſalubris ſyderis induunt ingenium, ſydereóque vultu depellunt mœroris cauſam, & incrementant lætitiam, quæ putamus diuinis oculis, virtus erit? Certè quos Deus ſua dignatur præſentia, vel natura refragante ornat honeſtiſſimis priuilegiis, & ſpecialibus ditat prærogatiuis: Nepthali ante Dan hæreditatem ſortitur: *Filiorum Nephthali ſexta ſors cecidit per familias ſuas.* Poſteà addit. *Tribui filiorum Dan per familias ſuas egreſſa eſt ſors ſeptima.* Quod ſi conſulas leges naturæ reperies Dan anteferendum, & Nephthali ad poſteriorem ſortem legandum: nam cum Rachel Balam marito tradiderit, Dan filium ex illa accepit; poſteà ex eadem Nephthali ortus, vt conſtat Geneſ. 30. cur ergo Nephthali ordine natiuitatis poſterior ſortibus eluxerit prior? Notauit hoc Abulenſis quæſt. 4. *Primus filius Balæ eſt Dan, & ſecundus Nephtali; tamen Nephthali præponitur.* Quòd ſi prælationis inquiras cauſam inuenies in ſorte Nephthali cecidiſſe ciuitatem Naſor, & Hema, & Arama, Aſor, &c. Hanc ciuitatem fuiſſe Nazareth. tradit Abulenſis loco dato: *Ciuitas, quæ vocatur ſupra Naſor, eſt ciuitas Nazareth, in qua Saluator noſter conuerſatus eſt à pueritia ſua.* Addit poſteà: *Tota vita Saluatoris noſtri, & Beatiſſimæ matris ſuæ fuit in Nazareth vrbe tribus Nephthali.* En cur Nephthali tribus ordinem reſpuat naturæ priuilegia ſecuta gratiæ: quia videlicet hanc præ aliis tribum ſua Dominus præſentia nobilitauit: quia in eius ſorte præcipuè degit: quam ergo ſacra Numinis honorauit tribum præſentia, non poterat poſtpoſuiſſe natura: naturæ ignorantur leges: quia apud Nephthali ſuos Dominus conſtituit lares. Hinc ad morum eruditionem colliges ad quid teneantur, qui ſuam Euchariſtiam accipiunt: nam cùm illos Numinis honoret præſentia, leges ſuas ignorare debet natura, vt iam quidquid à prauitate transfuſum reſpuant, & ſolùm quæ cæleſtis inſpirat dignatio, admittant. Hinc etiam Mariæ Virginis Dominæ noſtræ priuilegium elucet: nam ſi Nephthali, quia apud illam tribum Dominus commoratur, Dan contra naturæ iura antefertur, cur Maria apud quam, & in qua Dominus nouem menſibus degit, & quam poſt partum tot annis ſua præſentia nobilitauit, leges non ignorarit in ſua conceptione naturæ? Vtque locum ſubtiliùs adaptemus myſteriis, ſcito Dan colubrum eſſe, ceraſtemque in via caſum ſemper intentantem, & ruinam ſemper molientem. Ita aiebat eius pater non ignarus ingenij: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro.* Si ergo coluber Nephthali anteferendus naturæ legibus poſtponitur: quia Nephthali ſacris erat nobilitanda Numinis oculis, quis credat colubrum antelatum Mariæ, apud quam Dei Verbum hoſpitio excipiendum, & puriſſima carne donandum, potiori iure, quàm Nephthali, colubrum anteceſſerit Virgo, vtpotè quæ non ſolùm Domini fruebatur præſentia; ſed quæ illum humana induerat etiam natura.

Senec. *Animalia nocitura ſibi præſentiunt.*

Caſſiodor.

Stabilis magnitudo, quam omnes ſibi vtiliſſimam ſentiũt.

Abulenſ.

Geneſ. 49. v. 17.

Multis annis prole deſtituti tulerunt Abrahamus & Sara ſterilitatis notam, & non modici doloris pœnam; verùm Deus effœtam tribuerat illi naturam, vt de dono adaugeret gratiam. Apparuit ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi: ille, vt erat charitatis alumnus, accurrit celer, orat ſupplex, ac inuitat liberalis: Dominus non indigus ſanè obſequiorum; ſed ſedulitate oblectatus admiſit hoſpitalitatis obſequium Abrahamiticæ liberalitatis ad cumulum: vitulus Paſchalis mactatur, recens reformatur panis, apponitur menſa, & familia tota ad peregrinorum aduentum peregrina exultat lætitia: Deus ſerui ſui officiis ſe exhibet gratum, & naturam euincens largitur donum: *Reuertens veniam ad te tempore iſto vita* 119.

Geneſ. 18. v. 10.

comite,

comite, *& habebit filium Sara vxor tua* Promissum à Sara cum risu acceptum: nam cùm refragaretur natura, tantisper titubat diffidentia: *Quo audito Sara risit*. Risit: quia nesciebat diuinæ priuilegia præsentiæ: certabant illo tempore veluti in stadio marcida natura, & florentissima gratia; imò vt dotes suas luculentius commendauerit gratia, expectauit, vt marcens à se ipsa defecisse videretur natura. Nec solum debebat Deus hoc beneficium præstitisse deuotis Abrahami obsequiis; sed suis quodammodò oculis: esset namque indecens diuinum conspectum suam exhibuisse præsentiam, nec vicisse priuilegij naturam. Antequam se Deus spectandum præbuisset vigebat infœcunditatis mœstitia; at sua iam præsentia Abrahamum honorans nequibat non efflorescere gratia: naturæ inuertuntur leges, sterilitatis mutantur iura, senilis ætatis depellitur exucca tristitia, & iam floret infœcunditas de diuina fœcundata præsentia.

Chrysost. Adest Chrysostomus apud Lippoman. *Vt discas quantorum, & qualium bonorum causa fuerit iusto hospitalitas, manifestat se qui affuit, & paulatim iustum suæ magnitudinem potentiæ docet*. In magnitudinis suæ obsequium naturam deuicit, eiúsque leges obliterauit: nec enim potuit gratiæ non nobilitasse priuilegiis, quos gratis adeò respexit oculis: crescunt de Numinis conspectu dona, & triumphant de naturæ legibus priuilegia.

120. Sponsus non tam oblectandi animi causâ, quàm nos edocendi mysteria, descendisse se ait in hortum nucum, vt videret poma conuallium: *Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium*. (Cant. 6. v. 10.) Sanè sibi contrariari videantur verba: nam si nucum hortus poma non proferret; aut si pomarium, non hortus nucum: nux agrestis cibus duris corticibus inuoluta, & asperitate horrida: pomum flammeo rubore oculos allicit, dulci venustate palatum prolectat, &, si fas est dicere, grata vi ad carpendum manum stimulat: ergo si poma visurus, ad malorum hortum descendat; aut si descendit ad hortum nucum nuces ingratas conspectui videat. O sacram oculorum Numinis efficaciam! Si Circem variis incantationibus pollentem confinxit antiquitas, si celebrauit sirenas sic ad miraculum canentes, vt inflatis carbasis alio tendentem nauim dulci violentiâ allicerent, & vinculis cantionum attraherent, cur Numinis oculis non insit, quæ inesse vocibus, aut oculis Circis aut Sirenarum stulta credebat antiquitas? Si naturam arboris inspectes, nuces producet rusticitate vestitas; ea tamen est diuini aspectus valentia, vt quæ à radice nux fuerat edenda, iam pulcherrimi pomi induerit naturam, & arbor oculorum conspectibus irrigata sic exuerit ingenium, vt pro nuce protulerit pomum. Adest

Gregor. Gregorius hic satis opportunè: *Causam dicit, vnde tanta virtus in Ecclesia excrescere possit: visitatione quippe Christi renouatur, & quod in ea tenebrosum est, respectione eius illuminatur: & hinc est quod subdens ait: Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium*. Timuit natura antiquos proferre fructus sacris honorata conspecti, & ne iniuriam Numinis inferret radix præsentiæ, leges ignorauit naturæ. Itaque de diuinis oculis feliciter degenerauit in pomum, quod de naturæ legibus infeliciter conditur in nucem: *Visitatione Christi renouatur*, id est antiquam illam, quàm à Dei manibus acceperat, recuperat nouitatem, vt omnem iam prorsus vetustatem ignoret, dedignetúrque respondere origini, quæ debuit respondere Numinis indignationi: *Quod in ea tenebrosum est, respectione eius illuminatur*: & quidem qui toto Solis iubare micat in vultu, non poterat tenebras non depulisse de aspectu. Iam grata viriditate, nobilique transmutatione conditur in pomum, quod iuxta originis leges durum, & asperum condiendum erat in fructum. Ergo, si diuina præsentia leges cogit ignorare naturæ, quid mirum Nephthali contra naturæ leges præferatur colubro, quando constat diuino nobilitari conspectu.

Naxera in Iosue Tom. 2.

Fugit Agar dominæ indignationem, & anxio metu celer, quem visceribus gerebat puerum, extinxit sola & afflicta errabat in solitudine; sed Deus misertus afflictæ illam consolatur, & fœtum in lucem edituram promittit: *Ecce concepisti, & paries filium*. Et quid necessum est illam de conceptu monere, quando ipsa se concepisse videns affectauit immodicè superbire: *Concepisse se videns despexit dominam suam*. (Genes. 16. v. 11.) Ergo si sciuerat se concepisse, superfluum erat fœtum indicare. Rabbini dicunt passam fuisse abortum; sed cùm Deus illam alloqui dignatus est suæ præsentiæ luce mortis tenebras vel in matris vtero sic depulisse, vt qui morti genitus videbatur, iam vitæ felicissimè nasceretur; ideóque ipsam exclamasse: *Tu Deus, qui vidisti me*: quasi dicat: Tu Deus, qui fœtum exsuscitasti, & contra naturæ leges in materno vtero vitæ restituisti: ac si synonyma sint & suam præsentiam ostendere, & naturæ leges honesta violentia infringere. *Dicunt Hebræi*, scribit Abulensis, *quod Agar passa fuerat abortum in deserto in pœnam datam ab eo, quia dominam contempserat, & ex labore itineris magnus motus in vtero factus fuerat; sed Deus viuificat in vtero fœtum extinctum, & ista viuificatio vocatur conceptio de nouo*. (Abulens.) Naturæ iura vtiliter euertuntur, quia gratiæ priuilegia donantur: de diuino conspectu puer auxit, quod de materna inobedientia deperdidit, & quem matris tumor extinxit, diuini Numinis conspectus viuificauit: esset namque indecorum potentiæ, si plus valeret matris inobedientia ad puerum tradendum morti, quam Numinis oculus, vt reddiderit lumini. 121.

§. XXVI.

Optima regiminis politia non sustinet eundem dignitate semper fulgere, nec semper ad culmina celsiora leuari.

Mundus rerum successionibus alitur, & variis vicissitudinibus confouetur. Sol radios continet, vt Luna culmini dignitatis succedit; imò ipsa Luna iam pertumida: iam diuidua menstruis crementis, & incrementis se alternat, & pro temporum varietate ampliori aut minori faciem splendore reluminat. Audi Tertullianum lib. de pallio cap. 1. *Solstitionibus annuis, Luna modulationibus menstruis variat; syderum distincta confusio interdum deiicit quid, interdum resuscitat, cæli ambitus nunc sub dio splendidus nunc nubilo sordidus*. Certè si Sol, cùm 122.

Tertull. Sol non semper splendidus, sed aliquando nubilo sordidus.

cùm ad meridionale punctum accessit, ad occasum vergere detrectaret, mundi sisteretur machina, & stabilis varietatis vtilis deficeret politia. Itaque & alternantur culmina, & ab aliis necessum est occupari fastigia. Sol post meridiani luminis pompam seruit partes zodiaci inferioris reuisens, & occasum intrat non adeò conspicuis Lunæ luminibus cedens. Disertè quidem Cassiodorus 10. variar. 12. *Ne quis nos in honoribus dandis non æstimet habuisse rationem, quòd post insignia Consulatus minora magis posteriùs conferamus; quinimò suaserunt nobis merita candidati, ne iam maturius nullà videretur sumere, qui primæuus emerita cognoscitur accepisse: auari quippe Principis erat in vno honore spatia vitæ tam magna concludere, & ideò magis nihil præstare, quia priùs cognoscitur summa meruisse: quin potius omnia promiscuè concedamus.* Non decrescit post ampla dignitatum munia, qui decenter gerit minora: nulla dignitas minor est, si benè geratur, tunc præcipuè cùm altior à claritate personæ videtur accipere reuerentiam, non persona à culminis decrementis iniuriam: dignitates tunc gradibus sunt distinctæ, cùm diuersæ illas possederunt personæ; honorem tamen suum semper retinet, quidquid probè gesserit; Consularis. Sors septima Danitas collocat: *Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima, & fuit terminus possessionis eius Sara*, &c. Disputant interpretes, cur sors Danitas inferiori aliis honore donarit, cùm alios ipsi præcesserint originis prærogatiua, ac regiminis excellentia: Dan namque, vt constat Numer. 2. vnum fuit ex vexillis in deserto concessum: *Ad aquilonis partem castra metati sunt filij Dan, quorum Princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai ... iuxta fixere tentoria de Tribu Aser.* In deserto Dan præcedebat Aseritas, & Nephthalitas; modò illi præcedunt: nec enim fas erat, vt semper Dan dignitatis culmine poriretur, aut inferiorem dignitatem respueret, si necessitas illum ad extremam partem vocaret. *In hoc*, inquit Abulensis quæst. 5. *non fuit obseruatus ordo dignitatis: nam inter omnes filios famularum Dan prior natus est ... item erat Dan dignior alijs: quia ipsi datum est vnum de quatuor vexilis Israelitarum in deserto: erantque sub eo alij filij ancillarum præter Gad, qui erat sub vexillo Ruben, vt patet Numer. 2. capite; & tamen hic fuerunt omnes positæ ante ipsum.* Multo tempore fuerant alij fratres sub Dan vexillo: necessum ergo erat, vt qui olim primus, aliquando esset prostremus. Adhæc quia vltimi possessionum limites hostes plurimos habebant vicinos, necessum erat hanc extremam telluris partem strenuis militibus cingi, & armorum expertissimis præmuniri. Ergo Dan sortem vltimam occupauit populi vtilitati potiùs deseruiens, quàm antiquæ dignitatis legibus consulens: *Istæ duæ ciuitates*, addit Abulensis, *fuerunt in termino sortis filiorum Dan ex vna parte, scilicet contra terram Philisthym.* Necessum erat, vt Philisthinorum audacia reprimeretur: ideò Dan in Reipublicæ commodum sorte modò vltima collocatus, quantumuis anteà dignitate fuerit præcellsus.

Cassiodor. *Qui altis eminuit, non recuset inferioribus occupari.*

Abulens.

123. Quadrigam illam sæculis celebrem intuetur Ezechiel quatuor animalibus vectam, quorum facies ita describuntur: *Facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor:* posteà iterum quadriga obiicitur, & iam animalium loca mutantur: *Facies vna facies Cherub, & facies secunda facies hominis, & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ.* Totus commutatur ordo non de varietate mundiali; sed de œconomia cælesti: iam aquila iugi quodammodò ignara, & quæ olim super omnes euecta, quartum tenet locum; iam vitulus primum; & homo, qui olim primus, iam numero succedit secundus: opus enim erat, vt dignitatum vices alternarentur, ne, dum primum locum semper occupat vnus, fastidiosè alius seruiret querulus, & munus detrectaret ignauus; at dum primatus excellentia iam vnum, iam alterum pro varietate nobilitat, & iugi labores leuat: aquila quartum locum occupat, cùm oportet, & tamen cæteris acutiùs videt. *Ex hoc loco discere possumus*, scribit Theodoretus orat. 3. *non vidisse easdem naturas eorum, qui cerni nequeunt; sed similitudines quasdam & imagines: ideò etiam immutatas contemplatur: atque hanc immutationem in ipsis quóque Cherubim conspexerat: ibi enim primam faciem homini similem dixit fuisse, secundam leoni, tertiam vitulo, quartam aquilæ; hîc autem ordine conuerso, & faciem primam Cherubim, quod est vituli, dixit vidisse, secundam hominis, deinde leonis, tum aquilæ.* Cælestis politia loca variat, vt tristitiam seruitutis depellat: esset namque cæteris grauissimum iugum, si singulare animal semper obtineret imperium; at dum per vices suas mutantur, honoribus sine querela fruuntur.

Ezech. 1. v. 10.

Ezech. 10. v. 14.

Theodoret.

124. Grues moralem nos edocet exercere concordiam: inter illas nullus primatus quæritur; quia regiminis ambitus non agnoscitur: vigilant vicissim, communi se præmuniunt cautela, & solicitæ contra inopinos adsultus muniuntur prouidentissima vigilantia: sic honor nullis adimitur, dum omnia sub communione seruantur. Audi Cassiodor. 9. variar. 2. *His etiam volatus vicaria æqualitate disponitur: vltima fit prima; & quæ primatum tenuit, esse posterior non recusat: sic quadam communione sociatæ sibi sine regibus obsequuntur, sine dominatu parent, sine terrore famulantur.* Voluntariè seruiunt: quia inuicem se honorando muniuntur: tota politiæ adulteraretur pulchra elegantia, si fulgeret vna semper prælationis excellentia: ipsa alternatio æqualiter omnes decorat, nec prima vltimum detrectat locum, si ad cæterarum interesse agnoscat subsidium.

Cassiodor. *Grues parent sine metu, dominantur sine fastu.*

125. Inter arcæ baiulos, & populum hanc seruare politiam didicit Iosue de Numinis cælesti consilio: Sacerdotes iubet arcam ante populum conuehere: *Tollite arcam fœderis, & præcedite populum: qui iussa complentes tulerunt, & ambulauerunt ante eos.* Iam Iordanem ingressi vestigia figunt, & quò Iordanis tumorem reprimant de arcæ præsentia veluti immoti populos transmittunt ad ripam: *Sacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Iordanis accincti, omnisque populus per arentem alueum transibat.* Fortè si magistri populi primum semper locum occupare gestirent, tumidos Iordanis vndas nullatenus refrænarent; at dum dignitate primi fiunt, cùm oportet, postremi, populus sicco vestigio per maris graditur secutus profundum, & littus tenet

Iof. 3. v. 6.

net alacri vestigio solidum: alternantur vices, & qui præcesserant, iam sequuntur, & qui sequebantur, præcedunt; dúmque omnes non tumori; sed vtilitati attendunt, & fluctus hæret, & per confusos vortices via securissima apparet. *Qui primò ingressi sunt*, inquit Abulensis quæst.42. *vt eis ingressis scinderetur Iordanis, stabant super siccam humum in medio Iordanis.* Non curabant superbas elationis cæremonias; sed tutas populo scrutabantur in maris vias: ideò pro temporum opportunitate iam fluctus ingrediuntur primi, & iam subsistunt postremi, ne tam longo itinere aliis semper antecedentes, aut parerent illis fastidium, aut, quod peius, flabellauerint odium: dum subsequi, & præire alternantur, per liquidas securissimè incedunt, & iter pacatè absoluunt.

Abulens.

126. Zacharias & Elisabeth, quem denegabat natura, filium impetrant orationis instantia, & pro populo oblata hostia: dum Zacharias aliis Numen propitium reddit, sibi decantandum sæculis filium acquirit: *Factum est*, inquit Lucas, *cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exijt, vt incensum poneret.* Dum dicitur sub quo rege, quis Sacerdos sit, mœstis prouidetur solatium, quando bonus Sacerdos non poterat non impetrare remedium: sorte exiit; vt incensum poneret: & quidem fausta sors, & diuino obsequio inseruienti, & populo supplicanti. Hinc constat eundem sacerdotem non semper altaribus præsidere; sed vicibus alternatis mutari, quo dignitatis reliquos omnes nobilitaret splendor, & communis etiam leuior omnibus esset labor: per vices suas ministerio fungebatur, & qui iam functus, & succederet alter, cessabat, ne si singulariter quis omnem sacri sibi muneris arrogauerit gloriam, cæteros compulerit ad inuidiam: dum alternantur vices, omnes muneris fruuntur honore, & sacro honorantur munere. *Per Moysem Dominus*, inquit Beda apud D.Thomam, *vnum constituit summum sacerdotem, cui mortuo vnum succedere iussit, & hoc vsque ad Dauid tempora seruatum est, à quo plures fieri Domino agente decretum est: vnde nunc Zacharias in ordine vicis suæ sacerdotio functus esse asseritur, cùm dicitur: Factum est autem, cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ.* Olim, vbi minor ambitus, ab atauis, auisque sacerdotium vni delegabatur transfusum; verùm Deus Dauidis tempore teste Beda, plures fieri non renuit, vt vnius fortè elationem reprimeret, & querelas cæterorum sedaret. Variis olim criminationibus Dathan, & Abiron politiam regiminis obscurabant: quia vnum cæteris semper præponi ambitione adusti dolebant: vt ergo veluti incarnatus, & inuisceratus hominibus appetitus dominationis nó suadeat ambitionis insaniam, vtilissimum sæpiùs est communem multis alternari per vices regiminis gloriam; nam dum alter statutum sibi tempus agnoscit temperatiùs ac modestiùs cæteris iubet; & cæteri, dum eundem honorem sibi non arbitrantur alienum, temporariæ subiectionis patienter perferunt iugum.

Luc.1.v.8.

Beda. *Pro temporum diuersitate & leges diuersa congruunt.*

127. Notauit quo solet, acumine ingenij Augustinus inter Pharaonis plagas leuiorem non esse superiori subiici adinstar Numinis quodammodò æterni. Moysem delegat Deus ad contribulium subsidium, & ad dignum Pharaonis tormentum: *Ecce constitui te Deum Pharaonis:* Deus immortalitate fulget præditus, nullo tempore finiendus; imò vltra æternitatem victurus: cùm ergo Moyses Numinis honoratur titulo, & longæuitatis donatur etiam priuilegio. Et quidem magnum superbienti Pharaoni flagellum eiusdem semper pati dominium: non populo; sed Pharaoni datur in Deum: quia sors populus leuius ducere Ægyptium iugum, quàm hominis æternum semper imperium. *Notandum*, inquit Augustinus, in quæstion. super Exod. quæst.17. *quod, cùm ad populum mitteretur Moyses, non ei dictum est: Ecce dedi te Deum populo.* Addit post pauca: *Pharaoni autem dicitur Moyses datus Deus.* Adeò durum est eiusdem semper dominio subiici; eiusdem semper placito gubernari, vt quo Deus Pharaonis peruicaciam seuerè puniat, Moysem æternum quodammodò superiorem præscribat. Monarchis iure originis domini debent obsequentissimè parere subiecti; illis tamen, quos non generis claritas, nec dominij ius præposuit; sed aut occulta industria, aut ambitiosa & secreta cautela ad apices dignitatis euexit, grauanter vel modestia durare in æuum sustinuit.

Exod.7.v.1.

Augustin.

§. XXVII.

Rotata semper vicissitudinis orbita iam extremum ad apicis gestit eleuare fastigium, iam fastigio lucentem deijcere molitur ad solum.

DVo validissimi in virilem animum hostes insurgunt, & calamitatis deiectio, & felicitatis inflatio: siquis inopinis successibus apices dignitatis inscendit, veluti humanæ conditionis oblitus superbia turget; si verò misera sorte prostratus iaceat, robur omne à pectore ablegat: itaque aduersis frangitur, prosperis effertur: ideò qui fastigium occupat, de ruinæ metu debet tumori mederi; & qui iacet, bonis spebus virilem animum enutrire: nihil adeò firmum, & rebus in humanis statum est, vt vices suas non patiatur. Stellæ præcipites labuntur è cælo, vt iterum resplendeant exuscitatæ: Luna menstruis modulationibus variat, & cùm pertumida pleno lumine, decrementis soluit tributum, & sentire cogitur detrimentum; cùm verò teneris cornibus recens, nouo relucet semper augmento, & faciem comit rutilans splendore innouato. Notabat has humanæ conditionis vices Seneca epist.46. *Stare*, inquit; *antè limen Calixti dominum suum vidi, & illum, qui illi impegerat titulum, qui inter reiectanea mancipia produxerat, alijs intrantibus excludi: retulit illi gratiam seruus, ille in primam decuriam deiectus, in qua vocem præco experitur, & ipse inuicem apologauit, & ipse non iudicauit domo sua dignum: dominus Calixtum vendidit; sed domino quam multa Calixtus.* Inter reiectanea mancipia productus aliquando seruus ad illud dignitatis culmen cæco fortunæ impulsu deuenit, vt dominum quondam suum non solum limis aspiceret; sed limine etiam repelleret: Dominus serui gratiam promereri gestiebat, & seruus fastidio dominum ablegabat. O quantum varietatibus licet! quàm imprudenter homo, quantumuis ... 128.

Seneca.

felicitatis culmine eleuatus superbit! Vltima sors Dan cæteris ancillarum filiis postposuit, quem in deserto honor vexilli nobilitarat, & pluribus antetulerat: hîc censetur vltimus, qui ibi vexilliferi honoribus refulgebat ornatus: vt videas sortis varium semper ingenium, & in nullo statu quid firmum: *Tribus filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima.* Audi Abulens. quæst. 5. *Erat Dan dignior aliis: quia ipsi datum est vnum de quatuor vexillis Israelitarum in deserto; erántque sub eo alij filij ancillarum præter Gad, qui erat sub vexillo Ruben, vt patet Numer. 2. cap. & tamen hic fuerunt omnes positæ ante ipsum.* Hîc postpositus, ibi antelatus, vt neque illius dignitatis Danitas inflauerit gloria, nec sors robur expectorarit postrema; vbique tamen eadem vultus serenitate constant Danitæ, nec varietatis interiùs patiuntur vices; sed constantiæ, ac firmitudinis fulgent excellentia, & digna laudis prærogatiua. Abulens.

129. Moyses ad venustatis prodigium nascitur seruus, sententiáque tyrannica condemnatus: verùm quod aliis periculum, illi flumen attulit thronum: è seruo Princeps inauguratur: *Adoptauit in locum filij:* Regis filius cogitur deserta petere, & pastoris officium agere: *Moyses pascebat oues Iethro soceri sui Sacerdotis Madian:* soloce vestitur, qui nuper regali purpura fulgurabat: iam pro sceptro agolum, iam pro delicatissimis mensis cibarius panis, iam aqua turbida pro phalernis. In hoc statu erat, cùm in Deum eligitur: *Ecce constitui te Deum Pharaonis:* & iam pastoritia virga elementis imperabat. Profectò non peregriniorem metamorphosim, si dici liceat, excogitauit antiquitas, quàm nobis retulit veritas: seruus ascendit ad thronum, è throno deiectus cogitur habitare mapalia: è casulis iterum eleuatur ad thronum, vt inter has innatas orbi varietates discat vultum non mutare fortuna; sed stabili seruare virtutem semper constantia, vt oues agens meliora speret, vt thronum possidens non præsumat, quando contrariis adeò vicibus viuit subiectus, & mutationi dicatus. *Ita mutando erit mundus omnis*, aiebat Tertullianus lib. de pallio cap. 2. *qui & diuersitatibus corporatus, & vicibus temperatus.* Non potest firmitudine inniti, quod constat varietatibus temperari: vt enim impossibile est hominem de absentia spiritus viuere: quia constat spiritu refoueri, ita impossibile est quidquid ad mundum pertinet vicibus non mutari, quando ipsa mutatione constat compingi. Nec interest multis annorum processibus quid ita fultum, ac confirmatum fuerit, vt videatur impossibile contrarium induere ingenium, quando & ipsæ temporum leges mutantur, & ipsa rerum natura aliam faciem rebus inducit, & veluti à seipsis discedere, & in contrarium transire cogit.

Exod. 2. v. 10. Exod. 3. v. 1. Exod. 7. v. 1. Tertullian.

130. Dies tenebrarum victor luminis incrementis augetur, & quamuis occasui proximus obscuris sordescat tenebris; meridie tamen tota pompa resplendet lucis: vesper, quia à lucis feruore distat, luminis sentit decrementa, & tenebrarum patitur damna. Quod sic antiquis legibus constititutum, sic solemniter cunctis ratum, vt nec leui pulset suspicione periculum. Has verò statas leges sic aliquando immutatas inuenies, vt meridies extraordinariæ nocti succumbat, & vesper meridiano lumine clareat. Egit truculenta æmulationis sæuitia Christum Dominum in crucem, tetrísque adeò vaporibus immanis odij æthera obscurauit incendium, vt Sol intempestiuè decubuerit caliginibus obscuratus, & obscuritatibus sordidus: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam:* Vides sextam horam tenebris immunissimam; imò vel vmbrarum leuium exilium, & caliginis venenum in contrariam quodammodo naturam transisse, propriúmque ingenium mutasse: transi modò ad sequentis Sabbathi vesperum, videbísque luminibus redimitum, & insolitis fulgoribus coronatum: *Vespere*, inquit, *Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi:* Vesperum tenebrarum parentem spectas parturire fulgorem, & horam diei sextam horroris imitatam naturam: & quidem impossibile censeres sextam horam pompatico luminum ornatu nudari, & vltimam fulgoribus pomeridianis vestiri: adeò tamen omnia mutationibus sunt subiecta, vt aliquando sibi videantur contraria. Notauit Chrysolog. serm. 77. *Ecce Domino resurgente non tenebrescit vespera; sed lucescit, & fit lucis exordium, quod principium noctis esse cōsueuerat.* Sæculi mutatur ordo, vt iam dies transeat in noctem, & nox vertatur in diem. Redeat iterum Chrysologus serm. 75. *Vesper finit, non inchoat diem, nec lucem parturit, sed tenebras; sed hic elementorum auctor elementorum vices mutat, vt in resurrectione Domini totum diuinum sentias, nil humanum. Denique resurgente Christo fidelibus lucescit vesper, dies infidelibus tenebrescit, discipulis nox mutatur in diem, Iudæis dies vertitur, & mutatur in noctem: Ab hora*, inquit, *sexta tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam.* Ipsa tot sæculis meridiana fulgens claritas obscuratur, & quod Propheta prædixerat, adimpletur: *Occidet illi Sol meridie:* & quod alius dixerat, comprobatur: *Nox sicut dies illuminabitur.* Quæ à natura discrepant, iam contra naturam concordant: quia intimius erat vel sextæ horæ mutationibus subiacere, quàm fulgoribus emicare. Et quid in humanis putabis firmum, quando Solem ipsum in tenebras vides conuersum? aut quis toruo fortunæ vultu iactatus desperet, quando nox ipsa rutilis splendorum ignibus ardet? Disce ergo non superbire, si dignitatis elatus fastigio, nec animum despondere, si humillimo collocatus in solo.

Matth. 27. v. 45. Matth. 28. v. 1. Chrysol.

In somnio humanarum rerum vicissitudines Mardochæo obiiciuntur: vidit paruum fontem non modicis aquarum prouentibus transire in flumen, flumen in lucem, Solémque mutari, & posteà redundantibus aquarum voluminibus iterum fluere: *Paruus fons creuit in fluuium, & in lucem, Solémque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit.* Aquarum natura igni semper aduersa, ignis fluctibus contraria flamma; & tamen varietatis ingenio iam aqua transit in ignem, iam ignis degenerauit in aquam. Profectò fons per terrarum tramites serpit, Sol cælorum fastigio lucet; & tamen fons ad fastigium ascendit Solis, & Sol ad naturam recurrit fluminis: vt Sol trepidet de casu, & fons præsumat de ascensu. Qui lucet in dignitatis apice, cogitet varios rerum euentus, ne cum superbia diuitiarum antiquos mutarit vultus: qui fontis adinstar parum à tellure emicat eleuatus, speret citra vanitatem posse se Solis ascendisse fastigium, 131.

Esther 10. v. 6.

gium, quò inter prospera, aduersáque medius nec desiciatur aduersis, nec turgeat prosperis; sed virtute constans fortunam suam cordatus in planum deducat, & calamitatis mœrotem lætioribus spebus depellat. *Talis fuit Esther*, scribit noster Sanctius, *quæ cùm principio fons esset illimis & crystallinus; non tamen fauere poterat suis, quia exiguus, neque irrigare campum, qui esurientes aleret, & deficientes reficeret, neque quidquam aduersarijs afferre dispendij, cum vim ad nocendum haberet nullam aut exiguam, donec ad regis thalamum, & regiam maiestatem ascita liberare potuit.* Contemptibilis, & mediocri siti fons ille paruus videbatur hauriendus; sed postea dignitatis fastigio resplenduit clarus, quo mortales discant nec Solem ipsum adeò fixum, vt nequeat redundare in vndas, nec vndas adeò semper serpturas, vt conuerti nequiuerint in stellas. *Tu*, aiebat Seneca, vbi suprà, *tam illum ingenuum videre potes, quàm ille te seruum: Mariana clade quàm multos splendidissimè natos Senatorium per militiam auspicantes gradum fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit. Contemne nunc eius fortunæ hominem, in quem transire, dum contemnis, potes.* Mariana clades docuit homines rationi semper viuere, nec de fortuna turgescere, quando Senatorij ordinis amplissimus homo custodire gregem compulsus est, & qui in mentem eius nunquam venerat, opus fuit vti cibo, & famem sedare potu.

Sanctius.

Senec.

132. Concludant thesim nostram duo homines diuersis sortibus sæculis admirandi: Ioseph à fratribus pro notho venditur, ferro vti seruus inuritur: in Ægypto iniqua opinione infamatus ac ferreis compedibus carcere delitescit vinctus: hîc aliquando sic repentinis successibus ad prosperitatis apices euolauit, vt iam adoretur Ægypti prorex, & sit modiperator in fame: byssina resplendet stola, torque fulgurat aurea, vectus adoratur triumphali pompa: *Dixit Pharao ad Ioseph: Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti, tulitque annulum in manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit, fecitque eum ascendere super currum suum secundum clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent.* Vides mancipium; imò inter damnatos reiectum genuflexo ab omnibus cultum, & præconis voce publicè conclamatum. Transi modò cogitatione ad Amanum illum genuflexo ab omnibus adoratum, & vsque ad officium præconis fortunæ volubilitate demissum: *Posuit solium eius (Assuerus) super omnes Principes, quos habebat, cunctique serui regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman.* Audis fastigium, intuere etiam præconis munus: *Tulit Aman stolam, & equum, indutúmque Mardochæum in platea ciuitatis, & impositum equo præcedebat, atque clamabat.* Fidem hæc exigunt profectò diuinam, quando nec somnij licentia varios hos depingere potuisset casus, & diuersos fortunæ vultus: ridiculum esset somniare seruum vinculis traditum inopinè ad regiæ dignitatis fastigium euectum, ab omnibusque genuflexionis cultu adoratum, vt Principem etiam ab omnibus, genuflexionibus cultum ad vile præconis munus demissum; hæc ergo, quæ vel deliranti phantasia picta irrideretur chimæra, fide est certissima comproba-

Genes. 41. v. 41.

Esther 3. v. 1.

Esther 6. v. 11.

ta: vt nouerimus quàm terrena subiaceant varietatibus, quàm obnoxia sint mutationibus. Ioseph inter reiectitia mancipia constans meliora sperauit, Amanus tyrannorum supremus ignominiam extremam tulit. Nobis accommodabit Philo trita illa verba; sed instituto nostro opportuna, libro de Ioseph ita scripta. *Testantur de huiusmodi somnijs non singuli tantum; sed ciuitates, gentes, regiones, Græcia, Barbaria, insularum, continentisque incolæ, Europa, Asia, oriens, occidens: nihil enim vsquam permanet sui simile. Ægyptus quondam in multas gentes habuit imperium, nunc ipsa seruit: Macedones aliquandiu tam potentes fuerunt, vt iura toti orbi redderent; nunc imperatas à dominis pecunias tributi nomine quotannis quæstoribus numerant.* Quid certiùs? Quid vsitatiùs?

Philo.

---

§. XXVIII.

Non semel calamitatibus patet, qui sibi soli, & vnico viuit.

Illa est natura purissimi luminis, scribit Cassiodor. 8. var. 10. *quæ relucet & proximis.* Sibi vnicè viuere nobilitatem est obscurare, quando in commune commodum producuntur, quæ astra nobilissima recensentur exigua est lux, quæ nitore contracto nec gradientibus ostendit obstacula, nec vitare edocet offendicula. Nec solùm singularitas nobilitatem obscurat; sed & calamitatem non semel creat: frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas fortis; fortis verò si cæterorum iuuamine destitutus, facilè succumbet hostibus subiugatus. Qui nauim mari committit, omni sedulitate tabulis strictissima communione compingit, ne dum scissuris à seipsis remouentur disiunctæ, vorticibus viam fecerint separatæ: dum artis vinculo coniunguntur, & marinis voluminibus dominantur; si tamen rimulæ sciderint vnitatem, naufragij attulere formidinem. *Transitum præbeat in tremulum*, scribit Cassiodorus 12. var. 19. *fixum concatenatione nauigium, & de suo situ celerem nobis præstet excursum... Tabularum fortiter iunctura constricta soliditatem debet præbere necessariam, vt pauorem vndas dubitantium terrena similitudine possit auferre.* Iunctura amicè iuncturæ constricta facilè detriumphat naufragia; sed si defuerit tabulis vnio indubia minatur nauigio submersio. Danitæ sortem accipiunt: *Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima*; verùm quia nouerant felicitatem non solùm laboribus pari; sed nutriri, irruptionem faciunt in Lesem, facileque expugnata vrbe opimis fruuntur manubiis, & amplissimis ditantur spoliis: *Pugnauerunt contra Lesem, ceperúntque eam, & percusserunt eam in ore gladij*: nondum auditur irruptio, & ciuitatis refertur captio, cùm non semel alibi multis victoria constiterit, & inimicorum valentia vires Israëlitarum defatigarit: cur ergo Lesem facilè adeò cessit inimicis, quando de inscripto victorum nomine videtur grandi excellere fortitudine? alioquin si imbelles ciues, & inglorius esset triumphus, nec dignus æternado nomine plausus: cur ergo adeò facilè subiugarût, quam suis nominibus inscripserunt? Quia Lesem habitatores, scribit Abul. q. 5. vtpote ab omni communicatione semoti, à nullis fuerunt adiuti: libi

133. Cassiod.

Cassiod. Vnio securitatis mater.

sibi soli viuebant omnium familiaritatem detrectantes, & communionem superbissimè despicientes: ideò quia cæterorum carebant auxilio, facilè hostili occubuerunt gladio: *Viri, qui manebant in vrbe Lesem, erant incauti, & cum nullo populo habentes consortium, vt inde adiuuari possent, vt patet Iudicum 18. ideò fa- faciliter potuerunt capere vrbem.* Nescio quàm singularitas illis promittebat gloriolá; sed dum superbi turgent, & subiugati etiam iacent: non enim habet in torua fortuna solatium, qui aliorum respuit de singularitate consortium. Profectò si aliis viuerent, & pro ipsis alij pugnarent: at dum à cunctorum separantur consortio miserando pereunt excidio: armatur in calamitatem, qui prodest aliis: quia plures sunt, qui fortunæ resistant telis. Aurum coaceruatum alienam inflammat inuidiam; communicatum facilè acquirit tutelam: nimia cupiditas sibiipsi aduersatur, & quia omnia immetatè discupit, sæpè irremediabiliter perdit.

Abulens.

134. Christum Dominum in deserto agentem fraudulentus adoritur inimicus, & sperat vincere, quem cæca solùm temeritas aggrederetur tentare: *Accedens tentator dixit ei: si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Tentare veterator cupit: sed nescit: facilius namque videbatur tētare hominum cœtui insertum, quàm ab hominum communicatione remotum: si vult panes incrementare, vt de potentia inflet, cur non tentat in alio deserto, vbi extemporaria mensa ferè immetatam pascit hominum multitudinem? Si è templi pinnaculo suadet casum, vt experiatur Angelorum auxilium, & euanescat videns se frustrasse periculum, cur vanitate non pulset, cùm morbidos eximit à morbis, cùm lucem cæcis restituit, cùm à sepulchro defunctos extrahit? O diaboli techinas! Vidit Dominum alibi non solùm sibi, sed omnibus vigere potentia: in aliorum vidit vtilitatem patrare mira, & recusat congredi, quia timet vinci; at vbi Dominum intuetur sibi vni viuere, vbi sperat miracula sibi vni patranda suadere, sperat de singularitate vincere, quem toties de communione veritus est oppugnare: vult ad sui tantummodò gloriam inuolare per aëra; vult sibi vni creare miraculo edulia: quia sperat singularem sibi quantumuis potentem facilè subiugandum, si aliorum viderit commercio omnimodè destitutum. Et quamuis hîc tentatoris appareat dementia, singularitatis periculum impudens eius nos docet audacia. *Ducitur in desertum*, scribit Theophylactus, *vt ostendat nobis quod diabolus tentet nos, quando viderit solitarios, & non ab alijs adiutos: Oportet igitur nos non temere fidere nobis ipsis.* Solitarium à cæterorum communione seiunctum, si sibi vni diuitias viderit aggerantem, sibi soli gloriam ambientem, vincere præsumit hostilis ausus, quem aliorum consortio munitum timuit lacessisse inimicus: suadet, vt sibi panes multiplicauerit, vt gloriam præcipiti volatu exambierit: quod si suaserit, sperat se adepturum victoriam, & sibi credit futuram palmam. *Putat*, scribit Euthymius, *huiusmodi verbis pungendum, tanquam rubore suffundatur, si filius Dei non esse credatur, vt ignorato dolo lapides in panes transformat accepta certè à Deo potestate, ac postmodum videns iam ipsos magna attractus esuriе deyciatur.* Ea est inimici calliditas, vt non

Matth. 4. v. 3.

Euthym. *Plures discupiùt fama nominis celebrari, vel cum moliuntur ascendi.*

semel ad opera prouocarit virtutis, si speret postea euadere in occasionem sceleris: ergo cùm Dominus panes in subsidium esurientium multiplicat, accedere nullatenus audet; at vult sibi vni panes multiplicare, quo triumphet, quasi facile pateat ruinæ, qui sui ipsius militauerit tantùm commodis, aut studuerit crementis.

Perpendebam aliquando apud me, cùm in sacro textu certum sit omnia scatere mysteriis, cur Elias ad viduam illam Sareptanā sit missus, & cur vidua alia Elisæum adierit in lachrymas fusa, & à creditore vexata? Sareptana mulier non adeò iugo exprompta, & seruituti subiecta: aliam durus exactor, & expoliare vult filiis, & opprimere audet angustiis: cur ergo alterius libertas discrimini pateat; alterius verò non patuerit discrimini? cur alia cursum arripuerit ad prophetam; ad aliam verò Propheta arripuerit cursum? Quia Sareptana sibi vni; sed alteri etiam panem conformabat: altera sibi vni oleum habebat: quæ ergo à communionis charitate seiuncta, & exactoris molestiis exposita; quæ verò non sibi vni exiguam farinæ seruabat mensuram, & exactoris impediuit audaciam, & opportunam sibi accersiuit misericordiam. Sareptana vidua, vt Prophetæ aquam afferat, celeri pede contendit: *Cùm illa pergeret, vt afferret:* panem sibi filióque conformare disponit: *En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo.* Nihil habuit domi quod auara sibi vni seruaret, nec liberalis diuideret; altera verò, cùm rogaretur à Propheta quid domi haberet, respondet: *Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo vngar:* quæ ergo oleum communicare renuebat, & molestias exactoris durissimas tolerabat: hanc namque facilè diabolus præsumpsit vincere: quia vidit singularitate gaudere: & quidem opus fuit vt hæc adiret prophetam, ad illam Propheta adiuit: in alterius domo vrget periculum seruitutis fulget in alterius priuilegium libertatis. Huc voco Eusebium Gallicanum homil. de Quadrages. *Felix, per quem etiam in alienam salutem exundant merita propria, felix, in cuius mentem redundat salus aliena:* adderem: infelix, cuius cogitationes nunquam alterius respiciunt commodum, nec vtile charitatis norunt commercium: non potuit non creditori viuere obnoxia, quæ oleum sibi vni reseruauit auara: nec potuit seruitutis imminere periculum, cui commune Prophetæ, & filio fuit alimentum.

135.

3. Reg. 17. v. 11.

4. Reg. 4. v. 3.

Euseb. Gallican.

136. Mirabar statuam firmissimis metallis munitam leui lapidis ictu subuersam: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis: & fictilibus, & comminuit eos:* cùm arbor vno ictu non sit præcisa; sed per partes, & repetitis securis ictibus fuerit dissecta: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius; verumtamen germen radicum eius in terra sinite.* Arbor prorsus non euellitur, statua prorsus dissipatur: & quidem difficilius erat ferrum lapidis ictu in fauillam conuerti, quàm plantam vnico ictu securis scindi; & tamen planta post repetitos ictus, & validos securis morsus adhuc perseuerat pullulatura, cùm imago firmissimis metallis vento rapiatur compacta:

Dan. 2. v. 34.

Dan. 4. v. 11.

pacta: quia iam in leues fauillas conuersa; clamet Angelus: Euertite statuam auro opulentam, argento nitidam, ære solidam: sunt namque cælestes vires necessariæ, vt puniatur delictum, si delinquentem munierit aurum, non iubeat scindi plantam, quæ cælesti impulsu facilè iacebit deiecta, quando robora aëris adsultibus extrahuntur auulsa: plantæ quidem excidendæ minor videbatur vis necessaria; statuæ verò euertendæ vrgentior prodesset cura: cui ergo statuam vnicus ictus prosternit, & arborem multiplex manus scindit? Estne, quia alibi ipse Dominus lapide adumbratus per se ipsum in statuam insurgit; alibi verò plantam per ministrorum manus puniri decernit? Et quidem plus vnica Domini actio prodest, quàm ministrorum profuerit multiplex. Ita sanè; sed locum thesi adaptemus. Statua sibi vni lucet, cum nullo communicat splendorem, nec aliis affert vtilitatem; arbor verò fructus extrudit in animalium, & auium esum; ramos adaptandis nidulis commodat, vel vmbra auxiliatur feris: ait namque textus: *Esca vniuersorum in ea: subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli, & ex ea vescebatur omnis caro:* dum ergo communicatis fructibus pauperior, contra impugnantium vires validior; quæ verò sibi vni emicabat statua, citò corruit deiecta, quia nulla illi contra lapidis ictum adfuerunt auxilia: quæ sibi & aliis planta florebat, vitam aduersus fortunæ vultus seruabat; quæ verò imago nulli proderat, quantumuis durissimis metallis cõstructa leui lapidis ictu deiiciebatur euersa: *Folia vocat decus illud, quod conspiciebatur in veste & throno, & regijs, & scutatis, hastatis, satellitibus, atque stipatoribus corporis*, inquit Theodoretus orat. 4. in Daniel. vt folia non solùm sunt arboris decorosus ornatus; sed virent etiam in subsidium fructus; ita qui ex illa arbore vescebantur, illam muniebant, & militum adinstar seruabant. Addit Theodoretus: *Esca vniuersorum in ea, siquidem & agricolæ ipsius procuratione pace fruentes è terra fructus percipiebant, & milites ab ipso commeatus accipientes in armis vitam degebant.* Arbor sibi & aliis efflorescebat; statua sibi vni micabat: ergo quæ singularis, calamitati subiicitur; quæ verò proficua aliis, calamitatem aut temperat, aut erudit. Legem habitatores occumbunt ab hostibus impetiti: quia à cæterorum communicatione discreti.

Theodor.

---

§. XXIX.

Optimus Reipublicæ administer se postponit muneri; malus munus postponit sibi.

137. Reipublicæ Consules vel ipso nomine monebantur, vt dignitatis vocabulum implere compulsi fiet officium. Consules à consulendo sunt dicti: & quidem tunc nomen resplendebit impletum, cum Reipublicæ commodis fuerit prouidenter consultum; at cùm suggesta aurea putantur messis, cúmque nomine præfectura re ipsa est præda, iam non dixeris Consules; sed carnifices. Ea puritate optimus Reipublicæ administer debet tractare negotia, vt sua muneri postponat augmenta: nec se putet electum ad pecunias aggerandas; sed ad lites componendas: *Magnam adibat aleam*, scribit Seneca ad Neronem lib. 1. de clement. cap. 1. *populus Romanus, cùm incertum esset, quo se statim nobilis indoles daret: iam vota publica in tuto sunt: nec enim periculum est, ne te subita tui capiat obliuio: facit quidem auidos nimia felicitas, nec tam temperatæ cupiditates sunt vnquam, vt in eo quod contigit, desinant: gradus à magnis ad maiora fit, & spes improbissimas complectuntur insperata assecuti.* Audi quæ subdit: *Omnibus tamen nunc ciuibus tuis & hæc confessio exprimitur, esse se felices, & illa nihil iam his accedere bonis posse nisi vt perpetua sint: multa illos cogunt ad hanc confessionem, qua nulla in homine tardior est: securitas alta, affluens, ius supra omnem iniuriam positum.* Magnam aleam subibat Respublica, cùm mores gubernatoris incerti: nec quid optabilius populis, quàm eo frui moderatore, qui Reipublicæ corpus suum putet, quíque membrorum damna sua crediderit detrimenta. Parum hoc: se ipsum muneri debet postponere, & a se ipso honestè discedere. *Patrem quidem patriæ appellamus*, addit Seneca epist. 14. *vt sciret datam sibi potestatem paternam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos reponens.* Pater, vt filiis consulat, se ipsum sæpè contemnit, vtque cibet, famis obliuiscitur suæ: ergo optimus administer sic Reipublicæ studeat commodis, vt suis non consulat incrementis. Adest Iosue optimi Principis sæculis decantandum exemplar: hic cùm tribubus sortes diuisisset, omniáque ritè ac legitimè complesset, ab illis ipsis, quos amplissimis ditauerat facultatibus, vrbem postulauit, ne videretur arbitrio suo sibi adscribere; sed illorum veluti beneplacito habere: *Cum complesset sorte diuidere terram singulis per tribus suas, dederunt filij Israel possessionem Iosue filio Nun in medio sui iuxta præceptum Domini.* Iam reliquos prædiis donauerat, iam spolia rationabili sorte diuiserat; cùm tamen nihil ab eis accepisset, nec propria commoda ipse curasset: quò Reipublicæ ministros instrueret muneri satisfacere, & sibi posteà consulere. *Hic ponitur*, scribit Abulensis quæst. 5. *possessionis Iosue assignatio, scilicet quod postquàm tota terra diuisa est, assignata est possessio ipsi Iosue in sorte tribus suæ, scilicet in sorte Ephraim.* Consonat Theodoretus quæst. 17. in Iosue: *Partem sibi non impertiuit; sed eam, quæ oblata est, accepit, docens eos, qui in aliquo sunt magistratu constituti, non suis commodis; sed vtilitati subditorum inseruire debere.* Nihil sibi accepit, qui omnibus terram diuisit: se ad vltimum locum remisit, & cæteros omnes præposuit: & quidem ni sortium distributor esset, multò antè, cum Ephraimitis scilicet sibi specialiter adscriptam hæreditatem accepisset; verùm quia iudex, Reipublicæque administer, in futurum distulit, quod tunc iure æquissimo accepisse valeret. Itaque quia iudex, non accepit, quod si iudex non esset, cum Ephraimitis contribulibus accepisset: vt Phœnicis ad instar aliquis iudex visus fuerit, cui munus distulerit commoda, quíque, si non iudex, obtinuisset anteà incrementa, quando tot sunt qui de muneris fauore sibi in futurum debita maturarint, aut potiùs indebita sibi acquisierint.

Senec.

Insperata assecuti ad spes improbissimas solent excédi.

Magna Reipublicæ felicitas ius illæsum.

Senec.

Abulens.

Theodor.

138. Saul, cùm Philisthinorum castra manus conserta iam propinquarent, Pythonissam de futuro

tero euentu consuluit: Samuel non beneficiorum incantamentis; sed diuina prouidentia excitatur, vt regi durissima enuntiet: *Cras tu, & filij tui mecum eritis.* (1. Reg. 28. v. 19.) Timore rex percellitur, color macie commutatur, gelatur sanguis, & robur timore vincitur; verùm vt vt potuit, resumens animos, nonnullis seruis comitatus insomnis excurrit ad castra, vt futura disponat prælia: *Ambulauerunt per totam noctem illam.* Quærunt interpretes, cur Saul se non subduxerit pugnæ, cùm cælesti se nouit mortis subiacere sententiæ? castra in manus Philisthinorum iam tradebantur proscripta: ergo in opportunius tempus seruare se consulebat prudentia. O præclarum superioris exemplum! Si Saul castra non peteret vitæ suæ consulens, plures occumberent: quia de Principis absentia exanimati segnius dimicarent: si adit, mortem indubiè oppetet; pauciores tamen milites Hebræorum peribunt: quia de Principis aspectu inflammati decertabunt validiùs: adeóque Saul suos amat, vt se posponat, malitque mori, quàm superioris munus adulterare. Adest Abulensis (Abulens.) quæst. 46. *Quamquam castra tradenda erant in manus Philisthijm præsente Saule; tamen faciliùs traderentur, si ipse non iret in castra: nam si ipse iret, traderentur castra pugnando: quia Israelitæ haberent aliqualiter animum pugnandi præsente rege, & non nocerent eis nimis Philisthiim: si autem Saul absens esset, illi concepto timore non auderent pugnare, & perirent plurimi: tenebatur ergo Saul ire in castra, ne ipso absente multi perirent.* Suorum salus illum vocabat; sed proprium periculum retrahebat; maluit tamen Saul sibi, quàm muneri defecisse, maluit propria morte subditorum redimere vitam, quam propriam vitam tueri sanguine subditorum: vt Principes ac superiores doceret sua subiectorum commodis postponere, non suis vtilitatibus iniuria muneris indulgere.

139. Pendebat Christus Dominus clauis confixus, & duris sentibus lancinatus: nec copioso adeò sanguine inuidia sopita est: non solùm furebat in vitam; sed insaniebat in famam, vtque simul, & famam innubilaret, & vitam abscinderet, lattones nocentissimos, & sanguinarios simul damnari decreuit: quò eodem tempore, & denigraretur fama de latronum consortio, & vita duro extingueretur martyrio: alter crucis collega impatiétiæ stimulis agitatus, quia ferire nequibat framea, iniqua duriùs feriebat Dominum lingua: *Vnus autem de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos:* (Lucæ 23. v. 39.) en textus latronem vti blasphemum sugillat; verùm quæ blasphemia est consulere, vt corpus à clauis expediat, & sanitati restituat? Certè an sit Christus dubitare præsens supplicium suadebat; monere vt vitæ consulat, non tam videtur iniquitatis blasphemia, quàm viuida amoris flamma: cur ergo blasphemus audit, qui ad speciem comiti vitam requirit? O diaboli techuas! Vidit in crucis vertice eminere titulum, Redemptoris insigne: *Rex Iudæorum*; & vitæ hortatur vitare periculum, quò tituli infamarit elogium: si Dominus è cruce descendat, non implebit titulum; sed salutis propriæ curabit commodum: si perseueret, propriæ vitæ dispendio omnium prouidebit saluti, vtque auferat regnum, importunum deposcit miraculum: blasphemiis dehonestat, dum consulit vitam anteponere muneri: nec enim Dei credidit filium, quem in propriæ vtilitatis augmentum putauit postponere posse officium. *Alter latro*, scribit Theophylactus ad 27. Matth. (Theophyl.) *Iudaicus populus blasphemabat; diabolus autem submittebat dicentes: si filius Dei es, descende de cruce, vt incitatus descendat de cruce, & intereat salus omnium, quæ est per crucem; at Christus, quia filius Dei est, non obediuit inimico.* Vult diabolus expiret munus de procurata salute: quia nouit de postposita salute æternum victurum munus: docere voluit propriis commodis postponere obligationem officij; Christus verò Dominus suo nos docuit exemplo munus anteferendum, & vel dispendio vitæ honorandum.

Componamus Dauidem cum Pharaone: Pharao egregiè vapulabat flagellis diuinitus immissis: grando cum igne conferta ruebat, & quæ ab ingenio inimica, contra naturam concordabant: ranarum agmina aures clamoribus importunissimis referiebant: vndæ in sanguinem commutatæ miserum minabantur excidium, & ne Ægyptios aquarum tumularit sepulchrum, crystallinum illis mortem cruore obiecto repræsentabat speculum: tandem locustarum nubes omnia pestiferis dentibus abrodebant, & penitus deuastabant. Quid tunc Pharao: Festinus Moysem, Aaronemque orat, vt ab illo mortem depulerint: *Rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam:* (Exod. 10. v. 17.) Vatablus legit: *Rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me dumtaxat istam mortem.* (Vatablus.) Itaque Moysem orat, vt ab ipso mortem depellat, quantumuis morte illa subiectos vrgeat. Quasi dixerit: Iustitiæ satisfaciendum est: ergo subiectos verbera, dum me vnum excipias: alios percute, me relinque. Heu hominem throno indignum, qui subditorum clade propriam nititur coëmisse salutem, quando propria salute debuisset subditorum depellere cladem. O quam aliter aiebat Dauid! Deuastabat pestis populum, cúmque iam Angelus ad curiam manum extenderet, Dauid festinus cucurrit, seque pro populo gladio obtulit: *Dixit Dauid ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum: ego sum, qui peccaui, ego iniquè egi: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* (2. Reg. 24. v. 17.) Ecce optimi & pessimi superioris exempla: alter se pro ouibus periculo obiicit, alter pro se oues: alius vitam suam postponit subiectorum saluti, alter salutem subiectorum suæ vitæ: dum Pharao maneat incolumis, nil intererit populus miserandus succumbat, & ne populus succumbat, Dauid inquit interesse parum quòd ipse intereat. Adest Theodoretus apud Glossam: (Theodoret.) *Digna sunt admiratione ipsa verba regis: ignorans causam suum peccatum vocauit, quod fuerat factum: & vt in suum genus ferretur sententia, supplicauit, vtens verbis boni pastoris, imitans filium suum, & Dominum, qui animam suam posuit pro ouibus.* Dauid plus muneri gestit prouidere, quàm vitæ; Pharao attendit vitæ, non muneri. O quàm pauci Dauidem imitantur! Quàm Pharaonem plures sequuntur! De alienis incommodis suam multi procudunt felicitatem, & aliquorum præfectura est populorum laniena. Virga semel & iterum innocuam percutit

140.

cerit silicem; quousque gelidas liquetur in vndas, quò auaritiæ sitim sedent; imò quò plus sitim pestilentem inflamment.

141. Israeliticos greges custodiebant nonnulli, qui ouibus erant pro lupis, & cum histrionicè repræsentarent pastoris officium, ferarum sortiebantur ingenium: *Ve pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini; & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis.* Pastorum exambiebant officium: quia omnem prorsus curam sequestrabant, & omnem vtilitatem quærebant: cùm Iacob optimum pastorum exemplum æstus sustineret ardores, & gelu in gregis commodum glacies: *Nec captum à bestia ostendit tibi*, inquit: *die noctúque æstu vrebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Hîc insomnes ducens noctes, & laboriosissimos dies, se ipsum despiciebat, vt gregi solertissimus prouideret: alij suis commodis vigilantissimi, & gregis commodis cæci; imò non solùm gregis commodis cæci; sed detrimentis inoculati. Hinc facilè illi quæstioni satisfacies, cur scilicet digniores dignitates detrectent, cùm illas ambiant indigni: nam cùm alij non solùm emolumentum non quærant; sed sese periculis sæpè exponant, respuunt molestias, & ingratas sibi ac laboriosas conantur fugere dignitates; alij verò, quia non curant satisfacere muneri; sed indulgere cupiditati, ambiunt pastoris officium, quò & de velleribus cultiorem sibi texant ornatum, & de lacte dulciorem præparent cibum, ne lactis gutta in ouis vberibus maneat, vsque ad sanguinem emungunt, & exuccæ mortem asciscunt. Quid refugiat pastoris munus, qui omnibus muneris laboribus abdicatis, commodis tantummodo fruitur? Et cur non recuset Iacob officij tempus producere, & ad patriæ otium semel ac iterum velit redire, quando gelu adustus, & ardoribus diuexatus? *Ad pastores*, inquit Theodor. apud glossam ad Ezechielis 34. *transfert orationem, vocátque pastores non solùm reges; sed etiam Sacerdotes, quorum accusat impudentiam, segnitiem, & omnium perditionem.* Consonat Lyra: *Pascebant semetipsos intenti carnalibus delicijs, & non curantes de suis subditis: lac comedebatis bona eorum rapiendo ad victum vestrum, & vestitum.* Quid veriùs? Quid miserabiliùs?

Ezech. 34. v. 2.

Genes. 31. v. 39.

Theodor.

Lyra.

§. XXX.

Gloriosa electio, quam omnium commendauere suffragia, nec aliquod subtraxit inuidia.

142. Eximiæ dotes non semel inuidiam sustinere coguntur: quia dum candidiori luce resplendent, & viuidiori intuentium oculos ardore perstringũt: insitũ indoli peruersæ est alios tenebris offuscare, & alienam semper gloriã deprimere: vnde non semel, etsi ad suffragium præstandum ratio compellat, inuidia desciscit exasperata, aut notam impingit æmula: qui plurium suffragiis fastigium dignitatis inscendit, gloriosè inuidentiam triumphauit, quandoquidem constat æmulationis odium vicisse, aut concertationis ambitionem longè superasse. *Solida laus est*, scribit Cassiodorus 1. var. 21. *quoties conueniunt indulta iudicijs, nec sibi audet casus adscribere, quod bonæ dispositionis librat examen.* Quoties aliquid plus examine libratum, & suspicione redditur liberum, nec potest malignitatis tulisse odia, quem constat omnium elegisse suffragia: grande de calculis procedit encomium, quando constat eximiis fulgere dotibus, quem omnium approbauere iudicia, nec repudiare inuidorum valuerunt tædia. Qui omnium votis electus, cœlesti micat fauore ornatus, quandoquidem humanæ naturæ videtur mores vicisse: quia insolitum est omnium vota in aliquem conspirasse: sors Iosue omnium suffragiis adscribitur, vt præ cæteris eximius deprædicetur: *Dederunt filij Israel possessionem Iosue filio Nun in medio sui iuxta præceptum Domini vrbem, quam postulauit.* Alij sortem Eleazar Sacerdos, Iosue filius Nun, & Principes familiarum prudenti adscribebant examine; in Iosue verò adsignanda sorte omnium concorditer conspirauere suffragia, quò illustriora deprædicentur sæculis merita. Adest Abulensis quæst. 5. *Satis est rationabile, quòd totus populus assignauerit sortem Iosue, vt in hoc ipse cæteros excederet: nam cæteri acceperunt possessionem dantibus diuisoribus terræ, qui erant iudices; Iosue autem nullum iudicem habuit; sed toto populo decernente hæreditatem assecutus est.* De suffragiorum numero accreuit gloria, quãdo deprædicatur suspicienda omnibus excellentia. Non omnibus placent omnes: alij exorientem Solem execrationibus onerant, alij Lunam inuidiosis maledictis infamant, & quamuis sine causa patiatur odium, affert tamen aliquod famæ splendoribus nubilum, quando qui potuit displicere censetur aliqua parte obscurari. Ergo Iosue dum omnium suffragiis eligitur, eximiis dotibus resplenduisse probatur: faustissima quidem electionis est pompa, si nulla desiderentur suffragia.

Cassiodor.

Abulens.

143. Mundi artifex post multa condita ad hominis molitionem accingitur: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatibus cæli, & bestijs, vniuersæque terræ.* Et quid necessum est omnium personarum expresè inauguretur suffragiis, qui singularibus condi potuisset imperiis? Alibi aiebat Deus: *Germinet terra herbam virentem*: alibi: *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem*; hîc verò trium hypostaseon exprimitur numerus, & expresè deprædicatur consensus. Huius discriminis multiplices Patres piè ac ingeniosè assignare causas nituntur. Tertullianus cætera ait vocali potestate producta, quia processerunt vt famula; at contra homo, quia ad dominium extructus, & decentiùs ab ipso Domino conditus. *Meritò igitur*, scribit de resur. carnis cap. 5. *vt famula iussu & imperio, & sola vocali potestate vniuersa processerant; contra homo vt dominus eorum in hoc ab ipso Deo extructus est, vt dominus esse posset, dum fit à Domino.* Zeno Veronensis serm. 3. de Genesi profundè meditatus aiebat hominem omnium expressis votis conditum, ne aliquam pati videretur iniuriam, si fictio, aut electio singularem opificem expressisset personam: *Non inquit, fac ad tuam; sed ait, faciamus ad nostram, ne quam filius hominem induturus pati videretur iniuriam. Videtis ne fratres dilectissimi, quia nullus exerte hîc alteri iubet, in opere nullus otiosus est?*

Genes. 1. 11. 14. & 26.

Tertull.

Zeno Veron.

est? Certè Dei opera externa, cùm omnipotentiâ sit indiuisus, etsi numero personarum discretus, ab omnibus personis procedere, catholicis est indubium: quid ergo interesat ad conciliandam iniuriam, quòd filius diceretur fecisse, aut ad propulsandam, quod dicatur tota Trinitas elaborasse? O Zenonis ingenium! Si Filius in hoc opere solus exprimeretur, putaret quis de malignitatis ingenio Adamum non omnium personarum suffragiis electum; sed vnius tantùm iudicio ad dignitatis apicem eleuatum, obscuraretúrque huius electionis gloria, si omnium non exprimerentur suffragia. Ergo, vt quam Filius induturus erat naturam, omni pompa splendoris resplendeat, inauguratur in Principem Adamus trium hypostaseon suffragiis: ideóque ait: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: nec ait, fac ad tuam: est namque electionis eximium decus nulla desiderari suffragia; sed electorum omnium in idem conspirasse iudicia: Non inquit fac ad tuam; sed ait Faciamus ad nostram, ne quam filius hominem induturus pati videretur iniuriam.

144. Deus Iehu decernit in Principem eligendum, de filiis prophetarum delegatur ad vnctionis munus, qui animosè spernat periculum, vt adimpleuerit exactè præceptum: occultè vngit, & festinus discedit: *Fudit oleum super caput eius.* Quid prophetes ille locutus fuerit, curiosè sciscitantur amici, cúmque rem initio conaretur celare, sic vrserunt, vt aperiret: Quid tunc? *Festinauerunt*, inquit, *& vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu.* Et quid necessaria est communis populi acclamatio, si iam diuina in regem vnxit electio: quia omnium conformis approbat acclamatio: *Vnusquisque tollens pallium suum:* omnium conspirauere suffragia, & assensere iudicia: *Commodè accidit*, scribit noster Sanctius, *designato, vt ibi simul essent, & benè, vt apparet, in illum animati Principes illi, penes quos tunc erat summa rerum, quibus Iehu singula, quæ in secessu audierat à propheta, distinctè narrauit; Deus autem sic aliorum animos ad sua consilia attemperare disposuit, vt repugnaret nemo.* Magnum Iehu commodum à Deo vnctione sacra perungi, & magnum diuinæ electionis testimonium omnium suffragiis inaugurari. Regem salutant, & illorum voces publica in castris, & festina consecuta est acclamatio, vt communis consensus clarum fuerit electionis diuinæ testimoniũ, & non modicum splendoris augmentum, quandoquidem fuisse omnibus constabat acceptum, cui nullus denegauit suffragium. Profectò electiones, quæ sine iurgiorum dissidio, & seniorum altercationibus perficiuntur diuinissimæ comprobantur, quando sola meritorum excellentia potuit animo adunare, in idémque conspirarint, efficere.

4. Reg. 9. v. 6.

Sanctius.

145. Hinc claret cur Nabuchodonosor adeò molestè tulerit tres illos Hebræos patria nobilitate retenta inaugurationi statuæ exertis vocibus restitisse. Exambiebat insanus ille omnes statuam à se constructam vti Deum consalutare, vt sic de communi omnium consensu & electio crederetur diuina, & gloriosior præ auro de generali electione fulgeret statua: cæteri fornacis horrendum quid strepentis metu, & adulationis consilio inanimem artificis operam, & molem operosissimam in Deum ingeniculatione veluti suffragio eligebant, & electam adorabant; Hebræi tamen fortunâ serui; sed animo ingenuè liberi sua renuerunt præstitisse adorationi suffragia: *Notum sit tibi rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream, quàm erexisti, non adoramus.* Ambitiosissimus homo furore correptus ardet, & insanus ambitione furit: *Tunc Nabuchodonosor repletus est furore, & aspectus faciei illius immutatus est.* Heu perturbatum animum, & ambitione cæcissimum intellectum! Si populi cadunt, si nationes adorant, si satrapæ consalutant, si turbæ inaugurant, quid interest trium puerorum desiderentur suffragia, & à reliquis resiluerint iudicia? Hoc profectò nec regio furore dignum, nec regi honestum: cur ergo veluti extra se actus insana excandescit ira, & ardenti obturbatur insania? Quia vidit artes suas perire, & statuæ electionem nullatenus diuinam haberi: plurium consalutans suffragia; sed electio cumulatiori non resplendet pompa, dum aliquorum refragantur iudicia: est namque augustissimus electionis plausus communis omnium consensus: ergo indignabundus irascitur: quia dum omnium non conspirat in electionem consensus diuinam approbat plausus: iam non habetur diuina, quæ rationi de aliquorum dissensu putatur aduersa. *Ita vsurpauit infelix*, scribit Theodoretus orat. 2. *diuinum honorem.* Reddit post pauca causam: *Videbat omnes imperata facientes, qui & metu, & voluptate seruire consueuerant; soli autem beatissimi adolescentes illi patria nobilitate incorruptâ in ipsa etiam seruitute retentâ Ananias, Azarias, & Misael renuerunt adorare.* Dum adorare renuunt, dum sua cæteris addere suffragia refugiunt, diuinæ electionis, quam insanus ille quærebat, testimonium infirmant: nam illorum dissensus erat statuæ splendoris nubilum, electionísque humanæ non infirmum argumentum præcipuè quando ipsi refragantes eximiæ agnoscebantur virtutis.

Dan. 3. v. 18.

Theodor.

Cùm proditor ille nequissimus Iudas cupiditatis flammis adustus arbore periisset suspensus, Apostoli agunt de sufficiendo collega: duos statuunt virtute celebres ac vitæ puritatæ pernobiles orantes: diuinum quærunt iudicium, & sors non fallax Matthiam præficiendum designat: *Cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Interpretes de sortis huius conditione requirunt: putant alij cœlesti flamma redimitum, eóque signo in Iudæ locum suffectum: *Videtur mihi scriptura sortem appellasse diuinum quiddam & præcipui muneris*, inquit Areopagita de Ecclesiastica Hierarch. cap. 5. *per quod illi choro sacratissimo insinuaretur, qui esset diuina electione declaratus.* Annuit noster Salmeron tom. 12. tract. 10. de electione Mathiæ. *Fulgore quodam diuino exponunt quidam designatum fuisse à Deo Mathiam.* Septuaginta apud Vatablum in scholiis ita legerunt: *Suffragys additus est ad numerum.* En diuinæ electionis clarum indicium non vnius aut alterius electum fuisse iudicio; sed omnium Apostolorum suffragio: hanc vti cœlestem electionem approbat diuina flamma, quo electus resplendet amplissimi honoris pompa. 146.

Actor. 1. v. 26.

Areopag.

Salmeron.
Septuag.

§ XXXI.

§. XXXI.

Bonus Reipublicæ administer circa propria incrementa non solùm vitauere culpæ notam; sed & suspicionis inuidiam.

147. ALtè incedentibus, & aliorum arbitriis non solùm vitanda est criminis culpa; sed vel iniquæ suspicionis leuissima nota: putant communi errore omnes propriæ peruersitatis agitati stimulo, aut miserabili per longa sæcula diuexati experimento plures tribunalia, dignitatisque fastigia, vti messem auream appetere, & falce potestatis demessis segetibus horrea cumulare: ideò quantò communior est hæc de iudicibus opinio, accuratiùs cauere oportet, ne vel leui innitatur fundamento: sic iustitiæ partes egerit, sic veritati insudauerit, vt damnatus non iudicis incusauerit auaritiam; sed reatus proprij agnouerit causam. *Socrates*, inquit Plutarchus in quæstionibus Platonicis, *grauiùs pungebat, dum putabant in commune quærere eum verum, non suæ opinioni seruire.* Quia Socratem nec leuis dehonestabat suspicio, veritatem liberiùs proferebat, & errores emendabat. Sophista quidam cùm rogaretur quis optimus de ludis olympicis arbiter; respondit Helios, si Heliorum nemo certaret: nam licèt Heliis decertantibus æquam Heli proferrent sententiam, non poterant non subire affectionis aliquam notam: nec minùs oberat, vt plausu acciperetur sententia suspectos haberi, quàm mendaces reperiri. Ita plutarchus loco citato. *Helios Sophista quidam fore ait arbitros ludicrorum olympicorum meliores, si Heliorum nemo certaret.* Nec solùm omnis affectus suspicio vitanda est; sed omnis vmbra auaritiæ fugienda. Iniquum reputatur, quod actum consiliis, auaritiæ censetur, nec creditur æquitatis iudicium, vbi diuitiarum agnoscitur incrementum. Felix quidam pro arbitrio suo diuisionem inter se & leuitum celebrauit; sed quia eius substantia nimiùm adaucta, iustitia non credebatur asserta. *Iniquum est*, aiebat Theodoricus 1. veriar. 7. *vt de vna substantia, quibus competit æqua successio, alij abundanter affluant, alij paupertatis incommodu ingemiscant.* Sibi vendicauit plurima diuisoris agens officium: & cùm æquali cum fratre deberet substantia ornari, alter ingemiscebat depauperatus, cùm ipse diuitiis fulgeret onustus. Malè ergo diuisoris peregisse comprobatum officium, quod tam immeritum accusabat augmentum. Et quidem quod tunc duobus illis fratribus accidit, pluribus modò accidisse reperies: è duobus non semel fratribus alter tribunal inscendit, alter ad apices dignitatis non euolauit: & quamuis ambobus successionis iure substantia competiuerit æqua, alij non de paternis bonis, quod tolerabilius esset, nec in fratris detrimentum; sed in Reipublicæ damnum diuitiarum accrescit quotidie cumulus, cùm sit alij angustior longissimè census: vt repetere possit Cassiodorus: *Iniquum est, cùm competat vna successio, vt alter affluat, alter paupertatis incommodis ingemiscat*, & quidem ni ars aliqua occulta alteri subueniret adæquè diues aut pauper esset vterque. Hanc ergo opinionem iudex prouidus sic à se depellet, vt diuitiarum incremẽta non solùm suspicionibus non pateant iniquis; sed vnde prouenerint, certissimis omnibus constiterit fundamentis. Quod in meo Iosue cernere licet; nam cum omnibus distribuisset hæreditates, ipse sibi non adsignauit; sed ab aliis adscriptam accepit, vt vel iniquis animis omnem suspicionem adimeret, & illæsam potestati gloriam seruaret: *Dederunt filij Israel possessionem Iosue filio Nun in medio sui iuxta præceptum Domini vrbem quam postulauit:* Noluit sibi adscribere: quia omnem voluit suspicionem vitare. Ita Abulensis quæst. 5. *Fuerat Iosue Index, & diuisor terræ pro omnibus Israelitis; nunc autem, cùm ei fuit danda possessio, non debuit ipse esse Index: quia nullus vnquam in causa sua aut bonus Index, aut saltem sine suspicione est.* Si sibi ipse hæreditatem adscriberet, forsitan nonnullus iniquis latratibus sortem denigraret, aut suspicionibus æquitatem morderet; nunc autem dum quidquid habet iure æquissimo constat acceptum, os iniquitatis remanet prorsus occlusum.

Plutarch. *Qui sua non quærit, auctoritate aliorum errata corrigit.*

Cassiodor.

Abulens. *Nullus in causa sua æquus Index.*

Christum Dominum vsque ad deserta turbæ sequebantur: videbant nullam aliam viam errore vacantem, morbidus sequebatur morborum depulsorem, leprosus lepræ antidotum, claudus naturæ reformatorem, cúmque fame post triduum vrgerentur miraculum illud sæculis inuisum fecit, & modicis panibus ferè immensam hominum multitudinem pauit: panes de manu Domini efflorescebant, & sine aratri sudoribus, sine stellarum influxibus cibi exundabant, & homines pro libito comedebant: discipulis iussit fragmenta colligere: *Colligite, quæ superauerunt fragmenta*; & iam fragmentis collectis illos compulit nauim ascendere, & turbas postea permisit abire: *Statim*, inquit Matthæus, *compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas:* & cur priùs non dimiserit turbas, & posteà discipulos iussit coaceruare fragmenta, & nauim inscendentes traiicere maria: O arcanam sapientiam! Apostoli turbis diuiserant panes: ait enim Matthæus: *Dedit discipulis panis, discipuli autem turbis*, & ne quis, dum tot panibus exundantes videret, aliquid muneris fauore acquisisse putaret, detinuit turbas quousque omnibus notum esset Apostolos incrementalle diuitias reliquias ab omnibus recipiendo; non tamen dum diuiderent, suffurando, ô quàm iudicibus illis, nouæque Reipublicæ ministris nocere vel leuissima suspicio, & iniusta suspicionis criminatio: voluit ergo sapientissimus magister, vt illa panum adscripta Apostolis incrementa omni suspicione manerent libera: ideò coram omnibus colligunt, ne vel vni augmentum generauerit dubitationis scrupulum. Innuit aliquomodo Augustinus apud D. Thomam ad Matth. 14. *Prius dixit eum iussisse ascendere discipulos in nauiculam, ac deinde dimissis turbis ascendisse in montem.* Rabbanus adstipulatur: *Quod superest turbis, à discipulis tollitur: quia secretiora mysteria, quæ à rudibus capi nequeunt, non sunt negligenter habenda.* Videant turbæ fragmenta colligi, & cophinos adimpleri, ne vti rudes aliquid suspicentur, si viderint panibus auctos, & fragmentorum copiis onustos: *Fuisti nimirum summa temporum laus*, scribit Cassiodor. 9. variar. 24. de quæstore, *vt illum sic ad omnia solicitum inoffensa redderes famulatione*

148.

Ioan. 6. v. 12.

Matth. 14. v. 22.

August.

Rabbanus.

Cassiodor.

Iudex si diuitiarum defficiat lucro, famæ cumulat augmenta.

tione securum, dum molem tantam regalis ingenij facundia tua viribus sustineres: te in dictationibus amœnum, te ad iustitiam rigidum, te habuit à cupiditatibus alienum. Beneficia quippe ipsius nulla abominabili taxatione vendebas, vt honor tibi ad opinionis diuitias proficeret, dum minimè pretio subiaceret. Dignus Principis quæstor, qui opinionis gloriam de incrementis inopinis non obscurauit; sed ipsa incrementa in æquitatis ac iustitiæ decorem conuertit. Optimi quæstores Apostoli, dum nullus cogitare potest illa incrementa fraude aliqua fuisse acquisita; sed de Domini præcepto collecta: priùs colligunt, quàm turbæ discedant; ne, si priùs discesserint circa fragmentorum collectionem aliquomodo dubitarint.

149. Agebat Iacobus soceri greges bona quidem fide; & quia colebat iustitiam, & gregum sibi promeruit copiam; verùm Deus iubet illum repetere patriam; nec vult ibi prosequi pastoris officium; sed redeundi iniicit desiderium: *Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam*; & cur modò pastoris ibi prohibeat officium, quando adeò inculpatè Iacobus exercebat ministerium? Innuit quidem textus, scilicet Iacobum iniquis tunc suspicionibus obscurari, quandoquidem Leuiri, & auunculus pastoris credebant exercuisse officium, vt secretis artibus diuitiarum acquisisset augmentum: *Postquam audiuit verba filiorum Laban dicentium: Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus factus est inclytus*, &c. Vt rumor, quantumuis falsus muneris administrationem incusat: iubetur abstinere ibi ministerio: quia, quantumuis conscientia adornatus, iniquis suspicionibus reddebatur obscurus: & in superiore ac iudice non solùm exigitur puritatis conscientia; sed & conscientiæ purissimæ fama: *Esto solicitus*, monebat Cassiodorus iudicem 6. variar. 21. *vt bona actionis tuæ laudes potiùs audiamus.* Itaque & actio debet esse iuri conformis, & opinione etiam omnibus commendabilis: nocet namque suspicio muneri, etsi non nocuerit conscientiæ. Et ne abducamur longiùs à Iacobo, quærendum est, cur aliquam virgarum, quas in canalibus industriè posuit, Deus ad reprimendas Leuirorum querelas ad regiminisque boni non ostenderit formam, cùm Aaronicam ostenderit virgam. Repetamus, si placet, historiam: Iacob, quia contra soceri non audebat potentiam, arte vsus est, vt propulsaret iniuriam: virgas accipit quas ex parte decorticat, & hac industria gregum sibi copiam augmentat: *Tollens virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decoraticauit eas, detractisque corticibus in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit; illa verò, quæ integra fuerant, viridia permanserunt:* diues non modicas criminationes sustinuit, nec exiguas obloquentium murmurationes patientissimus tolerauit: in Aaronem etiam plures insurgunt, quorum vt

Gen. 31. v. 3.

Cassiodor.

Genes. 30. v. 37.

Deus querelas represserit Aaronis virgam florulentam in lucem prodit. Inquiramus modò, cur Deus non iusserit virgas decorticatas produci ad leuirorum cohibendas criminationes, cum Aaronis virgam produci iusserit ad reprimendas querelas. O vide: Aaronis virga nullatenus decorticata floribus exornatur, & fructibus saporatis conditur: *Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui.* Hanc ergo Deus veluti Principatus optimi normam iubet proferri, & in futurum seruari. Ita Gregorius apud Glossam: *Virga Leui viruit, & quid virtutis Aaron in munere haberet, ostendit.* Itaque Aaronis virga in publicum producta obloquentium occlusit linguas; Iacob verò nulla virga producitur, vt obloquentium os occludatur. Ecqua huius est causa: Quia Aaron nullo virgæ detrimento sibi fructus, & flores acquirit, at Iacobææ virgæ decorticantur, cùm illius greges augentur. Itaque virga minuitur, cùm Iacobus illa vtens augetur: hæc ergo ad æquitatis normam non producitur: quia quantumuis Iacobus vsus fuerit laudabili industria; integritate tamen carebat virga, vt nobis dignis actionibus arcanum depingeretur mysterium, plures scilicet virgarum detrimento sibi consulere, virgásque decorticando adaugeri. Vtque clariùs nostram aperiamus mentem, virgam iudicialis potestatis tesseram certum est esse æquitatis ænigma, de rectitudinéque deprædicare iustitiam, de integritate conscientiam: illa ergo virga, quæ nullum patitur detrimentum, innoxiè testatur iudicem copiis diuitiarum adauctum; quæ verò non modicè decorticata minuitur, gestantis augmentum tacitè criminatur, quandoquidem crescit copia virgæ, hoc est æquitatis iniuria: vtque ex his virgis eiusdem veritatis aliud eruamus ad testimonium arcanum, nota Aaronis virgam miraculosè exornari: florescit, frondescit, fructificat; sed sæculis inuiso miraculo: citra miraculum namque nec floribus adornata micaret, nec saporatis fructibus eluceret: ergo hæc virga quid Aaron virtutis in munere haberet ostendit, quandoquidem opus fuit ad incrementa prodigio post tam diuturni regiminis vsum, cúmque raro Deus miracula patret, iudicum virgæ & fructibus, & floribus debuissent carere, cúmque tot virgas inspiciamus his temporibus floridas, & fructibus cumulatas, fors interiùs decorticantur, & secretò minuuntur. *Nullam gloriam recipit*, scribit de iudicibus Cassiodor. 12. variar. 2. *qui diues vocatur: contra omni laude decoratur, qui iustus dicitur. Desideremus potius quòd nos pretiosiores locupletibus facit. Fasces accipimus, vt graues esse debeamus: tribunalia conscendimus, vt morum gradibus euehamur: nil vile, nil cupidum iudices decet.* O quam pauci virgas producere possunt integras, cùm diuitiarum dicuntur habere copias! Ergo Aaronica virga, quia integra, in testimonium producitur; Iacobæa, quia decorticata, celatur.

Numer. 17. v. 8.

Gregor.

Cassiodor.

Nil cupidum iudices decet.

CAPVT

CAPVT XX.

Vers. 1. T locutus est Dominus ad Iosue dicens: Loquere filiis Israel, & dic eis: 2. Separate vrbes fugitiuorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi. 3. vt confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius, & possit euadere iram proximi, qui vltor est sanguinis. 4. Cúmque ad vnam harum confugerit ciuitatum, stabit ante portam ciuitatis, & loquetur senioribus vrbis illius ea, quæ se comprobent innocentem; sicque suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum. 5. Cúmque vltor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus eius: quia ignorans percussit proximum eius, nec ante biduum, triduúmve eius probatur inimicus. 6. Et habitabit in ciuitate illa donec stet ante iudicium causam reddens facti sui, & moriatur Sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc reuertetur homicida, & ingredietur ciuitatem & domum suam, de qua fugerat. 7. Decreuerúntque Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Sichem in monte Ephraim, & Cariath-arbe, ipsa est Hebron in monte Iuda 8 Et trans Iordanem contra orientalem plagam Iericho, statuerunt Bosor, quæ sita est in campestri solitudine de tribu Ruben, & Ramoth in Galaad de tribu Gad, & Gaulon in Basan de tribu Manasse. 9. Hæ ciuitates constitutæ sunt cunctis filiis Israel & aduenis, qui habitabant inter eos; vt fugeret ad eas, qui animam nescius percussisset, & non moreretur in manu proximi effusum sanguinem vindicare cupientis, donec staret ante populum expositurus causam suam.

§. I.

Commentarius litteræ.

Vers. 1. Et locutus est Dominus ad Iosue dicens: Loquere filiis Israel, & dic eis, *&c.*

1. POST humani generis peruersionem, póstque fraterni odij improbandum exemplum, sic multorum animos dissensiones, litésque exagitant, vt incommodorum rixarúmque altrices extiterint: vbicúmque hominum frequentia, ibi odia, inuidiæ, seditiones, duella, homicidia, pluráque id generis humanam quidem hominum indolem non solùm fœdantia; sed extinguentia. Itaque cùm iam Orci ostium fraterno sanguine maculatum à mundi exordio pateat adapertum, hominibúsque demens generis sui perdendi insita pullularit sæpè libido, legibus, pœnísque coërceri necessum; at quia non semel ex ignoratione & imperitia, aut ex repentino, inopinóque motu multa commiseratione digna perpetrantur, congruum visum est Deo salutis hominum amantissimo asyla seu profugia aliqua designare, quò se huiusmodi nocentes reciperent, furorémque iniuriæ vltorum ac cognatorum euaderét. Itaque voluntas illa, quæ deliberato consilio ferarum adinstar sanguinem humanum & sitit, & fundit, suppliciis absque effugio addicenda inuiolabili lege sancitur; motus tamen ille notitiam aut deliberationē prorsus præueniens mitiùs, indulgentiúsque habendus decernitur. Pro his ergo casibus placuit æquissimo, clementissimóque legum latori loca religione sancta, vltionéque non defœdanda signare, vbi se reciperent imprudenter homicidæ. Itaque in sceleribus, facinoribúsque cùm priuatè, tum publicè iudicandis & vlciscendis eam adhiberi regulam voluit, quæ pœnas non tantùm pro factis, sed pro animorum etiam intentione taxaret: distinctionem adhiberi oportuit inter peruerso, deliberatóque animi consilio perpetrata, & imprudenti subitaneóque motu commissa. *Auferes malum de medio Israel,* iusserat Dominus sæpè in Numeris; Deuteronomij vero 19. *Non effundatur innoxius sanguis in medio terræ.* Ergo pro his piaculis diiudicandis metus fugáque consulitur, vt auertatur à ceruicibus gladius, si prauus ab animo abfuerit motus, aut sit supplicium peccati pœna. Quærit Tostatus quæst. 3. an ciuitates refugij essent solùm in tutelam occidentis per imprudentiam, an etiam in tutelam aliis piaculis maculatorum, æréque alieno, grauium. Definitque, vt videtur, in imprudenter occidentium commodum ciuitates illas priuilegio donatas: quid autem voluntarium, vel inuoluntarium constituat, aliunde petendum est. Itaque quicumque hominem occidisset, si confugeret ad ciuitates, recipiebatur, dum anceps causa; statim verò ac constabat voluntariè alieno sanguine maculatum, tradebatur iudicibus condemnandus, læsæque parti occidendus. An causa ventilanda in eo territorio, vbi sanguis effusus, an in ipsa refugij vrbe, dubium: hoc vltimum affirmat Masius, illud citata quæstione Abulensis: elige quod malueris; nam in medio relinquo. Si ergo constabat imprudenter occidisse, remanebat in ciuitate in magistratus tutela; si tamen scelestè mortem intulerat, supplicio afficiendus vltori tradebatur, vtpotè vrbis immunitate iam nudus. De illo qui scienter occidit, vt se tamen ab impetente defenderet,

Num. 14. Deuter. 19. Masius. Abulens.

fenderet, quæstio est an profugij priuilegio gauderet? Abulens. quæst. 5. respondet gaudere immunitate, quia tunc non tenebatur reus homicidij. Verùm hinc aliud exoritur dubium, scilicet an teneretur intra septa ciuitatis contineri vsque ad Summi Sacerdotis occasum, dum constaret occidisse alium in sui defensionem, teneri minimè ad refugij ciuitatem inhabitandam; sed in qualibet alia liberè degere, & habitare palam potuisse sentit hic auctor. An hæc immunitas sanctuario etiam vt vrbibus competiisset, vertitur in dubium. Abulensis quæst. 6. sanctuarium priuilegio hoc non donatum indubiè tradit: primò quia repugnabat puritati sanctuarij: nam multis ad illum confugientibus, nunquamque vsque ad Sacerdotis mortem exeuntibus, necessum erat multoties pollui, & hominibus ad speciem maculatis circumdari. Modus, quo in ciuitatem refugij admitti occisor deberet, traditur Numer. 35. & Deuteronom. 19. *In ipsa vrbis porta subsistebat*, inquit Masius, *in eàque Senatoribus, quorum illi perpetuò aliquot tanquam pro tribunali sedebant ad audiendas popularium suorum causas: his igitur Senatoribus cùm ille factum suum paucis verbis, & summatim exposuisset, ex quo apparebat insontem esse, admittebatur in vrbem, & in tutelam Magistratus recipiebatur, vt securè inibi habitare ei liceret vsque eò dum occisi hominis cognati ipsum persequentes accusarent: tunc enim Senatus frequens vtrique parti dabatur, vt solemni iudicio altera accusaret, responderet altera.* O dignam Deo œconomiam, deprædicandámque politiam! Patebant timore exagitato, fugientique ciuitatis portæ, & pro foribus Senatores, vt quàm citò in tutelam admitteretur: quid enim ægriùs, quàm tempus lõgissimum tenere in cursandis Senatorum domibus, in colligendis ad tribunalia, vt ibi decernerent an recipiendus, an profugus excludendus esset: penderet enim miser ille acri timore exagitatus, & post anxior fugæ labores nouas cursitandi domos subiret molestias, grauioréſque sustineret angustias.

Qui in sui tutelam alienum sanguinem fudit, refugij priuilegio gaudet.

Masius.

Vers. 7. Decreuerúntque Cades in Galilæa montis Nephthali, *&c.*

2. *Vtilitas publica fideli debet actione compleri.*

Omnis quidem vtilitas publica, scribit Cassiodor. 7. var. 32. *fideli debet actione compleri* Quod secuti ad amussim consilium Hebræi vrbes pro fugitiuorum salute decernunt. Antiqua nomina, & historiarum monumentis celeberrima in horum commodum deputantur asyla. Cades & Sichem quæ Dinæ stupro & Iosephi sepulchro memorabilis fuit, Hebron insuper antiquo gigantum genere nobilissima. Nec mysterio caret ibi inuenire ad speciem optabilem requiem profugos, vbi Iosephus iacebat sepultus. Antiquus terror Hebron in timentium mutatur auxilium, vt medela de ipsa infirmitate oriretur, sciretque culpæ innoxius vel inter gigantæos terrores securissimè habitaturum, vt exinceps non gigantes expaueat; sed crimina pertimescat. Situs seligitur in montibus longè latéque conspicuus, quo fugientibus facilior esset prospectus, ne dum viam interrogant, facta sua ignorantibus prodant: adeò hominum vitæ famæque consultum iri decreuit Deus. Loca ergo signata in tribu Nephthali, Ephraim, & Iuda, quæ æquis ferè tractibus distabant, erant Hebron pro meridie, Cades pro Septentrione, Sichem his stipata iacebat media. Verbum Hebræum Latino nostro *decreuerunt*, respondens non solùm secernere; sed sanctificare, sacrare, ac dedicare significat, quò docerentur omnes illis in vrbibus sacram obseruandámque fore immunitatem, vt oportet sacrorum locorum religionem esse omnibus, quibus ius, fásque est loca huiusmodi sibi in tutelam adscribere. Vrbes istæ signatæ ex illis erant, quæ pro Leuitis liberali animo à populo fuerant concessæ: notátque Arias Montanus non sine diuino consilio factum, vt profugi inter Leuitas degerent, quò meliora ex conuictu discerent, pietatémque exinceps & colerent studiosiùs, & flagitia euitarent attentiùs. *Inter Leuitas degens*, verba sunt Montani, *ea eget, quæ hominem non insolentem; sed pium, atque admissi erroris cogitatione dolentem, diuinámque clementiam agnoscentem, & vitæ in melius correctioni studentem decebunt: ob eam enim rem Sacerdotales & Leuiticas consuetudines, & familiaritates huiusmodi hominibus frequentari & coli voluisse videtur Deus, quod ex huiusmodi conuictu meliora omnia expectari par esset.* Trans Iordanem statuta est Bosor, & Ramoth, & Gaulon. Quærat aliquis cur tres tantùm vrbes in tam longa latáque hæreditate nouem & dimidiæ tribus designatæ fuerint, cùm totidem ante Iordanem pro duarum & dimidiæ tribus hæreditate? Arias Montanus censet habitam fuisse rationem tribuum, non regionum, omnésque Leuitarum vrbes fuisse etiam recipiendis tutandísque huiusmodi insontibus designatas, quanquam illæ sex speciali prærogatiua sacratiora haberentur asyla, & vitæ celebriora tutamina. Tempus in his ciuitatibus manendi explicatè definitur, scilicet vsque ad Summi Sacerdotis obitum: nam eo dolore de communis parentis morte afficiendi homines censebantur, vt priuatarum offensionum nullam animus conseruaret memoriam, nec suspiraret vindictam. Ad hæc arcana illa addebatur ratio, fuisse scilicet summum Sacerdotem Christi Domini typum, cuius morte, fusóque sanguine sic hominum scelera sunt abolita, vt iam apud Deum iniuriæ nec leuia perseuerarint vestigia.

Arias Mont.

Vtilis inter meliores conuictus.

Arias Mont.

§. II.

Deus humanam solicitè tuetur vitam, odio solùm prosequitur culpam.

3. *Senec.*

QVis dubitare potest, aiebat Seneca epist. 91. *quin deorum immortalium munus sit quòd viuimus; philosophiæ autem, quòd benè viuimus; itaque tantò plus nos debere huic, quàm dijs, quantò maius beneficium est bona vita, quàm vita. Profectò deberetur, nisi ipsam dij philosophiam tribuissent.* Non diis, vt putabat Seneca, dum philosophiam exaggerat à philosophia alienus; sed vni Deo debemus vitam: testatur sacratior, & doctior alius philosophus: *In ipso*, inquit, *viuimus, mouemur, & sumus.* Sed cum nobis purissimam inspirauerit vitam, ab omni inquinamento exoptat prorsus alienam: odibiles nos Deo reddiderunt scelera, non natura; imò prouidentissimus consulit naturæ, dum irascitur sceleri: non potest illi suum displicere opus, nec

Actor. 17. v. 18.

nec placere, quod à tam candida puritate est alienum: quod enim aliud iucundius Deo spectaculum, & honestius in terris oblectamentum, quàm imaginem suam dignis actionibus decoratam videre? dolet innocentiam premi; dolet humanam vitam abscindi; & vbi odium non exasperat culpa, vitæ succurrere gestit auidissime prouidentia: nullus se putet deiectum, nullus se despiciat calamitatibus impetitum: nam si culpa Deo non conciliauerit, vt ita dixerim, obliuionem; natura amoris semper adurget solicitudinem. Vidi plures conquestos se a Deo quodammodo odio haberi, & veluti studiosè vexari; cùm tamen, si seipsos penitius inspicerent, & culpis inuenirent refertos, & flagitiis attaminatos: hoc ergo in sua factura odit Deus, non quod ipse solertissima adfectione patrauit; sed quod homo iniquissimis contra se deliciis asciuit. Ecce Deus Iosue alloquitur, vt profugiorũ constituat vrbes, quibus à furore possint seruari vindictæ, qui sanguinem humanum fuderint erroribus ignorantiæ. *Et locutus est Dominus ad Iosue dicens: loquere filys Israel, & dic eis: separate vrbes fugitiuorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi; vt confugiat ad eas, quicúmque animam percusserit nesciens, & possit euadere iram proximi, qui vltor est sanguinis.* Non adeò homines sibiipsis parare gestiuerunt profugia, vt Deus constituere exoptat asyla. Non semel super hac re sermonem instituit, sed cum antea Moysi dedisset præceptum, iterum Iosue repetit etiam mandatum: nam cùm nescius sanguinis fusor, nullatenus fuerit scelere attaminatus; curauit Deus ne miserè iaceret occisus: vt constet omnibus propriæ vitæ homines segnius curasse commoda, studiosiúsque Deum hominibus prouidisse profugia. *Considerandum*, scribit Abulensis quæst. 3. *quòd cùm istæ ciuitates proficerent occisoribus, tamen non omnibus: quia solum dicitur de his, qui sanguinem nescientes effunderent.* Pro inculpatis occisoribus decernuntur ciuitates, ne auferretur violenter vita, quàm nulla maculauerat culpa, constaretque homines suam sibi vitam abscidisse peccatis, quæ si deessent, prouidentissimus Deus solicitis tutaretur studiis. Abulens.

4. Fortassis ad hoc Numinis declarandum ingenium sacrificium illud. Sæculis omnibus celebratum Dominus postulauit. Abrahamus in diuini amoris exemplum producitur, & filium immolare iubetur: vnicus ille paruulus innocensque, cui maior pietas, & commiseratio debebatur tenerior, postulatur ad victimam: & pater optimus, qui si filio per humanam fragilitatem aliquis morbus contingeret, aut humanus exitus è numero viuentium auferret, vix viuere potuisset, intrepidus, & siccis oculis armatur ad sacrificium: quia plus diligebat præceptum; de filio hostia parabatur festina, & ne mora faciat peccatum, implere gestit auidissimè sacrificium: omni mysterio disposito ferro armatam eleuat dexteram; sed contradicit vox eius, qui postulauerat victimam: *Abraham, Abraham non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam.* Et cur prohibeat ictum, qui iugulare iusserat puerum? Profectò Leuitæ manus in filiis, & fratribus consecrant, dum intrepidi, piéque crudeles occidunt: *Consecrastis manus vestras*, inquit illorum constantiam allaudans Moyses, *hodie Domino vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Si ergo Leuitæ benedictionem de filiorum occisione mercantur, cur Abrahamus de pueri sacrificio sibi etiam benedictionem non emat? quia erat dissimilis causa, & ita non potuit similis vrgere vindicta; imò, vt agnoscas Deo curæ esse hominum vitam, eiusque furorem tantummodò sufflammare criminis maculam, quos idololatriæ obstrinxit reatus, & dignus occidit impetus; at quia Isaacũ nulla taminauerat culpa, nec interimere potuit plaga: Deus victimam postulauit; sed vt vocem ingeminans impediret, seque solicitissime tutari humanam vitam ostenderet: *Deposcenti Deo*, aiebat Zeno Veronensis serm. 2. de Abraham *innocens martyr offertur, immaculata hostia: nec victima imparatus: qui testis diuini amoris ad fidem à Domino poscitur, à parente perducitur; sed hostia non sanguinis; sed salutis:* expende illud *immaculata hostia:* non solũ ad diuini amoris fidem à Domino Isaacus poscitur; sed etiam, vt iniquorum Deus iniquissimas ostendat querelas, ad fidem suæ prouidentiæ illæsum testem producit: cuius vitæ sic inter ignes, & gladios consulit, vt illæsum prorsus seruarit: occisi sunt à parentibus, qui idolum execrandis adorauere suffitibus; non periit Isaacus: quia alibi puniebatur offensa, & alibi innocens florebat vita: non habemus Deum truculentum, & humanum sitientem sanguinem; sed benignum, quique gladium ab humanis ceruicibus conetur diligentissimè auertere, si culpam gladium non contingeret exacuere. Genes. 22. v. 12. Exod. 32. v. 29. Zeno.

5. Tres illi pueri religione celebres, & vnionis Sacramento muniti horrendis globulis æstuantis fornacis traduntur, intrepidi despiciunt flammas, ne fides videretur tepidior, quando: adulatio pyræ stuppa ac pice innutriendæ accedebat insanior: rosculenta flamma pueros coronat, & quia nullum inuenit peccatum, inferre nequiuit supplicium; pueri per globulos incedebant illæsi, & quasi per amœna vireta concinebant laudes gauisi; verùm flamma tetris viam vaporibus quærens extra fornacem prosiluit; & nutrientes rationabilis ardor vastauit: *Porrò viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis, viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdenago, ceciderunt in medio camini ignis ardentis colligati, & ambulabant in medio flammæ laudantes Deum.* Si idem nomen eandem in omnibus designauit naturam, cur alios viros absumpsit flamma, & alios ardoris non offendit iniuria? & si Deus pueros protegit, quia illorum opifex, cur non tuetur alios, quorum erat etiam artifex? Erantne Nabuchodonosoris ministri alterius Numinis opera, aut non insudauerat in illorum factura? minimè quidem: ipse enim fecit nos, & non ipsi nos; nec extra illum alius est Deus in cælo sursum aut in terra deorsum; sed alios seruat opacitas, & alios ignis absumit ira, vt de aliorum morte, & de aliorum constaret vita, Deum odisse tantummodò criminis maculam, non naturam. Certè si sanguinarius esset, ad alios seruandos miraculum non fecisset, & si innocentia eadem ornaret omnes, seruasset: dum vero alios, quia innocentes, inter flammas custodit, & alios quia nocentes, flammis adurit, commendat erga Dan. 3. v. 23.

omnes amoris flammam, & erga scelera furoris vindictam: *Vbi iactati sunt*, scribit Veronensis Zeno serm. 5. de trib. pueris, *in fornacem ignis ardentis, hos deuotè cupidus ignis excepit: Lambunt roscidos flammæ blandientes: mira res, opacitas intus, incendium foris est: intus hymnus canitur, foris vlulatus auditur.* Eadem erat natura: sed diuersissima causa: ideò non omnes adursit vindicta: qui in cinerem conuersi sunt, culpæ ostenderunt violentiam, quandoquidem limites fecit violenter irrumpere flammam: qui intus canunt, gratiæ vires, & pretium commendauere naturæ, cùm Deus vbi reatus nō intuetur offensam, tueatur hominum prouidentissimus vitam, & despiciat iustissimus vitam, vbi cognouit offensam; opacitas intus, incendium foris est. Adde Deum, vt amoris sui erga humanam naturam testatiorem fecerit fidem in ipsa culparum vindicta nostræ saluti humanissimâ prouidere indulgentia.

Zeno.

6. Fons diuinæ liberalitatis inexhaustus post Angelorum myriades hominem creat, cui terrenarum creaturarum imperium tribuat, Adamus, Euáque paradisæis topiariis deliciabantur innoxiis voluptatibus circumfusi: adstabat Leo blandè subsultans, multiplex animalium circunstantia regem suum non muniebat; sed imperium deuotè expectabat: in hoc statu erant nostri parentes, cùm ad inuidiam excitatus est dæmon, & Euæ auribus, & oculis fascinatis, eius, quod à malo spiritu hauserat, apud maritum traducem fecit: quæ vt adiatrix creata est, vt sagitta missa est: verùm Deus hominis errorem miseratus aduentat, & discussa causa sententiam dicit: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas, & tribulos germinabit tibi.* Iam digna sententia condemnatus terram excolere cogitur, illáque, vt hominis ingratitudinem sugillarit, ingrata tribulos ac sentes producit. Quid tunc Deus? Adam vxorémque eius tunicis induit pelliceis, & protegit vestimentis aspertimis. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Et cur mollioribus non vestierit; sed pelles corporibus adaptauerit? non ecquidem Deo difficiliùs integumenta parasse blandiora: cur ergo homini prouidit durissima? quia iam homo, inquit Tertullianus orbi sentibus scatenti tradebatur: & quidem, si mollis vestis, crebris tribulis, & acutis sentibus cruentaretur sæpissimè vulneratur; vestis verò dura tribulorum frustrabatur morsus, & sanguis venis fouebatur cuspidibus non offensus. Ergo vt in ipso vindictæ furore testatum fecerit Deus, quantum illi sanguinis humani studium, Adæ fecit de pellibus vestimentum: *Nudus certè, & inuestis*, scribit Septimius lib. de pallio cap. 3. *figulo suo constitit; post demum sapientiam haud dum licitam præreptam potitur, ibidem quod in nouo corpore indebitum adhuc pudori erat, protegere festinans ficulneis folijs interim circumdat: de hinc eum de originis loco exterminat, quippe deliquerat, pellitus orbi vt metallo datur.* Si ipsius homini erga se curam cum Numinis erga illum humanitate contuleris, hāc longissimè illam supergressam fuisse reperies. En Adam sentibus, cuspidibúsque impetendus seipsum foliis leuissimis vestit, & Deus pellibus durioribus munit. Profectò ficulnea folia malè eluderent tribulorum ictus, & cuspidum morsus; benè tamen pellis durior ac solidior: Adam postquam sibi consulere studuit, cassum munimen elaborauit; Deus verò vel inter iras misericordiæ recordatus, quem damnabat sæculo sentium morsibus adurendum, pellibus curauit armandum: quò diuini amoris miraberis flammam, quando vel offensus sic humanam præmunierit naturam.

Gen. 3. v. 17.

Tertull.

---

§. III.

Quos Deus sacris dignitatibus exornauit, miserorum necessitatibus vectigales constituit.

Celebris est illa Septimij Florentis Tertulliani sententia in Apolog. cap. 13. *Agri tributo onusti viliores, hominum capita stipendio censa ignobiliora: nam hæ sunt notæ captiuitatis; dij verò, qui magis tributarij, magis sancti, imò qui magis sancti, magis tributarij.* Cùm Deus tributa non soluat hominibus necessitate coactus, sed propria pietate compulsus, tunc augustiori pietas eius elucet pompa, cùm nostræ studiosius, depulsis miseriis & necessitatibus, geritur salutis cura. Hinc quia altioribus dignitatibus nobiles, & honestè sunt vectigales: Excellentiæ argumentum est, alios tutari, & illorum discrimina abigere. *Naturæ est*, aiebat Seneca epist. 91. *potioribus deteriora submittere: mutis quidem gregibus aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima: non præcedit armenta degener taurus; sed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit: elephantorum gregem excelsissimus ducit: inter homines pro summo est optimus. Animo itaque rector eligebatur: ideóque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse, nisi melior; hi continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur.* Itaque aliena pericula propulsare, & afflictatos tueri celsitudinis erat insigne, quasi ab exordio ipsa natura ad infirmorum auxilium creasset, quos grandiores aut maximos effecisset. Vtque hoc naturæ studium diuinæ etiam œconomiæ nobilitarit exemplum, quas Deus refugij ciuitates signauit, Leuitis adscripsit, vt qui diuina tractabant, aliósque excellentia muneris anteibant, se illorum etiam necessitatibus agnoscerent vectigales, & propulsatis periculis celebres. *Separate vrbes fugitiuorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi; vt confugiat ad eas, quicumque animam percusserit nesciens.* Has ciuitates Leuitis traditas fuisse, & in montibus sitas in dubium est. Ita Hugo Charensis. *Omnes hæ ciuitates sunt in montibus, id est in eminentia bonæ vitæ: item omnes hæ ciuitates sunt Leuitarum.* Montium apicibus sitæ vrbes miseris profugia dicantur, & Leuitæ veluti miserorum tutores constituuntur. Et quidem in excellentiæ ac dignitatis vergeret probrum, ni illuc miseri confugientes dignorum inuenirent auxilium.

7. Tertull.

Dij quo magis sancti, magis tributarij.

Senec. Deteriores posterioribus submisit natura.

Hugo.

8. Nato Domino Magi inuolant Regem salutaturi, stellaris fax, quo pericula vitarint, præuio regebat lumine, & discrimina loquaci depellebat splendore, & qui per desertorum errores, per inuias vias non dubiis ambulauere vestigiis, Ierosolymam iam quodammodò despiciunt ingressi: vbi rex cunabulis foueatur, sciscitantur auidissimi inquisitores: *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum?*

Matth. 2. v. 2.

Iudæorum? vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Et cur sciscitatione inferant syderi iniuriam? cur ducendi laborem veluti ducatur repudiatione compensant? Quid scribarum antiqua euoluant scrinia, qui certissima habebant astra? stellam se vidisse testantur: *Vidimus stellam eius*, & de interrogatione mendacij audientibus ingenerant suspicionem, & syderis innubilant claritatem: ergo non interrogent morosi, sed viam prosequantur celerrimi. Rogant, inquit, Chrysostom. apud D. Thomam, quia sydus faciem subtraxit aut sordidis curiæ vaporibus obscuratam, aut thesi nostræ fulciendæ occultant: cùm lucem ignorantibus non ministrat, nec sibi possidet; quasi hæc adeò connexa sint vt inuicem separati non possint, scilicet candidissima luce micare, & lucis tributum ignorantibus pendere: non modicum subeunt periculum, dum nouum regem coram Herode proclamant; cùm ergo non depulit illorum sydus periculum, nec splendore fulget serenum; quasi hæc duo necessariò fuerint connexa, sibi micare, & periculum inferiorum depellere, innuit Chrysostomus apud D. Thomam:
Chrysost. *Cum intrauerunt Ierosolymam, occultauit seipsam; deinde vbi Herodem reliquerunt seipsam monstrauit: neque etiam proprium quendam gressum habebat; sed cùm oportebat ire Magos, ibat, quando autem oportebat stare, stabat.* Cùm Magis subuenit, cùm viantibus auxiliatur, toto nitore resplendet; cùm periculo expositos derelinquit, non lucet; quasi eius splendor à præstito fauore dependeat. Aut, si mauis, expéde, cur præ aliis
Chrysolog. hæc Numinis dicatur stella: *Vidimus*, inquiunt, *stellam eius.* Sermone 157. rogat Chrysologus: *Et quid non eius?* Si ergo omnes stellæ eundem agnoscunt auctorem, cur hæc præcipuè eius nominetur stella? Quia, respondet serm. 156. *Per cœlum cursum sic dirigit, sic moderatur incessum, sic viam temperat, vt Magorum seruiat, & mittatur ad gressum.* Seruit Magis à tenebris educendis, à discriminibúsque tutandis: hæc ergo præ aliis Domini vocatur stella: quia de auxilio præstito lucet, de impensóque Magis luminis tributo resplendet.

9. Cùm Dauid montium erroribus delitescens inopia, faméque multoties adurgeretur, veluti precario, ac emendicato viuebat: legatos mittit ad Nabal, vt egenti subueniret, & quod prudentis erat, opportunitatem, vt faciliùs concederet, expectauit: *In die bona venimus, quodcumque inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid*; verùm agrestis homo ipsa comitate irritatus non solùm dona non præbuit; sed contumelias pro muneribus subrogauit: *Quid est Dauid, & quis est filius Isai?* Vides Nabal agreste ingenium, vide generosum Achimelech animum: panem ab Illo petiuit: *Si quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi, aut quidquid inueneris.* Quid tunc? Sanctificatum generosè panem præbuit, quia communis illi non erat: *Dedit ei Sacerdos sanctificatum panem.* Et cur Achimelech ad sanctificatos recurrat panes, cùm Nabal dare noluerit communes? Causam reddidit textus, dum Sacerdotem appellauit: *Dedit*, inquit, *ei Sacerdos sanctificatum panem.* Non inquit dedit Achimelech; sed *Sacerdos*, quasi iure muneris teneretur egenti subuenire, & periculum famis depellere: rusticus homo & agrestis dare renuit; sed Sacerdos negare non potuit: Nabal, dum abnuit, iniuriam non infert statui, Achimelech intulisset muneri: nam dignitate excelsi; præcipuéque Sacerdotalibus infulis exornati, cæteris sunt quodammodo debitores: túncque digniùs adimplerunt officium, cùm alienum soliciciùs depulerint detrimentum: dedit Sacerdos, & negare potuit rusticus. Et quidem Sacerdotis innubilaretur gloria, ni Dauidis tunc depelleretur miseria. *Horum prudentia*, aiebat citatus Seneca (scilicet magnatum) *ne quid deesset suis, prouidebat, fortitudo arcebat pericula, beneficentia augebat, ornabátque subiectos: officium erat imperare, non regnum:* Vt qui officio nunquam vtuntur, indignè vacuéque officij vocabulis appellantur, sic dignitatibus exornati officio inferunt iniuriam, ni in miseros ostentarint beneficentiam. *Per istum Achimelech*, inquit glossa moralis, *benè significatur Iesus Christus: nam Achimelech interpretatur frater meus rex, Christus autem frater noster est.* Non benè Christi imaginem expressisset, ni panes famescenti suppeditasset; at dum fugientem recipit, dum cibat, munus perfectè implet, & Christum actione refert.

1. Reg. 25. v. 28.

1. Reg. 21. v. 3.

Olim erat imperare officium, non regnum.

Glossa.

10. Sponsus sponsæ laudes referens capillos capiti proximiores capris comparauit non infœcundis; sed gemellis fœtibus exornatis: *Capilli tui, sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad; dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.* Et quid capillis commune cum capris? nec solùm cum capris; sed geminos alentibus fœtus; & teneros nutricantibus filios? An quia capilli capitis vertice diuagantur, vt capræ apicibus montium pascuntur? benè; sed profundiora scrutemur arcana: capræ fœtibus iure naturæ lac ministrant, alta inscendunt, non vt sibi dulciores carpant solummodo cibos; sed vt lac blandiùs pinguiúsque soboli teneræ acquirant: ergo qui vertice eminent capilli, capris exæquantur, vt sicut capræ tenentur naturæ lege, nouerint se eodem modo teneri altitudinis iure. Capra per inaccessa prosilit, quousque cacumine montis emineat; sed cùm eminet, vberiùs lac tenerrimis fœtibus subministrat: ergo qui capillorum adinstar vertice eminent, & altiores cæteris lucent, se nouerint inferioribus obnoxios, & nobiliter tributarios. *Quod specie de capris dicitur*, scribit Ambros. ad hunc locum, *mysticè de Ecclesiæ grege sentiendum. Nec vilia tibi animalia ista videantur; vides quòd in altis grex iste pascitur, audax in monte: spectantur à pastoribus suis dumosa, de rupe pendentes, vbi luporum incursus esse non possunt, vbi fœcundæ arbores fructum integrum subministrant. Cernere licèt vberi lacte distentas super teneram sobolem materna pietate solicitas: ideò elegit eas Spiritus Sanctus, quibus cœtum venerabilis Ecclesiæ compararet.* Itaque caprarum altitudo teneris imbecillibúsque proficua: nam quod in vertice sugunt, vberi teneris pinguedine reddunt. Ergo capilli, hoc est celsitudine elati, dignitatibúsque excelsi se nouerint caprarum legibus illigari, & obligatione teneri. Iam capillos altos referre, ipse Ambrosius tradit: *Capillamentum*, inquit, *verbi est altitudo, & eminentia quædam iustarum animarum:* iustæ animæ quas dignitatũ apicibus Deus eminere fecit, capris dignissimè cóparauit, quò nouerint ad miserorum

Cant. 4. v. 1.

Ambros.

rorum auxilium alta ascendisse, montiumque fastigia occupasse.

11. Veternosus serpens implacabili odio æstuans in mulierem armabatur: ardebat insania, furebat ira; vtque callidas serpentis artes eluderet, aquila pennas celeres mutuauit: *Data sunt ei dua ala aquila magna, vt volaret in desertum locum.* Et cur non columbæ, cùm Dauid columbinas pennas suspirarit: *Quis dabit mihi,* aiebat, *pennas sicut columba, & volabo, & requiescam?* Solutio facilis: aquila alitum regina, imò hîc ipso titulo magna: ait enim, *aquila magna:* afflictæ subuenit, & vngues contra draconem exacuit: mulier periculo adurgebatur, ergo quæ magnæ, tenebatur magnitudinis tititulo, & periculum eludere, & alas fœminæ commodare: non orbatur aquila pennis, dum mutuat; imò dum mutuat, aquilinas ostentat alas. Et quidem magnitudinem suam innubilasset, ni afflictæ opportunum auxilium præstitisset: dum serpentina rabies fuerit elusa, aquila resplendet magna: quia eius celsitudo de opportuno probatur auxilio, & de impenso fauoris decoratur tributo. *Aquila* scribit Nicolaus de Lyra, *Signum est imperij.* Ecce cur alæ aquilæ datæ fuerint: quia aquila, vtpotè magna afflictæ erat vectigalis, & ideò pependit tributum; ne magnitudinis suæ obscuraret elogium.

Apocal. 12. v. 14.

Ps. 54. v. 7.

Lyra.

§. IV.

Maiorem non semel commiserationem meretur, qui violenter abscidit vitam, quam qui gehennali lingua adusserit famam.

12. Lingua odij artifex, maleuolentiæ officina, gloriæ nubilum, famæ venenum. Pittacus, cùm Rex Ægypti victimam ad illum misisset, monens at optimam pessimamque carnem victimæ auferret, linguam præscidit, victimamque mittenti reddidit, vt hoc facto summorum bonorum, ac grauissimorum discriminum fontem demonstraret linguam, vt quæ adurere posset alienam famam. Ita Plutarchus lib. de garrulitate. *Pittacus, cùm victimam ei Rex Ægyptiorum misisset, præcepissetque, vt optimam, & pessimam carnem auferret, victimam excisa remisit lingua, quod tam bonorum ea, quàm malorum organum sit summorum.* Summa mala è linguæ oriri peruersitate non dubium. Et quidem, & si manus hominem valeat occidere, ac trucidare, duas illi manus, non tamen duas linguas artifex concessit naturæ. Ad inuehendam confusionem diabolus non exacutos, leoninósque mutuatus est vngues; sed serpentinam linguam veternosus induit, & omnia humanæ gloriæ fundamenta subuertit. Vnde Tertullianus lib. de patientia cap. 6. sibi gratulabatur exemptum fuisse linguæ venenum. Profectò cum Christus Dominus mortem moriendo vicisset, nondum nostra felicitas cumulatiori resplendebat fortuna, quoadusque diuinus spiritus cælesti linguam possedit flamma: vt iam linguæ venenum eximeret, quo humana felicitas securior, & felicior resplenderet: *factus est repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertita lingua tanquam ignis.* Ecce felicitatis complementum, lingua cælesti ardore possessa, & ab omni veneno murmurationis remota: iam mors de morte Domini lugebat abacta, iam vita hominibus restituta; sed felicitas cumulatius nondum resplendebat completa: nostram fortunam spiritus implet, dum venenum linguæ prorsus exemit: *Exemptum est,* aiebat citatus Septimius, *lingua venenum:* ingeniosè venenatam dixit linguam, quia non solùm abscindit vitam; sed adurit non semel famam: cúmque apud strenuos viros pluris habeatur famæ elogium, quàm vitæ augmentum (nam sæpè de salutis periculo famam æternare moliuntur; non tamen de famæ dispendio nisi obscuri, & ignobiles vitæ commodis indulgere conantur) plus verentur linguæ iniquissimæ veneno obscurari, quàm violento ferro præcidi. Hinc odibiliores sunt, & minus commiseratione digni nominis gloriam innubilantes, quàm vitam corporis abscindentes. Hanc veritatem noster textus probat exertè: nam cùm occisoribus cœlitus prouisa fuerint ciuitatum remedia, venenatis linguis nulla sunt decreta profugia, quasi in detrimentum pietatis vergat iniquæ linguæ durationi prouidisse remedium, cùm pietas occidéti per errorem dexteræ prouidenter quærat auxilium. *Separate vrbes fugitiuorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi, vt confugiat ad eas, quicúmque animam percusserit nesciens.* Homicidis, non oblocutoribus decernuntur asyla. Notauit Abulensis quæst. 3. *si aliquis alium infamasset, ita vt timeret mortem, non poterat confugere illuc, vel euadret, nec proderat sibi quisquam huiusmodi ciuitas:* Sanguinem per errorem effundens commiserationem meretur, & immuni ciuitate recipitur; qui verò pretiosiorem famæ sanguinem linguæ gladio effundit, ciuitatem, qua recipiatur, non habet. 13.

Bis serpentinam versutiam, & versutam insaniam mouisse bellum inuenies Apocalyp. 12. Deum ipsum deuorare contendit: *Draco stetit ante mulierem, qua erat paritura, vt cum peperisset filium eius deuoraret.* Proh inconsultam temeritatis audaciam! proh brutalitatem inuidam! nocere non potest; & tamen nocere exambit, vltráque potentiæ metas, vt lædat, transilire studiosè contendit; verùm dum innocentiæ suspirat detrimentum, sibi procurauit excidium. *Proiectus est draco ille magnus.* Audaciæ pœnam tulit, dum in terra proiectus serpit. Hic idem Euam alloquitur, & captiosis adulationibus fallit, Deum inuidentiæ insimulat, quo manum ad arborem citiùs exacuat. *Nequaquam morte moriemini; scit enim Deus, quod in quocúmque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri; & eritis sicut dij.* Huius dolosæ fraudis mulcta fuit non solum turpi adreptatione corpus per ima trahere; sed execrandum inter animantia haberi; *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnias animantia, & bestias terra: super pectus tuum gradieris, terram comedes cunctis diebus vita tua.* Profectò inuersi ordine pœna videatur inflicta: cur leuius vapulat cum hominis Deique nititur absumere vitam, & grauiùs cum hominis subruit fortunam? alibi solum ait: *Proiectus est draco ille magnus, & proiectus est in terram,* alibi verò maledictis onerat, & turpi

Plutarch. *Lingua melior, & deterior pars.*

Act. 2. v. 2.

Tertull.

Abulens.

Apocal. 12. v. 4.

Gen. 3. v. 4.

turpi adreptationi condemnat: *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ.*, & cur leuiori ad speciem culpæ pœna decernatur durior,& mulcta acerbior, imò grauior pœna grauiorem puniuit culpam: Apocalypsi namque Dei vitam abscindere aggreditur: *vt cum peperisset*,inquit, *filium eius deuoraret*; paradiso verò,dum mentitur inuidum, innubilare discupit famam: adeóque grauiùs est famam lædere, quam vitam abscindere,vt leuiorem subeat pœnam, dum ardet in vitam, acerbiorémque,dum
Seleuc. audet in famam: *Factum est*,aiebat Basilius Se-
Rupert. leucienfis orat.1. *vt linguam diabolo commodaris ad inuehendam confusionem.* Clarius Rupertus lib.3.in Genes.cap.7. *Scit Deus*,inquit, *quia quocumque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri. Hoc vtique volebat intelligi quod claritatem omnis sapientiæ diuinitatem quoque, & omnium scientiam Deus inuidens homini, tale lignum illis interdixit.* Alibi Dei liberalitatem infamat, alibi mortem suspirat, vtque noscamus maiorem deberi pœnam abrodenti honoris gloriam, quam auferre nitenti vitam, dum armatur in vitam proiicitur; dum in famam,execrationibus oneratur.

14. Moyses in Ægypto degens hominem violen-
Exod.2.v.12. ter occidit: *Percussum Ægyptium abscondit sabulo*:fugit in desertum, indéque in Populi Prin-
Exod.3.v.10. cipem delegatur: *Veni & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum.* Homicidio non impeditur, quominus in populi ducem ac Principem eligatur, vtque res humanæ non semper constant, hîc idem Moyses, cum virga silicem semel & iterum percussisset, populúmque Dei incredulum, ac rebellem vocasset, munere pri-
Numer.14.v.10. uatus est: *Audite*, aiebat, *rebelles & increduli? num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere?* Huius in populum inuectionis appendix fuit muneris interdictio, & dignitatis ablatio: *Non introducetis hos populos in terram,quam dabo eis.* Ecce hîc populi regimine inter dicitur, qui post homicidium in ducem populi salutatur, & quidem si humano causæ trutinandæ forent iudicio, grauius deliquisse videbatur hominem ferro occidens, quàm Hebræos verbis durioribus carpens; & tamen hîc de fastigio detruditur,ibi ad fastigium effertur. O linguæ venenum? hîc exarsit Moyses, in Hebræorum honorem, alibi in Ægyptij vitam exarsit; adeóque grauius est famam lædere, quàm vitam abscindere, vt qui post homicidium in Principem fuit electus,iure post aspera verba regimine sit priuatus; quasi ineptior fuerit muneri lingua feriens, quàm manu occidens: Huc voco Ephremi verba de
Ephrem. linguæ malo. *Plurimis licet signis claruisset Moyses, vbi modicè lingua lapsus est, è terra promissionis excidit. Magnum & horrendum mare ei viam præcludere non potuit; sed verbum vnicum iniquè ab eo prolatum, velut murus aliquis ipsi*
Verba fafthinus à felicitatis gaudio retardant. *obstitit,ne vlterius progredi posset.* Faciliùs ferunt homines manu lacerari, quàm contumeliis feriri: ideò ferienti Moysi fuit desertum profugium; lingua verò excedenti fuit inflictum iustæ mulctationis tormentum. Vt discant superiores ac Principes frænare linguam, ac reuerenter cum subditis agere, non verbis contumeliosis adurere.

15. Prodeat Dauid huius veritatis testis eximius: multa in Saulem contulerat beneficia; sed quæ non præmeruerint gratiam; sed regis sufflammauerint iram: ad necem quærebatur, & Saul irâ percitus,vt implacabili mederetur odio,vnico salutis suæ aduersabatur remedio: hastam in Dauidem, quem præsentem nouerat eiaculatur, & vitam abstulisse molitur. *Tenebat Saul lanceam, & misit eam putans, quòd configere posset* 1. Reg.18. v.11.
Dauid cum pariete. Dauid; qui impurato spiritui abigendo modulatam adhibuit Lyram,inuidentiæ modo adhibet etiam distantiam: cúmque cantu abegisset impuratam, gehennalémque furiam, nullis artibus potuit medicare inuidentiam: in montibus perquirebatur, inuestigabatur in syluis,cogebatur errare in campis; verùm iustitiæ oculus iusti miseratus labores in eius manibus tradidit inimicum, generosum Dauidis pectus, & solùm gratiæ seruire gnarum osori pepercit, & necem suspirantis curam egit:
Nolui,inquit, *extendere manum meam in te.* Hîc 1. Reg.24. v.12.
idem Dauid, cùm Nabalem per ministros rogaret,vt famelicis succurreret,illéque vtpotè agrestis ac stupidus seruos abegisset, armis milites iubet muniri, & properat memoriam Nabalis abradere: *Accingatur vnusquisque gladio suo.* Et 1. Reg.25. v.13.
cur Dauid in cibos negantem ardenti adeò furore insurgat, cùm Sauli telum contorquenti parcat: *Hæc faciat Deus*,aiebat, *inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus,quæ ad ipsum pertinent, vsque mane mingentem ad parietem.* Nihil ad Nabalum pertinens spirare permittit,cùm chlamydis Saul frustulum abstulisse ingemuerit. An quia Saul purpuræ nitore fulgurans, & dignitatis fastigio micans? Maiora sæpè potentiorum dissimulantur scelera, cùm in abiectis hominibus tota puniantur rigoris seueritate peccata: Saul in Dauidis vitam furit; & tamen offensus parcit. Nabal victualia denegat, & Dauid contra vitam eius furit. Ecqua discriminis causa est? Innuit clarissimè textus,dum refert Nabalum Dauidis mores abrosisse,& famam oblocutionis maculis denigrasse:
Quis est,blaterabat, *Dauid,& quis est filius Isai?* Lyra.
Hodie increbuerunt serui, qui fugiunt dominos suos. Quasi dicat: Dauid prædonum, ac iura infringentium patronus Rempublicam turbat, & omnia moribus peruersis inquietat; adeóque acerbiùs Dauidi fuit linguæ telum, quàm manus pilum, vt facilè necem molienti indulserit, & milites in iacientem probra obarmarit: erat enim commiseratione aut saltem leuiori pœna dignus abscindere vitam aggressus,quàm honoris splendorem fuscare nisus: *Quis est Dauid*, scribit Lyra, *quasi dicat: Nullius valoris: quia descendit de alienigena muliere, scilicet de Ruth Moabitide. Et non solum vituperauit Dauid; sed & viros eius dicens: Hodie increbuerunt, &c. Ita quod notauit eos de seruilitate,& malignitate propter quam fugitiui essent: tunc ait meritò prouocatus: Accingatur vnusquisque, &c. ad accipiendam vindictam de tam vili rustico.* Accingitur in maledicum,parcit inimico.

Amicus ille Iob Eliphas Themanites, cùm 16.
misericordias Dei in suos referret, sic ait: *Salvum faciet egenum à gladio oris eorum, & de* Iob 5. v.15.
manu violenti pauperem. Prius recensuit obmurmurationis iniuriam, & postea furoris ferrique violentiam: quasi grauius sit honore vulnerari, quàm corpore violenter feriri. *Malus*, scribit Gregor.
Gregorius lib.6.moral. cap.13. *bonis derogat, & recta, quæ agere negligit, hæc in aliis obtrectando lacerare non cessat.* Magna Dei misericordia à

flagello linguæ egenum tueri, quandoquidem sæuior linguæ, quàm ferri plaga.

---

§. V.

Fortunatissima sunt infortunia, quæ sine criminis censu asciscunt optimorum consortium, & à mundialibus indicunt exilium.

17. NOn semel sub seuero vultu dulce latere solet ingenium, non semel naufragium duxit celerius in portum, & qui tempestatibus videbantur absorpti, litora tenuerunt illæsi: testatur Ionas felix magis sepulchro, quàm naui: à fera deglutitus seruatur illæsus, & de Christi imagine euomitur honoratus. Profectò si placida vnda, lenis aura, tranquilla via illum in Tharsis transmisisset, non adeò felix radiasset; at, dum tempestas nauim adoritur, dum confusis cærulei voluminibus fluctus percussa agitatur scapha, & Ionæ maior procuditur gloria. Ita Veronensis Zeno serm. de timore: *Cæto inhiante miserabilius sepelitur, quàm præcipitatur; & tamen littus, quò tendebat, inuenit ... felix magis sepulchro, quàm naui*: Si blandus adularetur fauonius, & gloriæ minor resplendeteret cumulus: in ipso infortunio elaboratur felicitas, & de infelicitate orta est augustior prosperitas: truci aspectu solet fauere fortuna, & quæ putabas maxima detrimenta, non semel inuenta sunt commoda: *Nonnunquam*, scribit Tertullianus lib. 1. de anima cap. 2. *& in procella confusis vestigijs cæli, & freti aliquis portus offenditur prospero errore: nonnunquam & in tenebris aditus quidam, & exitus deprehenduntur cæca felicitate.* Prosper error, qui specie calamitatis inseruiuit virtuti: auspicata infelicitas, quæ dum hominem vexat, & diuinioribus sacrat: vt è contra felicitas infausta est, si deseruiuit superbiæ, & fomitem exacuit malitiæ. Opportunè Tertullianus lib. de testim. animæ c. 1. *Hactenus sapiens & prudens habebitur; qui prope Christianum pronuntiauerit; cùm si quid prudentiæ, aut sapientiæ affectauerit, seu cæremonias despuens, seu sæculum reuincens, pro Christiano denotetur. Iam igitur nihil nobis erit cum litteris, & doctrina peruersæ felicitatis, cui in falso potius creditur, quàm in vero.* Multi philosophi, dum mendaciis fallunt, & credulum populum excogitatis fraudibus sibi adstringunt, fauorem popularem obtinent, & de artificio culmina dignitatum acquirunt; verùm peruersa felicitas est, quæ errores confirmat, & mentes contra veritatem obdurat: itaque anquid infaustum, auspicatumve sit, non de vultu; sed de effectu censendum: nam Ioab placido ore durè Abner ferit, & medicus durè feriens saluti prouidit: de peruerso sæpè medicina auxiliatur, vtque sanet, diuexat; Absalon, vt occidat, inuitat. Ciuitates refugij iure decernit Deus, vt siquis fratrem ignoranter percusserit, ibi viuat receptus, & inter leuitas versetur tutus: *Separate vrbes fugitiuorum, vt confugiat ad eas, quicumque animam percusserit nesciens.* Infortunium censeri potuit hominem occidere sine iræ consilio, sine furoris irritamento; sed præter opinionem, & casu; erat tamen felicissimum infortunium, quandoquidem iram fugiens degebat in Leuitarum consortio remotus à mundialium rerum tumultu. Certè, ni imprudenter hominem occidisset, ad profugij ciuitates non tenderet; & si non tenderet, inter perfectos, sacrisque ritibus mancipatos non viueret; sed sæculo addictus, & obligatus maneret: cæca ergo felicitate maximum euasit commodum, quod humano iudicio censebatur aduersum: est namque augustioris felicitatis pompa crimen nescire, & meliorum adipisci consortium, & vtile à sæculo pati exilium. *Ad ciuitatem integritatis refugit, qui suum archetypum, id est, Deum*, inquit Hugo Charensis, *in se tanquam eius imago exprimit: Has tres ciuitates tantùm boni inhabitant: omnes hæ ciuitates sunt in montibus, id est, in eminentia bonæ vitæ. Item omnes hæ ciuitates sunt Leuitarum.* Qui inopinatum homicidium perpetrauit, ad has ciuitates confugere ipso ad speciem infortunio compellitur; sed virtutis sereno fruitur: in bonorum censu admissus, ac in ciuitatibus proximis olympo receptus, vt quæ videbatur calamitas, summa iam comprobetur felicitas.

Zeno.

Tertullian. *Non semel inueniuntur prospera, quæ putabantur aduersa.*

Hugo.

Producamus huius veritatis egregium testem, 18.
Moysem scilicet, qui, cùm ad fratres visitandos exisset, inuenit hominem sub humana facie belluam in hominum perniciem natum, & de ipsa pernicie lætum. Hæc Moyses indignè ferens immanissimum, qui exacerbabatur etiam precibus, occidit, ac sabulo abscondit: *Percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Res non adeò intra silentij latebras delituit, vt à rege ignoraretur: nam occasionem nacti purpurati patulas Principis aures factiosis impleuerunt calumniis, & iram sufflammarunt mendaciis: Moyses interea secessit in finitimam Arabiam, vt aui eluderet iram: *Fugiens de conspectu eius moratus est in terra Madian*: ibi agolo pro sceptro, soloce pro purpura vsus gregem agebat; ibique ostentum mirificum videt, cum Deo miscet colloquia, & Pharaonis Deus initiatus Numinis properat implere præcepta: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Si specie tenus rem despicias, Moysem pastorem intuitus, sortem eius lugebis miseratus: transiuit namque in pastorem Princeps, ab aula amplissima in substricta tuguriola, à disertissima mensa ad cibaria, & angusta edulia. O quantam illi calamitatem mors perpetrata asciuit, quamque grauem pœnam ab illo efflagitauit! Verùm si intimiùs scruteris, infortunium inuenies felicissimum: in Ægypto namque manens purpura, & bysso vestitus nec vidisset rubum, nec Numinis excepisset colloquium; at dum fugit specie miser, resplendet cumulatissimè prosper: *Præfuit Iothoris gregibus*, scribit Philo lib. de sacrificiis Abelis, & Caini, *dicam, an dogmatibus, abducens ea à vulgaribus reipublicæ studijs in solitudinem, in qua nulla fit iniuria: ducebat enim pecora in desertum: vnde sequitur, vt omnis pastor pecorum abominatio sit Ægyptijs: rectam enim rationem gubernare solitam ac præcipere odit omnis amator affectuum.* Pastor suas regit passiones, cicurat impotentes affectus, & dum Ægyptiis abominabilis, felicissimus. O quàm est fortunatior Moyses de throno in desertum fugiens, quàm de verticibus ad thronum ascendens! illa enim felicitas cooptauit illum inter

Exod. 2. v. 12.

Exod. 7. v. 1.

Philo. *Omnis amator affectuum odit rationis alumnum.*

inter scelestos, infortunium hoc inter diuinâ visione dignos. Redeat iterum Philo lib. 1. de vita Moysis: *Accidit quondam, vt dum sectatur loca herbida, rigua, latáque pascuis in quodam nemore videret visionem horribilem.* Dum sectatur loca herbida, videt, non visurus, ni sectaretur. O quàm longè esset Moyses à pastoris ministerio, ni perpetrato fugeret homicidio! at illa ad speciem calamitas fuit mater prosperitatis, & officina visionis.

19. Iericho ciuitas vltra Iordanem prima, murorum altitudine superba, diuitiisque ac copia hominum refertissima ab inimicis obsidetur, & tubarum clangoribus veluti asperrimo ariete subruitur: *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illicò corruerunt.* Heu miseram ciuitatem ad terram prostratam, & ab inimicis possessam! iam murorum altitudo subsedit, iamque excelsa infortuniis impetita. Et quid ciuitati conducibilius, altissimis superbire muris, insultare hostibus propugnaculis, tempora despicere munimentis, aut clangore prosterni, & ad Israëlitas transire? Si specie tenus oculisque casum metiaris, summum censebis infortunium spoliari altitudine, antiqua priuari gloria, & libertatem commutasse miseriâ; verùm si non externa specie delusus, sed vero iudicio sententiam protuleris æquus, inuenies sub calamitatis habitu maximam felicitatem latuisse, & ciuitatem non libertatem cum seruitute; sed seruitutem cum ingenuitate beatissimè commutasse: fugit namque impios, transiuit ad probos. Itaque Basilius Seleuciensis orat. 31. *Obsessa Iericho murorum orbem exuebat, vt habitatores suos ipsa fugeret, & ad Israëlitas transfugeret.* Iam muris orbata Numinis est possessio, quæ mœnibus cincta erat ob idololatriam abominatio; felicior de infortunio, infelicior de fausto.

Iof. 6. v. 20.

Basil. Seleuc.

20. Ruth viro regiæ stirpis maritata læta degebat; verùm vt mundialia gaudia facilè transeunt in luctum, in ipso iuuentutis flore iam luget vidua, & iam viduatur amara: solum vertit, propriam regionem commutat alienâ, & quæ olim diuitiis affluens remanentes perquirit spicas. O quàm multa spicula eiaculatur aduersitas, si semel afflixit torua! maritum abstulit, gaudium præcidit, patria exulare coëgit, & ad victum, messorum fugientes manus colligere spicas suasit. In hoc rerum statu erat Ruth; quando Booz homo ditissimus, regio sanguine ornatus, & moribus probis excultus, illam sibi in matrimonium asciscit: *Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem, ingressusque est ad eam, & dedit illi Dominus, vt conciperet, & pareret filium... Vocauerunt nomen eius Obed, hic est pater Isai patris Dauid.* Si cithara olim versa est in luctum, iam luctus in citharam versus: plus quàm amisit; inuenit: fors ni immaturè viduata, Moabitica regione degeret, nec Booz nuberet; at infortunium, magnum illi peperit felicitatis augmentum, quandoquidem pietate refutat genus, non solum in Dei populum admissa; sed tot regum felicissima vena. *Spiritus sancti*, inquit Glossa, *munere fœcundatur, & aliis ad lucem perpetuam decedentibus alij succedent, vt Christianum nomen in æternum maneat, & mater sanctissima de noua progenie in senectute sua consolationem habeat.* In Christi Domini parentum censetur numero, quæ immaturo viri lugebat raptu: iam Ecclesiæ ænigma, quæ antea ritibus idololatriæ dicata; vnde illi faustissimum fuit orbari, & mariti funus videre.

Ruth 4. v. 13. & 17.

Glossa.

Sara, cùm Limis oculis filium ancillæ aspiceret, aut curiosiùs obseruaret, vidit eum Isaac ludentem, obludúmque marito domo pellendum suasit: ludum absque peccato fuisse, testatur Caietanus ad Genes. 21. *Iniquum atque crudele videbatur Abrahæ eijcere filium proprium ac primogenitum nulla exigente culpa filij.* Itaque ludum illum ætas excusabat, & si Saram exacerbarit, & Agar exilium attulerit: mater cum filio eiicitur, deserto exerrat; sed ibi Angelorum colloquia excipit, & cum Angelis colloquia miscet: ibi iam non serua; sed libera, quia manumissa; ibi cælesti recreatur aqua, & diuina nobilitatur indulgentia: *Vocauit Angelus Dei Agar de cælo dicens: Quid agis Agar? noli timere: Exaudiuit enim Dominus vocem pueri de loco, in quo est: surge tolle puerum, & tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum.* Magnam puerilis ludus attulisse videbatur calamitatem; sed reuera specie calamitas faustam procudit fortunam, & magnam peperit gloriam: iam libera, quæ olim serua, iam cum Angelis miscens colloquia, quæ olim hominibus exhibere cogebatur obsequia: iam à mundialibus rebus felix potitur exilium, quam olim captiuam tenebat Sæculum: *Quo consolaretur magis*, scribit Lippomanus, *ipsa quóque exanimis ferè mater dudum promissa Dei rursum nunc audit, & credit de futuris beneficiis præsentia cernens.* Matrem consolatur Deus, & iam Agar breui afflictione incrementa felicitatis mercatur: felicior exulat, & humana colloquia Angelicis colloquiis fortunam commutat: & qui videbatur attulisse calamitatem ludus, occasionem procudit, qua Ismaël luceret splendidissimè fortunatus. 21.

Caietan.

Genes. 21. v. 17.

Lippoman.

---

§. VI.

Eleemosyna adeò tutum ministrat profugium, vt ardentis vindictæ frustrauerit desiderium.

Eleemosyna, aiebat Publius Mimus, *non tam accipientibus, quàm dantibus prodest.* Prodest accipienti ad famis solatium; sed à largitore appetens propellit periculum: eleemosyna in manu pauperis clypeus est facientis: nam vt clypeus hostiles repellit ictus, ita eleemosyna aduersos eludit conatus: cui misericordia defuit, periculum grauius vrsit: & elusit sæpè periculum, qui munificentiæ asciuit sibi suffragium. Non periit, quod ad subleuandam alienam calamitatem expenditur; imò ad depellendam propriam opportuno tempore reseruatur: qui properantia effugere exambit discrimina, ad eleemosynæ confugiat tutamina: nam misericordia munitus, ab aduersariis nullatenus lugebit euersus. Ciuitates assignat Deus, ad quas mortis perpetrator, criminis tamen non reus possit confugere, ibique contra suspirantes vindictam indemniter degere: *Vt confugiat*, inquit, *ad eas quicumque animam percusserit nesciens,* 22.

Publ. Mim. *Dantibus, plus quàm accipientibus prodest eleemosyna.*

Hugo. *nescius, & possit euadere iram proximi, qui vltor est sanguinis.* Hugo Charensis moralissimè has ciuitates interpretatur ieiunium, orationem, eleemosynam. *Tres ciuitates*, inquit, *vltra Iordanem significant aliud triplex remedium post baptismum, scilicet ieiunium, oratio eleemosyna.* Ecce eleemosyna decernitur tutum fugienti profugium: & quidem qui vltrices cupit sopire ob delictum flammas, confugiat ad eleemosynas, tutatur namque misericordia vti munitissima ciuitas ad se confugientes, nec potest hostili ariete subuerti, quam constat pietate fulciri: vltor ardor insequitur cognati sanguinis effusorem; sed dum ad misericordiæ recurrit asylum vltoris frustratur gladium. Corruent altissimi Iericho muri; stabunt tamen contra temporum, & inimicorum adsultus misericordiæ ac pietatis arces firmissimè erectæ quantumuis multiplicibus machinis impetitæ.

23. Ficus iuxta viam viridi pompa florebat; accessit Dominus fame vexatus fructum quæsiturus; non tamen inuenit: quia infructuosa planta, dum ad cultiorem frondescit pompam, fructus expendit vanè substantiam: maledictum tulit, quæ famelici spes frustrauit: *Nusquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuò ficulnea.* (Matth. 21. v. 19.) Iustè exiccata est, quæ foliis redundantibus non seruiebat saporatis fructibus; sed speciosis solùm viroribus; verùm cur similem non tulerit mulctam ficus illa, quæ paradiseis topiariis oculos mulieris allexit, & serpentina consilia adiuuit? Idem Dominus vtrobique munus ostentat iudicis: ergo vtrámque ficum similis premat sententia, quandoquidem non dissimilis denigrat causa. Audiat paradisæa illa ficus: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum*, quandoquidem non leuius est crimen pomum cupienti protulisse, quam famelico denegasse: quæ ergo ratio plantam illam ab indignatione defendit, quando pomum diuiti offerendo deliquit. Certè ficus illa (nam circa ficum parentes nostros fuisse præuaricatos testantur patres) etsi indignationem meruerit, cupiditatem Adami ac Euæ tunc diuitum irritando, sibi consuluit vestem iam nudis ac pauperrimis exhibendo: *Cùm cognouissent*, inquit, *se esse nudos consuerunt folia, ficus, & fecerunt sibi perizomata.* (Gen 3. v. 7.) Ficus foliis pauperibus ad vestitum ministratis, veluti clypeis protegitur, & maledictum, quod ficus alia ob folia incurrit retenta, hæc à se depulit ob pauperibus exhibita. Innuit Basilius Seleuciensis orat. 3. (Seleuc.) *Ipsi nudati nudant arbores: circa arborem præuaricati ab arbore tegumentum mutuantur.* A Ierosolymitana ficu nec pauper contexit folia ad ornatum, nec famelicus accepit fructum: à paradisæa nudi accipiunt vestimentum, & quod de malè dispensatis incurreret fructibus, de benè exhibitis maledictum auertit frondibus. O quàm profuerunt frondes ad sopiendam Numinis iram, & ad siccitatis vitandam pœnam. Nec solùm misericors sibi prospicit; sed vel delinquenti est asylum. Audiuit Adamus Dei vocem sanè incusantis, & sugillantis audaciam, & recurrit ad arboris tutamentum: quia trepidabat delictum: *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Hoc lignum fuisse ficum illam, à qua vestes fuerant mutuati, testatur Lippomanus: *Absconderunt se in medio ligni paradisi, id est, sub ligno scientiæ boni & mali, quod est in medio paradisi.* O quantam iam Adamus incurrerat mẽtis perturbationem! Si quærit profugium, quid proderit contra vltricem iram Numinis lignũ? adeò iam passionibus obcæcatur, vt Deum ipsum putauerit cæcum: Nónne sub arbore videbit delitescentem reum, qui frondium arboris scit ad liquidum numerum. Ergo suam exaggerat imprudentiam, dum adornat Adamus fugam; verùm in hoc non omnimodò dixeris decerrasse, quando constat ad misericordem arborem confugisse: agnouit se homo infici culpa, Numinis veretur pœnam, & ad arborem frondibus nudam recurrit: vt de arboris misericordia arceretur iudicis ira: nudatur frondibus arbor, vt nudos vestiat: *ipsi nudati nudant arbores, ab arbore tegumentum mutuantur.* Quæ ergo mutuat pauperi ornatum, prudenter habetur asylum: & ob id fortassis Deus Adamum foras prorumpere iubet, nec arbori puniturus accedit, quasi reuereatur misericordiam, nec sub tutela misericordis degenti infligere possit pœnam. Non ineptè ad nudam frondibus confugit Adamus: quia illa nuditas ornabatur misericordia: & ideò validissima erat derelinquenti tutela.

Cùm populus Ægyptiorum rabiem euadere properaret, iubet Deus agnum comedere renibus accinctis pedibus calceatis, & manibus baculo instructis: *Sic comedetis illum renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus tenentes baculos in manibus.* 24. (Exod 12. v. 11.) Certè ad profectionem esus, & calceus proderant; sed baculus videbatur inopportunus, quando satius esset arma stringere, & in audacissimos ac truculentissimos Ægyptios vibrare: citissimè hostis fugientes incesset: ergo ad arcenda pericula, & ad propulsanda damna satius erit arma prensare, quàm baculos manibus retinere. Clemens Alexandrinus III. lib. pædagog. c. 7. profundè meditatus in baculo ait designari munificentiam: (Clem. Alex.) ideóque armati baculis, ne properãtibus obruerentur periculis minùs valebant arma ad repellendos Ægyptiorum adsultus, quàm vel vnicus profuerit baculus: ideò opportunè iussit portare baculos, vt audaces fugerent inimicos. Audi Alexandrinum. *Oportet eum, qui vi in cælos contendit ascendere, & pulchrum baculum beneficentiam scilicet circumferre: & his, qui affliguntur largientem veram quietem percipere.* Vt Hebræus veram percipiat quietem, vt ad promissionis terram ascendat, minásque Ægyptiorum eludat, opus est baculum circumferre: nam si defuerit beneficentia, fugientes adurgebunt Ægyptiorum pericula; at si illos circummuniat misericordia non oberit inimicorum insania.

25. Hinc nosces cur Dauid regia deposuerit arma vti victoriæ impedimenta; non tamen abiecerit baculum. Stabat ille superbissimus gigas montis adinstar statura corporis immetatus, probra contumeliosissima in Deum, & Israëlitas iaciebat: cúmque omnes intempestiuis minis percellerentur, & trucem hominis aspicere vultum non sustinerent, Ecce Dauid panes fratribus adfert, vtque celeriùs ad illos excurrerit, agolum pastoritium manibus gestat: is, cùm nullus è toto exercitu probaretur satis, pugnæ prouocationem ad se rapit; cúmque illum Saul propriis armis loricaret, ille non sine mysterio abiecit, &

1.Reg.17. v.40. & baculo pro hasta dexteram communiuit. *Deposuit ea, & tulit baculū suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem.* Baculum tulit, vt omne à se periculum propulsaret: nam si baculus, vt Clementi placet, beneficentiæ est ænigma, aptior præ armatura erat baculus, quando ad arcenda discrimina est potens beneficentia. Sed inquiramus, si placet, cur lapides in peram miserit: Esto misisset quatuor, cur quintum funda rotandum, & in gigantem iaciendum in pera condiderit? nónne insumet aliquod tempus in tanta temporis angustia in educendo lapide, fundæque aptando? Ergo satius esset tempus redimere, & lapidem præparare. O cælestem Dauidis prudentiam: Ab illa pera eduxerat panes, quibus fratrum subueniret inopiæ: in illa ergo efficaciam ac energiam lapidem oportuerat induere, vt gigantem posset prosternere: mittere lapides in parem non fuit tempus inutiliter terere; sed opportunè redimere: à pera fratribus suppeditatus est cibus, & à pera triumphi Dauidi prodiuit plausus, *Deposuit arma,* scribit Chrysostomus apud Glossam, *& accepta pera pastorali, & silicibus contra carneam illam turrim egressus est.* Non posuit peram: quia pera beneficentiæ instrumentum agnouit triumphi officinam, & contra periculum tesseram: *Misit eos in peram,* inquit Interlinear. *adiunxit, scilicet gratiæ, quæ per lac significatur, quod in vase pastorali mulgetur.* A pera accepit lapis gratiæ efficaciam: quia fratres à pera acceperunt misericordiam: est enim munificentia impenetrabilis armatura: ergo eleemosyna ciuitas refugij deligitur, quâ illæsa hominis salus seruatur.

Chrysost.

Interlin.

16. Cant.7.v.7. Sponsus eximias Sponsæ laudes referens aiebat: *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.* Palmæ exæquat non tam vt elegantem, concinnámque corporis proceritatem allaudet, quàm vt triumphatricem semper deprædicet, nam palma victoriæ, ac triumpho semper adscripta: audi Ambrosium lib 3. Hexa. cap.13. *Laurus, & palma insigne victoriæ, Lauro victorum capita coronantur, palma manus victricis ornatus est.* Benè: sed videamus quid Sponsæ modò laudes triumphorum asciuerit; sanè vbera botris assimilari; vbera paruulos alunt, famem depellunt, imbecilli succurrunt, ergo dum distentis vberibus maternam solicitudine pietatem erga teneros exhibet, & triumphis ornata lucet. *Vbera botris collata indicant,* inquit noster Delrius, *in lactandis paruulis largitatem.* Vbi largitatis elogium, ibi ab inimicis lucet reportatum tropæum; nec enim eleemosyna à victoria quibat disiungi, aut discrimine appetenti obscurari.

Ambros. *Laurus, & palma triūphantium insignia.*

Delrius.

§. VII.

Non semel qui lentiùs tenderent ad virtutum celsa, persecutionibus agitati celeriùs perueniunt ad perfectionis fastigia.

17. COmmunis mortalium querela est, & prouidentiæ criminatio bonos viros vrgere mala, & improbos oblectare semper iucunda; verùm imprudentium vox est: sapiens namque omnia aduersa exercitationes reputat, & quisquis animo erectus, honesti laboris est ambitiosus. Ad virtutem vel cum periculo curret expromptus: otium illi maxima est pœna, & tormentum magnum ignauia. Aptè Demetrius: *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam aliquid euenit aduersi: non licuit enim illi se experiri, vbi ex voto illi fluxerunt omnia, vel ante votum:* verum dixit: prospera namque suadent noxias delicias, fortitudinem saltem emolliunt, si virtutis prorsus non eneruarint studium. In salutem sæpè disponuntur aduersa, calamitatem ferè semper asciscunt animo prospera. Quàm benè Seneca lib. de prouidentia cap.3. *Nunc illud dico: Ista quæ tu vocas aspera, quæ aduersa & abominanda, primum pro ipsis esse, quibus accidunt, deinde pro vniuersis, quorum maior dijs cura est, quàm singulorum .. Persuadebo deinde tibi, ne vnquam boni viri miserearis: potest enim miser dici; non potest esse.* Sub calamitatum falce premi nonnunquam iusti videntur; sed interius summa placiditate: nónne pro ipsis infirmis est ferro, & igni curari, & fame, & siti adurgeri? remedij causa quibusdam raduntur ossa, læduntur venæ, & quia sine corporis pernicie non poterant membra permanere vnita, candenti ferro, & sæuo dolore separantur abscissa: *Hoc vtique patieris,* addit Stoicus ibi, *probari tibi pro his esse quibus accidunt tam mehercles, quàm quædam, quæ laudantur atque appetuntur, contra eos esse, quos delectauerunt: simillima cruditatibus, ebrietatibúsque, & cæteris, quæ necant per voluptatem.* Itaque vt voluptuosa, si detrimentum afferant, censentur nociua; ita corpori ingrata, si virtutis exuscitarint studium, censeri debent accommoda; verùm licèt iustus aduersa omnia in obsequium vertat virtutis, tunc præcipuè gradum vrget, cum ab alterius arbitrio pendet affligere, & molestiis onerare: dum hostis minatur à tergo; dum timetur periculum, ardentiùs procuratur remedium: nec defessis membris longum solatium conceditur, cùm properantibus aduersariis maximo in discrimine salus versatur. Hinc non semel Deus innoxios pati persecutiones permittit, vt celeriùs virtutibus ornet: tunc enim perniciorem accipiunt cursum, cùm opus est eludere insanientem cursu aduersarium. Deus profugij ciuitates montibus sitas decernit, quibus insectantium iras frustrentur, qui absque crimine per humanos casus sanguinem hominis fuderint, illique mortem præter opinionem asciuerint: *Separate vrbes fugitiuorum: vt confugiat ad eas, quicúmque animam percusserit nesciens, & possit euadere iram proximi, qui vltor est sanguinis:* dum demortui cognatus in percussoris armatur vitam ad celerrimum vrget volatum, si percussor velit eludere ardentem furoris æstum: lentiùs ad ciuitates montium apicibus sitas perueniret, ni persequentem timeret. *Omnes hæ ciuitates,* inquit Hugo, *sunt in montibus, id est, in eminentia bonæ vitæ.* Bonæ vitæ ad eminentiam contendunt persecutionibus agitati, qui persecutorum fugere insaniam discupiunt anheli, nec illis fas remorari gradum, quando persecutorem verentur aduersum.

Demetrius. *In aduersitate sui quisque capit experimentum.*

Seneca.

Voluptuosa contra ipsos sunt, quibus accidunt.

Hugo.

Duas fœminas prophetarum beneficiis videbis obstrictas. Elias Sareptanam mulierem adit, 18.

3.Reg.17. v.14. farinam oleúmque in vsum vitæ multiplicat: *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* Vides beneficium non tam additis incrementis quam prohibita diminutione constare: transi ad viduam aliam, quæ cum à durissimo exactore vrgeretur, iamque captiuitas filiorum appeteret, celeri gradu contendit ad Elisæum, neque expectat eius aduentum; sed solicitè quærit contra aduersitatem profugium.
4.Reg.4.v.1. *Ecce creditor venit, vt tollat duos filios ad seruiendum sibi:* Elisæus exiguum olei facit fontis adinstar effluere, & vasa olei plenitudine redundare: *Clausit ostium super se, & super filios suos: illi offerebant vasa, & illa infundebat.* Ecce vtráque vidua prophetarum benignitatem meretur; magnum tamen inter vnam, & alteram inuenitur discrimen: ad Sareptanam tetendit Elias; altera tetendit ad Elisæum: alteri oleum reseruatur integrum, alteri superest incrementatum. Hæc maiorem olei copiam adepta est; illi non imminutus lecythus vitæ necessarium suppeditabat, quæ ergo discriminis causa est? Aliam fortè famis tantùm labore vrgeri, aliam molestiis creditoris grauari: fames etsi rigida manere domi Sareptanæ permisit; importunus exactor nullum quietis alteri spatium concessit: adepta est illa patientia non imminui farinulam; sed hæc de exactoris persecutione olei redundare largiter copiam: oleo splendet ditior, cui persecutor molestior: & quidem ni exactoris molestias passa, nec olei copiam ditaretur
Lyra. *Ecclesia sine pastore calamitate adurgetur.* adepta: *Mihi videtur*, scribit Lyra, *dicendum quod hæc mulier vidua significat Ecclesiam particularem bono pastore viduatam, & quia tali tempore solet magis illius Ecclesiæ persecutor insurgere: ideò subditur: Ecce venit creditor, id est, tyrannus persecutor.* Ecce vbi persecutio furit, & mulier ad prophetam celeriùs accedit, & dum persecutioni sedulè quærit auxilium, multiplex olei sibi comparauit crementum mulier hæc ob persecutionem ditior: illa, quæ non passa persecutionem, pauperior.

29. Magnis virtutibus cælestis adinstar syderis Elias resplendebat prophetes: deserto degens
4.Reg.17. v.6. coruis alitur: *Corui deferebant ei panem, & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente.* Vides Eliam ministerio coruorum pastum, in valle degentem: transi modò cogitatione ad ipsum, pane alibi cælesti innutritum, & in Horeb cacumine sacris luminibus exornatum: *Ecce Angelus Domini tetigit eum,*
3.Reg.19. v.5. *& dixit illi: Surge & comede... Qui cum surrexisset, comedit, & bibit & ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb.* Nec solùm montis fastigio eminet; sed cum Domino sermones miscet: *Egredere & sta in monte coram Domino:* & cur modò Elias ad celsitudinem tantam peruenerit, humanamque quodammodò naturam exuerit, Dei voces auribus excipiens, & cælesti epulo fruens: si alibi ministrant corui, cur hic cælestes obsequantur ministri? si alibi latitat in torrente, valléque vmbrosa, cur montis celsa modò teneat fastigia? O historiam recole. Cùm in deserto degit, nullo se tunc vrgeri persecutore cognoscit; posteà verò persequentis, muliebríque indignatione percitæ Iezabelis extimet iras, & pernices assumit pennas,
3.Reg.19. v.2. quibus possit nigras indignationis frustrari flammas: *Misit Iezabel nuncium ad Eliam dicens: Hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam vnius ex illis. Timuit ergo Elias, & surgens abijt.* Dum persecutio vrget, ad Dei montem Propheta celeriori gressu contendit: tardiùs peruenisset, ni mulieris insania persecutionis calcaribus ad currendum celeriùs excitasset: adeò magnam Eliæ vtilitatem attulit persecutio, vt si anteà carnibus, iam cælestibus vescatur epulis, si anteà delitescebat in valle, iam fulgeat in monte: si anteà agebat cum coruis, iam agat cum Angelis: *Minantem Iezabel fugiens*, scribit Tertullianus aduersus Psychic. cap.6. Tertullian. *post vnicum pabulum, & potum, quem ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipse quadraginta diebus & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Choreb, vbi cùm in spelunca diuertisset, quàm familiari congressu Dei exceptus est.* Iezabel fugiens ab Angelo pascitur, & in monte familiari congressu excipitur: si persecutrice careret, nec vertice montano radiaret; verùm dum quærit à Deo contra persecutionem remedium, montis tenet celeri gressu fastigium. Itaque de persecutione felicior, de odio altior.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, aiebat Christus Dominus, *quoniam* 30. Matth.5.
ipsorum est regnum cælorum: veluti beatitudinis v.10. apicem persecutionem loco vltimo posuit, cœlóque coniunxit: aiebat: *Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur: beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur:* ad cælum arripuerunt viam misericordiæ amatores, ac iustitiam sitientes; verùm à futuro tantillum distabant præmio; persecutionibus tamen exagitati iam obtinent, quod desiderant: Ipsorum est regnum cælorum, quasi lentiùs gradiantur siti adusti, & misericordia ornati, quàm persecutionum calcaribus impulsi. Notauit Augustinus apud D.Thomam. *Octaua* August. *beatitudo tanquam ad caput redit, quia consummatum perfectúmque ostendit, & probat. Itaque in prima, & in octaua nominatum est regnum cælorum: septem enim sunt quæ perficiunt: nam octaua clarificat, & perfectum demonstrat.* Persecutio ostendit perfectum, aliæ ad perfectionem beatitudines ducunt: nam dum quis confusis persecutionum vorticibus agitatur, studiosiùs cælestem Helicem intuetur, omnésque exerit vires, vt citiùs appellat portum: quia insanum tempestatis fugit adsultum.

Virga illa Aaronica, etsi anteà miraculis clara; non tamen micantibus floribus, foliis 31.
vernantibus, aut saporatis fructibus redimita; verùm cùm varij criminatores aduersus eius dignitatem insurgerent, de Domini præcepto ante tabernaculum collocatur, & felici abortu frondibus, floribus, & fructibus simul exornata videtur: *Sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Numer.17. v.8. Et cur adeò extemporaneè modò fructus extrudat, quos tam longo tempore virga celarat? Si anteà gratum oculis virorem needum ostendit, cur modò arbores felicissimas fructibus superauit? Quia modò persecutionem perpessa: persecutionis ergo vndis rigata oculos oblectauit pulcherrima: opus erat ad depellendas inimicorum criminationes, ad eludendas calumnias fructum ostendere: ideò virga fructum properat maturare. Certè, ni

captiosas inimicorum pateretur insidias, viriditatis pompam, floriditatísque gratiam aut non haberet, aut lentiùs sanè produceret; verùm dum obmurmurationibus denigratur, dum persecutionibus adurgetur, dum calumniis opprimitur, gratiæ ostentat vires, & extemporaneos producit celerrimè flores. *Cùm sacerdotium Aaron*, scribit Gregorius apud Glossam, *qui de Tribu Leui fuerat, despiceretur, dignúsque alius, qui offerret holocausta crederetur, duodecim virgæ iuxta duodecim tribus in tabernaculo poni iubentur, & virga Leui viruit, & quid virtutis Aaron in munere haberet, ostendit.* Inter omnes virgas Aaronis sola sustinet persecutionis calumnias, & patitur inimicorum querelas: ideò hæc inter omnes, & floridior, & vegetior. *Cùm sacerdotium Aaron despiceretur, virga Leui viruit:* fors non vireret virga, ni iniusta criminaretur querela, dum criminationes non patitur, exucca ac marcens videtur; de persecutionis tamen odio sic ad edendos flores vrgetur, vt flos celerrimè parturiatur. In suffragium impingit odium, & dum nititur infamare dignitatem, adauget præter opinionem decorem. Itaque virga tardiùs ad floriditatis veniret pompam, ni sustinuisset persecutionis inuidiam: sæpè namque, qui lentiùs tenderent ad virtutum celsa, persecutionibus agitati celeriùs perueniunt ad perfectionis fastigia.

Gregor.

Virtus despicitur, nisi externa pompa exornetur.

§. VIII.

Nescit miserandi causas seuero excussisse iudicio, qui exprompto gestit subuenire remedio.

32\. Publ. Mim. *Mala causa quærit semper misericordiam.*

MAla causa est, aiebat Publius Mimus, *quæ requirit misericordiam*; è contra etiam dixero: tepida est misericordia, quæ nimis discutit causam: aliis in rebus pati errorem prudentiæ est nebula: quia minus cautum arguit fallacia; in hac securissimè erratur: vrget namque in misericordiæ elogium miserandi causam seuerum non citare ad iudicium. Petit quis egestatem mentitus; si subueneris, non amittis beneficium, quia falsus: vt enim iniquum est pauperis misereri in iudicio, sic importunum est exercere iudicium, vt subueneris pauperi. Allegat quis dignum commiseratione infortunium, pietas non discutiat; sed præbere egenti suffragium gestiat, Aliena fallacia non infuscat misercordiam; imò cumulatior resplendet sæpè misericordia de aliena fallacia. *Beatus*, aiebat Psalmista, *qui intelligit super egenum & pauperem:* id est, qui omni petenti auxiliatur, qui miserendi causas non discutit, nec vt largiatur obolum, curiosè examinat an inopiam pati sit verum. Audi D. Hieronymum ad Furiam de seruanda Virgin. *Intellige super egenum & pauperum, omni petenti te da.* Id est, intellige egenum esse, qui petendi non excusauit tormentum, nec molestum addideris seueræ inquisitionis iudicium. Mentiatur quis paupertatis titulum, tu semper lucraberis misericordiæ suffragium. Deus dum ciuitates refugij occisoribus inuoluntariis tutandis adscriberet, fugientem senioribus vrbis illius fugæ causam aperire decreuit: *Stabit ante portam ciuitatis, & loquetur senioribus vrbis illius ea, quæ se comprobent innocentem, sicque suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum.* Penes dicentis fidem stabat eius causa, & innocentia; veluti criminis innoxius admittebatur, qui se crimine liberum diceret; verùm cùm plures, vt periculo imminenti quæsierint remedium, antequam ad ciuitatem, confugere quiuerint ad mendacium, cur Deus admitti voluit ob ipsius vnicum testimonium? Quia ciuitas refugij, inquit Abulensis solum decernebatur ad periculi auxilium, non ad iudicium examinationis seuerum: mendacem etiam ciuitas admittebat, si se criminis testaretur innoxium, quia solummodò habitatores gestiebant præbere exposcenti auxilium. Adest Abulensis quæst. 4. *Si diceret se occidisse à casu, siue sic esset veritas, siue non, recipiebant eum senes in vrbe, nec tenebatur probare innocentiam suam:* addit rationem paulò pòst Abulensis: *Quia ista causa ventilabatur in vrbe, in cuius territorio perpetratum fuerat homicidium ad petitionem vltoris sanguinis.* Refugij ciuitas erat misericordiæ emporium, non tribunalis suggestum: ideò satis erat vt quis imploraret opem, siue mendacia confingeret, siue veritatem assereret: nam cùm ciuitas illa nouisset solùm succurrere, nesciebat causam importunè examinare.

Ps. 40 v. 2.

Hieron.

Abulens.

33\. Prodigus ille adolescens paternum fugit aspectum, vt liberius salacitatis exerceret flagitium; verùm in ipso crimine criminis tulit mulctam, qui vrgentissimam famis sustinere compellebatur miseriam: vel inuitum ieiunium clarauit mentem, & reluminauit memoriæ facem, vt quantis se priuatum agnosceret, & qualibus immersum videret: redit ad patrem sibi redditus, quia à seipso patrem fugerat alienatus: Vidit illum pater, & quia commiserationis affectibus inflammatus, pernix iuuentutem affectat gressus: *Vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius.* Non est supercilio remoratus properantem, non carpit asperis verbis egentem: & cur prudentissimus pater non examinet quibus, quas diuitias tulit, expenderit: cur non discutit famis causam, cur non examinat seuerè miseriam? Quia munus, inquit Chrysologus, exercebat patris, non iudicis: quia ostendebat misericordiam, examine non commendabat iustitiam: *Misericordia*, inquit, *motus est:* quem ergo vrgebat misericordia, nulla examinis detinuit cura. Et quidem adulterasset misericordiæ pompam, si, vt subueniret, seuerus inquisitor inopiæ indagaret causā. Adest Chrysologus serm. 3. *Mouetur misericordia, qui loco non potest dimoueri: accurrit non progressu corporis; sed pietatis affectu.* Addit postea Chrysologus: *Non dixit vnde venis? fuisti vbi? Vbi sunt, quæ tulisti? Quare tantam gloriam tanta turpitudine commutasti? sed, citò proferte stolam primam, & induite illum: videtis quia delicta non videt vis amoris, tardam misericordiam pater nescit, delicta qui discutit, prodit.* Prodigus non recurrit ad iudicem; sed festinauit ad patrem: ideò pater, vt patrem impleret, iudiciali examine abstinuit; quod tunc temporis vrgebat, erat famelico subuenire, non famis causas prolixa scrutatione indagare. Suam profectò non semel misericordiam adulterant, qui ad tribunal pauperem vocant.

Luc. 15. v. 20.

Chrysolog.

Delicta prodit, qui discutit.

34. Misericordiæ exemplum eleganti Dominus penicillo depinxit, dum Samaritani historiam legisperito proposuit. Incidit miser viator in violentas prædonum manus: illi, vt auferrent pecunias, altissimas inflixerunt viatori violenter plagas: iam exanguis, & in mortis vestibulo volucbatur, cum Samaritanus misericordia motus accessit, & vulnera oleo vinóque fota coire ad sanitatem optauit: *Misericordia motus est, & appropians alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum.* Augustinus Deum in Samaritano voluit intelligi, in iacenti Adamum: *In Samaritano,* inquit apud D. Thomam, *se voluit intelligi Dominus noster Iesus Christus.* Prædixerat: *Homo iste ipse Adam intelligitur in genere humano*; sed cum vtrobique Adamo Dominus benefecerit; in paradiso indumentum texens, ac vinum, & oleum in itinere infundens, inquiramus, cur ad misericordiæ exemplum in medium non protulerit Adamum pellibus indutum; sed olei ac vini medicamine fotum? an quia hic non tam corporis, quàm animæ medicatus est vulnera, ibi corpori largitus integumenta? cúmque res corporis in spiritualium conspectu nec possint, nec debeant apparere, ad misericordiæ elogium non producit corporis indumentum; sed spiritus ægrotantis subsidium. Ita equidem; verùm cùm hæc omnia corporali specie pingantur, aliud nobis arcanum quærendum est: ergo recolamus historiam, vt secretiorem eruamus doctrinam. Delituit Adamus, & venenum mulieris voce auribus excipiens se, suósque posteros luctuosæ addixit calamitati: figulo suo anteà astitit inuestis, non nudus; modo ficulneis foliis vestitus; sed verè nudatus: aduentat Deus, sugillatiua voce compellat, causas nuditatis inquirit: *Quis indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti.* Nudum vestit: *Fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Nuditati prouidit; sed discussis inopiæ causis; sed rigidè examinans, & seuerè inquirens; at cùm offendit in saucium, nec causas discussit, nec ad tribunal seueritatis vocauit: hic ergo suam cumulauit misericordiam, ibi suam videtur adornasse iustitiam: quamuis igitur inuesti pelliceas vestes largiatur, ad humanitatis exemplar non producitur, quasi misericordiæ gratiam quodammodò dedecoret seuero examine discussisse, & molestis interrogationibus diuexasse; at cum ex equo prosilit, cum nihil sciscitatus vulnera ligat, cùm oleum infundit, suam misericordiam exaggerat, non solùm de studio; sed de silentio. Adest Gregorius apud D. Thomam. *Vocat hic Christus se Samaritanum opportunè: cum enim alloqueretur legisperitum superbientem in lege, voluit exprimere quoniam nec Sacerdos nec Leuita, & qui conuersabantur in lege legis propositum implebant; sed ipse venit consummaturus legis propositum.* Charitatis implet legem, legísque consummat propositum, cùm egenti nullo examine ministrare gestit medicamentum, non cum vt vestiat vocat pauperem ad iudicium, vt nos doceat lucidiùs tunc fulgere misericordiam, cùm non examinat causam; sed gestit ministrare necessitati medelam.

Luc. 10. v. 34.

August.

Gen. 3. v. 11.

Gregor.

35. Cùm Naaman Syrus lepræ fœditate mundatus regia amplissimáque dona obtulisset Prophetæ, ille ne miraculi infuscaret gratiam, copiosam respuit generosè pecuniam; verùm Giezi occasionem nactus opportunam, patriam repetentem pernici volatu insequitur, vtque ampla acceperit dona, indecora profert commenta: credidit Syrus mendaci, talenta ac vestes impertitus est, dúmque petenti succurrit, lepræ periculum longiùs auertit: *Dominus meus misit me ad te dicens: Modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim ex filijs prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices.* Naaman magnificis donationibus exuperat vota, gemina largitus talenta: *Ligauit duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta.* Ministri fallacia itineris felicitatem tantisper minuebat, quandoquidem Naaman, etsi lepra mundatus, redibat fraudulentis mendaciis obscurus; imò gloriosus, inquit Chrysostomus hom. de Naaman Syro: sibi intulit pœnam, qui mendaciis acquisiuit pecuniam; at qui dedit, suam lautiùs exornauit munificentiam: quia necessitati gestiebat Naaman succurrere, non distulit dare: non discussit, an Giezi diceret verum, non misit seruum, qui sciscitaretur prophetam, antequam offerret pecuniam: fallenti dedit aurum; sed ipse non amisit liberalitatis elogium. Audi Chrysostomum: *Syro fides attulit gloriam, & seruo perfidia intulit pœnam: alius suis redditur sanus, alius cunctis ostenditur maculatus: alius virtutis exemplum ostendit, alius meritum fallaciæ ostendit: per Naaman Deus collaudatur, per Giezi cæleste iudicium metuitur.* Fallat, quantum volet, Giezi, Syrus gloriam eleemosynæ non amittit: quia quantum in se fuit, inopiæ subuenire contendit: minorem gloriam assequeretur, si diuisa causa dedisset veraci, quàm dum cæcè aurum dilargitur mentienti: esset fortè examen charitatis iniuria, liberalitas fuit virtutis eximia gloria: *Syro fides attulit gloriam, & seruo perfidia intulit pœnam.* Ergo refugij ciuitas fugacis seuero iudicio non examinet causam; sed petenti exhibeat misericordem tutelam.

4. Reg. 5. v. 22.

Chrysost. *Virtus sanitatis efficina, vitium morborum est causa.*

---

§. IX.

Gloriosum est Dei ministro proximi vitæ prospicere; sed gloriosius in his, quæ ad animam, auxiliari.

Beneficia de vtilitate censentur, non de cupiditate taxantur: qui febris insania aduritur, gelidam ardentissimis votis exposcit, antidotum fastidio respuit; quia tamen hoc saluti conducibilius, qui & illud præbuit, beneficus; liberalitatem suam cumulatius adornat, qui cùm mediocre posset, melius semper largitus est: liberalis est, qui æs præbuit; sed qui aurum, liberalior: quia de materiæ pretio generositatis accrescit honor: vnde corporali vitæ consulere eo distat ab auxilio præstito animæ, vt aliud auri adinstar pretiosum sit, aliud adinstar æris non magnum. *Corpusculum, etiamsi nihil fieri sine illo potest,* scribit Seneca epist. 23. *magis necessariam rem crede, quàm magnam... Veri boni auiditas tuta est. Quid sit istud, interrogas, aut vnde subeat: dicam: ex bona conscien-* 36.

Senec. *Corpus res necessaria, sed non magna. Verum bonum tuta cõscientia.*

tia,

tia, *ex honestis consilijs*, *ex rectis actionibus*, *ex contemptu fortuitorum*, *ex placido vitæ*, *& continuo tenore vnam prementis viam.* Vera ac secura auiditas honesti est; corporis amor, etsi plurimis ardentior, est vilior: vnde etsi charitatem commendet vitæ ac proximi necessitatibus consuluisse, longè excellentius est animæ commodis insudasse. Ciuitates refugij Leuitis adscribuntur. *Omnes hæ ciuitates*, inquit Hugo, *sunt Leuitarum*, ad has inuoluntarij occisores confugientes grato vultu recipiebantur, & quod erat Leuitis habitaculum, erat etiam afflictis commodum: in his, quæ Domino obtulerant, contra mortis impetus profugium securissimum inueniebant; verùm, licèt in recipiendis afflictis elucesceret charitas: non tam ciuitates Leuitarum constituit Deus, vt temporalia arcerent pericula, quàm, vt animæ depellerent damna. *Vt confugiat*, inquit, *ad eas quicumque animam percusserit nesciens*, *& possit euadere iram proximi, qui vltor est sanguinis.* Hugo Cardinalis vt erat moralissimus, ciuitates refugij Leuitis adscriptas asserit, vt illorum suffragiis ac consiliis, qui animam propriam improbæ actionis gladio imprudentissimus interfecit, auertere posset Numinis iram, & mereri sceleris veniam. *Vt possit euadere iram proximi: proximus noster est Christus*, *qui est proximus beneficiorum impensione.* Itaque ad Leuitas confugit mortis perpetrator, vt ab humano vindice tueantur, & contra diuinum vindicem auxilientur, & quamuis temporali vitæ consulere Sacerdotale commendarit officium, à Numinis ira reum defendere, longè amplius commendabat ministerium: micabat de temporali salute charitatis flamma sed augustior ac viuidior depulso crimine lucebat amoris pompa.

Verum bonũ salutæ conscientia.

Hugo.

37. Iob, vt discrimen inter temporalibus necessitatibus subuenientes, & animæ negotia tractantes exprimeret, alios Soli, alios syderibus comparauit: *Qui præcipit Soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo.* Stellæ in noctis accenduntur solatium, depellunt tenebras, vincunt vmbras; verùm inferiores valdè Solis respectu inueniuntur: Sol namque diei est oculus, cæli honor, orbis decus, fons luminis, scaturigo indefessa claritatis, illum nec tenebræ vincunt, & si aliquando nubecula interueniat, radiorum calore dissipat: ergo qui virtutes edocet, qui optima consilia præbet, Solis adinstar relucet; qui verò temporalibus consulit, syderis exercet munus. Adest Gregorius opportunè lib. 9. moral. cap. 3. *Quia Sol per diem fulget*, *stellæ obscuritatem noctis irradiant, & plerumque in sacro eloquio diei appellatione æterna patria; noctis autem nomine præsens vita signatur*, *prædicatores sancti*, *vt Sol nostris oculis fiunt, cum contemplationem nobis veræ lucis aperiunt, & velut stellæ in tenebris lucent, cùm per actiuam vitam pro futuris necessitatibus nostris terrena disponunt.* In cælo fulgent stellæ, cum tenebras noctis irradiant; verùm angusto lumine, & exigua claritate; at Sol, cùm diem parturit, cùm cœlestia ostendit, tota lucis coruscat pompa, & tota nitet ardoris flamma.

Iob 9. v. 7.

Gregor. *Solis adinstar lucet, quicũque cœlestia docet.*

38. Christus Dominus non fugit recèns natus vti rex adorari, cùm in monte à turbis noluerit ad regale solium extolli. Natus est Dominus, & iam cæli quod celabat humilitas noua syderis lingua vel remotissimis Magis enarrant, attestante propheta: *Cæli enarrant gloriam Dei*, recèns vtique nati, dum Magos informant, & noui syderis venustate prolectãt, ab oriente ad orientem veniunt, & quidem dum mundialem orientis plagam deserunt, cœlesti orientis luminis claritate fruuntur: *Vbi est*, inquiunt, *qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Itaque rex à regibus consalutatur, & oblata munera potestatis sunt protestatio. Ita Tertullianus lib. aduersus Iudæos cap. 9. *Maneant orientales illi Magi infantiam Christi, vt regem auro, thure, & myrrha remunerantes.* Vides hìc vti regem adorari; vide etiam in monte titulum regis effugere: nam cùm populorum turbæ illum vsque ad montium prærupta sequerentur, ciborum aliquando inopia premebantur, tunc extemporariam mensam turbis apponit, & panes cœlesti sapore fragrantes diuidit: Panes pariebant panes, & præ panis copia coangustabatur eremus: turbæ ad tam insolitum prodigium attonitæ suam gestiunt gratitudinem ostendere, & regem inaugurare; fugit tamen Dominus regni titulum, qui crucis non recusauit tormentum. *Iesus ergo cum cognouisset quia venturi essent*, *vt raperent eum, & facerent eum regem*, *fugit iterum in montem ipse solus.* Et cur faustis acclamationibus in regem nolit à populo salutari, qui à Magis Hebræorum Regem voluit agnosci? Expende actionum discrimen, & quæstionis enodationem inuenies: alibi namque corporalibus necessitatibus subuenit, vitam tuetur, famem panis exundantia depellit; alibi verò idololatriæ tenebras fugat; Magos trahit ad virtutis obsequium, ad veræque religionis cultum: vtque noscamus ferè immetatam intercedere distantiam inter præstita corpori aut animæ auxilia, rex salutatur, & quidem cœlestis, dum inspirat virtutes, nec regem vocari sustinet, cùm corporales depellit necessitates. Adest tempestiuè Chrysologus sermone 157. *Per Epiphaniam Magi Christum Dominum muneribus mysticis confitentur, & cultores syderum*, *noctis incolæ*, *auctorem lucis densis inueniunt in tenebris, vt sit hoc auctoris gratia, non sit hoc industria sic quærentis. Non sit stella; sed Dei*, *sit creatoris donum*, *non sit beneficium creaturæ; non sit humanæ artis, muneris sit diuini.* Famem depellere creaturæ potest esse aliquando beneficium; mentis verò tenebras abigere est creatoris gratia, & cœlestis luminis excellentia: ergo tunc se Deum prodit, cùm instruit Magos: regem vocari respuit, cùm saturat famelicos: egentibus præbere cibos charitatis erat ministerium; Magos verò adduxisse grandius amoris elogium.

Matth. 2. v. 2.

Tertull.

Ioan. 6. v. 15

Chrysolog. *Deum inuenire non est humanæ artis, sed diuini muneris.*

Post retrò sæculis inuisa prodigia Moyses populum de ergastulo educit, vt viam præberent fugientibus, saluo liquore vndæ solidantur in muros; & ne diuexarentur erroribus, Dominus nube lucida illos præcedit ductoris officium implens: *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Refractarius Pharao, qui tamdiu durissima obstinatione Numinis voluntati restiterat, virtutis egit citissimè pœnitentiam: fugientes insequitur, & iam hostiles tergoribus mucrones insistunt: per stupentes vortices barbarus animosè, imò temerariè discurrit, nec videt naufragium, quia ambitiosus suspirat triumphum; verùm vt tuea- 39.

Exod. 13. v. 21.

tur miserorum vitam, vt audacisque detriumphet insaniam, iam qui ductor præibat, post tergum illorum mutato tamen titulo abiit: *Tollens se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis.* Verùm si idem vtrobique est, cur alibi Dominus, alibi appelletur Angelus? eundem esse dubitandi locus non est: ait namque textus: *Tollens se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abijt post eos.* Qui præcedens Dominus, subsequens vocatur Angelus, quasi loco titulus sit affixus, aut pro fortunæ varietate, & omnium varietur affectus: vti Dominum suspicient Angelum, si præcedat, si dignitatis fastigio emineat, & Dominum dicent Angelum, si vltimo loco consistat; hic verò cùm nihil fuerit humanum, altius nobis est indagandum mysterium: & quidem, quia diuersa erant officia, & diuersa fuerunt laudis elogia: post populum abiens temporalem illorum vitam tuebatur; dum reprimit hostiles adsultus, & cæcos retundit conatus; præcedens verò viam edocet mansuetudinis, semitam modestiæ, & compendiosum iter humilitatis: excelsior ergo videtur, cùm consulit animæ, non adeò excelsus, cùm vitæ. Innuit Ostiensis Drogo de Sacram. Domin. Passion. *Hæc est columna nubis, quæ per diem præcedebat filios Israël; columna verò ignis per noctem Spiritus sanctus est, qui super Apostolos in igneis linguis apparuit, qui cæcitatis nostræ caliginem illuminat, & sursum erigit, vt sapiamus ea, quæ sursum sunt, non quæ super terram.* Dum quæ super terram, curat, Angelus appellatur, cælestis ministri honoratus titulo; dum verò ad cælestia erigit, celsiori nobilitatur vocabulo: dum temporalem tuetur vitam, est Angelus; dum cælestem viam edocet, Dominus. Vt noscamus siue temporalia, siue spiritualia curare spectare ad charitatis officium; tamen qui Dei tenet locum, cùm spiritualia curat, cumulare nobiliter ministerium.

Exod. 14. v. 19.

Drogo. Columna ignis erat Spiritus sanctus.

40. Moyses cùm ad populum mittitur, Dei voce quasi imperiali tessera armatur, dextera priùs lepra infecta apprehendit virgam, qua elementa domaret: *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Posteà montem inscendit; & quibus populos pascat, sacras leges lapideis exaratas tabulis portat, & iam ex eius vultu radij promicant, qui Solares radios vincerent, & inuidentia honesta pulsarent: *Tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Origenes quo pollebat ingenio, animaduertit lepra infici, cum apprehendit virgam; gloria micare, cum dictat legem: & cur alibi obscurior, cùm alibi resplendet micantior? Quia Ægyptum adiens temporalem Hebræorum curabat vitam, tabulas deferens cælestem edocebat doctrinam; & quamuis vbique Dei seruus, lege tamen inspirata gloriosior: *Illud intuere,* inquit Origenes hom. 12. in Exod. & apud Glossam, *quod in lege vultus Moysi glorificatur, licèt velamine contegatur; manus intra sinum missa, leprosa facta est, in quo mihi videtur forma totius legis plenissimè designari: in vultu enim sermo legis, in manu opera signantur.* Curiosiùs audi quæ subdit: *Quia ergo ex operibus legis nullus erat iustificandus, nec aliquem ad perfectum poterat ducere lex, manus leprosa fit, & in sinum reconditur, tanquam nihil perfecti operis habitura, facies quoque glorificatur; sed velamine tegitur: quia sermo eius habet scientiæ gloriam.* Dum populos cælestibus instruit mandatis, facies habet gloriam, non habet, dum prodigiis tuetur vitam: quia vita tempore aliquando finienda; sed doctrina cælestis nunquam fuerat obliteranda. Miracula pertinebant ad vitam, fragilem sanè, & caducam; tabulæ nunquam marcessibilem spectabant ad gloriam: ideò cum doctrinæ seruit micat gloriosus, cum miracula patrat fulgoribus non resplendet ornatus.

Exod. 4. v. 17.

Origen.

In vultu legis sermo, in manu opera designantur.

§. X.

Sanctissima Virgo Maria tutum aduersus pericula profugium; imò aduersus Numinis iram asylum.

Opus homini est, & contra ardentem humanæ vindictæ insaniam habere remedium, & contra diuinam indignationem asylum: ea est præceps peccandi libido, vt Numen ex se quidem benignissimum quodammodò ad rigiditatem impellat, & seueritatem cogat: ea est etiam humanæ peruersitatis malitia, vt in seipsam belluarum adinstar furat, & humanum sanguinem sitiat: vnde homini necessum est, quo se contra vtrúmque hostem tueatur habere profugium, ac quærere munimentum: adeóque eximia est Numinis erga homines charitas, vt quodammodo sibiipsi opposuerit obstaculum, ne dignum homines aliquando deuorarit supplicium, quod de hominibus ad malitiæ exaggerationem aiebat Propheta: *Opposuisti nubem, ne transeat oratio;* Numini ad misericordiæ elogium adaptare possumus, scilicet opposuisse sibi nubem, ne effunderet indignationem. Et sanè eam nubem Mariam sanctissimam esse nullus dubitabit: ipsa Dei genitrix, & hominum parens media vtramque partem componit, & ad concordiam adducit. Numinis ardorem temperat ne peccatores exurat, hominum peccata abscondit, ne illorum fœditas diuinos oculos nimiùm offendat. De Luna apud antiquos versabatur figmentum, esse scilicet veluti mediam inter cælum, & terram, quæ sibi Solem allicit, quæque aërem ex se obscurum & tenebrosum illuminat. *Lunam,* inquit Plutarchus lib. de Iside, & Osiride, *genitricem mundi vocant, naturámque putant ei esse inter marem & fœminam ambiguam, quæ impleatur à Sole, & concipiat, rursus emittat in aëre genitiua principia, eúmque fœcundet.* Luna Solis filia ac sublunarium mater, hæc amore materno protegit, Solemque vti eius filia dilecta sibi deuincit, & ne in sublunaria ardorem omnia deuastantem eiaculetur, artibus mirificis temperat. Non materialis Luna; sed Maria Lunæ domina, quæ de Luna commenta, veritate implet, omnibúsque mirè proficit: detinet Deum, ne vltricem effundat iram, ornat homines, & quasi pio dolo contegit, vt benedictionis lucrentur gratiam. O quàm posset repetere de Maria Seneca, quod lib. de Clementia cap. 6. scribebat de homine ad clementiam, & pietatem nato: *Succurret alienis lachrymis, non accedet: dabit manum*

41.

Threnor. 3. v. 44.

Plutarch. Luna inter Solem & terram media.

Senec.

Xenulli efsfundunt, dum benefaciunt. *num naufrago, exuli hospitium, egenti stipem; non hanc contumeliosam, qua pars maior horum, qui se misericordes videri volunt, abijcit, & fastidit, quos adiuuant, contingique ab his timet; sed vt homo homini ex communi dabit: donabit lachrymis maternis filium, & catenas solui iubebit, & ludo eximet, & cadauer etiam noxium sepeliet: at faciet ista tranquilla mente, vultu suo.* Omnibus prodest, quæ humilis seueritatem non nouit, & impensè amans omnibus fauere didicit. Ecce refugij decernuntur ciuitates, quibus homines homicidium non crimine; sed infelicitate patrantes tueantur, vbi à gladiis occisi cognatorum dolore æstuantium ad speciem delinquens viuat protectus; imò & à Numinis gladio securus: *Suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum: cúmque vltor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus eius.* Idem promiserat num. 3. *Separate vrbes fugitiuorum, vt confugiat ad eas, quicumque animam percusserit nesciens, & possit euadere iram proximi, qui vltor est sanguinis, cùm ad vnam harum confugerit ciuitatum.* Hæc ciuitas tribubus omnibus indifferenter refugium erat, nullum respuens, omnes admittens; ad litteram ab hominum sanguinem vindicare exambientium furore hæc ciuitas defendebat; mysticè à Numinis etiam ira seruabat: nomine namque proximi Deum intelligit tradi Hugo Charensis ad hunc locum: *Proximus noster est Christus, qui est proximus beneficiorum impensione: hic proximus, scilicet Christus est vltor sanguinis effusi.* Itaque refugij ciuitas & Dei arcebat iram, & humanæ vindictæ repellebat insaniam. Iam Deiparam refugij ciuitatem esse apertè tradit S. Ephræm in sermone de laudibus Deiparæ: vbi sic eam salutat: *Aue peccatorum refugium, & hospitium, aue refugium in Ierosolymis, ad quam nimirum confugere possunt peccatores, & ij, qui in sancta Ecclesia per Ierosolymam significata degunt.* Idem tradit Damascenus orat. 2. de dormit. Virgin. vbi sic ait: *Ego ijs, qui ad me confugiunt, ciuitas refugij.* Maria refugij ciuitas aduersus humana discrimina properantia, & aduersus crimina Deum ad vindictam compellentia. Scribat iterum de Maria citatus Seneca: *Proderit in commune auxilium nata ad publicum bonum, ex quo dabit cuique partem etiam ad calamitosos proportione improbandos & emendandos bonitatem suam permittet; afflictis verò & fortius laborantibus multò libentiùs subueniet: quoties poterit, fortunæ intercedet: vbi enim opibus potiùs vtetur, aut viribus quàm ad restituenda, quæ casus impulit: vultum quidem non deijciet, nec animum; caeterùm omnibus dignis proderit, & Deorum more calamitosos propitia respiciet.*

Hugo. Ephræm. Damascen. Senec. *Liberalis etiam impro bis bonitatem suam permittit.*

42. Sponsus sponsam alloquens eiúsque labia commendans, vittæ coccineæ comparauit: *Labia tua sicut vitta coccinea, & eloquium tuum dulce.* Cant. 4. v. 3. Alludit sponsus ad historiam illam Rahab 2. & 6. capite Iosue scriptam: ergo referamus historiam, vt meliùs elogij calluerimus excellentiam. Exploratores Iericho ingrediuntur, quo infirmiora terræ attentiùs considerent, & curiosiùs explorent: res non latuit ciues: rex Ierichuntinus ministros ac coryceos mittit, qui hostes comprehensos occidant; illi verò Rahab ingrediuntur domum opportunúmque salutari inueniunt auxilium: prudens mulier elusit periculum, & exploratores alto emisit noctis silentio: *Operuit eos stipula lini, quæ ibi erat.* Iosf. 2. v. 6. Posteà cùm Iosue ciuitatem approximauerit deleturus, plures ex Ierichuntinis in Rahab confugiunt domum, & hostilem illorum ceruicibus minitantem auertunt gladium. Audi Iosue inclamantem: *Sola Rahab meretrix viuat cum vniuersis, qui cum ea in domo sunt.* Iosf. 6. v. 17. Itaque aduersus Iosue iram Ierichuntinis præbuit auxilium, & aduersus Ierichuntinorum insaniam Israëlitis fuit securissimum tutamentum. Hoc ergo elogium apprimè conuenit Virgini, cuius labia rogando muniunt, & muniendo defendunt: *Sicut vitta coccinea labia tua:* id est, sicut illa vitta, quæ in Rahab manibus, & aduersus Iesu iustam indignationem fuit clypeus, & aduersus Ierichuntinorum insidias fuit pientissimus dolus: *Notus est funiculus coccineus Rahab*, scribit noster Delrius, *quem cum iussa vt signum professionis fidei suæ de fenestra suspendisset, salutem sibi cognatisnique suæ attulit: hic funiculus figura fuit fili coccinei, de quo nunc agimus.* Delrius. Mariæ labia, Rahab vitta: vt enim Rahab domus vitta illa exornata & probis & improbis fuit tutamentum, ita Maria & dignis & indignis est cœleste semper profugium.

43. Adamus Euáque cum Domini promeruissent iram, deliquerant namque & sibi vetitum exambierant, voce Numinis percelluntur: pientissimus ille pater delinquentes territabat incessu, ne inuenirct, quos diuexaret supplicio: Adamus voce monitus se abscondit, & sub vmbra arboris vitæ constituit: *Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Gen. 3. v. 8. Lignum hoc lignum vitæ fuisse tradunt nonnulli: cucurrit itaque ad vitæ lignum: quia iam pectore mortis discruciabat venenum; verùm quid interest vmbrosa arbore tegi, quando nihil potest oculis diuinis celari? Certè aiebat Psaltes: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Psal. 138. v. 7. Si ergo Deus intelligit cogitationes à longè, quæ dementia Adamo potuit persuadere, vt iniret fugam, qua diuinam crederet posse effugisse notitiam? Nunquam inducam animum, vt putauerim Adamum voluisse Numinis oculis subtrahi, vt eluderet scientiam, sed vt frustraretur vindictam: audiebat ille Dei vocem sugillatiuam quidem & acrem, & conscientia, quæ accusabat delictum, denunciabat etiam tormentum, vtque Numinis subtraheretur indignationi, auxilium quæsiuit ab arbore: erat enim arbor illa Deiparæ vmbra, agnouítque Adamus vmbram Deiparæ opportunum peccatoribus esse profugium: ideóque ad sacræ arboris confugit asylum. Iam lignum vitæ Mariam sanctissimam designasse, tradit S. Ephræm orat. de Deipara sic Virginem alloquens: *Aue lignum vitæ, gaudium, & voluptas.* S. Ephræm. Adstipulatur etiam Ambr. in Psal. 1. *Inter multa ligna, quæ erant speciosa ad aspectum, & bona ad escam, etiam lignum vitæ terra produxit in medio paradisi, vt cætera* Ambros. *Maria lignũ vitæ.*

ligna eius viriditate floreret: quid esse hoc lignum dicimus, nisi per quod nobis salus venit? A ligno Adamus non imprudens sperauit suam tuendam salutem insequentisque Numinis arboris aspectu temperandam indignationem. O quam iam scientiam praeripuerat, qui vel Mariae emblema scilicet vitae arborem hominibus profugium suis actibus affirmabat: est namque Maria contra Dei indignationem asylum, & contra humana pericula tutamentum. Adde vel somno obiectum Mariae emblema veram homini aliquando attulisse salutem.

De ligni vitae proximitate caetera ligna florebant.

44 Duo Pharaonis serui vincti in custodia detinebantur: vidit alter frondosam vitem, pampinis dilatis ornatam, floribus redolentem, vuarum feracem: *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas.* Vidit alter tria canistra farinae delicatissimis palato obsoniis referta: *Et ego vidi somnium quod tria canistra farinae haberem super caput meum.* Iosephus optimus futurorum coniector alteri non solùm enunciat vinculis fore absoluendum; sed antiquae dignitatis apice collocandum: *Recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum:* alteri ominosissimum esse fatetur somnium, cruces, & auium morsus praedicit: *Suspendet te in cruce:* cùm vtriusque sine discrimine referatur peccatum, inquiramus cur alter periculo exemptus, alter verò supplicio infami punitus: ea se mihi offert ratio, alterum videlicet vitem obiectam in somnio spectasse, & alterum non vidisse: est enim vitis generosissimum vinum proferens Mariae sacratissimae aenigma: vbi ergo Virginis vmbra, & vera fuit salutis tutela: vbi Mariae nullum symbolum, & certissimum fuit tormenmentum Vite adumbrari Mariam tradit Isychius serm. 2. de B. Maria: *Vitis vuarum ferax, valde florens, intacta, incalcata, & munda.* Sine Maria nec mors fugari potest, nec vita reparari. Itaque vbi nulla Mariae vmbra, mortis adursit sententia; vbi verò vel somniatum symbolum, ibi & frustratum tormentum. Qui ad vitem tanquam ad vitae profugium se contulit, vitam inuenit: qui hoc salutis caruit asylo, deuotus remansit gladio. O quam verè, & quàm piè scribebat Bernardus serm. de signo Magno: *Inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione: opus est enim mediatore ad mediatorem istum: nec alter nobis vtilior, quàm Maria.* Quid verius? Quid aptius?

Genes. 40. v. 10.

Isychius. Vitis Mariae aenigma.

§. XI.

Qui vltrices meretur manus, contentus sit vitam tueri, & si necessum fuerit angustè viuere.

45 Res plures tam superuacuae saepiùs sunt habentibus, quàm fuerint expectantibus: prudens ipse cupiditatis impetum fraenat, & quoties splendidum quid eius perstrinxerit oculos, quoties domus ampla alterius excitarit inuidiam, quoties cohors occurrerit culta seruorum, sibi dicit quid miraris, quid stupes? Pompa est, & quidem euanida: ostenduntur istae res non possidentur: veram doloris materiam afferunt amissae, plenum gaudium non attulere possessae: id inter anxietatem, & laetitiam discrimen est, vt dolorem ereet si quid infaustum; non verò gaudium impleuerit quidquid laetum: res humanae, dum placent, transeunt, & quidem citiùs transeunt, quam vel imprudentibus placent. O quàm benè monebat Seneca suum Lucilium epist. 111. *Ad veras te conuerte diuitias: disce paruo esse contentus, & illam vocem magnus atque animosus exclama: habeamus aquā, habeamus polentam, Ioui ipsi de faelicitate controuersiam faciamus.* Turpissimum est, & sanè mediocriter prudenti indecorum beatam vitam credere auro, & argento fulciri, & voluptatibus pereuntibus citò conflari: prudens quisque nunquam ad angustias redigitur: quia aqua & polenta contentus, nullis vinculis praepeditus vagatur. Iam si quisque fallacis fortunae munera, captiosásque delicias tenetur spernere, potiori iure qui vltrices manus effugit ampla corporis commoda cogitur non exambire. Qui inflammatam vltoris veretur iram, sorti suae gratulatur, si licet corpori angustam vitae adinueniat tutelam. Refugij ciuitates Deo iubente separantur ac decernuntur, vt qui praeter opinionem mortem perpetraret contra effusi sanguinis vltores tutum vitae haberet profugium, ac appetens illaesus frustraretur naufragium: ibi habitationis locus concedebatur, qualis permittebat, & ciuium copia, & fugacis causa: *Suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum, cúmque vltor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus eius.* Profectò is concedebatur locus, qui hominem caperet, & à temporum iniuriis defenderet: carebant peregrini pretiosa supellectili, seruorum non aderat circumstantia, locus substrictus, nec cibus lautus; imò gaudebat profugus vel angustissimum in refugij ciuitate inuenisse habitaculum, quo euaderet salutis periculum. *Ad ciuitatem humilitatis refugit,* inquit Hugo, *qui Deo tanquam Domino humiliter seruit:* seruit humiliter, vt vltrices fugiat manus, qui extra ciuitatem refugij tumescebat nimiùm superbus; verùm humilitatis poenitentiaeque lubenter amplectitur disciplinam, quo saluti, vitaeque possit elucrari tutelam.

Seneca. Ioui faciat controuersiā, qui inuenter tulis inopiā.

Hugo.

Miror non semel, méque ipsum admiror, dum cogito me, vt vltrices peccatorum meorum effugerem flammas, confugisse ad religionis asylum, ibique eas corporis commoditates discupere, quas apud saeculum, ni iram Numinis extimescerem, possem ambire, studióque solicito procurare, quando ratio fásque monet, vt in religionis profugio nolim, quae nulli conceditur, amplam commodámque habitationem; sed tuendae vitae opportunam, vindictaeque euadendae, licet angustam, peraptam. Docuit me laborem humilitatémque amplecti Moyses ille apud Principem innutritus, & in nepotis locum adoptatus: nam cùm inuisendi fratres causa extra palatium versaretur, vidit Hebraeos, quorum primi conditores ob inopiam famémque in Aegyptum olim migrauerant, atque in regis fidem tanquam ad asylum confugerant, inhumanissimè diuexari: illos Pharao non solum in seruitutem vendicabat; sed quasi belli iure captiuos, & de lapide emptos durissimis ac supra vires laboriosissimis operibus deterebat; cui erat animo Hebraeos penitus abolere desiderium, quale putas fuerit laboris imponendi mandatum. 46

mandatum. Vidit Moyses regis ministrum humana facie belluam vnitis ferino ingenio, & regi placendi studio sæuè adeò in Hebræos furentem, vt ad commiserationem; imò ad dignam indignationem prouocauerit spectantem: occidit hominem in hominum perniciem natum: cautè texit; verùm non adeò secretè peracta res est, vt regis effugerit notitiã, & in Moysem non sufflammauerit iram. *Audiuit Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysem, qui fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum.* Citò sopiretur regis indignatio, ni Magnates, purpuratique suspectũ habentes iuuenem continuis illam calumniis & criminationibus flabellarent; verùm his obtrectationibus querelisque adeò Principis exacerbatus est animus, vt opus fuerit Moysi in Arabiam secedere, ibique greges seruare: *Moyses*, inquit textus, *pascebat oues.* Heu instabilis fortunæ vices: iam degit in mapalibus impolitis, qui auro micantibus nuper habitabat in regiis; verùm cur Moyses commodius vitæ non procurat ministerium, quando diuersùm adeò fuerat educationis eius institutum? humilij operi impendit curam soloce indutus, qui in palatio purpuratus? O vtilissimam nobis eruditionem? Satagit Moyses tuendæ vitæ inuenisse profugium, non deliciarum commercium. Gaudet vel pastoritiis laboribus seruiens: quia vita fruitur: nam eius studium erat vltrices manus frustrare, non temporales vitæ commoditates ambire. Innuit Philo lib. 1. de vita Mosis: *Moyses intereà secessit in finitimã Arabiam, vbi tutius degere poterat.* Addit posteà: *Arabes exercent pecuariam, pascúntque greges promiscuè viri, mulieres, iuuenes, virginesque: non plebeij solùm, sed nobiles.* Moyses pecuariam artem exercet: quia ad Arabiam Regis indignationem metuens excurrit, vitam discrimini eripuisse contentus, corporis voluptates, gustus delicias, vestium pompam contemnit oblitus: subiret namque imprudentiæ notam, si vitæ solummodò quærens asylum, ambiret, quod deserebat palatium. In Arabia omnes pecuariam artem exercent: Moyses ergo, dum ob patratum homicidium ardentem effugit iram, pastor incoluit Arabiam.

Exod. 2. v. 15.

Exod. 3. v. 1.

Philo.

In Arabia nobiles etiam arti incumbunt pastoritia.

47. Mulier Ioanni obiicitur splendoribus redimita, radiis solaribus pro veste ornata; verùm micans lux serpentinam inflammauit inuidiam, & insanam proritauit audaciam, qui olim patulas Euæ aures inuenerat, adulatoriisque fallaciis corruperat, modò etiam teneat cauda mulierem allicere, quo fœtum eius improbis faciliùs possit dentibus deuorare. Mulier periculum expauens assumptis aquilinis alis fugit, ac desertorum latebras quærit. *Data sunt ei duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum locum: Vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis.* Desertum petit, vbi nullæ deliciæ, nullæ corpori commoditates; imò horridus locus, spinis ac sentibus squallens, nullis mitibus pomis diues. Et cur non petat commodiora saluti loca, cur non confugiat ad cultiora vitæ habitacula? quæ olim stellis redimita, modò spinis circumsepta? quæ olim stellarum frequentia lucens, modò desertorum abditis degens? Hìc quiescit læta, quæ inter fulgurantium syderum radios anxia; imò & quia ibi anxia, hìc quiescit pacatissimè læta: fugiebat mulier serpentinam iram, nec curabat corpori commodum, dum tuendæ vitæ inuenisset profugium: cúmque desertum à serpentis facie defenderet, pernici volatu ad solitudinem inuolauit. Adest Hugo Charensis: *Vbi alitur per tempus, id est doctrina Christi. Locus proprius Ecclesiæ est desertum, vbi nec res mundi sunt, nec tumultus, vbi alitur per tempus, id est doctrina Christi pascitur à facie serpentis, id est ab impugnatione diaboli persequentis:* quia persequentis diaboli indignationem frustrare exambit, desertum, vbi nec mundi res, nec tumultus, non respuit. In deserto deliciis caret; verùm quia desertum vitam tuetur, mulier iucundè desertorum aspera subire non dedignatur: dum serpens vitæ animæque non minatur, radiis solaribus redimitur; at, dum eludere gestit iram desertorum non recusat prudentissima pœnitentiam.

Apoc. 12. v. 14.

Hugo.

Perfectiquique quid mediale refugiunt, & ad laboriosa contendunt.

48. Iacob à matre dilectus agri labores nesciebat, in tabernaculis habitabat: *Iacob vir simplex habitabat in tabernaculis:* verùm cùm pia fraude fratri benedictionem præripuisset, eam in fratrem Esau pectore fouebat iram, vt opportunum solùm tempus præstolaretur, quo ardentissimam indignationis proderet flammam: Rebecca filiorum saluti prouidens Iacob filium solùm vertere consulit, vt Esau à crimine auertat, & Iacob à vitæ discrimine prouidenter eripiat: *Ecce Esau frater tuus minatur, vt occidat te: nunc ergo fili mi audi vocem meam, & surgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran: habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius.* Consiliis matris obtemperans tendit ad auunculi domum Iacobus, ibi degit, iam non in tabernaculis, sed in mapalibus: pecuariam exercet artem æstu ardentissimo adustus, & gelu rigidissimo diuexatus. Equidem ipse ait: *Die noctúque æstu vrebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Et cur Iacobus, qui adeò delicatè nutritus, apud Labanum adeò anxios non recusarit labores; sed molestos tulerit dies? Quia tetendit, vt persecutoris euaderet iram, non vt vitam sortiretur deliciosam. Ni periculum appeteret degisset domesticis tabernaculis, & honesti otij frueretur oblectamentis; at dum vltrices manus veretur, ad vitæ tendit profugia, quamuis necessum fuerit amittere oblectamenta: viuit apud Labanum securus; sed defatigatur laboribus diuexatus; labores tamen despicit, vt iram persecutoris securus vitet. Adest Chrysostomus apud Lippoman. *Experientia te doceat quod vtilia consulo; & sicut dudum audita voce mea magnas illas à patre benedictiones assecutus es, ita & nunc audi vocem meam, vt effugere possis fratris manus, sic enim & te metipsum à periculis liberum reddes, & me à luctu.* Sic ab imminentibus periculis liberatur, scilicet Labani domum inhabitando: magnos quidem ibi labores sustinere necessum; verùm gaudet Iacobus ærumnis redemisse periculum, vt Dei iram fugientes suo exemplo doceat grauiter non ferre instituti huius aut alterius molestias, si molestiis numinis sopiuerint iras.

Gen. 25. v. 27.

Genes. 27. v. 43.

Genes. 31. v. 40.

Chrysost.

§. XII.

Ecclesiastici sic purè charitatis inseruiant ministerijs, vt se nullatenus indignis dedecorosæ cupiditatis defædauerint lucris.

49. Sacerdotis officium vtilitas solet esse cunctorum: quoniam populi salus eius solicitudine custoditur, & fusis felicitas precibus adaugetur: sæculares ambitiosa sæpè auaritiæ depopulantur incendia, alios nudat furtiua subreptio, fraudulenta dispoliat alios nundinatio; sed de sacerdotali munere feliciter reparatur, quicquid fraudibus vitiorum amittitur. Sacerdotalis charitas solicitior est in alienis, quàm ipsa cupiditas sit in propriis: non admonitus curat, quod ad cunctorum vtilitatem spectat. Sacerdotis munus est fortuna cunctorum, & meritò refugium omnium appellatur: quia mœstis, & afflictis apud sacerdotem solatium opportunissimum inuenitur. Cælesti huic muneri ille solùm habetur aptus, qui nulla auaritiæ labe, qui nulla venalitatis suspicione fuerit corruptus: nam sicut diligens pater filiorum prouidet commodis, quin ob sedulam diligentiam acquirendis inhiauerit lucris, nec mouetur auaritiæ studio; sed vtilitatis pignoris desiderio, sic animarum pater non curat propria vtilitate adaugeri; sed animarum vulnera medicari. Huc voco quod aiebat Cassiodorus Præfectum alloquens 12. variar. 21. *Non habeat venale propositum: tinea documentorum est oblatio maligna redimentis, dum quærunt consumere quod se cognouerunt impedire: pascat te edictio decora veritatis, facultas tua habeatur integritas.* Sacerdos pro facultate integritatem amauerit, vt munus decorosè exercuerit: nam qui Ecclesiasticam dignitatẽ, qui sacra munia auaritiæ faciunt commercia, dignitatis inueniuntur adulteri, & extra sæculum sæculares: Dominus vt sacerdotalis dignitatis normam præscriberet, afflictos, quique ob effusum sine crimine sanguinem vltricem verentur iram, apud Leuitas præcipit habitare, quo possint manus persecutorum effugere: *Habitabit in ciuitate illa, donec stet ante iudicium causam reddens facti sui, & moriatur Sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc reuertetur homicida, & ingredietur ciuitatem, & domum suam, de qua fugerat.* Habitationis locum concedi iubet, de pretio tacet: & cur qui quotannis profugus teneatur reddere, non decernat. Sanè tacuit pretium, ne sacerdotali muneri notam inurat: nam cùm hæ ciuitates à Leuitis incolerentur, esset charitatis iniuria, ni solum fugientis procuraretur tutela. Audi Rabbi Dauid apud Abulens. quæstion. 14. *R. Dauid Kimhi, & alij Hebræi dicunt, quod tenebantur seniores vrbis tradere ei locum ad habitandum, id est, domum pro toto tempore, quo ibi mansurus foret, nullo dato pretio.* Ecce Sacerdotibus, Leuitisque nullum aliud adscribitur lucrum, quàm ipsum charitatis officium: vt constet omnibus Dei esse ministros, quos nulla cupiditate aspexerint taminatos. Et quidem si ob pretium concessissent fugientibus habitaculum, ciuitas illa esset venalitatis emporium, non cælestis charitatis commercium; at cum semoto omni lucro proximi saluti prospiciunt, muneris non adulterant gratiam, nec cupiditatis dedecorosam patiuntur notam.

Sacerdotis munus est fortuna cunctorum.

Cassiodor.

Abulens.

Cùm Aaronis sacerdotium à plurimis tumultuosis litibus ambiretur, Deus iubet virgas tributim accipi, quò iniquitatis occludatur lingua, & omnis factiosa exterminetur querela: virgæ tributim oblatæ ante Domini cõspectum ponuntur, ibique Aaronis virga foliis viridantibus decoratur, gratissimis flosculis redimitur, & separatis fructibus diuitatur: *Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Fructus doctrinæ profert hæc virga; sed inuerso ordine ac reliquæ plantæ; cæteræ namque arbores agunt in terra radices, hæc in cælo egit; aliæ sugunt à terra quod proferant, hæc sugit à cælo quod habeat, fructus saporatissimos offert, & à terra nihil requirit: radix eius in cælo est, & inde suscipit incrementum, ne si quid à terra suxerit, sacerdotale dedecoretur officium. Adest Gregorius Nyssenus de vita Mosis. *Aliorum quidem virgæ sicut erant, permanserunt; at destinati diuinitus sacerdotis virga non extrinseca humilitate; sed virtute Dei immissa radices propagauit, ramos emisit, & floribus exornata demum fructum produxit: fructus erat nux: quare grauiter castigati quieuerunt.* Virga è silice copiosos populo ac gelidos elicuit latices; nihil tamen humoris debuit vel terræ, vel vndæ. Largitur doctrinæ fructus, nullos verò à terra exãbit prouentus, vt iam pulchro historiæ penicillo expresserit Deus magnum sacerdotalis dignitatis esse ornamentum, si nullum Dei minister à terra ambitiosè discupiat lucrum. O quàm hæc virga magicos deuorabit dracones, quàm fluctus marinos scindet, dum nihil vndæ aut telluri debet! O quàm si indigeret vndis floridum ad ornatum, non percuteret forsan fluuium; at dum à cælo solum expectat augmentum, & iustis aperit viam, & in dracones laudabilem exercet audaciam. 50.

Num. 17. v. 8.

Nyssen. *Quem Deus ad sacerdotale munus delegat, & miris fructibus ornat.*

Qui sunt isti, aiebat Isaias, *qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Columbina simplicitas nubis stabilit vtilitatem: nubes procreandis fructibus dicatur, dum columbinæ mansuetudini adiungitur: non inquit vt milui; sed vt columbæ: nàm milui vngues habent; nesciunt rapacitatẽ columbæ. O quàm essent nubes sine aqua, si fuissent milui auaritia. Adest Gregorius Magnus hom. 5. in Euang. *Prædicatores sancti, vt possent proximos perfectè diligere, studuerunt in hoc sæculo nihil amare, nihil vnquam appetere, nihil etiam cum appetitu possidere: quos benè Isaias intuens ait: Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columba ad fenestras suas? Vidit quippe terrena eos despicere, mente cælestibus propinquare, verbis pluere, miraculis coruscare, & quos à terrenis contagijs sancta prædicatio, & sublimis vita suspenderat, hos volantes pariter, & nubes appellat.* Addit posteà Gregorius: *Quasi columba ergo ad fenestras suas sunt, qui nihil in hoc mundo concupiscunt, qui omnia simpliciter aspiciunt, & in hæc quæ vident rapacitatis studio non trahuntur; at contra miluus, & non columba ad fenestras suas est, qui ad ea, quæ oculis considerat, rapinæ desiderio anhelat.* Qui cupiditatis vnguibus miluus, 51.

Isai. 60. v. 8.

Gregor. *Prædicatores vt proximis studiosius consulant, nil sibi terrenum amant.*

tius, nec columba, nec nubes est, dúmque terrenis grauatur desideriis proximorum non consulit commodis: nubis non implet officium, qui contemnendum exambit lucrum: nam charitas cum non quærat propria, longè minus suspirat aliena.

52. Non Sacerdos; sed caupo habetur, qui charitatis officia lucris temporalibus, nundinatur; at Dei minister charitati inseruit vel temporalis substantiæ dispendio, non cupiditatis studio. Iter faciebat quidam homo sanè incautus, cùm in sæuas grassatorum manus incidit; illi ferè abstulerũt vitam, vt exiguam auferrent substantiam, miserandus homo se intrepidè obiecit plagis ne nudaretur pecuniis, vt potius amare se dixeris auro, quàm aurum sibi. Exanguis & semiuiuus iacebat, cum Samaritanus genus pietate refutans illac egit iter, miserabili casu perculsus equo desilit, vulnera vino ac oleo priùs fota fasciis delicatis constringit, equo impositum ducit in stabulum, & cum progrediendi necessitate vrgeretur, duos denarios protulit, stabularióque dilargitus est, vt saucij hominis curam gereret. Et quidem ni fidelis esset stabularius, iam curationis accepto pretio, minus attendisset saluti: *Protulit*, inquit, *duos denarios, & dedit stabulario dicens: curam illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi.* Stabularius & Samaritanus sauciati consuluere saluti; verùm dum stabularius ob humana attendit lucra, eximiæ charitatis non fulget gloria; at Samaritanus Christum Dominum retulit, quia vel denariorum dispendio proximi saluti prouidit; non terreno studuit lucro, ideò eximiæ lucet humanitatis elogio. *In Samaritano*, inquit Augustinus apud D. Thomam, *se voluit intelligi Dominus noster Iesus Christus: Samaritanus enim custos interpretatur, & de ipso dicitur. Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Domini expressit imaginem, qui non modicis pecuniæ sumptibus alienis medetur vulneribus, & opportuna ope subuenit casibus: Dei non gerit imaginem, qui stabularij more charitatis nundinatur officium, vt corruptibile accipiat aurum: cúmque sacerdotis veri custodis ac Samaritani, non cauponis locum substituant, non debent augere studiositate lucellum; sed vel lucelli dispendio cumulatiùs ornare officium: ille dignè Christi Domini gerit imaginem, qui tantùm abest à pecuniarum studio, vt proximi gerat curam vel pecuniarum dispendio.

Lucæ 10. v. 34.

August.

53. Samuel à Domino in Sacerdotem eligitur; domus Heli reprobatur: quòd si inquiras causam, facilè inuenies: nam Heli filij, dum sacrificium pro hominibus offerunt, non modicam priùs partem deprædatrice concupiscentia pro muneris satisfactione præsumunt: *Veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, vel caldariam, aut in ollam, siue in cacabum, & omne quod leuabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi.* Orant, sacrificia offerunt; sed tridente cupiditatis munus auarè corrumpunt, & ab aris sacrificantes auertunt: Samuel è contra non solum Saulis asinas quærentis solicitudinem leuat; sed de industria seruatis eduliis cibat: *Cum illi ambularent in medio vrbis, apparuit Samuel egrediens obuiam eis:* nec solum obuiam procedit; sed comiter etiam inuitat: *Ascende ante me in excelsum, vt comedatis mecum hodie, & dimittam te mane, & omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi, & de asinis, quas nudius tertius perdidisti, ne solicitus sis, quia inuentæ sunt.* O quàm sacerdotale munus impleuit, dum afflicti curas leuauit, dum quartam stateris argenti partem non accepit; sed famelicos, & itinere lassos satiauit. Heli filij sacerdotalis sunt muneris contumelia, Samuel honor dignitatis; hic tristem solatur, solicitum leuat, & opera charitatis exercens præmium accipienti largitur, quasi muneris iure fuerit charitatis debitor, non alienæ substantiæ ambitor: Heli filij officium dehonestant, cùm charitatis opera studio cupiditatis infuscant. *Eliditur*, aiebat Tertullianus aduersus Psychicos cap. 16. *pro templi foribus senior Heli: filij eius in acie ruunt, nurus expirat in partu; hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens, sacrificiorum carnalium defraudatrix.* Cupiditas alios exterminauit à munere, alium liberalitas sacerdotali stabiliuit honore. Samuel probatur Sacerdos, dum charitatis opera generosa liberalitate exornauit; Heli familia repellitur, dum sacerdotalia munia improba cupiditate corrupit. Ergo Leuitæ nullum à fugacibus accipiant pretium, quo suum expleuerint, vt decebat sacros ministros, officium.

1. Reg 2. v. 13.

1. Reg 9. v. 14.

Tertull.

§. XIII.

Qui abutitur ipso remedio, contra ægritudinem remanet priuatus auxilio.

54. Est & hæc peruersitas hominum, aiebat Tertullianus aduers. Gnosticos cap. 5. *salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quæque medicamina vitare: mori denique citiùs, quàm curari desiderare: nam & medicinæ præsidium plures refugiunt, plures stulti, plures timidi, & malè verecundi.* Magna hominum peruersitas amare noxia, & repellere salutaria; verùm nondum hîc tota malignitatis vis explicatur: non solùm respuitur medicinæ præsidium; sed illud in morborum fomentum nititur conuertere malignitatis ingenium: & quidem dum salutaria incorrupta manent, morbo medela est; si tamen ipsa medela transeat in venenum, iam salus omnino desperatur, & morbus destitutus remedio augetur. Hinc dæmonis malitiam veternosam exaggerabat ipse Septimius lib. aduers. Psychic. cap. 16. vtpotè contra veritatem de ipsa veritate arma construxerit, vt iam omnia in figmenta confunderet, quando & iniquitas illæsa, & veritas figmentis adulterata: *Hinc diuina constabit quam diabolus diuinorum æmulator imitatur, ex veritate mendacium struitur, ex religione superstitio compingitur.* Vbi adulterata religio superstitionis tuetur causam, diabolus illæsam sibi de peruersitate construit Ecclesiã. Ciuitates refugij iubet Deus erigi in fugiẽtium vindictæ ardorem subsidium: *Habitabit in ciuitate illa, donec stet ante iudicium causam reddens facti sui.* Profugium habuit, qui extra ciuitatem deliquit; verùm si quis in ipsa ciuitate homicidium perpetrasset, iam illa ciuitas non erat immunitatis tessera; sed discriminis causa: nam cùm laboraret ipso remedio, ibi percussor obnoxius

Tertull. *Stultum est medicinæ refugere beneficium.*

Homines exitio a discupiunt, salutaria respuunt.

Ex veritate mendacium construitur.

noxius deuouebatur supplicio. Ita Abulensis
Abulens. quæst. 19. *Si aliquis in loco refugij occideret alium a casu, non maneret ibi immunitate locorum: quia non confugiebat occisor ad vrbem illam, sicut leges istæ dicunt; sed erat in ea.* Omnes sibi spei causas præcidebat, qui in refugij vrbe necabat: nam cùm remedium ipsum transiret in vindictæ suffragium, ibi occisori nullum relinquebatur auxilium, vt iam constaret omnibus non esse desperatam ægritudinem, cùm medicinæ suppetunt auxilia; sed cùm ipsa auxilia humoris peruersitate degenerarunt in detrimenta.

55. 1. Reg. 4. v. 11. Ophni & Phinees sacrificiorum raptores irreuocanda à Deo sententia puniuntur: *Arca Dei capta est: duo quóque filij Heli mortui sunt Ophni & Phinees.* Et cur cùm tantò anteà nimis percelluerit sententia, à lege, à sacrificiisve non requirunt tutamina? Minatur Ionas barbaris Niniuitis malitiæ metas quodammodò supergressis; illi tamen aduersus Numinis iram opponunt lugubrem pœnitentiæ habitum, & vindictæ ardor lachrymarum vndis sopitus est. Dei minister stricto gladio peste Dei populum consumebat; verùm Dauid religiosis sacrificiorum suffitibus aërem purificat, & pestis corruptionem sacris victimarum ignibus fugat: 2. Reg. 24. v. 25. *Obtulit holocausta, & pacifica, & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel.* Si ergo rubens sacrificio flamma imminentem prohibuit vindictam, cur Heli filij sacrificia non offerant, vt arcuerint Numinis iram? O vtilem nobis eruditionem! Dauid habuit contra calamitatem remedium; nec enim peccauerat sacrificio; at filiis Heli ipsa sacrificia adulterata sunt in scelera: nam exleges, & dignitatis potentia sibi violenter auferebant aræ, quod offerrent auaritiæ: 1. Reg. 2. v. 15. *Veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, vt coquam sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam; sed crudam... Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* Ipsis sacrificiis delinquunt, & quia iam in morbi auxilium ipsa ægritudinis transiuit medela, perierunt iustissima causa. Innuit Tertullianus aduers. Psychic. c. 16. Tertullian. *Eliditur pro templi foribus senior Heli, filij eius in acie ruunt, nurus expirat in partu: hanc enim meruerat a Deo plagam domus impudens sacrificiorum carnalium defraudatrix.* Sacrificiis erat abstergendum piaculum, & creuit de sacrificiis delictum: & quidem vbi laborabatur remedio, ineuitabili, si dici liceat ad nostram eruditionem, puniebatur domus excidio.

56. Cùm impurato spiritu Saul adurgeretur, nec morbus inducias admitteret, solersque ministrorum studium psaltem perquireret, vnus Dauid inuentus est, qui citharam retractans impuratum spiritum cantu abigeret, & regem melodiâ delinitum sospitati instauraret; verùm cùm dæmon ægrè ferret antiquo iucundissimóque sibi exturbari hospitio, Sauli suasit in ipsum medium furere, & telum veluti in curationis salarium insanissimè contorquere: multi adstabant regi; verùm Saul vnum Dauidem transfigere aggressus est: 1. Reg. 19. v. 9. *Porrò Dauid psallebat manu sua, nisusque est Saul configere Dauid lancea in pariete:* & cur dæmon contra adstantium alium aliquem inuidum non irritauit; sed in vnicum Dauidem commouet, vt violenter de medio ac per insidias sustulerit: Quia Dauid morbo cantu afferebat medelam: remedium ergo nititur callidus ac veternosus dæmon in ægrotantis vertere damnum, vt exinceps nulla spes salutis affulxerit. O quàm dæmoni addictus erat Saulis animus, cùm antidotum nisus est adulterasse in venenum! Dum Dauid superstes, quantumuis impuratus Saul furiis exagitetur, non est desperatus morbus, vtpotè cui mederi possit Dauidis cantus; verùm si Dauid, qui vnicum salutis auxilium, in criminis transeat suffragium, augebitur iam de ipsa salute ægritudo, & dæmon, vnde vereri posset efficacissimam medicinam, asciscet nouam ægritudinis causam. Adest Basilius Seleuciensis orat. 15. Seleuc. *Homines in seipsos insaniunt.* *Quo pacto Saul audes talia? Quid in teipsum hastam vocas? Si Dauidem sustuleris, quomodò dæmonem persequeris? Quid eum mori cogis, qui tibi vnicum salutis remedium superest?* Vnicum salutis remedium est Dauidis melodia: dæmonis versutia satagit, vt Dauid percussus ægritudinis fuerit causa: quia ab ipso solo poterat expectari medela. O quoties in scelerum auxilia virtutis vertuntur arma, vt inde iam vitium asciscat sibi incrementum, vnde vereri posset excidium.

Hæc fortassis fuit Pharaonis malignissima perspicacia, & detestanda prudentia. Hebræos 57. recens natos cófusis fluuij voluminibus tradit, quò omnes populi spes artibus iniquis præciderit. *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite.* Exod. 1. v. 22. Et cur non dixerit: statim vi suffocate, aut ad terram illidite? Maior quidem commiserationi præbetur occasio, dum tener infantulus ducitur ad fluuium vndis tradendus, & impia manu iactandus: fors lachrymulæ, grata oris venustas, elegans corporis habitus vel ministrorum truculentiam ad commiserationem alliciet, & mortem Hebræus euadet: cur ergo desipit, dum sapientiam ostentat, & procudit saluti tempus, cùm vitæ gestit corripere spatium? O peruersitatem detestādam! Pharao diaboli gerit figuram, cúmque nouerit veternosissimus serpens aquam in vitæ auxilium à Domino designandam, gestiuit mortis anteà effecisse materiam: nam cùm aqua inseruiat baptismati, baptismáque officina sit gratiæ, exambiuit aquam in auxilium vertisse culpæ: quo iniquitatis regnum vigeret floridius, & firmaretur æternius: dum vitæ causa efficitur mortis materia, nec Hebræis ad speciem restat auxilium, nec dæmonis regno imminere potest naufragium. *Felix Sacramentum aquæ nostra,* Tertullian. aiebat Tertullianus lib. de baptismo cap. 1. *quia ablutis delictis pristinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur.* Ecce aqua vel à mundi exordio iam Sacramento vitali præstruebatur: ideò Pharao sceleris carnificem constituit aquam, quam si poterit vertere in iniquitatis materiam, omnem putat gratiæ se euertisse efficaciam. *Rem* Seleuc. *sanè commiseratione dignissimam,* scribit Basilius Seleuciensis orat. 9. *infantium iugulator erat fluuius, pariter & sepulchrum.* Rabido parum esset furori, si recens natis abstulerit vitam, dum aquam ipsam in mortis non conuerterit causam: solùm namque tunc validius fulcitur iniquitatis imperium, cùm virtutis materia in culparum degenerauit auxilium. Desperata est vita, cùm ipsa morbo morbi auxiliatur medela: *Nullas in se culpas timet reus,* aiebat Cassiodor. 6. Cassiodor. *Reus non timet quas in iudice culpas aspicit.* variar. 21. *quas habere respexerit cognitorem, quando agentem malè nisi bonis moribus non æstimat displicere.* Si iudex iniquitatis frænum audaciæ

daciæ exilium in culparum transeat fomentum; misera collabetur æquitatis obseruantia, & extorris lugebit semper iustitia. Dum iura incorrupta seruantur, metu grassatores arcentur; si verò è contra criminis arma in virtutis transeant auxilia, iam dæmonis regnum euertitur, & virtutis solium firmatur.

58. Isaias propheta excidium minatur vitio, dum puerulum Damascum detriumphaturum testatur: *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum.* Hanc prædictionem in Magis illis Christi præsepis adoratoribus existimat adimpletam. Tertullianus lib. aduers. Iudæos cap. 9. *Accepit Christus infans virtutem Damasci, & spolia Samariæ: maneant enim orientales illi Magi infantiam Christi vt regem auro, thure, & myrrha remunerantes. Et accepit infans virtutem Damasci sine prælio & armis.* Omnibus notum est, quomodò Magi illi aduentarint: *Vidimus*, inquiunt, *stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Non solùm veniunt; sed stella præeunte ducuntur. Chrysologus rogat, cur per stellam, quandoquidem Magi stellas adorare sacrilego errore consueuerant, & circa sydera cæcissimè errarant: respondétque serm. 57. ideò infantem stellâ natiuitatis indice illos allexisse, vt dum materia erroris transit in obsequium veritatis, nulla iam fallaciæ supersint arma, quandoquidem ipsa fallaciæ arma iam veritatis sunt instrumenta. *Quare per stellam, si cum stellis, cum origine nulla causa est, nulla ratio cum natura? Quare Magi? Quare stella? Vt per Christum ipsa materia erroris sic fieret salutis occasio, quemadmodum per Christum mortis causa causa facta est vitæ.* Dæmon stellis vtebatur, vt falsum suaderet cultum, Magósque, dum se vanissimè glorientur sciolos, cæcus arctiùs error detineret illigatos; at cùm iam stella veritati inseruit, artes dæmonis pereunt, & spolia vitij Christo sacrantur: *Mortis causa causa facta est vitæ.* Et quando? *Cùm ipsa materia erroris sic fieret salutis occasio.* Cùm recèns natus infans stellam veritatis indicem, ac Magorum constituit ducem, omnia Samariæ ablata spolia, omnem Damasci virtutem prorsus detritam ostendit; quandoquidem sydus erroris fomentum est iam veritatis clarissimum testimonium.

Isai. 8. v. 5.

Tertull.

Matth. 2. v. 2.

Chrysol.

§. XIV.

Christi Domini mors est nostrorum debitorum solutio, & antiquæ felicitatis stabilis reparatio.

59. PArum est sapienti viuendo prodesse, nisi moriendo etiam prosit: felix vita, quæ crimine nunquam infuscatur proprio, & felix mors, quæ crimen detersit alienum. Euanidæ gloriæ ardor non semel homines in aperta discrimina coniecit, quo sibi æternitatem vel proprio sanguine fœcundaret. *Quantum*, aiebat Tertullianus aduers. Gnostic. cap. 6. *liuores illi, & cruores, & vibices negotiantur, intendis, coronas scilicet, & gloriam, & dotem priuilegia publica, stipendia ciuica, imagines & statuas, & qualem potest præstare sæculum de fama æternitatem:* de temeritate ambitionis, de duritie obstinationis plures sibi nomen facere contenderunt: & quidem friuola, & imaginaria gloria empta est carissimè vitâ; verùm vt insaniæ genus est salutem in ara vanitatis litare, sic prudente dignum communi saluti consulere. *Decius*, scribit Valerius Maximus lib. 5. de pietate erga patriam cap. 6. *qui Consulatum in familiam suam primus intulit, cùm Latino bello Romanam aciem inclinatam, & penè iam prostratam videret, caput suum pro salute Reipublicæ deuouit, ac protinus concitato equo in medium hostium agmen patriæ salutem, sibi mortem petens irrupit, factáque ingenti strage plurimis telis obrutus super corruit, ex cuius vulneribus & sanguine insperata victoria emersit.* Munere felix portauit augurium, Reipublicæ Consul consuluit, & decãtanda sæculis clausula dignitatem suam finiuit ac decorauit: hæc mors vitalis est, quæque famam semper spiret, vt aliorum vita mortalis & fœda. O virum magnum, cuius exitium stabile fuit Reipublicæ fulcimentum. *Quid tu existimas*, aiebat Seneca epist. 68. *ea tantum optabilia esse, quæ per voluptatem & otium veniunt, quæ excipiuntur foribus ornatis? Sunt quædam tristes voluptates, sunt quædam vota, quæ non gratulantium cœtu; sed adorantium, venerantiúmque celebrentur... Indue magni viri animum, & ab opinionibus vulgi secede paulisper: cape quantam debes, virtutis pulcherrimæ ac magnificentissimæ speciem, quæ nobis non sertis; sed sudore, & sanguine colenda est. Aspice Marcum Catonem sacro illi pectori purissimas manus admouentem, & vulnera parum demissa laxantem.* Cato dum communem libertatem gestit sua morte coëmere, licèt occumbat vitæ, sacratur famæ: ille comprobatur magnus, cuius non solùm vita cæteris vtilis; sed & mors agnoscitur salutaris. Ecce iubet Deus homicidij, etsi inuoluntarij reum veluti exilio premi, & in aliqua refugij ciuitate, etsi securè exulem à libertatis, & lætitiæ gaudio seruari; terminum tamen præscripsit, scilicet vsque ad Maximi, reliquorúmque Sacerdotum Principis mortem: obitu namque eius iam detenti redibant ad propria, & tristia finiebantur exilia: *Habitabit in ciuitate illa, donec stet ante iudicium causam reddens facti sui, & moriatur Sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc reuertetur homicida, & ingredietur ciuitatem, & domum suam, de qua fugerat.* Sacerdos magnus Christi Domini imaginem præferebat, vtque veram æterni Sacerdos, dignámque gestauerit vmbram, non potuit non afflictis & exulibus moriendo attulisse medelam: vt nouerint qua teneantur lege, qui Sacerdotale munus obeunt, quíque Dominum dignitate muneris referunt. Christi imago calamitatem depellit, & solatium afflictis adfert, vt iam nouerint sæcula per Christi Domini mortem miserorum finienda exilia, antiquáque gaudia instauranda. Ita Hugo Charensis ad hunc locum: *Erit ibi*, inquit, *vsque ad mortem Summi Pontificis, id est Christi, qui est Pontifex futurorum bonorum, & tunc liberè reuertetur ad hæreditatem suam.* Ecce Christus Dominus sua morte nostram libertatem coëmit, & vincula infelicitatis dirupit: vt iam non solùm eius vitæ deberemus salutem; sed & morti libertatem.

Truculentis liuidæ æmulationis furoribus in crucem actus pendebat Dominus, cùm latro ille ipsa calamitate fortunatissimus, quia sup- 60.

Tertull. *Famæ æternitas doloribus emitur.*

Valer. Max. *Decius proprio discrimine saluti attulit patriæ.*

Senec. *Voluptates non solùm euanidæ; sed tristes sunt.*

Virtus sudore & sanguine colenda est.

Hugo.

plices

plices nequibat tendere manus, cordis Domino sacrauit affectus: sic dignè de Deo præsumpsit, vt memoriam solùm exigeret, quasi eadem sit actio misereri, & recordari: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Quid tunc pientissimus Dominus? Paradisum offert, & antiquam hominum sedem restituit: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Quærunt interpretes, cur non dixerit; in cælo; sed, in paradiso, quandoquidem eadem die dignatus est beatitudine cælesti latronem: magnificentius quidem donum videbatur olympus: cur ergo liberalitatem suam obscurat, dum angustiori nomine appellat? *Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiso.* Repete quæ ob culpam homini acciderint: paradiso depulsus est: orbi pellitus datur; quippe deliquerat: morte ergo Summi Pontificis ad antiqua gaudia reuocatur, vt nouerint homines de Christi sanguine humanam felicitatem florere, iámque ipsum exilium ab hominibus exulare. Adest Chrysostomus apud D. Thomam: *Expulit Diabolus de paradiso Adam: Christus latronem impulit.* Non poterat morte Summi Pontificis intercedente antiqua non recuperasse gaudia, & depulisse molesta; qui ob scelera damnabatur, sanguine redimebatur, vt iam de morte erumperet vita, & de horroris vtero stabilis nasceretur lætitia, dignóque ordine salus viperæ imitaretur naturam, quandoquidem soboles ingrata nascitur, cùm parentis vita finitur.

Lucæ 23. v. 42.

Chrysost.

61. Nec solùm Christi Domini pœnis deleta est culpa; sed ablata etiam felicitatis impedimenta. Audi Paulum ad Collossens. 2. *Cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo donans vobis omnia delicta, delens, quod aduersus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci.* Ne hominis præceps audacia, audáxque temeritatis insolentia in vetitum sibi auderet, Deus Cherubinum flammeo obarmatum gladio ante paradisi fores collocauit: rhomphæa illa hominem prohibebat, & necessum erat paradiseas exambienti delicias acres inuolare per flammas: has ergo Dominus sanguine effuso sopiuit, vt iam homo pœnis absolutus alienis sine vstione paradisum intraret: ita Hugo Cardinalis vbi suprà: *Ante mortem Christi nullus intrabat in hæreditatem suam, id est, in gloriam; sed in morte eius reserata est, & rhomphæa amota, quæ propter peccatum primi hominis obstruxerat paradisum.* Addit postea: *Donauit nobis Christus omnia delicta, delens, quod aduersus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci: chirographum, & flammeus gladius idem sunt, debitum scilicet pro peccato Adæ.* De Summi Pontificis morte pullulauit homini vita, & de effuso sanguine restincta est flamma, quo interiret pariter, & sceleris culpa & pœna. Nec solùm noxios hæc mors liberauit à culpa; sed innoxios etiam à pœna.

Ad Colloss. 2. v. 13.

Hugo.

62. Iustorum animæ in purgatorij ciuitate tenentur; securæ quidem ab inimicorum insidiis; sed non modicis adustæ molestiis: quo ergo elegantiori penicillo animarum libertas potuit depingi, quam si constaret sacerdotis morte à profugio illo securitatis educi, ad antiquásque lætas ac patrias sedes remitti? Qui in refugij ciuitatibus se tuebatur, non malitia grauiter; sed per humanam fragilitatem deliquerat leuiter, quandoquidé hominé non interemissent, si se vigilatiùs gererét, ac sollicitiùs: aliqua ergo obscurabantur negligentia, & deturpabantur ignauia, quam illo exilio luebant à suis remoti, & ad propria redeundi ardentibus desideriis adusti. Hanc ergo pœnam mors Sacerdotis auferebat, & antiquis sedibus exules collocabat. Rubus à radicibus vsque ad cacumen flammis inclusus Moysi obiicitur: significabat populi iusti apud Ægyptios refractarios molestias, ob admissum illud à parentibus flagitium, quando propriam naturam cauponati Iosephum miseræ tradiderant seruituti: Moysem Deus legat, quo manum miseris porrigat: ille imperium extrahere multimodis moliebatur, linguæ imperitiam, & vocis exilitatem opponens; verùm Deus, quo bonos illi animos faciat, certissimásque in spes educendi à flammis contribules erigat, baculum in terram proiici iubet, qui statim formam induit serpentis: *Versa est in colubrum:* virgam hanc in colubrum versam Christi Domini signare mortem testatur Isidorus in quæstion. in Exodum cap. 12. *Virga Moysi in draconem conuersa Magorum absorbuit virgas, & Christus post gloriæ suæ dignitatem factus est obediens vsque ad mortem, & per ipsam mortem carnis consumpsit aculeum mortis, attestante Propheta: Ero mors tua, ò mors, ero morsus tuus inferne.* Moyses flammis voracibus traditum rubum adspiciens non facilè putabat viriditatem seruandam; imò omnem floriditatem arbitrabatur prorsus absumendam; verùm de serpente ignis sopitus est, vt facilè crederet Dei morte pœnas illas prorsus abolendas, Hebræásque gentes ad lætas, commodásque sedes auolaturas: de serpentis pœnis pœnæ Hebræorum abscindebantur, & de morte colubri ignis sopiebatur effectus, quo iam detritis pœnis lætiora speraret iustus: Christus mortem passus rubum custodiuit illæsum, & qui viuens dracones absorbuit, virgâ leuatus draconum plagis salubri aspectu medicinam infudit: quo & viuus prodesset, & mortuus etiam proficeret.

Exo. 4. v. 3.

Isidor.

Senex quidam cataboliсorum antistes, cùm Dei prophetam mendaciis de industria coloratis fefellisset, in suo conditiuo sepeliuit, eiúsque cadaueri proximare post mortem voluit: *Tulit prophetes cadauer viri Dei, & posuit illud super asinum, & reuersus intulit in ciuitatem Propheta senis, vt plangeret eum, & posuit cadauer eius in sepulchro suo, & planxerunt eum: Heu, heu mi frater: cúmque planxissent eum, dixit ad filios suos: cùm mortuus fuero, sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est: iuxta ossa eius ponite ossa mea.* Morte viri Dei contra flammas protectus est senex, & Propheta, qui viuus regis manum restituerat sanitati, mortuus vel in seipsum audentem eripuit igni. Adest Lyra: *Posuit cadauer eius in sepulchro suo: quia tenebat pro certo quod verbum eius impleretur; & ideò cum eo voluit sepeliri, vt ossa propter illum remanerent intacta.* Nec illum sua fefellit opinio: nam cum Iosias catabolicorum ossa combureret (ait enim textus: *Tulit ossa de sepulchris, & combussit ea super altare*) cùm in hoc incidisset sepulchrum, prorsus reliquit intactum; imò reuerenter cultum: *Intacta manserunt ossa illius cum ossibus Prophetæ, qui venerat de Samaria.* 63.

3. Reg. 13. v. 29.

Lyra.

4. Reg. 23. v. 16.

maria. En de iusti prophetæ morte arcetur, ne exurat catabolicum flamma, & aufertur communi pœna: decebat enim Dei virum attulisse viuendo hominum infirmitati medelam, & moriendo auertisse flammarum mulctam. Ergo vsque ad Pontificis Summi obitum profugis exilium decernitur, & qui viuente à discriminibus seruati, à calamitatibus moriente in libertatem asserebantur educti.

§. XV.

Nullis incommodis parcitur, vt temporali consulamus saluti, cùm vel exiguis recusemus prouidere cælesti.

64. CAduca & nullius pretij terrena sic humanos sibi allexerunt affectus, vt in his seruandis, & adquirendis vel grauissimus deuoretur labor, nec laboris reprimat sudor: punctum est, quod ferro, & igni partimur, & quidem euanidum: vt voluptatibus adulemur, terra proscinditur, maris profundum turbatur, & de vltra peregrinas regiones caræ afferuntur deliciæ, quibus insanior inardescat appetitus, & ipsa difficultate irritetur gustus: nullis pudet corporis & animæ incommodis ambitioni inseruire, nullis difficultatibus saluti corporis prouidere, cùm tamen animæ salus pretio sit aut exiguo, aut nullo. *Ab auo*, aiebat Tertullianus aduers. Gnostic. cap. 7. *dignissimum creditum est studiorum experimentum committere artes, corporum & vocum præstantiam expendere premio iudice, spectaculo iudice, sententia voluptate: qua nulla sunt prælia, nonnulla sunt vulnera: pugni quassant, calces arietant, cæstus dilaniant, flagella dilacerant; nemo tamen agonis præsidem sugillauerit, quòd homines violentiæ obiectet.* Ecce voluptatis veneficio nulla videntur vel vrgentissima prælia, extima putantur vel altissima vulnera. Iam cuius causa hæc omnia delusi homines non solùm patienter perferant; sed ardenter exambiant, audi à Septimio: *Quantum liuores illi, & cruores, & vibices negotiantur, intendis, coronas scilicet, & gloriam, & dotem, priuilegia publica, stipendia ciuica, imagines, statuas, & qualem potest præstare sæculum de fama æternitatem, de memoria resurrectionem.* Exponunt audacter vitam, vt æternum conseruarint memoriam: carò emunt resurrectionem vmbratilem, cùm oblatam minori pretio respuerint veram. Saluti consulitur, lætitiæ ac voluptatis sæpè dispendio; cùm tamen res corporis somnia sint; res animæ veræ. Qui hominem præter intentionem occiderat, olim ad refugij ciuitates recurrebat, intra quarum mœnia ita continebatur inclusus, vt nec referre pedem liceret: nam quantumuis sanguinem innoxiè fudisset, occidi poterat extra murorum orbem inuentus. Itaque ibi degere compellebatur à patria, charisque seiunctus vsque ad Pontificis summi obitum: *Stabit in ciuitate illa, donec stet ante iudicium causam reddens facti sui, & moriatur Sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore.* Honesta homicida detinebatur custodia, nec licebat ciuitatis egredi mœnia; hæc tamen omnia non inuitè sustinebantur, vt vitæ temporali prospiceretur: magna quidem homini molestia à charis pignoribus abiungi, à

Tertull. *Voluptas sæpè de vitus dicit sententiā.*

patriæ ac diuitiarum commodis separari, ac terminis angustissimis contineri; verùm amor vitæ omnia ista leuabat, & patienter ferri suadebat: *Cùm aliquis occisor inuoluntarius confugisset ad loca ista*, scribit Abulensis quæst. 6. *& ventilaretur causa de homicidio; si absolueretur, reducebatur per sententiam in vrbem, ad quam confugerat, & manebat ibi vsque ad mortem summi Sacerdotis; si autem aliquando extra loca ista reperiebatur, poterat impunè occidi.* Itaque qui mortis à se auertere gestiebant periculum, extra vrbis non progrediebantur spatium, & ne temporali orbarentur vita; omnia vitæ respuebant commoda: vt virtutis asseclas de obseruantia illa confundant, quando ignauè geritur virtutis studium, cùm vitæ ematur plurimis incommodis tutamentum.

Abulens.

Sunamitidi illi ob pietatem suam decantatissimæ filium mors immatura præcidit: mater irremedialibus lachrymis filium lugebat, & cùm sponsum cogitaret, monumentum inuenit: nuptialem stolam ei adornare gestiuerat, cùm fasciis sepulchralibus illum circumplecti necessum fuit: prophetam adit mulier, inscendit montem, profert singultibus casum, & solicitat puero remedium: *Profecta est igitur, & venit ad virum Dei in montem Carmeli.* Mortis causam sciscitatur Seleuciensis Basilius orat. 10. asseritque ob peccatum figuratè accidisse: *Erat ille mortuus*, inquit, *vi peccatorum.* Et cur mater medelam apposuisse non referatur crimini, quæ adeò anxiè remedium quæsiuit morti? Nullum recusat laborem, montes obit, nec locorum difficultatibus deterretur: vitam emit lachrymis, quæ faciliùs auertere potuisset interitus causam: & cur quæ solicitis adeò votis puerum exoptat viuere, vel lentè non prohibuerit peccare? Ipsa quæstio solutio est: quia alibi de corporali agebatur vita, alibi mortem sustinebat anima, & quæ viscera dolore adusta instillauit in lachrymas, vt acquireret vitam; nec verbum legitur protulisse, vt à filio arceret culpam: id enim hominibus est ingenium, vt quidquid ad animæ salutem spectat, contemnant ignauè; quidquid ad corporis, requirant solicitissimè. 65.

4. Reg. 4. v. 25.

Seleuc.

Naaman Syrus ille Elisæum prophetam adit, quò à lepra curetur, nulli labori parcit, nulli sumptui: septies in Iordane iubetur ablui; & quamuis initio indignanter audierit mandatum, exequitur tandem præceptum: *Descendit, & lauit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri, & mundatus est.* Vides Naamanum exambisse salutem: transi ergo cogitatione ad scribas & Pharisæos, qui baptismum Ioannis sic renuerunt admittere, cùm non esse de cælo expauerint respondere: *Baptismus Ioannis de cælo erat*, rogat illos Christus, *an ex hominibus? respondete mihi: at illi cogitabant secum dicentes: si dixerimus de cælo, dicet: Quare ergo non credidistis ei?* Ecce ex illorum confessione constat aquis metuisse tingi, vt pœnitentiæ amplecterentur baptismum, cùm Naaman non recusarit septies ablui, vt infirmitatis inquisisset remedium. Et cur Pharisæi respuant satis vicinis Iordanis fluentis accedere, cùm Syrus adeò dissitus studuerit properare: Facilis equidem responsio est: Ioannis baptismus spectabat ad virtutem; Naamani ablutio corporis tendebat ad sanitatem: ideò Syrus longam non recusat viam, cùm Hebræus nec 66.

4. Reg. 5. v. 14.

Marc. 11. v. 30.

exiguam voluerit perambulare distantiam: nullo ferè incommodo virtutis acquiritur lucrum, magnis sumptibus, & laboribus quæritur ablutionis remedium; sed nullæ valuerunt properantem difficultates arcere Syrum, cùm baptismi commoda non valuerint allicere Pharisæum.
Chrysost. Adest Chrysostomus in Psalm. 43. *Naaman erat quidam Syrus: eum cùm lepra inuasisset, & propter eum morbum erubesceret, vt qui in maximo periculo versaretur, venit in Palæstinam volens à Propheta liberari hoc malo.* Venit Syrus longo itinere fatigatus, non venit Hebræus Ioannis vocibus ferè compulsus: recusauit alter exiguos ad virtutem ponere gressus, cum alter non dubitarit longissimi itineris conficere cursum: adeò plurimi corporea æstimatur salus, adeò minimi salus æstimatur spiritus.

67. Imprudentes illæ virgines Sponsi nuptias præstolantur; sed vsque ad dimidium noctis
Matth. 25. v. 6. moras trahente Sponso somno indulserunt: *Media autem nocte clamor factus est, ecce Sponsus venit, exite obuiam ei:* excitæ clamore resurgunt, oleo vacua, splendoribus orbæ: à mora prætendunt excusationem, quasi & oleum fuerit insumptum, & humana fragilitas adeò longum sustinere absentiæ nequiuerit tædium: vides Sponsas Dei aduentum præstolantes ante noctis medium dormitasse, cùm diues ille epularum delicias, ac salutis commoda tractans non dormierit; sed ipso lectulo vigilarit:
Lucæ 12. v. 19. *Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare:* dormiunt virgines necessariis ornatibus destitutæ, non dormit diues voluptatibus studens, & diuitiarum inhians incrementis. Quàm dissimilis causa dissimili tractatur studio: diues vigilat, qui honestè dormiret; Sponsa dormit, quæ honestissimè vigilaret: illa vsque ad dimidium noctis vtiles noluit extendisse vigilias; hic tota nocte insomnis voluptatis architectatur fallacias. Hac nocte repetunt à te animam tuam. O quàm inertes vel ad noctis dimidium non sunt præstolatæ Sponsæ, quàm tota nocte curis versẽrũt insomnem corporis fugaces deliciæ. Adest
Gregor. Gregorius lib. 15. moral. cap. 13. *Mens auari, quæ priùs ex abundantia requiem quæsierat, post ad custodiam grauiùs laborabat.* Insomnis laborat, vt incrementet diuitias, vt gustus nouo artificio condiderit nouas fallacias: nec capit somnum quia suspirat diuitiarum crementum, cùm Sponsæ ipsa somni inertia Sponsi depretiauerint thalamum.

68. Cùm rex filio nuptias parasset, hominémque sordidum inuerecundè recumbentem vidisset, digna sufflammatus irâ detrudi iussit
Matth. 22. v. 13. ad tartara: *Ligatis manibus, & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & stridor dentium.* Videt infelix se peccatorum vinculis illigari, ac ad gehennales ardores detrudi; nec tamen improbum rumpit silentium, quo precibus arceat supplicium: *At ille obmutuit:* in magno quidem discrimine versabatur; nec tamen sibi consulit, cùm facilè potuisset nuptiarum patrocinio veniam impetrare. Aliter rationem redditurus aduentat; imò non aduentat voluntarius; sed trahitur, vt rationem reddat inuitus:
Matth. 18. v. 24. *Oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta; cum autem non haberet, vnde redderet, iussit eum dominus eius venumdari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi.* In graui periculo constitutus, ne filios, vxorem, & sibi charam libertatem amitteret, ingeniculatus, ac supplex precatur veniam, & se ferè immensam redditurum promittit summam: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Expendamus cur alter noxio labia sigillet silentio; alter verò lachrymis obuiarit periculo: ipsa materies affectus nobis designauit discrimen: ne liberi pereant, ne vxor grauem aliquem laborem subeat, ne libertatis, auctoritatisve nubilata obscuretur gloria, alter adsciscit precum ac lachrymarum suffragia: quia verò alteri gehennale minabatur supplicium, noluit rupisse silentium: vel leui orationis sumptu animæ non discupiuit salutem, cùm alter lamentis, precibus, ingeniculationibus sibi, & liberis coëmerit libertatem. *In* Rhemig.
hoc vero, quod dicit, scribit Rhemigius apud D. Thomam: *patientiam habe in me: vox exprimitur peccatoris poscentis tempus viuendi.* Vt vitæ temporalis protraxerit tempora, recurrit hîc ad suspiria: tacuit ille, & tenebris nunquam lucis splendoribus illustrandis tradendus non cogitauit tormenta.

Apostoli certiores à pientissimo magistro 69.
facti de appetenti tentationis periculo sic ignauia, pigritiáque resoluuntur, vt oculos inerti tradiderint somno, cùm proditor ardentiùs, ambitiosiúsque execrando incumberet ministerio: magister, quia illum non minus solicitabat gregis, quàm cura salutis, semel & iterum excitat, ne tentationis adsultus ignauos ac somno resolutos miserandis casibus tradat: *Venit iterum, & inuenit eos dormientes:* Matth. 26. v. 43.
vides vrgenti tentationis periculo somno inertissimo prægrauari; vide illos solicitè anxios, & anxiè solicitos cùm tempestatis seuerior vrget procella, & periclitatur scapha: venti insaniunt, nauis fluctibus obruitur, cùm Dominus super ceruical dulces capiebat somnos. Quid tunc? celeres inuolant, & magistrum excitant: *Erat ipse in puppi super ceruical dormiens, & excitarunt eum, & dicunt illi: Non ad te pertinet quia perimus?* Marc. 4. v. 38.
Semel excitari satis est, vt magister illis subueniat; non satis est, vt discipulus sibiipsi prouideat. Sed inquiramus cur hîc adeò anxiè inuolarint; ibi verò inertes adeò dormierint: si hîc procella exagitatis verum confugiunt ad portum, cur ibi tentatione impetiti non arripiunt vigiliarum, & orationis remedium? Quia hîc periculum minabatur vitæ, ibi animæ: & apud homines animæ contemnitur detrimentum, vitæ verò temporalis exambitur ardentissimè cõmodum. Seleuc.
Adest Basilius Seleucensis orat. 22. *Vocem ingeminat animi perturbatio, & timorem arguit oratio: Salua nos, perimus: tu solus nobis salutis spes.* Ecce orant, vbi naufragio perire timent; at vbi animæ periculum, vbi derelinquendi Dominum, negandíque discrimen, non ingeminant voces nec ostendunt incolumitatis studium; sed periculosum sibi conciliant somnum: res namque corporis eximia geruntur cura; animi verò inertissima tractantur ignauiâ.

§. XVI.

§. XVI.

Rigidius superioris obseruantiæ, & clausuræ studium, etsi aliquando displiceat, in subiectorum euadit commodum.

70. QVi humanis adulatur affectibus, non semel aduersatur virtutis fructibus: exambiunt homines sibi nociua, respuunt salutaria: appetitionis noxiæ sufflammantur insania, & sufflammati cultioris respuunt iustitiæ obsequia; verùm austerioris disciplinæ, & rigidioris cautelæ horrorem excusare debuisset fructus; imò & commendare religiosus superioris affectus: vlulat infirmus inter medicas manus sæuis doloribus lancinatus; sed largè posteà remunerat antiquæ corporis valetudini restitutus. Ita Tertullianus aduersus Gnosticos cap. 5. *Horrorem operis fructus excusat: vlulans denique ille & gemens, & mugiens inter manus medici postmodum easdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & sæuas iam negabit.* Sæuas infirmus criminabatur medici manus de scalpello, de cauterio, de sinapis incendio: erat namque inuri & extendi carni molestum; sed medicus contemnit iniurias: quia scit tormentum fore sanitati commodum; nec opus recusandum, quia contristarit; sed adhibendum, quia vtiles dolores attulerit. Idem testabatur Seneca de prouidentia cap. 3. *Pro aliquo esse miraberis quosdam ferro & igne curari, nec minus fame ac siti... Hoc vtique patieris probari tibi quædam incommoda pro his esse, quibus accidunt, tam me hercules, quàm quædam, quæ laudantur, atque appetuntur, contra eos esse, quos delectauerunt.* Optimus medicus morbis quasi de peruerso auxiliatur: sitim siti macerat, oris amaritudinem amaritudine compescit, & pares quodammodò adhibet medicamentorum querelas aduersus infirmitatum iniurias. Sitibundus infirmus & ardoribus vstulatus negari sibi frigidam querulus causatur; qui verò negat, illius solicitat commodum, non tormentum; adhibet tamen sitis tormentum; quia scit de tormento salutis oriri commodum. Hanc nobis philosophiam expressit Numinis prouidentia, cùm ciuitates iussit destinari, quibus inuoluntarij occisores protegerentur; ea tamen lege, vt nullatenus extra murorum orbem referrent pedem; alioquin hostili mucroni manebant expositi, & persequentium furoribus imprudenter obiecti: *Habitabit in ciuitate illa, donec stet ante iudicium causam reddens facti sui.* Intra mœnia profugus clauditur, à senioribus vel muris tantisper excessisse nullatenus permittitur; verùm eo arcta tendit custodia, vt à persecutoribus seruetur illæsus, & à discriminibus custodiatur intactus: dum intra mœnia, fugit periculum, dum extra murorum orbem, vltoris sibi solicitat ferrum: claudi, angustis arctari limitibus humanæ vitæ sane molestum; erat tamen in effusioris sanguinis commodum: ideò grauitate virtuteque venerabiles senes ardentem ætate iuuenem foras se non patiebantur proripere: quia satagebant studiosa charitate tueri: *Quilibet propinquus*, scribit Abulensis quæst. 14. *occisi vocabatur vltor sanguinis: quia illi dabatur vltionis expetitio siue iud. cialiter, siue iure proprio, si comprehendere posset occisorem extra locum refugij.* Locum habitationis præbent, exire non permittunt; sed dum prohibent egressum, nituntur appetens arcere periculum: *Quia sic esset fraus*, præmiserat Abulensis (scilicet ni retinerent) *& daretur occasio mortis istius, coguntur iudices vrbis dare ei locum in ciuitate refugij.* Intra mœnia continere non suadebat asperi ingenij duritia; sed charitatis monebat flamma: nam intra ciuitatis mœnia versabatur securus, qui extra periculis subiaceret expositus. Ergo dum arctiorem imperant clausuram, arcent discriminum contingentiam.

Tertull. *Horrorē operis fructus excusat.*

Senec. *Plurima cōtra ipsos, quos delectauere, sunt.*

Abulens.

Naxera in Iosue Tom. 4.

71. Isaacus post longam parētum expectationem ad charitatis explorationem deposcitur: commendauerat fidei ac spei constantiam post tempora diuturna concessus; necessūmque fuit, vt etiam ad charitatis elogium aram citissimè coronaret oblatus: Deus cædem imperat, neque cædis locum notum facit: montium producit numerum capiens morum specimen: non exhorruit deuotissimus pater ad eam præcepti vocem; non ingemuit animus vocis percussione contractus; sed hoc iussisse Deum lætabatur deuotior; & festinabat implere lætior: de filio hostia parabatur; celeri pede itur in montem; ara de rudi cæspite construitur, & puer strui lignorum imponitur; non tamen manibus ac pedibus liberis; sed arctissimis vinculis illigatis; *Cùm alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altari super struem lignorum.* Gen. 22. v. 9 Profectò rigidus nimis videatur pater, cum citò iugulandi manus & pedes constringat: nónne grande erat facinus puerum vernanti iuuentutis flore innocentem gladio præbere ceruicem, quin ligatura subiecta dolore affecerit pedem; nec manus, nec pedes extendere fas adhuc mortis doloribus concitato: & quidem nimia videbatur seueritas sic pedes manusque dure constringere, vt nihil puero liceret: cur ergo deuotissimus Abrahamus sic rigidus ad speciem, sic inhumanus? O deprædicandam senis prudentiam! pedes manusque prementibus fasciis ligat, non vt asperrimo adulетur ingenio; sed vt puerum custodiat omni illibatum delicto. Non ligatur puer ad ligantis gaudium; sed ad ipsius pueri commodum: esset enim luctu dignum, ac miserandum, si postquam religiosis florentem ætatis lanuginem obedientiæ deuouisset obsequiis, si postquam molestiis pergrauatus ascenderat lignis, celebre adeò facinus commissis adulterasset peccatis: igitur, ne improuida tantùm sacrificium obscurarit offensa, manus ac pedes religiosa constrinxerat ligatura. Adest Zeno Veronensis ser. 2. de Abraham: *Traduntur tenera adhuc vinculis manus, & ne quid minus ab hostia videretur, pedem ligatura distringit, ne incitata victima displiceret.* Zeno. Si puer pedem, aut manum improuidis certè motibus extra aram iactasset, sacrificium imminuisset: ergo dum solicitus ligat pater, repellit prouidenter offensam, non intendit grauem doloris angustiam: ligari vtile erat Isaaco tormentum, quandoquidem gloriosius reddebatur abacto discrimine sacrificium. Nec dissimilia videas non solùm Religiosis; sed filiis etiam ac filiabus in parenrum domibus accidisse: prohibent sæpè illos gressu, continent, laboribus onerant; sed quod ad speciem videbatur querela, est ipsis molestiam passis salutaris industria: carent non semel optatis; sed carent etiam delictis. Si Isaacus liberos pe-

des ac manus posset iactare, posset forsitan displicere; ligatus verò integra sacratur victima: quia nec leuis sacrificium temerauit offensa.

72. Moyses vt diuini amoris ardentissimis flammis adurebatur, Dei faciem videre ambitioso desiderio deposcit: *Si ergo inueni gratiam in* Exod. 33. v. 13. *conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te.* Deus familiarissimi precibus inclinatus omne se illi bonum ostensurum promittit: faciem verò negat, vt mortis periculum arceat: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet:* vltra humanarum virium metas Moyses religiosum extendit votum; Deus verò vtpotè liberalissimus, viribus attemperat visum: quid tunc? In petræ foramine Moysem circumscribit, & rupe quodammodò sepulto tergoris gloriam ostendit: *Ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam, tollamque manum meam, & videbis posteriora mea.* O beneficium de largientis austeritate quodammodò adulteratum! Cur Moysem angusta circumscribat cauerna? Cur petræ foramine constringat, & quodammodo inhabitare sepulchrum cogat? Nónne poterit Moyses hoc beneficio frui extra rupis scissuram, ne arctissimi loci pati cogatur molestiam? Certè rupe includi sic homini asperum, vt ingratum, si fas est dicere, visionis reddiderit beneficium: ergo Dominus fauoris gratiam non dedecoret angustando, si commendare potest liberius habitaculum permittendo. O sapientiam immortalem! de ipsa habitationis substrictione beneficium cumulatius adornat, quandoquidem mortis periculum fugat. Si Moyses libera facultate diuagaretur, forsitan vltra quod homini fas, auderet, mortémque audaciæ supplicium incurreret; petræ scissura constrictus ea solùm videre potest, quæ videnti attulerint gloriam, non quæ criminis conciliarint offensam: petrarum ergo scissuris includi non erat asperrimi iubentis ingenij rigor; sed parentis indulgentissimi fauor: angustabatur Moyses inclusus; sed à mortis periculo asseruabatur exemptus. Adest Nyssen. Gregorius Nyssenus apud Lippomanum: *Qui ducentis faciem videt, ducenti oppositus est: cùm ducens bonus sit, ipse malus est: contrarium virtuti vitium: quare Moyses non ex opposito conspicit Deum; sed tergum eius respicit: nam qui ex opposito Deum aspicit, non viuet, vt vox diuina testatur: Non videbit, inquit, homo faciem meam, & viuet.* Temporali, æternæque Moysis saluti tunc ex Nysseni sententia prouidit Deus, cùm loci angustia constrinxit, & opposita manu è foramine egressum vetuit: mortem incurrisset, si liberioribus oculis lucem spectasset. Itaque ad Moysis commodum decernitur capacitas loci substricta, ne vitæ incurrerit detrimenta.

73. Terminos supergressa hominum exundans malitia diuinam iram coëgit, vt cataclysmi confusis voluminibus libidinis restingueret flammam, & nouam mundo faciem induceret: cæli aperiuntur cataractæ, vt diluuium improbitatis fluctuum diluuij vorticibus deteratur; verùm cùm Deus vel in ipsa furoris indignatione sibi innatam nequeat non recordari pietatem, arcam iubet compingi, in illaque Noë, & Gen. 7. v. 1. familiam eius includi: *Ingredere tu, & domus tua in arcam: te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* Iusto angustus locus decernitur, cùm iniustis laxior locus permittatur. Noë de foris clauditur, & ab ipso Solaris claritatis splendore arcetur, quod grauissima videtur pœna, & homini ingenuo angustia: fontes claudantur carcere, illigentur vinculis; iustus verò laxis diuagetur spatiis; imò vt Noë laxioribus posteà diuagetur spatiis; arcæ modò constringitur vinculis; ne extra arcam vagantem rapidi inuenirent torrentes, includitur, & deforis obseratur. O quàm nociua tunc illi diuagandi licentia, quàm fuit salutaris custodia! Inclusus rapidis dominatur fluentis; extra arcam crebris iactaretur periculis: in Noë commodum vergit angustis arcæ limitibus contineri: magnum namque detrimentum illi attulisset vagari. Itaque Deus, dum deforis claudit, ingens beneficiũ impertit. Adest Ambrosius apud Lippomanum: *Claudenda fuit arca, & tuto sepienda munimine, ne ea vaga diluuij fluenta penetrarent.* Dum arcam clausit, periculum omne abegit. Imò Origenes qua ingenij pollebat dexteritate, animaduertit eam Noë arcæ partem adscribi, quæ angustior, & altior: *Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ,* iubet Deus, *quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius: fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius.* In cubito consummatur, & hic cubitus Noë habitationi deligitur. Adest Origenes hom. 2. in Numer. *In arca, quæ à Noe constructa est, vbi mensura cælitus dantur, in inferioribus trecentorum cubitorum ponitur longitudo, & quinquaginta latitudo; vbi verò textus eius ad altiora consurgit, in angustum cogitur, & paucorum cubitorum conclusione colligitur, ita vt summitas eius in vnius cubiti spatium consummetur.* Attende sequentia: *Proptereáque in inferioribus quidem, vbi lata & spatiosa habebantur loca, vel bestiæ, vel pecudes erant collocatæ; in superioribus verò aues; in summis autem, quæ angustiora, & altiora erant, ibi homo rationalis collocatur.* Dum Noë angustior, & à fluctibus est remotior: si laxior viueret, fluctibus esset proximior, à syderibúsque distantior: illum igitur Deus in angusto collocat vertice, quò longior destiterit à discrimine: plus illius vtilitati prouidetur, cùm locis arctioribus collocatur.

Ambros. *Omni diligentia curandum ne discrimini aditus pateat.* Gen. 6. v. 15.

In culmine semper diuersas angustias.

Loca pro dignitatibus dispensanda.

---

§. XVII.

Criminis suspicio, quantumuis examinis seueritate detersa, aut famam denigrat, aut vitæ commoda angustat.

PLerumque *suspicionibus laboramus*, aiebat Seneca epist. 13. Non solùm laborat, qui 74. Seneca. *Suspicionibus laboramus.* prurienti malignitatis ingenio pessima credit, & in deteriorem semper interpretationem omnia detorquet, aut ille etiam, qui absque causa, aut leuissima saltem venit in suspicionem; sed ille, quem vel falsus rumor obscurat; imò audax malignitatis temeritas dehonestat. Crimen falsò illi per calumniam obiectum est: inuidus æmulationis oculus, quod non erat, cæcè vidit: omnia examinis rigiditate aduersus proteruam calumniantium malitiam constat falsissimò impacta; verùm suspicionis nota nunquam sic penitus abrasa est, vt non infuscet famam, aut commodis

Non est satis pudica de qua quaeritur, an pudica sit.

commodis priuet vitam. *Nulla satis pudica est,* scribit Seneca lib. 1. controuerſ. controuerſ. 2. *de qua quaeritur.* Itaque ipſa dubietas, ipſa de moribus quaeſtio eſt famæ nubilum, & vitæ non ſemel incommodum: hæret altiſſimè oblocutorum, & audientium animis vel falſa de aliis opinio: illam non coarguunt; ſed citiſſimè, tenaciterque iniquæ de alio opinioni accedunt; & quia ferè ſemper peruerſa hominum natura incommodis lætatur alienis, rarò admiſſum ſemel expungit iudicium, ſi in alterius laudis vergat incommodum. *Abſit à noſtris temporibus,* aiebat Caſſiodorus 11. variar. 9. *vel nimia credulitas læſionis: reo iam vicinus eſt, qui malus putatur: quia tunc aliquid perſuadetur animo, cùm intrauerit pectus apta ſuſpicio:* verùm; ſed parum dixit: non ſolum aliquid perſuadetur animo, cùm intrauerit pectus ſuſpicio apta; ſed cùm vi etiam intruditur ineptiſſima: ferè nunquam antiquo famæ nitori redditur, qui aliquando malus putatur: nam quamuis æqua iudicij ſeueritate penitus iniquæ ſuſpicionis temeritas conuincatur, adhuc illa ſuſpicionis iniurioſa dubietas à ſemel ſuſpicante nunquam detergitur. Ciuitates refugij pro inuoluntariis percuſſoribus conſtituuntur: citatur ad tribunal percuſſor, & licèt conſtet nullo odij fomite ſtimulatum, nullo malignitatis liuore aduſtum homicidium perpetraſſe; imò cæco caſu inculpabiliter occidiſſe, vſque ad magni Pontificis obitum cogitur à propriis exulare, & refugij ciuitatem incolere: *Habitabit in ciuitate illa, donec ſtet ante iudicium cauſam reddens facti ſui, & moriatur Sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc reuertetur homicida, & ingredietur ciuitatem, & domum ſuam, de qua fugerat.* Priùs cauſa ſeueri examinis iudicio diſcutitur, & quamuis conſtet homicidium non voluntatis crimine; ſed per humanam fragilitatem accidiſſe, nihilominus poſt iudicum abſolutionem homicida à ſuis compellitur exulare. *Si abſolueretur,* inquit Abulenſis quæſt. 4. *ab impetitione accuſatoris, reducebatur per ſententiam in vrbem, in quam confugerat, & manebat ibi vſque ad ſummi Sacerdotis mortem, & poſteà liber erat.* Exul & à propriis degebat abiunctus: quia nota criminis fuerat aliquando incuſatus.

Caſſiodor.

Reo eſt vicinus, qui malus putatur.

Abulenſ.

75. Suſanna fœmina illa fœminarum decus, gloria pudicitiæ, quæ fœminas caſtitatis ſuæ inſtruxit, & nobilitauit exemplo, ad adulterium inopinè circumuenitur: multiformes prodigioſis libidinis flammis aduſti ſenes pudicæ venuſtati tetenderunt inſidias, diuerſis calumniarum generibus factioſas obiiciunt cauſas; ſed honeſtatis alumna maluit criminis tuliſſe infamiam, quàm illæſa fama admiſiſſe criminis culpam, & temeraſſe conſcientiam. O quid non excogitet peſtilens homo flammis cupiditatis aduſtus, aut impotentium deſideriorum confuſis vorticibus agitatus? Quid non machinetur diabolus, vt pudicitiæ ſubruat fundamenta, & eximiæ virtutis malignitatis vmbris deleuerit exemplaria: ad iudicium trahitur, & rei ſententiam proferunt iniuſtiſſimam: perditorum iudicum ac ſimul falſorum teſtium oppreſſa damnabatur mendaciis, quæ bonis conſcientiæ erigebatur ſecretis: ſtabat non tam rea ſuſceptura ſententiam, quàm triumphatrix pudicitiæ adepta victoriam. Operta venerat plus cupidorum timens oculorum ſcandalum, quàm falſi expauens delicti ſupplicium: *Iniqui illi iuſſerunt, vt diſcooperiretur: erat enim cooperta.* Iam caſtitas damnabatur, iam triumphabat ſalacitas, iam ibat ad ſupplicium non adulterum corpus; ſed quod protexerat virtus, & ornabat pudor illæſus, cùm Sanctiſſimus Daniel plus, dum armatur in iudices, miles ſtrenuus, quàm dum feras reprimit falsè accuſatus, populum citat clamoribus ad iudicium: ſtupet cœtus quòd iudicij ad iudicium iterum reuocetur, falſos teſtes pauor inuadit, diaboli commenta nudantur, triumphat veritas, & libidinem glorioſè deuincit caſtitas: *Saluatus eſt ſanguis innoxius in illa die.* Rogat Tertullianus lib. de corona militis cap. 4. an exinceps decorem innubilauerit velo, & obſcurauerit Suſanna decenti nubilo: reſpondétque ſemper in poſterum inceſſiſſe velatam, vt doceret poſt victoriam etiam timendum, nec ſatis eſſe ſimul triumphare; imò neceſſum prouidè in poſterum præcauere: velata inceſſit: nam quamuis pudor examinis ſeueritate de mendaciis triumpharit illæſus, non potuit non velamen aliquod poſteà habere: quia fuerat ſemel à falſis teſtibus accuſatus. *Hic velamen arbitrij fuit: rea venerat erubeſcens de infamia ſua meritò abſcondens decorem, vel quia timens iam placere. Cæterùm in ſtadio mariti non putem velatam deambulaſſe, quæ placuit: fuerit nunc velata ſemper.* Infamis illa ſuſpicio, vtpotè iudicio expuncta non potuit famam adurere; prudentiſſima tamen Suſanna faciem veli integumento abſcondit: quia ſemel auſa malignitas decorem aliquomodo, etſi falſis criminationibus, obſcurauit: *Fuerit nunc velata ſemper.* Suſpicionis notam circumfert ſemper; ante ſuſpicionem in mariti ſtadio facie ambulauerat libera: quia pudicitia nec falſis præſumptionibus læſa; modò vero velata incedit: quia aliquando ſuſpicio etſi iniquiſſima aduſſit.

Dan. 13. v. 52.

Tertullian.

David plurimis, ingentibuſque Saulem obſtrinxerat beneficiis; inuidus tamen ipſis obſequiis ardentiùs inflammabatur ad odium, & furebat ad delirium: neſcio in quam deuenerat ſuſpicionem, quam aulici iniquis obtrectationibus confouebant inuidentiæ propriæ adulantes, & amentiæ regis ſeruientes. David exulare cogitur; verùm cùm hoſtis in eius aliquando manus incidiſſet, curatoris munus egit, & à ſatellitum furoribus liberauit: chlamydis fruſtulum in argumentum fidelitatis præciſum oſtendit, quò opinioni ſuæ conſuleret: *Cùm præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te: animaduerte, & vide quoniam non eſt in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te.* Saul claris adeò fidelitatis argumentis conuictus Dauidis innocentiã exerta voce fatetur: *Iuſtior tu es, quam ego: tu enim tribuiſti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala.* Claruit contra factioſas cauſas fidelitatis innocentia: reſplenduit vel cæciſſimo odio charitatis eximiæ flamma: ipſe aduerſarius ſibi imputat crimen, & ſuſpicionis iniquiſſimæ largiſſimis lachrymis culpam delet. Quid tunc? Adhuc David immoratur deſertis, & montium cogitur exulare præruptis: *Abijt Saul in domum ſuam, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.* Et cur modò montium quæſierit profugium, qui innocentiæ ab ipſo aduerſario adeptus eſt teſtimonium: Si Saul antiquam ſuſpicionem

76.

1. Reg. 24. v. 12.

fusis non deleuisset lachrymis, nil mirum Dauid, quamuis innoxia fidens conscientia, confugeret ad præruptorum asyla; modò verò tutiora petiisse prudentiæ videtur iniuria, aut nimia timoris ignauia; imò maxima Dauidis comprobatur prudentia: innocentiæ suæ indubium protulerat testimonium; verùm quia iniquis semel suspicionibus impetitus, montibus degit vitæ commodis viduatus: non poterat redire ad propria: quia illum vel detersæ suspicionis abigebat offensa. Ita Chrysostomus hom. de Dauid & Saul. *Erga eum, qui animam impendit, vitam dedit, quæ poterat esse iusta suspicionis causa? Venit in suspicionem, & insidijs appetitus est.* Opportunior thesi noster Sanctius: *Etiamsi illum domum redeuntem videret, & ab spelunca recedere, vbi cum socijs proximè latuerat; non tamen putauit ibi se futurum esse tutum: quia dæmonis, qui iam Saulem obsidere cœperat, nullas credebat inducias insidijs carere: tutiora igitur quærit diuerticula, & relicta terra, vbi laqueis est, & foueis opportunus locus, altiora conscendit.* Adhuc comprobata clarissimè fidelitate timuit, opúsque illi fuit vitæ commodis carere: quia indignis suspicionibus contigerat obscurari: quod adeò est frequens, vt si aliquando post confictam iniquè, post elaboratam malignissimè suspicionem fama permanserit integra, nec litura aliqua denigrata, non humano sit tribuendum arbitrio; sed prouidentiæ cælestis arcano.

Chrysost.

Sanctius.

Peruersi nonnullas iniustis aliquando concedunt inducias, vt securiùs intulerint plagas.

77. Christus Dominus quia eximiis dotibus popularem promeruit plausum, ardentissimum Pharisæorum promeruit odium; vti reum mortis deferunt ad Pilati subsellia, ibique varia figmenta opponunt, & mendacia varia confingunt: dicunt proditionem animo cogitasse, regalemque coronā deserto ambiisse: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Causam præses discutit, solicitè examinat, seque nullam causam; sed pura commenta inuenisse fatetur: *Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis quia nullā inuenio in eo causam*: iudicio constat captiosas esse inimicorum insidias, & nihilominus titulus cruci affigitur ea intentione, vt vulgarit omnibus petulantiam, & ambitionis amentiam: *Rex Iudæorum*: plus potuit ad denigrandam famam malignitatis suspicio, quàm ad tuendam iudicialis examinatio, verùm cùm titulus ille, quia fauere videbatur honori, æmulis displicuisset, iterum ad præsidem inuolant, ac in exarando titulo oscitantiam criminantes accusant: *Noli scribere, Rex Iudæorum; sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum*; verùm Præses, quia nimiam Pharisæorum censuit audaciam, aut quia delere titulum auctoritatis suæ suspicatus est notam, nullis precibus potuit adduci, vt regnum Christi de titulo tolleret: *Quod scripsi, scripsi.* Christi Domini honor variis ambitionis suspicionibus in iudicio impetitus est: iudex protulit omnino innoxium; ea tamen est vel iniquæ suspicionis ad denigrandam famam efficacia, vt miraculo quodammodo dandum sit, quòd titulum sugillatiua non obscurarit litura. Mira res: post suspiciones, quantumuis falsitatis apertè reas, honoris decorum non obscurasse lituræ nubilum: cùm ferè semper iniqua opinio aut vitæ adusserit gloriam, aut infuscauerit famam. Adest Chrysostomus apud D. Thomam: *Dicebant Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorum; sed, quia dixit: Rex sum Iudæorum: nam hæc quidem enunciatio est, & communis sententia; si verò adyciatur; Quoniam ipse dixit, ipsius petulantiæ, & extollentiæ ostenderetur crimen esse; sed Pilatus in priori stetit mente: vnde sequitur: Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. O ineffabilem vim diuinæ operationis!* Profectò non videbatur necessariam fore ineffabilem diuinæ operationis vim, vt Pilatus, quam iudicio agnouerat, litura non obscurauerit innocentiam; ea tamen est ad inurendam notam vel iniquissimæ suspicionis efficacia, vt Chrysostomus putet in seruando titulo resplenduisse Numinis prouidentiam: *O ineffabilem vim diuinæ operationis!* Ergo homicidæ quantumuis iudicio indemnes, à suis exulant, quia de crimine suspecti, & ob suspicionem abacti.

Ioan. 19. v. 12.

Chrysost.

§. XVIII.

Is de Domini morte, ac pœnis sit dolor, vt de proprijs iniurijs dolorem sopiat, & omnem aliam ab animo cogitationem depellat.

VEhemens acerrimi doloris sensus leuiores sepelit quodammodò ærumnas, & exulare compellit pœnas: nam si animus totus intimo dolore absorbetur, à rebus omnibus alienatur. Non est acerbi alicuius casus perfecta angustia, si per alia diuagari libera permittatur memoria: stupet mens, cor mœret, & se habet homo, vt idem voluens ac reuoluens sæuissimè discrucietur: nec animo fas, vt tantillum aliis cogitationibus distrahatur. *Ego vir videns paupertatem meam*, aiebat quidam, *in virga indignationis eius.* Et quid aliud altè virgā indignationis videret percussus, aut cogitare quiret vulneratus? Suam tantummodò animo versabat miseriam, & calamitatis quasi vinculis præpeditus discursus nullam aliam permittebatur gerere curam. *Nullam tibi vacationem dedit*, aiebat Seneca de consolatione ad Albinam cap. 2. *à grauissimis luctibus*: magnus comprobatur dolor, qui solùm lugentem permittebat lugere, & luctus causam animo semper tractare. Et quidem doloris sæuitia tantisper mitesceret, si mens vel ad alias doloris causas excurreret; acerbus tamen dolor sic totum sibi animum vendicat, vt leuiores doloris causas omittat. Qui ad ciuitatem aliquam profugij se conferebat, degebat ibi vsque ad Pontificis maximi obitum: tunc enim ad propria redibat tutus, & nullo interpellante securus: *Habitabit in ciuitate illa, donec moriatur Sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc reuertetur homicida, & ingredietur ciuitatem, & domum suam, de qua fugerat.* Hoc temporis concedebatur spatium, vt occisi cognati, qui dolore perculsi æstuabant, tantisper ipsa absentia mitescerent, interualloque optimo curandis affectionibus medico feruor vindictæ detumesceret, recruciationisque rabida sitis compesceretur; verùm si homini occisori prouidebatur asylum, ne cognati demortui vindices acerrimi effusi sanguinis desæuirent, cur post Pontificis Maximi obitum 78.

Thren. 3. v. 1.

Senec.

obitum nō timeatur regressus, cùm fortè cognatorum furor eodem modo posset ardere inflammatus? Quia Pontifex, respondet Hugo, Christi Domini gerit figuram, cuius mors grauem adeò omnibus dolorem afferebat, vt iam nullus peculiaris doloris causas recordaretur communi luctui deditus, & dolore decenter absorptus:
Hugo. *Erit ibi vsque ad mortem Summi Pontificis, id est, Christi, qui est Pontifex futurorum bonorum.*
Masius. Aptior nostræ thesi Masius: *Pendet ipsius in patriam reditus ex morte eius viri, qui cùm cæteros mortales omnes dignitate præcellat, atque ab omnibus Israelitis summè ametur, consentaneum est eius acerbo casu sedari dolorem, quem sanguinis vindex ex cognati sui cæde conceperat: quippe sic comparatum est hominum ingenium, vt quisquis habet infortunium, si par, aut maius alteri accidisse viderit, minus doleat de suo: nullius autem omnium hominum calamitas grauior apud nos certè examinatur, quam Pontificis maximi mors.*
Leui Gerson. *Magna cunctis calamitas Pontificis Maximi mors.* Consonat Leui Gerson: Prudenter inquit, *voluit lex restinguere feruorem animi vindicis sanguinis de morte propinqui conceptum eo quòd cerneret Principem viuum, quantus est Pontifex etiam morte esse peremptum.* Is de Christi Domini Pontificis Maximi dolor esse debet, vt quiuis alius aut extinguatur maiori oppressus, aut saltem deferueat sæuiori casu sopitus. Ergo profugus tutè ad propria reuertitur: quia sanguinis vindex recenti de Pontificis morte adeò dolore absorbetur, vt antiquas vindictæ causas nullatenus prosequatur.

79. Cùm plures è populo ignitos serpētum morsus paterentur, sæuéque discruciati clamarent, Deus, quo medicaretur vulnera, iussit serpentem virga eleuari, & ab omnibus oculis intentis videri: *Fecit Moyses serpentem aneum, & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Interpretes variè mysteria adæquè, piè ac ingeniosè ab hoc serpente conantur eruere; ego verò cùm certum sit serpentem crucifixi Domini nostri præcessisse figuram sic moralissimè interpretor: cruciabantur variis morsibus varij: ille paupertatis ærumnis, ille dedecorosis opprobriis; ille grauissimis infirmitatis miseriis, vtque omnes dolore sanarentur sopito, maius oculis obiecit Christi tormentum, vt eius paupertatem dolens suam quisque æquo animo ferat; sicque conceptus de Domini passione dolor fit dolori medicina, euadátque anxietatibus humanis medela. Ecquis enim grauatè ferat post tot perpetrata crimina ægritudinibus vri, aut laboribus diuexari, cùm videat cælorum regem sanctitatis fontem, Deitatis thesaurum furenti inuidia interemptum, & odio immani dilaceratum. Quicumque, si vt decet, de Christi Domini morte doleat, grauiter suas non feret ærumnas, nec impatientes prorumpet in querimonias. Innuit Oleaster ad mores. *Si altiùs penetrare velis, & quod serpens iste suspensus adumbrat, cernes te morte viuificatum, passione à passionibus liberum.* Christi passio optima doloribus medicina: nam toleranter sustinet illatam iniuriam, qui Dominum intuetur ligno affixum sine causa.

Numer 21. v.9.

Oleaster.

80. Masculus Heli probatur animus, vt nurus fœmineus, dum hæc capta arca maritum dolet occisum; ille verò filiorum siccis oculis audit stragem, pauido tamen corde arcæ gloriæ quodammodo spoliationem: repetamus altiùs historiam, quo opportunam moribus eruamus doctrinam. Cùm Hebræi contracta manu cùm Philisthinis collatis signis pugnarent, non tam inimicorum armis profligati, quàm propriis criminibus cessere victi: eo in prælio fraudatrix sacrificiorum familia violenter occubuit, & arca manubiarum loco in hostilem potestatem deuenit: nuntius infaustissimus ad Heli cucurrit, & acerbum filiorum casum, arcæque captiuitatem retulit: *Fugit Israel coram Philisthym, & ruina magna facta est in populo: insuper & duo filij tui mortui sunt Ophini, & Phinees, & arca Dei capta est. Cúmque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est ... nurus autem eius vxor Phinees prægnans erat, viciniáque partui, & audito nuntio quod capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incuruauit se & peperit.* Nurus non solùm arcæ dolet captiuitatem; sed mariti etiam infaustam mortem. Heli arcæ dolore opprimitur, filiorum mortis nullatenus recordatur. Adest Iosephus apud Glossam, & lib. 5. antiquit. cap. 16. *Cùm Heli arcam audisset ab hostibus captam, dolore turbatus ruens de sella defunctus est: ea die defuncta est coniux Phinees filij eius, dum post occasum mariti viuere non toleraret.* Religiosus Heli animus eo ob arcam dolore perculsus est, vt nil aliud attenderet, aut cogitaret; fœmineus sexus mariti mortem luxit, & inter arcæ iniurias propria etiam planxit detrimenta. Consonat Gregorius Magnus ad hunc locum: *Heli audita Israelis fuga, relata sibi ruina populi, intimata filiorum morte, de sella nequaquam cadit; cognita autem arca captione, & de sella cadit, & vitam perdit.* Filiorum dolor animum non sic exulcerauerat, vt arcæ captiuitatis sensum impediret; arcæ verò translatæ intimus adeò erat sensus, vt grandæuum patrem, nec miserandus filiorum vrgeret casus: pios namque animos viriles que sic diuinæ tangunt ærumnæ, vt nullæ aliæ in harum comparatione diuexauerint pœnæ.

1. Reg. 4. v. 17.

Ioseph.

Gregor.

Cùm populus idololatriæ libidine furens idolum insanis sumptibus construxisset, exercitísque ac repetitis clamoribus salutasset, sic Moysis animum pientissimum, religiosissimúmque exacerbarunt, vt vitulum minutissimum in puluerem comminuerit, leuitásque in fratres ac propinquos armarit: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem:* Detrito vitulo Leuitas in suos exacuit, piáque trucidare sæuitia iubet: *Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum.* O prophetam dolore peritum! Si Leuitæ tuum occiderint fratrem, si sanguine coniunctissimum, quid facies? Ad hæc si ob singulare Ægyptij homicidium sic olim pauebas, vt post multa etiam tempora fumans adhuc odium veteris, cur non timeant Leuitæ occisorum fratres, propinquósque sic in occisores desæuituros, vt arma capiant, ac in illos violenter irruant? Occidantur priùs idololatræ: nam posteà faciliùs erit idolum deterere, ac in pulueres nigerrimos comminuere: time cognatorum iram, si rigidam adeò imperaueris mulctam. O religiosum prophetæ zelum! ô prudens iudicium! Deum coram idololatris deterit, comminuitque, & posteà vltrices Leuitarum manus ciet: quia nouerat eo ob idoli iniuriam idololatras fore dolore afficiendos, vt nullatenus non solùm cognatorum cæ- 81.

Exod. 32. v. 20.

 dis;

dis; ſed nec propriæ recordarentur: non leges occiſorum cognatos aut parentes arma in Leuitas furore inſano arripuiſſe, aut diſcruciare tentaſſe: eo namque Numinis ſui ſtragis afficiebantur dolore, vt nil aliud tunc attendere, aut cogitare valerent: eo abſorbebantur ſenſu illatæ, vt ipſi falsò putabant, iniuriæ, vt nullatenus recordarentur vindictæ, quaſi quiuis alius dolor mentiti Numinis cultorem deceret, & amoris gloriam adulteraret. Innuit Abulenſis q. 30. *Ad præſentiam Moyſi vitulum illum conculcantis, & in eorum confuſionem maximam turpiter deſtruentis nullus aliquid faciebat: quia inuaſerat eos timor & tremor.* Nihil faciebant, vt cognatos ſuos à Leuitis occiſos vindicarent: eo namque percellebàtur timore, terroréque Deum ſuum turpiter conculcari videntes, vt ad nulla alia eſſet illis animus, aut cogitaret diſcurſus. Quod ſi inſani idoli adoratores ad idoli ſui adeò contremiſcant iniuriam, vt nihil aliud aut mente verſent, aut voluant corde, quid veri Numinis adoratores tenentur efficere, ſi eius dolores digna æſtimationis lance perpendant, ac dignis lachrymis doleant? Propriæ certè non recordabuntur iniuriæ, nec ſolatium deſiderabunt vindictæ.

Abulenſ.

§. XIX.

Oratio arcet inimicorum inſidias; imò & diabolicas vincit technas.

82. ORatio inuictas ab omnipotentia quodammodò vires mutuatur, audet temeritate felici, & aſſequitur fortunatè: Deo ipſi vim infert; ſed quidem gratam: & quid non aſſequetur oratio, quando honeſtis incantamentis Deum ſibi deuincit, & ſi dici liceat, ad obſequelam quodammodò cogit. *Coimus in cœtum,* aiebat Tertullianus in apologetico cap. 39. *& congregationem, vt Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes: hæc vis Deo grata eſt.* Non ſemel diuina inardeſcit ira: quia in homines indignationem ſufflammat cauſa; ſed veluti vim paſſa reprimitur, & iuſtis precationibus prohibetur. Vnde Cyrillus Alexandrinus in Amos num. 61. ad finem ſic ait: *Vehementer ſanctis opus eſt: ſeruant enim vrbes & regiones clade impendente liberant: iram Dei quantumuis feruentem vitæ claritudine retundentes, & impetus eius iracundiæ incurſantes, nos quaſi retrahentes.* Sanctorum orationes pro muro ſunt, & quod appetebat periculum, orationis fugat remedium. Chryſoſtomus hom. 5. de incomprehenſibili Dei natura vocat orationem portum ſecurum: *Aptiſſima arma oratio eſt, theſaurus certè perpetuus, diuitiæ inexhauſta, portus quietus, occaſio tranquillitatis, denique auctor, parens, fons, & radix bonorum omnium, & innumerabilium oratio eſt.* Hinc Deus parens hominum indulgentiſſimus, vt illorum commodis prouideret, tutandis à periculo profugis refugiorum ciuitates ſignauit: tres eis, & vltra Iordanem tres: *Decreuerunt Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Sichem in monte Ephraim, & Cariath-Arbe ipſa eſt Hebron.* Hugo Charenſis teſtatur orationem ciuitatibus adumbratam ſecurum refugium periculoſis deſignari:

Tertull. *Vis orationis Deo eſt grata.*

Cyrillus. *Iuſti pro muris ſunt ciuitatibus.*

Chryſoſt. *Oratio radix eſt bonorum omnium.*

Tres ciuitates vltra Iordanem ſignificant aliud triplex remedium poſt baptiſmum, ſcilicet ieiunium, oratio, eleemoſyna. Inuoluntarius percuſſor, vt ab imminentibus tutus habitaret periculis ad profugij ciuitatem greſſu celeri contendebat, & quid fugientibus opus fugiens, & ipſe monſtrabat. Recurrendum eſt ad ſecurum orationis aſylum, ſi vrgeat tentationis, aut acerbi caſus aliquod detrimentum: nam vt qui maria traiiciunt, ſi procella ſæuiat, omni ſtudio ſatagunt portum appellere: quia ibi contra acriùs adſpirantium ventorum flatus, & contra violentos vndarum adſultus placidè quieſcunt ſecuri; ſi tamen non offendatur portus, ventis circumacti, & decumanis ingemunt fluctibus repercuſſi, ita qui ad orationis confugit tutamentum, eludit periculorum naufragium; ſi tamen orationis non appulerit portum, vrgebit graue periculum: vt in profugij ciuitate tutus contra inuolantes gladios, & conta ardentis de vindictæ ſtudio furoris æſtus ſeruabatur admiſſus: ita intra orationis mœnia ſupplex ſeruatur illæſus.

Hugo.

Liuida Satraparum inuidia captioſas contra Danielem ſæpiùs tetendit inſidias, & quia agnoſcebant regi placere, illum accuratiùs geſtiebant leoninis rictibus tradere: Dei ſupplicem lacui committunt: rex amorem in prophetam fuſis lachrymis conteſtatur, & Deum orat, vt periculis eximat: *Deus tuus, quem colis ſemper, ipſe liberabit te.* Deum in auxilium vocat, vt Danieli leonibus tradendo prouideat: & quidem truces belluæ Prophetæ ſuſpicientes iuſtitiam non ſunt auſæ inferre violentiam; imò blandis nutibus, & placidè adulantibus geſtibus prophetam circumdant, & iam diſcrimina ſunt aduerſus diſcrimina arma. Rogat Tertullianus an Prophetæ incolumitas adſcribenda fuerit orationis præſumptioni, aut Prophetæ ſanctitati: reſpondétque eam vel Barbari regis efficaciam contra appetentia pericula ineſſe precibus, vt Propheta ab incluſa, & fame irritata leonum rabie fuerit ſtatim occiſus, niſi vel aliena oratione in lacum deſcédiſſet armatus: oratio namque ſic belluarum ferociam repreſſit, vt Daniel inoffenſus inter pericula vixerit: *Danielem,* inquit Septimius aduerſus Gnoſticos cap. 8. *nullius præter Dei ſupplicem, & idcirco à Chaldæis delatum ac depoſtulatum ſtatim vtique concluſa, & vſitata feritas leonum deuoraſſet, ſi Darij digna præſumptio de Deo falli debuiſſet.* Cùm dignè Darius de Numinis præſumit auxilio, cùm pulſat cælum Danielis incolumitatis voto, eam illi armaturam miniſtrat, vt leonibus fortior euadat. Quod ſi tantas vel orationi alienæ ineſſe vires cognoſcitur, quantas affuturas propriæ creditur? De alienis precibus fruſtratur ſæpè periculum; ſed de propriis tranſit periculum in trophæum. 83.

Dan. 6. v. 16.

Tertullian.

Tres illi pueri religione celebres, & animi conſtantia decantatiſſimi delectabile nobis certamen proponunt, dum inſaniæ imaginem adorare contemnunt: ſolito ſepties amplius horridus inardeſcit caminus, & ne quid immane ſæuitiæ deſit, ſtuppa ac pice armatum minatur incendium: crepitantibus horrendum flammarum globulis percellitur auris, & ſordeſcit terris ignium vaporibus æther: illò præcipitantur inſontes; ſed naturam dedidicit flamma, & roſcidæ mutuatur ingenium vndæ: *Fecit me-* 84.

Dan. 3. v. 49.

dium

dium fornacis quasi ventum roris flantem. Et cur flamma rosculentam transit in vndam, quando leonum sæuitia non fuit extincta, etsi in lacu fuerit repressa? Ibi aiebat Daniel: *Misit Dominus Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi*; hic: *Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Itaque alibi ignis in contrariam quodammodò transit naturam; ibi sæuitia non nocet; sed conseruat puritatē: & quæ huius discriminis causa est? Innuit textus: *Tunc hi tres*, inquit, *quasi vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum.* In fornace auditur oratio, in lacu hymnus non auditur: Danielem regis munit oratio, cantus proprius inter ardentes globulos armat pueros, & quamuis vtrobique orationis luxerit efficacia; propriæ tamen validior fuit energia. Innuit Veronensis Zeno serm. 5. de trib. pueris: *Vbi iactati sunt in fornacem ignis ardentis, hos deuotè cupidus ignis excepit: lambunt roscidos flammæ blandientes, mira res, opacitas intus, incendium foris est, intus hymnus canitur, foris vlulatus auditur.* Ecce arcana metamorphosi de laudabili orationis veneficio immutatur natura, & ardens transit in amœnum gurgitem flamma: Daniel de alienæ orationis auxilio non læditur, pueri de propriis precibus coronātur. Ergo iure in fugacium auxiliū orationis ciuitas deputatur: quia intra deuotæ orationis mœnia nequit vrgere periculum, nec contrariorum armis orationis nouit cedere propugnaculum. Adde id orationi robur contra insanos hostium impetus ferè semper inesse; vt vel vnius oratio multorum reprimat arma, & reportarit trophæa.

Zeno. *Virtuti inseruientes canunt, vitio obsequentes vruntur.*

85. Cum Dauid rex acies aduersus phalangas hostiles ordinasset, ipse parat exire in prælium, quo præsentia regia militum valentiam exacuat, aut certè ne remansisse in curia, vt olim, nouam attulerit culpam; populus verò votis obsistit, & deuotam erga Principem affectionem dilucidè ostendit: *Tu vnus pro decem millibus computaris: melius est igitur, vt sis nobis in vrbe præsidio:* Et quod populo præsidium regem remansisse in vrbe, aut cur otium decem millium exuperarit congressum? An quia adulatio, vt Principum actiones exaggerat, ita aliorum facinora superbè depretiat? O quoties in Magnatibus extollitur, quod in cæteris despicitur! Verùm hæ voces non de adulationis prodierunt ingenio; sed de triumphorum prolatæ sunt voto: regem cupiunt in ciuitate manere, & orationi vacare, agnoscúntque tantò sibi conducibiliores esse iusti vnius ad victoriam preces, quàm armari profuerint milites, vt Dauidis orationem pro decem millibus computarint. Adest Paraphrasis Chaldaica: *Tu potes roborare, sicut nos decem millia. Et nunc bonum est quòd ores pro nobis ex vrbe ad roborandum.* Iure orationem exercitus dixerunt robur, in hostilésque phalangas ardentes regem precum eiaculari sagittas, quasi non potuerit vrgere periculum, vbi regebat illos orationis munimentum, dum habent pro se orationis suffragia, contra hostiles habent adsultus præsidia. Et quidem vtrumque necessum est, & copias prouidenter armari, & preces deuotè fundi. Adde vel in ipso cælo, si ad nostram eruditionem dici fas est, cælites ab oratione securitatem ad speciem mutuari, & oratione fulciri.

2 Reg. 18. v. 3.

Chaldæus.

86. Ioanni Apocalypsis 7. ingens signatorum numerus obiicitur: *Ex Tribu Iuda duodecim millia signati*, &c. Post signatos turbam ingentissimam videt, quorum dexteræ palmis victricibus ornabantur: *Palma in manibus eorum.* Et cur alij signo à discriminibus eripiuntur, cùm alij triumphalibus palmis iam veluti victores ornentur? ibi aiebat Angelus: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum:* Signaculo veluti clypeo ad arcendum nocumentum armantur; palmis tamen illorum dexteræ in victoriæ testimonium ornatæ aspicientis oculis nullatenus obiiciuntur; cùm tamen alij triumphales iam premant palmas veluti adepti victorias. Et quæ est discriminis ratio? Instructos palmis orationes fundere; signatos verò ora silentio arcano signare. Audi Ioannem: *Palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum & agno:* Itaque vbi orationis auditur cantus, & plausibilis videtur triumphus; vbi verò silentium colitur, impresso signo tantummodò arcetur damnum. Et quidem in cælo omni cælites securitate fruuntur: ibi nec periculum imminet, nec solicitudo discriminis angit, vt tamen noueris quàm longè ab orantibus distet metus, qui tacent signo muniuntur; qui clamant, triumphali palma exornantur. Opportunè Ambrosius ad hunc locum: *Palmæ præmia sunt victoriæ sanctorum, qui & voce magna clamare dicuntur: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno.* Itaque illorum dexteræ triūphali muniuntur palma, quorū orationis audiūtur voces, quasi victoria vel in cælo fuerit orationi debita, & precibus lætitia parta. Vtque noueris hanc orationis energiam, expende alios ab Angelo, ne discrimini obiiciantur, signari: *Ex Tribu Iuda duodecim millia signati*; alios tamen hoc signo ad speciem non communiri: *Post hæc vidi turbam magnam*, &c. Quod si inquiras, cùm omnes ad eandem Rempublicam spectarint, cur alios signet Angelus, & alios expertes signi relinquat? Respondebit Ambrosius, vt vidimus, discriminis esse causam, alios scilicet fudisse preces; non tamen aliorum audiri voces: non est opus signari ab Angelo ad propellendum periculum, si orationis adsit munimentum; at vbi non videtur orationis munimentum, opus est imprimi ab Angelo ad pericula arcenda signum. Iam orationem esse contra diaboli insidias, & veternosi serpentis tenebras adeò est clarum, vt tunc solum immineat periculum, cùm orationis videatur desiderari suffragium.

Apoc. 7. v. 3.

Ambros.

87. Ad prælium citantur cælites, tuba resonat, & iam serpentis maligni tertia stellarum pars astutis fraudibus detrusa cadit: *Cecidit de cælo stella magna ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.* Non adeò sola stella illa cecidit, vt tertiam stellarum partem non traxerit: *Percussa est tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars stellarum.* Casus hic refertur, cùm cælitum silentium etiam describitur: *Factum est silentium in cælo, quasi dimidia hora.* Ni silentium ora signasset, serpens veternosus stellas nullatenus detrusisset; at dum orationis vox intercluditur, & serpentinis fraudibus locus conceditur. Adest Glossa: *Cùm diabolus quosdam de Iudæis, & Gentilibus excæcasset, tandem ipsos filios Ecclesiæ expugnare*

Apocal. 8. v. 10.

Glossa.

expugnare aggressus est, & quosdam rapuit. Vides dæmonis technas, captiosasque præualuisse insidias; sed animaduerte quando: *Factum est silentium in cælo*, inquit Ioannes, *quasi dimidia hora*: dum laudes diuinæ cessant, imminet periculum: quasi imminere non potuisset, nisi cessassent. Opportunior Lyra: *Iulianus præcepit Ecclesias claudi, prohibens diuinum officium solemniter celebrari, & sic factum est silentium in cælo.* Cæli sydera subeunt periculum, cùm à diuinis laudibus est silentiũ: nec enim veternosus serpens vicisset, ni laus diuina cessasset.

Lyra.

§. XX.

Quod ad Domini religiosum offertur obsequium, ad offerentis sacratur commodum.

88. INexhaustus diuinæ liberalitatis fons ipse se vrget, quò homines beneficiorum, si dici potest felici naufragio mergat: lautissimis donis adscribit maiora, & cupiditatis ambitiosæ faustissimè imitatus ingenium: quidquid adiecerit, non est liberalitatis finis; sed gradus: beneficiorum thesaurum nesciens penes se retinere, gestit copiosissimè dilargiri: vtque ipsam largitatem nouo largitatis ingenio exornet, vult ad speciem id ipsum, quod dilargitur debere, quatenus quod est liberalitatis generosissimæ, æquitati videatur impensum, & accipientis iuri tributum. O quàm homines sibi nocent, dum temporalia bona Domino consecrare refugiunt! Sibi auferunt deprædatrice auaritia, quæ offerre Domino respuunt dona. *Manus pauperis*, aiebat Chrysologus serm. 8. *est gazophylacium Christi: quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat: da ergo homo pauperi terram, vt accipias cælum: da nummum, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum: da pauperi, vt des tibi: quia quidquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter.* Sibi habet, qui pauperi tribuit: & quidem quod tribuit opportuno tempore, accipiet calamitoso & angusto: inueniet periculo vitæ, & animæ auxilium, qui Domino in paupere prouidenter obtulit donum. Ecce refugij ciuitates Leuitis à tribubus designantur, quibus, & tueri possint vitam & alere: *Decreuerunt Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Sichem in monte Ephraim*, &c. Ciuitates has Leuitis adscriptas constat ex cap. 21. verùm quæ Dei ministris tributæ, & humanæ vitæ tutelæ: illuc namque confugere vti ad asylum poterat, qui hominem sine crimine occiderat: *Suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum: cúmque vltor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent eum in manus eius.* Quo appetens eludat periculum, ad Leuitarum ciuitatis confugit tutamentum: & quidem mortem forsan subiret vitæ destitutus auxilio, ni ciuitates adscriptæ fuissent Leuitarum habitaculo: *Omnes hæ ciuitates*, scribit Hugo, *sunt Leuitarum: vnde Ambrosius: rectè fugaces fugacibus committuntur.* Ciuitates illæ in Domini Leuitis tradebantur obsequium; sed ipsum obsequium erat salutis auxilium: ibi frustrabantur discrimina, vbi in Dei honorem eius decernebantur ministris commoda.

Chrysolog. *Manus pauperis est Christi gazophylacium.*

Qui dat pauperi, largitur sibi.

Iosue 20. v. 4.

Hugo.

Apparet Christus Dominus discipulis resurrectionis gloriam partiturus: illi ipso gaudio absorpti, nondum oculis fidem præbent, vtque veritatis capiant experimentum, magister deposcit cibum: Habetis hic aliquid, quod manducetur? Offerunt piscis assi partem, & mellis fauum: *Illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis*: cúmque Petrus aliique discipuli, qui piscatum tetenderant, tota nocte vanis laboribus insudassent, Christus laborantibus quodammodò insultat, & an aliquid pulmenti prehenderint, rogat: illi non sine rubore per totam noctem laborantes nihil cepisse respondent: tunc rete ad nauigij dexteram mitti imperans copiosam piscium multitudinem dilargitur: nec his contentus cùm littora iam tenuissent, panem, & piscem assum inueniunt: *Vt descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem.* Ecce lucrosam sanè commutationem: piscis partem obtulerant, & piscem integrum inuenerunt, vt verum sit quod aiebat Chrysologus: *Da micam, vt accipias totum: da pauperi, vt des tibi: quia quidquid pauperi dederis, tu habebis*: partem dederant; sic verò adauctam inueniunt, vt piscem assum, panémque vrgentis necessitatis tempore ingenti lucro recipiant: post diuturni laboris defatigationem famescebant ieiuni, defatigabantúrque lassi; sed dederunt sibi ad famis solatium, quod dederant Domino in religiosæ obedientiæ obsequium: *Piscis assus*, scribit Augustinus apud D. Thomam, *Christus est passus: ipse est & panis, qui de cælo descendit: huic incorporatur Ecclesia ad participandum beatitudinem sempiternam.* In ipso pisce Christum inueniunt, & qui piscis partem obtulerant ad obsequium, piscem integrum, & in illo Christum Dominum inuenerunt ad lucrum: & quod forsan tunc non egentes obtulerant, egentes modò ac famelici reperiunt: nam quod in Domini quis dilargitur honorem, ad suam opportunissimo tempore consecrauit vtilitatem. 89.

Luc. 24. v. 41.

August.

Amicus, cùm importuna noctis hora hospes aduentasset, amicum adiit, vt panem acciperet: non sine ruboris pretio, ac importunitatis fastidio panes ab amico plus extorsit, quàm impetrauit: dedit necessitati dormiendi, non precibus postulantis: dedit, vt dormiret, non dedit, vt daret: Largitus est, vt somnum interpellantis vitaret tædium, non vt hospitis procurauerit commodum: *Propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi, quotquot habet necessarios.* Amicum hunc, petentem scilicet, hospitísque commoda procurantem Christum Dominum designasse, tradit Theophylactus apud D. Thomam: *Amicus iste Deus est, qui omnes amat, & omnes saluos vult fieri.* Itaque Christus panes accipit, qui supererant amico dormienti: vide quid reddiderit fame laboranti. Cùm turbæ plurimæ Dominum sequerentur vsque ad desertorum errores, illísque iam consumptum viaticum defecisset, panibus indigebant: non erat expromptum sine magno famis tormento proximas ad ciuitates recurrere, aut sine vitæ periculo desertorum solitudinibus immorari; verùm pientissimus Dominus occurrit necessitati, panésque multiplicat: iam præ panis copia angustabatur eremus, panes pariebant panes, & extemporario alimento populi recreantur: reliquiarum copia largitoris potestatem 90.

Luc. 11. v. 8.

Theophyl.

statem extrahebat in lucem, & doni adaugebat decorosè gratiam tantum superfuisse reliquiarum copiam: *Collegerunt duodecim cophinos fragmentorum.* (Ioan.6. v.13.) Expende quanto fœnore accipiat homo, quod petenti Domino aliquando fuerit largitus: non gratis tulit Dominus: quia post importunas preces accepit: & quidem nihil cariùs emitur, quàm quod precibus importunis acquiritur; hîc verò nullis postulationibus excitatus, clamoribus nullis allectus panem impertitus est: ibi amicus ille dedit ad depellendam inopiam necessarium: ait namque textus: *Dabit illi quotquot habet necessarios*; hîc verò donum non tantùm necessitati seruiebat; sed & cupiditatem longissimè superabat: panis ille necessitatis tempore exhibitus, modò tempore necessitatis inuenitur incrementatus. O quot homines perirent diuexati famis tormento, ni Dominus præstito olim hospiti obligatus teneretur subsidio! at quia olim debitor, modò ingenti cum fœnore debitum persoluit largitor. Adest opportunè Hugo Cardinalis ad Ecclesiast.11. *Da eleemosynam tuam peregrinis transeuntibus, à quibus nullam expectas remunerationem, & tunc Deus reddet cum fœnore.* (Hugo. *Quod peregrino datur, cum fœnore postea inuenitur.*) Panis hospiti datus, modò homini est, cum fœnore ingenti redditus. Huc voco quod aiebat Basilius Seleucienses orat.33. (Seleuc.) *Panes pariebant panes, & mensæ alimento extemporario differta erant: panes absque rustico sudore parti, non de spicis erumpebant; sed de Domini manu efflorescebant.* Illi panes olim Deo præstiti ad hospitis subsidium modò pariebant panes ad turbarum alimentum: vt repetat citato loco Chrysologus: *Homo, petit Deus; sed tibi, non sibi: humanam misericordiam petit, vt largiatur diuinam:* non egebat homo ille cibo, quem hospiti petiuerat Deus, & quem in ciuitate dederat importunis precibus excitatus, & accepit ingenti cùm fœnore in morte famelicus: vt vera sit nostra thesis, scilicet reponi ad nostrum commodum, quidquid Domino sacratur oblatum.

91. Deus apud Abrahamum diuertit: ille gaudio delibutus, præ nimia lætitia gestiens senilem nescit ætatem, ad armentúmque impigro gressu cucurrit: non timuit tantisper à Domini separari consortio: quia sibi strictiùs deuincire procurabat obsequio: vitulum affert tenerrimum, in epulum disponit, & vianti accipientis vultu tribuit. (Gen.18. v.7.) *Ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum.* Vides in Dei obsequium ab homine vitulum tenerrimum & optimum afferri: vide modò tenerrimum & optimum vitulum à Domino esurienti homini ministrari. Aduentauit prodigus ille Abrahami progenies fame diuexatus: vixerat in regione vitiorum, indeque, etsi felicissimè euaserat, viam arripuit nudus & famelicus: illum vidit pater, & accurrens cecidit super collum eius, & gaudio suo nobiliter adulatus vitulum iubet optimum, & paschalem occidi: (Lucæ 15. v.20.) *Accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum... Dixit pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum.* O quàm sibi sacra consonuerint mysteria! Abrahamus Deum viam carpentem vidit, accurritque, vt inuitaret: *Cùm vidisset, cucurrit in occursum.* Deus hominem vidit via lassum, *& accurrens cecidit super collum eius:* homo instruit Deo conuiuium, vitulum scilicet pinguem, & Deus homini vitulum pinguem occidit, & ad hæc vestibus excultis ornat, dulcissimáque harmonia delinit mœstum, & recreat itineris laboribus fatigatum. Homo excepit sub arbore peregrinum: Deus amplissimo in palatio excipit hominem fame tabidum. O quàm periret homo fame: testatur namque ipse: *fame pereo:* ni Domino vitulum obtulisset; verùm quem vianti Domino vitulum olim præstitit, vianti sibi tempore vrgentissimo reseruauit. Putaret quis conuiuium illud Domino exhibitum nullum attulisse commodum; sed post multa tempora inuentum est non modico augmento: *Vidit pater ille*, scribit Chrysologus serm.3. (Chrysol.) *qui in altis habitat, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Vidit illum pater suus: pater vidit illum, vt ille patrem posset attendere.* Addit serm.5. *Occiditur patre vitulus sic iubente.* Iubet pater, qui & Deus, vitulum ad hominis condiri epulum: quia homo olim in Dei honorem obtulerat vitulum. Sibi dedit, cùm Domino vitulum consecrauit. Non haberet Abrahæ filius vrgentissimæ famis articulo, ni religioso exhibuisset obsequio. Ciuitas Leuitis in Dei honorem concessa, & hominum saluti designatur adscripta: quo nouerint homines salutis, vitæque adscribi profugium, quod religiosè Domino consecratum.

---

§. XXI.

Contra imminens animæ ac vitæ periculum ieiunij ac pœnitentiæ labor est munitissimum tutamentum.

Tertullianus lib. de pœnit. cap.4. ex illo Ezechiel.33. oraculo: *Nolo mortem impij; sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat:* 92. (Tertull.) argutè colligit morti oppositam pœnitentiam, vt quæ sit pœnitentibus vita: *Volo, inquit Dominus, & pœnitentiam malo, quàm mortem: ergo pœnitentia vita est, cùm præponitur morti: eam tu peccator mei similis ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem: hæc te peccatorum fluctibus mersum perleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit. Rape occasionem inopinatæ felicitatis.* (*Pœnitentia est vita vera.*) Summa quidem felicitas naufrago habetur, si offendat in tabulam, cuius suffragio appetens eludat periculum, & tutum appellat portum: & quidem quod naufrago tabula, est delinquentibus pœnitentia: se ieiuniis redimunt, & lachrymulis vitæ prospiciunt: *Pro redemptione autem vestra*, scribit Eusebius Gallicanus hom. ad pœnitentes, (Euseb. *Quos non pudet peccare, non pudeat pœnitere.*) *non à vobis illud Deus, quod pauci habent, aurum & argentum requirit; sed fletus, & gemitus afflictionis, & contritionis: non pudeat pœnitere, quos peccare non puduit.* Pœnitentia animæ vulnerum efficacissima medela est. Ita Chrysologus serm.8. (Chrysol.) *Est quidem ieiunium vitiorum mors, vita virtutum. Est ieiunium pax corpori membrorum decus, ornamentum vitæ. Est ieiunium robur mentium, vigor animarum: est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis: est ieiuniū schola meritorū, magisterij magisterium, disciplinarum disciplina: est ieiunium Ecclesiasticæ vitæ viaticum salutare: est ieiunium inuictus*

Ecclesia

Ecclesiasticæ militiæ principatus; verùm quia cæcis hominibus commodum corporis sæpè pretiosius, age & in hoc paragrapho pro nostri ingenioli tenuitate probemus austeram corporis tractationem, ieiuniáque esse secura profugia contra corpori imminentia pericula: conciliat namque homini commiserationem diuinam, qua facilè nullum non arcetur periculum, & vitæ minitans remouetur à ceruicibus ferrum. Ciuitates refugij pro inuoluntariis homicidis diuino præcipiente oraculo decernuntur, vt ibi contra vindictæ rabiem tutum fugiens haberet asylum: tres ciuitates ante Iordanem,
Ieiunium est indeficiens viaticum. tresque post Iordanem signantur: *Contra Orientalem plagam Iericho statuerunt Bosor, quæ sita est in campestri solitudine.* Et cur in solitudine campestri ciuitas designetur, quâ persecutorum gladius arceatur. Vt significet, inquit Hugo Charensis, corporis etiam pericula per pœnitentiam arceri, & constet sibi auxilium Numi-
Hugo. nis conciliari: *Triplex remedium post baptismum scilicet ieiunium, oratio, eleemosyna.* Ieiunium vti profugium præscribitur; quia sæpiùs ieiunio appetens periculum remouetur.

93. Testis est huius veritatis Elias: insanientis fœminæ fugiebat minas, cùm itinere fessus se sub iuniperum proiecit: ibi Angelus dormientem excitat, & subcinericio pane, & aqua tan-
3.Reg.19. v.6. tummodò cibat: *Ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ.* Tertullianus expendit coruos panem & carnes manè vesperéque attulisse; Angelum verò vnicum & angustum pastum ministrasse. Audi ipsum lib. aduers. Psychic.
Tertull. cap.9. *Cum corui illum pane & carne saturare consuessent, cur postmodum apud Bersabee Iudææ excitato ei de somno quidam ille Angelus sine dubio panem solum, & aquam obtulit? Defecerant corui, qui illum liberalius pascerent? An difficile Angelo fuerat aliquem alicunde de conuiuio regis ministrum cum instructissimo ferculo raptum ad Eliam transferre?* Si corui refragante natura liberalitatem in Dei ministrum ostentant, si qui filiis iura denegant, non subtraxerunt officia iusto, cur Angelus auaritiæ incurrat probrum, & angustum adeò deferat pabulum? O cælestem œconomiam! Modò periclitabatur Elias minantē Iezabel fugiens, Angelúsque non de auaritiæ ingenio; sed de Prophetæ salutis studio, cibum attulit, quo muliebres eludere posset insidias, & indignationis sopire flammas: monuit ieiunium, vt contra pericula ministraret egenti clypeum. Audi Tertullianum: *Constitui oportebat exemplum docens in tempore pressuræ & persecutionis, & cuiuscumque circumstantiæ xerophagijs esse viuendum.* Angelus, vt patrocinetur vitæ, munit prophetam inediæ armis, quibus munita caro, dum cælum tacitè pulsat, eluctantia pericula auertat. Et ne longiùs ab hoc Scripturæ loco discedamus, ipse Elias quam deserto carnibus & lautioribus epulis innutritus custodiam non impetrabat Angelicam, dor-
3.Reg.19. v.5. miens sub iunipero adeptus est: *Proiecit se, & obdormiuit in vmbra iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum.* Et cur afflictus captando iuniperum somno eligat? Quia iuniperus, teste
Carthusian. Dionysio Carthusiano crucem designat: *Per istam siquidem iuniperum intelligitur crux Saluatoris.* Prudentissimus Elias, cùm variis persecutionibus agitatur, cùm insidiosis minis appetitur, ad carnis afflictationem recurrit: quia sciebat corporis austeritatem, Christi crucem, famísque diuexationem cælestia promereri auxilia, & pericula eludere minitantia: nec illum sua fefellit opinio, quandoquidem sub iuniperi tegmine Angelum habuit, qui recrearet cælesti cibo molestias, & muliebres propulsaret insidias.

Vt Dominus Hebræos edoceret aduersus 94.
astutiæ technas, & furoris flammas euasuros illæsos, ardenti obiicitur rubo inclusus: properabant Ægyptiæ flammæ specie hominem deuorare; ille verò irritum reddebat conatum, nec à flammis patiebatur aliquod detrimentum. *Videbat quòd rubus arderet, & non combureretur.* Exod.3.v.3. Et cur rubum eligit sospitatis testimonium, & aduersus flammarum iras profugium? Quia rubus senticosus est: quibus ergo imago illa hominis videbatur cruentanda; erat absque dubio protecta. Spinarum cuspides, dum hominem religiosè lacerabant, impetum flammarum arcebant: vt quia aliquando laboratur ipso remedio; hîc, si fas est dicere, salus procuraretur ipso periculo: caro sentibus afflictata ignis sopiebat ardores, & austeritatis tormentum flammarum propellebat periculum. *Nuntius diuinæ prouidentiæ*, scribit Philo lib.1. de Philo.
vita Mosis, *faciebat spem tot horrendorum periculorum fore lætum & facilem exitum: ea coniectura excentiatur diligentius. Rubus, vt dixi, frutex debilis est, & senticosus, vt vel solo contactu vulneret.* Dum cælestis nuntius illam specie carnem rubi senticosi cuspidibus vulnerat, & veluti insitam vepribus religiosè cruentat, voraces, audentésque flammas reprimit, & austeritate munitus insanis ab ardoribus manet illæsus: quæ omnia designabant exhortationem quandam tantùm non inclamantem calamitate oppressis: Nolite succumbere; sed ad profugia austeritatis ac pœnitentiæ confugite: nam, si in vos ipsos religiosè vibretis spinas, ardentes inimicorum triumphabitis iras, & voraces priuabitis effectu flammas. Audeant hostes, circumstent discrimina, non oberunt, si vos muniant austeritatis tutamina: vt enim ego spinis circumseptus à flammis respiro intactus, ita vos, si pœnitentiæ, austeritatísque arripiatis arma, hostilia vincetis odia.

Iam in ieiunio munitum non valere pericula; 95.
in saturos verò plurimum licere discrimini, testatur prophetes ille à Deo contra Ieroboamum legatus. Cùm aduentasset eo tempore, quo impiissimus rex illud nefarium sacrificium offerret, quò dignitati regiæ sacerdotis etiam honorem adderet, liberâ voce facinus reprehendit, & minas non irritas contra altare, & Regem pronuntiauit: Rex impius manum contra prophetam extendit cæco furore exæstuans, & indignationis flammis immodicè furens; verùm extenta manus stupentibus neruis motu caruit, nec iam ad proprios vsus contrahere poterat: quia contra rationem extenderat: *Exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se*: tantum abest Propheta, vt 3 Reg.13. v.4.
potentiâ regis lædatur, vt illi precibus sanitatem impetrarit: *Orauit vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus regis ad eum.* Rex miraculo delinitus prophetam inuitat, & ferè cogit ad mensam; ille verò se ieiunium in mandatis habere aperit, & regium fauorem respuit: *Mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam.* Domum

num repetebat, cùm senex sacrificulorum, & catabolicorum antistes mendaciis ac commentis suasum inuitat ad mensam; sed inter poculorum lætitiam duram etiam minatur mulctam: *Cùm sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum.* Rictus incurrit leoninos, qui furores frustrauerat regios: alibi sanitatem restituit alteri; hic vitam seruare non potuit sibi: à leone iacet occisus, qui à catabolico pastus: dum viget ieiunium, non potuit efferuescens regis lædere famelicum ira: dum ieiunij defuit munimentum, vitæ sustinuit periculum: quo discamus magnum contra discrimina esse abstinentiam subsidium, & cibos vitæ naufragium. Adest

Tertullian. Tertullianus aduersus Psychicos cap. 16. *Sameas homo Dei cùm exitum prophetasset idololatriæ introductæ à rege Ieroboam, post manum eius regis arefactam, & statim restitutam, post altare diffusum, ob hæc signa, & satisfactione inuitatus à rege planè excusauit: prohibitus enim à Deo fuerat illic cibum in totum attingere; sed ab alio mox sene mentito prophetiam temerè pastus secundum verbum Dei ibidem factum super mensam non est in paternis sepultus: leonis enim in via occursu*

Mors pœna est deserti ieiunij. *prostratus, & apud exteros conditus pœnam deserti ieiunij luit.* Vbi ieiunij defuerunt arma, & mortis vitam depasta est pœna: vbi abstinentia viguit, in Dei prophetem nec sacrilegi regis potentia valuit. Leo Danielem non potuit lædere ieiunio armatum, potuit prophetam hunc, vtpotè ieiuniorum armis destitutum: defuerat illi prophetarum ornatus, ieiunium scilicet, & quem diuerso à reliquis prophetis habitu conspexit bellua, aggressa est priuare vita; non auderet equidem, si sanctitatis cultum agnouisset ieiunium, viatori inopinum intulisse mortis tormentum.

96. Huius veritatis Iobi familia succedit testis: iam diabolus à Domino nocendi acceperat potestatem; obseruauit tamen tempus, quo validius posset nocere, & filios omnes opprimere: lautioribus poculis, instructioribus epulis in maioris domo iucundabantur, cùm ædificium omni angulo violenter concussum corruit, &

Iob 1.v.18. liberos omnes oppressit: *Filiis tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos: & mortui sunt, & effugi ego solus, vt nũtiarem tibi.* Et cur diabolus priùs greges flãmis absumpsit, cur prædones Sabæos exciuit, & liberos posteà oppressit, cùm ad exacerbandam patientiam ac euertendam constantiam opportunius videretur filios occidere, quàm greges flammis voracibus dissipare? Quia diabolus, respondet Gregorius, opportunius tempus expectabat, dúmque filij abstinentiæ clypeis muniebantur, quia omnem vim effundere malignitatis nequibat, in commodius tempus reseruabat; at cùm compotationibus, cùm differtis mensis, cùm annosis vinis indulgere cognouit, omnem malignitatis indignationem effudit. *Notandum* (verba sunt Gregorij lib. 1. moral. cap. 8.) *quæ tempora tentationibus congruant: tunc quippe diabolus tentandi tempus elegit, quando beati Iob filios in conuiuio inuenit: nec enim solummodo intuetur hostis quid faciat; sed etiam quando faciat: nam quamuis potestatem acceperit; aptum tamen ad fidem feriendum tempus expectauit.* Distulit tantisper nocere, vt calamitatem opportunius posset consummare: dum compotationibus Iobi non indulgent filij, vel accepta à Domino potestate Dæmon tantisper arcetur; sed cùm conuiuia exercent, deniciisse gloriatur. Quòd si inquiras, cur seruum illum etiam non tumularit strages: cum reddere possum rationem, scilicet seruum esse: seruus namque, cùm domini lautiis ingurgitantur, perstat sæpè ieiunus; & cùm copiosa ministret pocula, siti inardescit vexatus. Ergo quem inuenit munitum abstinentiæ clypeo ruinæ euertisse non potuit iaculo. Nobis commendauit verba Chrysologus serm. 101. *Apponit domino suo cibos multiplices arte tota totius saporis conditos; ipse autem semicotiam, nec salitam forsitan cæmulam gustaturus.* Serui ferè semper famescunt, inediáque vexantur: ergo quod dominos oppressit saturos ædificium, famescentem opprimere non potuit seruum; sed dum ministrat mensis ieiunus, à periculo seruatur illæsus. Quò discamus austeritatem ieiuniumque ciuitatem esse profugij, vt crapulam, & satietatem discriminis.

Gregor.

Conuiuiorum tempus tentationibus opportunum.

Chrysolog.

CAPVT XXI.

Vers. 1. CCESSERVNTQVE Principes familiarum Leui ad Eleazarum Sacerdotem, & Iosue filium Nun, & ad duces cognationum per singulas Tribus filiorum Israël. 2. Locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt: Dominus præcepit per manum Moysi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda iumenta. 3. Dederúntque filij Israël de possessionibus suis iuxta imperium Domini ciuitates, & suburbana earum. 4. Egressáque est sors in familiam Caath filiorum Aaron Sacerdotis de Tribubus Iuda, & Simeon, & Beniamin ciuitates tredecim. 5. Et reliquis filiorum Caath, id est, Leuitis, qui superfuerant de Tribubus Ephraim, & Dan, & dimidia Tribu Manasse ciuitates decem. 6. Porrò filiis Gerson egressa est sors, vt acciperent de Tribubus Issachar, & Aser, & Nephthali, dimidiáque Tribu Manasse in Basan ciuitates numero tredecim. 7. Et filiis Merari per cognationes suas de Tribubus

bus Ruben, & Gad, & Zabulon vrbes duodecim. 8. Dederúntque filij Israël
ciuitates, & suburbana earum, sicut præcepit Dominus per manum Moysi sin-
gulis sorte tribuentes. 9. De Tribubus filiorum Iuda, & Simeon dedit Iosue
ciuitates, quarum ista sunt nomina. 10. Filiis Aaron per familias Caath Leuitici
generis (prima enim sors illis egressa est:) 11. Cariath-Arbe patris Enac, quæ vo-
catur Hebron in monte Iuda, & suburbana eius per circuitum. 12. Agros verò
& villas eius dederat Caleb filio Iephone, ad possidendum. 13. Dedit ergo filiis
Aaron Sacerdotis Hebron confugij ciuitatem, ac suburbana eius, & Lobnam cum
suburbanis suis. 14. Iether & Estemo. 15. Et Holon, & Dabir. 16. Et
Ain, & Ieta, & Bethsames cum suburbanis suis: ciuitates nouem de tribubus, vt
dictum est, duabus. 17. De Tribu autem filiorum Beniamin Gabaon, & Gabee.
18. Et Anathoth & Almon cum suburbanis suis: ciuitates quatuor. 19. Om-
nes simul ciuitates filiorũ Aaron Sacerdotis tredecim cum suburbanis suis. 20. Re-
liquis verò per familias filiorum Caath Leuitici generis hæc est data possessio. 21. De
Tribu Ephraim vrbes confugij Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim &
Gazer. 22. Et Cibsaim & Beth-horon cum suburbanis suis ciuitates quatuor.
23. De Tribu quoque Dan Eltheco & Gabathon, 24. & Aialon, & Gethrem-
mon cum suburbanis suis ciuitates quatuor. 25. Porrò de dimidia Tribu Ma-
nasse Thanach, & Gethremmon cùm suburbanis suis ciuitates duæ. 26. Omnes
ciuitates decem, & suburbana earum datæ sunt filiis Caath inferioris gradus. 27 Fi-
liis quoque Gerson Leuitici generis dedit de dimidia Tribu Manasse confugij ciui-
tates Gaulon in Basan, & Bosram cum suburbanis suis ciuitates duas. 28. Porrò
de Tribu Issachar Cesion, & Babereth. 29. Et Iaramoth, & Engannim cum sub-
urbanis suis ciuitates quatuor. 30. De Tribu autem Aser, Masal, & Abdon.
31. Et Helcath, & Rohob cum suburbanis suis ciuitates quatuor. 32. De Tribu
quoque Nephthali ciuitates confugij Cedes in Galilæa, & Hammoth Dor, & Car-
than cum suburbanis suis ciuitates tres. 33. Omnes vrbes familiarum Gerson
tredecim cum suburbanis suis. 34. Filiis autem Merari Leuitis inferioris gradus
per familias suas data est de Tribu Zabulon Iecnam & Cartha, 35. & Damna,
& Naalol ciuitates quatuor cum suburbanis suis. 36. De Tribu Ruben vltra
Iordanem contra Iericho ciuitates refugij, Bosor in solitudine, Misor, & Iaser, &
Iethson, & Mephaath ciuitates quatuor cum suburbanis suis. 37. De Tribu Gad
ciuitates confugij Ramoth in Galaad, & Manaim, & Hesebon, & Iaser ciuitates
quatuor cum suburbanis suis. 38. Omnes vrbes filiorum Merari per familias, &
cognationes suas duodecim. 39. Itaque ciuitates vniuersæ Leuitarum in medio
possessionis filiorum Israël fuerunt quadraginta octo. 40. Cum suburbanis suis
singulæ per familias distributæ. 41. Deditque Dominus Deus Israëli omnem
terram, quam traditurum se patribus eorum iurauerat: & possederunt illam, atque
habitauerunt in ea. 42. Datáque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes:
nullúsque eis hostium resistere ausus est; sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt.
Ne vnum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit;
sed rebus expleta sunt omnia.

§. I.

Commentarius litteræ.

Vers. 1. Accesserúntque Principes familiarum Leui ad Eleazarum Sacerdotem, & Iosue filium Nun, & ad duces cognationum per singulas Tribus filiorum Israël, *&c.*

1. ETSI Deus Leuitas exhæredes esse voluerit; illorum tamen vtilitati commoditatique & prouidenter consuluit, & vigilanter attendit: illis ergo tribuendas esse ciuitates pro habitationibus, atuáque pro pecore suburbana iusserat, disertissimísque decretis sanciuerat quot numero vrbes, quæ suburbanorum spatia, ne aut nimia accipientis cupiditas, aut immoderata dantis tenacitas, implacabili lite contenderent, studióque dissensionis certarent. Id igitur nunc agitur, & quidem opportunè: nec enim Tribus Leuitis vrbes cedere potuerunt, quousque ipsis hæreditates sortibus definitæ, vrbesque numero competenti signatæ: iam verò debebant in primis sex illæ vrbes pro asylis deputatæ signari: ita namque sacerdotum commoditas cum hominum vtilitate miscenda fuit, vt & miserorum profugia forent sacerdotibus habitacula. Quod si quis dicat in extremo capitis decimi noni absolutam fuisse terræ partitionem, ideóque opus non esse ista secunda distributione; opponendum illi erit exhæredes fuisse Leuitas, nihilque ad illos de illa diuisione attinuisse. Ad speciem hîc diuisorum sugillatur

latur oscitantia, aut quidem impatiens Leuitarum possessionum cupiditas, quandoquidem ipsorum primates diuinorum decretorum memoriam fecerunt, Eleazarúmque interpellarunt. Aduertit hoc Masius his verbis: *Videntur rursus duodecim viri accusandi cessationis, qui non vltrò Leuitis prospiciunt, sed dum interpellentur, spectant. At quis credat Pontificem Maximum Eleazarum suos tribules, atque adeò seipsum fuisse neglecturum, vt cæteri collegæ viri sanctissimi indiligentes fuerint.* Itaque hæc interpellatio nec diuisorum oscitantiam, nec Leuitarum arguit ambitionis vehementiam; imò solùm denotat prouidos primates de reliquorum commodis, & auxiliis viros illos adiisse, seque stitisse, ac mandata Numinis commemorasse. Masius.

2. In dubium vertitur apud auctores, an Leuitæ vrbium prædiorúmque domini fuerint in solidum, an vsufructuarij, vt forensi vocabulo vtamur. Masius censet fuisse quidem dominos, quibus & vendere licitum, & à quibus emere iustum. Allegat illud Leuit.25. *Ipsum audi si quis emerit à Leuitis, desinat possidere domum emptam, & vrbem in iubilæo, quia domus vrbium Leuitarum sunt ipsorum possessio inter Israelitas.* Itaque eo ab emptione vsque ad iubilæum interstitio licitum erat emptoribus possidere, & ex consequenti Leuiticis iusta de causa vendidisse. Leuitarum quatuor gentes annumerantur, Caathitæ ex Aarone prognati, Caathitæ nonnati ex Aarone, Gersonitæ: & Meraritæ. Quod cuiusque huius gentis munus apertè tradit Scriptura: ideò hîc abstineo. Masius.

Vers. 3. Dederúntque filij Israël de possessionibus suis iuxta imperium Domini, *&c.*

3. Nihil fuisse Israëlitas in re tam iusta cunctatos explicatissimè tradit textus; imò quamprimum Leuitarum primates duodecim illos viros interpellarunt, res collatis consiliis diligentissimè procurata est, & prout sors Leuitarum gentes designabat, vrbes etiam & suburbana illis decreta: sors prima fuit Caath familiæ ex Aarone sacerdote prognatæ, cui de Tribu Iuda Simeon & Beniamin tredecim adscriptæ sunt ciuitates. Notauit Arias Montanus quòd, vt Israëlitarum gentem in quatuor quadrantes diuidi voluit Deus, ita etiam Leuitarum Tribum in quatuor familias distingui prouidenter decreuit: inter eas verò eos sors primos statuit, qui sacerdotio functuri erant, vt secundum ea loca considerent, quæ templo viciniora, Messiæque natalibus clara. Hac igitur de causa effectum est, vt Iudas & Simeon, quibus ea regio adscripta, & Beniamin, qui Iudæ confinis, templique particeps censebatur, vrbes tredecim Caathitis dederint. Verùm quia secunda sors Caathitis etiam adscripta est, perstrictim, ne lector desideret, Leuitarum familias explico. Leui tertius Iacobi ex Lia filius tres filios genuit Gerson, Caath, & Merari. Ex Caath nati sunt Amram, Isaar, Hebron, Vziel: porrò Amram genuit Aaronem, Moysem, & Mariam. Ex Aarone prognati sunt Eleazar, & Ithamar: ex his duobus solis propagatus est sacerdotum, & Pontificum ordo: sic enim decreuit Numinis sententia illo felicissimo virgæ abortu, Arias Mont.

florúmque prodigio. Caathitarum alij Aaronitæ vocari possunt, atque hi soli sacerdotes; alij Caathitæ non Aaronitæ ad sacerdotum dignitatem non ascendebant; sed in Leuitarum numero continebantur, quos diuina lex Aaronitis subiectos esse statuit, & parentes voluit. Apud Hebræorum Magistros traditur amplissimum dignitatis gradum, Pontificatum scilicet perpetua successione apud Elezaris posteros mansisse vsque ad Heli ex Ithamare ortum, ob huiúsque filiorum flagitia iterum ad Elezaris stirpem rediisse. Gerson ætate fratrem suum Caath anteibat; verùm propter sacerdotij dignitatem illi iunior præfertur. Et quidem iure optimo dignitates, litteras, aliásque dotes etiam inter fratres attendendas hæc cælestis œconomia tradit, dum qui dignitate potior, fuerit etiam honore illustrior: nam vt benè disertissimus quidam politicus: *Si gradus: dignitatésque confundas, nihil est ipsa æqualitate inæqualius.* Certè in quadriga illa ad Numinis gloriam elaborata primus homo, leo secundus, eminentior aquila, licet fuerint omnes Cherubini, conspiciebantur. Et quidem dedeceret disertissimam illam politiam, si bos tardigradus volanti aquilæ præferretur: bos aliquando Cherubini ingenium explicuit; sed tum numeri illius apicem occupauit: quæ graduum & locorum pro meritis varietas quadrigæ gloriam sæculis æternauit. In huius etiam rei argumentum inter Caathitas Aaronitæ cæteris eandem ob causam anteponuntur. Caathitæ reliqui vt genere ipso Aaronitis coniunctissimi erant, ita loca proxima sortiuntur, apud Ephraimitas scilicet, Manassenses, & Danitas, quibus & ciuitates decem adscriptæ.

Vers. 6. Porrò filiis Gerson egressa est sors vt acciperent de Tribubus Issachar, *&c.*

Anteponuntur Gersonitæ Meraritis sorte, quibus etiam & nascendi antecesserunt prærogatiua: Merari filiis Ruben, & Galaad, & Zabulon vrbes duodecim cesserunt: quod totum consilio actum, sortitione definitum, sententia populi celebratum; denique iuxta decreta Domini deprædicatur perfectum. 4.

§. II.

Commentarius literæ.

Vers. 9 De tribubus filiorum Iuda & Simeon dedit Iosue ciuitates, *&c.*

IAM nominatim traduntur vrbes, quas quæque cognatio Leuitarum ex quaque tribu accepit: nihil enim Deo tribuitur, quod immortali gratitudine non vulgetur: *Qui dedit beneficium, taceat*, scribit Seneca lib.1. de Benef. cap.11. *narret, qui accepit.* Tribus Simeonitica vtpotè eisdem finibus clausa cum Iudaica censetur. Prima ciuitas Cariath-Arbe occurrit, antonomasticósque dicitur patris Enac, quia inter alias vicinas munitissima, diuitiarum, incolarúmque copia celebris, curiaque Principis. 5.

Seneca. *Taceat beneficium qui dedit, enulget, qui accipit.*

Hanc Calebo contigisse superiùs vidimus; verùm ad agrorum, vicórumque possessionem donatio illa referenda est: aut certè Deo Calebus reddidit, quam à Deo primam ciuitatem acceperat. Notat Masius non vrbem ipsam Hebronem; sed montem fuisse Calebo donatum, ne si à familiis, quas sorte iam acceperant ciuitates, pro Leuitis designarentur, aut exhæredes manerent, aut iterum sortes vocarent. *Quapropter*, inquit ille, *existimandum est illicò post sortitionem tribuum, priusquam inter tribules quid esset diuisum, designata fuisse asyla, Leuiticisque habitacula.* Dabir Leuiticis tributa explicatiùs traditur, quam nullus negabit pulchro præmio proposito captam. Masius putat cepisse vrbem Othonielem, non quia vrbs in Calebi sortem cessura; sed quia eius fœcundissimis aruis & fertilissimis fundis potiri desiderabat, ad quod hostes exterminare necessum erat. De vrbibus, quæ hîc numerantur, supra diximus: Illud verò Masius, & Arias Montanus notanter aduertunt, in multarum scilicet vrbium nominibus magnam apparere discrepantiam, si conferantur cum 1. Paralip. 6. descriptis: nam vrbs Iota in Paralipomenis tacita relinquitur, & pro Ain scribitur Asan, & id generis alia. Hebræi Doctores eam causam afferunt, scilicet habitationum Leuiticis designatarum nonnullas in Chananæorum tunc manibus fuisse, aliásque illorum loco subrogatas, quibus tantisper commodato vterentur, donec eliminatis hostibus proprias repeterent, habitarentque: vnde in hoc libro propriæ solummodò describuntur; in Paralipomenis verò etiam commodatæ. Quidquid sit de hoc, censerem vrbium appellationes variis sæpè casibus, & ipsa annorum volubilitate mutatas: ideóque quæ hîc alia sortiuntur nomina, in Paralipomenis sortiri diuersa.

Masius.

Hebræorum sententia.

Vers. 17. De Tribu filiorum Beniamin Gabaon, & Gabee, *&c.*

6\. In Paralipomenis Gabaon prætermittitur, & pro Almon Alemeth legitur: vtrúmque tamen nomen significat iuuentutem. Hæc eadem vrbs 2. Reg. 3. Bahurim dicitur, litteris, sed non significato mutas. Anathoth Ieremiæ ortu claram ab Helia tribus millibus passibus distantem tradit Hieronymus: *Reliquis verò per familias filiorum Caath*, &c. De Caathitis, qui ex Aarone genus non ducebant, hîc sermo est; ipsos verò vti Aaronitis proxima sanguinis necessitudine iunctos, & vicinos sors collocauit diuina: atque hîc rursus de vrbibus decem desiderantur in Paralipomenis duæ. *Filiis quoque Gerson Leuitici generis dedit de dimidia Tribu Manasse confugij ciuitates*, &c. Gerson maximus natu filiorum Leui duos susceperat filios Lobni, alias Libni, & Semei, siue Simi. Ex priore numerantur nepotes sex 1. Paralipom. 6. à quibus propagatæ sunt adeò numerosæ familiæ, vt vrbes tredecim illis fuerint à metatoribus designatæ: alij præcesserant apice dignitatis, hi vrbium aliis numerositate præcedunt: ne siquis omnigena refulgeat prærogatiua, & odiosa intumuerit superbia: dum verò alius dignitate claret, alius diuitiis exundat, sic attemperantur sortes, vt quisque & solatium habeat, & sibi ad cumulum nonnihil defuisse sentiat: plena namque vndequaque felicitas homines redderet infelices, dum nimis turgerent prosperitate feroces, ac dignitate superbi. Quis fortè dicat Gersonitis pleniorem sortem cecidisse, dum Caathitarum nonnullos ciuitatum numero excellunt: nam apud huius mundi amatores in sacris præcedentia parui æstimatur; diuitiarum verò abundantia maximi habetur. Ciuitates hæ in dimidia Manassensi cis Iordanem, in Issacharitana, in Aserina, & Nephthalina sedes obtinebant. Iaramoth in Issachar tribu sita Ramath vocata est: vtrumque nomen ab altitudine videtur desumptum. Bosra putat Arias Montanus in Latinis Vulgaris libris pro Baasthra translatum, aliísque litteris ab illa Bosra, cuius in Isaia mentio, Hebraicè interpunctum. Septuaginta pro Engannim quæ in Paralipomenis Anem, reddiderunt πηγὴν γραμμάτων, id est, fontem litterarum. Masius potiùs hortorum legendum censuit; nisi fortassis illo tempore à litteris, posteà verò ab hortis vocabulum mutuata est.

Arias Mont.

Septuag.

Masius.

Vers. 34. Filiis autem Merari Leuitis inferioris gradus per familias suas data est de Tribu Zabulon Iecnam, *&c.*

Merari trium filiorum Leui natu minimus genuit Moholi, siue Mahali, & Musi, ex quibus prognata est ea posteritas, cui hîc vrbes duodecim assignantur partim ex Rubenis & Gadis hæreditate cis Iordanem, ex Zabulonis trans Iordanem partim. Obseruauit hîc Masius hoc loco desiderari in Hebræo quas Rubenitæ contulerant ciuitates: nam etsi nonnullis in antigraphis post commemoratas Zabulonias addatur: *De Tribu Ruben Bosor, & eius suburbana, & Iassa & eius suburbana, Cedemoth, & eius suburbana, & Mephaath & eius suburbana vrbes quatuor*; idémque habeatur in Chaldæo codice manuscripto Complutensi, in antiquissimis tamen Hebræorum exemplaribus affirmat non inueniri, eásque Vulgatum nostrum de Septuaginta translatione Græca expressisse, non de Hebraicis codicibus euocasse. Ego quidem plurimum Masij auctoritati defero; sed in Regiis Bibliis expressas ciuitates lego, nec mihi persuadere possum Bibliorum Regalium compilatores Hebræis litteris ciuitates inseruisse non ab Hebræis, sed à Græcis exemplaribus mutuatos. Concludit sacer textus concessas Leuitis ciuitates in medio filiorum Israël compleuisse numerum, quem Numinis sancta decreta taxarant, vt ad vnguem diuina præcepta agnoscantur seruata, Leuiticisque præsidia, vt ratio fásque exigebant, tributa. *Licet munificentiam Regiæ*, scribit 8. variar. 23. Cassiodorus, *quotidie deceat cum Sole relucere, & iugiter aliquid facere, quo possit largitas Principis apparere; huic tamen conscientia debitum soluitur, quoties parentibus sub æquitate præstatur.* Luxit quidem populi munificentia tot ciuitates Leuiticis dilargita, apparereque potuit, dum illis omnia sub æquitate collata. 7.

Masius.

Cassiodor.

Principis munificentia relucet, dum sub æquitate donauit.

Vers. 41. Deditque Dominus Deus Israëli omnem terram, quam traditurum se patribus eorum iurauerat, & possederunt illam, atque habitauerunt in ea.

Fidem suam exactissimè liberatam testatur 8.

tur Deus, & quasi graui onere iam deposito veluti sibi congratulatur satisfecisse promissis. Et quidem fides omnibus religiosè seruanda; sed præcipuè proceribus & Principibus, quorum verba haberi omnibus inuiolanda debuissent syngrapha: quid enim tutum, si infidum Principis verbum? *Incommutabilis fides est omne, quod benè viuitur,* scribebat Theodahadus rex 5. variar. 40. & iure quidem: nam fidelitas est inter confusos dubietatum vortices frequentésque difficultatum procellas secura Helice, cuius adspectu nauim rectores aurigant, vt portum syrtibus superatis appellant: si promissis diffidatur, nec iussis obedientia præstatur. *Accessit meritis tuis cunctis laudibus pretiosior fides* (scribit Cypriano, vbi supra, rex) *quam diuina diligunt, mortalia venerantur: nam inter mundi fluctuantes procellas, vnde se humana fragilitas contineret, si nostris actibus mentis firmitas non adesset? Hæc inter socios amicitiam seruat, hæc dominis pura integritate famulatur, hæc supernæ Maiestatis reuerentiam piæ credulitatis impendit.* Terræ Hebræis traditæ paucis verbis ingenium, & fœcunditas describi non possunt. A Dan vsque ad Bersabee definitur, Iordane, & Alphaltitide ab Oriente; mari verò mediterraneo ab Occidente inclusa: nondum enim ad Euphratem vsque productus extendebatur limes. Sed dices magnam huius telluris partem adhuc à Chananæis occupatam possessamque. Ad hæc respondet Augustinus quæstionibus in Iosue lib. 6. omnem terram Israëlitis fuisse concessam: nam vel illæ etiam portiones ab hostibus occupatæ vtili exercitationi seruiebant. R. Leui F. Gersonis eum nodum alia ratione dissoluit, scilicet nunquam Chananæos bello fuisse Israëlem adortum, quos non victor profligasset, armisque subegisset: atque adeò omnem non occupasse terram Hebræorum ignauiæ culpæ vertendum fore, non Deo, quasi suis non steterit ante promissis. Masius Rabbini solutionem prorsus non probat: nam hic sacra verba significare videntur Deum reipsa soluisse sua quondam Israëlitis promissa, tellurisque traditione impleuisse pacta. Aliam ergo solutionem affert hic auctor, scilicet Deum, vt ex Exodi 23. constat, non spopondisse anno vno, hoc est breui temporis spatio, perpetuóque impetu exterminandos priscos habitatores terræ, cùm tunc Israëlitæ habitare adeò latam terram non possent, ferarumque commodis militassent, si possedissent: nam cùm deserta loca vastissimáque habitatore carerent, feræ bestiæ ea deserta inuaderent, propagatæque ingentissimum populo detrimentum afferrent. Itaque cùm diuina promissa in Hebræorum commodum essent, ea pro illorum tunc numero impertitus est, quæ vel ambitio posset desiderare, aliis in posterum reseruatis.

Quod benè viuitur, fides tribuendum.

Cassiodor.

Fidelitas vita virum, reipublicæ integritas.

August.

R. Leui.

Masius.

Vers. 41. Datáque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes.

9 Septuaginta. *Et requiescere fecit eos Dominus in circuitu.* Chaldaica Paraphrasis: *Et pacem dedit Dominus illis a circum circum.* D. Augustinus in Iosue, quo possint ita esse vera disquirit. Respondétque synecdochicôs prolata: nam licèt Chananæi valles pinguissimas occuparint, Danitasque habitare montes compule-

Septuagin. Chaldaic. D. August.

rint, pleræque aliæ tribus hostibus suis extiterant superiores. Similiter Paulus scribit Christum duodecim Apostolis apparuisse, cùm iam tunc suspensus Iudas crepuerit, idque generis occurrunt sexcenta: verùm Masius censet nunquam Danitas, nec Hebræos alios infeliciter pugnasse cum hostibus, nisi post Iosue, & Seniorum excessum. *Labascente*, inquit, *pietate atque disciplina res Israelitarum quoque inclinari cœpit. Itaque qui pietate aduersus Deum, & certa eius fiducia armati sunt, etiamsi ab aliis rebus sint imparatissimi, hi feliciter bella gerunt. Quibus autem in suis viribus, atque opibus spes est, fluxis se rebus fidere sentiunt tandem.* Pax à Deo procurata est continuis difficillimisque certaminibus fessis, vt figura veritati respondeat: nec enim animæ serenitas, tranquillaque passionum concordia nisi præliis durissimis obtinetur, & vitiorum trucidatione conquiritur. *Omni quippe regno*, scribit Cassiodorus 1. var. 1. *desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium custoditur. Hæc est enim bonarum artium decora mater, hæc mortalium genus reparabili successione multiplicans, facultates protendit, mores excolit, & tantarum rerum ignarus agnoscitur, qui eam minimè quæsisse sentitur.* Ergo pax à Deo data est, vt victores, continuis certaminibus fracti multiplicationi commodius intenderent, & tranquillius animos recrearent. Concludit textus nec vnum promissionis verbum immutatum; sed omnes hostes in Hebræorum ditionem redactos, aut quia pensis tributis contestabantur dominium, aut quia abacti concesserunt imperium.

Masius.

Qui virtute [illegible] armati, [illegible] prosperè [illegible].

Cassiodor. *Tranquillitas decora artium mater.*

---

§. III.

Valent apud sæculum auctoritate, & diuitijs magni; apud Dominum humilitate & virtute digni.

O Nos miseros, qui rerum pretium ab extrinsecis delusi taxamus! qui puerorum ad instar ad vernantium colorum, ad gratum nitorem oculis stupemus: non pensamus res fideli rationis libra, sed ambitiosa oculorum concupiscentia, & quibus inuidemus, magna iudicio passionibus obscurato putamus. Quàm benè Philo lib. de decalogo: *Vbi fastus insolentius exultat, adoratur a vanis hominibus stupentibus ad conspectum coronarum aurearum, & purpuræ, sellarúmque curulium, quibus impositas celsas potestates dijs æquas officiosa turba asseclarum prosequitur.* Mentitus fulgor, cultus pompaticus, officiosa seruulorum cohors non solùm implet intuentium oculos; sed admiratione percellit animos: plurimum tribuimus externis. *Antipater*, scribit Seneca epist. 96. *inter magnos sectæ huius auctores, aliquid se tribuere dicit externis; sed exiguum admodum.* O quàm magnus comprobatur Antipater, cùm externis exiguum, & internis multum adscribit, quandoquidem de sæculi more interna parui penduntur, & externa plurimi habentur. Etiam bona causa, si ab exiguis geratur, aut differtur, aut abiicitur, aut contra iura damnatur, cùm suspecta aut à iudicibus, vel iniqua, si à magnis nobilibusque tractetur. 10.

Philo. *Fastus ab hominibus adoratur.*

Senec.

tractetur. Ecce Leuitis de Domini præcepto vrbes pro habitacalis debebantur: æquissima erat petitio, & integerrimi quidem iudices; verùm, vt mundialem miris stylum coloribus nobis exprimerent, ad hanc causam non plebeios quosque; sed Principes delegarunt: *Accesseruntque Principes familiarum Leui ad Eleazarum Sacerdotem, & Iosue filium Nun, & ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel, locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt: Dominus præcepit per manum Moysi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda iumenta.* Abulensis quæst. 2. inquirit, cur familiarum Principes adierint iudicum suggesta, cùm vel plebeios quosque dignissima tueretur causa: respondétque ideò Principes adiisse tribunalia: quia etiam in optima causa valet plurimum, si accesserit magna persona. Profectò Eleazarus & Iosue personas non acceptabant: quia causarum æquitatem religiosa, prudentique sedulitate attendebant; adeò tamen commune tribunalibus est non tam causarum qualitatem, quam auctoritatem accedentium attendere vt Leui tribus non imprudenter Principes destinarit, quò habitacula sibi debita & faciliùs, & citiùs obtinuerit. (Abulen.) *Leuitæ volebant petere ciuitates, quas Deus iussit eis dari: ideò loco omnium ipsorum iuerunt Principes eorum ad petendum, & hoc propter duo: primò quia Principes continent eminenter totum populum: secundo ad maiorem reuerentiam: quia Principes Leuitarum erant personæ honorabiles, meliúsque attenderetur ad eos, quàm si plebeij viri hoc petiissent.* Ecce eadem causa Domini præcepto innixa non adeò facilè expediretur per plebeios gesta, ac expedita est per Principes acta: valent namque apud sæculum plurimum celsi: & quidem sæpè, ni fautoribus, & magnorum patrociniis suffulta iustitia indecore probroséque tribunalibus doleret abacta. Apud Deum valent interna; apud sæculum exteriora.

11. David, adolescentior cùm esset, senili viguit prudentia: non deerant diuitiæ irritamenta vitiorum; bona tamen copia auctus, quod rarum est, virtutibus resplendebat excultus. Huius Deus vitæ tenorem, si dici liceat admiratus regiis exornare disponit sceptris, & magno Samuële vnctionis causa ministro constituto de eligendo disserit, & in Bethlehem proficiscatur properè iubet: paruit extemplo Propheta: ecce præsto erat filiorum Iesse chorus ad vnctionem præparatus: oblatus est Eliab corpore procerus, ornatu vti primogenitus cultus, quem vt vidit Samuel, vt vngeret, cornu inuertit (3 Reg 16. v.6.): *Cùm ingressi essent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino Christus eius? Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum: nec iuxta intuitum hominis ego iudico.* Ecce apud Samuelem magnum quidem ministrum non Dauid valuit, in cuius anima virtutum prata; sed Eliab procerus corporis statura: reiectaneum Samuel cornu cogebat, vt vngeret non virtute dignum; sed magnitudine celsum; Deus verò Dauidem elegit non magnitudine celsum; sed dotibus virtutum conspicuum, vt iam constaret inter diuinam humanamque electionem hoc notum esse discrimen, quandoquidem vel apud Samuelem valuit altitudo; apud Dominum verò non externus fulgor; sed internus virtutum nitor. *Conspectum hominem*, scribit Basilius Seleuciensis orat. 14. (Seleuc.) *humanus mensus oculis miratur; sed gratia quod videbatur, repudiabat decreti diuini gnara; at Samuel miratus, quod viderat, hisce cum gratia contendit: Num coram Domino Christus eius.* Contentio erat inter gratiam & Samuelem: Samuel nitebatur eligere magnum; sed gratia expectabat dignum: dum accedit altus, magnitudini ad speciem adulatus, vt vngat, cornu cogit reiectaneum Propheta; sed Deus etiam aduersus violentiam expectat dignum. O quantam vim, vt flueret, Samuel faciebat vinctioni, Eliab magnitudine allectus, & altitudine prolectatus! *Cornu inuergens reiectaneum*, addit Basilius, *vt vngeret, cogebat.* Profectò magnitudo impulit ad violentiam, & vnctus fuisset Eliab, nisi diuinum restitisset decretum, quantumuis Dauidis merita pro ipso præstitissent suffragium. Eluxit vnica actione hominis, & Dei ingenium, dum alter honorat magnitudinem, alter virtutis suspicit dignitatem.

12. Amanus ille pessimus ac virulentissimus Iudæorum hostis ab vnico Mardochæo, vt rebatur ipse, offensus in Hebræos omnes rabidæ indignationis furorem effundere procurauit: res erat commiseratione dignissima: insontes publicis proscribebantur edictis, regisque familiaris nocentissimis ipsi regi gratiam conciliabat sibi mendaciis: hoc rerum statu Esther orationis aciuit patrocinium, & deposito regio ornatu nititur Deum ad commiserationem flectere, & salutem contribulibus impetrare: (Esther 14. v.1.) *Cùm deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro vnguentis varijs cinere, & stercore impleuit caput, & corpus suum humiliauit ieiuniis.* Cùm prolixum luctui, orationique tempus impendisset, regem pro populo suo interpellare decreuit, ad quod & lugubres deponit vestes, & intextas auro ad maiorem cultioris ornatus pompam adsumit: (Esther 15. v.5.) *Circumdata est gloria sua, cúmque regio fulgeret habitu, & inuocasset omnium rectorem, & Saluatorem Deum, assumpsit duas famulas, & super vnam quidem innitebatur, quasi præ deliciis, & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens; altera autem famularum sequebatur dominam defluentia in humum indumenta sustentans.* Diuersus cultus pro diuersis tribunalibus est assumptus: sola despicabilique habitu confugit ad Dominum; puellis verò comitata, pompaticisque exculta vestibus allocutura ingreditur Principem. Et cur si apud Dominum lugubri valuerat habitu, nō valeat apud regem despicabili etiam vestitu? Certè adeò æqua erat causa; vt regalis auctoritatis minimè indigeret tutela: cur ergo Esther causæ detrahit, cùm ad innocentiæ defensionem regalis vocat auctoritatis patrocinium, & pompaticum splendidè ornatum? O dilaudandam sæculis mulieris prudētiam! Sciebat apud Dominum solum valere virtutis meritum, non pretiosum corporis cultum; apud sæculum verò virtutis contemni causam suspicique famulantium, & magnitudinis pompam: ideò vt Domini sibi conciliauerit gratiam, mœret; vt regis verò beneuolentiam, refulget. Innuit noster Sanctius: (Sanctius.) *Adhibuit duas famulas, quarum altera longum syrma, id est, defluentes a tergo vestes sustinebat, deinde ad alarum Herodum*

roidum consuetudinem ostentans ad horum igitur exemplum, ne regios offenderet oculos, infirmitatem simulans alteram ancillæ dedit rebat Esther. Magnitudinem ostentauit, ne offenderet: sciebat namque apud sæculum valere plurimùm euanidam potentiæ gloriam, vt apud Dominum solidarum virtutum summam. Citò obtinuit quæ magnitudinis suæ admiratione oculos intuentium impleuit: quam forsan aliter accidisset, ni pro iusta causa pompaticus ornatus militasset.

13. Producamus in huius veritatis comprobationem duos homines, alterum ingenij diuini gnarum, alterum humani satis styli expertum: Deus apud Abrahamum sub quercu refrigerauit, cùmque Sodomam versus nigras sulphureasque flammas eiaculaturus contenderet, vt quem pectoris immensitas ad speciem non capiebat, dolorem aliquomodo deliniret: arcana dilecto suo Abrahamo committit: ille, vt erat pietatis ac misericordiæ discipulus, fusis semel & iterum precibus, Deum obnixè rogat, ne iustos peccatoribus quodammodò intextos globulis vltulantibus tradat; vtque preces gratiores inueniant aures, se cinerem ac puluerem

Genes. 18. v. 27. confitetur: *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.* Et cur non ostentarit se auro, argentóque locupletissimum esse, fœtosisque ouibus exundare? Iam textus

Gen. 13. v. 2. eius commendarat diuitias: *Erat*, inquit, *diues valde in possessione auri, & argenti.* Ergo quibus exundat, diuitias iactet, quò sibi facilius gratiam conciliet. Certè aliter Pilatus cogitauit: nam cùm Domini silentio in admirationem raperetur, quò verba extorqueret, auctoritatem potentiamque non sine superbia alle-

Ioan. 19. v. 10. gauit: *Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei: dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te!* Si Pilatus muneris sui auctoritatem prodit, quo Christi loquelam venetur, cur Abrahamus superbas diuitias tacet, & abiecti humilitatem cineris profert? O virum prudentem! Agnouit Deum, qui humilitatis patrocinium asciuit: Deum ignorauerat, qui superbi culminis potentiam ostendit. Abrahamus, vtpote virtutis filius, cælesti stylo alloquitur Dominum; at Pilatus sæculi progenies mundiali alloquitur Christum: ostendit auctoritatem, deprædicauit potentiam, vt facilius desiderata impetraret: apud sæculum namque magni habentur diuites, ac dignitatum luminibus splendentes. Miratus est præses morem sibi non geri, seque quem omnes alloqui multis iam temporibus suspirarint, ad speciem silentio contemni, nec potestatem superstitiosè adorari: nam apud sæculum potentes quidquid desiderant, consequuntur, & ab omnibus adorantur. Pilatus Christum suspicatus est merum hominem, ideóque, vt extorqueret contra rationem loquelam, potentiæ ostentauit gloriam: Abrahamus se puluerem humiliter confiteri rem esse nouit virtutis, se iactare diuitem nullius haberi apud Deum auctoritatis: ideò fortunæ tacuit dona, & humilitatis exambiuit prudentissimè patrocinia: Gentilis Iudex verbis & factis Christum non Deū; sed merum hominem cogitasse probatur, quandoquidem non recurrit ad humilitatis merita; sed dignitatum iactanter ostentauit fastigia: apud homines namque valent auctoritate, & diuitiis magni, apud Dominum humilitate, & virtute digni. *Se despicit*, scribit Gregorius 18. Gregor.
moral. cap. 23. & apud Lippoman. *qui vsque ad honorem diuinæ collocutionis ascendit:* Abrahamus vt ad Dei colloquia ascenderet, se fauillam dixit: sciebat namque apud Dominum haberi plurimi virtute & humilitate conspicuos; at Iudex Ethnicus, quia res de sæculi more censebat, quo impetraret colloquia, dignitatis ostentauit potentiam, & euanidam potentiæ gloriam.

---

§. IV.

Etsi Dominus ex se beneficus; oratione tamen pulsatus, & largitur citiùs, & tribuit largiùs.

EA est diuini Numinis liberalis conditio, vt quæ creaturis impendit, sibi videatur accipere: pretiosissimum sibi arbitratur lucrum, quod confert hominibus commodum: vtque 14.
fœcunda aquarum scaturigo se vrget, vt fluat, tantóque substrictis limitibus premitur angustata, quantum aquarum prouentibus ditatur copiosa; sic diuina munificentia seipsam impellit, & dum diffunditur copiosius, exultat lætius: *Diuinæ bonitatis imber delatus*, aiebat Se[illegible]
Basilius Seleucientis orat. 2. *posterioribus donis obscurat priora: namque velut parturiens magnificentia sua munera, & habere clausum penes se thesaurum impotens non est contentus prioribus, neque rebus antè dilargitis dona sua circumscribit.* Plus numen gaudet donando, quàm lætetur homo accipiendo, nec hydropica adhuc hominum cupiditas diuinam potest haurire munificentiam, aut ambitiosam dandi sopire flammam. Verùm licèt ex se innatè sit generosus; oratione tamen desideria nostra vincit pulsatus: gaudet, si fas est dicere, inquietari; & precibus quodammodò impelli. *Intelligimus*, aiebat Cassiodor.
Theodohadus 10. variar. 26. *serenitatis vestræ gratiam muneribus omnibus ditiorem, quando illa nos hortamini facere, quæ ad mercedem nostram possint omnimodis pertinere: tale siquidem votum semper amantis est, vt causas misericordiæ velit agere, quæ nos diuinæ possint commendare potentiæ.* Rogabatur Theodohadus tributa ob sterilitatem remittere, & rogantis laudauit votum, ac si ipse donans reciperet beneficium: quia tunc diuina dilucidiùs resplendet potentia, cùm confert desiderantibus commoda: & quidem petitio est clara illius, à quo petitur, excellentiæ protestatio. Hebræorum tribus sorte possessiones accipiunt; inter alias verò Leui cæteras ciuitatum numero excellit: Leuitis namque quadraginta octo ciuitates fuerunt adscriptæ:
Ciuitates vniuersæ Leuitarum in medio possessionis filiorum Israel fuerunt quadraginta octo. Iosue 21. v. 39.
Quòd si hunc ciuitatum numerum cum aliis conferas, longè excessisse reperies: Issachar namque solùm ciuitates sedecim contigerunt: *Ciuitates sedecim, & villæ earum:* Zabulon duodecim, & sic in aliis. Iosue 19. v. 22.
Cur ergo tot adscribantur Leuitis, cùm pauciores datæ sint aliis? Ea se mihi offert ratio: Iosue alias tribus ad accipiendum quodammodò compulisse: *Vsquequò*, aiebat, Iosue 18. v. 3.

marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis? Leuitas vero, vrbes sibi fusis precibus impetrasse. *Accesserunt*, inquit, *Principes familiarum Leui ad Eleazarum Sacerdotem, & Iosue filium Nun, & ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel: locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt: Dominus præcepit per manum Moysi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum.* Dum Leuitæ petunt, plures ciuitates acquirunt: nam quamuis Iosue Domini imago omnibus abundè largiatur: erga illos tamen, qui fusis precibus largitorem exaltarunt, & liberalior extitit, & magnificentior illuxit: aliis tribubus dedit oratione non inuitatus, Leui precatione allectus, vtque omnibus constet magnam orationi inesse efficaciam, dum orando largitoris prædicat exertè gloriam, orantibus plus concessit, & citiùs tribuit. Huc voco Chrysologum serm. 39. exclamantem: *O quam dare vult, qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari.* O infinitum liberalitatis ingenium! Ex se vult dare, & quasi ab extrinseco anhelat cogi, vt quasi geminato incitatus impulsu, & tribuat largiùs, & largiatur dona celeriùs. (margin: Chrysolog.)

15. Cum turbæ Christum Dominum sequerentur, ita que concionibus sic interessent attentæ, vt nec sustentationis recordarentur oblitæ, illis extemporaneam apponit mensam: Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis ait illis: *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt.* Ipse Dominus non oratione inuitatus, non precibus allectus cibos dilargitur, septem panes distribuit, paucósque pisciculos incrementat: *Accipiens septem panes gratias agens fregit, & dabat discipulis suis*: quatuor millia hominum famem depulère, & post saturitatem septem superesse sportas conspicies: inquit enim textus: *Sustulerunt quod superauit de fragmentis septem sportas; erant autem qui manducauerant quasi quatuor millia.* Non absimile miraculum apud ipsum Marcum reperies. Ferè infinita hominum multitudo Dominum sequebatur, quorum aduocati Apostoli Christo suggerunt, magnam pati alimentorum inopiam, famisque ardentissimam flammam: *Cum iam hora multa fieret, accesserunt discipuli eius dicentes: Desertus est locus hic, & iam hora præteriit*: Dominus Apostolorum monitis incitatus quinque panes multiplicat, & quinque millia hominum abundè satiat: *Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus intuens in cælum benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, vt ponerent ante eos, & duos pisces diuisit omnibus, & manducauerunt omnes, & saturati sunt, & sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus.* Vbi pauciores panes, maior hominum alitur copia, & exundat maior fragmentorum abundantia. Ecqua discriminis causa est? Certè vtrobique eadem largitoris potentia, & similis quidem causa: cur ergo alibi de exiguo alimento mensa lautior, & alibi angustior? Quia alibi, respondet Augustinus serm. 209. nulla Apostolorum auditur precatio; alibi verò pro turba intercessores accedunt, & necessitate premi Domino suggerunt: quamuis ergo Dominus ex se liberalissimus magnam egentibus alimentorum copiam fuerit dilargitus orationibus nullis allectus; maiorem tamen exhibuit abundantiam, vbi oratione pulsatus: vt hoc facto orationis commendauerit energiam, ostenderitque quòd licèt à seipso impulsus larga impenderit beneficia; supplicatione tamen allectus maiora largitur dona. Audi Augustinum: *In superiore lectione de quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum satiauit; hic septem panibus saturauit quatuor millia hominum: ibi discipuli suggerunt Domino dicentes: Locus desertus est, & hora præteriit: dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas; hic penitus tacent discipuli; sed ipse Dominus pro eis solicitus est.* En apertam discriminis causam, alibi scilicet nullis precibus dedisse impulsum, alibi orationibus discipulorum allectum: dedit quidem Dominus ex se vltra populorum indigentiam; à se verò, & ab Apostolis incitatus maiorem largitur copiam: quo nostræ thesis dilucidè appareat veritas, Deum videlicet ex se beneficium supplicatione pulsatum beneficia impertire citiùs, & præbere cumulatiùs.

(margin notes: [illegible] — beside "Cum turba multa esset"; Marc. 6. v. 35.; Augustin.)

16. Elisæus, cùm apud piam Sunamitidem sæpiùs diuertisset, ne ingratitudinis subiret notam, sterilitatis à domo depulit ignominiam: sic Sunamitis deuotè seruiebat, vt nullis alliceretur spebus, sic Elisæus compensauit officia gratus, vt cælestibus mulierem ditaret benedictionibus: *Ecce sedulè in omnibus ministrasti nobis, quid vis vt faciam tibi?* Inuitata, vt peteret, quod mulieribus rarum est, omni petitione abstinuit: *In medio populi mei habito*: tunc Propheta filium promittit, & ipsius mulieris votum excedit: *Habebis in vtero filium.* Ingens quidem beneficium non exoratus largitus est. Hic idem Propheta, cùm accepto iam spiritu Iericho ingrederetur, ciues accurrunt, & aquarum depellat sterilitatem obnixè petunt: *Dixerunt viri ciuitatis ad Elisæum: Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse domine perspicis; sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis.* Quid tunc? Sale condit aquas; & quasi de peruerso auxiliatus sterilitatem sterilitate depellit: *Hoc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltrà in eis mors neque sterilitas.* Iam quæres, cur Elisæus statim ac Iericho est receptus hospitio, copiam tribuerit hæredum, cùm apud Sunamitidem diuersatus vnicum orationibus impetrauerit? Sanè filiorum copia ad speciem Sunamitidi debebatur, satisque erat vni aut alteri Ierichuntinorum tribuisse filium: cur ergo mulieri vnicum, & tot Ierichũtinis cõcessit hæredes? Quia alibi, inquit Ambrosius serm. 2. de Elisæo Propheta, ex se dedit impulsus; alibi verò opportuna precum importunitate rogatus: dum ergo orationibus allicitur, lautior beneficiorum exundat copia, & vincunt numerum beneficia. Accipe Ambrosium: *Cum idem Elisæus post ascensum sui magistri venisset Iericho, & rogaretur à ciuibus, vt in eadem consisteret ciuitate, dixerunt: Commoratio oppidi bona est; sed aquæ malæ, & steriles sunt. Tunc præcepit sibi dari vas fictile, & recondito in eo sale veniens ad exitus aquarum proiecit in aquas dicens: Sanaui aquas istas.* Audi attentiùs, quæ subdit: *Dum sterilitatem auertit aquarum, successionem largitur hæredum: non enim hoc facto vnum Elisæus sanauit hominem, aut vnius domus præstitit medicinam; sed totius ciuitatis*

(margin notes: 4. Reg. 4. v. 13.; 4. Reg. 2. v. 19.; Ambros.)

ciuitatis populum reparauit. Dum non rogatur, vnicam mulierem sanat; dum rogatur, vniuersum populum reparat: magnum quidem à seipso Sunamiti impendit beneficium; sed rogatus filiorum adauxit numerum: habet namque eam humilis oratio efficaciam, vt ex se expromptam eiceat viuidiùs diuinam misericordiam. Cùm Elisæus rogaretur à ciuibus, successionem largitur hæredum: reddidit namque, quod proprio debebat ingenio, & quod precantium etiam debebatur studio. O si diuinam misericordiam deuotis pulsares precibus, & gratis ad copiosiora beneficia compelleres orationibus.

17. Moysi Deus obiicitur ardenti, & illæso rubo; pastorem tamen accessisse non patitur; sed voce
Exod. 3. v. 5. prohibet gressum: *Ne appropies huc.* Hic idem postea sic Deo proximus, vt manu tetigerit, &
Exod. 33. v. 21. vultum luce clarissima circumfuderit: *Ponam te in foramine petræ, & protegam dexterâ meâ.* Et cur modò non solùm cælesti donet visione; sed etiam tactu, si olim prohibuit gressu? Magnum quidem beneficium Deum etsi à longe, flammanti rubo spectare; augustius tamen proximiorem contingere: cur ergo alibi præcipiat distantiam; cum hic super vultum apponat dexteram? Explicuit sanè textus discrimen: priùs namque ipse Deus ex se pecora agenti est obiectus; postea verò prolixis orationibus, vt se manifestaret, rogatus. *Ostende mihi*, instituit Moyses, *gloriam tuam*: vbi ergo supplex impetrauit oratio, augustius beneficium resplenduit, & cumulatius eluxit; vbi verò orationis non intercessit suffragium, gradientis impeditum est votum: accepit à Domino grande beneficium; grandius tamen orationis arte sibi
Lippoman. beneficiorum solicitauit augmentum: *Nunc*, aiebat Lippomanus, *vt gloriam nominis sui ostendat, maximo cum affectu petit*: oratio, quem natura anteà tardarat, approximare fecit, si fas est dicere, contra naturam: à Dei misericordia consecutus est miram visionem; distantem tamen; impetrauit à precibus proximiorem: dum proximat, petit; dum retardatur, non orat.

---

§. V.

Bona Ecclesiastica auarè retenta, aut violenter inuasa vel magnarum sunt felicitatum exitia.

18. ALiena substantia certa felicitatis est tinea,
quando in damnum possessoris habetur,
August. quidquid contra æquitatem acquiritur. *Audisti, non furaberis*, scribit Augustinus serm. 205. de tempore; *tu rapis: ante conspectum tanti iudicis tam te non furem teneo; sed raptorem: parce tibi, miserere tui ... contraria est vita tua votis*
Vita nostra est votis nostris contraria. *tuis.* Rapis, quo diuitias augeas, & tibi contrariè diuitias perdis, quia rapis: alienum aurum est propriæ facultatis ærugo: nec iniustè acquisitus diuitiarum copia incrementatur; sed vritur: nam quidquid extraneum, habere ignis comprobatur incendium. Verum, etsi aliena semper substantia felicitatis sit tinea; tamen quæ Ecclesiasticæ sunt bona, voracior fortunæ
Damian. probantur flamma? *Decimæ* [illegible] *plebes adducuntur in beneficium* [illegible], scribit Damianus lib. 1. epistolar. epist. 10. *quæ profectò liberalitas inhonesta & indigentibus adimit, vnde viuant; & diœcesanos etiam deterret, vt decimas non persoluant: vna scilicet res & illis subtrahit corporale subsidium, & istis periculum prouidet animarum. Quod totum in malè munificis caput redundare nulli dubium est.* Decimas rapere, aut auarè retentas non tribuere in caput iniqui redit possessoris, & vnde accrescere desiderabat substantiam, cum substantia amittere solet vitam. Leuitarum Principes à Domino destinatas ciuitates sibi dari deposcunt. *Accesserunt Principes familiarum Leui ad Eleazarum Sacerdotem, & Iosue filium Nun, & ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel, locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt: Dominus præcepit per manum Moysi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda iumenta.* Quid tunc? Statim dederunt quod petebatur, qui, si Ecclesiastica bona contra legem retinerent, & bona reliqua fors amitterent: *Dederunt filij Israel de possessionibus suis iuxta imperium Domini.* Statim Leuitis debitas ciuitates dare festinant, ne, dum cunctantur, in pœnam cunctationis barbaris hostibus pendant. Huc voco quod aiebat
Augustinus serm. 219. de tempore: *Dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti.* Ergo Israëlitæ prudenter debitas ciuitates tribuunt sacerdoti, ne impio compellantur præbere militi. August. *Dare nolenti tur impio militi, quod iniustè denegatur sacerdoti.*

Cùm Hebræorum scelera stabili plus auderent pace fota, illos decreuit Deus duris flagellis corripere, ne prorsus compelleretur atterere: 19.
Philisthinorum potentia vsus solum cogit vertere, & dulcissimam libertatem non semel captiuitate durissima commutare. Barbarus ille populus potentia tumidus, & superbia vanissime inflatus non solùm Hebræis gestiuit inferre violentiam; sed sacratis etiam rebus facere non extimuit iniuriam. Sacram captiuant arcam, & infaustum sibi trophæum in templum Dagonis inferunt: *Intulerunt eam in templum Dagon:* 1. Reg. 5. v. 2.
verùm retenta arca ad triumphorum elogium, inuenta est Dagonis, & triumphatorum excidium: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini:* nec solùm Dagon iustæ vindictæ tulit pœnas; sed populus etiam pudendas in natibus plagas: *Aggrauata est manus Domini super Azotios.* Verùm cur Deus quos non percusserat ob victoriam, modò demoliri gestiat ob arcam? Si illis Deus vti flagellis est visus, quo Hebræorum reprimeret insolentiam, quid grauem adeò intulerit mulctam? Quia Deo sacram iniustè possident arcam, adeò exitiale est hominibus Deo sacrata aut violenter rapere, aut iniustè possidere, vt qui ob tot perpetratas Hebræorum cædes nullas soluerint pœnas, ob retentam arcam ignominiosas tulerint plagas. Et quidem si secum sacra persisterent retinere, sibi vitam præter intentionem inuenirentur abscindere; ast dum remittunt, & opportunam infortuniis medelam apponunt. Adest Rupertus
in lib. 1. Reg. cap. 14. *Grande spectaculum, grande miraculum. Translata ab Israel gloria Domini, capta ab allophylis arca victoriam de victoribus versa vice exegit.* Feliciùs triumphassent, ni arcam secum detulissent; ast dum sacra iniusti raptores possident, nec valent tranquillè degere, nec sine doloribus viuere: arca erat illorum felicitatis venenum, & sempiternum opprobrium. Rupert.

Giezi, Mariaque Moysis ac Aaronis soror 20.

ob,

ob admissum scelus fœdissima lepra asperguntur; eo tamen discrimine, quod Maria sanitati citò restituta est; Giezi verò æternum tulit opprobrium, & ad posteros transmittendum supplicium. Et quidem, si accuratè inspexeris causas, videtur leviùs non peccasse Maria: abstulit Giezi à Naamano aurum fraudulenter & vestes; Maria verò fratris honorem dedecorosis murmurationibus obscurauit. Repetamus historiam, vt vtilem eruamus doctrinam: obmurmurat contra fratrem Maria: ait namque textus:

Numer. 5. v. 1.

Locuta est Maria, & Aaron contra Moysem propter vxorem eius Æthiopissam: huius delicti mulcta fuit lepra: *Ecce Maria apparuit candens leprâ.* Facie tulit notam, quæ alienam obscurauerat famam: ab omnibus separata exulat, quo oblocutores, obmurmuratoresque debere ab omnibus exulare mõstrarit: Giezi vestes aurumque ad prophetarum cõmoditatẽ accepit oblata: dedit Naamanus mutatorias; sed prophetarum filiis: largitus est aurum; sed ad religiosorum commodum: ergo quæ Giezi accipit bona, ex dantis intentione prophetis, ac sacris ministris comprobantur dicata, ob idque indelebili perfunditur lepra:

4. Reg. 5. v. 27.

Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum. Ecce supplicij disparilitatem: Maria lepram incurrit; sed Ecclesiastica bona non rapuit; Giezi filiis prophetarum vestes, & aurum oblatum rapit, & dum rapit, æternam sibi lepram imprudenter asciscit: *Modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim ex filijs prophetarum:* Elisæi nomine Naamanum allocutus mentitur: *Da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices.* Ecce quæ à Naamano offeruntur, ad prophetarum filiorum victum, & ornantur, dicantur: dum ergo Giezi Ecclesiasticorum bona fraudulentus accepit, & lepram numquam depellendam admisit: vt omnibus notum esset, quod etsi omnis culpa salutis sit, ac commoditatis exilium; in bona tamen Ecclesiastica admissa efficacissimum est venenum.

Lyra.

Licèt Prophetæ, scribit Lyra, *non acciperent aliquid quasi pretium prophetiæ; quia tamen pauperes erant, viuebãt de oblatis sibi curialiter & deuotè.* Oblata deuotè accepit, ideò & perpetuam lepram supplicium tulit:

Abulens.

Mentitus est, inquit Abulensis quæst. 28. *quia dixit venisse adolescentes duos de monte Ephraim, & quòd pro illis erant ista munera:* dum oblata prophetis munera vsurpat, & æternis lepræ suppliciis laborat: nec enim poterat se integro frui, dum Ecclesiastica munera, & iniustus sibi aggerabat, & fraudulentus petierat. Citò Moysis soror sanitati restituta est: quia alio genere delicti peccauit; Giezi verò æternam tulit mulctam, quia Dei ministris oblatorum exambiuit rapinam.

21. Iudas non solùm infelicissimus fuit, quia Christum Dominum nefandus proditor tradidit; sed quia proditionis pretium de templo oblatis accepit: audeo dicere forsitan ob Christum venditum suspendij non tulisset supplicium, nisi sacratis pecuniis priuasset ærarium: fur Domino, sacroque collegio oblata rapuerat:

Ioan. 12. v. 6.

ait namque Ioannes: *Fur erat, & loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat:* itaque oblata Domino diripiebat, ac iniquissimus nundinator, vt templi gazophylacium vacuaret, Dominum venditabat:

Matth. 26. v. 15.

Constituerunt ei triginta argenteos: certè de à populo oblatis. Hæc ergo pecunia sic cor proditoris exedit, vt viscera effundi cogeret.

Drogo.

Ita Drogo de Sacram. Domin. Passion. *Plenus erat venter, & ruptus est: venter crepuit medius, vbi sedes erat Sathanæ... Diffusa sunt omnia viscera eius: pecunia viscera sunt auari: illa diffunduntur, & perduntur.*

Augustin.

Accinit Augustinus in appendice serm. 48. *Non sufficit ei sacrilegij carere mercede, nisi careret & salute.* Pecunia ad laqueum impulit: nec enim poterat potiri vita, quem sacra condemnabat pecunia. Vtque videas quàm vel cæci Ecclesiasticam facultatem contra ius possidere refugiant, ipsi Pharisæi, qui Christum Dominum occidere non detrectarunt, bona sacra possidere noluerunt: nam cùm Iudas serâ ac stulta pœnitentia ductus pretium retulisset, in corbonam timuerunt mittere, & sacris vsibus decreuerunt dicare:

Matthæi 27. v. 6.

Principes Sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium sanguinis est. Qui emptum sanguinem non expauerant, sanguinis pretium sibi retinere fugiebant: nouerant namque Ecclesiastica bona auarè retenta aut iniquè rapta omnis esse calamitatis illicium, omnisque salutis venenum. Adest Augustinus citato loco: *Vide quanta vis Dominica sit pecunia, quam inde Iudas reiicit, hinc Pharisæi in loculos non recludunt: iusti enim sanguinis pretium pertimescit iniquitas possidere.* Vel audacissima Pharisæorum iniquitas, cùm non timuerit crucifigere Dominum, sacrum veretur accipere sibi pretium: sciebant namque Ecclesiastica bona, ni ritè possessa, afferre possidentibus immensa calamitatum volumina.

22. Primus ille Hebraici populi infelicissimus Imperator, vt cupiditati inseruiret, Numinis mandata contempsit; cúmque indignis factis Samuëlem terga vertere compelleret, violentia retinere curauit:

1. Reg. 15. v. 27.

Conuersus est Samuel, vt abiret; ille autem apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissa est. Vides ad Ecclesiastica bona manum misisse; vide etiam ingenti cum fœnore præter intentionem compensasse: nam cùm imprudenter spelæum fuisset ingressus, in quam foueam fecerat, incidit: ibi namque Dauid, eiusque milites latitabant; verùm Dauid iniurias humanitate vltus est: osori pepercit, & furentis æmuli saluti prouidit; regalis tamen oram chlamydis ad fidelitatis argumentum disrupit:

1. Reg. 24. v. 5.

Præcidit oram chlamydis Saul silenter. Regalis chlamydis ora persoluit, quam Sacerdotalis ornatus summitatem præcidit: aduersariis pependit, quod violenter à Sacerdotibus abstulit: ipse regalem sibi ornatum imminuit, cùm Sacerdotis vestem temerauit.

Raban.

Chlamydis abscissio, scribit Rabanus apud Glossam, *regni amputatio est: vnde cùm Saul vestimentum dirupit Samuelis, ait Samuel: Dirupit Dominus regnum Israel de manu tua.* Samuëlis ornatus frustulum ad oram regalis vestimenti præscindendam fuit ferrum: soluit regno, quod sacrilego possederat ausu: vt timeant potentes de Ecclesiasticis bonis facultates cumulare, quandoquidem ipsum cumulare est amittere, ad magnasque vsuras teneri.

§. XVI.

§. VI.

Qui generoso mundum calcauit despectu, nullo terrenorum fœdetur ambitu.

23. COmmunis & generalis ambitio omnes nititur duro subiectare imperio, & ferreo constringere iugo: ferè nullus hac insania vixit immunis, etiam togati, purpuratique inquietam immeratæ ambitionis patiuntur seruitutem, & dum euanidam auidiùs discupiunt gloriam, grauiorem sustinere coguntur pœnam: omnibus incommodis; imò & contumeliis in votorum suorum causis inniti non renuunt, dum nunquam adipiscenda sibi fastigia dignitatum suspirant; hoc tamen iugum nonnulli in tutum ducti confringere didicerunt, & cælesti pulsu illustrati se in libertatem filiorum Dei dignis actionibus vindicarunt: in littore consistentes, quæ traiicientes fluctus naufragia sustinuerint, spectant, & sibi de securitate plaudunt, cùm de alienis calamitatibus ingemiscunt: *Non sum potens*, aiebat Seneca de remed. fortuitor. *gaude quia impotens non eris: iniuriam accipere potero, gaude quia facere non poteris: magnam pecuniam habet: hominem illum iudicas? arca est. Quis arario, quis plenis loculis inuidet? & iste, quem dominum pecuniæ æstimas, pecuniæ loculus est. Multum habet. Verum auarus, aut prodigus est? Si auarus, non habet; si prodigus, non habebit: iste, quem beatũ credis, sæpè dolet, sæpè suspirat. Multi illum comitantur: mel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ: prædam sequitur ista turba, non hominem.* Rerum species nobis imponunt, & scatere putamus gaudiis, quæ molestiis exundare comprobantur ærumnis; qui verò pleniori luce fruuntur, quæ reliqui mirantur, contemnunt, & nihil illis solidi inesse cognoscunt; vtque, qui semel cibum stomachum mouentem comedit, vel ad eius conspectum nauseat; sic qui ambitionis aliquando subiit dominium, si iam meliora sapit, vel ambitionis vmbræ souet pectoribus tædium. Ecce cum aliæ tribus pro sortibus, ac sortium ampliatione Principes sæpè sæpiùs interpellarint, Leuitæ vltimo loco accedunt, nec iam prædiuites fundos; sed habitacula tantùm poscunt: *Accesserunt Principes familiarum Leui ad Eleazarum Sacerdotem, & Iosue filium Nun, & ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel, locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt: Dominus præcepit per manum Moysi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda iumenta.* Non frequentant Principum domos, vt lautioribus facultatibus ditentur: non dignitatum apicibus fulgere discupiunt; sed iuxta præceptum Domini nidulos, quibus possint viuere, petunt: imò qui inter Leuitas sacratioribus ministeriis dicati, vel ab hoc vmbratili ambitu reperiuntur alieni: nam cùm inter Leuitas alij essent Principes originis titulo, alij sacerdotalis dignitatis ministerio, illi solùm pro ciuitatibus ad habitandum adiere iudices, qui originis iure Principes, quasi alios pignerit, vel necessaria petere, & caduca studiosè exambire. Itaque in qualibet Leuitarum familia geminus erat Princeps, alius scilicet, qui iure originis erat quasi familiæ caput: alius, qui sacerdotalis dignitatis iure erat à Domino aliis præpositus, & vti sacrorum doctor destinatus. Principes ergo, qui accesserunt, vt pro ciuitatibus iudices interpellarent, fuerunt ex illis, quos sanguinis titulus ad imperium extulerat; non illi, quos sacerdotale munus sacris solùm ritibus dedicarat. Itaque Deo sacrati vel ab hac exigua satis ambitus vmbra remoti. Sanè non erat ambire, iuxta præceptum Domini sibi ciuitates deposcere; verùm qui inter Leuitas sacratiores, honesto adhuc ambitui non seruiunt; sed diuinis prorsus intendisse discupiunt: & ob id fortè textus vocauit Principes familiarum, vt innueret non accessisse, qui sacro Principes ministerio; sed solùm qui cognationis humanæ titulo. Ita Abulensis quæst. 2. *Cum dicitur quod Principes familiarum Leui accesserunt ad petendum ciuitates, non intelligitur de Principibus, qui erant Sacerdotes, & exigebant rationes ab ipsis Leuitis; sed de Principibus familiarum, qui erant de origine ipsarum familiarum: quia isti propriè vocantur Principes familiarum.* Ecce qui sacerdotij iure Principes, sacratioribusque ministeriis dicati, sic ab omni ambitus specie extitere semoti, vt nec pro habitaculis iudices interpellarint, nec dominium ciuitatibus quæsierint: quo nos optimis erudirent exemplis, docerentque nec leui ambitu debere infici, quos constat veluti ab hominum numero exemptos sacratiori Numinis contemplationi dicari: *Cum dicitur quod Principes familiarum Leui accesserunt ad petendum ciuitates, non intelligitur de Principibus, qui erant Sacerdotes.*

Senec.

Magna felicitas non posse facere iniuriam.

Nonnulli sunt nummorum arcæ, non domini.

Prædam, non hominem sequuntur, vt canes auium alij, alij ferarumque turba.

Abulens.

Iacob sacratus iam benedictione cælesti patriam deserit, vtque omnibus verè renunciaret, solo baculo innixus viam carpit alacriter, & ad altiora satagit peruenire celeriter: fessus artus nudam super humum somno refocillat: cùm Dominus magnificis promissionibus ditat, & mira felicæ visione recreat: *Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem.* E somno euigilat, & cùm promissis adeò magnificis humana inflammaretur cupiditas, sic omnia generosè despexit, vt aquam ac polentam solùm ambierit: *si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum.* Et cur modò fastidierit promissa, qui in matris vtero cum fratre contendens dignitatis suspirarat excelsa? An quia cælestia: homines namque vt solent hiare ad humana, solent etiam fastidire diuina: cur pane & aqua viuat contentus, qui magnificis poterat copiis resplendere ditatus? O dignam sapiente vocem! Iam mundum fugerat, iam terrena respuerat, & erubuit vel honestè ambire, quæ didicerat generosè calcare: Deus liberalis offert; sed Iacob magnanimus respuit. O quam distabat à turpi ambitu, qui adhuc concesso à Numine ditari nolebat! Et quidem indignum tanto viro ad speciem esset prædiuitem patris domum laudabiliter reliquisse, & terrenas postea facultates ambitiosissimè suspirasse. Angustum solummodò petit victum: quia generosum pectus rerum omnium nobilem souebat contemptum. *Apostolicorum morem imitatus*, scribit Chrysostomus apud Lipomanum, *iter facit.* 24.

Gen. 28. v. 14.

Chrysost.

Apostolicos

Apostolicos mores refert: ideò vel à Deo oblatas facultates non cupit. Concinit Rupertus ibi: *Hunc imitantur quicumque benedictione Dei Patris, & Filij eius Iesu Christi cum gratia Spiritus sancti missi ad spirituale semen seminandum depositis sæculi oneribus nudi, & expediti ad destinatum tendunt, vigilantque, & in omnibus laborant, & sobrij sunt, nihil se scire indicantes nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum; & cum Apostolo dicentes: Non habemus hic manentem ciuitatem; sed futuram inquirimus.* Lapidem supponenti capiti non congruebat animo diuitias gerere, nec super nudam humum cubanti abundantiam suspirare. Omni ambitu apparuit alienus: quia iam à mundialibus fugiebat extractus. Vestem rudem quidem & impolitam petiuit, angustumque cibum optauit: & quia iam sub diuo dormire feliciter cœperat, nec habitaculi meminit; sed se Domino prorsus deuouit. Adde mundum perfectè relinquentes non solùm non exambire diuitias; sed, si adsint, sustinere sibi molestas. (Rupert.)

25. Ægyptum deserit Abrahamus secum, quas acquisiuerat auri, & argenti diuitias ducens: nec enim poterat vxore superstite facultatibus renuntiare; imò ad familiæ sustentationem necessum erat habere: *Ascendit Abraham de Ægypto; ipse, & vxor eius, & omnia, quæ habebat, & Loth cum eo ad australem plagam; erat autem diues valde in possessione auri, & argenti.* (Gen. 13. v. 1.) Hieronymus legit ex Hebræo, *Grauis valde.* Audi ipsum apud Lippomanum: *Quomodò potuit exiens de Ægypto Abraham fuisse diues valde? Soluitur hoc Hebraica veritate, in qua scribitur: Abraham grauis vehementer: Ægypti enim pondere grauabatur; & licèt videantur esse diuitiæ pecoris, auri, & argenti; tamen si Ægyptiæ sunt, viro sancto graues sunt.* (Hieron.) Dum Ægyptum incolebat, graues illi non videbantur diuitiæ; imò illas non habere erat satis molestum, & onerosum; at cùm Ægypto renuntiat, sic à sæcularium distat ambitu, vt amplo diuitiarum torqueatur censu: iam non solùm non ambit; sed & diuitias fastidit: veluti graui pondere oppressus gemit, qui olim de Ægyptia conuersatione diuitias non putabat onera; sed augmenta. Ascenderat ipse, hoc est non solùm corpore; sed animo Ægyptiis renuntiarat oblectamentis, & se expedierat fallaciis: ideò quas olim diuitias amabat; modò feliciter fastidiebat: ascendenti namque res humanæ habentur impedimenta, & semper reputantur obstacula. Profectò quibus diuitiæ non graues, adhuc incolere Ægyptum compertum est. Disce ergo, si humanæ fallaciæ retia effugisti, nil abiectè cupere; sed generosè omnia spernere. Verùm, ò miserum! non semel accidit, vt qui omnia generoso conculcauit despectu, cognatorum dilectione fœdissimo irretiatur ambitu. Videbis aliquando religiosos adire tribunalia, Principum cursare domos, terere ministrorum limina, & sui ipsorum iniuriâ cognatis solicitare incrementa.

26. *Considerate*, aiebat Iob, *semitas Theman, itinera Saba, & expectate paulisper.* (Iob 6. v. 19.) Gregorius Magnus, vt erat moralissimus, lib. 7. moral. cap. 14. Saba interpretati inquit rete: *Saba rete interpretatur.* (Gregor.) Inquit ergo ingeniosus Doctor rete regia expandi via, vt qui alacriter gradiuntur, aliquomodò præpediantur. Certè de Saba iuxta propheticum oraculum inuolant Dominum adoraturi: *Omnes de Saba venient aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes:* (Isai. 60. v. 6.) quia ergo malignus spiritus conspicit plures ad Dominum inuolare, omniaque generoso despectu retinacula animosè præcidere, retia, hoc est amoris erga cognatos laqueos sub charitatis specie non semel expandit, vt quos venari nequiuerat proprio irretitos ambitu, captos venetur alieno; ne negotiis sæcularibus gradum præpediti promoueant, qui pennatorum adinstar omnibus spretis volabant. Addit Gregorius vbi suprà: *Sunt plerique, qui non solùm aliena non appetunt; verùm etiam cuncta, quæ possederant in mundo, derelinquunt; semetipsos despiciunt, nullam præsentis vitæ gloriam requirunt, ab huiusmodi se actibus separant, & penè quidquid prosperitatis arriserit, calcant; sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati, dum amori propinquitatis indiscretè deseruiunt, ad ea sæpè per affectum cognationis redeunt, quæ iam & cum proprio despectu subegerunt.* (Gregor.) O nimis verum! Plures cognationis amor obscurauit, quos sui ipsorum amor non vicit. Addit posteà Gregorius: *Sæpè quosdam videmus quantum ad proprium studium spectat, iam præsentis vitæ desideria non habere; mundum & opere, & professione reliquisse; sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum prætoria irrumpere, terrenarum rerum iurgijs vacare, libertatem intimæ quietis relinquere, & mundi studia in se iam dudum destructa reparare. Quo itaque isti nisi in reti ambulant, quos à præsenti sæculo inchoata iam vitæ perfectio soluerat; sed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat.* (*Non semel nimio erga cognatos obscurãtur affectu, qui nullo humanorum sæculari petierant ambitu.*) Ligat plures suorum amor, tribunalibus addicit, iurgiis inquietat, & quos cupiditas non grauarat propria, constringit aliena. Ergo qui Domino consecrantur, ab omni ambitu tam pro se, quàm pro suis studiosissimè separentur. Ecce sacerdotes, quia maiori perfectione nitebant, nec pro habitaculis humanæ quidem vitæ necessariis iudices aut ministros interpellabant: quasi quid humanum piguerit ambire, quos constabat sacris altaribus ministrare.

---

§. VII.

Mundialis cognatio non semel est ad virtutem impedimentum, & ad errorem illicium.

27. Non merus, purúsque; sed falsatus, & subæratus cognatorum ferè semper est amor: cùm solùm ob carnem contrahant cognationem, carni solummodò exambiunt felicitatem: non cogitant, quæ spiritui commoda; sed quæ corporibus opportuna. Quàm benè Seneca epist. 61. *Queror, litigo, irascor: etiam nunc optas, quod tibi optauit nutrix tua, aut pædagogus, aut mater: nondum intelligis quantum mali optauerint. O quàm inimica nobis sunt vota nostrorum.* (Senec.) Verùm dixit: nostri namque non semel nobis exambiunt diuitias irritamenta vitiorum, dignitates discupiunt illicia calamitatum, salutem exoptant salacitati vectigal, & quò illorum vota successere feliciùs, in nos ipsos obarmantur nocentiùs. Ex cognatis rarissimus virtutum

virtutum consulit incrementis, cùm ferè omnes corporis inhiauerint commodis: quidquid ad corporis, vitæque vtilitatem constat pertinere, ardenter noueris omnes sitire. Hinc mirandi sunt, qui suorum student incrementare virtutes, aut spiritus exambiunt felicitates: hi namque nobiliter degenerant à naturæ legibus, cognationisque honestè adulterant iura, dum virtutis optant augmenta. Leuitæ, cognationum Principes, & capita familiarum Eleazarum, Iosue, reliquosque iudices interpellant pro terrenis habitaculis, habitationisque commodis: *Dominus præcepit per manum Moysi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum; & suburbana earum ad alenda iumenta.* Si figuratè in promissionis terra cælestem patriam agnoscas, mira res est carnali cognatione coniunctos sic suis prouidè consuluisse, vt labori nulli pepercerint, quominus cælestem illis habitationem quæsierint, si verò litteraliter accipias, videbis cognatos terrenis solum habitaculis inhiare, & pecoribus adaugendis consulere. Huchuc omnium cognatorum collimant vota: hæc amicorum semper suspirauerunt studia.

28. Cùm Domini passio appeteret, de illaque cum discipulis suis ipse dissereret, ne violentum putarent casum; sed de præscientia, sacraque ambitione flagrans agnouissent studium, ecce mater ætate grandæua, senectute venerabilis, filiis stipata Apostolorum dissecat chorum, & regiam affectans maiestatem filiis subsellia humillima adoratione deposcit: *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Chrysostomus apud D. Thomam hic versuti antiquas serpentis subodoratur technas, & captiosas deprehendit insidias: *Contulit se diabolus ad consueta arma mulierum, vt sicut Adam per mulierem spoliauit, ita & istos separaret per matrem.* Profunda sanè Chrysostomi mens: diabolus namque primum hominem à culmine felicitatis deiecit, & à paradiseis voluptatibus exterminauit: hæc tamen mulier discupit coniungere, non auellere: ergo mater non poterat per imprudentiam esse versutiæ serpentinæ vicaria, nec ipsis pignoribus inimica. Profectò sub amoris specie res odij agebatur, & cum filios excelsis dignitatum apicibus sitienter discupiebat fulgere, satagebat præter opinionem à virtutum verticibus separare: Christo Domino fratres coniungendi erant per æstuantem calicis sitim, per terrenorum despectum, per laborum ac ærumnarum studium: ergo dum mater dignitatum illis exãbit celsa, à virtute disponit exilia. Quod diabolus per se fortè nisi cum magna non posset difficultate perpetrare, per matrem compendiosè voluit efficere: *Contulit se diabolus ad consueta arma mulierum:* dum mater filiis discupit alta, & parat è virtutum culmine præcipitia. Et quid mater filiis exoptaret, nisi quæ ad euanidam humanæ gloriolæ pompam, nisi quæ ad præsumptionis conducebant insaniam: erat corporum mater, & ideò prouidebat corporibus ad speciem commoda: quia verò illi nulla cùm spiritibus cognatio, illorum minimè curabat augmenta.

Matth. 20. v. 21.

Chrysost.

29. Et fortassis ob hanc causam serpens prudentiæ decoratur elogiis: quia non frustrandis impetiuit hominem telis: vidit Euam hominis cognatam, vtpotè de eius latere, carneque constructam, & vel ab exordio suspicatus est facilius homines per cognatorum studia à virtutibus separandos, ægriusque per ipsas diaboli fraudes auertendos: mulierem alloquitur, & cùm immortale pectore gerat odium, labijs pietatem mentitur: cur refugis, inquit, arboris esum, cuius ope poteris facillimè tibi Adamoque asciscere diuinitatem? Illa nimis credula, sibi cognatoque suo dignitatem discupiens seductionis fructum vindemiauit, & Adamo candida propinante dextera dedit. O quam callidum casus comprobauit serpentem, quandoquidem minus fortè egisset, si non per cognatam, sed per ipsum ferire Adamum tentasset: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus; qui dixit ad mulierem,* &c. Cognationis, amicitiæque arma in Adamum conuertit, & dum à cognata exambitur ardentiùs cognato dignitas, & certiùs aduocatur calamitas. *Per latus hominis*, inquit Basilius Seleuciensis orat. 3. *hominis structuram subruere inceptat.* Quò feliciores successissent insidiæ, non per se; sed per mulierem hominis cognatam fraudis negotium aggreditur, & infeliciter felix studium peruersissimum adipiscitur: vt iam ab exordio nobis constaret cognatos solùm corporum curare commoda, non attendere virtutum crementa.

Gen. 3. v. 1.

Seleuc.

Oues agenti Moysi apud Arabiæ deserta Deus cõspicuus rubo inter flammas illæso obijcitur, voceque veluti imperiali tessera contra refractarios armat, & pro contribulibus legat: imperium ille extrahere multimodis allegatis caussis conatus est: opponebat linguæ balbutiem, Pharaonis duritiem, Hebræorum incredulitatem; verùm excusationes has potiùs prætendebat periculi metus, quàm prudentiæ solertissimæ visus; verùm cùm nihil allegata profuissent, viam carpit; sed quod non verebatur, incurrit inopinè periculum: Dominus namque stricto gladio, irato vultu, & ardenti occurrit conspectu: *Cum esset in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Quærunt interpretes, quid fuerit in causa, vt ira inflammatus Dominus Moysi occurrerit, mortemque intentarit. Varia varij referunt æquali ingenio ac pietate. Placet Theodoretus inter alios qui quæst. 4. in Exodum vxorem huius discriminis testatur caussam. Accipe eius verba. *Quidam aiunt id in causa fuisse, quod Moses missus ad liberandos gentiles suos coniugem itineris sociam habere voluit.* Consonat Augustinus in serm. de temp. serm. 86. *Forsitan in hoc loco possumus intelligere, quod displicuerit Deo, quare Moyses tanta mirabilia facturus vxoris impedimentum secum ducere vellet in Ægyptum.* Ecce quid faciat vxor, filiique, repigrare gradum, Moysique conciliare periculum: fuit equidem Eua calcar, vt Adamus inuolaret ad vitia, sed & Sephora fuit frænum, ne Moyses exprompte curreret ad mandata: impedimentum erat, dum, ne prolixis, laboriosisque itineribus defatigaretur; fors moras admonuit, dum corporis vtilitatibus imprudenter prouidit. Celeriùs Moyses inuolasset, ni filiorum, vxorisque obstacula præpedissent. 30.

Exod. 4. v. 24.

Theodoret.

Augustin.

Cùm Dei populus celeri gressu ad promissam sibi tellurem contenderet, nuntios misit ad Edom, vt per illius terminos transire liceret: *Misit interea nuntios Moyses de Cades ad Regem* 31.

Numer. 20. v. 14. *Edom, qui dicerent: Hac mandat frater tuus Israel, &c. Obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam.* Fratrem appellat, quia ex duobus fratribus hi duo descenderant populi. Ita Lyra: *Hac mandat frater tuus: Idumai enim & Israelita erant de duobus fratribus, scilicet Esau & Iacob.* O quàm necessarium erat promissionis terram petentibus cognatorum limites transilire, & consanguinitatis adfectiones calcare. Iam quid fratres, cognatique responderint, audi: *Ille respondit: Non transibitis: statimque egressus est obuius cum infinita multitudine, & manu forti, nec voluit acquiescere deprecanti.* Ecce quid faciat cognatus ad virtutes transitum denegare, & cum infinita multitudine, veluti ad certamen exire. O quantam apparentium rationum manum opponunt cognati, ne quis ad religionis deserta transcurrat, ne quis à pompatica, mundialique vita discedat! ferè omnes propinqui sunt ad remorandum virtutis studium industrij impedimentorum architecti, ingeniosissimique excusationis artifices. Opponent sæpè corporis imbecillitatem, religiosæ austeritatem vitæ, factaque manu accurrunt vt detineant, quasi in sordida & obscura casurum. Edom cognatus populi retardat gressum, & impedit ad vlteriora conatum. *Per Edom*, scribit Glossa moralis, *qui interpretatur terrenus, intelliguntur mali Christiani in bonis terrenis tantummodò confidentes, & isti frequenter nituntur impedire bonos Christianos, qui sunt fratres eorum.* Adstipulatur Abulensis quæst. 11. *Idumai non concesserunt introitum Israelitis per Cadesbarne.* Qui iure cognationis debuissent liberum concedere transitum, iniustum opposuere impedimentum. O quàm cognati cognatorum morabantur gressus, & retardabant conatus. Et quid aliud poterat à cognatis sperari, nisi impediri! Fuge consanguineorum laqueos, si cupis ad virtutem celeres explicare gressus.

Lyra.

Glossa.

Abulens.

32. Abrahamum iubet Deus filium in holocaustum litare: & quidem non erat hostia sanguinis; sed salutis: puerum defert, duosque pueros ad itineris solatium, ad laborisque leuamentum; verùm cùm iam ad montis radices peruenissent, pueros relinquit, & ne transgrediantur limites, iubet: *Dixitque ad pueros suos: Expectate hìc cum asino: ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Quærunt interpretes, cur pueros reliquerit, & Isaacum grandi lignorum strue humeros atterere non dubitarit? Inquit enim textus: *Tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum.* Certè conducibilius videbatur puerorum humeris ligna imposuisse, quàm Isaacum graui pondere molestasse: cur ergo reliquit pueros? Abulensis respondet reliquisse eos, ne impedimento essent: audi eius verba: *Ne viderent, quod Abraham facturus erat, & eum impedirent putantes esse crudelitatem vel insaniam.* Iam qui fuerint hi duo pueri examinat ipse Abulensis, ac ex Iudæorum sententia alterum fuisse Ismaëlem Abrahami filium, iugulandique fratrem, & Eliezer tradit: *Secundum Iudaos isti sunt Ismael & Eliezer; & tamen ipsis, nec vxori nihil reuelauit, ne eum impedirent.* Ecce quomodò cognati iudicet, quamque de religione sententiam ferant: patrem ligare filium appellant crudelitatem, religioni dicate insaniam. Ergo disertissimus Abraham, quia filios fratresque virtutis nouerat certissimè impedimenta, montis non permisit inscendisse cacumina. Hoc fuit solertissimum eius studium, Ismaëlem filium relinquere, vt diuinum posset præceptum religiosus seruare: filij namque, parentes, & sorores, dum virtutem appellant insaniam, studiosis ingenerant negligentiam.

Gen. 22. v. 5.

Abulens.

§. VIII.

Qui dignitatis apice fulget excelsior, exequendis præceptis Dominicis sit expromptior.

Qvisquis subiectos sibi discupit parere deuotos, suæ instruat diuinis præceptis deuotionis exemplo, & religiosæ seruitutis officio. Non est dignitatis decus obedientiæ fregisse iugum, & nullis legibus inseruire subiectum: penes errorem solùm à summatibus, altisque contemnitur legis imperium; quasi de hac nociua libertate luceat plus dignitatis fastigium: qui maiora possidet fastigij lumina, ad promptiora tenetur obsequia, quandoquidem sanctis iussionibus promptè obsequi est honores culminis promereri. *Artificium promerendi*, aiebat Tertullianus lib. de patientia cap. 4. *obsequium est, obsequij vero disciplina morigera subiectio.* Dum morigere quis subiicitur, magna à Domino promeretur. *Obsequio*, aiebat Curtius lib 8. *mitigantur imperia*: quasi turbentur, ni imperantium obsequio legi exhibito tranquillantur. Diuina lex felicitatis est fulcrum, & qui obsequitur non potest pati à lætitia exilium. *Lex*, aiebat Pindarus, *mortalium omnium, & rex immortalium.* Omnibus lex imperare debet; eis tamen præcipuè, quos sors fausta tulit ad celsa, ac leuauit ad dignitatum fastigia: sapit namque tyrannidem legi aduersari, & diuinis iussionibus contraire. Leuitæ vt possessiones sibi debitas impetrarint, Principes adeunt, diuinumque præceptum producunt: *Dominus præcepit per manum Moysi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda iumenta.* Quid tunc? Iudæorum tribus prima ciuitates adsignat: *Egressa est sors in familiam Caath filiorum Aaron Sacerdotis de Tribubus Iuda, & Simeon, & Beniamin ciuitates tredecim.* Et cur omnium prima Iudæorum tribus dedisse ciuitates refertur, cùm omnis populus diuinis adæquè iussionibus constringatur? Quia regali præibat cæteris dignitate, debuitque parere diuino præcepto expromptiùs, quæ præ cæteris eminebat excelsiùs. Adest Masius ad hunc locum: *Locamur sortis casu Aaronita, quippe Sacerdotes: non cis Iordanem, neque apud tribum quampiam vnam è multis; sed apud Iudaos, & Beniaminitas, quorum illi tum regni dignitate pra cateris tribubus omnibus eximij, tum ob Messia promissos natales venerandi erant.* Iudæorum gens regia dignitate nobilior, ideò in obsequendis diuinis præceptis promptior: nam qui dignitatis apice fulget excelsior, dignitatis iure præcepta diuina exequi debet deuotior. 33.

Tertull. *Obsequio imperia mitigantur.*

Curtius.

Pindarus. *Lex est mortalium rex.*

Masius.

Apostoli post sæuam illam Passionis Dominicæ tempestatem piscatum tendunt; verùm post anxios noctis labores inueniuntur vacui, & af- 34.

flictantur

flictantur defessi: stetit magister in littore, quo ad virtutis soliditatem dubios reuocaret: rogat, an pulmenti aliquid habeant; se nihil prendidisse non sine rubore respondent; sed de magistri iussu iactu vnico cassos noctis labores abundantes compensant: nam, quo plures caperet, reti spissabantur pisces, & quod laborat in cassum, copiæ modò non modicum patiebatur rete periculum. O quàm laboriosum est non habere, quàm discrimini obnoxium facultatibus exundare! Discipulos iubet Deus de prehensis piscibus attulisse: *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc*: ad omnes spectabat præceptum, verùm Petrus cæteris exprompior ascendit, ad terramque magnis plenum piscibus rete traxit: *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus.* Si pisces discipuli omnes iubentur afferre, cur Petrus præ cæteris festinauerit trahere? Si illi speciatim traderetur præceptum, nil mirum acceleraret seruitium; verùm cùm omnibus in communi detur, quid à Petro præ cæteris executioni mandatur? Facilis quidem solutio: Petrus cæterorum caput, reliquorum Princeps, apex Apostolorum: ideò, etsi ad omnes in communi spectarit mandatum: *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc*; ipse dignitatis iure expróptius cæteris præstitisse tenebatur obsequium. Adest Gregorius apud D.Thomam: *Petro sancta Ecclesia est commissa, ipsi specialiter dicitur: Pasce oues meas: quod ergo postmodum aperitur in voce, non significatur in opere.* Opus significauit præ cæteris Petrum dignitate fulgere, quandoquidem expromptius cæteris constat præceptis Dominicis obedire: iniuria profectò afficeret dignitatem, si ignauus prætenderet cunctationem; at dum cæteris præceptum implet exprompior, & dignitatis apice probatur excellior: cogit namque dignitas ipsa faciliorem ad obsequelam, ac in obediendo præstantiam.

Ioan. 21. v. 10.

Gregor.

35. Ingenti se æmulationis laborare delirio Iudæorum Principes ostenderunt, dum crucifixo insultantes ad dignitatis regiæ comprobationem, à clauis liberum corpus excutere postularunt. *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Vt regem crediderint, Dominum cupiunt contraire præcepto, & quidem de peruerso sæculi stylo: apud mundiales namque solùm ille habetur eximius, qui diuinis iussionibus est contrarius; Dominus tamen in cruce perseuerauit, quo Dominus obedire præceptis esse magnum decus dignitatis ostenderet: obscurat dignitatis gloriam, qui denegat præceptis Numinis obsequelam, quantumuis profani homines nociua præsúptione superbi decorosam arbitrentur dignitatis excellentiam inferre diuinis præceptionibus violenter iniuriam. Adest Leo Magnus serm. 4. de Passion. *De quo erroris fonte Iudæi, de quo inuidiæ lacu talium blasphemiarum venena potastis? Quis vobis magister tradidit, quæ doctrina persuasit quod illum regem Israel, illum Dei filium credere deberetis, qui se crucifigi non fineret, aut à confixione clauorum liberum excuteret? Et ne sceleris tantum vestri videatur ordo prædictus, nulla autem potentia prænuntiata crucifixi; non quidem legistis: Dominus descendit de cruce; sed legistis: Dominus regnauit à ligno.* Vt regem agnoscant, contra Patris præceptum, contraque propheticum descendere petunt oraculum; at Dominus, quo suam ostentarit potentiam, legis edocet obseruantiam: ibi certè regis resplendet honor, vbi & obedientiæ cultus: titulus regem deprædicat sæculorum, quem constat diuina adimplesse iussa, & expromptè excepisse præcepta. Rex probatur, dum obsequentissimus exhibetur. Et forsan quia crucis defendebat obedientia, delere regis titulum non valuit nequitia. Vt discamus tunc regna florere, cùm constat expromptiùs diuinis præceptionibus obedire. Iam expromptiorem obedientiam dignitatis, nobilitatisque extitisse authenticum testimonium, vt cunctatiorem non adeò eximiæ claritatis indicium exertè tradit Numerorum liber.

Matth. 27. v. 42.

Leo.

Deus cum Moyse disserens, vnicum clangorem pro vocandis Principibus resonare decreuit, pro popularibus prolixiorem, ac semel & iterum intercisum: *Si semel clangueris, venient ad te Principes, & capita multitudinis Israel; sin autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, mouebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam.* Ecce citiùs obediunt Principes, & cùm ad populares productiori sono sit opus, ad Principes satis est vel exiguo, quandoquidem ipsa dignitate, si fas est dicere, compellebantur, ne extrahere niterentur mandatum, aut in futurum protendere obsequium: *Clangor vnius tubæ*, scribit Oleaster ad litteram, *signum erat congregationis Principum ad Moseh.* Dignitatis esset dedecus prolixior tubarum sonus, & cùm expromptè ad primum tubæ signum accedunt, se Principes multitudinis produnt. Quasi dignitatis sit clarissimum testimonium expromptius Dominicis præceptis obsequium. 36.

Numer. 10. v. 4.

Oleaster.

Cogitabam apud me cur Moysem diuinis ad speciem iussis reluctantem, ad apicem Dominus dignitatis extulerit, ad culmenque diuinitatis leuarit. Repetamus historiam, vt moribus adaptemus doctrinam: Deus in Arabiæ desertis oues agenti conspicuus obiicitur: rubus erat debilis ac senticosus, is nullo admonente flammis repentè corripitur, à radicibus vsque ad cacumen ignescebat, quin flamma depasceretur virorem; imò in fontis modum adaugebat viriditatem: è rubo vox prodibat, quæ pastorem in Ægyptios refractarios armaret; ille verò sexcentas allegans causas extrahere nitebatur imperium; nam vitæ verebatur periculum: linguæ tarditatem opponit, vilitatem pastoritiam, Pharaonis duritiem, & Hebraici populi æmulationem. Cum Deo, si fas est dicere, obstinatè contendit: quia Ægyptum adire timet. Quid tunc? Pharaonis constituit Deum: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*: nec iam Moyses prosequitur reluctantiam, aut extrahere discupit obedientiam; imò statim illius expromptum refertur obsequium, & exhibetur seruitium. *Ingressi itaque Moyses, & Aaron ad Pharaonem fecerunt sicut præceperat Dominus.* Certè ad speciem Numinis tantillum videtur obscurari prudentia de hac Moysis inopina præstantia. Si Moyses reluctatur, si legationem adire refugit, cur eximio adeò honore dignitatis resplendeat, & diuinitatis titulo fulgeat? Obseruaturne hîc sæculi mos, quando ampliori non semel honore afficitur, qui minus lentiusque inseruisse probatur? Si moriger obediret, si propositi reluctantiam non ostenderet, nil mirum amplo adeò præmij afficeretur honore, & micaret 37.

Exod. 7. v. 1.

dignitate; at si cunctatur, cur dignitatis splendore donetur. O sapientiam Numinis immortalem! Munere, dignitateque donat, quo deuotiorem præceptis reddat: dum Moyses pastor, obedire cunctatur; cùm Deus, exprompte obedire aggreditur: nec eius legitur repugnantia, vbi dignitatis emicat excellentia, quasi ad apicem dignitatis electus præceptis nequeat restitisse cunctatus. Adest Caietanus: *Excusauerat se Moyses ab officio legationis prosequendæ, tum quòd Pharao non esset eum auditurus, tum quòd ipse esset clausus labijs: respondet Deus quo ad primum: Vide, attende, & perpende in quali, quantoque gradu constitui te: nam dedi te, vt officio Dei fungaris erga Pharaonem.* Ecce quo Deus Moysem obediendo promptiorem reddat, culmine dignitatis honorat, quasi ipso dignitatis iure obedientiæ consecretur expromptior, & mandata teneatur adimplere celerior. Verùm ô tempora, ô mores! iam de euersis legibus dignitatis accrescit pompa, & magni habentur plures de præceptorum iniuria.

Caietan.

---

§. IX.

Liberalitatis diuinæ artificium est, quo benefaciat obstrictior, à nobis accipere, quod à se constat habere.

38. MIrabile cælestis liberalitatis ingenium est, ipsa, quæ donat beneficia petere ad religionis gratitudinisque obsequia. Flumina intrant in mare, vt iterum fluant, & dona à diuino munificentiæ mari nascentia illuc redeũt, vt incrementata lucroso reditu fluant: in dantis accrescit commodum, quod expenditur ad liberalis obsequium: commercium lucrosum est aliquid præstare gratissimo, quando præstitum ingenti redit augmento: supplicij loco habendum est Deum nihil à nobis accipere: nam tunc indefessum liberalitatis fontem constat, ne fluxerit, restagnare: dare vult, dum petit, ipsumque accipere est liberalitatem incrementare: *Si esuriero*, minatur ingratis, *non dicam tibi: meus est enim orbis terræ & plenitudo eius.* Ecce dum nihil accipit, omnia habet; & sanè omnia non haberet, si acciperet: esset namque, quod offerretur, donantis, & Deus ipse obstrictus teneretur muneribus obsequentis: vt nihil homo habeat, artificium est ab eo nihil accipere: tunc enim cùm Deus nihil debeat, nil homo habet. *Per ironiam hoc dicit*, inquit Euthymius, *redarguens eorum crassitudinem, qui putabant egere Deum sacrificiis ad manducandum: ac si diceret; tametsi tu id rectè existimares; ego tamen à te nullum peterem cibum ad manducandum: & subdit causam: Meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius. Cùm igitur mea sit terra, sumam ego, si opus fuerit, à me ipso quodcumque libuerit.* O quàm ostendebatur iratus, qui nihil voluit debere muneribus oblatis obstrictus: quod poterat à seipso habere, magnæ comprobaretur liberalitatis ab offerente recipere! nam homo, cùm Deo dat, arcano liberalitatis artificio se donis non abdicat; sed nouis prouentibus donata sibi incrementat: *Potuit Deus omnipotens*, scribit Cæsarius Arelatensis hom. 9. de eleemosyna, *homines diuites facere; sed diuitibus voluit locum misericordiæ prouidere.* Itaque cùm in pauperibus accipit, diuitum miseretur, vtque illis rependat maiora, accipere dignatur obsequia. Ecce adscripta iam tribubus promissionis terra Leuitæ accedunt, vt quas Deus præceperat, vrbes ad habitandum accipiant: *Accesserunt Principes familiarum Leui, &c. Locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt: Dominus præcepit per manum Moysi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum.* Petitione facta tribus de sibi iam adscriptis sacris ciuitates ministris adsignant: *Dederunt filij Israel de possessionibus suis iuxta imperium Domini ciuitates, & suburbana earum.* Profectò iudicium videatur cui hîc sugillari imprudentia, quandoquidem potuerunt ciuitates Leuiticis assignari, antequam tribus inciperent possidere. Si de adscriptis cuique tribui erant ciuitates aliquæ separandæ, quid necessum erat adscribere? conducibilius namque videbatur eodem tempore, & cæteris sortes tribuere, & pro Leuitis habitacula separare: ergo superuacaneè tribubus adscribuntur, quæ illico pro Leuitis ciuitates separantur. O liberalitatis ingenium! Poterat quidem Deus à se ministris suis ciuitates illas præbere; voluit tamen de cuilibet tribui adscriptis accipere, vt sic donantibus aliquid cogeretur debere, essetque debitum creditorum maximum beneficium. *Hoc*, addit vbi suprà Cæsarius, *sicut iam dixi, diuinæ misericordiæ artificium est, vt dum pauperes patienter egestatem tolerant, indulgentiam peccatorum accipiant: similiter & diuites, dum superflua misericorditer erogant, & à peccatis se redimant, & ad præmia æterna perueniant.* Ingenioso liberalitatis artificio gestit accipere; quo veluti iustitia cogente, maiora teneatur reddere: poterat Leuitis ciuitates ab initio signare; voluit tamen de à qualibet tribu possessis aliquas vrbes offerri, vt æterna præmia posset tribubus dilargiri.

Ps. 49. v. 12.

Euthym.

Cæsar.

Cæsar.

Isaacus dignum spei prolixæ præmium parentis sauciabat amorem, cùm Deus ad Abrahami charitatis examen imperat in montis apice offerri: nec enim nobilis adeò victima indignis locis poterat consecrari: de filio hostia parabatur festina: itur in montem, & iam omni mysterio, sacramentoque præparato innocens victima candidum ferro iugulum offerebat; eodem verò tempore vox cælitus ruens ferire properantem manum ligabat: retrò conuersus agnum Abrahamus spectat, & pro filio altari impositum litat: *Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit in holocaustum pro filio.* Quærunt interpretes, vnde & à quo agnus iste fuerit allatus: respondentque Angelorum ministerio prouisum, & si Rabbinis credas, à mundi origine à Domino præparatum. Adest Chrysostomus apud Lippoman. *Ecce id, quod prius dixerat puero Patriarcha, hoc ei præparatum à Deo: Et assumens*, inquit, *obtulit illum holocaustum pro filio.* Verùm rogo: si quod Abrahamus offert, à Domino præparatur, cur ab Angelo non offertur? Certè rubus ille, cui cornibus inhærebat, poterat flammis cælestibus vri, agnusque in holocaustum offerri: quid ergo necessum erat, quod à Domino constabat allatum, deposci ad religionis obsequium? O ingeniosam diuini amoris industriam! Poterat quidem Deus à se victimam illam habere; voluit tamen 39.

Genes. 22. v. 13.

Chrysost.

tamen ab Abrahamo in charitatis argumentum accipere, quo posset benedictionibus copiosissimis cumulare: petiuit non tam accipiendi studio, quàm largiendi desiderio. Audi quibus iustum benedictionibus augeat: *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est littore maris.* Agnum petiuit, vt pretiosissimum agnum daret; vt posset cumulatissimo augmento reddere, quem ex se habebat, ab Abrahamo agnum gestiuit recipere: *Vidisti*, addit Chrysostomus vbi suprà, *Dei misericordiam? Et sacrificium consummatum est, & iustus religiosam suam mentem declarauit, & à voluntate coronam reportauit, & Isaac accepto rediit cum innumeris coronis.* A se Deus habebat agnum; cupiuit tamen voluntatis obsequium, quo Abrahamus, dum offert, accipiat, ipseque, dum accipit, laudandis vsuris reddat.

40. Adest in huius veritatis testimonium Elias ille magnus, qui nubibus claustra iniecit. nam videns homines bonis tam è cælo, quàm è solo partis immodicè luxuriantes, alimentique auctorem ignorantes ac Dei erga se charitatem in impietatis materiam conuertentes, adsumpta ira pietatis plenâ pluuias inhibuit, & fructibus tellurem priuauit: ipse cum punitis famis etiam ferebat inediam, cùm solum vertit, & ad viduam Sareptanam recurrit: panem postulat, & panis fontem largitur: *Fac de ipsa farinula subcineritium panem paruulum, & affer ad me; tibi autem & filio tuo facies posteà; hæc autem dicit Dominus Deus Israel: hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* (3 Reg.17. v.13.) Si farinæ hydriam propheta vertit in alimenti fontem, quid panem petit? aut si mendicè petit, quid largè adeò non solum farinæ, sed olei scaturiginem tribuit: det sibi, quod petit à vidua, ne cogatur emendicare, quod à se potest habere: Elias à se potest habere alimentum, quandoquidem viduæ tribuit; verùm quo teneatur copiosiùs largiri, exiguum vult sibi à vidua panem offerri: *Fac de ipsa farinula subcineritium panem*, iubet, quò mulieris augeantur merita, illique, quæ obtulerat, incrementata reddantur dona. O quàm erat Elias parcus in accipiendo: *Fac*, inquit, *de ipsa farinula panem paruulum*: quàm largus in dando: *Hydria farinæ non deficiet*, vt omnibus constet petiuisse, non tam vt acciperet, quam vt daret: *Hydriam vertit*, scribit Basilius Seleuciensis orat.11. *in alimenti fontem, quantumque dies poscebat, tantum hydria suppeditabat.* (Seleuc.) Vt alimenti præberet fontem, petiuit panem: nec enim illi opus petere panem, ni alimenti dilargiri cuperet fontem. Accinit Ambrosius lib.1. de Abraham cap.5. *Vnius horæ hospitio vidua, quæ suscepit Eliam, & exiguo cibo perpetuum toto tempore famis inuenit alimentum, & mercedem accepit mirabilem, vt nunquam de hydria farina deficeret.* (Ambros.) Vt amplissima cumularet mercede, viduæ voluit victitare exiguo pane, & quæ à se miraculosè posset habere, à vidua voluit, quo obstrictior donis teneretur, accipere: vtque dilucidiùs noscas Deum in nostrum commodum, quæ illi dilargimur, accipere, verte oculos ad miraculosum euentum.

41. Cùm turbæ plurimæ Christum Dominum sequerentur, adeoque attentæ ab eius ore penderent, vt nec ipsæ corporis necessitates animum illorum pulsarent, misertus Dominus extemporariam mensam apponit, & de proprio penu panes multiplicat: *Misereor super turbam quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via.* (Marc.8. v.2.) Apostoli difficultates repræsentant non de auaritiæ studio; sed de necessario tot populis alimento: rogat Christus quot panes habeant: cui respondent: *Septem*: hoc exiguo alimento quatuor millia hominum cibat; & facit sportulas septem superesse fragmentis plenas: *Sustulerunt, quod superauerat de fragmentis, septem sportas: erant autem, qui manducauerant, quasi quatuor millia.* Apud Ioannem simile inuenies miraculum: Philippum rogat Dominus, vnde panes possint emere, copiosamque adeò multitudinem cibare. Andreas ibi testatur puerum adesse quinque panes hordeaceos, & geminum piscem habentem: hos Christus accipit, & discumbenti turbæ distribuit: *Accepit Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* (Ioan.6. v.11.) Fragmenta colliguntur, & quinque millibus hominum saturatis duodecim cophini implentur: *Impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Iam quæres, cur plures reliquiæ superfuerint ex paucioribus panibus, cùm maior fuerit edentium numerus, quando ex pluribus angustiori hominum numero saturato ampliæ non adeò reliquiæ superfuerunt: alibi namque aiebat: *Sustulerunt septem sportas*; hic: *Impleuerunt duodecim cophinos.* Facilis sanè solutio: nam alibi Deus tunc panes à cibandorum aliquo non accepit; sed proprio ex penu quodammodò habuit; hic verò ab vno puero panes mutuatur: & dum aliquid ab hominibus accipit, lautiora munera reddit: *Verisimilius fit*, scribit noster Toletus, *vnum fuisse de turba, qui aliorum cibos conseruabat.* (Toletus) Itaque ab vno ipsius turbæ accepit, quod turbæ distribuit: vtque omnibus constet, quàm præstare aliquid Deo maximum præstantis sit commodum, ibi angustiora homines accipiunt dona, vbi vel exigua exhibuerunt Domino obsequia. Certè quod vnus de turba obtulit, in totius turbæ commodum redundauit: cùm panes, quos ex se habebat Christus, distribuit: magna exundat reliquiarum copia; cùm verò quid accipit, lautior inuenitur fragmentorum abundantia; vt omnibus liqueat Deum à nobis quid accipere, in nostrum commodum semper vergere. Quos ex se habere posset, voluit à puero panes mutuari, quo beneficium posset copiosius impendere: nam quidquid Deo offerimus, nobis incrementatum seruamus.

---

§. X.

Decimæ tribuuntur in diuinæ Maiestatis obsequium, & in largitoris lucrum.

LAudabilis pietatis industria religiosis obsequiis Dominum promereri, & ad donantis semper commodum dilargiri: quandoquidem ipsa officia & seruientis comprobatur augmenta, nec possint vel acutissima intellectus perspicacia distingui religiosum hominis seruitium, & lucrum seruientis lucrum. Optanda largitas, quando quod datur, acquiritur, & [illegible] pietatis arte redit ad donantis commodum, 32.

dum, quod ad Domini præstatur obsequium: qui terrenos dominos lautissimis gestit sibi conciliare muneribus, sæpè spebus cassis frustratur, & de insanis sumptibus irridetur; at qui aras decimatis fructibus ritè coronat, ampliores sibi prouentus crementat: quasi fœcundissimus fundus sit ara, oblationesque ipsi donanti sint semina:

Cassiodor. *Non dare; sed reddere videtur expensas: quisquis tributarys aliquo remedio subuenire festinat*, aiebat Cassiodor. 10. var. 27. *quid enim iustius est, quàm petenti conferre, quod intelligitur ipse laborasse?* En salubre inter pendentes tributa, & accipientem commercium: subiectus pendit vectigal in domini honoris testimonium, Princeps accipit ad ipsius donanantis subsidium: non haberet subiectus aduersus prementem fortunam arma, ni debita Domino impendisset tributa, nec Dominus accipere posset tributa, ni de accepto subiectis præpararet subsidia. Itaque rationabili sub tenore subiectus non tam pendit, quàm reponit, & Princeps posteà non tam donat, quàm reddit: *Non dare; sed reddere videtur expensas, quisquis tributarys aliquo remedio subuenire festinat.* Dum se Princeps gaudet honoratum tributo properat opportuno depellere à subiectis calamitatem remedio, & quod videbatur expensum, volutori inuenitur occasioni seruatum. Filij Israel Leuitis sacerdotibusque commodum in habitationem ciuitates largiuntur, quo paternum adimplerint promissum, & sibi aduersus fortunam construxerint propugnaculum: *Dederunt filij Israel de possessionibus suis iuxta imperium Domini ciuitates, & suburbana earum.* Theodoretus quæst. 18. in Iosue has ciuitates velati ciuitatum decimas Leuitis attestatur concessas.

Theodoret. Accipe eius verba: *Quemadmodum fructuum è terra nascentium, & pabulorum decimas concessit Sacerdotibus, & Leuitis, sic & vrbium veluti decimas assignari præcepit. Has sanè Patriarcha Iacob se donaturum Deo decimas pollicitus erat: horum enim*, inquit, *omnium, quæ dederis, decimam tibi præstabo paternum igitur debitum exoluit populus, non donum obtulit.* Audis ciuitatum decimas Leuitis oblatas; audi etiam terram omnem iuxta Numinis promissa decimarum largitoribus fuisse adscriptam: *Ciuitates vniuersæ Leuitarum in medio possessionis filiorum Israel, fuerunt quadraginta octo cum suburbanis suis singulæ per familias distributæ: deditque Dominus Deus Israeli omnem terram, quam traditurum se patribus eorum iurauerat, & possederunt illam, atque habitauerunt in ea: dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes.* Eodem tempore decimatum auditur exhibitio, & pacis stabilis confirmatio: quo discamus exhibitas decimas fuisse tranquillitatis scaturiginem, maiorique populi commodo fuisse Leuitis adscriptas, quàm retineret possessas. Quàm benè

Augustin. Augustinus serm. 219. de tempore: *Ecce probamimus quomodò nobis decimæ magis, quàm Deo proficiant.* Deus decimatum cupit honores, largientibus tamen incrementatas equidem reseruat vtilitates. Itaque sibi habet, qui Domino tribuit, & qui auarè retinet, & pereat, & sibi amittit. Pacatè possidet populus omnem terram, dum decimas ciuitatum largitur: & fortassis hostilibus concuteretur adultibus, ni religiosis præmunitus propugnaculis, ad instar decimarum redditibus.

Deuteronomij 14. iubet Deus separari decimam, in conspectuque Domini iucundè edere, & sine temperantiæ iniuria satiari: 43.

Deuter. 14. v. 22. *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis, & ouibus tuis, vt discas timere Dominum Deum tuum in omni tempore.* Contrariari ad speciem sibi videatur textus, quando & decimam iubet offerri, & differtam mensam ad comedendum apponi. Certè quæ decimæ separantur, in Leuitarum sustentationem tribuuntur: ergo qui decimas offert, nequit instructo de decimis conuiuio lætari; sed necessum est abstinere: cur ergo coniungit, & decimare, & comedere? *Decimam partem separabis, & comedes in conspectu Domini Dei tui.* O arcanam decimarum separationem! Id ipsum, quod separatur, habetur; dumque Domini adimpletur mandatum, accrescit implenti lucrum: tam lautè potest comedere, qui sciuerit decimas religiosè præstare: præstitæ namque veluti fœcundæ venæ, scaturiginesque copiosæ, è quibus iterum refluunt incrementata, quæ piè Domino separabantur exhibita. Adest Cæsarius

Cæsarius. Arelatensis homil. 41. *Si decimam dederis, non solum abundantiam fructuum recipies; sed etiam sanitatem corporis consequeris: non eget Dominus Deus, non præmium postulat; sed honorem: Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatur repetere, non sibi; sed nobis sine dubio profuturam.* Certè mensam sibi potest apponere, qui decimam non cunctatur offerre, quandoquidem ipsa exhibitio est secura bonorum incrementatio.

Diuus Paulus ad Hebræos scribens sic ait: *De filijs Leui sacerdotium accipientes mandatum habent decimas sumere à populo secundum legem.* 44.

Ad Hebr. 7. v. 5. Cæsarius. Cæsarius Arelatensis paulo aliter legit hom. 41. *Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas emere à populo secundum legem, id est, à fratribus suis: hilarem enim datorem diligit Deus.* Contraria censeas & hilariter dilargiri, & pretio venditare: Si ergo sacerdotes decimas emunt, liberaliter à populo non accipiunt; aut si populus decimas generosè ministrat, quid necessum est sacerdos decimas emat? Certè decimæ quò liberaliùs offeruntur, & cariùs venditantur: nam Sacerdos non tulit gratis, cùm debeat pro populo preces fundere, & ardentem Numinis in peccatores indignationem sopire: nec tulit Deus gratis, quando lucroso laudabilique commercio pro decima rependit nouem, vt homo pro nouem impendit decimam. Adest Ambrosius

Ambros. serm. 13. de futuro vniuersali iudicio: *Scriptum est: date decimas de omni labore vestro, & de omnibus pecoribus vestris, & ego aperiam vobis cataractas cæli, & multiplicabuntur messes, & vindemia vestra erunt vobis in abundantiam: insuper & sanitates in domibus vestris.* Ecce quàm largo pretio Deus decimas à populo emat, salutis scilicet censu, copioso vindemiæ fructu, pluuiæque opportunioris illapsu. Qui decimas tribuit, dum religiosa Numini præstat obsequia, ampliora sibi requirit lucra. Iam qui auarus decimam negat, & fortunam suam inepta cupidine euacuat: arua sterilitate marcent, segetes immaturæ decidunt, pecora morbida citò dispereunt,

&

& quidquid ambiciosè reseruabatur ad lucrum, pestilens lucri inuenitur venenum.

45. Leuit. 26. 15. *Si spreueritis leges meas*, minatur Dominus, *& iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum; ego quoque hæc faciam vobis: visitabo vos velociter in egestate & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras: frustra seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur.* Impius miles, & trux barbarus deuastat ad miserabilem mulctam agros, qui vtilem non reddiderant, decimam; vt amittat dignè punitus, quod quis Domino negauit auarus. Ita Augustinus suprà citatus: *Primitias rerum, & decimas dignatur petere, & negas auare: quid faceres, si nouem partibus sibi sumptis tibi decimam reliquisset. Quod certe iam factum est, cum messis tua [illegible] benedictione subtracta [illegible] defecit, & vindemiam tuam aut grando [illegible], aut pruina decoxit. Quid auidè supputas? [illegible] partes detractæ sunt, quia decimam dare noluisti. Confer qui [illegible] quod ipse non [illegible], sed tamen Deus exigit.* Addit posteà [illegible] *& in diuitiis [illegible]: dabis impio militi, quod non [illegible].* O quoties ferus miles diripuit ad [illegible], quod auarus sacerdoti denegat ad religiosum obsequium! Reliquorum fructuum fiunt prædæ, quæ decimæ seruantur negatæ: vt iam [illegible] abstulerit truculentia ad supplicium, quod quis detrectauit offerre ad meritum. O quoties aut inopina tempestatis deiecit violentia, aut grandinis consumpsit iniuria, quod religioni manus negauit auara; & quod cætera custodiret exhibitum, iniustè consumpsit seruatum. Nobis petit Deus: citò namque soluit, quod recipit, & habet deuotus homo, & obsequij meritum, & ipsius donationis lucrum. *Non præstas hoc gratis*, inquit laudatus Augustinus, *quod cito recipies magno cum fœnore: [illegible] cui proficiat quod Deus accipiat reddamus: quæris iterum, cui proficiat, quod pauperibus datur. Si credis, tibi proficit: si dubitas, perdidisti.* Sibi dat, qui decimas offert; negat sibi, qui retinuit: nec solùm terrena se priuat substantia, sed pretiosiori etiam vita.

46. Adest huius veritatis vt infaustus, fidelissimus testis diues ille, qui hydrope laborans omnes agrorum prouentus decreuerat auarè seruare, quin meminerit decimas Domino reddidisse. Luc. 12. *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se dicens: Quid faciam: quia non habeo, quò congregem fructus meos? Et dixit: hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea.* Ecce sibi omnia nata arbitratur; non computat agri prouentus, vt partem decimam soluat; sed ampliora architectatur horrea, vt fructus omnes constringat. Apparuit sane consiliarius, qui latebat, dæmon scilicet, qui ad interiora penetrarat auari: decimas consuluit non reddere, quo non soluentis vitam possit citissimè dissipare. Nec sua illum fefellit opinio; audiuit namque auarus: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem parasti, cuius erunt?* Ipse fuit decima: quia decimatum auarè renuit persoluisse tributa: dumque inique satagit cumulatiùs implere horreum, vitalis lucis amisit vsum, ne sibi posset habere, quod distulit sacerdoti religiosè præstare. Adest Cæsarius Arelatensis citatus verba mutuatus ex Augustino: *Cum decimas dando, & terrena, & cœlestia posses munera promereri, quare per auaritiam duplici benedictione defraudaris? hæc enim est Domini iustissima consuetudo, vt, si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris.* Miser diues pro decima repetitur, dum auarè decima sacerdoti non soluitur, vt noscamus religiosa adeò Domino offerre tributa, & salutem parere, & substantiam reliquam custodire, vt è contra decimam auarè retentam, & mortem auaro asciscere, & diuitias ipsas flammæ adinstar citissimè deuorare. Cæsarius.

---

§. XI.

Augustior resplendet obedientia, si non constricta præcepto; sed morem gesserit voto.

Eximia virtus, quæ vt iubentis præceptis exprompte obediat, ingenij aciem felicissimè obscurat: qui iussa discutit, non obtemperat; sed examinat: sustinet parendi laborem, & adulterat obedientiæ virtutem: diuinos in sui commendationem oculos rapit, qui rei imperatæ effectionem comitari fecit mandatum: qui, eo repulerit moras, idem fecit auditionis, & executionis esse instrumentum. Adest Psalmista Christi Domini personam gerens: *Sacrificium, & oblationem noluisti*, inquit Patrem allocutus; *aures autem perfecisti mihi.* Quem locum ad Hebræos referens Paulus sic ait: *Hostiam, & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi.* Ecce corpus vocatur auris, vt quæ [illegible] aure iubentis effectum, corpus haberet ad exequendum decretum, ne instrumentum [illegible] tardissimum, quod excipiebat mandatum, & exequebatur præceptum; sed idem met [illegible] esset exprompti ssimè obsequi. Opportunè Incognitus: *Aures perfecisti mihi, per aures [illegible], quibus audimus, obedientia significatur... Quid est ergo aures perfecisti mihi, id est, me fecisti ad perfectè obediendum tibi: quod fuit, quando factus est Patri obediens vsque ad mortem crucis: istam autem passionem exponit Apostolus ad Hebræos 10. Vbi hîc dicitur: Aures autem perfecisti mihi: Apostolus dicit: Corpus autem aptasti mihi: quod idem est in sententia.* Deus Pater Christi corporis sacratissimam hostiam in crucis ara præceperat offerendam: vtque exactissimæ nobis obedientiæ promptitudo constaret, se aures habuisse dicit, quasi idem fuerit excepisse aure mandatum, & ipsa aure adimpleuisse præceptum. Certè imitanda nobis hæc Christi Domini obedientia est: nam quam extorquet semel & iterum repetita iussio non tam est obsequela, quam pugna; tuncque subiectus vincitur, non obsequitur. Augustior resplendet hæc virtus, si non expectet mandatum; sed gestiat implere votum. Commendanda sæculis nobis occurrit populi Hebraici obedientia. Accesserunt Leuitæ ad Eleazarum, Iosueque, ac reliquos cognationum Principes deposcentes, vt iuxta Domini præceptum habitacula illis concederentur: *Dominus præcepit per manum Moysi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda iumenta.* Quid tunc

47. (right margin); Ps. 39. ; Ad Hebr. 10. ; In Ps. [illegible] (right margin notes)

Dederunt filij Israel de possessionibus suis iuxta imperium Domini. Si Leuitæ iudices interpellarunt, cur iudicum ad populum non refertur mandatum; sed arcanum silentium? Certè sui muneris videbatur iusta adeò allegata causa decretum promere, vrbesque Leuitis dari iuberet: cur ergo populus ciuitates largitur, si iudicum, Principumque iussionibus non vrgetur: quandoquidem de sæculi more nisi per iudicialem violentiam ferè nullus soluit benefico etiam creditori pecuniam. Certè populus immaturè ad speciem præbet, & Princeps culpabiliter tacet. Imò arcanè Principis non refertur edictum, vt populi obedientiæ deprædicetur elogium. Ea populus promptitudine obedire gestiuit, vt iussionem non expectarit; sed anteuerterit. Huc voco Tertullianum aduersus Psychicos cap. 13.

Tertullian. *Ego me sæculo, non Deo liberum memini: sic meum est vltrò officium facere Domino, sic indicare illius: non tantùm ei obsequi debeo; sed & adulari.* Certè præceptis obsequitur, votis adulatur: ergo qui cumulatius suam cupit adornare obedientiam, venatur, vt impleat, vota, non superioris expectat iussa: ergo populus non solùm exambiuit obedire; sed Principibus adulari. O bonam adulationem, quæ perfectioni militat, quæ virtutem semper commendat! Populus à Principibus non iubetur, & expromptissimè ciuitates largitur.

48. Isaacum præ ipso parente perfectissimæ fuisse obedientiæ speculum, vtpotè Christi Domini ænigma, nulli dubium. Repetamus altiùs historiam. Deus, quò Abrahami charitatem populis dilucidiùs euulget, hostiam de innocente filio ad charitatis explorationem deposcit:

Gen. 22. v. 2. *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Ad horribilem adeò vocem Abrahamus non expauet, nec eius animus fit perculsione contractior: non gemuit, non illachrymauit, non in varias partes consilia partitus est; imò quo oris non temeraret constantiam, nec vocem pectore fouit querulam: celeri pede contendit in montem, ibique ausa est sacrum facere dextera, quæ de ignis, gladiique portatione erudita: filius vel in tenera ætate prouidentissimus de victima sciscitatur: *Vbi est victima holocausti?* Tunc pater quòd se Dominus postulasset, aperuit, & iam filius sic expromptè iugulum offerre discupit, vt tarditatem damnarit: fidelis fuit pater; sed fidelior filius: Isaacus, non pater Christi Domini obsequentissimi portauit imaginem, obedientiæque nobis mirè actionum coloribus depinxit virtutem. Iam Isaacum Christi Domini præcessisse symbolum tradunt interpretes. Audi Rupertum

Rupert. & Lippomanum: *Sicut præcipiebatur Isaac in terra visionis, & in monte sublimi immolari, sic in eadem terra, & monte Caluariæ verus Isaac Christus erat immolandus.* Et cur Abrahamus obedientiâ à filio vincatur, quandoquidem ipse cunctatus non est opere absoluisse præceptum, sicque obsequentissimè paruit, vt nullas moras annecteret? Isaacus excellentius obedientiæ probatur ænigma, & Christi Domini vmbra: nam licèt laudabile sit expromptè obedire præceptis, deprædicandum magis est sacra ambitione obtemperasse etiam votis. Innuit Zeno

Zeno. Veronensis serm. 1. de Abraham. *Cùm de patre quæreret, vbi esset victima, quam disponeret, & immolaret, securus de fide generis sui pater filio, de quo non dubitabat, patefecit, quia se Dominus postulasset, & quod ipse Domino promisisset, ostendit: lætatus est puer patre fideli ipse quoque fidelior, nec recusabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat.* Vides Isaacum expressum hic non audiuisse præceptum; sed superioris nouisse votum: ideo in re obedientiæ patri antelatus, & cæteris in exemplar ad obsequendum propositus: fidelis quidem pater, quandoquidem se patrem negauit, vt seruum Domini assereret; at fidelior filius, dum non recusat mortem sibi immediatè non iussam; sed patri solùm præceptam. Non assero obedientiam sine præcepto plusquam præcepto obstrictam mereri; dico tamen vt in plurimum laudabiliorem esse, quæ paret nutibus, quàm quæ adurgetur iussionibus. Hic præ Abrahamo Isaacus optimi obedientis portauit imaginem, quandoquidem alter exequebatur præceptum; alter verò festinabat exequi votum.

Cùm Iosue manus cum Amorrhæis conseruisset, & pugnacissimè decertasset, hostes fregit, & iamiam triumphus consummabatur, cùm Sol radios contrahens impiis præberet auxilium; & quando est vitium sine patrono, aut quando qui improbis auxiliatur, splendoribus non minuitur? Verùm Iosue sacrata zeli impatientia, & piissima assumpta irà stationem luminaribus indixit, & sistere gradum præcepit: 49.

Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Sol in medio æthere hæsit, radiosque produxit: & quid mirum lucis sibi lucraretur augmentum: quando iustis præbebat auxilium? At cùm Scriptura refert, Numinis obedientiam allaudat, Solis stationem euulgat: *Non fuit antea nec posteà tam longa dies obediente Domino voci hominis.* Et cur Solis non commendetur sæculis obedientia, quandoquidem ad Iosue imperium hæsit medio cælo quadriga? Ob id ipsum fortassis: Sol expectauit imperium; Deus verò ducit executus est votum: ideò Solis refertur mora, & Numinis obedientia. Innuit Procopius apud Glossam. *Scriptura testis est nulli vnquam hominum Deum ita morem gessisse: statuit itaque & meus Iosue Solem, præsentiaque sua longiorem mihi diem contra hostes efficit.* Dum Deus morem gerit, dum votis obtemperat, dicitur ad nostrum exemplum obedisse; at Sol dum præcepto cogitur, equos refertur tardasse. Adde tunc perfectiùs rutilare obedientiam, cùm non expectat vel nutum, si superioris nouerit desiderium. Iosu. 10. v. 12. Procopius. Dei præsentia citra hostes producit lucem.

Throno excelso Deus Prophetæ obiicitur, cúmque cælesti lumine illustratus se labiis pollutum nosceret, dolenter ingemuit: *Væ mihi quia tacui: quia vir pollutus labijs ego sum.* Statim Seraphin celeriter inuolans Prophetæ labia purgauit, & sanctitati restituit, cúmque Deus legatum se quærere innueret, Isaias se vltroneè obtulit, & ad se legationem auidè rapuit: *Audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego mitte me.* Vides Prophetæ promptitudinem, Seraphini volatum; cuius tibi exprompitus videtur obsequium, & religiosius seruitium? Certè Isaias Domini implere gestit incunctanter desiderium, nec expectauit mandatum: Angelus pro libito videtur volare, nec apparet obedire. Imò ob id ipsum excellentior est obedientia: quia nec nutus prodita 50. Isa. 6. v. 5.

prodita signa. Scit Angelus velle Deum omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; attestate Paulo:
1. ad Tim. 2. v. 3.
Hoc bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; & quamuis non iusserit, quamuis vel nutum non referatur prompsisse, celeriter inuolat, vt Domini voluntatem obsequentissimus faciat: quasi ita secum ratiocinetur: Dei voluntas est hominem culpis emaculari. Ergo optimum erit volatum arripere, & prophetam emndare. Dignum sanè tanto Propheta obsequium paruisse nutui; nobilius tamen Seraphini, dum vel sine expresso nutu obtemperat voluntati.
Interlin.
Ministerium compleuit, inquit Interlinearis, *sponte, quia huic mancipatus officio.* Obedientiæ implet Seraphinus ministerium, dum voluntate cognita non expectauit vel nutum: est namque summa obedientiæ perfectio, vel antequam obedientiæ promatur votum, implesse opere desiderium. Adde obedientiæ alumnum non exequi præceptum; sed anteuertisse mandatum.

51. Ps. 39. v. 8. *Tunc dixi: Ecce venio*, aiebat Psaltes Christi Domini gerens personam: *in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam.* Inuersus alicui videatur ordo: priùs enim referendum erat, in capite libri litteris insculptum mandatum, & posteà aduentus; & tamen priùs refertur aduentus, & posteà litteris expressum mandatum. O imitandam nobis obedientiam! Sic Dominus obedire gestit, vt, si fas est dicere, ipsum anteuertat executione mandatum, iamque inueniat executionem præceptum:
Incognitus.
In capite libri, in quo, exponit Incognitus, *quisque nostrum legere debet, quid agendum, quid sequendum, quid cauendum, quid timendum, & quid amandum.* Ecce nondum refertur in libro scriptum quid agendum, & iam agendum narratur actum: *Ecce venio:* nam perfectior obedientia ipsum honestè noscitur anteuertisse mandatum. Ergo Hebræorum populus ciuitates largitur, & iudicium adhuc iussione non premitur.

---

§. XII.

Mirum est, si generali tributo minus non pependerit ditior, & plus pauperior.

52. TRibuta, generalésque contributiones Principi sunt soluenda, cum honesta adurget causa, & ex ipsis, quæ pendit, commodum lucratur Respublica; ab illis verò præcipuè vectigalia exigenda sunt, quibus affluens pecunia, & ampla agnoscuntur commoda. Cæsaris exactores à Christo pauperrimisque discipulis tributum deposcunt non quidem sine querelis:
Matth. 17. v. 23.
Quare magister vester non soluit didrachma? Quasi satis non sit miseris soluisse aurum; sed opus etiam exactorum tollere supercilium. Quid tunc? Petrum magister piscatum mittit, & a primo pisce staterẽ illi quidem superfluum æquissimus tolli iussit: *Eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem: illum sumens da eis pro me & te.* Docuit petendi tributa normam, scilicet non victui necessaria; sed petenda fore superflua: docuit à primis duplum, quàm à pauperibus exigendum; quandoquidem primus piscis reddidit staterem, Christus & Petrus didrachmum. Verùm ea est miserorum calamitas, vt de fortunæ peruersitate plus vectigalibus affligantur obnoxij, qui debuerant absolui liberi. Magnates potentesque sua se potentia tuentur, & vel debitis absoluuntur. Diuus Thomas in hoc pisce signari ait auarum diuitem: *Videris auarum hominem ab aliquo Petro correptum.*
D.Thom.
Itaque à diuite stater exigitur, qui pro Christo & Petro soluatur: quæ res adeò apud sæculum insolita, vt Chrysostomus demiretur Petri fidem:
Chrysost.
Admirare, inquit apud D.Thomam, *Petri fidem: quoniam res tam difficili obediuit.* Verùm quæ in hac re grandis adeò elucet arduitas, vt mirabilem poscat fidem? Audit Petrus auarum diuitem tantum, quantum duo soluant pauperes, ad Cæsaris vectigal soluturum, nec dubitat, quod adeò sæculis inuisum est, vt eius merito commendet fidem, quandoquidem metas impossibilitatis attingit. Vnicum pauperem plus quam duo diuites, soluere frequens est; diuitem verò quantum duo pauperes, inauditum: ideò Petri fides probatur eximia, quia res asserebatur insolita. Est namque mirum plus soluisse diuitem, minus pauperem. Tertullian. solito acumine in apologet. cap. 13. aiebat:
Tertullian.
Agri tributo onusti viliores, hominum capita stipendio censa ignobiliora: nam hæc sunt notæ captiuitatis. Sensus Tertulliani est agros tributo onustos vilescere, capita hominum ignobilitatis nota obscurari; eius tamen verba alium non violenter admittunt sensum, scilicet viliores agros tributo præ aliis affligi onustos, hominesque pauperiores, ac ignobiliores exactoribus pendere maiora tributa: quia cùm se potentiæ armis nequeant defendere, coguntur onera immerata portare: fœcundissimi agri, dum nimia vbertate pinguescunt, improbis timorem ministris incutiunt; at pauperiores, quia potentiæ sæpè nullatenus circummuniti, vectigalibus lugent obnoxij: quod adeò sæculorum peruersitate notum, vt gemina repetitaque fide indiguisse videatur contrarium. Iussit Dominus Leuitis ciuitates ad habitationem concedi; eo tamen ordine, vt quæque tribus pro possessarum ciuitatum copia ciuitates largiretur, scilicet ditior plures, non adeò diues pauciores, quod opere impletum est:
Iosu. 21. v. 8.
Dederunt filij Israel de possessionibus suis iuxta imperium Domini ciuitates, & suburbana earum. Nec satis fuit expletum semel deprædicari mandatum; sed idem testimonium inuenies iterum repetitum: *Dederunt*, inquit, *filij Israel Leuitis ciuitates, & suburbana earum, sicut præcepit Dominus per manum Moysi.* Superuacua cui hæc geminata videatur repetitio, quando satis erat veritatem fulciri vnico testimonio. Repetitne Scriptura semel & iterum idem, quasi rarum fuerit diuina homines exprompte fuisse executos præcepta, & alijs concessisse habitacula? Bene; sed quid nobis altius quærendum est: Dominus habitationum pro Leuitis vectigalia generaliter iussit euolui ea, quam diximus suprà, ratione, videlicet, vt cui plures essent, plures etiam ciuitates penderet tribus: adeoque insolitum est apud sæculum in tributorum solutione plus pendere diuites, vt, ne humana fides nutarit, Scriptura repetitis testimoniis fidem munierit:
Abulens.
Eo modo dederunt Israelitæ, scribit Abulensis quæst. 3.

quo

quo Deus iusserat nihil transgredientes de forma mandati, scilicet, vt iussit Deus dare vrbes, & suburbana, ita data sunt: iussit etiam quòd tribus habentes plures ciuitates, darent plures, quod etiam obseruatum est. Semel & iterum repetit Scriptura præceptum, vti Deus iusserat, executioni mandatum: nam credere plus pependisse ditiores, magno egebat testimonio, vtpotè mundiali aduersum stylo.

53. Cùm purpuratus ille diues regiam olim cultu maiestatem affectans vehementissima apud inferos siti adurgeretur, leuauit oculos non sanè in montes, è quibus illi veniret auxilium; sed dignum adaugeretur tormentum. Vidit Abrahamum sic diuitem, vt hospitio Lazarum excepisset egenum: vidit Lazarum adhuc post mortem, si dici liceat, mendicum, & apud Abrahamum hospitio fotum: adeò perseuerant mores, adeò difficilè abolentur consuetudines: ergo flammis adustus Lazarum petit mitti, & siti liquorem pendere: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* (Lucæ 16. v. 24.) Et cur non dixerit ipsi Abrahamo: Qui olim peregrinis hospitibusque aquam pedibus offerebas, linguæ ardori stillam præbe; sopi ardentissimam hanc flammam, qui temperandis peregrinorum æstibus offerebas arboris vmbram? Sic errat diues, sic teterrimo inuidentiæ fumo obcæcatur, vt ipse sibi imminuat remedium, dum ambitiosius remedij ostentare gestit studium? Pauper & inualidus poterit pendere guttam; diues verò copiosam aquarum venam: ergo purpuratus petat à diuite, nec exegerit à paupere. O notandam nobis eruditionem! Diues de sæculi more scit diuites sua se potentia tueri, miserosque ad purpuratis, ad Principibus tributa soluenda cogi: ideò ne siti tardet remedium, relinquit diuitem, vrget pauperem: Lazarum deposcit mitti, quia pauperes nouit obnoxios vectigalibus plus teneri. Huc voco Saluianum lib. 4. de prouident. (Saluian.) *Ecce remedia pridem nonnullis vrbibus data*, quid alium egerunt, quam vt cunctos diuites immunes redderent, miserorum tributa cumularent? A miserò purpuratus, non à diuite exigit liquoris tributum: quia scit ferè semper vectigalia soluere inualidos, non pendere diuitiis onustos.

54. Sponsus arcano stylo Sponsæ partes variis animalibus comparauit, capillos capris, detonsis ouibus dentes: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad: dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* (Cant. 4. v. 12.) Si capræ non referũtur detõsæ, cur oues candidis referantur velleribus viduatæ? Dentes exæquat tonsis, capras tonsas non refert, dum prolixis crinibus confert. Ecqua discriminis causa est? Certè in moralibus, quam adstruimus: oues valles habitant, campos depascunt: capræ montium verticibus viuunt: ergo ab altis nihil præcidit violenter ferrum; ab humilioribus velleris aufert ornatum: hoc idem discrimen inter mystici corporis reperies partes: capilli vtpotè vertice excelsi, non referuntur detonsi; at humiliores dentes detonsis inueniuntur assimilati. Certè à capillis superflua præcidenda foret prolixitas; à dentibus verò, cum carne ferè sint nudi, nihil posse videbatur auferri, aut vtiliter præcidi; & tamen dentes detonsis assimilantur; capilli capris non detonsis similes referuntur. O nimis verum! A diuitibus multa præciderentur vtiliter, à pauperibus vel reculæ haud auferuntur innoxiè; & tamen hi detonsionibus patent; illi verò molestiis vectigalium ac exactorum non subiacent: capilli viuunt in vertice, dentes degunt loco humiliori: hi ergo, quamuis satis nutriantur angustè, ferri violentiâ similes referuntur detonsis: illi verò, quia excelsi, nunquam non inueniuntur ornati: capillus superfluitatem tuetur de altitudine, dens membris omnibus vectigal soluit de paupertate. *Comparat dentes Sponsæ gregibus ouium peritè tonsarum, lotarum, & fœtarum*, scribit noster Delrius. (Delrius.) Oues gemellis pascendis tenentur addictæ; vellere tamen spoliantur detonsæ; capræ verò, quia viuunt vertice, capillis fulgent vestitæ, etsi alendis fœtibus expresè non referantur dicatæ. *Vides*, aiebat Ambrosius cap. 4. in Collectis, *quod in altis grex iste pascitur, audax in monte. Itaque vbi alij præcipitia, ibi capris nullum periculum.* (Ambros.) Altitudine luporum frustrantur adsultus, quos oues vallium patiuntur humilitate. O vtinam minùs certa hæc inueniretur doctrina; verùm non semel æquitatis iniuria: pauperes filiis onusti velleribus lamentantur nudati, cum diuites verticibus caprarum adinstar viuentes, & superfluo luceant ornatu, & prædiuite luxurient censu.

Christus Dominus Ierosolymam tendens esuriit, & ficui, vt fructum acciperet, proximauit: 55.
illa, quia humoris censum ad foliorum luxuriantium dissiparat virorem, non habuit, quo solaretur Domini famem, cúmque in Scriptura nihil mysterio vacet, inquirendum nobis est, cur à ficu fami solandæ vectigal petierit: *Videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam:* (Matth. 21. v. 19.) cur non ad aliam arborem; sed ad ficum? Quia fors docere voluit Principum necessitatibus esse tributa reddenda; sed à potentioribus, sed à diuitibus: inter arbores reliquas ficus sola gemino fructuum ditatur censu: producit namque pro flore fructum: ab hac ergo Dominus præ aliis tributum deposcit, & non soluentem iustissimè punit. Adest Ambrosius ad Lucæ 13. (Ambros.) *Si diligenter inquiras, discretam ab vsu arborum cæterarum consuetudinem naturæ huius inuenies: namque alia florem ferunt, antequam fructum, pomaque ventura prænuntio sui flore designant: hæc sola ab initio germinat poma pro floribus:* ficus prouentibus ditior; ideò ab illa non ab alia Dominus tributum deposcit, nec accipit: vt vtriusque huius rei aptum nobis depromatur exemplum, scilicet diuites tributa non soluere, debereque à ditioribus tributum exigi.

---

§. XIII.

Inter magna beneficia censendum opportunis virtuti locis ac iustis comitibus viuere, vt inter supplicia locis virtuti aduersis, & cum hominibus prauis degere.

Virtus gratiæ & arbitrij res est: nihil cæco adscribendum fato, nihil habitaculi solo: 56.
nam inter nocentissimos non semel refulget æquus, vti inter iustos assolet inueniri malignus;

lignus; verùm non potest in dubium verti rubiginem suam adhærenti affricare peruersum, ad virtutemque prolectare iustitiæ alumnum: substrictis in papilionibus degentem aquæ concupiscentiam Dauidem nouimus cohibuisse; in regia post pollucibilem mensam alieni tori decorem aggressus est temerasse. Nec profanæ desunt historiæ: Annibalem namque, quem Alpium niues non fregerant, quem ærumnæ bellicæ non soluerant, Campaniæ deliciæ soluerunt, & inuictum animum subiugarunt. Id debemus agere, vt irritamenta vitiorum quam longissimè fugiamus, vt virtutis exempla obuia frequentissimaque spectemus: tacito namque illapsu subrepunt vitia, & deliciosa virilem etiam animum emolliunt facilè exempla. Pudet inter honestatis virtutisque asseclas deliquisse: quia nullum constat irritamentũ habere. Quàm benè Seneca epist.51. *Loca seria, sanctaque eligere oportet: effæminat animos amœnitas: amœna sine dubio aliquid ad corrumpendum vigorem potest regio. Quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum durata in aspero vngula est: in molli, palustrique pascuo saginata citò subteruntur.* O quàm alius est miles de confragoso veniens, quàm vrbanus, non est solùm segnis; sed verna! nullum laborem refugit manus glebis proscindendis sueta: in primo congressu deficit vnctus, & excultus, & nitidus, & de capsula totus. Iam quantum obsit, prosítve non solùm loci grauitas, aut amœnitas; sed sociorum seuera vita, aut effœminata voluptas sexcenta contestantur exempla. *Proderit*, aiebat Stoicus quæst.110. *sapiens aliquando sapienti: suadebit enim; sed in illis quoque magnis ac diuinis, vt diximus, communiter honesta tractando, & animo cogitationes miscendo vtilis erit.* Leuitis sors varias ad habitandum ciuitates adsignat; prima tamen non solum tempore; sed dignitate cæteris antecedens sacerdotes apud Iuda, Simeonis, & Beniamin tribus collocat: *Egressa est sors in familiam Caath filiorum Aaron Sacerdotis [de tribubus Iuda, & Simeon, & Beniamin ciuitates tredecim.* Quærunt interpretes, cur apud has tribus sacerdotibus sors contigerit: Origenes ad magnum testatur beneficium. Profectò sacerdotes reliquos anteibant & vitæ merito, & muneris instituto: quos ergo amplissimis Deus afficere præmiis decreuit, sacratioribus locis collocauit, & religiosioribus Hebræis adiunxit: quod magnum extitisse beneficium nullus dubitabit, quandoquidem ad virtutem impellit seria loci grauitas, & desiderabilis iustorum societas. Audi Origenem hom.25. in Iosue. *Cui oportebat primatum dari, nisi Aaron primo vel Summo Pontifici; primo in vita meritis, in honoribus, in virtute. Non est ergo ista sors fortuita; sed adest virtus superna gubernans eam secundum diuinæ prouidentiæ iudicium, & decernit hæc sors filijs Aaron prima habitacula.* Ausculta curiosiùs, quæ subdit: *Filijs Aaron in Tribu Iuda, & in Tribu Simeon, & in Tribu Beniamin per sortes ciuitates tredecim. Vides quomodò electis viris in electis tribubus habitacula dispensantur.* Ecce magni habendum prouidentiæ fauorem electissimis Tribubus Aaronitas associari, & sacris locis conuiuere. Consonat Masius: *Locantur sortis casu Aaronitæ, quippe sacerdotes, non cis Iordanem, neque apud tribum quampiam vnam è multis; sed apud Iudæos, & Beniaminitas, quorum illi tum regni dignitate præ cæteris tribubus omnibus eximij, tum ob Messiæ promissos natales venerandi erant; vtrique verò templi vicinitate decorandi olim, & paribus animis aduersus cæteras tribus auitam, probatamque religionem defensuri.* Curæ fuit Numini, quo sacerdotum custodiret virtutes sacris collocare sedibus, & religiosioribus adiungere tribubus, vt constet omnibus ingens esse beneficium virtutum incolere prouinciam, iustorumque sortiri consortia.

Seneca. *Effæminat animos amœnitas.*

Sapiens magna tractat cum sapiente.

Origen.

Masius.

57. Cùm Deus ad molitionem rerum accingeretur, prima die lucem produxit: *Fiat lux, & facta est lux.* Vox mittebatur, & lux formabatur, reique imperium ipsa effectio comitata est: posteà luminaria producit, cæloque luminosos veluti flores inserit: *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem.* Quærunt interpretes, si eadem fuerit lux primo, & quarto die relata, an aliqua denuò fuerit die quarto producta. Augustinus censet lucem primi diei terræ se proximiorem rotasse, ideóque minus fulxisse; quarto verò die cælo collocatam resplenduisse nitidiùs, à tellureque distitisse remotiùs. Audi ipsum lib.1. de Genes. ad litter.cap.11. *Per illam lucem minùs fulgens dies, quàm nunc est, fuisse credatur.* Consonat Sinaita lib.1. in Hexam. *Solem & Lunam cùm per se super terram tanquam Adam & Euam esset fabricatus, postea eos in altum sublatos posuit in firmamento.* Scriptura de nouo quarto die luminaria creata dixit: quia cælo tunc collocata retulit: Sol Lunaque priùs splenduerunt conditi; sed dum proximiores terræ rotabantur, illorum aureus nebulis offuscabatur splendor, terrisque vaporibus clarus innubilabatur nitor; at cùm sublimiori sacrioríque loco, cælo scilicet collocantur, quasi denuo accepisse naturam referuntur: est namque cælo micare splendorem viuidiorem augere, vt in telluris confinio degere radios nebulis obscuratos sortiri, ô quàm terræ vicinitas splendores fuscabat, quam lucem terrestres ingenium dediscere vapores cogebant! at dum cæli serenitate, & tranquillitate luminaria fruuntur, quodammodò denuò ad fulgoris pompam creantur. Iam quàm conducat ad virtutem regio, in ipsa mundi origine textus nobis satis dilucidè tradidit, dum primum parentem ad paradisum translatum prodidit.

Gen.1.v.3.

Augustin.

Sinaita. *Sol & Luna in terra creati.*

58. Hominem molitur Deus, ac de telluris limo sapienter confingit: *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Sacra ambitione deornatam imaginem, quia liuidam nouerat inuidentiam excitare, decreuit studiosissimè custodire: in paradisum ducit, quo captiosas æmulationis frustretur technas, ac vaferrimi multiformes serpentis eludat insidias. *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Augustinus apud Lippomanum censet tulisse Deum hominem in paradisum, vt ibi eum amplioribus virtutibus exornaret, & nobilioribus dotibus expoliret. Audi eius verba: *Sumpsit Dominus Deus hominem, quem fecit, & posuit eum in paradiso operari eum, vt iustus esset, & custodire, vt tutus esset.* Verùm statim se oculis ingerit difficultas: si Deus inuincibilem adeò sortitur omnipotentiam, vt nulla illi vis inferre valeat iniuriam; quid necessum est de loco in locum transferre,

Gen.2.v.7.

transferre, quem desiderat asseruare? Nónne poterit Deus plasmationis loco funestum arcere casum, quin homo inhabitet paradisum? Mutuaturne à loco tutelam, quasi non possit alibi insidiantis repellere iniuriam? O sapientiam immortalem! Eos, qui virtutem exambiunt animitus custodire, ab initio docuit patriam generosè contemnere. Certè Adamus de loco in locum translatus infirmam Numinis non attestatur potentiam; nobis tamen vtilissimam tradit doctrinam, scilicet opportuniorem alio alium locum esse virtuti, magnumque in nos beneficium conferri, si cultiorem cogamur regionem virtutibus habitare. *Seuerior loci disciplina*, aiebat vbi suprà Stoicus, *firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit: Literni honestius Scipio, quàm Baijs exulabat.* Paradisus Dei manu cultus virtutis docet culturam, innoxiasque producens delicias laudabiles virtutis spectatorem conducit ad operas. Fors originis locus non floridus; sed sterilitate marcebat ingratus, ideóque de loco in locum transfertur homo, & dum intra paradisi septa ad virtutem efficaciùs visis impellitur, ingens illi à conditore beneficium præstatur. O quàm imprudenter religiosæ vitæ discipuli sæpè queruntur, cùm monasteria, aut collegia commutare iubentur, cùm magnum illis sit beneficium austeriori disciplina à periculis remotiores seruari, quantumuis, quæ corpori grata, non contigerit inueniri. Iam iustorum aut iniustorum consortium in beneficiis aut suppliciis numerandum non dubium, quando sensim à sociis honestus hauritur virtutis ambitus, aut perniciosus erga scelera affectus.

Senec. *Seuerior disciplina magnis conatibus aptat.*

59. Cùm Dominus à mundialium rerum tumultu discipulos tantisper separasset, quam habeant de se opinionem interrogat: *Quem me esse dicitis?* Petrus supra hominem videns, hominem Deumque esse confessus est: *Tu es Christus filius Dei viui.* Hic idem posteà cùm à Principis Sacerdotum ministris de Christo rogaretur, non solùm esse Deum non est confessus; sed se illum hominem agnouisse inficiatus: *Cœpit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem.* Qui anteà exertè confessus, modò timidè negat metu obturbatus; & qui Deum prædicauerat, vel hominem modò fateri detrectat. Ecqua huius discriminis ratio est. An quia antiquum plausum vidit degenerasse in despectum? Mutauitne aduersæ ad fortunæ arbitrium confessionis testimonium? O quàm alia sentiunt homines de infortunato, quam de eodem senserint felicissimo. Negat Petrus, quod anteà fuerat confessus: quia diuersis modò ac anteà hominibus associatus: dum inter Apostolos degit, dum illos, etsi non summa, de Domino audit referre magna: aiebant namque: *Alij Ioannem Baptistam; alij autem Eliam, alij verò Ieremiam*, ad digniora est excitatus præconia. Verùm dum in sacrilega domo profanis detestandisque ministris inseritur, dum videt omnes sanguinem ardenter sitire, didicit & ipse negare. Idem est vtrobique Petrus, pro diuersitate tamen sociorum videtur distinctus: inter de Christo magna sentientes à Patre illustratus digna de Filio profert elogia: inter Domino aduersantes dedecorosa negationis incurrit scelera, & perpetrat periurij peccata. O quàm magnum esset Petro beneficium in Cæsareæ Philippi campis degere, & domum Principis non intrare. Adest Ostiensis Drogo de Sacram. Domin. Passion. *Tamdiu hic Petrus latro fuit, quamdiu intus latitans Christum foris negauit.* Præmiserat idem Doctor: *In domo Caiphæ colaphizatur Petrus.* Inter Sathanæ ministros colaphizatur, inter Apostolos cælestem veritatem fatetur. Vt noueris quantum vitio aut virtuti conducat & sodalitium, & habitaculum.

Math. 16. v. 16.

Math. 26. v. 74.

Drogo.

Concludat thesim Isaias: *Sibilabit*, inquit, *Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ est in terra Assur, & venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum.* Et cur muscam api coniungat, quando latum adeò inter ipsas inuenitur discrimen? Apis mellificat, musca defœdat: apis virgo est, musca turpissima; ergo aut muscam vocet, aut apem solam appellet. Imò, inquit vbi suprà Ostiensis Drogo, api muscam adiungit, quo musca dediscat ingenium, dum apis init consortium. *Muscæ immunditiæ semper amatrices nascuntur; nec istam despicit superabundantia gratia; sed sibilat, & euocat eam de extremo fluminum, & iungit api, quæ erat in terra Assur: apis virgo est.* Ecce magnum muscæ beneficium virginis apis obtinuisse consortium: ecce ingens gratiæ portentum apem à virginitatis candore non desciscere; & muscis luxuriantibus associari. Ab Ægypto auocat: quia locus refragabatur virtuti, vtque virtutem exerceat, immundam muscam mundissimæ adiungit api, & cùm muscæ benefacere exambit, & solum vertere, & Ægyptiorum iubet consortium fugere: conducit namque plurimum ad virtutis disciplinam, & iustorum consortium, & regionis habitaculum. 60.

Isaiæ 7. v. 18.

Drogo.

§. XIV.

Modus virtutis sæpè incrementat honestatem, aut obscurat pulchritudinem.

DElicatissima res virtus est, halitu prauæ intentionis inficitur, leui vitij attactu dedecoratur, vanitatis flatibus acriùs nondum aspirantibus vritur; ignauiæ gelu decoquitur: vtque non est pulchra facies, cuius vnum, aut aliud membrum decorum; sed cuius partes omnes sibi gratam constant ad venustatem, & sine næuo concordant ad pulchritudinem: ita virtus non nitet ad gratiam, ni materia, actio, & intentio amicè confœderentur ad speciei structuram. *Corrigendus est, qui peccat*, aiebat Seneca lib. 1. de ira cap. 14. *& admonitione, & vi; & molliter, & asperè, melioremque tam sibi, quàm alijs faciendus non sine castigatione; sed sine ira: quis enim, cui medetur, irascitur?* Quid correctione vtilius? Verùm si feruenti indignationis excandescentia fœdetur, eius iam grata pulchritudo fœdatur. Socrates cùm se indignatione immodica accendi sentiret, distulit corrigere seruum, ne correctio virtutis auxilium degeneraret ignobiliter in piaculum. Satis non est bona facere; sed opus est benè. *Socrates seruo ait*, scribit Philosophus cap. 15. *caderem te, nisi irascerer:* admonitionem serui in tempus sanius distulit, in illo tempore se admonuit. Iracundiæ tempus defœdaret virtutem: ideò Socrates disertissimè 61.

Senec. *Ira debet vtilis carere correctio.*

fertiſſimè in opportunius tempus diſtulit correctionem. Conſtant virtutes modo, conſtant tempore, conſtant actione: honeſte omnia iſta debent coire, vt virtutis poſſint pulchritudinem generare. Leuitæ Dei præceptum allegant, quo ab Hebræis opportunas habitationi ciuitates recipiant: nec mora: à populo ciuitates ſtatim
Ioſ.21. v.3. adnumerantur conceſſæ: *Dederunt filij Iſrael de poſſeſſionibus ſuis iuxta imperium Domini ciuitates, & ſuburbana earum.* Nec ſemel textus contentus eſt Domini imperium retuliſſe obſeruatum; ſed iterum idem repetit teſtimonium. *Dederunt filij Iſrael Leuitis ciuitates, & ſuburbana earum, ſicut præcepit Dominus per manum Moyſi ſingulis ſorte tribuentes.* Superuacaneum profectò videbatur idem repetiſſe teſtimonium, niſi aliquod lateret arcanum: ſatis non erat ad popularis obedientiæ commendationem ciuitatum numerum iuxta imperium Domini retuliſſe conceſſum; ſed opus fuit debitum etiam modum deprædicare aſſeruatum: ideò bis Scriptura idem repetit, quo prædicabilem omnibus modis populi actionem demonſtret. Adeſt Abulen-
Abulenſ. ſis quæſt.13. *Poteſt hoc intelligi dupliciter, ſcilicet, vt importetur cauſa vel forma: primo modo, quod Iſraelitæ dederunt Leuitis ciuitates iuxta imperium Domini, id eſt, quia Deus imperauerat illas dari: alio modo quod importetur forma, ſcilicet quod eo modo dederunt Iſraelitæ, quo Deus inſſerat, nihil tranſgredientes de forma mandati.* Nondum laudabile erat ciuitates Leuitis adſcripſiſſe, ſi inuitè, ſi faſtidiosè, ſi deteriores conceſſæ: tunc namque expletus conſtaret numerus; ſed non conſtaret virtutis affectus: hilarem datorem diligit Deus: nec intereſt manus dilargitis ſit muneribus generoſa, ſi intentio cordis fuerit auara: non prodeſt ad honeſtatis elogium rigidæ pœnitentiæ auſteritas, ſi vermis adinſtar hoc lilium intentionis corrumpat vanitas. Eodem loco ponendum eſt perpetrare vitium, & præſtitiſſe vitiosè obſequium: ergo Scriptura non opus externum ſolum; ſed quo popularis virtutis prodiderit excellentiam, geminato etiam teſtimonio operis approbat circumſtantiam: *Importatur forma, ſcilicet quod eo modo dederunt Iſraelitæ, quo Deus inſſerat nihil tranſgredientes de forma mandati.*

62. Age, & probemus eandem aliquando iudicij pati cenſuram perpetrare delicta, & prauè effeciſſe honeſta. Ecce, cùm paſſio appeteret, de cruce de contumeliiſque cum diſcipulis Dominus diſſerebat, ne quis putaret paſſionis acerbitatem ſuſtinuiſſe coactum, dum lignum exambire noſcunt præuiſum: hoc ſatis importuno tempore mater filiis conſtipata regiam affectans
Matth.20. v.20. poteſtatem Apoſtolorum diſſecat chorum, & intercipit vtiliſſimæ narrationis ſtylum: *Acceſſit*, inquit, *mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis adorans, & petens aliquid ab eo.* Chryſoſtomus diaboli hîc non diſſimiles illis agnoſcit technas, quas aduerſus protoparentes in paradiſo tetendit inſidias. Audi ipſum apud D.Tho-
Chryſoſt. mam. *Contulit ſe diabolus ad conſueta arma mulierum, vt ſicut Adam per mulierem ſpoliauit, ita & iſtos ſepararet per matrem.* Profunda ſanè Chryſoſtomi meditatio, & ipſis rebus ſatis ad ſpeciem aduerſa: nam Euæ perſuaſit rapinam, præceptoque inferre violentiam, arripere, vt diſtaret à Domino imprudentiſſimam fugam:
Gen 3. v.8. inquit enim textus: *Abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi.* Hic verò oppoſita prorſus videntur: exambiunt namque Domino proximare, paſſionis calicem bibere, celſa virtutum conſcendere, primaque Dominici regni loca occupare: ergo nihil commune erit duobus his fratribus, & primis omnium parentibus: nec enim poteſt ſub tam diuerſo ſtudio idem reperiri reatus, aut damnari eodem modo deprauatus affectus: iſti petunt, illi rapiunt: iſti labores diſcupiunt, illi floridas veſtes contexunt: iſti affectant adhærere, ſatagunt illi diſtare: cur ergo Chryſoſtomus eaſdem vtrobique ſerpentis agnoſcat technas, & dixerit latere verſutias? O perpende, amabo te, quo animo, quoque fratres ſubſellia deſiderarint ſtudio. Certè ambitioſis agebantur ſtimulis, non honeſtis deſideriis: *Delectabat* Rabanus. *eos*, inquit Rabanus apud D.Thomam, *culmen honoris.* Calicem ſitienter ſe bibituros promittunt; ſed de ambitionis prurit u, non de honeſtatis conatu. Adeſt citatus Chryſoſtomus: *Hoc* Chryſoſt. *ex deſiderio promittunt: nec enim hoc dixiſſent, niſi expectaſſent audire quod petebant.* Eua diſcupiuit lucere: fratres de ambitionis conſilio Chriſti paſſiones ſubire: hi deſiderabant bonum, calicem ſcilicet, & ſubſellia; ſed non benè: eadem ergo dæmonis inuenitur verſutia, dum ſuadet malum, & dum malè docet ambire bonum: benè ergo ac ingenioſè Chryſoſtomus dixit ſimiles hîc vaferrimi ſerpentis deprehendi verſutias, quando eodem loco ponendum eſt bonum indebito ordine, inhoneſtoque modo operari, & peruerſitatem moliri. *Contulit ſe diabolus ad conſueta arma mulierum, vt ſicut Adam per mulierem ſpoliauit, ita & iſtos ſepararet per matrem.* Si petitionis ſeriem ſpectes, appetunt ſedere coniunctos; ſi intimiùs deſpicias, de ambitione inuenies remotos: vt noueris ſatis non eſſe, ſi debitus deſit modus, externus ad virtutem conatus.

Idem gladius Moyſi & Balaamo minatur 63.
viantibus; cùm tamen diuerſiſſima probentur itinera, inueniantur que diſſimillima deſideria: nam cùm Balac Hebræorum ſe copiis vereretur vrgeri, Balaam ariolum ſub magnis promiſſis populo maledicturum vocauit: tendebat ille cupiditatis ſtimulis agitatus, regiſque promiſſis allectus: verùm Dominus iuſtitiæ patronus ſtricto gladio mortem minatur procaci, & viam de gladij aſpectu incutit timorem carpenti: *Ste-* Numer.22. v.22.
tit Angelus Domini in via contra Balaã. Cauſam Angelus indignationis aperuit, ne videretur aduerſari ſpontaneus; ſed occaſione compulſus: *Veni, vt aduerſarer tibi: quia peruerſa eſt via tua, mihique contraria.* Itaque in ſe gladium exacuit, dum viam Domino oppoſitam Balaamus iniuit. Tranſi modò cogitatione ad Moyſem Ægyptum verſus tendentem, quo Domini impleret præceptum, & tyrannicum contribulium auferret iugum: huic etiam & ſtricto gladio occurrit furore incenſus, & cædem intentat Angelus. *Cùm eſſet in itinere in diuerſorio,* Exod 4. v.24.
occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Et cur gladium vibret in viam de Domini præcepto carpentem, vt in prophetam vibrarat ad peſſima auguria inuolantem? Eſtne eadem vitij ac virtutis conditio? Si Moyſis recta eſt via, vt Balaami peruerſa, cur idem vtrobique gladius minetur & timore mortis vterque ſimili percellatur? Profectò Moyſes honeſtam rem exe-

quebatur, Balaamus peruersam; verùm dum populi dux lentè, desidiosèque virtutem probatur amplecti, vt Balaamus meretur occidi: quasi idem fuerit malè obsequi, & clarè offendere: obsequium defœdarat ignauia, iramque sufflammauerat negligentia: Moyses de itinere inuenitur laudandus; sed de negligentia occidendus, quasi eadem censura sit dignus, qui indebito ordine modóque operatur honesta, & qui ardenter sectatur praua. Audi Diodorum apud
Diodor. Lippomanum: *Nonnulli existimant Moysem id ab Angelo fieri putasse, quòd negligenter se gereret in eductione populi Israel ex Ægypto.* Moyses opus Dei facit negligenter, & incurrit de ignauia, quod Balaamus periculum de insolentia. Bona & benè operanda sunt, ne defœdetur bonæ operationis substantia temporis aut intentionis malitiâ.

64. Gen. 22. v. 2. Deus Abrahamo imperat filium offerre: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum:* tempus non præscribitur? & tamen pater nec noctium tenebris ducere filium cunctatur: *Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum.* Veronensis Zeno serm. 1. de Abraham timuisse patrem optimum ait, ne, si tantisper
Zeno. differat, peccatum faciat: *De filio hostia parabatur festina: denique implere sacrificium, ne mora faciat peccatum, necessariis sacramentis protinus præparatur.* Agnouit virtutis alumnus satis non esse offerre magna, nisi oblata fuerint exprompté, & ne de mora incurrerit culpam, de opportuna celeritate adornare cumulatius satagit hostiam: fors respuisset Deus sacrificium, si cunctatio inuitum testaretur offerentis animum, & reluctantem affectum: ideò festinat citissimè votum implere: quia de consummata virtute gestit diuinos oculos prolectare.

65. Lot eiusque familia sulphureas iamiam appetentes euaserant flammas, & celeri viam gressu carpebant, cùm vxor oculos ad ciuitatem conuertit, & supplicium ingens incurrit: *Respiciens*
Genes. 19. v. 26. *vxor eius post se versa est in statuam Salis.* Non hæsit in itinere; sed simul gradiebatur, & intuebatur; satis tamen fuit affectu in ciuitate manere, vt incurreret pœnam, quantumuis pernici volatu arriperet fugam. Simul fugit, & simul aspicit, & perdit de visu, quod lucrari
Lippoman. videbatur de gressu. *Videtur*, inquit Lippomanus, *commiseratione quadam permota vxor Lot retrò spectasse ad vrbem, quod prohibita fuerat.* Stulta pietate respexit, & fugæ laborem prorsus amisit. Huc voco quod aiebat Gregorius 3.
Gregor. part. pastor. lib. 28. *Non per hanc illicitum quid agitur; sed hoc, quod est licitum, sub moderamine non tenetur. Quod benè Lot in semetipso exprimit.* Sodomam fugere Dei erat custodire præcepta, & virtutis colere studia; at dum Lot vxor capitis conuersione ostendit erga ciuitatem affectum, temerat de curiositate mandatum: adeóque vanè curiosus aspectus honestæ fugæ obscurauit elogium, vt attulerit fugienti supplicium. Abulensis hanc tulisse pœnam tradit ex Rabbinorum sententia: quia cùm hospites
Abulens. *Per qua quis peccat, & peccati pœnam tolerat.* Angelos excepisset, sale cibos non condiuit; sed inconditos apposuit: *Quare versa sit in statuam salis dicunt Iudæi causam esse: quia præcedenti nocte in sale peccauerat: quia Lot petente sal ad condiendum epulas hospitum non dedit.* Profectò hæ Rabbinorum sunt nugæ; sed inseruire possunt doctrinæ. Hospites excipit, cibos apponit; sed quasi coacta, sed hospitalitati inimica: ideò non tulit hospitalitatis præmium; sed ob admissam culpam supplicium. Addit Abulensis: *Ipsa dolens desiderio rerum, quas in ciuitate reliquerat, retrò conuersa est, & mutata est.* Fugiebat pedibus; sed remanserat affectionibus: opus bonum aggrediebatur; sed de cordis reluctantia defœdabatur: Angelis ergo probari non potuit obsequium, quod de salis defectu minùs exprompté probabatur exhibitum: honesta sanè hospitalitas; sed quam adornat eleemosynæ studium, nec vanitatis persuasit fastus, aut inuitus dedecorauit affectus. *Hospitalitas studiosè exercida est.*

---

§. XV.

Laudabile est diuinæ legis obseruare præceptum illustrius tamen addidisse virtutis auctarium.

Legis obtemperare præceptis est frequentibus se exuisse periculis, & multimodis honestè exundare commodis: qui legibus non obsequitur, criminibus inseruire cognoscitur: legum reuerentia est vena salutis fœcunda: *Quæ* 66.
calestes largiûtur donorum, aiebat Plutarchus ad Principem indoctum, *& bonorum non est fruitio vel vsu rectus sine lege.* A crimine à mœstitudineque probatur alienus, qui legibus consecratur deuotus: laudabile quidem est rectam obseruare præcepti normam, quandoquidem edocuit felicem sibi procudisse fortunam, nec carere potest elogiis, qui studiosè satagit obtemperare Plutarch. *Nulla boni ex legi fruitio.*
præceptis: *Qui custodit præceptum*, aiebat Ecclesiasticus, *non experietur quidquam mali:* vnde Scriptura, vt Hebraici populi virtutem commendet, semel & iterum asseruatum accuratè præceptum profert. Allegarant Leuitæ iuxta præceptum Domini sibi ad habitandum ciuitates deberi, quas populus exprompto animo, deuotoque affectu sine mora conatus est dilargiri: *Dederunt filij Israel de possessionibus suis iuxta imperium Domini.* Et iterum: *Dederunt filij Israel Leuitis ciuitates, & suburbana earum, sicut præcepit Dominus per manum Moysi.* Studiosè obseruarunt mandatum, ne incurrerent Eccli. 8. v. 5.
auaritiæ delictum. *Eo modo*, scribit Abulensis quæst. 4. *dederunt Israelitæ, quod Deus iusserat, nihil transgredientes de forma mandati.* Laudabilis obedientia, cui legis æquatur perfectè norma; adhuc tamen vulgaris est obseruantia, nec summa perfectionis emicat excellentia. Non solùm Dei præceptis discunt perfectissimi, & cultioris sanctitatis viri obedire, sed conantur adu- Abulens.
lari. *Præscribitis constituta esse solemnia huic fidei*, aiebat Tertullianus aduers. Psychic. cap. 13. *Scripturis, vel traditione maiorum, nihilque obseruationis amplius adiiciendum ob illicitum innouationis.* Addit posteà: *Ego me sæculo, non Deo liberum memini: sic meum est vltrò officium facere Domino, sic indicare illius est: non tantum obsequi ei debeo; sed & adulari: illud enim imperio eius; hoc arbitrio meo præsto.* Landabile arbitrium, quod legi honestè adiecit excessum, & quod piæ adulationis religiosum coluit studium: popularis obseruantia præceptorum legibus Tertullian.

gibus obſequatur; perfectorum magnatumque operatio arbitrio ſuo laudabiliter aduletur. Debeat vulgus quod operatur, legi; debeat lex aliquid in magnatibus perfectioni: non ſolùm quæ exiguntur facienda ſunt; ſed ad virtutis cumulum multa ſupra legem patranda.

67. Deus Eliæ zelum reueritus ex hominum conſpectu transferre decernit, ne iuſto Propheta ardore in impios inflammatus, pſeudoprophetarumque turbam ferro demetens omnes homines vitâ mulctarit, cùm ferè omnes criminibus maculati, & turpitudini obſcurarentur addicti: diuerſorium ergo à peccato liberum Deus iubet intrare, & carne veſtitum cum Angelis ſæpè degere: celeri greſſu tendebat Propheta equis micantibus defetendus; verùm diſcipulus raptum ſubodoratus ſic eius lateribus adhærebat, vt nec tantillum diſcedere, nec itinere defatigatus tantiſper perſuaderetur ſubſiſtere. Quid tunc? Religioſæ obſtinationis præmium magiſter offert, quid ſibi dari velit, ſciſcitatus: ille vt erat virtutis alumnus, temporalia contempſit, ſpiritum exambiuit: *Fiat in* 4. Reg. 2. v. 9.
me duplex ſpiritus tuus: ea conditione annuit petenti magiſter; vt ad ſuperna oculos ſubleuaret, ne, ſi aliter, diſſiderent inter ſe intuitus & affectus: *Si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petiſti.* Non multo poſt igneo curru magiſter rapitur, & diſcipulus derelinquitur, nec conditionis oblitus depreſſit oculos; imò dirigens ad magiſtrum intentiſſime viſum, exteris clamoribus cordis etiã declarauit affectum: *Videbat & clamabat.* Drogo Oſtiẽſis de Sacram. Domin. Paſſion. geminato clamore ait duplicis ſe ſpiritus poſſeſſorem dilucidè oſtendiſſe, & quia poſſidebat ſpiritum duplicem, exertis vo- Drogo.
cibus inclamaſſe: *Duplex ſpiritus duplo clamat.* Verùm cur inconniuentes oculi ſpiritum geminum non teſtentur; ſed exerti clamores duplicis hæredem ſpiritus fateantur? Certè Propheta, vt auxilium ſibi aſciſceret, ad ſuperna oculos dirigebat: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Ergo Eliſæus non ſolum clamans; ſed ſpiritum ingeminarit aſpiciens: *Duplex ſpiritus*, perſiſtit in ſententia Drogo, *duplo clamat.* Quaſi dicat: non tam agnoſcitur exundantia ſpiritus de intento viſu, quàm de ardenti agnoſcatur affectu: ad viſum namque tenebatur diſcipulus: ea namque erat conditio: *Si videris me*; verùm ad quem non tenebatur obſequioſus clamorem deprompſit affectus: hoc ergo cumulatioris ſpiritus teſtimonium, illud obſeruantiæ indicium. Debuit Eliſæus viſum imperio, addidit clamorem arbitrio, quo Eliſæi nomine repetat Tertullianus: *Non tantum ei obſequi debeo; ſed & adulari: illud enim imperio eius, hoc arbitrio meo praſto.* Diſce ab Eliſæo, ſi ſpiritus cupis augmentum, legi ſuperimponere auctarium. Et ne ab hoc loco diſcedamus, ſeruo legi obtemperantes appellari ſeruos, honeſte verò legem ſupergreſſo, haberi filios:
Lucæ 17. v. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis*, aiebat Chriſtus, *dicite: ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.* Audis præcepta exequentes ſeruos dici, audi clamantem Eliſæum filium de clamore prodi: *Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius.* Dum clamorem addit iniuſſum, & filij ſibi nomen lucratur honeſtius: fecit pluſquam debuit: ideò & nobilius vocabulum habuit: *Non te tacitos*, aiebat
Ambroſ.

Naxera in Ioſue Tom. 2.

Ambroſius apud D. Thomam, *ſi benè ſeruiſti, quod facere debuiſti.* Præcepto obſequens honorat mandatum; ſed vlterius addere eſt promerendi artificium.

Cùm Apoſtoli Tyberiadis mari piſcationi laborioſis ſomni inſudaſſent diſpendiis, nec vllis piſcationis diteſcerent lucris; magiſter conſiſtens littore rete iubet ad dexteram nauigij iactari, & iam qui inutili tota nocte piſcationis laborarant ſtudio, religioſo piſcibus replentur obſequio: Ioannes, vt erat perſpicax, agnouit Dominum: Petrus contendit, vt erat feruidus; cúmque & Petrus fluctus diſſecans, & cæteri maris tergora nauigio calcantes littus appuliſſent, aliquos de prehenſis piſcibus iubet magiſter afferri. *Dicit eis Ieſus: Afferte de piſcibus quos prendidiſtis nunc.* Quid tunc? *Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus.* Gregorius apud D. Thomam hoc opere non minùs quàm reddito ſtatim teſtimonio amorem Petri præ reliquis nobilitari teſtatur. Rogauit poſteà Chriſtus: *Diligis me plus his?* Cui non fallax reſpondit diſcipulus: *Etiam Domine:* Ergo vt redditum teſtimonium, ſic etiam hoc eximium eius amorem teſtatur factum. Audi Gregorium: *Quod poſtmodum aperitur in voce, nunc ſignificatur in opere: ipſe enim piſces ad ſoliditatem littoris pertrahit.* Examinemus, ſi placet, Gregorij mentem: cur ergo hîc Petrus Domino fulgeat coniunctior, & cæteris antelatus? Traxit rete; ſed & alij per fluctus etiam traxerant: *Alij*, inquit textus, *diſcipuli nauigio venerunt trahentes rete piſcium.* Quid ergo Petri commendauit amorem, & extulit dignitatem? Certè non ſolùm obedientiam adimpleuiſſe; ſed auctariis obſequiorum ornaſſe: iuſſerat Dominus nónullos de captis piſces afferri: *Afferte*, inquit, *de piſcibus*: non ait: afferte omnes piſces, Petrus verò, quia nouerat Domino præſtari obſequium, ſi honeſte ſuperdrederetur mandatum, expromptè aſcendit, & viriliter rete traxit: ſi Petrus tantùm obſequeretur mandato, cùm tractionis omnibus illo verbo: *Afferte*, iniungeretur præceptum, laboris ſibi ſolùm partem vendicaſſet; at dum obſequendi ambitioſus omnem tractionis laborem ad ſe rapit, nec aliquos, ſed omnes piſces iubenti offert, præ cæteris probatur eximius, & deprædicatur præclarus: parum eſſet amanti obſequi, ni addidiſſet adulari.

Cùm Iſai filij aliqui Martiali degerent campo; paterno ſenex ſolicitabatur affectu: Dauidi præcipit fratribus edulia portare, & qualiter ſe haberent, diligenter inquirere: Dixit Iſai ad Dauid filium ſuum: *Accipe fratribus tuis ephi polenta, & decem panes iſtos, & curre in caſtra ad fratres tuos; & decem formellas caſei has deferes ad tribunum, & fratres tuos viſitabis, ſi rectè agant, & cum quibus ordinati ſunt, diſce.* Dauid patris executus præceptum celeri greſſu contendit in campum, cúmque ibi illud vanitatis monſtrum fuiſſet intuitus, iuſtóque zeli ardore æſtuaret puerulus inflammatus, facultatem congrediendi cum illa bellua depoſcit, & de belluis triumphos refert. Ægrè induceretur Saul facultatem concedere, ni ipſa neceſſitas compelleret dilargiri. Baſil. Seleucienſis orat. 15. Dauidem hîc gratiæ ſe prodidiſſe alumnum teſtatur, imò ad gratiæ pompam in aciem fuiſſe productum: *Cum nullus è toto exercitu probare-*

Ioan. 21. v. 10. Gregor. 68. 69. 1. Reg. 17. v. 17. Seleuc.

tur satis, essetque in periculo Saul, tunc militem suum producit in medium gratia verè regem factis declarans, dum pugna prouocationem ad se rapit. Et cur gratia non declaret regem, cùm panes fratribus defert; sed cùm in campum cum fera humana pia temeritate prosiluit? Solutio facilis: fratribus panes deferre, patris erat præceptis obsequi: filiationis lege tenebatur implere, quod pium adeò parentem nouerat præcepisse; at cùm certaminis prouocationem ad se rapit, eximium virtutis opus arbitrio spontaneo exercet: hîc ergo gratiæ miles proditur, & detriumphator laudatur: fratribus panes attulit; sed fecit, quod debuit: cum gigante depræliatus est, virtuti honestè adulatus, & paternis iam iussionibus obsecutus: hîc ergo augustioribus resplendet elogiis, & decantandis ornatur triumphis: *Militem suum producit in medium gratia verè regem factis declarãs.* Quando? *Dum pugna prouocationem Dauid ad se rapit.* Intra seruorum mansisset numerum, ni spontaneè subiret prælium; ast rex suis actionibus declaratur paternum mandatum perfectissimè adimplens, & eximiam victoriam addens: *Dum pugna*, inquit Basilius, *prouocationem ad se rapit.* Disce ergo non solùm obtemperare præceptis; sed superadiectis adulari virtuti actionibus: nam qui merè paret, nondum seruile prorsus dedidicit ingenium; qui verò quid honeste adiecit, nobiliorem ostendit animum.

70. Iacobi gratiam promereri eius gestiuit familia, cùm non solùm perfectè adimpleuit præceptum; sed honeste fuit supergressa mandatum: *Abijcite*, monet suos, *deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra.*

Gen.35. v.2.

Affabilis iubentis monitio sic subiectorum animos ad obsequendum inflexit, vt Deos proiecerint, & inaures etiam obtulerint, ne minus pietas faceret pro altari Domino construendo, quàm fecerat pro vitulo ambitiosa amentia conflando: *Dederunt ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Deos solùm abiicere iussi spontè sunt etiam inauribus dispoliati. O quàm ad Dei domum parabant ascendere, qui obedientiam nouis gestiebant virtutibus exornare. Huc voco Rupertum lib.1. de consilio cap.16.

Rupert.

Non contenti facere, quod præceptum est, vltra sese extendunt ad illud, quod præcepto maius, & amplius est; quæ nimirum res gratiam maiorem, remunerationemque copiosiorem habet. Denique sola præcepti executio seruorum est, & non magnam meretur gratiam. Vt Iacobi mereatur familia gratiam, non solùm præceptorum adimplet leges; sed addit de suo aureas præbere etiam inaures: fecit familia, quod sibi iniunctum, & adiecit, vt exornaret præceptum. Qui solùm iussa exequitur, suspicaci dubium generat, an inuitè, an voluntariè; qui verò præceptis de suo addidit, dilucidè ostendit obedientiæ deprædicabilem excellentiam, quandoquidem constat non fuisse ingratum, quod nouis virtutum augmentis inuenitur perfectum.

***

§. XVI.

Cùm sæculo prodigè dicentur pretiosa, Deo ferè semper auarè consecrantur abiecta.

CVm omnia homines à copiosissimo diuinæ 71.
liberalitatis fonte percipiant, vel exiguas reculas largitori auarissimè denegant, vel offerendo deteriores ad speciem infamant: quidquid sæculo impensum, benè existimatur locatum, quidquid religioni & cultui, non semel putatur amissum: hinc quæ diligentiori debuissent peragi cura, inertissima tractantur ignauiâ, solertissima aguntur curâ. Aliquando magna tribuere opus; sed differimus, sed hæremus, sed cunctamur, & de ipsa in offerendo ignauia oblata corrumpimus, & obsequia adulteramus. *Ingrata sunt*, aiebat Seneca lib.1. de benef.c.7. *licèt re ac specie magna videantur, quæ danti aut extorquentur, aut excidunt, multoque gratius venit, quod facili, quàm quod plena manu datur.*

Seneca. *Gratius est quod facilè, quàm quod plena manu datur.*

Redditur aliquando ingens votum, offertur pretiosum munus; sed inuitè, sed nolentis animo, sed imminuentis studio. Si quid pretiosum Deo dicandum est, humano non committendum arbitrio; sed diuino designandum erit decreto. Leuitis quadraginta octo ciuitates pro habitaculis adscribuntur, inter quas nonnullæ celebres; has verò non tam adscripsit donantium deuotio, quàm cælestis designarit sortitio. *De tribu filiorum Iuda & Simeon dedit Iosue ciuitates, quarum ista sunt nomina: Filiis Aaron per familias Caath Leuitici generis (prima enim sors illis egressa est) Cariath-Arbe patris Enac, quæ vocatur Hebron.* Masius sortes putat datas non solùm vt inter Leuitarum familias, quæ præ aliis prima pateret; sed etiam vt inter ciuitates, quæ præ aliis fuerint adscribendæ, constaret: nam si tribubus liberum has aut illas Leuitis adscribere, viliores sibi semper retinuissent, & deteriores ac viliores sacerdotibus consecrassent:

Masius.

Dederunt Israelitæ Leuitis de sua ipsorum hereditate; non est autem existimandum populi arbitratu deputatas esse vrbes Leuitis: nec enim nisi deterrimas, atque incommodissimas sibi quæque tribus ademissent. Debuissent tribus nobiliores commodioresque ciuitates in Dei obsequium eius ministris largiri; verùm quia humana peruersitas cæcaque hominum auaritia deterius semper ad Dei cultum, ministrósque decernit, opus fuit Hebræorum arbitrio quæ ciuitates largiendæ non relinquere; sed lumine cælesti signare.

Pharaonis seruus carcere inclusus detinebatur: quia in Principem deliquerat: 72.
Accidit, vt peccarent duo eunuchi pincerna regis Ægypti, & pistor Domino suo.

Gen.40. v.1.

Vtinam accideret solùm in Deum, vt in Pharaonem aliquando peccare, & non veluti innatum esset delinquere: hîc Pharaonem Dei gessisse ænigma tradit Hugo Charensis:

Hugo.

Duo eunuchi peccauerunt domino suo: quia vterque populus peccauit Christo. Iam quale peccati genus, interpretes studiosissimè inquirunt. Placet Abulensis, qui ex R. Sa. refert pistorem adeò negligenter ad Regis mensam panem conformasse, vt lapillus regios offenderit dentes. Accipe Abulensis verba: *Pistor negligenter dimisit*

Abulens.

misit vnum lapillum in pane, in quo rex fortè dentes offendit. Vides in parandis regiis deliciis ignauiam. Transi mente ad eius somnium, vt intentissimam deprehendas solertiam. Refert ipse: *Ego vidi somnium, quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo.* Vel à volucribus panis edendas delicias artis solertia conformat: *Fiunt arte pistoria*; cum tamen regiæ mensæ apponendum panem non solùm industria non condiderit arte; sed negligentiæ polluerit scelere. O quam inuerso ordine res ab hominibus geruntur! Cibi pro alendis auibus parum, aut nil interesset, si nulla artis condirentur industria; regiæ tamen obsoniorum deliciæ debuissent studiosa artis condiri solertia; & ad volucrum pastum artis desudat industria, cùm in regio conformando pane culpabilis deprehendatur ignauia. Ecqua huius discriminis causa est? Ipsa sanè historia non obscurè nobis declarat, dum edulia pro auibus, hoc est pro dæmonibus condita indicat: *Aues, id est, dæmones*, interpretatur Hugo, *qui superbia delectantur, & reficiuntur.* Ecce cur adeò artificiosè, accuratè adeò celsi canistri elaborati sint panes: erant enim ad dæmonum pastum, ad superbiæ sumptum; at panes regiæ mensæ, vtpotè Deo offerendi, negligenter sunt conformati: est namque is hominibus mos dicare videlicet pretiosiora, & accuratiùs elaborata mundo, ignobilia & abiecta Deo.

Hugo.

73. Malachiæ 1. v. 7.

Iam has Dei nomine olim querelas protulit Malachias: *Offertis*, inquit, *super altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? In eo quod dicitis: mensa Domini despecta est: si offeratis cecum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei.* Quæ duci nullatenus offerrentur, Domini altaribus consecrantur: non pudet victimam languidam ad Dei obsequium dicare, cùm nullus sanæ mentis audeat Principi, aut magnati donum huiusmodi offerre. Opportunè Hieronymus: *Offertis super altare meum panem pollutum, panes videlicet propositionis, quos iuxta traditiones Hebraicas ipsi serere, ipsi demetere, ipsi molere, coquere debebatis, & nunc sumitis quodcumque de medio.* Ad diuinæ maiestatis cultum spectabat propositionis panes candicare siligineos, omnique solertiâ formatos; verùm sic apud sæculum Dei honor contemnitur, vt rudes & furfuraceos altari offerant, seque ingens donum dedisse credant: pecus clauda, agnus cæcus, aries languidus, è quibus parum aut nullum speratur emolumentum, offertur ad religionis elogium, cùm reuera sint virtutis probrum, & Numinis, si fas est dici, dehonestamentum. Concinit Hieronymo noster Sanctius: *Vitiosas (victimas) immolabant sacerdotes, sibique retinebant illas, quæ sanæ essent, & integræ, & quæ plus videbantur vtilitatis habituræ.* Quod optimum, consecrabant auaræ cupiditati, cæcæque auaritiæ, quod languidum & inutile, religioni: is namque est hominum peruersus stylus, vt reiectanea Domio dicent, & pretiosa cupiditati, aut vanitati referuent: *Offer illud duci tuo*, scribit Interlinearis: *potiùs respueret, & sibi iniuriam factam putaret: & offers Deo, quod non auderes homini offerre.*

Hieron.

Sanctius.

Interlin.

74. A mundi exordio hæc iam inoleuit iniquitas. Cain è frugibus obtulit, quæ deteriores, vilioresque videbantur: *Factum est post multos dies, vt offerret Cain de frugibus terræ munera Domino.* Domino obtulit, & cùm tanto Domino offerre debuisset, scelesta altari dicauit obsequia, fruges videlicet aridas, ac humanis vsibus nullatenus profuturas: florentes pinguesque auarissimus sibi subripuit: ideò dignissimè incurrit iram, vbi inuenire debuisset misericordiam: *Ad Cain, & ad munera illius non respexit.* Diuinam indignationem hac meruisse culpâ testatur Augustinus apud Glossam ad Malachiæ 1. *Cain munera refutata sunt: incurrit enim peccatum, dum non æstimans quid Deo dignum esset, potiora reseruauit suis vsibus. Itaque non quia obtulit, reprehensus est; sed quia indignè obtulit.* Vel à mundi exordio mos hic execrandus obscurauit mortales. Cainus orci ianitor, & caræ auaritiæ doctor malè adeò diuisit, vt vilia Domino offerret, & pretiosa mundo dicaret.

Gen. 4. v. 3.

August.

75. Iam ex ipso humano corpore pretiosiora dicari idolis, consecrari criminibus, non adeò pretiosa Deo, exertè Propheta testatus est: *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem eius longè est à me.* Labia diuinis laudibus inseruire videntur, præcordia idolis studiosissimè consecrantur, cùm cor in homine & pars sit præcipua, & vitæ sit vena, peruersè adeò dividunt homines, vt cor referuent mundo, & externa labia Deo. Huc voco quod aiebat Tertullianus aduersus Gnosticos cap. 3. *Sapiens ignis effigiem vituli defundit illis, sugillans illic cor habentes.* En corda vitulo deuouentur, & addicuntur; externa labia mendaciter religioni dicantur. O nimis verum! Si Deo mundoque aliqua sint dilargienda, sacrabuntur vanitati potiora: quasi satis fuerit Domino sacrare abiecta, & satis non fuerit vitio dicare pretiosa.

Isa. 29. v. 13.

Tertull.

76. Saul cùm terrore illius gigantis adurgeretur, filiam victori promisit: *Virum, qui percusserit eum, ditabit rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei.* His Dauid præmiis allectus, & iusti zeli ardoribus inflammatus in campum prosilit, & cum bellua illa confligit: lapis mittebatur, & galea rumpebatur, caput plagam admittebat, & anima de corpore diffugiebat. Itaque præliator strenuus gigantem prostrauit, & appetens seruitutis iugum à contribulium ceruice auertit. Quid tunc? Cùm Saul duas haberet filias, Merob maiorem, & Michol, Adrieli Molathitæ data est Merob in vxorem, Michol Dauidi: *Cùm deberet dari Merob filia Saul Dauidi, data est Adrieli Molathitæ vxor.* Et post pauca: *Dedit Saul ei Michol filiam suam vxorem.* Et cur Dauidi non prima detur, & Molathitæ tradatur? Quia Dauid, inquit Hugo Charensis, Christi Domini gerebat figuram, adeóque apud homines hic detestabilis mos inualuit, vt quæ Deo debentur, superbiæ, & vanitati tradantur: *Saul Iudaicus populus, Dauid Christus:* Dauid mortis expectatione Saulem liberauerat, à populo infamiam illam depulerat, cantu dæmonem abegerat: ob hæc omnia excellentior dignitate filia concedenda videbatur; verùm Saul, ne mundialem violaret stylum, Molathitæ dedit excellentiorem, Dauidi sterilem. O quoties parentes cœnobiis consecrant filios,

1. Reg. 17. v. 25.

1. Reg. 18. v. 19.

Hugo.

filiasve, quod aliqua naturalis macula deturpat, aut languor debilitat: pulcherrimæ filiæ corpore, facieque elegantes ad matrimonium seruantur, luscæ, blæsæ, debiles monasteriis clauduntur, quasi satis sit abiecta Numini offerri, & opus mundo pretiosissima consecrari. Tribus opulentas Leuitis ciuitates largiuntur; non tamen illarum dilargitio Hebræorum relinquitur voluntati: nam mundiales teterrimas solùm tribuerent, & sibi commodas reseruarent.

§. XVII.

Dei largitas piè vsuraria est, ex omnibus cupit gratias sibi rependi, quæ hominibus constat largiri.

77. Beneficia adulterat quisquis non tam benefacere, quàm gratias emere ambitiosus intendit: si quis præter actionis honestatem, discupiat plausum, beneficium degenerat in commercium. *Vide, oro te*, aiebat Seneca lib. 1 de benef. cap. 2. *ne hoc & verius sit, & magnitudini benefacientis aptius, vt illud hortemur ad danda, etiamsi nullum benè positurus est: illud enim falsum est: Perdenda sunt multa: nullum perit, quia qui perdit, computauerat. Beneficiorum simplex ratio est, tantum erogantur, si reddet aliquid, lucrum est: ego illud dedi, vt darem, nemo beneficia in Kalendario scribit.* Auarus profectò exactor est, qui beneficiis obstrictum ad horam aut diem vti debitorem ad reddendam cogit gratiam. Certè apud ingratos meliùs beneficia iacent: quia plena liberalitatis pompa resplendent; hoc tamen solùm apud mortales est verum: nam apud Deum ipsa gratiarum exactio in nouum transit beneficium, quia non proprium; sed gratias agentis quærere constat augmentum. Vnde Ambrosius lib. 1. de Abraham Dei liberalitatem piè vsurariam appellat. Audi eius verba: *Dei largitas piè vsuraria est.* Quas Deus vsuras exigit, eius pietatem exaggerant, non liberalitatem obscurant: piè à nobis exambit laudem, vt possit cumulatissimam rependisse mercedem. Tribus omnes copiosis possessionibus ditat, & à tribubus omnibus aliquas sibi sacrari ciuitates deposcit, quò exhibita religiosè gratitudo accepta firmauerit dona: aliter namque magna populus donorum sustineret dispendia: *De tribu filiorum Iuda Simeon*, &c. *De Tribu Ephraim*; &c. Nulla tribus hac contributione eximitur, ne gratia priuetur: vult namque Deus de omnibus, & ab omnibus, quibus contulit beneficia, gratitudinis reddi obsequia. *Habitacula Leuitis*, inquit Beda apud Glossam, *per omnes tribus decernuntur.* Ipsis tribubus magnum conferebatur beneficium, dum gratitudinis exigebatur obsequium, ne dum auarè retinent, dignè ciuitates amiserint.

Senec. *Nullum beneficiũ perit.*

Ambros. *Dei largitas est piè vsuraria.*

Beda.

78. Iacob cùm fratris iram fugeret, absentiamque liuoris morbo præsentissimam medicinam apponeret, ad locum deuenit, in quo magnificas Numinis promissiones audiuit: mane surgens votum vouit, erectaque columella sæculis gratitudinem suam dilucidè ostendit: *Vouit etiam votum dicens: si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorúmque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Quid necessum est decimas omnium offerre, si constat aram ad exprimendam animi gratitudinem consecrari: *Omnium*: inquit, *quæ dederis mihi, decimas offeram tibi*: agnouit disertissimus Patriarcha de quolibet speciatim beneficio grates rependendas: ideò contentus non fuit lapidem gratitudinis testimonium erigere; sed de rebus omnibus aliquid ad Numinis cultum dicare: esset namque gratitudinis probrum auarè sibi aliquid retinere nec largitorem cultu confessionis agnoscere. Adest Chrysostomus apud Lippomanum: *Vide iusti gratitudinem: petebat quidem; at nihil pretiosum; sed panem & vestem: promittebat autem & sua Domino.* De omnibus Domino promittebat: quia diuinum agnoscebat ingenium, & quia potiri exoptabat collatum cælitus beneficium: nec enim satis esset de aliquibus offerre, de cæteris reseruare: gratiæ namque ita Deo exhibendæ sunt, vt vel de minimis reddantur, piamque soluendo vsuram incrementententur. Concinit Lippomanus Iacobi nomine: *Fidei meæ, quam nunc profiteor, semper duraturæ signum mihi, & posteris meis semper erit is lapis, quem erexi in titulum, vbi & olim domus Deo illi meo statuetur, cui pro soluenda gratia decimas designabo, & reddam de omnibus diuitiys.* De omnibus reddit gratias, ne, si de aliquibus non redditæ, aliæ remanserint obscuratæ.

Genes. 28. v. 20.

Chrysost.

Lippoman.

Confiteantur, aiebat Psaltes, *tibi, Domine, omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi.* 79.
Incognitus rogat, quomodo omnia opera Dei, cum voce careant, illum grata possint confessione laudare: respondetque homines, qui Dei operibus vtuntur, ad diuinas laudes inuitari; quasi sensus sit: sancti Domino benedicant pro omnibus Dei operibus: quasi necessum fuerit homines rebus, quibus frui illis datum, voces mutuare, ne si pro aliqua laus defuerit, incurrant gratitudinis delictum, & rei illius patiantur dispendium: *Quomodo omnia opera Dei confiteri Domino, vel ipsum laudare possunt, cùm non omnia opera Dei habeant cognitionem, & intellectum, sine quibus laus esse non potest? Ad hoc dicitur, quòd etsi per se Deum propriè laudare non possunt; laudant tamen per homines.* Itaque idem est omnia Dei opera ad laudem excitare, ac homines, vt de omnibus Dei operibus laudent, monere. Non est satis de vno aut altero exhibere gratias, si reliqua silentio tumulentur ingrato, aut studio prætereantur indigno: de omnibus gratiæ, laudesque sunt reddendæ, ne incurratur peccatum, si rem vel minimam affectata præterea obliuio, aut culpabilis non agnouerit ignoratio; vel de minimis non agere gratias, grande afferre solet supplicium, & peperisse dispendium.

Psal. 144. v. 10.

Incognit.

Cùm populus ardenti vreretur siti apud desertum Sin Deus consulitur, & Moyses aquam è silice efflagitare iubetur; ille verò populari murmure obturbatus lapidem ictibus repetitis percussit, & quos posset vrbanitate placida, latices elicuit virga violenta: quæ res adeò diuinam iram sufflammauit, vt mortis sententiam in germanum vtrumque tulerit: *Quia non credidistis* 80.

Numer. 20. v. 12.

dedistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Solicitè venantur interpretes ideò rigidæ sententiæ causam. [illegible] Abulensis tradit Moysem Aaronemque laudes à populo ob miraculum Deo tribuendas incusso silici verbere retardasse, ob idque mortis sententiam incurrisse. *Moyses & Aaron*, inquit quæst. 5. *vt venerunt, inceperunt obiurgare multitudinem, & increpare eam vocando incredulos & rebelles; ideò multitudo turbata animo ex dura reprehensione, etiam videns miraculum non laudauit Dominum, & hoc fuit ex culpa Moysi & Aaron.* Acri reprehensione obturbati, & dolenter perculsi gratias Deo reddere ob aquam inueniuntur obliti, adeòque piè vsurarius in collatis hominibus beneficiis est Deus, vt voluerit Moysem, Aaronemque morte soluere, quas ob aquam grates populus debuerat rependere. Parui momenti videbatur ob aquam gratias agere, aut incuriæ obliuione præterisse, sic tamen Deus gratitudinem sitit humanam, vt seueram fratribus decreuerit mulctam: nihil commodi accipiunt homines, ob quod Numini non teneantur gratias referre: cùm ergo gratitudinis hic ob aquam differretur obsequium, rigidum fratres mortis luere sunt compulsi supplicium. Quid si ob aquam grates non reddere Numinis ita inflammauit iram, quam putas ob maiora beneficia indignationis excitabit obliuio flammam. Adde gratitudinem bonorum esse stabilimentum, & aduersus temporis morsus fulcrum omnino inconcussum.

Dei intercipere laudes magna punitur solet supplicio.

81. Adest Isaac huius veritatis testis: iuxta torrentem Geraræ habitans puteos infodit; sed cassò labore puteos, ne iurgia sustineret, amisit: *Foderunt in torrente, & repererunt aquam viuam, sed & ibi iurgium fuit pastorum*: alium puteum aperit, & nouis iterum cedere criminationibus cogitur; denique tertium infodit, quem appellauit latitudo, quemque sine iurgio possedit, tranquilléque obtinuit: *Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius, latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus.* Non solum puteo latitudinis nomen indidit, quia pro illo aduersarij non contendebant; sed pro illo aduersarij non contenderunt, quia latitudinis nomen indidit: in effossis aliis puteis nullum reperiebatur expressum gratitudinis argumentum; ideò illos inimicorum abstulit iurgium; tunc verò hostile auferre non potuit odium: quia illum gratitudinis expressum ipso nomine titulum est argumentum. Adest Chrysostomus apud Lippoman. *Vidisti piam mentem, quomodo non fuit memor tam atrocium difficultatum, quæ illi acciderunt; bonorum tantum meminit, & pro his gratias Deo offert, & dicit: Quia dilatauit Dominus nobis, & auxit nos super terram: nihil enim tam gratum Deo, vt anima grata, & gratias agens.* Opportuniùs ipse Chrysostomus hom. 26. in Matth. *Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confessio.* Vbi gratitudinis viguit memoria, puteus Isaaco asseruatur; vbi non apparet, amittitur: vt noueris gratias reddere, si bona tibi collata desideras custodire.

Genes. 26. v. 19.

[illegible]

82. Notabat Veronensis Zeno in celebri Abrami sacrificio ad felicitatis complementum non solum Isaacum patri redditum; sed agnum etiam ad sacrificium oblatum: ruens de cælo vox ligat dexteram: quia sacrificium expetebatur non sanguinis; sed amoris; & ne pyra otiosè fuisset accensa, duris coronata vepribus offertur innocens hostia: *Vidit post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Prosperitatis fuit complementum oblatus agnus, vt exinceps securus maneret filius: ni enim pater de reddito sibi filio exprompté redderet gratias, forsan nouas aduocaret periculorum ærumnas. *Ecce*, verba sunt Zenonis serm. 1. de Abraham, *& meritum principale diuinam indulgentiam meruisse sub casibus: nam retrò respiciens Abraham inuenit victimam, quam innocens immolaret.* Hæc fuit plena Domini indulgentia, & filium seruasse, & pro filio agnum obtulisse: ni enim gratiarum actio acceptum firmasset beneficium, adhuc discriminis pater non euaderet metum; at dum gratiarum actio redditur, & filius periculo eximitur.

Genes. 22. v. 13.

Zeno.

§. XVIII.

Placidè Sanctorum requiescunt corpora, apud quos similia florent spiritus exercitia.

Defunctis iusta facere & pietas docuit, & religio suasit: membrorum parum interest ferarum ventribus coqui, aut mausolæis micantis auri maculis oculos allicientibus sepeliri. 83.
Benè Seneca lib. de remed. fortuit. *Insepultus iacebis: quid aliud respondeam, quam illud Maronis: Facilis iactura sepulchri: si nihil sentio, non pertinet ad me iactura corporis insepulti: si sentio, omnis sepultura tormentum est. Cælo tegitur, qui non habet vrnam.* Verè dixit: nec enim demortuis superbæ Memphis pyramides adulantur, aut anhelantes sacrorum rogorum flammæ obsequuntur: *Quid interest*, aiebat ibi Stoicus, *ignis me, an fera consumat, an tempus omnium sepultura? Istud non sentienti superuacuum est; sentienti onus. Insepultus iacebis; at tu combustus; at tu obrutus, at tu inclusus, at tu putridus, at tu euisceratus, & constrictus, & traditus lapidi, qui te paulatim edat & exiccet. Nulla est sepultura: non sepelimur; sed proijcimur.* Vera dixit, quantum ad sensum, quantum ad demortui corporis habitum: vera dixit, ne quis vltra timoris terminos trepidaret, summæque infelicitati verteret marmoribus variegatis non premi, aut tumidis pyramidibus sepeliri; verùm pietati debemus iusta defunctis persoluere, honestisque loculis illorum corpora sepelire. *Semper se reum indicat*, scribebat Theodahadus rex 2. variar. 22. *qui cineribus iusta non præstat. Priamus quanto pretio sepeliendum Hectorem redemit? Rogauit furentem, supplicauit armato, vitamque suam exponere maluit, vt cadaueri debita non negaret.* Insaniuit sæpè sæpiùs circa marmora, & sepulchra tota arte elaborata superbia, factum tumiditatis vltra mortis limites plurimorum extendit insania; at religio honesto funere, & decentibus exequiis è vita excedentes honorat: extrema funeris pompa, fletus & planctus demortui sunt panegyris, lachrymisque persoluitur, quod charitati debetur.

Seneca.

Cælo tegitur, qui non habet vrnā.

Cassiodor.

Plutarch. *Humari in foro honorificũ olim fuit.* debetur. *Honori est*, scribebat Plutarchus in centur. Roman. *extincti delatum, siquidem alijs quoque, qui Republica in bello benè gessissent, & ducibus tribuerunt, vt non illi solum; verùm etiam posteri eorum in foro humarentur, velut Valerio, & Fabritio.* Multorum vel putridis in cineribus obscura scintillauit ambitio, & marmore offendit superbiæ litteris insculpta præsumptio. *Iam verò dilecti*, aiebat Clemens Alexand. in adhortatoria ad Græcos, *sepulchrum est templum Antinoi, & oppidum; sicut autem templa, ita etiam sepulchra habentur in admiratione, pyramides, & mausolea, & labyrinthi.* Attentiùs ausculta Clementis acumen: *Alia templa mortuorum, vt illa sepulchra deorum.* Ingeniosè dixit: nam nonnulli adeò cineres suos vermibus scatentes magni fecerunt, vt non sepulchra; sed insanis sumptibus superbissima extruxerint templa. Quod aliud sibi Iupiter, si mortalis apud ipsos, quam Mausoli Cariæ Regis excitaret sibi sepulchrum? aut quod sumptuosiùs aliud Artemisa Numini construere quiuisset templum? Hoc docuit superba vanitas, hoc consuluit cæca præsumptionis temeritas, sic sudauit demens hominum arrogantia, hos fecit sumptus impotens sæpè luxuria, quod quidem non minùs vanum ac humare decenter corpora religiosum. Hinc cælo, Numinique curæ fuit dilectorum reliquias honesto funere tumulare, & dignis tumulis sepelire. Mortuus est Moyses mortalium oculos fugiens; & tamen, ne sub diuo maneret inhumatus, ab ipso Domino refertur sepultus: *Sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phegor, & non cognouit homo sepulchrum eius:* nemo spectauit, & tamen Dominus sepeliuit: *Viuens adhuc*, scribit Philo lib. 5. de vita Mosis, *prophetauit de se ipso tanquam mortuo, ante obitum narrans se mortuum, sepultùmque inspectante nemine.* Falsus est Seneca, dum relatus suprà aiebat: *non defunctorum causa; sed viuorum inuenta est sepultura, vt corpora & visu, & odore fœda amouerentur.* Non benè dixit: inuenta est sepultura in pietatis testimonium; fideique religiosæ argumentum. Corpora non proiicimus; sed reponimus, sepulchróque vti reddituro committimus. Ergo quia beatorum animæ corpora sua placidè honestéque dignis sæpè loculis iacere curarunt, videamus apud quos sanctis viris sepeliri iucundiùs, & recondi fuerit gratius. Dissimiles vel post mortem horrent, & cum similibus degere exambiunt. Non casu; sed rationabili, prouidóque sortis iactu Leuitis data est Cariath-Arbe, cui & Hebron nomen: *Filijs Aaron per filias Caath Leuitici generis Cariath-Arbe patris Enac, quæ vocatur Hebron.* Ecquod ergo mysterium in huius adscriptione Sacerdotibus ciuitatis? Erant ibi, vt refert Masius, quatuor Patriarchæ nobilissimi consepulti, scilicet Adam, Abraham, Isaac, & Iacob, qui omnes munus Sacerdotale peregerant: Adam vocatur à Tertulliano Sacerdos, Abraham sacrificium obtulit, Isaac Dominum consuluit, Iacob aram Numini extruxit. Horum ergo reliquiæ placidè apud Sacerdotes quiescunt, & dignè tumulata asseruantur corpora, apud quod non sunt diuersa exercitia; *Scriptum illic est*, ait Masius, *ideò ab Arba, hoc est, quatuor, nomen isti vrbi esse: quia quatuor matronæ fama celeberrimæ sepultæ, Eua, Sara, Rebecca, Lea, & quatuor Patriarchæ quoque Adam, Abraham, Isaac, Iacob.* Ecce Sacerdotes

Clem. Alex.

Deut. 34. v. 6

Philo. *Sancti ante obitum de se vt iã defuncti agunt.*

Masius.

apud Sacerdotes quiescunt, ibique dignus reliquiis decernitur locus, vbi similis afflat viuentes spiritus: gaudent sancti inter sanctos sepulti degere, & honestis locis humari.

Elias ille magnus, cùm fulgenti illa quadrigâ visum discipuli se frustratum ire cognosceret, quid in amoris indicem sibi dari vellet, rogauit: prudens arbiter spiritum exambiuit: habebat sanè, vt produnt clarissimè vota; sed nobili hydrope spiritus discupit incrementa: *Fiat in me spiritus tuus duplex.* Concessit magister; ea tamen conditione, vt amotos à terra oculos sursum dirigeret, & ad cœlestia leuaret: *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti.* Vidit delatum, & visui clamorem adiunxit, vt de suo vltra postulatum quid adderet: *Videbat & clamabat.* Quid tunc? Pallium misit Elias: *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Suam profectò videtur Elias de mora liberalitatem obscurasse, aut certè expromptè non videtur dedisse: si turbine tectus ascendit, si intuentis aciem reuerberantibus flammarum cinctus luminibus, cur pallium secum defert, nec antequam discipulus inclamet, remittit? Suam profectò cumulatiùs ornasset munificentiam, si clamores non expectasset, si vel vota anteuertisset; at post tot clamores, post tot anxios desideriorum cruciatus munus cariùs emitur, non accipitur. Non fuit dilatio tenacitatis indicium; sed liberalitatis arcanum: dum videt, dum clamat, Eliæ iam accepisse constat spiritum: *Duplex spiritus*, inquit Drogo de Sacram. Dom. Passion. *duplo clamat: Pater mi, pater mi.* Eliæ pallium eius erant reliquiæ, & ænigmate, Drogone teste, erat corpus: *Pallium tuum est caro tua:* tunc ergo apud discipulum placidè remansit corpus, cùm idem apud illum etiam vigebat spiritus: *Non à casu cecidit*, inquit Lyra; *sed ex diuina ordinatione, vt Elisæus ipso operiretur in signum quod spiritus Eliæ requiescebat super eum.* Requieuerunt reliquiæ, quia & requieuit spiritus: distulit pallium, hoc est corpus delegare, quousque visus spiritum ebibisset, & virtutem clamor firmasset. Hinc animaduertes in sacrarum virginum cœnobiis in religiosorúmque monasteriis sanctorum plurimas asseruari reliquias: gaudent namque sancti sua corpora sacra spiritus indumenta dignis loculis recondi, & puris manibus attrectari.

Demortua Sara dignas Abrahamus soluere anhelat exequias: sepulturam à terræ incolis obnixè precatur: *Aduena sum*, inquit, *& peregrinus apud vos: date mihi ius sepulchri, vt sepeliam mortuum meum.* Hospitis vrbanitas, Abrahami comitas sic terræ incolas sibi allexerat, vt quisque de sepulchro mutuando cum cæteris decertaret: rogantis committunt arbitrio, quo velit, electo mortuum amandare sepulchro: *Responderunt filij Heth dicentes: Audi nos Domine: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum.* Abrahamus clara dedit gratitudinis argumenta; sed oblata respuit sepulchra, & dari sibi agrum arboribus consitum digna pecunia rogauit: *Appendit pecuniam, quam Ephron postulauerat, audientibus filijs Heth quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ, confirmatúsque est ager quondam Ephronis, in qua erat spelunca duplex respiciens Mambre tam ipse, quàm spelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum Abrahæ in possessionem,*

84. 4. Reg. 2. v. 10.

Drogo.

Lyra.

85. Gen. 23. v. 4.

nem, atque ita sepeliuit Abraham Saram vxorem suam. Quærunt Patres cur Abrahamus conspicua, operosáque dedignatus sepulchra ad sepulturam Saræ arboribus consita ingenti auri pretio coëmerit prædia. Quid intererat hoc vel illo loco reponi, vt tanto studio & agrum emere, & Saram ibi curauerit sepelire? Drogo. Drogo Ostiensis de Sacram. Dom. Passion. ea testatur respuisse sepulchra: quia & elationi dicata, & superstitionis operositate conspicua: fuisset namque virtuti dedecus, quod erat superbiæ fastus: *Habet mundus electa sepulchra*, inquit, *illos vtique* (loculos) *quos elationis fastigium, vel superstitionis operositas perspicuos reddit: in talibus sepulchris noluit mortuum suum sepelire sanctissimus Patriarcha; sed vbi? In spelunca duplici, vbi spes bonorum operum, & amor contemplatiuè requiescit.* Requiem desiderabat ossibus Abrahamus, placidam sedem reliquiis: noluit ergo operosis tumulis apud prophanos manere, sed apud iustos vel humillimo loco asseruari. Adstipulatur Rupertus in Genes. cap. 37. Rupert. *Arbores per huius agri circuitum eminentiores homines sunt, qui verbo & exemplo minoribus fructificare, id est, proficere possunt: talis igitur ager, vt in illo Sara sepeliretur, pretio priùs comparari, & confirmari debuit Abrahæ in possessionem monumenti.* Gratum sanctæ illi animæ erat eius corpus inter arbores virtutis floribus indefessè vernantes sepeliri, & apud eximios sanctitate manere: sepulchra alia commodabantur artis insana mole perspicua, & superstitionis sumptibus ad miraculum elaborata; verùm qui apertis oculis vtitur, hæc vel aspicere dedignatur: testantur namque viuere in demortuis membris inflatiorem superbiam, & tumidissimam fœtidis in cineribus arrogantiam loculum amat inter arbores Abrahamus, quia ibi & flores vernant, & suauissimi virtutum odores spirant. Sepulchrum eligit virtutibus sacrum, non molis operositate pulcherrimum.

86. Suffulciat thesim & Iacobus, & dilectus sibi Iosephus: morti vicinus pater obnixe a filiis petiuit, ne superbis Ægyptiorum conderent tumulis; sed cum patribus suis in duplicis speluncæ asseruarent sepulchris: Gen. 47. v. 19. Gen. 50. v. 24. *Sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici.* Nec dissimilia Iosephus fratres sacramento adiurans: *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Non inepta curâ, inanive desiderio hæc præcepta, & tantis sacramentis mandata. Rupertus & Abulensis putant ideo hoc à fratribus postulasse: quia reliquias suas manere voluit, apud quos & eadem religio, & idem Numinis cultus; quasi quiescere non posset apud idololatras, & quiesceret apud pios: Rupert. *Asportate*, inquit Rupertus in Genesim cap. 42. *vobiscum ossa mea de loco isto; quod fecit & Moyses.* Abulens. Audi Abulensem: *Causa, quare adiurauit Ioseph asportare ossa sua in terram Chanaan, fuit, quia sicut Iacob per spiritum propheticum cognoscebat Messiam de suo semine nasciturum, & in terra Chanaan conuersaturum, ibique post passionem resurrecturum, cum quo & corpora multa sanctorum resurrectura esse credebat; desiderauit esse vnus de illis resurrecturis: ita Ioseph eumdem spiritum propheticum habens credidit eadē, optauitque se inter resurgentes cum Christo computari.* De piorum consortio suis celeriorem membris credidit beatitudinem, ob idque inter pios humari ardenter desiderauit.

§. XIX.

Magnum homini beneficium confertur, si Deus eius bonis, & diuitijs vtatur.

Hydropica auaritiæ sitis sic discupit semper acquirere, vt quod non habet, se reputauerit perdere. 87. Mortalis conditio eam patitur cæcitatem, vt nesciat sæpè sæpiùs dando eluerari, acquirendo amittere. Ambitioni & odio non dissimilis sæpè fortuna est: odium cum lædere studet impingit] sæpè in suffragium: auaritia cùm tenaciter retinet, incurrit dispendium: inimica votis hominum sæpè sunt vota, & quæ putabantur commoda, inueniri solent aduersa: *Patitur hoc improuida mortalium plerumque conditio*, scribit Cassiodorus 7. var. 47. *vt cum lædere putatur, consulat, & cum consulere videtur, affligat.* Cassiod. *Improuida hominis conditio consulit, cum affligit.* Cæcutiunt oculi, & variis affectionibus obscurati, quod plus expediat, non vident: non est adeò felix, qui habet, vt qui honestè dilargitur attestante Paulo: *Beatius est magis dare, quàm accipere.* Actor. 20. v. 35. Gloriosæ diuitiæ, quæ pauperum ac miserorum sunt commoda: putridæ infelicéesque, si manu recludantur auara. *Beneficium quidem ipsum*, scribebat Seneca lib. 6. de benef. cap. 1. *non eraditur, licèt omnes in hoc vires suas natura aduocet: retro illi agere se non licet...* Senec. *Egregiè mihi videtur Marcus Antonius apud Rabirium poëtam, cùm fortunam suam transeuntem alio videat, & sibi nihil relictum præter ius mortis, id quoque, si cito occupauerit, exclamare: Hoc habeo, quodcumque dedi.* Quod dederis, hoc solum habetur. Verum dixit: hæc namque sunt diuitiæ certæ, in quacumque humanæ sortis varietate, quæ bene reperiuntur locatæ, non quæ auarè constringuntur possessæ. Hinc dilucide noties fortunatiorem esse, à quo Deus accepit, nec fortunatum adeò, quem amplissimis muneribus cumulauit: nam Deum effundere amplissima in hominis sinum bona, eius est res largitatis; hominem verò aliquid Deo offerre, offerentis probatur esse virtutis: ad donantis sanè redundat commodum, quidquid Domino reperitur oblatum. Inter ciuitates ab Israëlitis pro Sacerdotum habitatione Deo oblatas prima inuenitur Cariath-Arbe, ait namque textus: *Filiis Aaron per familias Caath Leuitici generis (prima enim sors illis egressa est) Cariath-Arbe patris Enac, quæ vocatur Hebron in monte Iuda, & suburbana eius per circuitum.* Hebronem audis Sacerdotibus fuisse adscriptam, cùm constet Calebo pro eximiis laboribus traditam: *Benedixit ei Iosue, & tradidit ei Hebron in possessionem; atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo vsque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israël. Nomen Hebron antea vocabatur Cariath-Arbe.* Iosu. 15. v. 13. Profectò maledictionis loco haberi potuisset ciuitatem donare ad alios citissimè transferendam, non ad posteros delegandam, quandoquidem post diuitias durior distorquet paupertas, nec adeò durum est non habere, quàm anteà possessa amittere: quomodo ergo Caleb refertur vrbe sibi donata benedictus, si citò adeò ad Sacerdotum habitaculum possessa ciuitate priuatus? Imò ob id ipsum ciuitatis inuenitur possessor: quia ad Numinis obsequium fuit ciuitatis largitor, afferente scriptura: *Dederunt filii Israel...* Iosu. 21. v. 3.

Israel de possessionibus suis iuxta imperium Domini ciuitates, & suburbana earum. Quæ ergo constat religiosè dedisse, non potuit non ad meritum possidere. Certè tunc cumulatiùs resplendet benedictus, cùm Deus accipit ciuitatem ad sacerdotales vsus: magnum Calebo beneficium fuit Deum illi ciuitatem dedisse; grandius tamen ab eo postulasse. Huc voco Chrysologum

Chrysolog. *Deus à te petit tibi, non sibi.* serm. 8. *Homo petit Deus; sed tibi, non sibi: humanam petit misericordiam, vt largiatur diuinam.* Calebi strenui labores ciuitate illa iam fuerant remunerati; ast dum ciuitatem offert, grandius sibi præmium acquirit. Audi Senecam citato libro cap. 3. thesim nostram non obscurè

Seneca. *Fortunam facit obnoxiam nostra fragilitatis.* firmantem: *Omnia ista, quæ vos tumidos, & supra humana elatos obliuisci cogunt vestræ fragilitatis, quæ ferreis claustris custoditis armati, quæ ex alieno sanguine rapta vestro defenditis, propter quæ classes cruentaturas maria deducitis, propter quæ quassatis vrbes ignari, quantum telorum in aduersos fortuna comparet, propter quæ ruptis toties affinitatis, amicitiæ, collegij fœderibus inter contendentes duos terrarum orbis elisus est: non sunt vestra, in deposito causa sunt, iamiamque ad alium dominum spectantia: aut hostes illa, aut hostilis animi successor inuadet. Quæres quomodo illa tua facias? Dona dando.* Ecce quomodo Calebus suam fecerit ciuitatem, illam Numini offerendo, sacerdotumque habitationi dicando. Hebron mœnia temporum communisset allisas, obsequium vero illud obliterare non potuit casus: feliciorem illum Deus reddidit ciuitatem ab eo accipiendo, quam ciuitatem fecerat dando: homini namque magnum beneficium confertur, si Deus bonis eius, ac diuitiis vtatur, quandoquidem fortunæ casibus non sunt exposita, quæ in manu Domini custodita.

88. Cùm Apostoli post sæuam Christi passionem nocturnis tenebris tecti angustum victum piscatione requirerent, nec anxiis vigiliis ac laboribus caperent, Magister è littore laborantes alloquitur, & ad nauigij dexteram rete mittendum imperat: paruerunt pauperes & forsan iussa contemnerent, si piscium copiam anteà cepissent: lucrum comitabatur imperium nec iam valebant præ multitudine rete extrahere, qui anteà toties in cassum repetierant mittere.

Ioan. 21. v. 6. *Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Littori approximant rete trahentes, cùmque in terram descendissent, illos iubet Deus captis de piscibus nonnullos afferre: *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc:* distantiores piscibus implet, à proximioribus petit, vt noueris maius esse beneficium accipere, quàm dare: cùm captos pisces Domino offerunt, Apostoli littoris iam soliditate versantur; dum capiunt, marinis adhuc fluctibus concutiuntur: piscibus quidem in mari exundant; sed remotiores à Domino distant; at cùm pisces offerunt, proximiores inueniuntur, & securiores probantur. Chrysostomus quo solet acumine, apud D. Thomam rogat, cur ex piscibus offerri iusserit, qui impositum prunis piscem ostendit: respondetque hoc factum

Gratitudo firmat accepta gratitudo arredit quæ videbantur secura. fuisse, ne quis phantasticum diceret beneficium, si nihil ex illo fuisset Domino consecratum: & quidem gratitudo firmat accepta, vt ingratitudo arrodit, quæ videbantur secura. Audi Chrysostomum: *Vt ostenderet non esse phantasma, quod factum est, iubet ex piscibus ab eis captis afferri.* Beneficium suum nullatenus cumulasset, ni ab eis pisces aliquos accepisset: Chrysost.
nam vt quæ sunt vacua, vocantur somnia, & quæ nullius vsus, appellitantur phantasmata, ita exundans illa piscium copia haberi potuisset somnium, si ex illa Domino nihil oblatum; at dum offertur, beneficium solidum inuenitur: itaque non tam illis fauit dando, quàm fauerit accipiendo, quandoquidem accipiendo probat solidum, quod dando videri potuit phantasticum.

Duo Pharaonis serui carcere detinebantur 89.
inclusi, & somnio contristabantur deterriti: Iosephus tunc carcere inclusus, cùm suam patienter ferret molestiam, alienam depellere gestiuit tristitiam: mœroris causas non curiosus sciscitatur, sed pius: retulit alter vitem sibi obiectam, è cuius palmitibus tulit vuas, quas generosum in liquorem expressas deuotè obtulit Pharaoni: *Tulit ergo vuas, & expressi in calicem,* Genes. 40.
quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. v. 11.
Alter tria vidit canistra palati deliciis exundantia, & ferculis delicatissimis plena; ab eo tamen nihil Pharao accepit; sed possidenti reliquit: *Et ego vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo.* Optimus conjector relatis somniis fausta prædicit pincernæ, dura pistori: & quidem si coniecturis credendum esset, felicior pistor videbatur, quãdoquidem illi delicias ciborum omnes constabat datas, & ab illo nullas acceptas, quando alter vnica tantùm vite donatus fructum non tam sibi, quàm alij tulit: ergo pincernam solùm manebat laboris molestia, quando diuitiarum ornabat alterum copia: ergo pistor vtpotè ditior, beatior. O quàm prudens Iosephi interpretatio relatam Pauli confirmauit sententiam, magis scilicet beatum esse dare, quàm accipere. Pharao à pistore nihil accepit; à pincerna liquorem generosum mutuatus est: hic ergo fortunatissimus, vt ille miserrimus: nec enim felix homo comprobatur de acceptis; sed de Numini sacratis. Iam Pharaonem Domini portare imaginem tradit Hugo Charensis. *Tradidi poculum Pharaoni, id est, gaudium Deo.* Hugo.
Multa pistori Deus largitus est; aliquid à pincerna accepit: hic ergo aulæ regiæ destinatus, ille patibulo addictus. Canistra illa foraminibus plena fuisse tradit Lippomanus: *Sunt qui interpretentur tria canistra foraminata:* diuitias Lippoman.
videbantur habere; sed quæ Pharaoni non dicabantur, variis constat rupturis effluere: sibi non habuit, dum Pharaoni delicias non obtulit: vt repetat Chrysologus serm. dato: ***Da nummum, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum: da pauperi, vt des tibi: quia quidquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, habebit alter.*** Nec mysterio caret calicem Pharaoni offerentem vitem vidisse, non offerentem canistra eduliis plena portasse. Certè vitis, etsi racemis viduetur, nouos anno sequenti racemos producit, at canistrum ex se non producit panem: ergo qui Deo gaudium obtulit, sibi gaudiorum inuenit scaturiginem, & vberiores in sequentem annum fructus reseruauit: semel obtulit, quotannis accepit; at qui è canistro Pharaoni nihil largitus est, & foraminibus Chrysolog.

minibus inuenit plenum, & ob auium rapinas citiſſimè vacuum, quòd elegantiſſimis ænigmatibus erudiamur, cum ſcilicet, qui Deo aliquid tribuit, ipſius largitionis iure bona ſibi plurima incrementare, vt qui denegat, miſeranda ſibi ſupplicia cudere. O quàm infelix eſſet pincerna, quantumuis amplam ſibi vineam videretur habere, ſi nihil reperiretur litare! Quàm felix fuit vel vnica vite donatus, dum calix Pharaoni refertur exhibitus: magnum illi beneficium collatum eſt non quia vitem habuit; ſed quia Pharao aliquid è vite liberaliter oblatum accepit.

90. Abrahamus Patriarcha ille decantatiſſimus, cùm charitatis æſtu feliciſſimè adurgeretur, torridæ æſtatis calorem deſpexit, meridieque, vt peregrinis benefaceret, vigilauit, tres illi obiiciuntur viri vultu decori, corporum habitudine pulchri: accurrit ſenex, obſequioſus inuitat, vrbanus adorat, & liberaliſſimus cibat.
Gen.18. v.2. *Apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum.* Iam poſtquam apud Abrahamum ſub quercu Dominus ad ſpeciem refrigerauerat, Sodomam verſus contendit, Lotque apparet iam non ſub trino numero; ſed ſub gemino:
Gen.19. v.1. *Venerunt duo Angeli Sodomam veſpere.* Quærunt interpretes, cur numerus apud Abrahamum auctus, apud Lotum verò imminutus. Certè Abrahamus amicitior erat: cur ergo pluribus grauetur hoſpitibus, quando apud ſæculum cenſetur fauor hoſpitum releuari moleſtiis, & ſumptus curis? Ergo inuertatur ſtylus, & Loti domum ingrediantur tres, Abrahami tabernaculum duo: maior namque ſumptus ad tres cibandos requiritur, quàm ad menſam duobus apponendam petatur: ergo amico Abrahamo moleſtiæ occaſio minuatur, etſi Loto non adeò amico de numero incrementetur. Imò ob id apud Abrahamum augetur numerus: quia Deo præ Loto inuenitur charus: dum trinus apparet, maiores ad ſumptus cogit, & plus Abrahamo debet. Hoc ergo in magnis erga Abrahamum collatis beneficiis cenſendum: eſt namque maxima Numinis gratia humana à nobis accipere dona: apud Lotum minor numerus, & cibus anguſtior: nec enim volebat adeò amplis ac Abrahamum beneficiis Lotum ditare, ideóque minus voluit ab eo accipere. Innuit Lippomanus ad Geneſ. 19.
Lippoman. *Frugaliùs quàm Abraham, Angelis Lot conuiuium inſtruxit.* Accinit etiam
Hilarius. Hilarius 4. de Trinitat. *His pluralem retinuit ſignificationem ſimplex viſio Angelorum. Supra ſingularem honorem Patriarchæ fides confitetur: hic diuina Scriptura hiſtoria duos de tribus Angelos fuiſſe ſignificat: illic Dominum & Deum prædicat.*
Gloſſa. Aptiùs Gloſſa Græca apud Lippomanum. *Illud notandum eſt, vbi beneficia Dei explicantur, Deum eſſe; vbi verò ſupplicia exercentur, Angelos mitti.* Apud Abrahamum beneficia ſua Deus cumulatiùs adornat, dum plura lautioraque, quam apud Lotum acceptat: ingens namque confertur homini beneficium, ſi Deus diuitiis eius vtatur.

§. XX.

Reliquiæ Sanctorum magna contra hoſtiles adſultus ſunt munimenta, miſericordiæque diuinæ efficaciſſima illicia.

Corpora illa, veſtes, cæteraque, quæ Sanctorum animas quodammodò tetigerunt, 91.
& virtutem ſenſim ebibunt, efficaciamque ſugunt. Summa Numinis benignitate Sanctorum reliquiæ prouinciæ aut ciuitati contingunt: habent enim homines, quæ dum diuinis oculis placent, iram, indignationemque auertant, hoſtileſque aduerſariorum adſultus valenter arceant. Vt pater ſæpè ſæpiùs, ſi filius protegat contumacem ſeruum, ne dilectum lædat, ferire ſeruum vel indignatus recuſat, ſic ſæpè ſæpiùs Numen, ne dilectorum reliquiæ aliquam patiantur ſtragem, in peruerſos ſuppliciorum non eiaculatur torrentem. Ecce ciuitas deſignatur refugij Cariath-Arbe: *Filijs Aaro: per familias Caath Leuitici generis (prima enim ſors illis egreſſa eſt) Cariath-Arbe patris Enac, quæ vocatur Hebron.* Miſeris tutandis Cariath-Arbe ciuitas deſignatur, qua & ardentes poſſint inimicorum eludere impetus, & hoſtiles illæſè fruſtrare conatus: ibi perſequi anxios non poteſt vindicta, nec inexplorata cauſa vel iuſtitiæ nocere ſententia. Cur autem hæc Cariath-Arbe & ſorte Leuitis prima, & anxiis Caleb laboribus impetrata, quærunt interpretes. Placet Maſius, qui è Rabbinis ait ibi ſepultos fuiſſe quatuor celeberrimos Patriarchas, quatuorque fœminas venuſtate, & pudicitia decantatiſſimas. Hunc ergo locum, vbi tot illuſtrium virorum quieſcebant corpora, honeſtè ambitioſa Calebi cupiuerant deſideria, & infortunatis ſecura manebant effugia. Hinc etiam Abrahamus quatuor illos reges, qui prædiuitem prædam à Sodomitis tulerant, exigua manu inſecutus, & fugauit ſtrenuus, & diſpoliauit glorioſus:
Scriptum illic eſt, ideò ab Arba, hoc eſt quatuor, Maſius.
nomen iſti vrbi eſſe: quia quatuor matronæ celeberrimæ famæ ſepultæ, Eua, Sara, Rebecca, Lea, & quatuor patriarchæ quoque, Adam, Abraham, Iſaac, Iacob. Adhæc quia Abraham inde quatuor reges inſecutus percuſſerit. Ecce quantum reliquiæ Sanctorum proſint. Abraham hoſtiles inde puniuit adſultus, ibi homines iræ iuſtitiæque vrgentes euaſere cruciatus. Gratias agebat Ambroſius Numini, quod fratris Satyri reliquias ſorte feliciſſima adeptus, quaſi facilius tantis rogatoribus miſericordiam poſſet
impetrare diuinam. *Habeo planè*, ſolatur do- Ambroſ.
lorem lib. de obitu fratris Satyri, *pignus meum, quod nulla mihi peregrinatio iam poſſit auellere, habeo quas complectar reliquias, habeo tumulum, quem corpore tegam, habeo ſepulchrum, ſuper quod iaceam, & commendabiliorem Deo futurum eſſe me credam, quòd ſupra ſancti corporis oſſa requieſcam.* Neſcio quam afflandam ſuis oſſibus gratiam de fratris credidit Ambroſius reliquiis, ſi fratris ſepulchro & tumularetur exequiis: valent exuuiæ Sanctorum, & contra anhelantes flammas, & contra ardentes cæli vindictas.

Adeſt propheta ille nomine quidem honora- 92.
tus; ſed exercitio malignitatis vaferrimus. Dei virum

virum fefellit, præceptumque nimis credulum temerare importunus suasit: citò dedit pœnas sanctus, cùm diu traxerit vitam peruersus: maior senis culpa; sed quia acrior, & criminis lentior pœna. Occisum à leone Dei prophetam suo sepulchro recondit, & filiis suis, vt eodem loculo post mortem ipsum tumularent, iubet:
3. Reg. 13. v. 31. *Cum mortuus fuero sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est: iuxta ossa eius ponite ossa mea.* Nescio an qui viuus prophetæ extiterat perniciosus, & mortuus esse voluerit aduersus: quid enim sæuius sancto tormentum esset, quàm commune cum improbo habere sepulchrum? fors plus requiesceret ad viscera leonina translatus, quàm improbis cineribus mixtus. Quid senex hæc filiis iubens intenderit, inquirunt interpretes. Glossa ideò reliquiis veri prophetæ proximare voluisse ait, vt quas ille flammas idolorum vatibus comminatus fuerat, effugeret.
3. Reg. 13. v. 2. *Ecce filius nascetur domui Dauid, prophetauerat vir ille sanctus, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura incendunt, & ossa hominum super te incendet.* His ergo flammas euadere cupiens senex, reliquiarum se munimentis armauit; verùm si vafritie mortem viro sancto intulit, si leoninos vngues exacuit, si præceptis Numinis aduersa composuit, quid interuerunt prophetæ reliquiæ, vt ab ipso prohpeta intentatas sacrilegis flammas euadat? In idolorum sacrificulos, fatidicósque pronuntiauit sententiam nullis artibus derogandam, & hîc, qui sacrilegis fumis cruentam etiam innoxij viri addiderat cædem, ardentem vitabit ignem? Perpende quantum valeant reliquiæ sanctorum. Senis crimina anhelantes flammas vocabant; verùm sic sanctis cineribus est protectus, vt flamma illum cohibita non attigerit, nec improbum corpus adusserit: nam Iosias prædictiones illas adimplens, sepulchrum
4. Reg. 23. v. 18. viri Dei veneratus non mouit: *Intacta manserunt ossa illius cum ossibus prophetæ, qui venerat de Samaria.* Reliquiæ anhelantes flammas, ne putrida illa ossa vindices adurerent, prohibuerunt. Audi Glossam ad 3. Reg. 13.
Gloss. *Alius propheta sciens euenire, quod vir Dei prædixit, præcepit, vt sepeliretur iuxta virum Dei, ne quando ossa illius comburenda effoderentur; sed conseruarentur per sanctum prophetam, sicut inferius idem testatur liber impletum.* Quid pro reliquiis nobilius? Quid pro veritate securiùs?

93. Elias pallium suum testamento dilecto discipulo delegauit: non multò post Siriæ rex armatis illum cinxit agminibus, vt caperet; verùm propheta equis, curribúsque igneis stipatus hostiles irridebat insidias, & aduersariorum imperturbatus fidei oculis adspexerat technas:
4. Reg. 6. v. 17. *Ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Quem tegebat pallium, armis nequibat cruentis vrgere bellum: valentioribus erat machinamentis munitus, quia magistri reliquiis tectus. Appropinquare non poterant, nisi vt parerent Elisæo triumphos, qui ardebant regios adimplere conatus. Huc voco Theofridum
Theofrid. Abbatem serm. 1. de sanctorum reliquiis: *Reliquias singulis prouinciarum, & ciuitatum populis dedit Dominus in solatium, vt dum importunis vrgentur incursibus, hostium visibilium & inuisibilium per harum defendantur meritum:* vrgebant hostes; sed Eliæ pallium tegebat: victa ergo est immanitas, & cessit irritis conatibus sanctis reliquiis aduersa feritas. Magni habeto sanctorum exuuias: quia, etsi morti tributum soluerint, adhuc impertiendis auxiliis viuunt. Adde non solùm aduersus multiformes hostium proficere insidias; sed ad impetrandas possessoribus ingentes misericordias.

Chananæa illa, cuius filia improbo, crudelissimóque cacodæmone exagitata lugebat, Dominum adit, flebilique voce tragœdiam exaggerat: *Fili Dauid miserere mei.* Quid tunc Dominus? *Non respondit ei verbum:* filiæ doloribus discruciatam ad speciem adspicit limis, & sanationem prorogat, doloremque quodammodo dilatione incrementat. Verte modo oculos ad Ioannis 4. Venit mulier turpitudine nota, libidinisque tetro flammarum fumo obscurata: cui Dominus & misericordiæ fontem nondum inuitatus promittit, & gratiam adhuc non rogatus offert. Eccur hîc adeò benignus, qui alibi adeò rigidè apparebat seuerus? Fallar, ni textus innuat: *Venit, inquit, in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.* Sichem & Sichar eandem ciuitatem esse tradit Lippomanus: *Sichem*, scribit ad 33. Genes. *eadem ciuitas, quæ apud Euangelistam dicitur Sichar, vbi nimirum puteus Iacob erat.* En causam, cur hîc Dominus copiosum adeò liberalitatis, misericordiæque fontem obtulerit, quia videlicet aduentauit in Sichar, siue Sichem, vbi Iosephi requiuisse corpus, non obscurè indicat textus: *Ossa quoque Ioseph, quæ tulerant filij Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph.* In agro illo pullulabant misericordiæ: quia in agro illo Iosephi asseruabantur reliquiæ: ibi Christus vel nondum facili prece exoratus fontem gratiarum offert, & patrem clementissimum refert. Vt iure repetat Ambrosius: *Commendabiliorem Deo futurum esse me credam, quod supra sancti corporis ossa requiescam.* Commendabilior fuit ad speciem Chananæa muliere meretrix Samaritana: quia supra sancti corporis ossa requiescebat, quæ talem sortiebatur patronum, pati nequibat repulsam; imò quodammodo habebat ius ad misericordiam.

Gedeon in trophæorum testimonium aream miro irrigatam rore florere exambiens; vellus niue candidius statuit: *Ponam hoc vellus lanæ in area, & , si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel.* Quid vellus veluti diuini roris spongiam constituit? Cur ad agrum vellere illo prædium copiosa cælorum postulat confluxisse stillicidia? Non poterat miraculosum sine vellere imbrem impetrasse, cælorúmque benignitatem meruisse? Vellus niueum & roris cœlestis spongia, & secura triumphorum offertur tessera: nec mirum: vestis namque erat agni immaculati, purissimi integumentum spiritus; adeóque sanctorum reliquiæ cœlestis imbris efficacissima probantur illicia, vt ad vellera gratiarum inuolarint fluenta: *Cum multa sint, & innumera signa*, inquit Glossa, *quæ petere potuisset ad confirmandam promissionem Dei, quæritur, quare post Angelicam vocem, & promissionem cœlestem hoc nouum signum petijt.* Non incongruè signum hoc postulat, innocentis namque agni vestis non poterat non esse subsidio.

Addit

Marginal notes (right column): 94. — Matth. 15. v. 22. — Ioan. 4. v. 5. — Lippoman. — Iosue 24. v. 32. — 95. — Iudic. 6. v. 37. — Glossa.

August. Addit Augustinus: *Ostendit in compluto scilicet vellere figurari primum populum Israel, vbi erant sancti cum gratia cœlesti tanquam pluuia spiritali.* Sanctorum vestes sic diuinam misericordiam ebibebant, sic pluuiam euocabant cœlestem, vt Gedeon in vellere & misericordia habuerit pignus, & securum victoriæ fœdus:
Chrysolog. *Cœlestis imber*, inquit Chrysologus sermon. 143. *virgineum in vellus placido se fudit illapsu, & tota diuinitatis vnda bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, donec expressum terris omnibus in pluuiam salutis effunderet.* Vellus verbi vestis, aut indumenta Sanctorum trophœorum insigne datur & cœlestis gratiæ spongia bibula constituitur: non mysteriorum Gedeon ignarus; sed futurorum præscius vellus apposuit, vt copiosiùs cœlestem gratiam exugeret, & patribus promissos triumphos impleret. Valent plurimum Sanctorum reliquiæ, vtpotè sacræ Numinis amicorum exuuiæ. Felix terra, quæ margaritis adeò pretiosis ditescit: felix prouincia, quæ talibus munimentis insultus inimicorum eludit.

96. Barbarus ille Nabuchod. tres pueros patria nobilitate conspicuos; sed excellentiori virtutis claritate exornatos in ebullientes, horrendum! flammas iubet ferox, & truculentus iactari. Vincti inter anhelantes flammas pueri ceciderunt; verùm rationabilis ardor non tetigit, quos innocentiæ puritas obarmauit: blandè adulatus virtuti ligamenta dissoluit, & lambente flamma sacros de contractu compedes deuorauit:
Dan. 3. v. 23. *Ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati, & ambulabant in medio flammæ.* Pro muris sanctis extitere ligamina, & quas rogus sanctorum vorauit reliquias, flammarum iracundiæ deseruiunt fræna: *Hic puerorum calceamenta*,
Chrysost. inquit Chrysostomus hom. 4. ad popul. Antiochen. *ignis virtutem extinxerunt.* Vt nullus est Ionas, procellosum detumuit mare; vt deuorata sunt ligamina, stupuerunt flammis anhelantibus antea incendia. Ignis cohibitus est furor, vbi pro pueris ipsis vel calceamentorum stetit fauor. Disce tecum reliquias gestare sanctorum, quando & insanus fluctus placatur, & horrendum sibilans ignis tactu calceamentorum comprimitur; nec enim damnanda piorum est vrgentibus deuorio periculis, dum rogum, fluctúmque, vt discrimina arceant, reliquiis sanctorum honestè subornant. Refugij ciuitas designatur, quæ sanctorum cineribus nobilitata munitur. Notabat solito ingenij acumine hîc Chrysostomus, cur diabolus, qui interna superbientis Nabuchod possessurus intrarat, non suaserit iugulum pueris violenter præcidi, aut stridenti per costas ferrâ laniari; sed anhelantibus flammis aduri: respondétque, ne vllæ mundo remanerent reliquiæ, aut alicubi asseruarentur sacræ puerorum exuuiæ: *Diabolus*, inquit, *illinc tunc tyranno se insinuans, neque ferro sanctorum capita abscindi permisit, neque bestiis tradi, neque vllo alio eius modi puniri; sed in ignem inijci suasit, vt neque reliquiæ illorum sanctorum remanerent ipsis corporibus consumptis, & ipsorum cinere cum sarmentorum cinere commixto.* Nec vestes illis permisit detrahi; sed, vt erant, celerrimè suspirabat aduri, timens ne, si illorum sacræ ab hominibus asseruarentur reliquiæ, ipsius euerterent regna, & vaferrima denudarent consilia.

§. XXI.

Pax est felicitatis complementum, vt calamitatum fœcunda vena dissidium.

VNum, scribit Plutarchus in præceptis politicis, *politico ex illis, quæ eius officij sunt, reliquum est, quo nullum est bonum aliud excellentius, vt concordiam semper constituat, amicitiámque inter ciues suos mutuam: contentiones, dissensiones, simultatem omnem discutiat.* Qui Rempublicam anhelat florere, pacem concordiámque studiosè gestiat stabilire: nam stabilis pax amicitias conflat, & dum periculosa exterminat iurgia, facultatum procreat augmenta: qui pace caret, nulla felicitate resplendet: nam discordiæ ingenium est de diuite facere egenum, de fortunato procudere infelicissimum. Certè, etsi regnum affluentibus diuitiarum exundet copiis, si pax abfuerit, citò consumitur præliis; at si regna decoret, & facultatum accrescit copia, & deliciarum inueniuntur semper crementa. Optimè Marcus Agrippa apud Senec. epist. 91. aiebat: *Concordiâ paruæ res crescunt; discordia maximæ dilabuntur.* Quos stabilis pax muniuit, multimodis felicitatibus adimpleuit: nec aliter, quàm humano corpori, noueris contigisse politico; & quidem dum ad stomachum transmissa concordant, salus roboratur, & robur hominis innutritur; at si mutuo inter se dissidio pugnent, multiplex oritur morbus, & vitium sentitur defectus. Benè Senec. citata epist. *Nec mirum quod inconstans, variúsque ex discorde cibo morbus est, & illa ex contrarijs naturæ partibus in eumdem compulsa redundant.* Vt ciborum discordia est pestilens salutis nouerca; ita hominum iurgia sunt omnis felicitatis exilia: *Omni quippe regno*, scribit Cassiodor. 1. var. 1. *desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium custoditur: hæc est enim bonarum artium decora mater, hæc mortalium genus reparabili successione multiplicans facultates protendit, mores excolit, & tantarum rerum ignarus agnoscitur, qui eam minimè quæsisse sentitur.* Pax est regnorum omnium pulcherrimum decus, felicitatis salutare præsidium, gaudij complementum, honestum diuitiarum lucrum; vnde illa abesse cognoscitur, inde calamitas omnis scaturire sentitur. Ecce quò sua Deus promissa adimpleuerit, non solùm terram omnem dicitur præstitisse; sed optabili pace regna coronasse: *Dedit Dominus Deus Israeli omnem terram, quam traditurum se patribus eorum iurauerat, & possederunt illam, atque habitauerunt in ea, datáque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes.* Florente pace adimplentur promissa, nec sine pace videri possent impleta: nam quamuis terram omnem Hebræos constaret incolere, sine pace non constabat felicitatem habere: pax ergo fuit felicitatis corona, & omnis calamitatis ruina: *Datáque est ab eo pax*, scribit Lyra, id est, *ab omnibus per circuitum nationibus: quia illi, qui erant extra terram promissionis, vt Ægyptij, Idumæi, & alij, non audebant contra eos mouere bellum.* Vbi cessarunt prælia, impleta referuntur promissa: nam sine pace, quantumuis latissima obtinerent regna, adhuc carebant felicitatis corona.

Margin notes (right column): 97. Plutarch. — *Maximum bonum concordia.* — Agrippa. — Seneca. — *Varius ex discorde cibo morbus est.* — Cassiod. — *Pax artium decora mater.* — Lyra.

98. Iob, vt cælorum felicitatem commendet, stabili pace muniri dicit: *Facit concordiam in sublimibus suis.* Tunc appellantur sublimes, cùm stabili pace vtentes: & quidem si in cælestibus desudarent prælia, vel in cælis lætitiæ ac felicitatis inuenirentur exilia; at dum pace stabili communiuntur, & gaudiis frui amplissimis comprobantur. *In concordia*, scribit Greg. lib. 17. moral. cap. 8. *componuntur summa, dum confunduntur infima: quia inde cælestibus electos suos Angelorum choris sociat, vnde in terrenis, & infimis reproborum mentes suis nutibus aduersantes portat.* Vis scire, quantum cælum à terra distet? Cælum est regio tranquillitatis, & terra prouincia litis: sublimes habentur, qui nunquam interrumpenda pace donantur, vt miseri, qui continuis iurgiis, litiumque machinis impetuntur.

Iob 25. v. 2.

Gregor.

99. Dum bella premunt, omnia commoda ab humana vita diffugiunt: tunc solùm arridet prosperitas, cùm bellorum vel ad speciem longè propulsatur calamitas. Lugebat Daniel extremam populi miseriam, cùm Angeli quodammodò inter se iniuerant pugnam. *Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua; & ego veni propter sermones tuos; Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus.* Dum inter populorum Principes desudant prælia, Hebræos confusa calamitatum premunt volumina: Persarum Princeps, hoc est Persarum Angelus ad speciem certamen iniit, dumque vel vmbratilis certaminis perseuerat conflictus, miser Hebræorum nullatenus reparatur status. Certè Angeli inter se possunt nullatenus dissidere: quia constat vinculo arctissimo charitatis vniri: vt tamen noscat, quàm vel vmbratilis dissensio sit felicitatis venenum, Hebræus luget, dum inter Angelos versatur ad speciem dissidium: nec enim poterat subiectis oriri prosperitas, dum stabilis Principum non efflorerct tranquillitas. Dum Angelus Hebræorum Princeps cum Angelo Persarum Præside certat, dura Hebræos calamitas ligat: nam vt à pace, concordiaque oritur omnis prosperitas, sic à discordia calamitas. Adest Gregorius citato loco: *Quid est Angelum dicere: Ego veni propter sermones tuos; Princeps autem regni Persarum restitit mihi, nisi sua subditis opera nuntiare? Ac si apertè dicat: Precum quidem tuarum merita exigunt, vt Israeliticus populus à iugo suæ captiuitatis exuatur; sed est adhuc, quod in eodem populo Persarum dominio purgari debeat: vnde ereptionem illius Persarum Princeps mihi iure contradicat.* Durat captiuitatis miseria, dum inter Principes vigent certamina: quia sine pace nec poterant solui catena, nec frui desiderabilis libertatis lætitia. Itaque vel certaminis vmbra veræ depingitur captiuitatis afflictio: vt noueris iurgia esse faustæ fortunæ venena, vt pacem tranquillitatemque omnis felicitatis auxilia. Addit Gregorius: *Rectè dicitur quòd contra se Angeli veniunt: quia subiectarum sibi gentium vicissim merita contradicunt.* Cùm contra se Angeli veniunt, captiuitatis ceruices conterit iugum: quia sine pace nunquam floruit lætitiæ ac prosperitatis gaudium.

Dan. 10. v. 12.

Gregor.

100. Cùm Christus Dominus ad hominis reparandam aduentasset felicitatem, eis dæmon technis est vsus, vt litis ac discordiarum efficere niteretur auctorem, ratus infelix quòd si pacem abegerit, omnem Dominici aduentus causam vacuabit. *Magister* (Dominum interpellat quidam) *dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Vide latentes diaboli technas: litium voluit Dominum constituere patronum, quò humanæ redemptionis frustrauerit beneficium: quasi non timeat vel Dominici sanguinis telum, si posset inter fratres firmare iurgium. *Mundanæ litis arbitrium*, inquit Chrysologus serm. 162. *credidit ipsum sæculi cognitorem, & eum fieri voluit diuisionis auctorem, qui ad restituendam venerat humani generis vnitatem.* Coniectauit dæmon Christum Dominum miserias humani generis depulsurum, vtque sedaret timorem, diuisionis discordiæque instrumentum facere callide aggreditur: quia sine pace nullum dæmoni naufragium imminere probatur; imò eius regnum stabilitur: *Fieri voluit diuisionis auctorem, qui ad restituendam venerat humani generis vnitatem.* Fuge certamina, auersare dissidia: nam iurgium concertantes dissecat, dum mittit in partes: dum quassat discordes pugna, floret felicitatis nouerca, nec viuere potest lætitia.

Luc. 12. v. 13.

Chrysolog.

Christus Dominus, vt se Patremque omni felicitate exundare ostenderet, vnum esse testatus est: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea: Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum sumus.* Tertullianus; imò Nouatianus lib. de Trinit. cap. 22. illud *vnum* ad concordiam inter Patrem, Filiumque applicuit: *Vnum quod ait, ad concordiam, & eandem sententiam, & ad ipsam charitatis societatem pertinet: vt meritò vnum sit Pater & Filius per concordiam.* Christus Dominus, si hanc Nouatiani interpretationem sequamur, concordiam se habere ostendit, quo fortissimum, ac felicissimum probet: ac si dicat: Oues meas pacatè semper possidebo, nec gregis minuetur numerus, quandoquidem bellorum non deterrebit strepitus. Non dubito Nouatianum illud *vnum* ad meram concordiam non benè detorsisse, quando apud sacros interpretes & Theologos certum est naturæ identitatem signasse. Itaque vnum sunt: quia eadem Patris, Filij, & Spiritus sancti, quin obsit personarum distinctioni, est indiuidua natura: à qua pax nunquam perturbanda enascitur, & summa concordia exoritur; prodest tamen Nouatiani interpretatio, vt noueris pacem adeò esse felicitatis complementum, vt Dominus ad omnipotentiæ producat indicium: non enim ait: Oues meas possidebo: quia adornor omnipotentia; sed, quia æterna floreo concordia. Quasi à pace concordiaque prosperitas nascatur indubia, & felicitas resplendeat plena. 101.

Ioan. 10. v. 27.

Tertullian.

Discipulis inimicorum timore territis Dominus inferni, mortisque triumphator apparet, omnemque mœstitiæ caliginem candida resurrectionis luce detergit: *Stetit in medio*: nec contentus est gloriam ostendere; sed pace voluit etiam stabilire: *Dixit eis: Pax vobis: & cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & latus.* Et quid necessum erat munire pace, quos iam gloriæ recreauerat luce? Certè, vt ipsum gloriæ gaudium consummaret: quia sine pace frui non possent tantæ visionis lætitia: nec poterant non frui, 102.

Ioan. 20. v. 19.

frui, si amica adunarentur concordia. Pax erat gaudij complementum, & omnis tristitiæ exilium: *Pax vobis.* Pace iam reddita oriuntur gaudia; quia sine pace solùm poterant vigere lamenta. *Imperio pacis suæ*, scribit Chrysologus serm. 84 *bella nascitura compressit, ne alter alteri improperaret, quod ipse, cui totum debebatur, donauerat in futuro.* Ne quis criminaretur Apostolisque obiiceret Domino se famulari, qui omnem in posterum mercedem remitteret, illis in præsenti reliquit pacem certè non inferiorem gloriæ portionem, quo iniquitati obloquentium prorsus occluderetur lingua, dum pace fruitos non comitari non possint gaudia: est namque pax cælestis visionis portio, felicitatis scaturigo, lætitiæ vena, & omnis prosperitatis corona. Chrysolog.

§. XXII.

Mundiales ambientium labores grauat spes elusoria & dubia, vt pro Christo susceptos leuat infallibilis & certa.

103. SPes, dum promittit magna ad magnos etiam labores inflammat, & de remunerationis studio leuat: horridæ hyemis, & torridæ æstatis despicit magnanimè glacies & æstus, dum copiosos expectat metere agricola fructus: spes est patientiæ fulcrum, laboris magisterium, fortitudinis subsidium, desidiæ venenum. *Amplectenda est*, scribit Zeno Veronensis serm. de spe, *tenaciter nobis, & omni genere custodienda virtutum: in hanc fortiter incumbendum: ipsa est enim vitæ nostræ immobile fundamentum, inuictum aduersus diaboli impetus propugnaculum pariter ac telum, animæ nostræ impenetrabilis lorica, legis compendiosa ac vera scientia, dæmonum terror, martyrum virtus, Ecclesiæ pulchritudo vel murus, Dei ministra, Christi amica, Spiritus sancti connuua.* Hinc noueris spem omnem laborem mollire, & ærumnas releuare; hoc tamen de spe virtute accipiendum est: illa namque mundialis ambitionis amica, & ad pericula temeraria non labores releuat; sed plus grauat: nam dum ambitiosa rerum terrenarum affectio ardentiori impetu flabellatur, de spei incertitudine plus torquetur: vnde spes ipsa, quæ laboriosi angoris futura erat leuamentum, molestiarum, dolorumque inuenitur auxilium: & quæ ad labores videbatur stimulus, generat laboris tædium; imò est dignum ambitionis supplicium: animus namque dubietate discruciatur, incertitudine distorquetur, & dum humana ardentiori pruritu anhelat, de incertitudine molestius etiam laborat. At spes diuina dubietatis prorsus excludit molestiam: quia admittere nequit fallaciam. Certè omni studio pro virtute appeti deberent, & exantlari labores, quandoquidem cassa nunquam inueniuntur brauia. Spes, quæ virtutis filia dubietatis respuit tormentum, vt quæ ambitionis proles semper incertitudinis affert martyrium Ecce Hebræorum populus per confusa vorticum volumina incedit, desertorum despicit confragosa, nec tot gigantum refugit prælia: nec ardui appellari debent labores, quos spes molliebat indubia, &

Zeno.

Spes est inuictum aduersus diaboli impetus propugnaculum.

promissio præmiorum certa: *Dedit Dominus Deus Israeli omnem terram, quam traditurum se patribus eorum iurauerat, & possederunt illam, atque habitauerunt in ea... nec vnum quidem verbum, quòd illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit; sed rebus expleta sunt omnia.* Ecce qui videbantur maximi, non graues adeò fuisse comprobantur labores, quandoquidem spei stabilis certitudo omnis dubietatis respuit cruciatum, & magnum attulit patientiæ subsidium? Adest Abulensis quæst. 15. *De omnibus, quæ promisit Deus Israelitis, nihil fuit in vacuum; sed omnia habuerunt efficaciam; in quo notatur magna Dei fidelitas promittentis, scilicet quòd promissa eius nunquam frustrantur.* Magnæ vrgere Hebræos, deterrereque videbantur aliquando difficultates; illos tamen cæteris durior nunquam præmij vexauit dubietas; imò spei aspera molliebat securitas. O quàm fuerunt deprædicandi felices, quibus spes non mentita, nec confidentia fuit cassa! Huc voco, quod aiebat Zeno iam datus: *Huic & præsentia subiacent & futura: ista, quia contemnit; illa, quia sua esse præsumit.* Neque spes timet, & non veniat: quia ea semper secum suis in viribus portat. A spe cœlesti magnus labor exulat: quia dubietate non cruciat; at quia spei humanæ inuisceratа incertitudo est, nec labores potest minuere, nec solicitis animum curis valet non adimplere. Abulens. Zeno.

Eua magnis promissis allicitur, vt Numinis præceptum temneret, & mortis metum proculcet: comedit illa, cúmque seductionis fructum labores delusa plurimos vindemiasset, non tam se nudam, quàm à serpente dolere videtur deceptam. *Serpens*, inquit, *decepit me, & comedi.* Quasi dicat: quod in hac actione grauissimum, non tam est, vt fructum carperem, laborasse, mortisque imprudenter periculum contempsisse, quàm spe illusoria confundi, & penitus promissis priuari. O me, lamentatur Eua, deceptam, quæ non vidi serpentinæ spei fallaciam inesse; quæque post labores inuenior nuda, & spebus prorsus priuata. Adest Arnoldus Carnotensis de opere sex dierum. *Deceptam se dicit, amplius dolens quòd diaboli promissis effectu caruerit, quàm quòd eius suggestioni assensum præbuerit.* Recrudescebat labor de fallacia, incrementabatúrque de ignominia: quid enim durius, quàm post labores decipi, & desideratis fraudari. 104. Gen. 3. v. 14. Arnold.

Ficum habebat quidam plantatam in vinea sua: venit semel & iterum fructum quærens, solumque luxuriantibus redundare inuenit foliis, cum fructuum careret prouentibus. Excidi iussit; vineæ tamen procurator annuas petiuit inducias solicitiorem erga illam promittens laborem, & diligentiorem solicitudinem: *Dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora: & siquidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam.* Theophylactus ad hunc locum in vineæ cultore Christum intelligit, aitque non sudore tantùm fodisse; sed sanguine etiam rigasse: *Christus ficum illam, vt sterilem exiccari non sinit, dicens: Sine illam & hoc anno: licèt enim per legem, & prophetas non fuerint facti meliores, neque pænitentiæ fructum fecerint; attamen me irrigante meis doctrinis, & passionibus, fortassis faciam fructum obedientiæ.* Ecce vineæ cultor non tam in fodiendis victibus, quàm in ficu medicanda ado 105. Luc. 13. v. 8. Theophyl.

laborat: sua spondet irrigaturum passione, cultarum sanguine: *Me irrigante meis passionibus fortassis faciam fructum obedientia.* Certè durior videbatur labor circa plurimas (erat namque ingens vinea) vires effodere, & attritis ligone manibus ingiter laborare, quàm circa vnicam ficum terram vertere, & stercus mittere: cur ergò se pati circa ficum fodiendo testetur, cùm de prolixis erga vites laboribus non queratur? Quia vites, inquit Ambrosius, auratis vuarum acinis culturæ molestias minuebant: ficus verò de prouentus incertitudine incrementabat: quid enim durius, quam terram infodere, quàm stercora mittere; & semper de prouentibus dubitare? Profectò ficus, dum fructus ingerit dubietatem, molestiis durissimis cumulauit laborem: culturæ namque labor vires corporis fatigabat; sed fructus incertitudo animum grauissimis molestiis vrgebat: effusus sanguis videretur sudor, si certissima prouentus spes fodientis animum recrearet; at vel sudor habetur sanguis, cùm ardet prouentus studium, & fructuum diuexat incertum. *Ista arbor*, verba sunt Ambrosij ad hunc locum, *folijs redundans fluentibus spem possessoris sui cassa expectatorum prouentuum expectatione destituit.* Si passionis discipis proprio ænigmate expressisse tormentum, cogita hominem noctu, diuque impensissimo colligendi fructus studio laborantem, & de spei dubietate hærentem: quæ spes releuare debuerat, quia solicita incertitudine diuexabat, culturæ molestias vehementer angebat: est enim longè grauius, quàm laborare, dubia semper expectatione pendere. Adde apud sæculum non solum spei distorquere dubium; sed præmium alij concessum, cùm apud Dominum alteri nunquam diuexet tributum. — Ambros.

106. — 2. ad Tim. 4. v. 7. — Paulus 2. ad Timoth. 4. sic aiebat: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Non solùm non hærebat de præmij certitudine dubitans; sed nec verebatur post exantlatos à se labores alteri donandum præmium, aut post cursus sudorem reddendum minùs currenti brauium: molestum quidem erat confligere, vallum aperire, substrictis papilionibus degere, omnemque imbonitatem tolerare; tantarum verò ærumnarum maximum leuamen erat præmium non dubium, nec alteri; sed decertanti reddendum: cùm apud sæculum non semel alius laboris ferat molestiam, & præmiorum alius acceperit gloriam: quod quidem vehementissimus dolor est. Innuit Bernardus serm. de fallacia præsentis vitæ: *Omnium merces laborum in vna illa die reddetur, cui altera non succedit. Reposita est mihi, ait, corona iustitiæ, quam reddet mihi:* non extimet aliis dandam: quia nouit sibi reddendam, quando apud sæculum non semel aliis reddatur, quod strenuè decertanti debetur. Adest Esau, qui cùm fratrem in materno pectore ad speciem deuicisset, posteà à caligante patre præmio fraudatus est: quod vehementer adeò illum perculit, vt non solùm in copiosas lachrymas, sed in rugitus impulerit: *Auditis Esau sermonibus patris irrugijt clamore magno.* O quàm ad anxium compellebat rugitum strenuè pugnasse, & certaminis præmium ad alterum deuenisse! Certauit Paulus, certauit & Esau; eo tamen discrimine, quòd Paulo, non — Bernard. — Gen. 27. v. 34

alteri laboris datum fuit præmium; Esau verò certaminis non accepit præmium; sed ingentissimum tulit doloris cruciatum. Innuit moralis Glossa: *Senuit Isaac, per quem significatur bonus Prælatus, eò quòd Isaac fuit Patriarcha; dicitur autem caligans oculis eo quòd bonus Prælatus aliquando donis & verbis adulantium decipitur; vnde dicitur quod aliquando bonus dormitat Homerus.* Ecce summum impatientiæ stimulum post certaminis pugnam, post bellicosque sudores debito fraudari præmio, idque à superiore specie optimo, non maligno: valuit arcanus dolus, obtinuit gratæ adulationis concentus, quod Esau laboriosus merebatur conflictus. Felix, qui Deo militat, quandoquidem ipse meritorum accipit præmium: infelix, qui mundo inseruit, quandoquidem ignauo concedi solet brauium. Certè Iacob culpabilis nulla dedecorauit fallacia: quia magna actione illa continebantur mysteria; ast dum Esau ad speciem vincit certamine, & Iacob accepta ditescit benedictione, nobis sub ænigmate ostenditur, apud sæculum alium mereri, & alium sæpissimè frui. Iam in Domino spem anxietatis non laborare tormento; imò præcoci possessionis frui gaudio, sacra comprobat pagina, & attestantur exempla. — Gloss moral. Prælati non semel adulationibus decipiuntur.

Cùm Iacobus fratris iram fugeret, obdormiuit sub diuo: magnificas ibi promissiones accepit, dicente Domino: *Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo.* Expergefactus iam erigit columellam non solùm gratitudinis argumentum; sed possessionis certissimum testimonium: *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum*, possessionis quidem. Ita Lippomanus: *Terram itaque istam designauit Iacob in rei memoriam erecto lapide.* Accinit Chrysostomus apud Lippomanum: *Postquam per visionem tam magna consecutus fuit, vocabulo memoriam loco inscribere vult, posterisque eum facere celebrem lapide pro columna erecto.* Adstipulatur etiam Abulensis: *Erexit in titulum; hoc autem fuit, quoniam post ipse cum tota domo sua ascendit in Bethel.* Adhuc audiebatur promissa, & iam tellus titulo notabatur possessa. O quàm non dubitauit Iacobus de promissione; quia sciebat ferè idem esse à Domino promitti, & promissa iam adimpleri? Quàm, si spes esset humana, anxia pulsaretur animus dubitatione, ac molesta torqueretur incertitudine! Iam erigit lapidem possessionis argumentum: quia à Domino accepit promissum. Adde virtutis præmia non solùm meritis ipsis immixta; sed quodammodò meritum anteuertentia. — 107. — Gen. 28. v. 13 — Lippom. — Chrysost. — Abulens.

108. — Cant. 3. v. 9. — Salomon potentissimus ille rex Christi Domini ænigma ferculum fecit, cuius ascensus purpureus, & reclinatorium aureum: *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* Præpostero ordine ferculi huius partes describi videntur; nam si primum est ascendere, quàm cubare, cur priùs referatur reclinatorium aureum, posteàque purpureus ascensus? Solutio facilis: per reclinatorium quies, per ascensum signatur labor; adeòque præmium ad speciem anteuertit laborem, vt nondum purpureus referatur ascensus, & iam ad delicias aureus sit præparatus accubitus. *Ascensus te purpureus*, scribebat Gillibert. serm. 18. in Cantic. *reclinatorium perducet ad aureum.* Certè virtutem colenti per confragosa, & sanguine purpu — Gillibert.

purpurea ascendendum est; ascensus tamen ille ad aureum ducit reclinatorium, non ingerit nouum illusionis lamentum, quando ambitiosos miserabile manere soleat lamentum post iter spinis vulnerantibus horridum, ac sanguine effuso purpureum. Ergo fixa sit thesis nostra, scilicet virtutis spem omni dubietate carere; sæculi verò anxia incertitudine diuexare: vnde clarissimè elucet virtutis labores de spei certitudine esse leuiores, vt ambitionis ærumnas de spei dubietate grauissimas, quandoquidem alibi spes dubia cumulatiùs grauat tormentum; alibi verò certa fiducia leuat laboris cruciatum.

CAPVT XXII.

Vers. 1. ODEM tempore vocauit Iosue Rubenitas & Gaditas, & dimidiam tribum Manasse. 2. Dixítque ad eos: Fecistis omnia, quæ
præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis. 3. Nec reliquistis fratres vestros longo tempore vsque in præsentem diem, custodientes imperium Domini
Dei vestri. 4. Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem
& pacem, sicut pollicitus est: reuertimini & ite in tabernacula vestra, & in terram
possessionis, quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Iordanem. 5. Ita
dumtaxat vt custodiatis attentè, & opere compleatis mandatum & legem, quam
præcepit vobis Moyses famulus Domini, vt diligatis Dominum Deum vestrum,
& ambuletis in omnibus viis eius, & obseruetis mandata illius, adhæreatísque ei, ac
seruiatis in omni corde, & in omni anima vestra. 6. Benedixítque eis Iosue, &
dimisit eos. Qui reuersi sunt in tabernacula sua. 7. Dimidiæ autem tribui Manasse
possessionem Moyses dederat in Basan: & idcirco mediæ quæ superfuit, dedit Iosue sortem inter cæteros fratres suos trans Iordanem ad occidentalem plagam. Cúmque dimitteret eos in tabernacula sua, & benedixisset eis. 8. Dixit ad
eos: In multa substantia atque diuitiis reuertimini ad sedes vestras cum argento &
auro, ære, ac ferro, & veste multiplici: diuidite prædã hostium cum fratribus vestris.
9. Reuersíq; sunt, & abierunt filij Ruben, & filij Gad, & dimidia tribus Manasse
à filiis Israël de Silo, quæ sita est in Chanaan, vt intrarent Galaad terram possessionis suæ, quam obtinuerant iuxta imperium Domini in manu Moysi. 10. Cúmque venissent ad tumulos Iordanis in terram Chanaan, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis. 11. Quod cùm audissent filij Israel, & ad eos
certi nuntij detulissent, ædificasse filios Ruben & Gad, & dimidiæ tribus Manasse
altare in terra Chanaan super Iordanis tumulos contra filios Israël. 12. Conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos. 13. Et interim
miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis. 14. Et
decem Principes cum eo singulos de singulis tribubus. 15. Qui venerunt ad filios Ruben & Gad, & dimidiæ tribus Manasse in terram Galaad, dixeruntq; ad eos.
16 Hæc mandat omnis populus Domini: Quæ est ista transgressio? Cur reliquistis Dominum Deum Israel ædificantes altare sacrilegum, & à cultu illius recedentes? 17. An parum vobis est quod peccastis in Beelphegor, & vsque in præsentem diem macula huius sceleris in nobis permanet, multiq; de populo corruerunt.
Et vos hodie reliquistis Dominum, & cras in vniuersum Israel ira eius desæuiet.
19. Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad terram,
in qua tabernaculum Domini est, & habitate inter nos: tantùm vt à Domino, & à
nostro consortio non recedatis ædificato altari præter altare Domini Dei nostri.
20. Nonne Achan filius Zare præteriit mandatum Domini, & super omnem populum Israël ira eius incubuit? Et ille erat vnus homo, atque vtinam solus periisset
in scelere suo! 21. Responderuntq; filij Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse Principibus legationis Israël. 22. Fortissimus Deus Dominus, fortissimus
Deus Dominus, ipse nouit, & Israël simul intelliget, si præuaricationis animo hoc
altare construximus, non custodiat nos, sed puniat nos in præsenti. 23. Et si ea
mente fecimus, vt holocausta & sacrificium, & pacificas victimas super eo imponeremus, ipse quærat & iudicet. 24. Et non ea magis cogitatione atque tractatu,
vt diceremus: Cras dicent filij vestri filiis nostris: Quid vobis & Domino Deo

Israël? 25. Terminum posuit Dominus inter nos & vos, ô filij Ruben & filij
Gad Iordanem fluuium, & idcirco partem non habetis in Domino. Et per hanc oc-
casionem auertent filij vestri filios nostros à timore Domini. Putauimus itaque me-
lius, 26. & diximus: Extruamus nobis altare non in holocausta, neque ad victi-
mas offerendas. 27. Sed in testimonium inter nos & vos, & sobolem nostram,
vestramq; progeniem, vt seruiamus Domino, & iuris nostri sit offerre & holocau-
sta, & victimas, & pacificas hostias, & nequaquam dicant cras filij vestri filiis no-
stris: Non est vobis pars in Domino. 28. Quod si voluerint dicere: responde-
bunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt Patres nostri non in holocausta, neque
que in sacrificium, sed in testimonium nostrum, ac vestrum 29. Absit à nobis
hoc scelus, vt recedamus à Domino, & eius vestigia relinquamus extructo altari ad
holocausta, & sacrificia, & victimas offerendas præter altare Domini Dei nostri,
quod extructum est ante tabernaculum eius. 30. Quibus auditis Phinees Sa-
cerdos, & Principes legationis Israël, qui erant cum eo, placati sunt: & verba filio-
rum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse libentissimè susceperunt. 31. Di-
xítque Phinees filius Eleazari Sacerdos ad eos: Nunc scimus quòd nobiscum sit
Dominus, quoniam alieni estis à præuaricatione hac, & liberastis filios Israël de
manu Domini. 32. Reuersusq; est cum Principibus à filiis Ruben & Gad de ter-
ra Galaad finium Chanaan ad filios Israël, & retulit eis. 33. Placuitque sermo
cunctis audientibus, & laudauerunt Deum filij Israël, & nequaquam vltrà dixe-
runt, vt ascenderent contra eos, atque pugnarent, & delerent terram possessionis
eorum. 34. Vocaueruntq; filij Ruben, & filij Gad altare, quod extruxerant, Te-
stimonium nostrum quod Dominus ipse sit Deus.

§. I.

Commentarius litteræ.

Vers. 1. Eodem tempore vocauit Iosue Rubenitas & Gaditas, & dimidiam tribum Manasse, *&c.*



1. ABSOLVERANT iam Rubenitæ, Gaditæ, Manassénsésque, quam antiquitus Moysi hæreditatis cupiditate prolectati fidem obstrinxerant, se scilicet suppetias laturos fratribus, primósque in acie depræliaturos, si primos etiam Moyses telluris possessione donaret: modò ergo Iosue bellicis iam laboribus sedatis ad propria remittit, quo in exemplo & prompta harum tribuum obedientia, & exactissima ducis relucet cura. Et quidem inter præcipuas strenui ac prouidentissimi ducis curas vna est, & fortassis prima temporum opportunitates cognoscere, ne quid inidoneo tempore geratur, aut protelētur. Milites hos vt sua reuiserent, vxores, familiæque magnopere pelliciebant, necnon certaminum sudores continuè defatigabant; & tamen adhuc publicata pace nec Ducem interpellarunt, nec ad propria remitti importunè petierunt: quod etsi militum modestiæ tribuendum, prouidentissimi etiam Ducis curæ solicitudinique donandum. Rerum namque vbi primum commoditas compositis belli rebus permittere visa est, vt & auxiliares milites ad proprias sedes otiarentur remissi, & feriarentur remunerati, id Iosue cura perfectum est: vocauit namque ille Rubenitas, Gaditas, & Manasseos, vt notum esset omnibus præ illis ipsis Imperatorem eorem commoditatem & vtilitatem curare: non illi adierunt, non Principis palatia curarunt: vocauit ille, & quidem ea solicitudine, qua vocari, remittique exambire quiuissent. O quoties Principes copiosis militibus exundarent, si post bella commodis illorum attentius consulerent. Res profectò durissima est ferreis inimicorum missilibus corpora obiicere, frequētibus periculis salutem exponere, posteaque, vt exiguum munus accipiant, ministrorum supercilia superbissima sustinere: libellis supplicibus facinora sua exponere, ignauosque sæpesæpius interpellare. *Amicorum pacta, fœdera, atque commercia curantur*, scribit Arias Montanus, *quam propria commoda curari solent.* Alacres se periculis exposuerant, quia nouerant optimum Principem & pericula attendisse, & de dilargiendis muneribus cogitasse. *Pietati conuenit,* scribit Cassiodorus 7. variarum 80. *vt vnusquisque ad fructum militiæ emenso tempore debeat peruenire, & laboris recipiat præmium pro compensatione meritorum.* Non solùm pietati, sed & politiæ conuenit præmia militibus pro meritis dispensasse. Ardua res est vitam exponere, & nisi commoditatum spebus melliatur, vel à constanti viro refugitur. Nec Rubenitas vacuos ad propria remittit Iosue; sed hostilibus trophæis onustos, & quod ingenuis optabilius, laudibus honorificè celebrátos. *Laudat ipsos Imperator*, scribit Masius, *ab obedientia, à fide, à constantia, denique à pietate. Quæ sanè sunt omnium militum virtutes, vt rarissimæ, ita præclarissimæ.* Id etiam in Imperatoris commendatiorem vergit, quandoquidem laude dignum laudibus celebrare regalis animi est. *Hi*, scribit Plutarchus lib. de audiendo, de nonnullis Pythagoreis, *neminem celebrare, vel honorare in contemnendo ponunt, & auctoritatem bonorum despicientia captant, cùm doctrina philosophica admirationem & stuporem, qui ex hæsitantia, & inscitia prouenit, eximat cognitione & perspicientia singulorum causa: humanitatem verò & magnificentiam, & comitatem non amittat: siquidem veris solidaq; bonis optima laus est laudare laude dignum, atque ornamentum*

specio

Arias Mont.

Cassiodor. *Milites statim post bellicos labores præmiandi.*

Masius. *Milites Principis laudib. accendendi.*

Plutarch. *Nonnulli bonorum despicientia auctoritatem captant.*

speciosissimum ornare id, quod honoris affluentia
Magna laus alios laudare. *& copia fit. Angusti verò in extollendis aliis etiamnum inopes esse & ieiuni videntur propria laudis.* Laudanda ingrato tumulare silentio ingenuos dedecet: solùm namque laudum sunt parcissimi, qui virtutum, meritorumque nudi.

Vers. 4. Reuertimini & ite in tabernacula vestra, &c. Ita dumtaxat vt custodiatis attentè, & opere compleatis mandatum & legem, &c.

2. Nouerat militarem obedientiam, & imperat legum, præceptorumque obseruantiam, ne dum se de fortitudine iactant, veram amiserint fortitudinem, quæ in Domini lege consistit. *Hac*
Masius. *Milites ferè semper in Deū non multum pij.* *virtus*, scribit Masius, *omnium caterarum virtutum vberrimus fons est, tantóque in istis viris prædicabilior, quanto in his, qui castra sequuntur, solet esse rarior: nam vt eorum sint multi, quos vel disciplina militaris metus, vel amplissimorum præmiorum spes in officio contineat, & nonnulli etiam, qui gloriæ cupidine res præclaras fortiter gerant; tamen qui pietatem in Deum ex animo sibi colendam esse statuant, nostra certè memoria*
Lyra. *ne parum multi sint milites vereor* Lyra sic voces illas mandatum, & legem distinguit, quasi mandatum mores, lex verò iudicia & cæremonias significet. Non arbitror hanc illis verbis distinctionem notari; ratum verò habeo cæremonias esse veluti obsequiorum ornatum, si
Cæremonia corporisque gestus ornamenta sunt cultus. hoc vel illo corporis habitu cultus geratur: nam sæpè sæpiùs gratiores sunt fructus, qui domino ab hortulano offeruntur amœnis floribus circumuallati & inserti: ita etiam quæ dominorum Domino offeruntur obsequia, de offerentis habitu & gestu aut resplendent venusta, aut deuenustantur fœdata. Amorem in Deum inculcat his, quos à se dimittit, diuersorum verborum, vt inquit Masius, congerie.

Vers. 6. Benedixitque eis Iosue, & dimisit eos. Qui reuersi sunt in tabernacula sua.

3. De modis benedicendi supra à nobis iam
Arias Mont. actum est: hic præter alias benedictionis formas eam censet Arias Montanus signari, milites scilicet remisisse præmiis, muneribus, & ornamentis ob res strenuè gestas onustos. Itaque Iosue tribubus illis vltra gratulationem & laudem, vltraque in propria reuertendi copiam, congiaria impertitus est, quibus mutuus amor, quantumuis distantia obstiterit, flabelletur, perpetuusque resplenduerit. Munera militibus erant veluti illorum virtutis indubia testimonia, triumphorumque complementa: nam
Iuuenal. vt ille Satyra 15.

Vt qui fortis erit, sit felicissimus idem,
Vt læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

Ennodius. *Campus est vulgator natalium.* Augustior nobilitas campus, & hostium spolia sanguini gloriosa trophæa. Vnde Ennodius in panegyr. ad Theodoric. *Hæc est natio cuius ante te fuit omne, quod valuit, in qua titulos obtinuit, qui emit aduersariorum sanguine dignitatem, apud quam campus est vulgator natalium: nam cuius plus rubuerunt tela luctamine, ille putatus est sine ambage sublimior.*

Vers. 8. In multa substantia atque diuitiis reuertimini ad sedes vestras cum argento & auro, &c. Diuidite prædam hostium cum fratribus vestris.

Remanserant ante Iordanem quamplurimi harum tribuum Gentiles, quibus impertiendum etiam de spoliis iubet Iosue; sed quo iure, inquires, prædam suam diuidere debeant, qui difficillimis belli periculis & laboriosis sudoribus hostilibus perfuncti fuerunt exuuiis cum his qui domi in otio, & vita vmbratili remanserunt. Respondeo contribules ea lege mansisse, vt contribulium ab aduersariis circumsonantibus, si vocaret occasio, possessiones & familias defenderent, tutarentque quouis casu: cúmque lex oraculo prodita decreuisset æquales partes ad sarcinas remanenti, & aduersus hostes belligeranti, æquissimè iussit Imperator, vt spolia illa diuiderent, ne hostili deteriorem omnium in se tribulium æmulationem inuidiamque milites concitarint: eam tamen rationem adhibitam existimat Masius, vt maius præmium apud quos & maior labor, remanserit. Addit. *Huius* Masius.
æquitatis rationem habuisse Deus etiam videtur, cùm decuplo plus sibi de illis Madianitarum manubus decidi iuberet, quas otiosi accepissēt. Iustissima sanè œconomia labores virtutesq; singulorū metiri, ne in distribuendis cōmodis inertes, solumque numero nō frugi nati strenuis, optimisque exæquari præsumant, aut forte, quæ temeraria ignauis sæpè præsūptio, excellere tentarint. Sanctissimū iudico nullum fratres inter fratres priuilegium exambisse; nec tamē minùs æquum arbitror Principes superioresque vt gauderent priuilegiis, curasse: sic enim & in subiectis humilitas asseruata, & in Principibus prouidentia viget exculta, aliter detestanda confusio, & æqualitas inæquissima: quid enim absurdius, quam illiteratum de primatu cum sapientissimo contendisse? Quid ineptius quàm nullam superiorem nec meritorum nec virtutum habuisse rationem, & stupidis superbiendi occasiones procudere, & de ipsa æqualitate creare?

Vers. 10. Cúmque venissent ad tumulos Iordanis in terram Chanaan, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.

In Chaldæa Paraphrasi, *Gilghad* voci *tumulos* 5.
respondet, quæ vox terminos significat, vt iam Chaldaic.
vidimus. Idem habent Septuaginta: *Et venerunt in Galeloth Iordanis.* Symmachus reddit Septuagint.
ὄρια, Masius *aggeres.* Itaque in ipsis Iordanis Symmachus. Masius.
oris, aut certè planitie satis propinqua, cùm isti mirifica aduersus Deum pietate gestirent, sanctóque replerentur gaudio, quod salui onustique spoliis suas iterum domos & familias consalutassent, concordi animo constituerunt traditam à Moyse religionem, denuoque ab Imperatore commendatam modis omnibus tueri, & seruare: vtque nec beneficia memoriæ tempore elaberentur; imò posterorum gratitudo notis, certissimisque signis excitata duraret, aram ingentem in confinio construunt tanquam symbolum posteros monens eos omnes, qui cis Iordanem, & trans Iordanem sedebant, idem Numen, iisdemque sacris & religione, cùm semper coluisse, tumque exinceps venerari debere: nec non moles illa accepta beneficia sæcu-

 lis

lis euulgabat, ne perpetuis temporis adsultibus aut cumularentur memoria elapsa, aut ignorarentur inscita. Oportuit etiam ad sacratiorem Numinis plausum ingentem molem substruxisse, quandoquidem idolorum solemnia de pompa magnitudineque & sibi fidem venantur, & religiosiùs coluntur. Ita Tertullianus lib. de Baptismo cap. 2. *Idolorum*, inquit, *solemnia vel arcana de suggestu, & apparatu, deque sumptu fidem & auctoritatem sibi extruunt.* Ne stulta hominum væsania denegaret Deo, quæ idolis attribuit, substructionem illam, molemque omni studio vel ad nubes eleuarunt. Carebat igitur monimentum omni prorsus vitio; imò religioso animi scintillabat obsequio.

Tertullian.

Vers. 11. Quod cùm audissent filij Israël, & ad eos certi nuntij detulissent, &c.

6. Paraphrasis Chaldaica sic vertit: *Et audierunt filij Israel ad dicendum: Ecce construxerunt filij Ruben, & filij Gad, & dimidium Tribus Manasse altare.* Is in alienis defectibus credendis, euulgandisque hominum animis inest pruritus, vt Hebræi vltimam Iordanis oram habitantes & malè cultum illum interpretati fuerint, & reliquis continuò narrauerint. Non tam audierunt vt scirent, quàm vt suspecta tanquam certa errata multis imprudenter proferrent: quod singulari emphasi expressit Chaldæus, dum vertit: *Et audierunt ad dicendum.* Quasi nullus aliorum vel suspectas inaniter culpas audiat, vt mediteтur corde; sed vt buccinauerit ore. Nec minùs arcanè Septuaginta verterunt: *Et audierunt filij Israel dicentes: Ecce ædificauerunt filij Ruben*, &c. Quem auris sceleris rumorem excipiebat, iam lingua dearticulatum vulgabat: non solùm audierunt, vt dicerent; sed dicentes audierunt: quasi inter aurem & linguam nec interfuerit distantia, nec aliqua fuerit differentia. Incenduntur Israëlitæ suspicione atrocis illius casus aduersus fratres suos: iamiàque tumultuari videbantur, vt nomen suum tuerentur ac vindicarent: quasi gentes illæ ante Iordanem confidentes, Israëlis sibi elogium arroganter vsurpare voluerint. Ita Arias Montanus: *Cùm audissent*, inquit, *filij Israel, qui hoc nomine iam tumultuabantur, quòd ipsi filij Israel essent parati nomen suum vindicare, ac tueri.* Mirabar sanè tanto ardore religioni consulere; at ex Arias Montani sententia in pluribus erat specie religionis titulus; sed reuera ambitionis fastus. Masius boni hunc zelum consuluit, carpit tamen nimiam in credendo velocitatem: *Sicut vindicanda auita religionis*, inquit, *zelus laudem meretur maximam, ita quod parum exploratè cognitum habebant, id eos præcipiti existimatione prorsus condemnare, dignum profectò est magna reprehensione.* Illud equidem laude dignum est, quòd se sustinuerunt, collatisque in sacris illis comitiis sententiis de explorando priùs animo, ex quo iudicium omne pendebat, consilium prudenter satis ceperunt. Et quidem hic textus, ne vanis suspicionum auris temerè moueamur, exemplum nobis memorabile ac satis frequens proponit. An religio ferri, an spiritus gladio vindicanda sit, tractant interpretes; sed Deuteronomium lites disertis in illa veteri lege verbis præcidit. Controuersia ergo voluitur ad Euangelicam legem: in hac igitur plerique existimant solùm spiritus gladio pugnandum, nullúmque facibus, aut securi coërcendum; sed quo sensu hoc dicant, facilè relucet: mihi certè cum scopus legis sit veritas, pietas, & religio, ea omnia adhiberi, quæ pietatem nutriant, & impietatem exterminent, sanctissimum in vtraque lege videtur.

Chaldaic.

Septuag.

Quem auris criminis rumorem accepit, & lingua ad alios trãsmittis.

Arias Mont.

Masius.

Facilè aliena errata creduntur.

Vers. 13. Et interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazarì Sacerdotis, & decem Principes cum eo.

Causam priùs cognosci atque agi, quàm indiceretur bellum, lege diuina sancitum erat; quod hîc plurimum interfuit, ne expedito vrgeret innocuos magno vtriusque partis detrimento. Delectus ergo virorum vndecim decretus est, qui apud suos auctoritate vigebant, apud aliósque opinione etiam florerent: quique id munus non nisi maturè ac sapiēter apud vtramque partem peragerent. Phinees satis religionis zelotypus delegatur, vt causam religionis tractarit: interest namque plurimum eos selegisse viros rempublicam, qui & prudentiæ laude vigeant, & in negotiis tractandis dexteritate perpolleant: *Professionem constat esse iustitiæ*, scribit Attalaricus 8. var. 18. *legum peritos iudices ordinare, quia vix potest negligere, qui nouit, æquitatem: nec facilè erroris vitio sordescit, quem doctrina purgauerit.* Legis peritus dignè tractandis legibus delegatur, & zelo prudenti flagrans ad obseruantiam religionis decernitur: ne si fabrilia artis fabrilis indoctus tractarit, aut tempus terat, aut deterat quæ æstimanda. *Deligitur Phinees*, scribit Masius, *vir Leuitici & Sacerdotalis ordinis, summique Pontificis Eleazaris filius: præterea insigni, atque in commune vtili facinore edito tum clarus, tum gratiosus... illa enim virtutes ad res ipsas rectè tractandas componendásque vtilissima.* R. Kimhi decem primarios viros missos testatur, non quidem ad pompam, sed vt materiæ grauitas postulabat. Sanè vnius iudicio id generis negotia committere periculosa res est: etsi demus fortunatè rem successisse, vitare non possumus imprudentiæ notam, infelicisque sortis contingentiam. 7.

Vitio facilè non sordescit, quem scientia purgarit. Cassiod.

Cultus iustitiæ est peritos iudices designare.

Masius.

R. Kimhi.

Vers. 16. Dixerúntque ad eos: Hæc mandat omnis populus Domini: Quæ est ista transgressio, &c.

Absolutè transgressos affirmant, ne, si dubitanter protulerint, rei, de quo accusantur, improbè crimen denegarint: iudices ij Ecclesiæ se auctoritate delegatos esse fatentur, vt omni suscipienda veneratione mãdata afferre videantur. Et quidem Ecclesia, licèt omnino audienda sit; præcipuè tamen cùm religionis geritur causa. Quàm altè verò iudicum animis opinio illa de commisso in altaris structura flagitio insederit, dura illa expostulatio: *Quæ est ista transgressio?* Luculenter declarat: sic namque instituta est, quasi confessum & manifestum sit crimen, à quo tamen prorsus erant Rubenitæ, cæterarúmque tribuum Gentiles alienissimi. Et quidem magna superioribus, iudicibúsque in audiendis aliorum erratis opus esse cautela, locus hîc edocet: sunt nãque plurimi delatores, qui vt apud iudices, superioresve gratiam ineant, 8.

vel

vel leuissimo colore mouentur, aliorúmque facta non leuiter criminantur, quibus si Principum, superiorúmque pateant aures, plurima nascuntur incommoda, & in ipsorum audientium dedecus emergunt quotidie damna. *Videmus*, inquit Masius, *viros sanctissimos, quales fuit Eleazar Pontifex Maximus, Iosua Imperator, cæteri, ad falsissimas interim opiniones labi, & suspicionibus temerè incendi posse: nimirum homines sunt.* Nouerint qui dignitatis apice versantur vanis se suspicionibus incendi posse, ne primis rumoribus prudentiæ metas eruperint agitati iniustáque in innocuos arserint denunciatione commoti. *An parum vobis est*, inculcant, *quod peccastis in Beelphegor?* Non exprobrant hoc scelus, quasi his fuerit tribubus speciale; sed quia nec deterriti adeò graui pœna, nec vnquam deterenda infamia ea repetierint, quæ vel solo nomine incutere terrorem debuissent. Profectò qui aliquo nouo obscuratur crimine, obiurgationibus patet vel illorum, qui quondam antiqui sceleris extitere participes. Tribus Simeonis hoc piaculo obscurabatur præ cæteris; sed nihilominus his tribubus culpæ vertitur, & acriter vel à Simeonitis crimen sugillatur.

Masius.

Superior causè delationes audiat, nec facilè credat.

§. II.

Commentarius litera.

Vers. 19. Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad terram, in qua tabernaculum Domini est, *&c.*

9. NON eo hæc dicuntur, quia regio cis Iordanem ad diuina non pertinuerit promissa; sed ne errore delusi possessores ritibus aliis putauerint expiandam: mirè profectò scintillat procerum zelus, quandoquidem vltrò non exiguam de suis possessionibus partem offerunt, vt quod arbitrabantur, impedirent flagitium; nec enim frequens est aliena piacula propriæ commoditatis detrimento abstersisse, imò solitum propriis, & alienis piaculis incrementare commoda, adaugeréque peculia. Regio illa trans Iordanem, in qua sacrarium suum Deus collocarat, sacratior videbatur: eam ergo offerunt, vt si religionis zelus Rubenitas & alios vrserit, non prolabantur ipso imprudenter permoti zelo, vt potuissent scandalo. *Quod si putatis*, inquiunt, *immundam esse terram possessionis vestræ:* quasi dicant: si existimatis Deum non perinde vestram religionem atque nostram sua benignitate complecti, propterea quod apud nos habitare videatur, solum vertite, nostrísque sorte possessionibus provt vobis commodum vtimini: nostras enim possessiones vobiscum potiùs partiemur, quàm piacula negligamus: præclara equidem, & digna sacro cœtu sententia: conducibilius namque est angustiori possessione vti, quàm diuinam maiestatem peccatis exasperare: sine eius náque placiditate vel maxima dilabuntur: fauore tamen eius vel exigua prosperis incrementis augentur. Adde credibile fuisse plerásque tunc tribus nimis commodè non habitare, & quia loci aliud non patiebatur ingenium, & quia inimicorum illas resistenabat præsidium; & tamen gentem tum tribulium copia, tum pecorum multitudine amplissimam in suis sedibus, possessionibúsque recipere, vrbes agrósque partiri nec timide verentur, nec ambitiosè cunctantur.

Vers. 20. Nonne Achan filius Zare præteriit mandatum Domini, & super omnem populum Israel ira eius incubuit?

Non solùm pœnæ ob peccatum idololatriæ in Phegor persolutæ; sed etiam ob scelus Achan latæ memorantur, quo erratum amplius exaggerent, & delinquentes vehementius deterreant. Itaque à minori ad maius argumentum desumunt, scilicet si Achan cùm adeò occultum sacrilegium commiserit, non illum solùm extinxit pœna; sed in populum deseuiit etiam vindicta: quid futurum existimatis, si vos adeò ingens hominum copia adeò clarè & impudenter peccetis? Septuaginta sic hanc clausulam reddiderunt: *Nonne Achan filius Zare delictum deliquit ab anathemate, & in omnem cœtum fuit ira? Et hic vnus solus, non hic solus mortuus est in peccato suo.* Plures, inquiunt, vita mulctati sunt, honore victoriæ omnes ob vnius piaculum satis industriè tectum, & sine conscio commissum: ex vestro igitur scelere iam diuinas deflagrare iras prudenter nobis extimescendum est, quandoquidem tantæ multitudinis culpa, adeóque clarè in omnium oculis commissa, nam scandalum Deum alioqui in hominum errata iustum sic grauiter acuit, vt minimè inultum prætereat, aut leui pœna castigatum omittat. *Quid ex homine sæuius*, scribebat Chrysostomus hom 10. ad Corinthios, *qui ægrotantem verberat: est enim quauis vulnere grauius scandalizare, seu offensionem afferre: hoc quidem sæpè etiam mortem attulit.* Isidor. Pelusiota consonat lib. 1. epist. 83. *Huiusmodi hominem*, scilicet scandalis proritantem, *excindere oportet, ne alioqui pestem imitans corporis integritatem, & incolumitatem depascatur, suo videlicet dolore, his qui ab huiusmodi vitijs sani sunt, impacto.* Vitia publica sic nutantia hominum corda alliciunt, vt in participationem trahant, ad imitationémque quodammodò cogant: vnde Rubenitarum scelus grauius probabatur, & quia nullo secreto cautum, & quia in religionem commissum.

10.

Septuag.

Chrysost.

Scandalum vulnere peius & grauius.

Isidor.

Vers. 21. Responderúntque filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, *&c.*

11. Facultate afferendi pro se quidquid probabile facta incipiunt iam hæ tribus obiectas culpas refellere, animúmque construendæ molis pium ac sanè religiosum vulgare: fatentur quidem aram a se structam, sed legitimè, alia scilicet cogitatione, qua substruxisse censebantur: neque enim illorum studium erat patriam religionem violare, aut alienos ritus intrudere; imò cùm domum feliciter reuersi grato animo in Deum gestirent, sic affectos erexisse aram æternum Numinis beneficiorum indicem, ac à se obseruatæ religionis testem. Inculcant illa verba: *Fortis Deus Dominus, fortis Deus Dominus*, quia ipsa nominum congeries maximùm per se habet

bet pondus, & quia cùm per anadiplosin repetuntur, quamdam orationi energiam adhibent. Ergo iusiurandum, quo Deum appellent, vnanimes proferunt, vt innocentiam suam asserant: & quidem sacramentum adhibere fas est, cùm factum aliquod incertum, & suspiciosis hominibus clausum; imò reuerenter Dei vsurpasse nomen in grauibus, iustisque causis, & religionis est cultus, & fidei fastus; in leuissimis verò causis Deum continuò appellare, præter tanti Numinis aliqualem irreuerentiam periurij periculo sæpè expositum, legéque damnatum. Miranda profectò accusatorum modestia, qui licet grauissima de re vanis suspicionibus appellarentur, nec supercilio responderunt, nec contribules mutuis probris, aliisve memoratis piaculis dehonestarunt; sed sereno animo, vt inuiolatam decebat conscientiam obiectionibus satisfecerunt, quidque illâ arâ intenderent, pacate explanarunt, scilicet Numinis amorem æternare, & memoriam beneficiorum sequentibus indere. *Amore Principum*, scribebat Attalaricus Reg 8. var.2 *constitutum est, vt simulacris areis fides seruaretur imaginis, quatenus ventura progenies auctorem videret, qui sibi rempublicam multis beneficijs obligasset.* Itaque illorum animus is erat, vt ara vti monimento contra temporum adsultus firmo posterorum, & excitaretur memoria, acceptorumque beneficiorum nulla obliuionis beneficiatos deuigraret iniuria: *Admiranda est*, scribit Masius, *sanctissimorum virorum modestia, qui nulli cum indignatione, nullo mutuo conuitio; sed placide, quam e sedulé refellunt atrocissimum crimen, à quo tam fuere alieni, vt ea ipsa molitione, qua in illam suspicionem inciderant, ipsum à se, atque suis in perpetuum posteritate auertere prohiberéque essent conati.* Iam quo animo id fecerint, apertiùs declarant. *Cras dicent filij vestri filijs nostris: Quid vobis & Domino Deo Israel? Terminum posuit Dominus inter nos & vos, ô filij Ruben, & filij Gad Iordanem fluuium, & idcirco partem non habebitis in Domino. Et per hanc occasionem auertent filij vestri filios nostros à timore Domini.* Suspiciosi homines illi suspicionibus etiam denigrantur, & dum peiora de Rubenitis credunt, de seipsis, aut saltem de illorum posteritate iactantiam ambitiosam, religionique aduersam à Rubenitis præsumptam audiunt. Itaque molem ædificant, quòd timeant in superbiæ fastum verum Deum sibi solis Hebræos vltra Iordanem iacentes arrogaturos, fratrésque suos Iordane intercisos, quasi religionis eiusdem minimè participes excludendos. Cupiebant ergo Rubenitæ, aliæque tribus, vt eadem omnium æternaretur sententia, quantumuis terra Iordanis fluctibus distaret diuisa: vt repetere posset ille:

Vox diuersa sonat, populorum est vox tamē vna,
Cum verus patriæ diceris esse pater.

Nec imprudentes id verebantur: ea namque humani ingenij leuitas, eaque discordiæ & contentionis libido insidet humano cordi, vt non rarò aut vera rerum cognitio despiciatur, aut in falsam detorta opinionem improbe constupretur, tunc scilicet præcipuè, cùm quis laudem, specialeque decus sibi ex aliorum despectu flagitióque augendum præsumit: hinc ortæ illæ Ægyptiorum, Scytharumque de antiquitate contentiones, aliarúmque gentium dissidia. Timuerunt ergo Rubenitæ, ne aliarum tribuum Gentiles dum veræ religionis gloriam vendicare sibi contendunt, ipsos veluti religionis exortes superbè excluserint, nec in eiusdem cultus communionem admiserint: quapropter in posterum prouidentes sibi præcauent, aráque structa discordiarum causam præcidunt.

Cassiodor. *Simulacro fidei protestatio est asseruanda.*

Masius. *Iusti nec de fama ob conuitia turbantur.*

Martial in amphith.

Vers. 29. Absit à nobis scelus, vt recedamus à Domino, *&c.*

Conclusio est continens inficiationem criminis, ea qua fuerat ratione obiectum: nec solùm se obiecta macula liberos probant; sed summa detestatione illi crimini aduersos ostentant: vox enim Hebræa à Rubenitis nunc vsurpata denotat obiectum piaculum vti diram atque atrocem rem animitus abhorrere, & prorsus abominari. Altare Domini Dei nostri vocant ante tabernaculum structum, quia in eo solum fas erat sacrificare: erat autem constructum ex setim lignis ære obductis, vt 27.& 38. Exodi traditur. Est etiam res sacris litteris testata præter aram, de qua hîc mentio, cruentas ad victimas structam, fuisse alteram intus in tabernaculo de lignis etiam setim; non tamen ære, sed purissimo auro incrustatam. Notabam cùm non solùm crimen hoc obiiciatur tribui Ruben, & Gad; sed & dimidiæ Manasse tribui, timuisse solùm, vt videtur, Rubenitas & Gaditas immeritò se à religionis, cultusque communione excludendos: *Cras dicent filij vestri*, inquiunt, *filijs nostris: Terminum posuit Dominus inter nos & vos, ô filij Ruben & filij Gad.* Hîc de Manassensibus tacetur, nec sine arcano, cum dimidia namque Manasse tribus cis Iordanem, & altera vltra Iordanem iaceret, sanguine adeò coniunctos non putarunt Rubenitæ ab alteris excludendos: sibi ergo vtpotè ex affinitate non iunctis in posterum præcauent, & constructa ara muniuntur. 12.

Vers. 30. Quibus auditis Phinees Sacerdos, & Principes legationis Israel, qui erant cum eo, placati sunt.

Responsio lenis frangit iram, & verba placida animorum fluctus tranquillauere superbos: audierunt Principes, quæ pro se tribus illæ afferebant, quámque ingenuè, quámque probabiliter se excusarent videntes, non putarunt motosius instandum; imò exemplo illis credendum. Quo exemplo admonemur, vt si qua proximorū facta dictave suspiciosa censebantur, si idoneæ probabilesque afferantur excusationes, exinceps nullatenus sugillentur: nullum namque hominum genus perniciosius est, quàm illorum qui ea semel concepto iudicio firmitudine hærent, vt abduci se non patiantur. Et quidem eorum præcipuè, qui publicas res administrant, animos ab omni contentione, & simultate prorsus alienos, verique tantum studiosos esse oportere, textus hic docet: nam si Phinees & alij Principes obstinatè coniecturas suas fouissent, fratres fortassis alioqui religiosos & pios exasperassent. Dominum inter eos habitare fatetur Phinees exertè, agitque gratias quod inde oriatur auxilium, vnde timebatur scandalum. Reuersi ergo Principes quæ cognouerant, cœtibus retulerunt, qui omnes eadem placiditate audientes Deo egerunt gratias, qui innocentes honorat, 13.

&

Chaldæus. & benè facta tuetur: *Vocauerúntque filij Ruben & filij Gad altare, quod extruxerant: Testimonium nostrum quòd Dominus ipse sit Deus.* Chaldaica paraphrasis, *testem altare*, id est eiusdem religionis æternum monumentum, ac irrefragabile testimonium. Est etiam rursus hic laudanda istarum tribuum sedula cura, qua posteris prouident, magnáque constantia, qua aduersus vanos rumores benè cœptis insistunt. Eo nomine Deum exprimunt, quo vnicum, summum, omniúmque creatorem omnibus exertè testentur, suamque aduersus ipsum pietatem acriùs semper inflamment, & viuidiùs prolectent.

---

§. III.

Obedientiæ resplendet pompa, si ad sibi iucunda cunctantior, ad aspera sit celerior.

14. *Ambitus propria, & aliena laborat inuidia.*

HVmanum ingenium ambitione concarnatum, vanitate delibutum, adglutinatum superbia est: nil adeò cæca fugit mortalitas vt parere, nil ardentiùs appetit vt regnare: plures sibi subiectos adspicere non adeò voluptati est, vt dolori sustinere præeuntem, pati excellentem. *Relinque*, monebat Seneca epist. 85. *ambitum: tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum, tam solicita est, ne quem ante se videat, quàm ne se post alium: laborat inuidia, & quidem duplici.* Aliena homo vritur præcedentia, torquetur gloria: non sustinet parem, quia ambitiosè anhelat habere omnem hominem inferiorem: nec Adamum sustinuit Eua, sed regnandi impatiens maluit imprudenter gustu arboris deperire, quàm vel vnico Adamo parere. Hinc obedientiæ quanta sit virtus clarissimè patet, quando insitus arrogantiæ stimulus humana præcordia indesinenter arrodit. *Obedientia*, aiebat Gregorius lib. 35. moral. cap. 10. *victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro; per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citiùs placat, quantò ante eius oculos repressa arbitrij sui superbia gladio præcepti se immolat.* Ingeniosè dixit *gladio præcepti*: præceptum namque multis instar ancipitis gladij est, non quia rem operosam iniungat, sed quia præcipientis excellentiam iussionis testimonio declarat. Magna obedientiæ virtus, quæ vel Christi Domini valuit acerba vulnera passionis tempore commendare: *Factus obediens vsque ad mortem*; verùm etsi omnis obedientia rutilis de animitus subiectione luminibus scintillet; illa tamen tota perfectionis pompa resplendet, quæ ad sibi ingrata ambitiosiùs decurrit, ad iucunda verò lentioribus vestigiis contendit. Rubenitæ se primam contra hostes aciem munituros Moysi promiserant, Iosue pactum retulit in memoriam, vt citaret vrbanissimus obedientiam: *Mementote sermonis, quem præcepit vobis Moyses famulus Domini dicens: Transite armati, &c.* Ardua res dubiis se certaminibus obiecisse, charasque coniuges, dulcem prolem, ruraque, fertilitate gratissima interuallo prolixo temporis deseruisse. Audisti monitum, animi expromptitudinem demirare: *Omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus, & quocumque miseris, ibimus*: promissionis memoriam intulit, non ipse denuo imperauit: insinuauit pactum, non iniunxit præceptum: memoriam exciuit, illos iussionibus non grauauit; verùm sic ad Ducis placitum se morigeros ostéderunt, vt voluntatis insinuatio adinstar præcepti fuerit. Non ingeminauit Moyses mandata, non Iosue iterum dedit præcepta; semel iussi ea deuotionis alacritate adeunt discrimina, qua possent ambire præmia. Detriumpharunt feliciter hostem sub obedientiæ vexillo adscripti: *nam vir obediens loquetur victorias.* Iam liberata pactionis fide, munere expleto ad propria mittuntur; sed ingeminatis iussionibus, multiplicatis præceptis. *Vocauit Iosue Rubenitas & Gaditas, & dimidiam Tribum Manasse, dixitque ad eos: Fecistis omnia, quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis, nec reliquistis fratres vestros longo tempore vsque in præsentem diem: reuertimini, & ite in tabernacula vestra.* Bis iubet. *Reuertimini & ite*, & quidem celebratis nuper elogiis ingeminatis ad speciem aduersatur præceptis: nam si adeò morigeri vt ad solam Ducis insinuationem despectis aduersariorum mucronibus primos se certamini offerant, quid ingeminata iussione opus, vt lares sibi dulcissimos repetiuerint? Adeò laboriosum est fœminarum insanis sumptibus, ingeniisque ventosissimis inseruire, vt facilius fuerit hostium adsultibus subiacere: adeò est arduum familiæ opportuna prouidisse alimenta, vt minùs vires grauarint arma? Quæ gestire debuissent, cunctantur, & quæ cunctari liceret, gestiunt? O sæculis deprædicanda obedientia! Cùm patriam deserere, ab vxoribus, filiisque separari iubentur, adeò exprompté obtemperant, vt vel insinuationi præcepti pareant; cùm verò grata sibi imperantur, lentiùs obsequuntur, in vtroque perfecti, & quia morantur ad sibi grata, & quia inuolant ad acerba: si dura minus exprompté adirent, de animi reluctantia obedientiæ laudem corrumperent; si iucunda lubentiùs amplecterentur, se parendi gloria fraudarent: quia sequerentur potiùs ambitum, quàm exhibuissent obsequium; ad dulcia verò lenti, & ad iniucunda pennati suam meritorum luminibus cumulauere obedientiam: quia obedientiæ micantior pompa est obsequi cunctanter iucundis, incunctanter acerbis. Opportunè laudatus vbi supra Gregorius: *Cùm huius mundi successus præcipitur, cùm locus superior imperatur, is, qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Nec enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitæ prospera libidini propriæ ambitionis inseruit. Rursus cùm mundi despectus præcipitur, cùm probra adipisci & contumeliæ iubentur, nisi ex seipso animus hæc appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, quia ad ea, quæ in hac vita despecta sunt inuitus descendit.* Gloriæ ardor, vtilitatis ambitio, dignitatis amor alas sæpè cupiditatis impellunt: qui ad hæc iussus lubenter inscendit, vnam ab ambitu alam, alteram mutuatus est à præcepto: qui verò cunctatus, cupidinis prorsus extinxit pruritum, ac illibatum exhibuit obsequium. Benè ergo Rubenitæ aspera semel moniti, iucunda adiuerunt bis iussi: *Reuertimini & ite.* Nam de mora & promptitudine adulati sunt obedientiæ.

Seneca. Ambitus nullo termino cingitur, nullo augmento satiatur.

Gregor. Durius obedientia gladius ferit superbiã, quàm ferrum præcidat vitam.

Iosue 1. v. 15.

Prouerb. 21. v. 28.

Gregor.

Age,

15. Age, & thesim opportunis suffulciamus exemplis. Deus Abrahamo rem imperat difficillimam, vnici pignoris holocaustum, ne vel dolorem solarentur reliquiæ, dum vel cineres
Gen. 22. v. 2. vorant flammæ: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac*: præceptionem non inhorruit, obsequium gemitibus non fœdauit; sed magis, quo deuotioni pareret, lætabatur hoc iussisse Deum: celeri pede incertam contendit ad metam, nec solùm oblaturus intrepido ferro properat filium; sed expansis oculis sacrificij locum vestigat: inuenit tandem, nec enim quæ dolorem ingerunt, longè dissita, vt neque quæ gaudium peperere, vicina: omni mysterio disposito pater armatam ferro subleuat manum; sed vox eius, qui victimam postulauerat, contradicit: nec enim quærebatur sacrificium sanguinis; sed amoris: *Non extendas manum tuam supra puerum, neque facias illi quidquam*. Vel Angelus ad speciem discriminis adspectu obturbatur, sed quid multiplicet præcepta, vt auertat discrimina? *Non extendas*, inquit, *manum tuam suprà puerum*; hoc deuotioni necessarium; *sed neque facias illi quidquã*, iterum inculcare superfluum: nam si vnica præceptio: *Tolle filium tuum*, satis fuit ad sacrificium parandum, quid non sufficiat ad innocentem soluendum? aut incrementet iugulationis præcepta, aut insinuet tantùm solutionis mandata. O sapientiam immortalem! Proponit orbis theatro Abrahamum eximiæ obedientiæ exemplar, vtque micantiùs rutilet, semel imperat mactationem, bis inclamat liber-
Seleuc. tatem. Audi Basilium Seleuciens. orat. 7. *Ruentem ad iugulum feriendum dexteram desuper tenet, ingeminat vocem, vt manum comprimat*. Multis antea athletam suum virtutum experimentis velut in palæstra eruditum, ad immensos labores iugulationis hortatur: *Tolle filium*, quos adeò ambitiosè optimus pater suspirat, vt præceptionem adimpleturus pernici volatu contendat: cùm filium reddit, naturæ adulatur, & amori blanditur Deus; verùm masculus Abrahami animus, ne vlla cupiditatis amorisque in parcendo puero iussis admisceretur adfectio, sic properat iugulare, vt duplici retardetur præcepto: extra humanæ consuetudinis metas versatus, ad aspera fræno, ad dulcia calcari indiguit: *Ingeminat vocem, quo manum comprimat*: sic cum Abrahamo se gessit, ne charissimam sibi victimam gladio deuotus feriret, ac cum Paulo, ne Dominici gregis sanguinem temeritatis furori litaret. Ingeminat vocem, vt Paulum arceat, ingeminat etiam, vt manum comprimat; cùm cæteris ad ingrata necessum sit adhibere præceptionis calcaria, ad iucunda iniicere fræna, Abrahamus ad aspera indiguit frænis, ad iucunda calcaribus: *Ingeminat vocem, vt manum comprimat*; non ingeminat, vt in filij iugulum acuat: quod obedientiæ sumptuosiùs elogium est, quandoquidem adeò in aduersis deuota, vt Dei iussis etiam ex desiderio emicuerit coniuncta, in prosperis verò adeò ambitione prorsus aliena, vt nec vestigio cupidinis obscurata.

16. Producamus etiam huius veritatis testem Dauidem. Goliath præ corporis mole timiditate superbus, superbiæque fastu immeratè turgidus populum execrandis maledictis onerabat, & indecoris execrationibus affligebat. Saul proposito victori præmio militum animos ad certamen gestit accendere, nullum tamen auderet pugnæ peculiariter designare: cúmque nullus è toto exercitu probaretur satis, essétque Israel in expectatione seruitij, Dauid ætate puerulus; sed zeli ardore maturus prouocationem pugnæ ad se rapit, & conflicturus cum elationis monstro in arenam animosus descendit: *Ego seruus* 1. Reg. 17.
tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum. v. 32.
Vides animi ad conflictum expromptitudinem, vide etiam ad regales nuptias morositatem. Saul nuncios delegat, qui regalem torum suadeant: *Esto gener Regis*: verùm ægrè persuade- 1. Reg. 18.
tur, & paupertatis excusationes prætendit: no- v. 22.
luit è mapalibus ad regium inuolare thronum: veritus ne è tanto fastigio irremediabilem maturauerit casum: Saul iterum delegat nuncios, se præ diuitiis animi strenuitatem ducere contestatus: *Non habet rex sponsalia necesse*. Bis ad nuptias inuitatus præ animi moderatione respuit, cùm vltroneus se gigantis certamini obtulerit. O rudem vbique pastorem! In aperta discrimina vel non vocatus ardenter inuolas, & adeò inuidiosa recusas commoda. Certamen iniussus rapis, & bis inuitatus regales honores respuis? Regis vota filiæ societatem exambiens ciuilissimus anteuerteres, prælij conflictum vel iussus non imprudens detrectares, & sic inuertis ordinem, vt pericula inconsultè exambias, & purpuram inconsultiùs fastidias? Dauid profectò vtrobique gloriosus, & exactè obsequentissimus: satis fuit regem desiderium suum proposito præmio indicasse, vt non solùm obsequi, sed animi promptitudine in duris gestiuerit adulari: satis non fuit inuitari semel, vt honores ambiret: honorem throni non adulterauit cupidinis ambitu, nec certaminis gloriam metu. Accipe Basilium Isauriæ Episcopum orat. 16.
Sponsaliorum legatos mittit... sed Dauid non Basil.
auidus in domum inuolat. Quin potius præ animi moderatione regias nuptias repudiat. Regi obedit connubia celebrans, sed semel & iterum inuitatus, Regi obedit pugnam iniens; sed sola indicatione voluntatis allectus. In asperis Saulis anteuertit desideria, in prosperis expectauit mandata, ne hîc patendi gloriæ quid derogaret ambitiosa cupiditas, aut ibi meticulosa morositas. Huc voco Tertull. aduers. Psychic. cap. 13. *Meum est officium vltrò facere Domino; sic indicare illius. Non tantum ei obsequi debeo, sed adulari*. Adulator curiosè potentium desideria rimatur, quo illis morem gerat, & gratiam obsequiis ineat. De peruersa ergo adulationis schola honestè hanc Dauid mutuatus est artem: non expectat iussa; sed venatur desideria, & anteuertit executione mandata: obsequendi norma in asperis vel nutui alacriter paruit; commoda vel inuitatus honestè respuit. *Præ animi moderatione regias nuptias repudiat*; ad certamina tamen alatus inuolat.

Signum magnum apparuit in cœlo mulier 17.
conspicuis Solis splendoribus induta, non vt aliæ probrosis lapillorum luminibus adornata: filium peperit, qui statim ad thronum raptus:
Raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum Apocal. 12.
eius: hîc idem cùm librum arcanis mysteriorum v. 5.
nodis clausum nullus reserare quiuisset, celeri
gressu explicaturus contendit: *Et venit, & acce-* Apoc. 5. v. 7.
pit de dextera sedentis in throno librum, & cùm aperuisset librum. Librum reserat, ad thronum rapitur: & quidem hoc non de sæculi more veni. Per libri apertionem passionis testantur

Doctores

Doctores designari tormenta, adstipulantur cœlites conclamantes : *Redemisti nos in sanguine tuo.* Verùm si adeò obsequens libri dissoluit signacula ; cur ad speciem reluctans celsitudinis inscendit culmina ? Idem ad solium inuitabat & librum : si ergo librum accipere celeri volatu, vt obsequeretur, contendit, cur thronum fugit ? O benè ! Violentia thronus quodammodò inscenditur, & liber honesto ambitu adaperitur. Dominus vestigia nobis sequenda premebat, vtque obedientiam cumulet, ad thronum rapitur, libro accedit : fulgurabat in throno gloria, in libro passionis deterrebat infamia: sic ergo lubenter amplexus est ignominiam, vt nec reluctantiæ vmbra obscurarit obedientiam: adeò purè vt obsequeretur, honorem admisit, vt throni nullatenus ambiuerit gloriam.

Rupert.

Librum, exponit Rupertus hîc, *siue igneam legem accepit de dextera bonum exemplum cunctis præbens discipulis, & credentibus in se nihil diuitiarum aut gloriæ voluit, aut quæsiuit in hoc mundo... tantummodò librum de dextera dignatus est accipere.* Librum accipere solicitat, thronum vitare anhelat in vtroque perfectus, & quia ad prospera sibi cunctatior, & quia ad acerba celerior. Disce moram prosperis, disce celeritatem obsequuturus aduersis.

---

§. IV.

Cui subiectorum curæ sunt commoda, libenter præstantur obsequia.

18. QVi laboriosam regiminis artem tractant, non semel eo illaqueantur errore, vt putent de turgido elationis supercilio, de iaculante flammas voce, de aspero, intractabilíque ingenio lucrari sibi venerationis plausum, cùm humanitas expromptæ potiùs voluntatis lucretur obsequium : præstabit subiectus aspero intractabilique Principi obedientiam; sed coactus, & quam effugere aut detrectari non possit inuitus. Dissimulabit sæpe conscientiam claris adhuc præceptis pulsatam: tam longè erit, vt coniecturis adimpleuerit notam. Superior, cui subiectorum commoda curæ sunt, adeò sibi deuincit affectus, vt inter subditos obsequendi certamen fit, nec tantum gestiant obsequi, sed exambiant adulari. Ipsa solicita erga subiectorum commodum cura, superioris est reuerentia, obsequentiorique applicatur cultui, quidquid inferioris seruit profectui : à noxia & intractabili fera certatim omnes diffugiunt ; sydus benignum intentis respiciunt oculis, & gratis venerantur affectibus. O quàm bene scribebat Theodericus

Cassiodor.

Rex 1. variarum 4. *Quidquid in vobis festiua gratulatione conspicitur, nostris verè laudibus applicatur.* Supercilium frontisque rugositas, iracundáque semper toruitas dum terrore subiectos percellit, dediscere cogit obsequium & animitus auersari seruitium. Quàm bene Seneca

Seneca.

epistol.47. *Superbissima consuetudo cœnantem Dominum stantium seruorum turbâ circumdedit, & ille plusquam capit, & ingenti auiditate onerat distentum ventrem, ac desuetum iam ventris officio, vt maiore opera omnia egerat, quam ingessit; at infelicibus seruis mouere labra, ne in hoc quidem, vt loquantur licet : virga murmur omne*

Seruis nec fortuita licent.

compescitur, & ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus, magno malo vlla voce interpellatum silentium luitur, & nocte tota ieiuni, mutique perstant. Audi attentiùs quæ addit : *Sic fit, vt isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet.* Dominorum obscuratur honor, dum incussus famulos vexat timor ; nam quæ boni consuleret deuotus affectus, carpit, & in publicum arrodit recruciationis pruritus. Quisquis subiectorum exprompta desiderarit obsequia, illorum prouidè procurauerit commoda : crescit de gratitudine officium, lentiùs fortè de obligatione nasceretur obsequium. Iosue Rubenitis, Gaditisque ante fratres imperat exercitus frontem munire, primúmque hostilis furoris impetum sustinere : res sanè ardua præcipuè diuitiis iam exundantibus, nidulósque commodissimos possidentibus ; resplenduit tamen deuotius de difficultate obsequium, ac de celeri exactione seruitium. *Mihi in omnibus obedistis, nec reliquistis fratres vestros longo tempore vsque in præsentem diem.* Ecquid illos confertos hostium mucrones despicere, vitámque edocuerit contemnere ? Agnouisse profectò ducem illorum summopere commodis vigilare, incrementisque auidissimè prouidere. Inter alia in hoc ipso capite testatur id solertissima Iosue cura : confectis nanque iam bellis nulla appellatione citatus, nullo supplici libello præmonitus ad sua remitti laudibus honoratos, congiariisque redire curauit onustos. *Reuertimini & ite in tabernacula vestra.* Cui ergo subiectorum curæ erant commoda gratanter quantumuis difficillima præstabantur obsequia. *Auxiliaribus copus*, scribit Arias Montanus, *opportunè, honestéque dimittendis consuluit, nec verò id monitus vel oratus; verum ipsemet vltro faciendum esse cognoscens.* Ipse apud se subiectorum erat curator, ipse supplex libellus, ipse anteuertebat solicitus vota, & complebat prouidus desideria: illi etiam amoris stimulis incitati, calcaribus gratitudinis impulsi vrgentissima vorabant pericula, vt exprompta exhiberent obsequia. Redeat iterum Seneca 1. lib. de clement. cap. 3. *Illius magnitudo stabilis, fundatáque est, quem omnes tam supra se esse, quàm pro se sciunt, cuius curam excubare pro salute singulorum, atque vniuersorum quotidie experiuntur. Quo procedente non tamquam malum aliquod aut noxium animal è cubili prosiliret, diffugiunt; sed tamquam ad clarum ac beneficum sidus certatim aduolant obycere se pro illis mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem struendum sit. Somnum eius nocturnis excubys muniunt, latera obiectis circumfusique defendunt, in currentibus periculis se opponunt.* Quidni se periculis opponant, quando in Principe & illis auxiliandi potentia, & coæua noscitur potentiæ cura.

Arias Mont.

Seneca.

19. Christus Dominus sub pastoris ænigmate reddi sibi à gregibus deprædicat obedientiam : *Oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas :* vel rudes pecudes vt ad cibum, ad audiendum prosiliunt verbum: vocem eius audiunt : expromptissima illarum lucet obedientia cum imperio vocis coniuncta. Ecqua huius causa ? Retulit Lucas perditæ illius eius historiam eleganter depingens : abducta fuerat à cæterarum consortio noxiæ volu-

Ioan. 10. v. 3.

pratis prurita, illusorióque pratorum efflorescentium adspectu. Animaduertit abesse pastor, & anxiis inquisitionis laboribus eius nititur consuluisse saluti, sibique de inuentione gratulatus lassam ad ouile reducit humero impositam. *Cum inuenerit imponit in humeros suos gaudens.* Propriæ fatigationis dispendio ouem alleuat, & grato onere humeri laborant attriti, quia ouis pedes confragoso de itinere lassi. Oues ergo certatim vocem pastoris audire contendunt, quia solicitam eius curam clarissimè agnoscunt. *Errat & vna pastoris ouicula*, scribit Tertullianus lib. de pœnit. cap. 8. *sed grex vna charior non erat: vna illa conquiritur, vna pro omnibus desideratur, & tandem inuenitur, & humeris pastoris ipsius refertur: multum enim errando laborauerat.* Laborem subleuat, ægritudinem medicatur, humeros defessæ supponit. Quid ergo mirum vocem eius auidè audierint, & sitienter adimplerint. Iam quid sit oues vocem audire, educique, accipe à Chrysostomo hom. 58. in catena. *Oues educebat, quando eas mittebat non extra lupos; sed in medio luporum.* In ignes, in lanienam, in cultros mittuntur oues, nec pauitant, vt iussionem pastoris impleant, quia illa in humeros subleuationis humanitas sine violentia cogit, & sine coactione valenter impellit. Dum subiectorum commodis studiosè incumbit superior, & subiectus vel arduam difficilémque obedientiam adimplet expromptior.

Luc 15. v. 5. — Tertullian. — Chrysost.

20. Centurio ille, qui plus pietatis radiis, quàm dignitatis in Euangelio rutilat splendoribus, cùm pro impetranda serui salute Christo appropinquat, seruorum obsequelam mirè commendat: *Ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit, & alij veni, & venit; & seruo meo: Fac hoc, & facit.* Diuersa mandata eandem nacta sunt seruulorum obedientiam: nec miles truculentus ferocia respuit, nec mandatum seruus extraxit. Ille indicat, & illi properant: gestiunt omnes expromptitudine adimplere mandata, adaugeréque de studio adnituntur obsequia. Ecqua huius causa? An quia profanis exactius obedientia præstatur dominis, quàm Numinis iussis? an quia docuit stipendium, quæ non suasit virtutis lucrum? Minimè equidem, sed omnes morem centurioni lubenter gerebant, quia ille subiectorum commodis vigilabat. Legatos mittit, Christum adit, deponit supercilium, humanissimè exorat. His ergo studiis negotiabatur obsequia, quia his studiis deuinciebat animos, & honestè captiuabat affectus: *Pro seruo legationem obit*, scribit Basilius Seleuciensis orat. 19. *neque seruum spreuit per ægritudinem corpore distabescentem, non serui contempsit adflictationem herili fastu turgens, neque præ voluptate, quam ex numeroso satellitio capiebat pueri immobilis oblitus est; verùm obibat inuestigans periculo remedium:* Centurio non minus solerter remedium inuestigauit serui, ac Archisynagogus filiæ: satellitio ergo numeroso cingebatur, quia pueri immobilis non oblitus, sed salutis studiosus. Satagebant omnes obsequiis sibi dominum deuincire, quia videbant dominum seruorum commoda procurare. Si paralysis torpentis oblitus, fors & satellitio viduatus; gaudent namque omnes suis in domini obedientia adulari spebus, inseruiréque vtilitatibus.

Matth. 8. v. 9. — Basil. Seleuc.

21. Animi sæpius longa meditatione perpendi cur Nabuchodon. non in procera illa arbore; sed in statua aurea ambiuerit adorari: somno intuetur statuam auro rutilam, & proceritate superbam; metas verò fortunæ supergressa ictibus patuit fortunæ: lapillus absque latomi operis monte excisus luteos percussit pedes, ne altius vanitatis gressibus auolaret. *Fecit statuam auream.* Ipso laborauit remedio, & quæ somnia reprimere sumptum conabantur obiecta, adauxere fastum adulterata. Adorare cogit aurea mole constructam imaginem: errauit væsania tumidus, & arrogantia væsanus; verùm nescio quid in hac statua dignum veneratione relucet: vidit luteos pedes primum lapidis sustinuisse ictum, & de auro pedibus procurauit remedium: totam statuam ex auro molitus est, & quò vestigiis imminentia auerteret vulnera, auri dispendio nisus est firmare vestigia. Qui ergo nec pepercit sumptibus, vt vestigiorum occurreret ictibus, à subiectis colitur, & faustis acclamationibus vsque ad diuinitatem effertur: errauit cultum diuinitatis exambiens: non adeò errasset, si eximiam vti prouidentissimo Principi tribui sibi venerationem ambiisset. *Non ipsam,* inquit Theodoretus quæst. 3. *ex auro, argento, ære, ferro ædificat; sed ex vna auri materia conficiendam curat, ratus infelix iste falsas ostensurum se Dei prædictiones.* Pedes periclitabantur testacei, & quando infima iras potentium non sustinuerunt? quando ictus in aurum directus luto non exceptus est? Capitis culpa ad vestigiorum sæpè redundat pœnam. Amenter se Deum credidit, se de pedum prouidentia Principem optimum declarasset: omnes adorauere statuam, nec minus capitis allexit splendor, quàm pedum suaserit nitor: Arbor quantumuis procera non adoratur, quia etsi torosis securis ictibus rami præcisi, nil fecit, quo prouidè periculis obuiaret; folia dispersa, fructus auulsi, totum præter radicem arboris corpus repetitis ictibus trucidatum: nec resonante monte, nec gemente ligno, nec aëre ictibus sibilante oculos somno immersos deduxit; sed plumeo lectulo ignauus dormiuit. Arbor ergo non colitur, & aurea statua adoratur. Amor & paternus erga subiectos affectus vel impiam adorationem suasit: quidnì cultum debitum persuasisset? Errant profectò qui sibi adorationem conciliare cupientes, fastidioso supercilio, limísque oculis intuentur, vocis adfectant ferociam, oris toruitatem, officiis namque promeretur affectus, de affectuque erumpit expromptior cultus.

Dan. 3. v. 1. — Theodoret.

22. Magus puerum videt pannosis fasciis constrictum, ignobili præsepio iacentem, lachrymulis genas irrorantem, & tamen tota animi alacritate excolit & adorat: *Procidentes adorauerunt eum.* Et cur Magus adoret, quem nondum nouerat? Ipse equidem ait: *Vidimus stellam eius in Oriente.* Syderis pulcherrimo fulgore depellit puerulus tenebras, prodit splendenti lingua fallaciam, Magos blandissimis radiis allectat, comitatur itinere, vitare docet errores, securos lumine signat gressus, excubias agit, quo placidius ipsi ceperint somnum, nec extimuerint periculum; dum ergo vident recèns natum illorum accuratè adeò gessisse causam, solerter adeò prouidisse saluti, alacri immolant, & substrati ad pedes adorant. *Sic viam temperat*, audis Chrysologum serm. 156. *vt Magorum seruiat*

Chrysolog.

uiat & mittatur ad gressum, nam ambulante Mago stella ambulat, sedente Mago stat stella, Mago dormiente excubat stella. Officiis allicitur vt adoret paruulum, qui fortè lapillorum luminibus fulgurantibus colere non suaderetur superbum. Si placet altiorem à Chrysologo sensum eruamus. Magos notat opportunis syderis officiis allectos, famulatu obsequiosissimo ductos alterius nuncupasse, nec diuinitate stellam prædictam credidisse. *Vidimus*, clamant, *stellam eius* grandiusque de ipsis, quàm de sydere testatur radiare mysterium. *Plus caleste de Magis, quàm de stella signum est*, & quare? *quia ambulante Mago stella ambulat, sedente Mago stat stella, Mago dormiente excubat stella... & stellam iam non Deum credit, sed indicat esse conseruam, quam cernit taliter suis obsequiis mancipatam.* Superioris placiditas, solers de subiectorum commodis prouidentia, prouida subueniendi necessitatibus cura, adeò affectus rapit, adeò animorum venatur obsequia, vt exaggeratius miraculum fuerit, Magos huiusmodi sydus non adorasse, quàm ipsum insolito iubare refulsisse. Cernere stellam splendenti conspicuam lumine, aëris celsam fastigio suis adeò mancipatam obsequiis, vt nullam aliam videatur curam gerere, nec adorare, peregrinius erat miraculum, & stupendum prodigium. *Plus caleste de Magis, quàm de stella signum est, Deum non credit, quam cernit taliter suis obsequiis mancipatam.* Tantùm ad lucrandos affectus, deuinciendósque subiectorum animos valet superioris cura, tantùm erga subiectorum vtilitates solertia.

---

§. V.

Quisque solerter inuigilat, vt possederit alta; dormitabit desidiosus, si iam occupauit excelsa.

23. Ambitio & spes desidiæ ac somno inimica sunt; flagrans culminis studium homines cudit solerter industrios: dum cor apicem dignitatis sitienter anhelat, & sensus omnis inuigilat: non obrepet gressibus torpor, non oculos hebetabit caligo, non dulce blandietur otium, non arduitas anxiæ ambitionis suspensum semper morabitur studium: *Illos, qui ambitu obeunt capescendi magistratus*, aiebat lib. de pœnit. cap. 11. Tertullian. *neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantùm; verùm & contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum.* Nulla confragosa; imò nec prærupta metum ingerunt, nulla tædium contumeliæ afferunt; quidquid spem vel dubiè alit, auido adfectu voratur: *Quas non ignobilitates vestium affectant? Septimum vbi suprà audis; quæ non atria nocturnis & crudis salutationibus occupant? Nullis conuiuiis celebres, nullis comessationibus congreges; sed exules à libertatis & lætitiæ felicitate, idque tantùm propter vnius anni volaticum gaudium.* Quousque prætextam induant, noctes insomnes ducent, vigilias adfectabunt, vtiles aliis labores subibunt; verùm si dignitatis culmen inscenderint, veluti manumissis omnibus curis ot... indulgent, somno vacant, inertiæ, ac desidiæ student: non minùs

Tertullian.

Naxera in Iosu. c. ... m.2.

culmine otiantur ignaui, quàm ambitu laborarant soliciti. Iosue rebus belli compositis Rubenitas ad sua remittit, vtque illorum obedientiæ sedulitatem exaggeratiùs allaudet, sibi vti Moysi obsequia adserit præstitisse: *Fecistis omnia, quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis.* Quid mirum Iosue vti Moysi æquali deuotione obsequantur, quando nec minùs nobilis miraculorum prodigiis, nec celebris minùs inimicorum trophæis: Sol suos, Duci vt morem gerat, ardentes repigrat gressus: Luna, quod fœminis operosum, splendescentem moratur cursum, & Rubenitas Iosue obtemperasse, vt olim Moysi obtemperauerant, mirum? Rubenitæ sedulè Moysi promiserant, primos se in acie pro fratribus cum hoste depræliaturos, si primas etiam sedes, prædiuitésque hæreditates acciperent: iam adepti Iosue æquali deuotione obsecuti sunt: quod adeò est insolitum, vt nullo alio exaggeratius illorum quiuerit exactissima deprædicari obedientia, quàm si constiterit adæquè obtemperasse solertes dignitatis iam adeptos fastigia, ac fuerant soliciti, dum dignitatis corde gererent desideria. Huc voco, quod de suo Theodorico in panegyri scribebat Ennodius: *Ego tibi, quod admirationem vincat, oppono Principem meum ita ornatum, vt illum non liceat improbari, ita agere, quasi inter imperatores adhuc precetur adiungi.* Admirationem vincit imperatorias fascias adeptum se eadem solicitudine gerere, ac quando dignitatis ambitor: mira res culminis splendori ambitus adsociasse solertiam, respuisseque germanam possessionis ignauiam. Optimus, sæculisque demirandus, qui in Imperatorum admissus censu visus est dignitatis vrgeri ambitu. *Quod admirationem vincat*, testatur Iosue, Rubenitas scilicet, *ita ornatos, vt illos non liceat improbari, ita agere quasi inter Imperatores adhuc precentur adiungi.* Ea animi strenuitate in confertos aduersariorum cuneos post hæreditatem acceptam irruunt, ac ambientes Moysis tempore sunt præliati.

Ennodius.

Christus Dominus gloriæ suæ editurus coram electis testibus fulgurãs spectaculum, montem inscendit, comitabantur tres discipulorum præcipui: *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum.* Media nox erat, vt sacris interpretibus placet, cùm per montis confragosa contendunt: nec enim sine cliuo culmen: deuenere tandem Thaboris ad apicem: ibi formam demutat Dominus, & illuminatam vestem induens Solem radiorum luminibus longè vicit: *Resplenduit facies eius sicut Sol.* Euangelista velut oratione destitutus, qua spectaculum illud describeret, Soli comparauit, quod aliam illustriorem imaginem in humanis habeamus nullam: totus mons luminibus scatebat, & vel ipsi silices cum astrorum præcipuis de claritate certabant: Apostoli cum in spes suas oculos expandere debuissent, somno socordes indulgent: *Petrus, & qui cum eo erant, grauati erant somno.* Ibi dormiunt, vbi vel sopore mersos miranda spectaculi nouitas excitaret. Verùm si sopori modò oculos commodarunt, cur dum montem inscenderent, gradum non stiterunt? Dormiunt, ne alienum splendorem adspiciant? Affectant ignorantiam, ne illorum animos aliena adussérit gloria? Cursum ascendentes non repigrant 24.

Matth. 17, v. 2.

Luc. 9. v. 32.

labore, noctisque tenebris nullatenus retardati, & modò dormiunt luminibus repercussi? O quàm se Petrus prodit humanum! ò quàm nostros mores actionum penicillo depinxit, & soporis vmbris expressit! Dum ad alta spebus incitatus ascendit, nec blando torrentum murmure allicitur, nec tenebrarum opportunitate, vt somno tantisper indulserit, persuadetur: rupes fatigat, ardua penetrat, nullis obicibus retardatur, nullis difficultatibus impeditur; ast iam cacumine possesso, iam fastigio prensato oculus sopore grauatur, & inter viuidiores luminis ictus somno placida socordia indulgetur:
Theoph. *Petrus*, inquit Theophylactus in catena, *somno deprimitur, infirmus enim erat, & quod humanum erat, impleuit.* O nimis verum! humanum implet, dum cacumine montis dormit; non impleßet, si ipso in ascensu dormißet. Dum dignitatis culmen ambitur, vigilantibus oculis & gressibus expeditis vel per cliuosa montis ascenditur: humanum non esset inter ambitus clamores dormire: fuit sane humanum post culmen dulci sopori indulgere, nec oculos vel tantis luminum ictibus pulsatos adaperire. *Quod humanum erat, impleuit*, apice dormiens, ascensu vigilans. Vtinam solus Petrus humanum ingenium somni adumbrasset mysterio, nec tot socordes ignauiæ defœdarentur delicto; verùm quamplures dum ambiunt, inueniuntur seduli; si adipiscantur, ignaui.

25. Deus excelso throno Isaiæ conspicuus obiicitur, Seraphini Numinis latera stipabant, & solij apicem tenentes expansis alis volaturiebant:
Isai. 6.v.2. *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri... duabus velabant:* quantumuis humana specie apparuerint personati quantumuis alarum plumis contecti. Seraphim produntur, & à propheta acclamantur: *Seraphim*, inquit, *stabant super illud.* Et vnde Seraphinos agnouit, qui nunquam viderat? vnde cœlestes volucres credidit, si humana specie vestitos oculis spectauit? An lux per pennarum rimulas fulgurans prophetæ oculos radiorum luminibus informabat? Nil adeò industriè tectum, quod perspicax curiositas non venetur, aut quod propriis actionum vocibus non prodatur: Seraphinos dixit: quia de alarum volatu assumptæ refragati sunt formæ: nec enim humanum erat dignitatis apicem feliciter attigisse, *stabant super illud*, & expansis alis volasse: *duabus volabant.* Si hominum sortirentur ingenium, ipsa culminis infectione repreßissent volatum, mollibus decumberent plumis, non solicitis studia explicarent alis; dum verò ambitus solicitudinem, & dignitatis apicem possident, stylum transcendunt humanum, exertéque attestantur supernum: si homines essent, alas studiose plicassent, si dignitatis apicem inscendissent:
Bernard. *Seraphim*, inquit Bernardus serm. 5. de verbis Isaiæ, *nomen est ordinis Angelici summi, atque supremi, vt meritò stare super cæteros describantur: & ipsi tamen, quamlibet cæteris præstent, adstant nihilominus Domino præsidenti, deuotum vtique ministerium, & plenum reuerentiæ obsequium exhibentes.* Seraphim produntur, qui infatigabilem explicauere volatum, cùm cæteris eminentiores, vlteriorem adipisci nequirent ascensum: non volant, vt ambitam inscendant throni sublimitatem; sed ad apicem euecti, & honesti ambitus desideria, & felicitatis copulauere sublimia: *Quamlibet cæteris præstent, adstant nihilominus obsequium exhibentes.*

Sanguine gloriosior ut vtilitate eminentior.

Iob veluti de impatientiæ confinio in has 26.
querelas semper arcanus erupit: *Quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus? Nunc enim* Iob 3.v.12.
dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum regibus, & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. Procellosæ calamitatis fluctibus videtur etiam naufragari prudentia, non solùm diuitiarum fortuna: nam si consules sibi solitudines ædificant, si reipublicæ prensant clauum, quomodo somno sepultis similes, aut quomodo sepulchralibus fasciis constricti purpurato, & consuli æquales? Consules creantur releuandis reipublicæ curis, expediendis negotiis, procurandis augmentis: qui dormiunt, curis vacant, otio indulgent, cunctisque ad tempus sensuum functionibus viduantur: ergo si somno suo requiesceret immersus, consulibus non otiaretur Iobus assimilatus; & tamen ipse ait: *Somno meo requiescerem cum consulibus.* Litteralis sensus satis liquet: ait enim Iob æqualem manere sortem & miseros, & reges, quantumuis illi abiecto puluere sepeliantur inclusi; hîc verò marmoreis tumulis, multóque emblemate ornatis vel post mortem turgeant superbi: omnes namque adæquè putredinem ac vermes saturabunt, & putrescentes in fauillas abibunt; verùm velifemur ad mores. Consules non creantur ad volatica fastus gaudia; sed ad operosa negotia: illis honor veluti laboris salarium impenditur, quo merces labores melliat, & curas emolliat; verùm si augurale, aut prætextam induant, sic regiminis fastidiunt onera, sic auersantur studia, vt in viuo corpore mortui videantur: dum ambitu obeunt capessendi magistratus, quam Tertullianus descripsit, solertiam ostentant, vigiles, pernoctantes, soliciti, strenui; verùm si nanciscantur optata, prorsus desides curas remittunt: vt hi, qui diu non dormierant aliquo obstante negotio, prolixum somnum capiunt, & omne tributum naturæ debitum simul soluunt: ita ex his plures, quia ambitione vrgente passi sunt peruigiliū blandiente felicitate protelant somnum. Consulibus ergo similis somno requiesceret Iobus: quia nonnulli cùm dignitatis apicem inscenderint operosis vigiliis, marcent culmine indulgentes ignauis somnis. *Ad suam dignitatem pertinere putabant viri ambitiosi, &* Sanctius.
diuites, exponit Noster Gaspar Sanctius, *si in agris hortos haberent, & in illis domos, quæ prætoria à Latinis appellantur, ad quæ secederent voluptatis gratia.* Dormiunt non semel consulares Reipublicæ, quia addicuntur voluptati: de aliorum ruinis insana sibi palatia moliuntur, vtque amœnent hortum, miseri agricolæ vastabunt fundum; solemne namque hominibus est in causa votorum suorum nullis laboribus parcere, culmina adeptos labores nullos subire.

Dormitauerunt, qui ascenderunt equos, fugil- 27.
labat & iure Psaltes: non cùm ascenderent; sed Psal. 75. v. 7.
cùm ascenderunt: iam occupantes regiminis habenas, cùm vigilantiæ & rationis studio aliquando equum audacem fræno sistere, aliquando ignauum adactis debuissent calcaribus incitare, ad hocque illis concessæ fuerint habenæ, dormitant; imò altissimo obruuntur sopore, altè ipsi incedunt, nec iam illis habenarum cura, quia solùm ascensum suspirauerat vigilantia:
Ascensores eos, scribit Ambrosius lib. 1. de Na- Ambros.
buthe

buthe cap. 15. *quàm equites, vel agitatores maluit nuncupare: agitator enim, cùm disciplina & arte pro arbitrio suo equos agitat, vel currentes incitat, vel reflectit indomitos, vel reuocat fatigatos, vel mansuetos pro sua voluntate conuertit: vnde cùm reciperetur Elias, & curru quasi ad cœlum ferretur, clamauit ad eum Elisæus: Pater, pater, agitator Israel, hoc est, qui populum Dei bono ductu regebas.* Elias ascendit equos, vt regeret, alij cùm ascendissent, ignauiter dormitarunt; nec enim ascenderunt, vt regerent; sed vt alti & otiosi micarent. O quot in Republica, postquam ascenderunt, dormitant, qui, vt ascenderent, vigilabant.

---

§. VI.

Moriger subditus augustior superioris gloria, durus, & intractabilis acerbior mortis angustia.

18. NIhil adæquè superiori gloriosum, vt subiectus prudenter cæcus, & præceptis cæcè obsecutus: nihil adæquè asperum & molestum, vt subditus dura fronte, & peruicaci iudicio armatus, & veluti de industria præceptionibus, quantumuis iustis, semper oppositus. Dum hoc accidit, non regimen; sed certamen est: petit subditus sæpè, quæ ius denegat, quæ consuetudo non patitur, reliquorúmque exemplum ægerrimè fert: quod si superior deneget, iam non erit postulatio; sed controuersia. Apprimè Chrysologus: agebat de diuite illo, qui Lazari delegationem iam ad inferos, vt linguam guttula refrigeraret, iam ad paternam domum, vt fratres ad virtutum castra adduceret, ab Abrahamo optimo parente petiuit: denegauit ille, vtpotè interiora medullitus perscrutatus: institit inferni vernula modò se filium & subiectum appellans, qui olim superbo de sigmate nec Abrahamum, nec Lazarum spectabat: *Non pater Abraham; sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Tenebat illum sanè gloriæ Lazari, non fractum criminis pœnitentia: *Quid clamas? Quid postulas? Hoc loco iam non geritur postulatio; sed controuersia*, inquit Chrysologus. Profectò vel Abrahamus controuersiam subiit, dum superbissimum subiectum habuit: dignissimè alter rogat; sed alter querulis vociferatur clamoribus, & pietatem insanis nititur obscurare calumniis: voce patrem loquitur, animo veluti inimicum abhorret: bellum ingerit, non precatur: *Non geritur postulatio; sed controuersia.* Summæ gloriæ fuit Cyro militem habere Chrysantam, quandoquidem iste de obsequiorum promptitudine celeberrimus, ille de subdito felicissimus: subegerat Chrysantas hostem, eductáque iam machæra minabatur ardenter iugulo: momento illo receptui canentem audiuit lituum, & ne tantisper immoratus denigrasset Principis obedientiam, cruentam distulit exercere vindictam: hosti pepercit, & ardentem indignationis impetum deuotus cohibuit, & obsequentissimus refrænauit: *Chrysantam laudauit Cyrus* (verba sunt Plutarch. in qq. centur. Rom.) *quòd obtruncaturus hostem, sublatúmque tenens gladium, & tubam audiuit receptui canentem, hominem missum fecisset, neque vt prohibi-*

Luc. 16. v. 30.

Chrysolog.

Plutarch. Chrysanta magna obedientia.

tus percussisset. O dignam sacratiori animo obedientiam! felix Dux, qui militi imperabat adeò strenuo, vt hostem subigeret, adeò morigero, vt parceret. Hinc non modicum Imperatoris Iosue augescit gloria, quòd eos milites sortitus fuerit, qui vt exactissimè implerint mandata, aures sitienti auscultarint præcepta. *Fecistis omnia* (sic ad propria remittens laudat) *quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis.* Obedientiæ militaris promptitudo & militibus famæ, & Imperatori fuit gloriæ. Quàm aptè posset à Theodahado rege verba mutuari decantatissimus noster Princeps. *Vobis insitum*, aiebat 10. var. 14. *dominos vestros pura mente diligere, & obsequijs id agere, vt regnantis animum possitis habere placabilem; hoc tamen maiorum vestrorum semper propositum fuit, vt tãquam membra capiti, ita suis Principibus viderentur adiungi.* Subiecti, superiórque vnum morale corpus constituunt, túncque & neruosis viribus pollet, integritatéque viget, cùm membra nec inter se dissident, nec seiuncta à capite marcent. Quod si tumore superbiæ, aut cupiditatis sanie à capite disiuncta laborent, & sibi cruciatus afferunt, & dolores capiti ingerunt.

Cassiod. Subditi vt capiti membra, superiori debent adiungi.

Sæpè sæpius Deus solio regiam maiestatem auri nitore ostentante sanctissimis viris obiectus est; verùm nescio quid thronus ille Seraphicus præ cæteris gloriæ habuit, quo excelsus, & eleuatus dignè appellari meruerit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum.* Augustiorem gloriæ pompam ostendit hoc præ aliis throno clarissima luce fulgurans, & maiestatis splendore circumdatus; sed age videamus cur hîc & species augustior, & maiestatis pompa nitidior. Ipse equidem iam explicuit Isaias: *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant: & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus.* Vbi Seraphini pernici volatu præceptum honestè supergredientes Domino nobiliter adulátur, & splendidiore maiestatis luce nitet, & fulgentiori diademate redimitus apparet. Iusserat Deus Apostolis veloci pede mundum percurrere, mysteriúmque Trinitatis ignorantiæ tenebris inuolutos docere: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Gressum imperat, non volatum, vt notitiam Trinitatis instillauerint mundo, vtque Seraphini hoc opus perficiant, non tantum accelerant gressum; sed pernicissimum maturauere volatum: *Volabant, & clamabant: Sanctus, sanctus, sanctus:* adeóque deuotos habere subiectos imperanti gloriosum est, vt tunc & augustiori throno sedere, & fulgentiori videatur lùminum pompa radiare. Adest Rupertus de Trin. cap. 28. *Plena est omnis terra gloria eius. Ergo volabant, id est fidem Trinitatis hactenus incognitam prædicabant iuxta regulam dicentis: Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Apostolis iusserat, ne arduo retardarentur itinere, quominùs ad ingerendam Trinitatis notitiam gressus celeres explicarent: Seraphini, vt morem gesserint nobiliter adulantes, non gressum; sed velocem explicauere volatum: *Volabant iuxta regulam dicentis: Euntes, &c.* Hic ergo Dominus & altiùs sedet, & nitidiùs fulget: est namque magna

19.

Isai. 6. v. 1.

Matth. 28. v. 19.

Rupert.

superioris gloria eos habere obsequentes, vt non solum iussis feliciter pateant; sed vel desideriis exprompti ssimè obediant.

30. Rubo spinoso, senticosa arbuscula Moysi Deus oues agenti apparet, qui alibi visus est
Exod. 3. v. 2. throno nubis, aut cacumine montis: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Cur hac specie apparuerit, variæ diuersorum sunt opiniones: alij, quia spinosis, quæ Israëlitæ tunc patiebantur, ipse cædebatur flagellis, omniúmque in se ostentabat tormenta: quia omnium pater prouidentissimus sustinebat & damna; ego verò, ni mea me fallat opinio, non solúm ob hanc causam duris sentibus punctum putauerim apparuisse; sed ob Moysis præceptis reluctationem morsus illos spinarum durissimos tolerasse: *Quis sum ego*, apponit, *vt vadam ad Pharaonem?* Suam illi præsentiam affuturam promittit Deus: *Ego ero tecum*: adhuc instat: *Non credent mihi*: signis faciendæ sibi ab Israëlitis fidei illi Deus fidem humanissimus facit: nec his contentus datum nititur extraxisse imperium, & de tarditate linguæ impedire mandatum: *Impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Cum ergo Moyses tot exceptiones allegat, & adeò causas suas colorare prætendit, Deus durissimis allegetur spinis, vrgentissimisque ad speciem vritur flammis. Et quid superiori durius, quàm subditus ad instantissimas causas missus, & friuolis rationibus excusatus. *Tametsi igitur*, scri-
Lippoman. bit Lippomanus, *Moyses vir pius erat; fragilitate tamen carnis motus, ac resilit, detrectat officium, grauius ei acceptat iussa Dei coniuncta periculo.* Desiderabat ardenter Numen miseris suppetias deferri: ille redimebat tempus, vanasque allegabat causas, quasi res illa validiores exigeret operas: ergo Dominus asperis terebratur spinis, dum subiectus vsque ad contentionem aduersatur præceptis. Adde facilius fuisse mortis oppetere angustias, quàm pati duri subditi repugnantias.

31. Adest Pharao obstinationis exemplar, duritici forma, peruersitatis idea: Deus, quasi subiectum illum habere pœniteret, sui eius dominio
Exod. 7. v. 1. ad speciem exaugurat: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, Moysem alloquitur: Moyses dignitatem totis viribus respuit, etiam sententiam mortis labia sigillante silentio admittit. Peccauit Moyses ad contradictionis aquas, mortis in-
Numer. 27. v. 12. currit sententiam: *Ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus sum filijs Israel: cùmque videris eam, ibis & tu ad populum tuum.* Sententiam mortis audit, nec tunc quid, vt derogetur, opponit: Pharaonis se Deum electum auscultat, & quas vidimus, excusationis causas allegat, pastoritiæ artis vtilitatem, locutionis imperitiam, Hebræorumque diffidentiam. Sanè vbi contra refractarios armabatur, minor erat causa reluctandi, & maior, dum imperabatur mors, resistendi; & tamen Moyses nullam causam, vt mors in posterum differatur, allegat, & quamplures, ne prouinciam illam subierit, ingeniosus, & timore exagitatus multiplicat: nec mirum: nam facilius est mortis oppetere angustiam, quàm duri, intractabilisque ingenij subiecti sustinuisse malitiam. Ne Pharaonis sortiatur imperium, orat; ne Deus adscribatur Ægyptiis, precatur, & mortem elinguis oppetit. Ad rem Philo lib. quod
Philo. deterius: *Dicitur in sacris libris: Do te Deum Pharaonis patiente, qui datur: non agente.* En tota Moysis passio, Pharaonis Deum assignari, Principem Ægyptiorum describi: non patitur Moyses, dum vitâ concedit; sed dum depræliatur duritiâ. Quos labores non pertulit, quas angustias non subiuit, dum Pharaonis mores corrigere opus, & ingenium domare ferè impossibile. Expertus cognoscet, quàm intolerabile malum sit iubere improbis, imperare superbis.

Pœnitentiam in se dedicasse Deum, aiebat Tertullianus, & vel in paradiso delibasse gemitus, & crucis prægustasse cruciatus: finxit de luto hominem, illóque exundantissimo deliciis topiario constituit: arbores omnes concessit, vnam prohibuit, vt & cupiditas innoxiè prolectauerit appetitum, & obedientia dignum exhibuerit obsequium. Quid tunc? Dæmon serpentis facie personatus subruere felicitatem aggreditur, esum persuadet, & cùm implacabiles animo gerat inimicitias, improbo ore pietates loquitur: obedientiam temerauit Adamus: aduentat Deus, & dum voce compellat humanissimè, ille tertius fugit, & vocatus discedit: *Au- Gen. 3. v. 7.
diui vocem tuam & timui. Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini.* Vocem hanc lachrymas, mortisque angustias retulisse arbitratur orat. 3. Seleu-
ciensis Basilius: *Adam, Adam vbi es? Ex immenso amore compellatio lamento adsimilis.* Currebat Deus, vt imaginem deturpatam confessionis penicillo iterum coloraret, & nouum splendorem insereret: vocabat Adamum, vt medico transgressionis vlcus ostenderet, & admissam ab aduersario nuditatis plagam nudaret: secum deferebat vulnere potiora subsidia, & ægritudine efficaciora remedia: latebat ille fugam imperio aduersam arripiens, & veluti insidiatoris causam patronus agens. Hoc ergo lamenta in superiore excitauit, & Deus vel in paradiso lachrymas fudit: *Vox lamento adsimilis*: morti non cedens; sed stratagemate fallens in cruce occubuit, & mortales lachrymas homo fudit: quod ergo ibi sæuissimis tormentis discruciatus fecit, hoc subiecti reluctantia quodammodò afflictatus libauit. Amori, munerique durius erat videre Adamum refugam voci aduersantem, indecoræque nuditati plaudentem, quàm sanguinem vulneribus instillare, & cruci affixum dolere: *Vox lamento adsimilis.* Videant superiores, quid sæpiùs immoderatis votis exambiant: videant subiecti quos superiori cruciatus inferant.

32. Seleuciens.

§. VII.

Rara in militibus pietas; acriùs, quàm in hostes, non semel militauere in virtutes.

ARma sunt ciuilitatis præsidia, si audaces frænent conatus, & nociuis opponantur aduersariorum insultibus; verùm non semel qui honestam in hostes, indecoram milites irruptionem effecere in virtutes: nil audenti licentiæ satis, Martio insanientes ardore nec æquitatis iura custodiunt, nec iustitiæ monitis obsequuntur. 33.

quuntur. Enormitatem, prædam, truculentiam, ferociam licere sibi arbitrantur armati, quia ad Martia bella semper intenti: assiduè dimicantibus lex non præscribit, vt ipsi arbitrantur, normam; sed effrænes magni ducunt audaci morum excessisse temeritate mensuram. Tertull. *Nemo miles*, scribebat Tertullianus ad Martyras cap.3. *ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; sed de papilionibus expeditus, & substrictis, vbi omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas consistit.* Verissima dixit, etsi alio sensu. Certè papiliones & castra omnis imbonitatis, & truculentiæ cunabula; nec tantùm cunabula; sed & lares. Temeritas arrogans fortitudo deprædicatur, iniustissima rapina ad instar hostilis prædæ diuiditur, exulat pudicitia, & nomine non semel milites appellitantur Christiani, reuerò inueniuntur sacrilegi. Cassiod. *Non paruam rem tibi respicis fuisse commissam*, scribebat Cassiodorus 7. var.4. Retiarum duci, *quando tranquillitas regni nostri tua creditur solicitudine custodiri; ita tamen, vt milites tibi commissi viuant cum prouincialibus iure ciuili, nec insolescat animus, qui se sentit armatum: quia clypeus ille exercitus nostri quietem debet præstare Romanis, quos ideò constat appositos, vt intus vita felicior secura libertate carpatur.* Hoc profectò militiæ munus; verùm ardua & difficilis res est, non parui momenti negotium illi committitur, sub cuius moderamine militum manus meretur. Iob 7.v.1. *Militia est vita hominis super terram*, pronunciabat Iob, quo ærumnas, & afflictationes suas eloquentiùs edissereret, clariùsque explicaret. Gregor. *Hoc in loco translatione veteri*, scribit Gregor. lib.7. in Iob cap.3. *nequaquam militia vita hominis nuncupatur; sed tentatio.* Tentatio in virtutes armatur, bellum gerit in morum placiditatem, euertere virtutis fundamenta connititur, vitiorúmque pestibus, contra quas pugnandum erat in hominum commoda, violenter grassatur: militia ergo tentatio est, quia non tam hostes frænat, quam virtutes omnes corrumpat. Hinc Iosue, cùm aliquarum tribuum gentiles ad sua ardua post certamina mitteret, quo illorum virtutis excellentiam sumptuosioribus cómendaret elogiis, legi diuinæ paruisse testatur in armis. *Nec reliquistis fratres vestros longo tempore vsque in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri.* Mira res diu in armis degisse, nec diuinis legibus obuiasse. Masius. *Hæc virtus*, exponit Masius, *omnium cæterarum vberrimus fons est, tantoque in istis viris prædicabilior, quantò in his, qui castra sequuntur, solet esse rarior; quando quò se quisque improbiorem nebulonem præstat, eò magis strenuus habetur, & efferata immanitas fortitudo; contra verò religiosa modestia mollities effœminata existimatur.* *Efferata immanitas habetur fortitudo, religiosa modestia mollities effœminata.* Enormitas, salacia, petulantia, temeritas tarò distiterunt à castris: se milites arbitrantur exleges, & quò exleges magis, plus milites; verùm mei Iosue milites felices adeò, adeóque modesti, vt legi præstiterint cultum, & hosti incusserint metum. Iure mutuari posset, quæ 5. var.23. de suis militibus Cassiod. Theodericus: *Ostentant iuuenes nostris bellis, quod in gymnasio didicere virtutis.* Iosue ergo armati hostes trucidant, virtutes seruant.

34\. 1.Reg.14. v.24. Saul, quò triumphorum adaugeat gloriam, militibus imperat abstinentiam: *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam.* Ionathas, cui illa victoria debebatur, dum aduersariorum tergis ardenter inuolat mucronem impingere, faui dulcedine titillatus, ipso mucrone priùs vulnerauit legem, quam hostem: *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum suam ad os suum.* Ensis hostes auidè insequebatur; sed ipso itinere legem trucidauit: fregit præceptum aduersariis properans imponere iugum: lex ingenuit rupta, & nondum penitus castra inimicorum euersa: *Cum fauum mellis* (verba sunt Ambrosij tom.4. sermon.36. post 1. Domin. Quadrag.) Ambros. *intincta sceptri summitate gustasset, tanta indignatio repentè commota est, vt & differretur victoria, & diuinitas læderetur.* Hastæ ferrum priùs est legis sanguine tinctum, quàm fugientium hostium purpura cruentatum; & quando lex à militibus alta vulnera non est passa? Aduersus edictum apum laborem rapere, alienas diuitias comedere sibi licitum Ionathas putat, & in se audaciam militarem adumbrat. Ionas de temeritate gloriosus, de rapina nutritus.

35\. Inter acerbissimas Christi Domini pœnas morti vicinior fuit militibus tradi: acceperunt illi innocentiam, vt læderent, non vt colerent: ea milites perpetrauerunt in Christum, quæ ausa non est vel inimicorum inuidia. Expuerunt æmuli in faciem eius, & colaphis venerabilem oris pulchritudinem denigrarunt: Matth.26. v.67. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt.* Aliqua membra iniuriis exempta sunt, facies ferociæ rabiem perpessa est: tradidit Pilatus militibus, qui vniuersa congregata cohorte & veste nudant, & chlamyde infamant, spinis caput venerandum terebrãt, vltra metasque progrediuntur insaniæ: Matth.27. v.27. *Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in prætorium congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius, & genuflexo ante eum illudebant ei.* Ecce grauiora à militibus, quàm ab æmulis passus: irridetur, exuitur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur, omniáque membra & contumelias patiuntur, excogitatisque ad ludibrium pœnis vulnerantur, ipsa adorationis species contumelia est, & quasi angusti essent vitiorum limites in virtutum etiam ditionem probrosam malignitatem extendunt: vel ipsi inimici, quo insatiabilem inuidentiæ ardorem effluente è vulneribus sanguine extinguerent, armatis Dominum tradiderunt: ea namque virtus à militibus pati solet, quæ vel insana hostium feritas minimè cogitaret. *Milites*, scribit Theophylactus, Theoph. *se digna faciebant, chlamyde pro purpura, vt regem induerunt, calamum pro sceptro dederunt, coronam pro diademate: adorabant autem illudentes: hoc enim significat genuflectere, hoc est adorare. Vide quomodò nullam non contumeliæ speciem exercuerint.* Quidquid gehennales furiæ in scelestissimos homines possent excogitare, hoc totum milites in innocentiæ probrum exercuere: *Milites se digna faciebant*: nam si hæc non perpetrassent, militaris vitæ mores dedidicissent: militia namque, vt inimicorum refragetur adsultibus, veluti pro stipendio licere sibi putat depopulari virtutes.

36\. Fallar, ni Scribæ & Pharisæi perculso anxia perturbatione ab Herode consulti, quò inuidiam Christo Domino studiosiùs conciliarint, improbè

Matth 2.v.6. improbè industrij militem protulerint: *Et tu Bethlehem*, inquiunt, *nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Inuidiam ducem vocantes conciliant: quasi iure turbata sit Ierosolyma de ducis aduentu, vt de improuiso inimicorum adsultu.
Chrysost. *Ipsam prophetiam pracidentes,* aduertit Chrysostomus in catena, *interficiendorum paruulorum facti sunt causa: sic enim scriptum erat, Ex te exiet rex.* Pro rege ducem dixerunt, & dum adulterant Scripturam, veluti ominosam indicauere ruinam: sic audent milites, sic suos etiam depopulantur, sic rapinis inhiant, vt Scribæ & Pharisæi adulationis artifices, quò tyrannidis perturbationem colorent, non nuncupauerint regem; sed dixerint ducem: *Ex te enim exiet dux.*

37. Furebat populus idololatriæ desideriis exæstuans, necessariæ Moysis absentiæ impatiens deos sibi producere satagit, quos potiùs ipse perdiderit: sapiens ignis rudem vitulum illis defundit, illorum amentem stupiditatem, & brutalem ignorantiam sugillans; verùm valentior fuit nitidus auri pallor, vt alliceret oculos, quàm bruti effigies, vt auerteret animos: culmine præcelsum sacrilego ritu, flamine, & nidore cultum concelebrant:
Exod 32.v 5 *Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Imprudentes vera præsagiunt, & dum stultum dignitatis apicem possidere intuentur, vitulos plures Ieroboam tempore culmina ascensum prænuntiant: quid enim aliud euectus ad dignitatis apicem rudis & illiteratus studiosiùs cogitet, quam fastigia præbere similibus: Moyses Iosue comitatus pœnas flagitio inflicturus descendit; cui socius, *Vlulatus*, inquit, *pugna auditur in castris.* Pugnam idololatriam vocauit, militiamque euersionem omnis virtutis: nec ab scopo quidem aberrauit: nullo enim meliùs, quæ vulnera passa fuerit tunc virtus, explicare quiuit, quàm clamorem militarem percipiens.
Lippom. *Alij vertunt,* scribit Lippomanus, *vocem populi iubilantis; sed hæc minima sunt, & in vnum tendentia.* In vnum tendunt, & virtutis trucidatio, & militum exercitus, pugnæque campus. Textus Hebræus sic habet: *Vox bellica, seu belli in castris.* Synonyma videntur pugna & temeritas, certamen & sacrilegium, castra & salacitas. Vis scire cui assimiletur furens aduersus religionem temeritas, in castitatem enormitas, in diuitias cupiditas? Militantium turmis, armatorum agminibus, scutatorum aciebus: *Vlulatus pugna auditur in castris:* quia pugna non minus in virtutes ardet, quàm in hostes militet.

38. Adde sæpesæpiùs plus à propriis armis, quàm ab hostibus, pati prouincias: illis non semel commodiùs fuisset hostilem sustinuisse audaciam, ne proiectissimam armatorum sustinuisset malitiam. Adamum Deus paradisi custodem designat; sed de custode degenerauit in furem: adeò antiqua Principum ministris rapina: fructu & foliis arborem nudat, vtque censum illicitè augeat, ditissimum censum imprudenter amittit: Deus, quo audaciam peccatoris coërceat armis paradisum communit:
Gen 3.v 24. *Eiecit Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Rhomphæam hanc eandem putat Theophylactus cum illa, quæ Christi Domini cruce pendentis pectus immaniter vulnerauit, altéque transfodit: *Rhomphæa mihi figura est rhomphæa versatilis, quæ prohibet nos à paradiso.* Theoph.
Perpende quæso quid paradisi hostis tentarit, fructum carpere, foliisque viridantibus plantas nudare: vestitum exambiuit & pastum: rhomphæa his reprimendis adsultibus designatur, & in pectus Domini transfossum reconditur: minus longè discrimen Deo ab Adamo, à gladio namque grauissimum: si arma illa ante paradisum collocata non fuissent, fors Adamus peius impudens rapuisset fructum. Damnum pateretur Domini viridarium, non corpus; modò verò corpus feriunt ipsa arma, quæ conflata fuerant ad arborum arcendas rapinas: *Rhomphæa militis figura est rhomphæa, quæ prohibet nos à paradiso.* Si paradisus audaci patuisset hosti, non paterent inflicto præcordia vulnere: ipsa arma furunt in Dominum, quæ minas intentauerant in Adamum. Plus à propriis armis, quàm ab hostibus Domino fuisset cauendum. Omnia hæc arcana; sed depingendis militum ingeniis aptissima. Quod si vel ad ipsos spiritus res extendamus, animaduerte quos milites ante paradisum contra hostes armis munitos Dominus collocarit, Cherubinos scilicet: è Cherubinis ergo vnus non arboris fructum; sed diuinitatem rapere molitus est: *Tu Cherub extentus, & protegens... & eleuatum est cor tuum in decore tuo.* Ezech 28. v.14. & 17.
E militum ordine fuit, qui proditionem molitus, quique diuinitatis raptum aggressus, si Numen discrimini subiaceret, à Cherubino sibi potius, quàm ab Adamo cauendum esset. Adamus folia, & ad plurimum poma rapuit: rhomphæa pectus transfodit, & Cherubinus ad diuinitatem subripiendam temeritate inuolauit. Iure ergo meus Iosue suos allaudat milites, legis scilicet ad vnguem cultores, & in aduersarios valentes. Concludat thesim Ambrosius tom. 4. serm. 66. *Cùm peccant grauiter, hæc solent à peccatis suis prima se voce excusare quòd militant... Illud autem quale est, quod cùm ob errorem aliquem à senioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis, cur ebrius fuerit, cur res alienas peruaserit, cædem cur turbulentus admiserit, statim respondeat: Quid habebam facere homo sæcularis, aut miles? Quasi possit ei licere, quod non licet.* Ambros.
Omnia sibi licere milites putant de arrogantiæ priuilegio, de temeritatis præscripto. Discant duces à meo Iosue milites officiis continere, nec illorum audaciam sacrilegam tolerare. Sic illos suis actibus, & mutuatis à Cassiodoro 6. variarum 22. verbis prudentissimus adhortatur: *Non permittas milites esse possessoribus insolentes: pro securitate se omnium cognoscat electum, qui se gloriatur habere armatum.* Cassiodor.

---

§. VIII.

Qui vltra debitum gratis Domino adulatur obsequijs, egregijs etiam vltra meritum remuneratur auctarijs.

Non paret coactus, qui officij metas libenter excedit; qui non solùm debita Domino præstat obsequia; sed laudabili adulatione addidit, quæ nouit Domino placitura, gratiam promeretur, & affectum honesta industria venatur: 39.

tur: Domini compellit ingenium, vt indebita largiatur & munera, qui iniussus exhibere gestiuit obsequia. De hilaritate seruiẽtis probatur voluntas,& prouocatur Domni liberalitas. Cui quæ debuit facere, fecit,seruum;imò & seruum
Luc.17.v.10. inutilem se probauit: *Cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis,*monebat Christus, *dicite:serui inutiles sumus:quod debuimus facere,fecimus.*serui ad sibi iussa tenentur, obsequiosi quæ
Cyrill. grata dominis meditantur. *Considera ergo*, aiebat Cyrillus in catena, *quòd qui apud nos dominantur, non referunt gratias, cùm aliqui subditorum statuta sibi prosequuntur obsequia; sed ex beneuolentia sæpius suorum prouocantes affectum, maiorem eis appetitum seruiendi aggenerant.* Benè Cyrillus; sed luculentiùs Tertullianus lib.
Tertull. aduers. Psychic. cap. 13. *Sic meum est vltro officium facere Domino, sic indicare illius, non tantùm ei obsequi debeo; sed & adulari.* Nobilis adulatio, quæ fit in virtutis gratiam,non in veritatis offensam. Profectò non demiror vltronea dominis minimè præstari obsequia;imò debita vix adimpleri mandata,qui non solum,serui liberalitate non allectantur,sed nec debita mercede fruuntur; ast qui religiosa Numini præstat obsequia,copiosa proculdubio recipiet auctaria. Adsunt Rubenitæ,qui cùm de promisso auxilio fratribus appellarentur, non solùm pactis se offerunt responsuros; sed se & ad alia etiam osten-
Iof.1.v.13. dunt expromptos: *Mementote*, inquit Iosue, *sermonis, quem præcepit vobis Moyses.* Promissam Moysi obedientiam citat, cuius præmium erat ad propria reditus: *sic reuertemini ad terram possessionis vestræ.* Quid tunc Rubenitæ? *Omnia, inquiũt, quæ præcepisti nobis, faciemus, & quocumque miseris, ibimus.* Vltronea offerunt,nec pacta solummodo attendunt:vides gratuita præstitisse obsequia, vide etiam & præmia adaucta: *Cum dimitteret eos in tabernacula sua (Iosue) & benedixisset eis, dixit ad eos: In multa substantia, atque diuitijs reuertimini ad sedes vestras cum argento & auro, ære, ac ferro, & veste multiplici.* Non solùm ad propria delegantur sacramento iam liberi;sed auro,argentóque remittuntur onusti; verùm si Moyses in suppetiarum remunerationem tantummodò promiserat reditum:*sic reuertemini in terram possessionis vestræ*: cur Iosue deferre permisit aurum? Remittat ad propria suo munere functos;sed abire argento non patiatur ditatos; imò ipse Iosue redituris largitus est congiaria: quia ipsi gratuita præstiterunt obsequia. Certè si vltronea non obtulissent, tot diuitias ad propria minimè reportassent;verùm copiosis munerantur auctarijs:quia Ducis gratiam vltro-
Arias Mont. neis sibi promeruerunt obsequiis: *Non oratione tantum*, inquit Arias Montanus, *laudatos; sed etiam præmijs, muneribus, & spolijs ad fortitudinis monumentum ornatos ... latos,ouantesque in propriam regionem remeare permisit.* Notanda sunt illa verba: *Ad fortitudinis monumentum ornatos:* non solum manumissione munerat; sed & congiarijs amplissimis ornat: quia illi non solùm firmata adimpleuerant pacta; sed gratuita etiam præstiterant obsequia.

40. Abrahamo Deus egressum à terra præcepit, non sine proposito præmio:stellas claritate,maris arenas victurum numerositate promisit;nunquam tamen inimicorũ portas deuincendas asseruit: ventum est ad montẽ illum fama celebrem ob sacrificium:patrem se ignorat, vt se Domini seruum ostendat,sic rutila charitatis erga Deum emicabat flamma, vt nec tot natura niuibus sit extincta: dedoctus est patris ingeniũ,vt verè paper Domino offerret filium: vox cælitus ruit, & & ingeminatus clamor cohibet audentem feliciter dexteram,ne intentatam filio intulerit plagam. O sacrificium non sanguinis, sed amoris! obedientiæ miles aduersantem subegit naturam, & naturæ adauxit de triumpho gloriam. Optabile sanè bellum,vbi & victor trophæo,& victa celebratur elogio. Opto sic vinci, vt æternum possim triumphare; verum loco filij non expressè iussus arietem otulit Abrahamus: *Vidit post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Gen 22.v.13
Hic diuinæ promissiones firmantur, & hostes Abrahami pedibus subiiciũtur: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Rogat Rupert.in Genes.33.cur hic arenis, syderibusque inimicorum addantur excubiæ, cùm retro solùm promissæ fuerint stellæ: respondétque non solùm Domini adimplesse præcepta; sed vltro addidisse etiam officia: iusserat illi Deus: *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac:* fecit equidem approbante Numine: *Non pepercisti filio tuo vnigenito*: iussus non est litare agnum; sed ipse vltroneus æra nobili holocausti rubere fecerat fumo: vbi ergo lubens cælo exhibuit obsequia, & digna accepit à Numine auctaria. Addidit stellis celebres de inimicorum phalangibus triamphos, quia ille addiderat & deuotos arietis rogos: *In signum datæ arietis solent etiam nunc cornu clangere: iuramento ergo interposito auxit quoque benedictionem sic: Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Dedit Abrahamus arietem, & Dominus auxit benedictionem: nec enim poterat adauctis non ditescere præmiis, qui deuotis Numen demeruerat officiis: obligationis metas deuotio transilire gestiuit, & gloriosis inimicorum triumphis supergressum Dominus coronauit. Rupert.

Pater ille solicitudine impiger, vt consuleret dilectæ vineæ,Solis anteuertit celeritatem,operarios misit denario in auxij laboris mercedem 41.
oblato: *Conuentione autem facta ex denario diurno misit eos in vineam suam.* Hic idem pater Matth 20.v.2.
cum iter ageret,in hominem incidit acceptis diris plagis fermè inanimem exanguemque, ligauit vulnera, refouit ferè expirantem, duxit in stabulum, illius curam egit, cúmque profectionis tempore adurgeretur, stabulario adhibitam adhibendamque in procuranda infirmi illius valetudine diligentiam denario gemino munerauit: *Protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego, cùm rediero, reddam tibi.* O Luc.10.v.35.
felix infortunium! ô de euentu prosperam infirmitatem! In latrones incidit,sed in ipsum incidit etiam Samaritanus. Mira res, vtilior fuit vnus,vt benefaceret, quàm plures fuerant grassatores vt perderent: quando de sæculi more nocet plus vnus,quàm plures proficiant.Incidit ille in latrones, & laboriosis itineribus, nescio an imprudens, celer sanè cucurrerat ad miseriam: gressum non posuit, vt Samaritano accederet, demortuusque foret, ni Samaritani humanitas

manitas vrgeret gressum, & in miserrimum dirigeret visum; verùm videamus cur duplici stabularium denario munerarit, qui vnicum vineam excolentibus soluit: profectò agri labor, solis æstus, pulueris maculæ, accliuis ad terram inclinatio, soli durities maius ad speciem exegerant præmium; & tamen vnicum operarij recepere denarium. Cur ergo duplex huic præmium, & illis simplex? Vide quid illi fecerint, quidque iste faciat: illi adimplerunt pactum, non verò indebitum addiderunt officium: ideò vnicum recepere denarium, stabularius attamen curam habet; sed aliquid supererogat: non solùm obseruare curat mandata; sed & docere consilia: huic ergo adaugetur præmium: quia ipse supererogauit officium. Ita Augustinus in catena, & lib. 2. quæstion. quæst. 19. *Stabularius fuit Apostolus, qui supererogauit aut illud consilium, quod ait: De virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do, aut etiam manibus suis operatus est, ne infirmorum aliquem in nouitate Euangelij grauaret, cum ei liceret ex Euangelio pasci.* Licebat profectò Paulo vti Euangelij operario mercedem accipere: dignus namque est operarius mercede sua; hîc autem, ne recens fidelium aliquem grauaret, manibus laborans sibi quærebat victum, cùm simul aliis prædicauerit Euangelium: qui ergo vltroneè Domino indebitum exhibuit obsequium, duplicem præ aliis est sortitus denarium: gratus Dominus supererogauit præmium, quia & ille supererogarat officium. Lex virginalem castitatem non docuit, ille tamen & vtilissimis promouit consiliis, & fideles honestis docuit exemplis. Qui ergo virginitatis vtilissimum supererogauit consilium, pretiosum etiam denariorum accepit auctarium. *Stabularius fuit Apostolus, qui supererogauit illud, quod ait: De virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do.* Si vis optanda munerum cœlestium auctaria, grata satage exhibere Domino obsequia.

August.

42. Cùm Salomon Dei templi dignam animo structuram moliretur, Hiram operas mutuatus est: *Præcipe, vt præcidant mihi serui tui cedros de Libano, & serui mei sint cum seruis tuis; mercedem autem seruorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris.* Hiram non solùm gestit expleuisse mandata; sed supergredi digna seruitutis ambitione præcepta: *Ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis, & abiegnis: serui mei deponent ea de Libano ad mare, & ego componam ea in ratibus in mari vsque ad locum, quem significaueris mihi.* Ecce Salomon cedros præcidi petiuit, abiegna ligna Hiramus addidit: non solùm spopondit præcisionis industriam; sed ad vectationem solertiam. Quid tunc? Salomon largissimis donis munerabat, initóque fœdere de tributario (erat namque Hiram Salomoni subiectus) ad amici honorem efferebat: *Salomon præbebat Hiram coros tritici viginti mill a in cibum domui eius, & viginti coros purissimi olei... Et percusserunt ambo fœdus.* Ecce vbi Hiram non solùm ligna cedrina; sed & abiegna promisit, Salomon non solùm tribuit necessaria; sed stabiliuit æterna fœdera: Hiram honorifici fœderis non experiuerat dignitatem; domui tantùm efflagitauerat alimoniam; Salomon verò hoc honoris superadiecit auctarium: quia Hiram honestè excessit etiam præceptum. *Hic*, inquit Lyra, *consequenter pactum & fœdus inter duos reges disponitur, videlicet de recompensatione in victualibus pro lignis & labore... Et subditur de fœdere inter eos.* Ecce consequens erat fœdus inire, vbi constabat Hiramum sibi iniuncta animo libentissimo excedere: nec enim poterat, dum liberalis deuotè supergrediebatur præceptum, honoris non recipere auctarium: nam qui vltra debitum gratis Domino adulantur obsequiis, egregiis etiam vltra meritum honoris remunerantur auctariis.

3. Reg. 5. v. 6.

---

§. IX.

In longius durant mediocra; citò dilabuntur excelsa.

Perpetuæ felicitatis, perpetisque durationis vehementi agitati desiderio non semel concutimur, confusáque desideriorum procella iactamur: patrimonia ditissima amplior sunt humanarum ærumnarum materia: si plura quibus angimur, ægrotationes scilicet, pulsationes dolorum, laborum patientiam cum his, quæ nobis superbior pecunia peperit malis compares, hæc pars plurimum alteram superarit: palpitantibus præcordiis vnitur, cauentur anxia solicitudine rapaces manus, & quia multis aurum ingerit desiderium, & possessores anxium omnium distorquet studium: quemque sua torquet cupiditas, diuitem omnium distorquet solicitudo: dignitatis apex ambitionis cunctis materia est: nihil non tentabunt, vt rapiant, aut studebunt vt subruant. *Magni animi est*, aiebat Seneca epist. 39. *magna contemnere, ac mediocria malle quàm nimia: illa enim vtilia, vitaliáque sunt, atque hæc eo quò superfluunt, nocent; sic segetem nimia sternit vbertas, sic rami onere franguntur, ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas: idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit, quæ non tantum in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vtuntur.* In caput Goliath lapis directus est: semper enim aduersaria manus captiosas altioribus parauit insidias: in candidiorem lapillum frequentiores iaculator collimauit sagittas: vel ingenti clypeo membra protegere gigas non valuit, quia superfusum immeratè corpus se vulneri obiecit, ne lapidis frustraretur ictus, superba moles in causa fuit. O quàm volaret sine euentu lapis per aëra, si adeò immerata non funderentur superbientis gigantis membra. *Tulit vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte.* Longiora membra æreus non texit clypeus, quia superbiæ infaustè eminebat fastus. *Clypeus æreus*, inquit textus, *tegebat humeros eius:* non potuit intra clypeum contrahi ventosum caput, vt lapidis vitaret plagam: sed quo cæteris altius, & cæteris infelicius. Quàm benè Seneca de tranquillitate vitæ cap. 8. *Habiliora sunt corpora pusilla, quæ in arma sua contrahi possunt, quàm quæ superfunduntur, & vndique magnitudo sua vulneribus obiecit.* De industria foret angustanda fortuna, quò minùs expositum vulneri animum inueniret sagitta: in exiguum scopum, quantumuis dexteritas sagittarij direxerit studiosè sagittas, aberrabit non semel; at in permagnum nec inexpertus amittet ictum. De Importuno Patritio veluti quid mirandum aiebat Theodoricus rex 3. var. 5. *Quod maximum felicitatis*

43.

Seneca. *Mediocria vtilia & vitalia sunt, nimia discriminæ plena.*

1. Reg. 17. v. 49.

Senec. *Habiliora sunt corpora pusilla.*

Theodoric.

tatis genus est, cùm multa probarentur esse potentia, inuidentiam illos persequentium contigit non habere. Mira res celsa altitudinis possidere fastigia, nec tetra pati furentium odia, aut temporum detrimenta. Duplex religionis Hebræorum monimentum lego studiosè constructum. Iosue fœderis indicem, adstipulationisque testimonium lapidem elegit, sub quercuque collocauit: *Tulit lapidem pergrandem, posuitque eum sub quercu, quæ erat in Sanctuario.* Rubenitæ eodem animo molem construunt; sed magnitudinis proceræ metas transiliunt. *Cum venissent ad tumulos Iordanis in terram Chanaan, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.* Altare hoc sic reliquorum Hebræorum animos exasperauit, vt parum abfuerit, quin cæco in arma furore ruerint, euerteréque totis nisibus studuerint. *Conuenerunt omnes in Silo vt ascenderent, & dimicarent contra eos.* In Rubenitarum altare ira sufflammati irascuntur; in Iosue verò erectum lapidem non mouentur: verum est alibi constitisse illis de religioso studio, alibi verò dubitasse de animo; verùm si ad mores velitari velimus, ea se discriminis ratio offert, immeritas moles in se vel amicorum arma commouit; in lapidem verò non adeò grandem, vt quercu non tegeretur, nullus tumultus excitatus est. Ipsa altitudo de nimietate sibi refragabatur, & quia in longissimum eminebat, vel à dissitissimis degentes tractibus in se inimicos euocabat. *Ille felicior*, scribit vbi suprà Seneca, *qui nihil vlli debet, nisi quod facillimè negat sibi; sed quoniam non est tantum roboris nobis, angustanda certè sunt patrimonia, vt minus ad iniurias fortunæ simus expositi.* Minus expositus iniuriis fuit lapis angustus, quàm infinitudine moles grandis: nullus lapidem quercu inclusum euertere conatus est; infinitam verò molem, etsi non perfecerint, saltem euertere procurarunt.

Magnam potentiam amulum non pati mirum.

Iosu. 22. v. 16.

Seneca.

Qui sumptibus parcit in suum, & necessitas liberatur angustiis.

44. Bis inuenio aquarum vortices miraculosè frænatos, quo per profunda gurgitum Hebræus vestigiis puluerulentis transiret. Ægyptiaca tyrannide iam solutus vti posset in solo, gradiebatur in salo: quæ solicito terrere posset naufragio, crystallino vnda fugientes tegebat muro: *Erat aqua quasi murus à dextera eorum & læua.* Labiles vndæ constantiam imitabantur murorum; sed quidquid lapsibus extractum est, altitudini restitutum; verùm postquam Hebræorum turmæ aridam calcare cœperunt, virga iterum mare percutitur, vt soluatur. *Cùm extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primò diluculo ad priorem locum.* Transi mihi modò cogitatione ad Iosue, cui vti Principi, vt blandiretur Iordanis, in se ipso contra se ipsum obnixus duram montium assumpsit faciem: *Steterunt aquæ descendentes in loco vno, & ad instar montis intumescentes apparebant procul.* Præstolatus est transitum Iudæorum; ast vbi primum illos vnda siccam transmisit ad oram, statim desedit nullo extrinseco impulsu excitata, verbere nullo percussa: *Cum ascendissent portantes arcam fœderis Domini, & siccam humum calcare cœpissent, reuersæ sunt aquæ in alueum suum.* Vtrobique frænati vortices viam adunatis populis reliquerunt; non verò vtrobique idem detumentium aquarum stylus: maris namque aqua virgæ miraculo desedit, Iordanis sine aliena industria stratus lapsus solitos repetiuit. Ecqua discriminis causa est? si necessum fuit virgæ ictibus maris murorum euertisse duritiem, cur nullo opus est, vt montium Iordanis desuescat constantiam. Maiori opera mons egebat, quàm murus; & tamen murus depulsu virgæ dissipatur; mons verò nulla violentia substernitur. Fallar ni ipsa vtriusque magnitudo, & discriminis fuerit causa, & varietatis materia. Maris aqua non sic immerate turgida intumuit, vt ingenium montis referret; murorum altitudine contenta est; at Iordanis vnda sic ventosa efferbuit, vt altissimis montium verticibus inuideret. Quæ ergo immeratè creuit, ipso altitudinis pondere strata iacuit; quæ verò metam circumscripsit fortunæ, durior & permanentior stetit. Longiùs protraheretur in tempus aquarum murus, ni ictibus virgæ euersus, & manus impulsibus repercussus: sua ipsa superbia montosa Iordanis vanitas iacuit deiecta: moderatior maris altitudo durasset, ni repercussa. *Præcepit Deus*, aiebat Caietanus, *vt mediante virga Mosis reuerterentur aquæ in locum suum.* Virga mediat vt maris aqua fluat; nil mediat vt Iordanis aqua refluat: qui ad montium altitudinem excreuit, & montium pondere laborauit. *Multos*, aiebat Gregorius lib. 31. moral. cap. 17. *peius sua felicitas strauit.* Nimiùm adaucta felicitas casum attulit, & quod à violentia timere posset, magnitudinis altitudo perfecit. Nutant suo pondere magna, & nisi firmissimis suffulta cæmentis, miserandis patent ruinis. Altare infinitæ magnitudinis sic odia conflat, vt in se cunctorum conuertat arma. Fuge vanitatis consilia, ambitionis vota, si aperta cupis non sustinere discrimina: rota namque quò altius se extulit, & depressit citiùs. Orbitæ malefidæ rotatu supremus apex casui vicinior est: quæ longiùs partes distant à verticis summo, distant etiam longiùs à casus imò.

Exod. 14. v. 22.

Iosu. 3. v. 16.

Caiet.

Gregor.

45. Vidit Iacob arcanam illam somniis scalam: cacumen Dominus obtinebat multis clientum stipatus cœtibus, multis circumdatus famulorum agminibus: *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Bernardus epist. 254. solito acumine notauit nullum gradum sistere; sed aut volatu ascendere, aut descensu declinasse: *Nulli datur immorari supremis.* In scala ista nullus Angelus residens, nullus apparuit subsistens: non datur vlli quiescere; sed alternis ascensibus, & descensibus circumagi, vbi scalæ supremus gradus attingitur, iterum ad ima vergitur. Eustachius Antiochenus apud Lippomanum crucis mysterium hic exprimi censuit: *Iacob mysticè corporatam Domini speciem vidit, & triumphale Dominicæ crucis sub figura scalæ trophæum contemplatus est.* Adstipulatur ibi Augustinus: *Quid est in scala incumbere nisi in ligno pendere?* Profectò Patres hi non aptè symbolum adaptare veritati videntur: nam Christus Dominus scalæ throno præcelsus lucet, clientúmque pompa gloriosissimè cinctus resplendet; in cruce verò sæuis iniuriis sordet appetitus, & truculentis squalet inuidentiæ furoribus laceratus. Quid ergo throno cum cruce? Quid culmini cum opprobrio? Quid candicantis lucis fulgoribus cum lucem tenebris deturpantibus? Alibi apicem occupauit supremum, alibi turpissimo ligno virorum extremus,

Gen. 28. v. 13.

Bernard.

Nulli datur immorari supremis.

Eustach.

August.

mus, & ad speciem pependit infelicissimus. Ergo dignitatis fulgores nequibunt passionis tenebras fortunæ penicillo adumbrare. Animaduerte Eucherij, Augustinique acumen. Vident dignitatis luminibus fulgurantem, vident culminis apicem possidentem, & crucem non incongruè subodorantur: sic inuidia exardescit in fortunatum, sic adurit odium felicem, vt quàm citò de solio Regio ad infame lignum translatus occumbat: quæ altior eminebat scala, gloriæ & felicitati fuit crux: nec enim poterat altissimus diu fulgere, quia inuidentiæ iacula non poterant non ferire. O quot ni adeò diuites, rapientium manus non paterentur! quot ni dignitatis cacumen inscenderent, infamiam confictì criminis non subirent. Diu perseuerant mediocria, citò cadunt inuidentiæ, malignitatísque concussa tempestate sublimia.

46. Perscrutemur iterum Iordanis profunda: ingentes lapides è mediis fluctibus educuntur, vt
Iof.4.v.8. loco eminentissimo collocentur: *Fecerunt ergo filij Israel, sicut præceperat eis Iosue portantes de medio Iordanis aluco duodecim lapides vsque ad locum, in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos.* Optimus Dux, ne Iordanis Hebræos transmittens diuitiarum detrimenta sentiret, alios duodecim lapides humiliori loco erectos ablatorum vice restituit, sæculísque miraculi præcones transmisit: *Alios quoque duodecim lapides posuit Iosue in medio Iordanis aluco, & sunt ibi vsque in præsentem diem.* Cùm sacra verba arcanis semper exundent, nec silentium minùs auditores erudiat, nobis quærendum est, cur de lapidibus loco castrorum erectis non dicatur, quod sint ibi vsque in præsentem diem; de aliis verò vsque in præsentem diem manere prodatur? Notauit id Abulensis quæst.10. *Dicitur de*
Abulens. *duodecim aliys lapidibus, qui fuerunt erecti in Iordane scilicet quòd ibi sunt vsque in præsentem diem:* lapides omnes erecti resplendent; humiliori tamen loco qui intra Iordanem, altiori qui Galgalorum apice collocati: de illis ergo æternior deprædicatur duratio; de his verò arcano silentio tegitur, mysterióque eloquenti celatur: discamus ergo erudiri silentio, & durationis insonnari præconio. Diu fortassis durarunt altitudine mediocri sublimes; minus fortè tempestatum procellis pulsi, apicibus excellentes. Vsque in præsentem mediocris perseuerat erectio, eximia sublimitas sigillata silentio est. *Dicitur de duodecim lapidibus, qui fuerunt erecti in Iordane, quòd ibi sunt vsque in præsentem diem.*

47. Addiderim faciliùs labiles aquarum fluctus calcari, quàm dignitatum vertice gradum potuerit quis figere. Adest Petrus huius veritatis adsertor: pedibus per vndas incedit non naufragus; sed viator: timet pelagus intercipere non timentem: acriùs reflans ventus vndas verberat, & timoris procellam ciet. Cœpit mergi, non tamen cecidit; sed aliquantulum titubauit:
Matth.14. v.29. *Descendens de nauicula ambulabat super aquam.* Non multò pòst celsum Thaboris cacumen inscendit, placidissimáque radiorum procella sic lucis pelago naufragatur, vt in faciem prorsus
Matth.17. v.6. ceciderit: *Ceciderunt in faciem suam & timuerunt valde.* In montis vertice cadit pondere felicitatis depressus, qui spumosos vortices plumis fidei, & obedientiæ pennis calcarat leuatus Notauit opportunè de negatione Petri Ambrosius
Ambros. ad 23. Lucæ. *Inter vndas licèt titubat, non labitur: nutat, non cadit: fluitat, non præcipitatur.* In sublimi cecidit, qui spumosas vndas securus calcauit.
Audi attentiùs quæ subdit: *In monte tamen cecidit.* Sic summo montis vertice stare perarduum, vt liquidas calcare faciliùs: quisque sibi longam moram in apice felicitatis promisit, se vanissimis spebus fefellit: solidiores sunt spumosæ gressibus vndæ, fluitare consueuere faciliùs apices. Petrus tumidi æquoris intrepidus terga calcat; sed in monte gressus securè non fundat: *Fluitat, non labitur*; stare potuit reflante vento: radiante lumine non valuit stare: in excelso lapsus est, qui vestigiis æquora solidarat: ventis obstitit, vndas durauit; non tamen fulgurantis verticis valuit altitudine diu consistere, nec longo tempore perennare: *Quæ res tantum valet*, concludat Seneca epist.93. *vt* Seneca.
ereptum calamitatibus inter beatos locet? non potest adycere quod superest, vt beatissimum faciat, in summo deficit cliuo. Perennitas beatitudinis dos innata, varietas culmini semper annexa: ideò nullus culmine resplenduit beatus, quia dignitatis apice nullus securus: *In summo deficit cliuo.*

---

§. X.

Sibi feliciter parat augmentum, qui virtuti obsequenter præstat seruitium.

48. INter plures mortalium cæcos errores frequentior hic est: votis ambitiosis torquentur, & quia delusi aberrant, nunquam optatis incrementis fruuntur; ille optat animo tristitiam depellere; ille salutem precatur adquirere, aliter diuitiis inhiat, alter dignitates suspirat; nullus tamen quæ ad felicitatem ducit, parat ingredi virtutis viam: non loci, sed animi mutatione tristitia tollitur: non adquiritur dignitas anxiis suspiriis, sed Numinis dignis obsequiis. *Quid miraris*, aiebat Socrates teste Seneca epist. 28. *nihil tibi peregrinationis prodesse, cùm te circumferas: premit te eadem causa, quæ expulit.* O benè quem vitia exagitant, nulla possunt accedere commoda. *Onus animi*, aiebat ibi Stoïcus, *deponendum est*; variis huc & illuc distraheris curis, vt excutias insidens pondus, quod ipsa iactatione aliquando incommodius fit. Rapina sæpiùs dum exercetur, cum iustè possessis amittitur: dum cereis fallacibúsque criminum alis altiùs inuolatur, & profundiùs cœlesti ardore ala liquefacta deprimitur; virtus secum affert crementum, & quocumque accesserit, felicitatem aut nutriet, aut pariet. Rubenitæ altare excitant in religionis subsidium, in fideique indelebile fœdus; sed quale altare? *Cùm venissent ad tumulos Iordanis in terram Chanaan, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.* In hanc operosam molem innumeri parant arma, & disponunt missilia: verùm aduersus insanientem vulgi furorem elata permanet, perpetuos temporum deludens adsultus, & improuidos aduersariorum conatus. Ecqua huius causa? quia altare illud non sacrilegis idolorum ritibus; sed sacris Numinis dedicatum extiterat cultibus. Profectò iam euersum luxisset, si criminibus militasset; verùm dum virtuti obsequitur, & contra impetus & adsultus stabilitur. *Testimonij* (scribit Arias Montanus ad illa verba: *Cùm venissent ad tumulos*) Arias Mont.
&

Socrat. (margin, beside "Quid miraris")
Senec. Non prodest locorum mutatio, sed animorum. (margin, beside "Onus animi")

& monumenti publici ac perpetui indicium erat clarissimum iuxta Iordanem celeberrimum regionis totius amnem atque magnorum Dei miraculorum testem. Apud labiles perpetuò vndas extat firmissimum monimentum, quia de religione fulcitum: euersionem ardenter machinabantur Hebræi; at vbi pietati inseruire molem nouerunt, pedem referunt, & æternitati committunt: parum profuisset substructioni illi, ne funditus euerteretur lapidum firmitudo, ni virtutis inexpugnabili obtegeretur scuto, religionisque fulciretur nunquam nutaturo cæmento.

49. Sol quantumuis splendoribus fulgens celerrimè conficit iter, auratis orientis cunabulis horridus minatur occasus, & ne lucidos deflexerit gressus, tenebrosum semper territat aspectum sepulchrum. O quàm fidelis cursum peragit, qui claris oculis ardentem semper contemplatus est pyram; verùm hic cùm pugnante Iosue iam vicinaretur occasui, præcepto sistitur, & ducis

Ios.10.v.14. egregij edictis obsequitur. *Stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinauit occūbere spatio vnius diei. Non fuit antea nec postea tam longa dies obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel.* Non profuit augustior luminis pompa, vt diutius anteà tantisper immoraretur in vita, aut lucendi protelarentur spatia; verùm perfecit obedientia, quæ nunquam luminis efficeret pompa: micantiùs luxit, quia obsequentiùs seruiuit: quæ de luminis nitore non potuit, de præcepto sibi incrementa quæsiuit: dum contra vitia pugnat, fulget nitidior, dum Iosue ob-

Tertull. sequitur, lucet productior. Ad rem Tertullianus lib. aduers. Psychic. cap. 10. *Ipsis elementis stationem imperauit: stetit Sol in Gabaon, & Luna in Aialon, donec vltus est populus de inimicis suis, & stetit Sol in medio cælo, & non accedebat in occasum*: tam diu distulit funestum occasum, quamdiu religiosum Ducis adimpleuit præceptum. Splendorem addidit obedientia, & diuturnior durauit vita. O quot dum originis lumina in vitiorum commutauere fomenta, florida iuuentute perierunt! O quot dum vegetas corporis vires salacitate deprauant, putridis adurgentur doloribus, & vrgentissimis laborauere cruciatibus! O quot sibi stragem exundantibus coëmère diuitiis! Sol vitam protrahit, & splendorem luminis incrementat, dum radios eiaculatur in vitia: *Stetit Sol in medio coelo, & non accedebat in occasum*: fors sibi maturauisset occasum, ni morigeר amplecteretur præceptum: accedere ad tumulum distulit, qui sibi virtutibus & splendodorem excudit, & vitæ noua spatia elaborauit. Longiori vita fruêris, si virtutibus sacraueris vitam: fulgebis sanè splendidior, si vixeris etiam modestior.

50. Israelitarum populus marinos vortices desæuientis furoris minas frustraturus ingreditur, aqua constantiam didicit, vt iustos protegeret: in cumulum constipata iam non decurrit ad imum; sed eleuata ascendit in cœlum. O quàm secura via est in cælum miseris, ac iustis præbuis-

Exod. 14. v.22. se auxilium: *Ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextera eorum & læua.* Vorticum inflatior superbia dum crescere satagit ambitiosiùs, & elabitur citiùs: & cur modo aqua referat soliditatem murorum, & aëris spatia occupans subli miùs elata continuos lapsus nesciat impulsa? Quia iustis opem tulit, inquit apud Lippomanum Emissenus Eusebius, dum contra se obnititur, vt profugis auxilietur ad sydera vsque virtutis extollitur merito, non arrogantiæ artificio. De virtute sibi saxeam procudit constantiam, quæ de origine labilem sortiebatur naturam. Quia pedem retulit, vt Hebræus transiret, misericordia suffulsit altam, ne caderet. *Stabat aqua*, inquit Emissen.

Emissenus, *eleuata quidem, sed quasi fræno cohibita, ac populus quidem ducem sequebatur.* Humilem deseruit locum, & misericordia elatum acquisiuit fastigium: ni aqua cederet, lapsus prosequeretur antiquos telluri vicina; cælis remota; at dum cogitur obsequenter in cumulum, & clarior nitet, & eleuata clarescit: iam vicinatur cælis, quæ anteà appropinquabat profundis: incrementa sibi altitudinis auxit, dum virtutibus inseruiuit: vt firmaret vndis augmentum, misericordia præstitit contra naturam auxilium. Stat aqua iam firma, eleuatur secura, & quod fluctuum prouentibus acquirere nequiuisset fastigium, virtutum operibus adipiscebatur augmentum. Disce vel ab insensibilibus creaturis honestà exambire, & securè incrementari. Eleemosyna pauperi exhibita est veluti diuitiarum semen, quod fructum parit tempore suo. Præstita miseris gratia indefessa parit misericordibus incrementa. Dum Angelus Habacuc tulit ad misericordiam præstandam, aëre etiam tulit elatum cæloque vicinum, quasi misericordia inopi exhibita largientis sit altitudo: infirmitates depellit virtus, & sanat ægra corpora parsimonia: reformatur de virtutis myrothecio natura, vt de Hebræis præstita misericordia in murorum faciem duratur aqua.

Zachæus quantumuis Princeps, quantumuis 51.
diuitiarum sacculis diuitatus, & manebat semper pusillus: videndi Domini aliqando vrgetur vtilissimo desiderio, & sycomorum ascendit, vt videat: *Ecce vir nomine Zachæus & hic princeps* Luc.19.v.2.
erat publicanorum & ipse diues, & quærebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. O quàm pusillitate prementur diuites ne aspexerint Christum! Originis vena fortassè magnus, & ob id ipsum virtute exiguus: diuitiarū luminibus fulgens, sed virtutibus fortè carens. Quid tandem? *Præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum.* Sycomoro Zachæus effertur, & quidem sycomoro Adamus deiicitur. Eccur hanc ascenderit arborem Zachęus, quā ominosam sibi habuerit Adamus? *Mysterio*, inquit Chrysologus serm. 54. *non casu* Chrysolog.
ascendit in arborem sycomorum, vt vnde Adam texerat nuditatem corporis, Zachæus inde velaret fœditatem auaritiæ: ascendit in arborem sycomorum, vt videret Iesum. Adamus de rapina voluit crescere, & imprudenter dispoliari curauit. Deiectus exulat, qui ficus foliis fructúque diuinitatem ambiuit. Zachæus ascendendi docuit modum, dum præstitit virtutis exemplum. Christi desiderio ascendit, Adamus violatione præcepti corruit. *Qui Christum videre quærit*, addit Chrysologus, *cælum, vnde Christus est, non terram, de qua aurum est, intueatur: diues ergo, qui sursum respicit, non portat diuitias; sed proculcat: nec incuruatur diuitijs, sed leuatur, atque agit diuitias ad largientis obsequium, non ad diuitiarum auaritiæ seruitutem.* Adamus raptis diuitiis nudatur, Zachæus bene dispensatis extollitur. Quam Adamus cæcè exambiuit, ficum Zachæus vernantem possedit; quia ille

Naxera in Iosue Tom.2.

ambitione obcæcatus voluit rapere, non mereri, iste acquisiuit meritis non rapinis. Si vis ascendere nobiliter ambitiosus, misericordiam exerce, disciplinam cole, ad rationis regulam viue.

52. Iacob matris consilia secutus trucem fratris vultum declinat: itinere fessus, noctisque tenebris impeditus humi cubat pro puluinari lapide durissimo vsus: *Tulit de lapidibus, qui iacebant, & supposuit capiti suo.* Lapis caput suffulciebat, & lassum, vtut poterat, recreabat. Quid ergo? Discusso somno Iacobus surgit, & lapidem, cui innixum caput, æternam sæculis columellam erexit: *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper:* Lapis nuper humili loco iacens sacratus erigitur, & ad dignitatis apicem eleuatur. Et quid huic lapidi tantam contulerit excellentiam? Fugientem tantillum recreasse, iustúmque fouisse. Lapis caput lassitudine fessum excepit, & Iacob lapidem ad gratitudinis argumentum olim iacentem leuauit. *Cum solum lapis agri esset,* scribit Lippomanus, *is lapis stabat, non iacebat secundum longitudinem erectus.* Erigitur lapis capitis pondus sustinens, & dormientem recreans. Omnia quidem in figura contingebant illis, vt his symbolis probos docerentur posteri mores: præ reliquis sublatus est lapis, qui præ reliquis caput suffulsit, & pauperem amplexus leuauit. Qui ambitiosis dignitatem votis anhelat, discat vel à lapide fastigia dignitatis ambire: misericordia obtinetur, moribus optimis culmen dignitatis aditur: dum iusto lapis gratum exhibuit seruitium, æternum sibi parauit augmentum: erectus est sacer de misericordia, qui abiectus iacebat turibus de fortuna.

Gen. 28. v. 11.

Lippoman.

53. Pharao vt regnum seruaret illæsum nondum solare contuitos iubar Hebræorum natos, cum nulla humanitate damnabat: nefarias excogitauit artes, quibus innocuam sobolem omni feritate deterreret, quo regni sui fundamenta firmaret. *Dixit Rex Ægypti obstetricibus Hebræorum, si masculus fuerit interficite eum, si fœmina, reseruate.* Vide in quàm homine indignas artes se regnandi libido extenderat: negauit se hominem, quò stabiliret se regem; verùm obstetrices plus iusto Dei timore armatæ, quàm nefariis, regiisque mandatis perculsæ, non fecerunt iuxta iniquum Regis præceptum, sed iuxta pietatis consilium. Quis tandem obstetricum finis & Pharaonis exitus? Tyranni regnum destruitur, & obstetricum felicitas sæculis firma adaugetur: testatur equidem Moyses: *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos.* Quid per domos textus significet, varié interpretantur Doctores, scilicet clarissimas reddidit earum nobilitate familias: superbas adauxit opes, longæuam protraxit vitam. Ita Lippomanus: *eas & admisceri Israeli Deus voluit, & illustrari earum familiam ac honore præcipuo inter alias numerari: domus enim vt Germanica, & Italica, & Hebraica phrasi, significat nobilem familiam.* En illustrem nobilitatem non de antiqua originis vena exortam, sed de misericordia elicitam: nec solùm illas nobilitas exornauit; sed filiorum numerositas, & diuitiarum vbertas. *Dicunt,* addit Lippomanus, *quod Deus fecit illis domos, idest familias, hoc est reddidit illas fœcundas ex viris suis, ac numerosissima donauit prole.* Ecce quàm diuersi vtrísque successus, Pharao innocentum sanguine fundare discupit regnum, & primogeniti mortem dolet, & naufragium regni expertus ingemuit. Qua stabilire firmiùs studuit, arte regnum celeriùs amisit: obstetrices verò quia miseris opem tulerant, & stabiliunt domos, & nobiles edunt partus, vt verum sit quod thesis præfixa aiebat, parare scilicet feliciter sibi augmentum, qui obsequenter virtuti præstat seruitium.

Exod. 1. v. 15.

Lippoman.

---

§. XI.

Inuicto robore vnio munita, quidquid prudenter aggressa, assequitur; quidquid ominosum, frustratur.

SIc est, nec inuenies aliter: concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur: est namque vnio felicitatis neruus, & imminentis calamitatis exilium: qui vnionis arctissimo nexu, aut amicitiæ vinculo copulati magna tentarunt, & feliciter sunt assecuti: militant alienis plausibus discordantes, felicitatem suam æternarunt fœdera stabilientes: inuictas vires inspirat vnio, & frater, qui adiuuatur à fratre, tanquam ciuitas fortis. *Nunc est potius,* aiebat Gudelina 10. var. 23. *quod regna coniungat, promissio fixa & votiua concordia.* Ni substructionis fundamenta arctis calcis nexibus coniungantur, ædificium ruina est, & quidquid hiatibus rimosis dehiscit, altitudini refragatur suæ, & dum celerem minatur casum, stabilire nequit ascensum. Profectò vel animalia pulchra nobis præstiterunt exempla: grues namque, qui alta semper tenent, & amico fœdere coniunguntur, & collatis veluti in vnum viribus obarmantur. Accipe Cassiod. 9. var. 2. *Grues moralem nouerunt exercere concordiam, inter quas nullus primatus quæritur, quia iniquitatis ambitus non habetur: vigilant vicissim, communi se cautela custodiunt: ipse pastus alternus est: sic honor nullis adimitur, dum omnia sub communione seruantur. His etiam volatus vicaria æqualitate disponitur: vltima fit prima, & quæ primatum tenuit, esse posterior non recusat: sic quadam communione sociata sibi sine regibus obsequuntur, sine dominatu parent, sine terrore famulantur: voluntariè seruiendo libera sunt, & inuicem se diligendo muniuntur.* Fortissimum munimentum amicabilis fœderis vnio: nam dum quælibet aliarum vires refouet, in sui tutelam quas refouet, lucro honestissimo acquirit. Rubenitæ, aliæque tribus, vt religionis æternum posteris testamentum relinquerent, molem operosis sumptibus extruunt altissimas nubes euincentem: *Ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.* Impossibile prudenti videretur nubes stabili structura exæquare; & tamen perfectum legitur, quod prudentiæ terminos transgredi censebatur. Nullis sæculorum assultibus ædificium erexerunt labefactandum: quia nouerant de concordiæ viribus præmuniendum: *Facilè indicatur erat principio operis magnitudo* (inquit hic Arias Montanus) *rem non vnius alteriúsve priuata ac singulari voluntate & opera; sed communi multorum; imò omnium deliberatione, consilio, & studio cœptam & confectam: quippe opus tantùm discordantibus animis* & 54

Cassiod.

Arias Mont.

& operis cōstrui, & manere non poterat. Itaque publicum opus publicū studium arguebat. Stabile huius operis fundamentum vniforme cunctis erat studiū. Stabat machina cōtinuis impetitionibus annorum insultans: quia & vnitate fundata, & vnionis firmissimis cæmentis munita. Vt discas, quæ vnitati vires insint, quamque ardua & laudabiliter aggrediatur, & assequatur feliciter.

55. Ezechiel res sane attonitas, plenásque speculatur formidine: ventum confuso turbine armatum, ingruentéque sæua tempestate munitum:
Ezech. 1. v. 4. *Ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius.* Grando cum igne conferta ruebat, & quæ ab ingenio discrepant, natura repugnante conuenerant: nubem hanc imbrem allisionum iaculorúmque portasse testatur Noster
Sanctius. Gaspar Sanctius cap. 1. in Ezechiel. *Ventus turbinis impellebat nubem horribilem & vastam, euomentem ignem, micantem fulgure, & durissima quæque minitantem: ex qua illa torquebantur spicula, quæ arma dicuntur esse Dei.* Verùm inter horrendos flammarum globulos, inter nigros caliginis æstus, inter deseuientis durissimos procellæ assultus speculatur propheta idem animalia discoloribus pennis munita, adeoque inoffensa, vt firmamentum illorum capitibus videretur innixum, ac humeris nunquam deterrendis suffultum: *Facies & pennas per quatuor partes habebant, iunctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum.* Quis non putaret animalia ista nigros in cineres breuiter vstulanda, dum flammas horrendum anhelantes proculcant, & confusos tempestatis fluctus secare parant; & tamen adeò securè incedunt, vt periculum solùm militauerit triumpho, nec seruierit excidio. Ecqua hauis causa est? Alas scilicet sic alternis annecti, vt omnes non tam plurium diceres, quam vnius: *Iunctæ erant pennæ eorum alterius ad alterum:* dum ergo fortissimo charitatis vinculo vniuntur, inoffensè inter anhelantes globulos asseruantur. Furat tempestas, insaniant venti, horrendum sibilent repugnantium sibi nubium allisiones; non tamen gradum animalibus morabuntur, nec placidissimam illorum felicitatem interpellabunt: non reuertentur, cùm incedunt, violentia tempestatis retusa; sed pergent illæsa placiditate triumphantia: quia de alarum nodis muniuntur, & contra insanientis spicula tempestatis armantur. *Animalium pennæ*, addit Sanctius, *vela itinum in modum erant extenta, atque ideo extrema alarum partes animalium, quæ eodem spatio curras directo gradiebantur, se mutuò tangebant.* En quos ea tanto fortunæ supercilio defendant, vt repetat Cassiodorus: *Inuicem se diligendo muniuntur.* Nec vacat sanè mysterio quatuor esse animalia, & faciebus quatuor instructa: *Quatuor facies vni*, scilicet sua, & reliquorum trium facies: nam de fœdere quodlibet alienam sibi faciem mutuatur, ne improspectè feriatur à tergo: illorum ergo vnumquodque ad omnem partem contra imminentia pericula facie munitur: quia ad omnem partem de alarum coniunctione faciebus cæterorum armatur. O quantum in vnione subsidij! Quas putas inspirabit vires concordia, quando inoffensi pergunt alites spicula inter flammantia? Ingruens turbo, nubes insolitis fragoribus terrens dum difficultates plus augent, & illæsas vnionis vires exaggeratiùs commendant. Didicit vel puerilis vnio globulos calcare flammantes, & placidum sibi rorem horrisono procudisse de incendio: nec alæ animalium adustæ; imò nec tetro fumo sunt obscuratæ: contulit namque vnio suppetias, & floruit inter globulos flammantes securitas.

Impuratus spiritus Saulem inhumanè exagitat: aduentus sui non obscuras notas dabat, 56.
oculi transuersim agebantur, prudentia de mentis arce ruebat: dæmoniacis motibus animus obturbabatur, quolibet rapiebatur pro dæmonis voluntate. O afflictatam summè Rempublicam! Dum Saulis animum alter possedit, & quò vult, rapit, quasi natus fuerit seruili obsequio, qui regni fungebatur dominio. Spectaculum vel seruos aulicosque ad commiserationem mouebat: de remedio consulunt & iuuamen aduersus impuratissimi dæmonis machinas à cantus melodia asciscunt: Dauid mapalibus degens palatium anteà ignotum sibi vocatus intrauit, & dum alieno subuenire parat periculo, discrimini obiicitur proprio: *Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul,* 1. Reg. 16.
Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu v. 23.
sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus. Inquirunt Doctores quid ad medelam musicæ contulerit melodia. Placet Rabanus moribus adaptans historiam, scilicet vires dæmonis fregisse Dauidem de chordarum vnione, resultantiúmque in cithara neruorum concordia. Accipe eius, & Eucherij verba apud Glossam: *Erat Dauid* Raban.
canticis musica eruditus. diuersorum sonorum ra- Eucher.
tionabilis moderatúsque concentus Ecclesiæ vnitatem significat, quæ varijs modis continuè resonat: Dauid cithara malignum spiritum compescuit, & dum vnione constans resonat neruorum concentus, reportatur contra dæmonem triumphus: quasi neque adeò virulenti hostis vires euertere potuerit concordiam; sed concordia vel dæmoniacas possit fregisse vires. Quid pro vnione pulchrius, quando nec dæmonum technis læditur, nec iratis flammis aduritur: Ibi salutis tessera, vbi & conspectu concordia.

Deus, vt quæ fortuna maneat posteros, Abra- 57.
hamo amicissimo præostendat, sacrificium sibi
parari imperat: *Sume*, inquit, *mihi vaccam trien-* Gen. 15. v. 10.
nem, & capram trimam, & arietem annorum trium: turturem quoque & columbam. Edictis paruit; verùm aues & animalia non eodem modo disposuit: nam animalia stridente per medium cultro diuisit; aues tamen nullatenus tetigit: *Tollens vniuersa hæc diuisit ea per medium, & vtrásque partes contra se altrinsecus posuit, aues autem non diuisit.* Parato iam sacrificio, omnique mysterio disposito Sol occumbit, & caligo tenebrosa succedit: clibanus flammis voracibus æstuabat, & ignis animalium corpora consumebat: *Cum occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas.* S. Augustinus quo acumine pollebat ingenij, notauit ignem vel auium pennam non attigisse, cum certum fuerit voracibus animalia flāmis vstulasse. Et cur ignis aues, non tangat, si duriora animaliū corpora adurat? Volat columba; sed & audax in monte capra: vtraque ergo aut nulla de altitudine sibi remedio contra fortunæ superciliū asciscat. O vide: animalia diuisione sibi opponūtur;

at columba, turtúrque diuisionem ignorant testante sacro eloquio: *Aues autem non diuisit:* vbi ergo relucet concordia, ibi etiam compescitur flamma, vbi verò diuisionis apparet gladius: ibi & ardentis fornacis adurit æstus: *In tur-*
August. *ture & columba*, inquit Augustin. serm de Quinquages. *spiritualiter possunt significari, vt in illis tribus animalibus carnales intelligi. Ergo diligenter attendite: quia illa tria animalia diuisisse in duas partes dicitur Abraham, & contra se inuicem posuisse: Aues, Scriptura inquit, non diuisit.* Quæ non diuisæ aues, flammam ignorarunt; sed quæ diuisa animalia, sustinuerunt. *Videte fratres: ignis iste inter diuisiones illas transiens dicitur: turturem quoque & columbam tetigisse non legitur.* Quid pro vnione pulchrius? Flammæ anhelabant, æstúsque desæuiebant; at vbi diuisio aditum non concessit, nec flamma adunatos adussit; verùm sibi ipsis inimica animalia contra se posita & separata cultum sustinent, & clibani flammis ardent: *Turturem & columbam tetigisse non legitur*: quia nec à se diuisæ, nec contra se separatione obarmatæ.

58. Deus vt Moysem in refractarios Ægyptios armet, vicaria quodammodo omnipotentia munit; ille verò vel mutuatitia omnipotentia obarmatus imperium molitur extrahere, & varias excusationis causas prætendere: linguæ tarditatem opponit, Pharaonis allegat duritiam, criminatur populi diffidentiam, & tandem cùm iam
Exod. 4. v. 13. Numen omnia complanasset, adhuc instat: *Obsecro*, inquit, *Domine, mitte quem missurus es.* Quid tunc? Socium Aaronem adiungit: *Aaron frater tuus Leuites: scio quod eloquens sit:* & iam Moyses nihil cunctatus populi libertatem molitur, & viam carpit: *Abijt Moyses.* O rudem & stupidum ad speciem pastorem! Deus Pharaonis datus legationem recusas, & fratre associatus paras? Quid proderit fratrem habere priuilegiis diuinitatis fulgenti, aut quid oberit non habere vicariâ omnipotentia micanti? Diuinitas est inuicta potentia, cui nec resistere poterit peruicacia, nec refragari malitia: Aaron terrea compago, periculorum formido: ergo in omnipotentiæ iniuriam fratre associatus, paras obedire, qui diuinitate munitus institeras repugnare. Profectò magna nobis ex Moysis tergiuersatione doctrina: eas nouit vires vnionem præbere fraternam, vt ad nostram eruditionem diuinitate repugnet armatus, & legationem subeat vinculo vnionis munitus: *Non acquieuit*
Oleaster. *Sanctus vir Dei*, inquit hîc Oleaster ad mores, *quousque hic socium in legatione daret.* Omnipotentiæ vires offert: *Ecce constitui te Deum,* & tamen repugnat: socium fraterna charitate illi adiungit, & iam ardua difficillimáque negotia expedire contendit. Vt scias vnionis vires prorsus insuperabiles, & quantumuis confluant aduersa, vel dæmonibus inuincibiles.

---

§. XII.

Impossibilia tentat audax peruersitatis malitia; tentet ardua & virtutis efficacia.

59. SIc libidinosus peccandi furor mortalium corda subegit, vt iam scelera consueta displiceant, studiosè inuigilant plures, vt prodigiosa flagitiorum architectentur machinamenta, & opere expleuerint cogitata: olim bouem confixit Aaron tumultuosis clamoribus impetitus: quia in Ægypto iam adorauerant bouem: quasi ni consuetudine noto idolo offerre libamina detrectarint: *Sapiens ignis effigiem vituli defundit* Tertull.
illis, scribit Tertullianus aduersus Gnosticos cap. 3. *sugillans illis cor habentes, vbi & thesaurum, apud Ægiptum scilicet, inter cætera animalia bonis etiam cuiusdam consecratricem*: Visitata tunc perpetrauere piacula, iam displicent sæculis assueta delicta: nouitati studetur, & vsque ad impossibilia peccandi desiderium protrahitur.
Non viuunt, scribit Senec. epist. 122. *contra natu-* Seneca.
ram, qui hyeme concupiscunt rosam; fomentóque aquarum calentium; & calorum apta imitatione brumalium florem vernum exprimunt? Non viuunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt? quorum sylua in tectis domuum ac fastigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbè cacumina egissent? Non viuunt contra naturam, qui fundamenta thermarum in mare iaciunt? Cum instituerunt omnia contra naturæ consuetudinem velle, nouissimè in totum ab illa desciscunt. Iam non solùm naturæ aduersa; sed tentantur impossibilia. *Res sordida est* aiebat ibi Stoicus, *trita ac vulgari via viuere.* Adde & peccare. De scelerum singularitate plausum lucrari plures nituntur, & quod peius est, elucrantur. Hanc ergo peruersi furoris temeritatem æmuletur aliquando generosus ardor virtutis: tentet summa, affectet impossibilia, ne vitium iactabundum de suorum temeritate, ac fide virtutem confundat. Adsunt Rubenitæ virtutis asseclæ, celebresqúe religionis vindices, qui vbi primùm post longa tempora propria reuisunt, curas ad fulciendam religionem extendunt, machinámque construunt infinitæ magnidinis, ne iam turris fabricatores de molis glorientur insania, aut ventosa turgeant superbia: *Cùm venissent ad tumolos Iordanis in terram Chanaan, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis* In infinitum extendere molem tentant, quo ad posteros testimonium religionis transmittant: aggressa est virtus, quod error sæpesæpiùs & perficere
aggressus est. *Idolorum solemnia*, aiebat Tertullia- Tertull.
nus lib. de Baptismo cap 2. *vel arcana de suggestu, & apparatu, deque sumptu fidem & auctoritatem sibi extruunt. Miratur enim simplicia quasi vana (incredulitas) magnifica quasi impossibilia,* Cæcus idololatriæ pruritus, quo figmentorum suorum cultum ac venerationem, externam; tantúm speciem demirantibus persuadeat, nec pyramidibus parcit insanis, nec pompis nouit abstinere superbis, imò immetatis substructionibus elaborandis studiosè inuigilat, & indefessè laborat. Hos ergo insanos cæcitatis conatus feliciori successu Rubenitarum perficit virtus: quò molem extruxerint sumptuosam, conati sunt infinitam: tentarunt ardua docti à peruersis, & moliti sunt aggredi impossibilia.

Nabuchodonosor, qua inflabatur superbiæ ventositate, ne vel dormiens detumesceret, varias somno sibi adulatus depinxit imagines: arborem adeò proceram conspexit, vt & sydera coma verreret, & Solis fulgoribus obuiaret: 60.
Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum. Adeò immodicis arrogantiæ imbri- Dan. 4. v. 8.
bus,

bus, ac vanitatis fluminibus irrigata, & præsumptionis fallaciis culta tumebat, vt mirum non fuerit sydera cacumine contigisse; sed vltra cælos ramorum brachia non propagasse: hic idem statuam cernit aspectu terribilem, ac proceritate membrorum immanem, sed celer adeò est magnitudinis ruina, vt nec vestigium seruare valuerit memoria: ab ariolis interpretationem, imò ipsum somnium, quod phantasia exciderat, deposcebat: cui arioli: *Non est homo super terram, qui sermonem tuum Rex possit implere... Sermo enim quem tu quæris, rex, grauis est, nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu regis, exceptis dijs, quorum non est cum hominibus conuersatio.* Quid tunc? Daniel non vocatus dari sibi tempus rogat, quo reuocauerit somnium, ac eius reseraret arcanum: *Daniel ingressus rogauit regem, vt tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi.* Vterque profectò temeritatis nota videtur inustus: & rex dum homines ad impossibilia cogit, & Daniel dum non vocatus aperire abstrusa promittit: si somnium volucribus adeò euolauerat alis, vt nec ipse Nabuchod. retinuere valuerit, quomodo Daniel poterit reuocare? Ad hæc si Daniel minimè interpellatus, quid rem adeò difficilem est aggressus? Profectò vt sententiæ ferociam sisteret, & morte sapientes immerita liberaret. Vidit arrogantiam impossibilia tentare, & abstrusa aggressa est charitas aperire. Eccur Daniel quantumuis difficillima non auderet, ob charitatem explicare somnia, quando Nabuchod. ob arrogantiam impossibilia iubebat reuocari figmenta? Prodest Theodoretus

Theodor. orat. 2. in Daniel. *Hæc*, inquit, *non solum ipsius temeritatem ac feritatem; sed etiam summam stultitiam indicant, extrema enim dementia est opinari vel comminatione maiorum, vel bonorum pollicitatione maiorem in Chaldæis cognitionem ingeneratum iri.* Egregia sanè amentia altiora humana sapientia inquirere, & arcana ænigmatum integumentis obliuionísque sepulta tenebris indagare; verùm dum inflatior temeritas & temeraria arrogantia impossibilia audet, Daniel & satis ardua promittit, tempus sibi dari exposcit, vt quæ egregium decebat vatem, pietatem exerceat, homine maiora conatur. *Hæc quoque misericordia*, addit Theodoretus, *prophetam decet: neque enim tulit solus cum amicis ab iniusta cæde liberari; sed etiam Chaldæis incolumitatem molitur.* Vt iniustè damnatis opportunè subueniat, charitas ardua, & hominum iudicio impossibilia molitur: quia inflatioris superbiæ imperium ad impossibilia subiectis extenditur. Disce ab insanis amoribus glacies, niuésque perferre: disce à dementi auri cupiditate syrtes, vortices, & frequenter maris procellas despicere: disce ab ambitu insomnes noctes, & laboriosos ponere menses: cur non audebit semel flagrans charitatis flamma, quæ toties aggressa est cupiditatum dementia?

61. Petrus condiscipulis associatus cum tempestate mari feruenti depræliabatur: Christus Dominus opem laturus aduentat, & vndarum vortices haud nutanti vestigio calcat: agnouit Petrus, eóque flagrabat amore, vt nauis lina vel actibus impulsa ventis lentissima iudicarit: quò celeriùs properet, calcandi vndas concedi sibi

Matth. 14. v. 29. facultatem precatur: *Descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum.* Profectò Petrus reus alicui videatur temeritatis, labiles fluctus, pondus corporis sustinere non valent: vndis ergo viatorem incedere erit indubia sibi pericula asciscere: nauem remigiis vrgeat, quo viam ad Christum celeriùs carpat; sed æquore humanis pedibus non incedat. O Petri feruorem! Ea tentauit amore magistri, quæ cupiditate Pharao olim tentauerat auri: per maris profunda Hebræorum populus viam ad libertatem carpebat, Pharao auro inhians nec maris vorticibus deterretur, nec naufragiis imminentibus refrænatur: labilem temerarius vndam calcare est aggressus, nec solum pedes; sed equis & curribus stipatus: *Dixit inimicus: Perseaquar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea.* Exod. 15. v. 9. En Pharao auri splendoribus obcæcatus per vortices marinos incedit: cur ergo Petrus, quæ temeritas cupiditate delusa, non auderet charitatis viuida flamma? *Spiritu vertiginis abducuntur*, (de Ægyptiis scribebat Lippomanus ad illa verba Exodi 14. *Persequentésque Ægyptij.*) *in reprobum sensum, & se ipsos inuoluunt, & secum sibi pares abripiunt in iudicium horribile damnatorum.* Lippom. Impossibilia humanis viribus molitur Pharao diuitiarum libidine victus: cur ergo Petrus similia non audeat charitate magistri allectus? Pharao spumosos non timet fluctus, quò vitiis accedat deterior, cur timeret Petrus, quo magistro propinquaret vicinior: *Feruentissima Petri erga Christum charitas erat*, scribit Theophylactus: *desiderabat enim statim propè illum esse, & præ alys.* Theoph. Ea Petrus Christum versus ardente charitatis feruore molitur, quæ Pharao aduersus Deum æstuanti diuitiarum cupidine aggreditur: nec enim fas erat, vt charitas non auderet, quæ insania tentasset: indecorum esset, si auri fames de asseclarum temeritate, ac infelici audacia virtutis confudisset alumnos, & Christi Domini infamasset discipulos. Ergo Petrus marinos per vortices non naufragus; sed viator incedat, ne palmam temeritas sibi exambiat.

Populus sic idololatriæ libidine insaniit, vt aureum vitulum conflari sibi tumultuoso clamore deposcat, & itineris ducem constituat: *Fac nobis deos, qui nos præcedant.* 62. Exod. 32. v. 1. Quàm præceps, & exoculata temeritas! Vitulum aureum fingunt, vt gressum explicet, & certum tramitem per desertorum errores indicet: contenti non sunt brutum delegisse; sed tardigradum vitulum sibi conflasse: inanimis exambiere ductum, & postulauere ducatum: ea tentarunt impossibilia, quæ vel in obbrutescentium hominum mentem nunquam venirent: *Fac nobis deos, qui nos præcedant.* Sanè ducem agere, viásque gressibus designare vitam deposcebat, Deum autem auro efformari factitium & inanimem testabatur: quomodò ergo de immobilitate motus, de morte vita, de brutalitate prudentia quiuerant exoriri? Chimæram fingunt, ne solitis peccent, ne consuetis insaniant: hoc est aggressa temeritas, & cur similia non auderet humanitas? Petra sitiente populo virga percutitur, percussus silex flammis ânhelantibus non respondit; sed gelidis, limpidissimísque scaturiuit laticibus: nec sat liberalitati fuit fontium retulisse ingenium, ni viuentium etiam exprimeret motum. Petra veluti progressiuo motu prædita, humanísque pedibus fulta Israelitas sequebatur, &

quod natura grauitatis negabat, flamma charitatis docebat: *Bibebant*, scribit Paulus ad Corinthios, *de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus.* Petra Christi ænigma, & viuidæ charitatis imago sic grauitatis deposuit ingenium, vt progressionis ambiret motum: ardua sanè res: retardante pondere lapidem pergrandem natiuo veluti impulsu moueri, & flammiuomum silicem gelidis laticibus promanare: sed cur non tentaret Petra, vt succurreret, quæ vitulus tentauit, vt falleret? *Dicit Rabbi Salomon*, scribit Lyra, *quod vidit spiritum vitæ in vitulo, sicut dicitur: Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Vitam in aureo vitulo, comestionémque fallaces adumbrauere præstigiæ: cur ergo petræ motum indere recusarent virtutes. *Aqua*, inquit Tertullianus lib. de baptismo cap. 9. *de comite petra populo defluebat.* Petra Christo Domino similis vel reluctante ingenio motum didicit: quia vitulus refragrante veritate vitam simulauit: nec enim fas esset, vt præstigiæ vitulo ad fulciendam idololatriam indidissent vitam, nec virtus lapidi præstitisset motum ad fulciendam misericordiam.

1. Cor. 10. v. 4.

Lyra.

Tertullian.

---

§. XIII.

Quidquid indecorum, malignè suspiciosi credimus; quidquid gloriosum peruersè cauti discutimus.

63. NEscio quo pacto expromptiorem fidem in gloria apud homines nanciscuntur, vana cōfictáque facilem adeò assensum inueniunt, vt nullo præmisso examine vti indubia credantur, & vti verissima prædicentur; vera formidinem sæpè generant, & veluti lapsura in erratum suspendit affectata sæpè prudentia iudicium: explorat, discutit, non semel, quæ indubia; credit cæcè quæ conficta; si tamen fœda hæc, & gloriosa illa. *Citò accedimus opinioni*, scribebat Seneca epist. 13. *non coarguimus illa, quæ nos in metum adducunt, nec excutimus... nescio quomodo magis vana perturbant: vera enim modum suum habent. Quidquid ex incerto venit, coniectura & licentia pauentis animi traditur.* Non ineptiùs fortasse diceret: Quidquid ex incerto venit, coniecturæ & licentiæ suspicantis animi traditur: ardens nobis inest aliorum gloriam innubilandi pruritus; cæcis adeò oculis quidquid obscurum complectimur; quidquid gloriosum examinamus: generant præclara aliorum inuidiam, fœda innutriunt peruersissimam complacentiam: vnde quisque sibi in alienis erratis credendis plaudit, quisque alienas laudes audire fugit. O ignobilis mortalium genius nimis credulus ad errata, nimis pendens ad laudabilia. Discesserant Rubenitæ hostium spoliis onusti, cúmque pietate erga Deum propria reuisentes gestirent, operosam substructionem, religionis præconium, fidei indicem, gratitudinis testem in Iordanis erexere planitie. *Cum venissent ad tumulos Iordanis in terram Chanaan, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.* Fulgurabat pietas, micabat certè religio, molis linguâ beneficia retulit gratitudo, verùm nescio quis rumor ad Israelitas, qui trans

Seneca.

Quicquid ex incerto venit licentia traditur.

Iordanem, peruenit, & iam veluti in refractarios, & fœdifragos obarmantur: *Cùm audissent filij Israel, & ad eos certi nuncij detulissent, ædificasse filios Ruben & Gad, & dimidiæ tribus Manasse altare in terra Chanaan, conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos.* Rumor altare ædificatum retulit; sed Hebræus peiora præsumpsit. Accessit citò opinioni non coarguit, non discussit; imò altare in religionis cultum erectum, ad impietatem credidit fabricatum. Benè dixit Seneca vana perturbare, & modum conficta sæpè sæpiùs excedere: altare, vt verè fuit, poterat religiosè construi, impiéque similiter fabricari; at quàm primum ædificatam percipiunt aram, certam religionis putant iniuriam: Quidquid ex incerto venit, coniecturæ, & licentiæ suspicacis animi traditum est, audierunt aram substructam, quo studio ignorarunt; sed imprudenti licentia pessimo irreligiosóque crediderunt. Vides quàm facilè vanis rumoribus fidem dederint: vide modò quantis argumentis egeant, vt sententiam demutarint: sanctissimi grauissimique rem exploratum legantur viri: Rubenitæ, aliíque in argumentum gratitudinis & religionis præconium altare attestantur erectum. *Fortissimus Deus Dominus, fortissimus Deus Dominus, ipse nouit & Israel simul intelliget: si præuaricationis animo hoc altare construximus, non custodiat nos; sed puniat nos in præsenti.* Sacramento adhibito veritatem confirmant, vtque illis fides adhibeatur, diris se execrationibus onerant. Certè nullo adhibito iuramento præstita fides rumori est; ast vt præstetur veris intercessere iusiurandum & maledictum: *Iusiurandum*, scribit Masius, *quo Deum appellantes, suam isti declarant innocentiam, tum demum adhibere fas est, cùm factum alioqui incertum est, & in hominum animis clausum latet pietatis studium:* non minus suspectum latebat animis sacrilegium; adeò tamen arduè quidquid gloriosum creditur, adeò facilè quidquid fœdum, certum putatur, vt ad fidem veritas indiguerit Sacramento, cum leui tantum rumore inniteretur mendacium.

Masius.

Paradisæis topiariis noxia carentibus voluptate primi deliciabantur parentes; ad inuidiam excitatus est dæmon, eorúmque, quæ viderat, visione saucius, ferientem referire connititur: serpentis facie personatus insidiosè meditata aggreditur: vox humanitate fulgurat, odio tamen præcordia æstuant: negatam arborem fructúmque interdictum testatur, vt diuinitas denegetur: *Nequaquam morte moriemini: scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij.* Execrabilem hanc sententiam, & plenam audaciæ vocem sic patulæ Euæ aures ebibere sitientes, vt nullo adhibito examine serpenti crediderit: propinauit exinceps Adamo candicante manu venenum; hausit etiam ille nullo examine, cæco iudicio. Vides quàm facilè inuenerit fidem mendacium. Transi mihi cogitatione ad mulierem aliam charitate feruidam, veritatis discipulam: Christum inuenit resurrexisse, Apostolis denūciauit: *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum.* Euacuatum monumentum expāsis oculis viderat, respexerátque: non testatur auditum, sed intentis aciebus prodit sæpesæpiùs examinatum. Quid tunc? *Exijt ergo Petrus & Ioannes & venerunt ad monumentum.* Assumptis amoris

64.

Gen. 3. v. 5.

Ioan. 20. v. 2.

amoris alis rem discussuri inuolauere discipuli: sed examinemus modò hoc Apostolorum examen: si mulier apertè mentienti, aut apertè saltèm nescienti (aiebat enim: *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de omni Ligno?*) credidit: si Adamus mulieri dedit aures, cur Petrus & Ioannes mulieris testimonio non satisfiii contendunt rem exploratum? Proh veritatatis infortunium! quæ vera, quæque creditu sanè secura, solerter discutiuntur, diligentérque examinátur; quæ conficta & fide prorsus aliena sitienter hauriuntur, indubiáque ferè semper putantur.
Theophyl. *Vide hic*, scribit Theopylactus, *quam alienus à fastu sit Euangelista, quomodo testetur diligentiam Petri in scrutando.* Hic adhibetur diligentia, ibi relucet ignauia: nec mirum, nam serpens pestifero malignitatis flatu diuinam munificentiam obscurauit, hic mulier gloriam asseruit, Eua pomum exundare diuinitate testatur, & sine examine creditur, aut certè sine ambiguitate recipitur: hic mulier sepulchrum vacuum asserit, & Petrus, vt attentis oculis perscrutetur, excurrit, veritati fides adhibita non est absque oculorum suffragio, falsitati habita est fides absque prudenti scrutinio. Nec mirum: alibi nanque deprædicabantur gloriosa; alibi verò confingebantur obscura, & ingloria cæco malignitatis impetu sæpesæpiùs creduntur; gloriosa malignitate explorantur. O quoties dum aliorum elogia referuntur, aut hæremus, aut retundimus, aut dubitamus; si verò ignominiosa rumor sparserit & excipimus, & credimus, & vulgamus.

65. Succedat sibi Petrus: post anxios remigationis labores, post expectata per momenta naufragia Christus Apostolis opem laturus per marinos vortices inuolat, graciles calcabat spumas, sicque vt in solo celer gradiebatur in salo: viderunt Apostoli, & nescio qua suspicione delusi & phantasma credunt & elatis clamoribus, confusancisque vocibus timorem pro-
Matth.14. v.26. dunt: *Videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt dicentes: quia phantasma est, & præ timore clamauerunt.* Inde suspicio exorta, vnde bene laudatio nata: de ope phantasma credunt, aut quia miseris nullus properat imperciturus leuamen, aut quia quos fortuna semel deiecit, vel phantasmata calamitatem adaugent. Ecce quod asserebat Stoicus, suspicionibus laborarunt, crediderunt citò opinioni: re omninò indiscussa, Magister quò timorem sedet, vocem profert satis illis notam, humanitatisque fulgoribus coruscantem: *Habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* Quid tunc? Petrus audiit, & aliquantulum dubius hæret, verticésque è naui prosilit calcaturus, vt rem cominus accedens examinet: *Domine si tu es, iube me ad te venire super aquas.* Petrus videtur credere, Dominum vocans; sed fidem apposita conditione confundit: *Si tu es.* Notauit quo solet acumine Caie-
Caietan. tanus: *Adhuc non plenè certus, an ille loquens cum eis esset Iesus, certificari quærit de hoc:* phantasma suspicati fundamentóque nullo innixi exertis vocibus protulerunt: *quia phantasma est*; at post notam omnibus vocem, post attestationem illam magistri: *Ego sum, nolite timere*, adhuc addubitat Petrus, & rem properat discussurus. Verum quid necessium est exploratum petere veritatem, quando inexploratam crediderunt omnes fictionem: cur dum phantasma suspicati sunt, attentiori non explorauerunt obtutu: cur non hæsere dubij, cur non dubitauere suspensi? nulla hæsitantia, dubietate nulla *quia phantasma est*, omnes conclamauere conformes; nec tamen post magistri vocem audies quia magister est; sed *Domine, si tu es:* pendet erga veritatem apposita conditione iudicium, non egit circa suspicionem erratum: certè phantasma esse præstigias sonat, versutámque arguit astutiam; at fragiles calcare lapsus, solidaréque gressibus vndas omnipotentiæ commendabat virtutem, eóque pruritu indecora homines credunt, eáque hæsitantia gloriosa percipiunt, vt inanis suspicio exertè phantasma dixerit, cùm nota vox virtutem non persuaserit. *Adhuc non plenè certus, an ille loquens cum eis esset Iesus, certificari quærit de hoc.* De hoc quærit certificari, quia de illo certificari minimè requisiuit: phantasma inani credidit suspicione turbatus; magistrum dubitauit adhuc notis vocibus eruditus.

Moysi conspicuus obiicitur Deus senticoso illo Arabiæ recessu: sæpè namque Deus inter 66.
tribulos laborúmque inuenitur spinas; rarissimè inter felicitatis, nitidásque fauentis fortunæ pompas: vidit rubum spinis exteriùs horridum, interius Numinis possessione iucundum. O mirum! Arbusculam debilem ignis adsultibus non vstulari, sed luminosis splendoribus redimiri: vidit Moyses effectum ignis sopitum, vidit arborem luminibus scatentem, fontisque imitatam ingenium, vel dissitos frutices copiosis splendorum vndis irrigantem: mons totus mutis præconiis adesse diuinitatem vulgabat; pastor tamen ipsis oculis malè fidens nondum credebat: *Vadam*, inquit, *& videbo hanc visionem magnam.* Exod.3.v.3. Huius itineris intentum fuisse propiùs inspexisse miraculum, experitique portentum, ne fortè apparens lux oculos elusisset, aut falsus aciem splendor reuerberasset, tradit Tostatus quæst.4. *Putabat Moyses quòd accedendo ad rubum causam cognoscere posset, quàm non combureretur rubus. Et hoc quia fortè existimauit non esse ignem verum; sed apparentiam ignis. Et hoc poterat experiri apponendo alia ligna, vt videret si comburerentur, vel apponendo manum ad videndum vtrum aliquis calor ibi appareret.* Tostat. Suspicatus est aliquam oculorum fraudem inesse, manúque experturus rem aduolauit: vides circa veritatem nimis prudentem dubitare, examénque solicitum adhibere. Historiam prosequere, vidéque virgam in colubrum versam diffugisse: *Quid habes*, inquit Deus, *in manu tua?* Agolum ille respondet, proiicere in terram iubetur, vbi primùm illam tetigit, in colubrum squamis loricatum assurgit, quod sic Moysem terrore perculit, vt fugam arriperet: *Versa est in colubrum ita vt fugeret Moyses.* Exod.4.v.4. Lippomanus fuga ait veritatem colubri contestatum. *Quod igitur fugerit Moyses à facie serpentis indicat veritatem miraculi.* Lippoman. Credidit virgam serpentem, rubum dubitauit conspicuum. Ecqua discriminis causa est? Rubum splendoribus cinctum, & sanè illæsum expansis oculis captabat; vt serpentem spiras explicantè videbat; & tamen prensare non est aggressus serpentem, & properat contrectare manibus fruticem: serpentem vt vidit, credidit: circa rubum inter euidentiam & hæsitantiam luctatus est; nec mirum: nam rubus splendoribus rutilus, coluber ad speciem horri

horridus: & quidem quidquid horridum, quidquid fœdum, rarò ambigitur; quidquid nobile, ac splendidum dubitatur: *Fortè existimauit non esse ignem verum*; non tamen existimauit colubrum esse præstigiosum: pendent circa alienas laudes iudicia, properant circa defectus errata. Crede ergo plus veris, nec fidem adeò plenè præstiteris falsis.

---

§. XIV.

Egregium sanè miraculum splendenti luminum pompa fulgere, & ambitiosè virtutibus inseruire.

67. MVlta virtutibus obstant, multa ad cælos oculos leuare non sinunt: veritas ab aulis, teste Seneca lib.6. de benef. cap.31. extorris exulat, & mendacium exultat. *Cùm bellum Græciæ indiceret Xerxes, animum tumentem, oblitúmque quam caducis confideret, nemo non impulit. Alius aiebat non laturos nuncios belli, & ad primam aduentus famam terga versuros, alius nihil esse dubij, quin illa mole non vinci solum Græcia, sed obrui posset: magis verendum, ne vacuas, desertásque vrbes inuenirent, & profugis hostibus vastæ solicitudines relinquerentur, non habituris vbi tantas vires euertere possent. In hunc modum multa vndique iactabantur, quæ hominem nimia æstimatione sui furentem concitarent.* Hi potentiæ partus, hi genuini diuitiarum sunt fructus: superbiæ scilicet metas transgredi, ambitionis limites, & insana vitiorum hucusque inuenta supergredi: Superbia & dignitas vterinæ sorores, diuitiæ virulenti virtutum probantur hostes. *Animosi accipitres*, scribit Attalaricus 8. var. 31. *aquilæ venatrices, & suprà omnes alites acutiùs intuentes volatus solitarios concupiscunt, quia rapaces insidiæ innoxia conuenticula non requirunt.* Aquila altiùs aëre sublimis iniustis prædis vigilanter studet, pusillarúmque auium anhelat ardentem fuso cruore extinguere, aut saltem sopire sitim: quasi altiùs cæteris euolare, captiosas fuerit exacutis vnguibus insidias simplicibus tetendisse. Mira res, ornatus pompa fulgere, nec stragem virtutibus machinari: mira res, superbis exundare diuitiis, & iniustis pauperum pepercisse rapinis. *Nonnulli*, scribit Plutarchus de consolat. ad Appollon. *ex insipientia sunt vsque adeò stolidi, & insolentes, & nonnihil erecti aut ob ingentem pecuniæ affluentiam, aut magnitudinem imperij, aut ob Principatum in rempublicam aliquem, aut honorum, aut gloriæ causa comminentur inferioribus, & lasciuiant.* Profectò altitudo, dum plus eleuatur ad sidera, maiora minatur virtutibus detrimenta, dum plus cultior auro pompa refulget, & plus innocentia dolet. Mirum erit, si instabilis felicitatis aura, rotáque deaurata fortunæ mores non læserint, & probas consuetudines non detriuerint. Rubenitæ, vt peruenerunt Iordanis ad tumulos, molem extruunt altitudine operosissimam: *Cùm venissent ad tumulos Iordanis in terra Chanaan ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.* Res volucri ad reliquos fama perlata est, expeditionémque statim parant, vt à religione deficientes grauissimis suppliciorum pœnis adurgeant. *Conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos.* Sacrilegum arbitrantur altare, & quidem de magnitudine erat suspectum, déque sumptu virtuti quodammodo & religioni inimicum. Arma capiunt, vt religionem vindicent, quia dum immensæ molis aram audiuere constructam, arbitrati sunt penitus disciplinam religionis euersam. Profectò ara religionis erat sæculis immortale præconium, fideique firmissimum munimentum; verùm magnitudo adeò suspecta est, vt iam & religionem arbitrati fuerint violatam, & penitus obseruantiam legis deletam. *Incenduntur Israelitæ*, scribit Masius, *suspicione atrocis rei aduersus fratres suos.* Atrocem virtuti suspicantur molem, quasi de sæculi consuetudine quidquid resplendet elatum, & dignis moribus probetur aduersum.

Seneca. *Attalaric.* *Fugit iustorum consortium qui cupit perpetrare delictum.* *Plutarch.* *Masius.*

Barbarus ille adeò præsumptione obcæcatus, vt de antidoto operosis sibi artibus lethale elaborarit venenum, statuam construit, quam sacrilegis thuris suffitibus adorare præcepit: stetit pro virtute adolescentia; nec enim semper virtuti inimica: ille immodicis indignationis æstibus ardens pueros innocuos anhelantis fornacis flammis commendat: verum rationabilis ignis, quia criminis non adinuenit reatum, splendorum gratum pueris exhibebat obsequium: *Angelus Domini descendit cum Azaria & socijs eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit.* Chrysostomus acutè perpendit ignem non extinctum, sed ardorem tantum veluti iniecto fræno repressum: fornacis medium blandis roris flatibus blanditur, non horrendum ebullientibus incendiis grassatur. Verùm si excussit flammam ignis: eccur non extinxit nitorem? Vt grandius, respondet Chrysostomus hom.4. ad populum, augustiúsque miraculum appareret. Si Angelus prorsus extinxisset incendium, non vreret; sed nec nitidos fulgores haberet; non læderet innocuos; sed nec turgidos sortiretur luminis radios: túncque non adeò esset mirum obscurum ignem extinctúmque incendium obsequium virtutibus præstitisse; ac erat ignem splendoribus collucentem radiorúmque pompa prædiuitem iustis non attulisse discrimina, sed exhibuisse virtuti obsequia: hæc sumptuosior miraculi pompa, & celebranda sæculis fama. Non adeò mirum erat nudatum splendoribus ignem virtutibus inseruire; vt erat virtutibus inseruire, fulgentissimis luminum diuitiis radiare. Audi Chrysostomum: *Non naturam mutauit; sed quod erat mirabilius permanentis naturæ vim repressit: non enim ignem extinxit; sed ardentem inefficacem reddidit.* O sæculis deprædicandum prodigium! Cœlos attingentem flammam lumine coruscο fulgere, & innocentiæ debitam reuerentiam præstare. Alta fulget, & tamen iustis non nocet: splendoribus rutilat; sed sanctorum reuerenter lambit pedes: adeò abest, vt bellum religioni minetur, vt pro virtutibus tyranni furoribus opponatur. Immerita soluit vincula, vt digna exhibuerit obsequia: *Quod erat mirabilius, permanentis naturæ vim repressit.* 68.

Dan.3.v.49. *Chrysost.*

Populus celeri gressu Pharaonis tyrannidem effugiebat: ille facultatem verberibus persuasus concesserat; sed vt erat ad vitia pronus, ita ad virtutes perstitit durus: facilè pœnitentiæ egit 69.

pœniten

pœnitentiam, qui nec diu aſperrimis punitus flagellis ad virtutis planã potuerit adduci viam. Se populus marinis vorticibus tradit, ne ſæuioris tyrannidis iterum deprædatus ſit vndis: ceſſit aqua, & in ſe contra ſe fluctus obnixus iter conceſſit puluerulentum, qui ineuitabile ad ſpeciem minabatur naufragium:

Exod. 14. v. 21.

Abſtulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum, diuiſáque eſt aqua Nec ſolùm aqua diuiſa eſt; ſed in faciem muri conſtipata ſurgebat, & fugientes quodammodo veluti ſaxeus paries circumuallabat: *Ingreſſi ſunt*, inquit, *filij Iſrael per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus à dextera eorum & læua.* Profectò meliùs ſopiretur fugientium timor, ſi prorſus mare exiccatum, quam ſi in vitreos quantumuis muros digeſtum: non erat ſatis minitantes barbarorum mucrones vereri, quin etiam & timidos tumens vnda feriret. Non lædebat fluctu, ſed adurgebat profectò metu. Cur ergo non exiccat aquas, vt ſecuriores deferri ſibi populus admiretur ſuppetias? Imò vt ſumptuoſiùs appareat miraculum, inquit Origenes, aquam extollit ad ſydera, vt ſtupenda ſæculis exhibuerit obſequia. Aquam acrioribus ventum flatibus exiccare non adeò peregrinum erat, vt in cumulum cogere, & in cumulum eleuatam virtutibus inſeruire: alta curuatur, & in ſemet altitudo repreſſa virtuti ambitioſè obſequitur: non denudauit pompam, & exhibuit reuerentiam.

Origen.

Mira Dei potentia, inquit Origenes in Catena Lippoman *cogitur fluctus in cumulum, & vnda in ſemetipſam repreſſa curuatur. Soliditatem recipit liquor, & ſolum maris areſcit in puluerem, vt ſicca planta populus Dei tranſiret.*

Dei gratia vel ſaxa ſoliditatem recipiunt, & montes aqua imitantur.

En Numinis admirandam potentiam vndam fluctibus diuitare, & elatam virtutibus obedire. Adeò altitudo virtuti opponitur, adeò auguſtior pompa ingenioſa eſt criminum officina, vt auguſtior Numinis rutilarit potentia, ſi non abſorpta, ſed ad ſydera elata obſequium iuſtis præſtiterit vnda. *Mira Dei potentia.* Et quare? *Quia cogitur fluctus in cumulum, & vnda in ſemetipſam repreſſa curuatur.* Alia ediderat virga portenta, alia parturierat prodigia; verùm hic, hic & ſpiritus aura vehementior: *Abſtulit illud Dominus flante vento vehementi*, & ſingularitas miraculi auguſtior.

70. Properante Chriſto ſæuiſſimæ ad paſſionis cruciatus ſedula illa fœmina conſanguinitate coniuncta reuerenter acceſſit, quo faciliùs deſiderata impetraret. Proh quanta exhibentur obſequia, dum tentantur culmina, & dum exambiuntur faſtigia! Petitionis ſeries hæc erat:

Matth. 20. v. 21.

Dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Chriſtus Dominus ſtultitiam prodit, dum ambitionem coarguit: merentur namque publica ambitionis crimina, & nota omnibus reprehenſionis flagella: *Neſcitis quid petatis.* Et quæ huius ambitioſæ petitionis dementia? Ambire thronos, & dexteram: per mulierem res agebatur, vt notauit Chryſoſtomus in catena, vt dum ad ſpeciem quæritur dextera, fratres obſcurarit ſiniſtra:

Chryſoſt.

Neſcitis quid petatis: quaſi dicat: Ego vos vocaui ad partem dexteram de ſiniſtra: & vos veſtro conſilio curritis ad ſiniſtram: ideò forſitan per mulierem res agebatur: contulit enim ſe diabolus ad conſueta arma mulierum, vt ſicut Adam per mulierem ſpoliauit, ita & iſtos ſeparares per matrem. Sæculi huius thronos, vt communior ſentit opinio, expoſtulauit; adeóque exceſſus thronus & ſuperbior dignitas fulgent ad virtutis detrimentum, vt ſub pietatis ſpecie obcæcati ambitione fratres ſibi ſolitauerint damnum.

Plures damnũ acquirit ſibi per matres.

Non negauerim vbique poſſe florere virtutes; at mehercle in plurimum diuitiarum dignitatúmque regio moribus minimè ſalubris eſt: neſciunt quid petant, dum dexteram, & thronum exambiunt quaſi repugnantia ſibi petierint. Benè, ſed altiorem adhuc à Chryſoſtomi verbis ſenſum eruere fauente gratia tentemus: *Vt ſicut Adam*, inquit, *per mulierem ſpoliauit, ita & iſtos ſeparares per matrem.* Verùm ſi Adamus mulieris blanditiis delinitus conſiliiſque improbis perſuaſus præceptum violauit, Dominíque præſentiam diffugit; & iſti vicinitatem exambiunt: *Ad dexteram tuam*, Chriſtíque diſciplinam colere ad ſpeciem diſcupiunt, quomodo Adamo ſunt comparandi? Quia adeò dignitatis pompa de præceptorum ſæpeſæpiùs nebulis rutilat, vt ferè idem fuerit & præceptum violare, & culmen dignitatis ambire. Adamus per Euam ſeductus, iſti & per matrem abſtracti. Voce vicinitatem poſtulant; ſed re diſtantiam.

Deprælíabatur Ioſue contra Amorrhæos: dubia initio ſors; verùm vt tantillum certaminis ſuſtinuere laborem, & adipiſci inceperunt laboris præmium. Iam victoria iniuſtorum partem conceſſerat; verùm Sol flammiuomos generoſóſque ardentibus agitabat equos calcaribus, & ne tempus anguſtius eximiam adeò de hoſtibus victoriam eriperet, dum victis euadendi tempus concederet, cauſa ſiſus ſtrenuus dux imperium vſque ad ſydera extendit: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.* Ducis præceptis cœleſtis militia paruit, Sólque remoratos habenis equos etſi impatientes defixit: *Steterúntque Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* 71. Ioſ. 10. v. 13.

Procopius apud Gloſſam conferens cum Moyſis miraculis Ioſue mira, adeò præfert lucidiſſimum hoc portentum, vt reliqua dixerit nobiliter obſcuraſſe. *Moſes non dixit ſtet Sol, non ſuſpexit in cœlum; non ſignum cœleſte oſtendit; verùm Ioſue dixit ſtet Sol, ac ſcriptura teſtis eſt nulli vnquam hominum Deum ita morem geſſiſſe.* Procopi.

Morem geſſit Deus Moyſi, dum paſtoritia virga elementis imperauit; verùm ruſticum paſtoris agolum ſtetiſſe pro virtute non mirum; mirum tamen fuit Solem meridiana luminum pompa fulgere, & Ioſue triumphis digniſſimis inſeruire. *Stetit Sol*, aiebat Tertull. lib. aduerſ. Pſychic. cap. 10. *in medio cœlo, & non accedebat in occaſum.* Tertull.

Mira res præceptis obſecutum ſplendidum, mira res iuſſis paruiſſe, & pro virtutibus militaſſe. Multa patrauit Moyſes, verùm lucidiorem non fecit Hebræorum triumphis creaturam ſeruire: *non ſuſpexit in cœlum*; aſt meus Ioſue maiores ſuos longè ſupergreſſus, Solem ſtitit, & virtuti parere docuit.

§. XV.

Ægrè adultum vitium deteritur, facilè ipſis cunabulis reſecatur.

Vitium nobis acceſſit, non omne peccatum noſtra inoleuit natura; nemo tamen diſpungere 72.

ſpungere ſatagit; ſed in poſterum ignauis mittit, nemo ſe auarum intelligit, nemo cupidum, nec fœda tantùm nos poſſedit inſcitia; ſed quod peius eſt affectata, prorſus de ipſis criminibus arrogantia. Qui diligenti ſolertia accedentem prauitatem deberemus abigere, ambitiosè vocamus, & noſtris quodammodò præcordiis miſcemus, quo iam non ſit extrinſecus malum noſtrum, ſed intra nos ſit, ipſis in viſceribus ſolerter abſconditus; & ideò difficulter medica manus admittitur. Ægritudo noſtra nobis voluptati eſt, nec diſplicet vitiis fœdari, qui virtutibus nati viuere; verùm etſi vitia omnia contra induſtriam pugnent, & ſinapis incendium reſpuant; illa tamen leuiùs patientur reſcindi, quæ in ipſis cunabulis contigerit reſecari. *Nunc nos quærimus quidem medicum*, ſcribit Seneca epiſt. 91. *qui minus negotij haberet, ſi adhiberetur ad recèns vitium: ſequerentur teneri & rudes animi recta monſtrantem.* Teneris animis recentibúſque appetitionibus fræna facilius iniicimus, & rectum ad tramitem reuocamus. *Difficultatem vobis querelæ ſubmouemus*, ſcribit Theodericus 5. variarum 15. *dum in ipſis cunabulis ſcelera commiſſa reſecantur.* Apprimè dixit, *in cunabulis reſecantur*, recèns edita: nam poſteà vires fatigabunt adulta: *Improbitas*, ſcribit Plutarchus lib. An in quo vitium ſit, &c. *præter omnia paratum poſtquam inſinuauit ſe animo, obterit & proruit, implet mœrore, lamentatione, acerbitate, pœnitentia hominem: indicio eſt quòd multi dum laniantur, ſilent, dum flagellantur, ſufferunt & retinent: dum tormentis [illegible] a dominis vel tyrannis, vocem non emittunt, excandeſcentiæ vero non imperaueris quietem, nec luctui ſilentium, nec trepidanti perſuaſeris conſiſtere, nec pœnitentia languentis non vociferari*: adhærent intimius, & ideò auelluntur dolentiùs. Qui argento viuo laborant trepidi, vexatione initio paratam medelam habent; ſi tamen in medullas, neruóſque deſcenderit, tremor cum ipſa vita auellendus erit: tranſit in conſuetudinem vitium; conſuetudo vertitur in naturam: dum naſcitur, in alieno hæret, facilè extirpari, & expelli poteſt: dum adoleſcit, in ſuo figitur, ideò operosè diuelli poteſt: fixè inſident, quæ in propria loca deueniunt: vacillant quæ ſedibus alienis incumbunt. Rubenitæ, aliique duarum tribuum gentiles aram conſtruunt in Iordanis ampla & peramœna planitie: moles gratitudinis erat lingua; ſed dum fidem ipſi patriam operoſis teſtantur fabricis, apud fratres indecoris idololatriæ accuſantur indiciis. Zelo religionis, qui trans Iordanem exæſtuant, altaréque celerrimo pede properant euerſuri. *Cùm audiſſent filij Iſrael ædificaſſe filios Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe altare in terra Chanaan . . . miſerunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazar ſacerdotis*, &c. Non diu moras trahunt, non prolixis conſultationibus differunt; ſed remedia properè maturare feſtinant, quia ſciunt vitia in cunabulis facilè extingui; adulta tamen vel ægriùs extenuari. *More medicorum*, ſcribit Caſſiodorus 5. variarum 39. *ſenioribus morbis accelerata remedia tribuamus; quando & hoc pietatis genus eſt coercere infantiam criminis, ne iuueneſcat augmentis.* Hoc idem Ioſue optimo Principi curæ fuit extirpare, vel in ſeminario vitia, ne faceſſerent laborem adaucta.

Senec. *Teneri animi facilè ſequūtur recta mōſtrantem.*

Theoderic. *Vitia in cunabulis reſecantur, adulta ægre medelam patiuntur*

Plutarch.

Caſſiodor. *Miſericordia eſt infantiam criminum coercere.*

O diſcant Principes paruulis adhuc criminibus diligenter adhibere medelam, ne ſi iuueneſcant, omnibus minitentur ruinam.

Arma prenſat Michaël, vt luminis campo 73.
cœleſtibus ſtipatus agminibus inuido cum dracone confligat: arduum profectò certamen, etſi non dubium: vicit in cælo veritas, mendacium triumphauerat paradiſo, vt extunc ſolum Olympum veritatis ſedem, & fraudum patriam agnoueris mundum. *Factum eſt prælium magnum in cælo: Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone . . . & proiectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus.* Tranſi mihi modò cogitatione ad certamen aliud Regia Pharaonis inter Magorum & Aaronis virgas initum. Moyſes populi libertatem poſcebat, Pharao iniuſtiſſimus denegabat: ventum eſt inter Magos & Moyſem ad prælium: proiecit Aaron virgam, quæ iterum animata eſt in draconem reptantium Principem: proiecerunt & Magi virgas ſuas, quæ illuſoriis fraudibus, veriſque incantationibus ſpeciem aſſumpſere ſerpentum: difficilis ſanè conflictus, vbi ſingularis Moſeij veritas tot mendaciorum impetebatur agminibus. Regia pro Magis ſtabat, & quando mendacia veritatem non detriumpharunt in Regia; modò tamen Aaronis draco auido ore Magorum ſerpentes abſorbuit, vtque adaugeret victoriam, nec ſtagis veſtigia oculis dereliquit. Glorioſior fuit victoria nullo relicto veſtigio poſteris dubia, quàm relictis eſſet indicibus certa: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* His, ſi placet, immoremur tantiſper, videamúſque qua ratione vnica Aaronis virga in tot ſerpentes audeat intrepidè, vincátque glorioſè, quando Michael fortitudine armatus ſocios auxiliares aduocat, vt vnicum draconem deuincat. *Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone: deuorauit virga Aaron virgas eorum:* ſibi de ſerpentis pulſu non inermis pugnator plaudit, cùm virga de tot ſerpentum deuoratione ſibi non plaudat; & tamen virga non tantùm expulit, ſed abſorbuit. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? An quia de paſtoritiæ virgæ ignobilitate obſcuratus eſt triumphus, & de Michaelis dignitate incrementatus eſt plauſus? O humilium infauſta ſors! nihil grande ab illis factum videtur, quia de fortunæ tenebris obſcuratur. Michael draconem pepulit, non extinxit; & tamen fauſtis, iteratiſque clamoribus cæli reſonant, inuiſúmque retro ſæculis triumphum conclamant. Bene, ſed & arcanam adaptemur theſis ſcopo differentiam: Moyſis virga ſerpentes deuorat; ſed recens profectò natos; modò ſpirare cœperunt; modò terram verrere, ſquamiſque teneris loricari: *Proiecerunt*, inquit, *ſinguli virgas ſuas, quæ verſa ſunt in dracones; ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Nondum editi & iam dracones abſorpti, nondum ſanguinem venis fouerant, & iam trucidati fundebant. Proh accelerata iniquitatis augmenta, quibus à tergo ruina! Aſt Michaël antiquum ſerpentem depulit ſpiris ſinuoſis diſtortum, adultóque veneno robuſtum: adeóque arduum eſt inueteratis vitiis adhibere medelam, adeò facilius erumpentibus beſtiolis auferre vitam, vt iure Michael de triumpho quæſiuerit gloriam. Proiectus eſt draco ſerpens antiquus: abſorpti ſunt dracones; ſed teneri & recèns nati: glorioſius ergo depellere, quia facilius deglutire. *Rectè diabolus,*

Apoc. 12. v. 7.

Exod. 7. v. 12.

Ambroſ. *Indecora actiones ignobilia nomina cudunt.*

lus, inquit Ambrosius hîc, *serpens vocatur, siue quod per serpentem primum hominem deceperit, siue quod veneno suæ malitiæ genus humanum perdiderit.* Erat annosus serpens, qui obscuris fraudum latebris vel in paradiso delituit: erant récèns satis nati dracones, illum ergo antris educere cauernosis, ad gehennaléque auerni bustum depellere singularis erat virtutis, quia & singularis extiterat arduitatis. *Quod ille draco magnus*, inquit Rupertus lib. 7. in Apocalyps. *ille serpens antiquus diabolus & Sathanas proiectus est in terram cum Angelis suis, dicunt magna voce cantores gratiæ Dei, laudatores operum Christi filij Dei: Nunc facta est salus & virtus.* Non apparuit adeò eximia virtus in tot recèns natis draconibus deuorandis, vt in versutiis draconis antiquissimi deterendis. Teneros frutices manu euelles, distorta & annosa robora nec violentiâ ferri extirpabis.

Rupert.

Sceleratiora supplicia regnorum munitissima fundamenta.

74. Bis de fœminæ pulchritudine minitatur Abrahamo periculum: & quando mulieris venustas non fuit honori, aut commoditati naufragium. Pharaonis aulici mariti prophetæ sanè apud Regem laudibus non commendauere virtutem; ast de placendi studio vxoris deprædicant venustatem. Rex laudationibus flabellatus mulierem rapit, &, vt videtur, diu in palatij deliciis retinet: *Sublata est mulier in domum Pharaonis.* Proh infaustissimam potentiam! Nihil miserabilius est, quàm posse placita, & velle iniqua. Interim Deus serui sui honoris zelotypus sic Pharaonem magnis cruciatibus vrget, vt prædam ambitiosè quæsitam, & iucundè inuentam restituere vel inuitum compellat: *Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abraham.* Post tot honoris fluctus sedatos adsimilis iterum in honorem ingruit procella. Abimelech namque mulieris pulchritudine illectus eam sibi in vxorem copulari gestiuit. *Misit ergo Abimelech rex Gerare, & tulit eam.* Vides procellosum in portu naufragium, vide etiam in naufragio securum portum: *Venit Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter vxorem, quam tulisti*, Abrahæ nimirum. Verùm si Pharao ictibus durissimis flagellatur, cur Abimelech minis tantummodò deterretur: si satis sunt minæ, dura cur infliguntur flagella? Et si flagella pernecessaria, cur fulminantur tantummodò minæ? Eadem in vtroque palatio vertitur causa, eadem ergo proferatur sententia, ne personarum acceptio aut iustitiam denigret, aut prouidentiam infamet. Notauit id Rupertus lib. 6. in Genes. cap. 15. *Aliter hunc atque aliter Pharaonem Deus corripuit propter Abraham: Pharaonem namque flagellauit plagis maximis & domum eius. Huius autem satisfactione suscepta... Et ego scio, inquit, quòd per ignorantiam feceris, & idcirco non permisi te, vt tangeres eam.* Ea ipsa nocte diem, qua Saram tulerat, insequente, vt placet pluribus, ad Abimelechum Dominus venit: innuit textus: *Venit*, inquit, *Deus ad Abimelech per somnium nocte.* Vt ergo recèns appetitus frænaretur, satis fuit minarum terror; ast vt Pharao retentam diu fœminam restitueret, flagellis maximis vapulauit: Abimelechus desiderium adhuc corde premebat: *non tetigerat eam*; Pharao verò diu pulchritudinis adspectibus oblectatus, & quantumuis iniuriam neuter intulerit, dispari vterque castigatione mulctatus est. Pharaonis diurnitate durior plaga; ideò acerbior medicina: nondum natum crimen minitatione tantùm rescissum est; diu verò adultus affectus duris verberibus infrænatus: inueterati morbi ægrè patiuntur malagma: ideò dura sustinuere semper flagella. Citissimè curat [illegible], vt prosit de celeritate remedium, ne dum [illegible], induraretur obstinatione delictum. Adde facilè hominem recentibus mederi plagis, cùm Angelus non medeatur inueteratissimis morbis.

Genes. 12. v. 15.

Gen. 20. v. 2.

Rupert.

75. Saucium illum, in quem penè exanimem inflictis à grassatoribus plagis incidit Samaritanus, ad stabulum duxit, stabularioque studiosissimè commendauit: *Curam illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi.* Ambrosius in catena notauit stabularium his vulneribus adhibuisse medelam, vitámque penè exanimi refudisse: *Ille stabularius alterius vulnera curare potest.* Ægrotus alius non adeo morti vicinus piscinam incoluit, vt ab Angelo sanitatem reciperet, longissimis spebus distortus nondum impetrat sanitatem, quousque ipse Dominus Angelorum & resoluta paralysi membra præcepti ligatura constringit, & lectum humeris portare iubet: *Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam: erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua.* Hinc nascitur non facilis difficultas: si stabularius ferè mortuum placidam reducit ad vitam, si altorum vulnerum nondum manere sustinet cicatrices, cur Angelus faciliori ægritudini tot sæculis non medetur, nec membra redintegrantur? Ipsa dubitandi ratio est & dubietatis solutio: alibi etsi vulnera execta membrorum compage copioso sanguine scaturirent; tamen recèns inflicta ideò medicamine vel ab homine adhibito feliciter fota, & dexteritate curata; verùm vbi adoleuit cum ipsa vita ægritudo, non iam Angeli, sed creatoris manus desiderauit: non est Angelicæ industriæ luxata membra propriis sedibus per longam annorum seriem elocata compingere; imò omnipotentiæ Domini erit elogium sanare. Difficulter antiqui morbi recipere consueuere medelam: quia respuunt sæpissimè medicinam. Innuit in catena Chrysostomus: *Angelus descendens turbabat aquam, & sanatiuam imponebat virtutem, vt discant Iudæi, quoniam multò magis Angelorum Dominus omnes ægritudines animæ sanare potest.* Accuratiùs attendenda quæ subdit: *Sed tunc quidem infirmitas impedimentum volenti curari fiebat.* Paralyticus salutem exambit, Angelus virtutem aquis impressurus descendit; nec tamen salus redintegratur, quia ipse morbus de diuturnitate & gressu lentior & curatu difficilior. Homo curat recèns saucium, quantumuis morti palpitantibus præcordiis vicinum, Angelus paralyticum non sanat, quia morbis inueteratum. Viribus Angelicis non exambio conflare inuidiam; sed prolixæ curationis perscrutor causam: possunt ardua, vincunt Angeli difficilia; verùm his Deus non instruxit exemplis, quo in peccatis perseuerare horreamus, vtque si aliquando vti homines lapsi, excutere citissimè properemus. Recèns saucium homo persanat, diu ægrotantem nec Angelus curat. *Admonet nos formarum cura præcipua*, scribit Cassiodorus 5. variarum 38. *vt quæ possunt noxiè crescere, debeamus celeriùs*

Luc. 10. v. 35

Ambros.

Chrysost.

Cassiodor.

Quæ noxiè possunt crescere, celeriter debent resecari.

rius amputare. Extemplo sunt amputanda, quæ salutis detrimentis augenda.

---

§. XVI.

Non bonus superior, qui cum delatione delationis combibit fidem, bonus qui penitiùs explorauerit veritatem.

76. MVlta ad iudices, ad superiorésque deferuntur, in quibus iudicandis, credendíscio: eadem sæpè proles & zelum, & liuorem agnoque opus est sano affectu, & perspicaci iudiscit patrem: sæpiùs delator æmulus, sæpissimè inuidus; rarò diuini honoris zelotypus: appellat quis alium de crimine, quod fortassis negligentiùs audiuit, fortassis falsò putauit, fortassis ab ingenio maligno accepit: quòd si superior prudentissimus non sit, ipso remedio periculosissimè laboratur: non repugnabo præbendas aliquando delatoribus aures: nec enim superior Argos; illud tamen moneo, ne temerè sententiam proferat delationibus irritatus; sed causam secum perpendat sedulus: *Superuacuum est*, Senecam audis lib.1. de clementia cap.20. *hoc loco admonere, ne facilè credat, vt verum excutiat, vt innocentia faueat, vt appareat rem agi non minus periclitantis, quàm iudicis.* Ne periclitetur cum accusato superior, penitiùs rem introspiciat, diligentiùs examinet, accuratiùs exploret: rumusculi susurrique non semel vel de illusione nascuntur, vel de liuore disseminantur: summo in his periculo erratur: florent namque sub nimis credulo superiore mendacia, & elogiis puniuntur digna. *Sæpius*, aiebat Seneca epist.7. *opinione, quam re laboramus*: satis verùm: nam si coniecturæ, licentiæque aditus ad superiores patuerit, opinione laborabunt egregij, & splendebunt garrulitate mendaces. Tribus illæ, quæ primæ in certaminibus reliquis fratribus opem tulerant, confecto iam bello ac vbique florente pace iterum propria reuisunt, illudque illis in primis studium fuit, aram scilicet gratitudinis columellam erigere: res statim ad Hebræos reliquos delata, qui re indiscussa iamiam tumultuari incipiunt, expeditionémque parant: occidissent innocuos, ni Iosue consultissimus Princeps, reliquique viri illi spectabiles ardentem vulgum industriè non cohibuissent, & impetus ferè impotentes accuratè frænassent; miserunt interim, qui rem spectassent cominùs, & perscrutarentur intimiùs: *Cùm audissent filij Israel ædificasse filios Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse altare, conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos.* In arma præcipites ruunt, in contribulésque religiosos sanè, vt quiuissent in sacrilegos, obarmantur; ast Iosue rumoribus incitatus rem maturiùs examinandam censuit, virósque spectabiles delegauit: *Interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis, & decem Principes cum eo.* Delatio veluti de crimine idololatriæ accusabat, populus inconsulto furore ardebat: bonus tamen Princeps ita rumores dubius excepit, vt sedulus veritatem inquireret. *Qua in re*, scribit Masius, *sicut vindicandæ auitæ religionis zelus laudem meretur maximam, ita quod parum exploratè cognitum habebant, id eos præcipiti existimatione prorsus condemnare dignum profectò est magna reprehensione.* Ardebant zelo, sed immaturo, sed indigno, sed periculoso: errassent profectò ipsa delatione fidem criminis combibentes, ni Iosue ardorem consilij prudentia refrigerasset. *Benè est quod se sustinent*, addit Masius, *collatisque in comitio sententijs consilium capiunt de cognoscendo priùs fratrum suorum animo, ex quo res omnis dijudicari debebat, quàm arma expediant. Ponitur igitur hic nobis ante oculos memorabile exemplum ne temerè moueamur suspicionibus.* Prudentiæ fuit sic rumores excipere, vt sequeretur examen: summæ temeritatis esset sic credere, vt sugillaretur iam crimen. Producamus in medium prouidentissimi, temerariique superioris exempla, vt euitemus alterius errata, alteriúsque prensemus vestigia.

Seneca.

Sæpiùs opinione quàm re laboramus.

Masius.

Dignum reprehensione est inauditos præcipiti temeritate damnare.

Dauid populi salus, quibus sibi conciliare 77.
debuisset plausum, egregiis facinoribus tulit odium: summates satis ex se inuidum Regis animum continuis delationibus sufflammabant, quibus ille instigatus Dauidi vitá auferre quam maximè discupiebat: iaculum contorquet obsequiorum mercedem, victor veluti victus odio erat, quique reipublicæ libertatis assertor, oculis notabatur vt proditor. Has iniurias cùm aliquando Dauid modestè retulisset, occasionem nactus opportunam sic Regem interpellauit: *Quare audis verba hominum loquentium: Dauid quærit malum aduersum te.* O quàm insanis persecutionis vorticibus vel naucleri dexteritas obturbatur! Si iam de adulationis artificio vel clara Regis delicta aliis non adscribuntur peccata. Quid interest verba nebulonum, maliloquorúmque auscultet? Bonus Princeps nulli denegabit aures, sed gratas vel fastiditis præbebit: carpat ergo odio inflammatas linguas obmurmurantium gehennales flammas, malignas inuidiæ voces, non regias aures: criminetur fidem illis Saulem inexploratè adhibuisse, non murmurationes gratis auribus auscultasse: ingeminet: *Quare credis?* non *Quare audis?* parum namque veritati noceret auditus, ni sequeretur assensus. O Dauidis prudentiam! Regem alloquitur vrbanissimus; ea tamen verba protulit, quæ exaggeratiùs regis peruersitatem notarent: non causatur delationes sitientibus auribus excepisse; sed cum ipsis criminationibus fidem vorasse: *Quare audis?* id est, *Quare credis?* quasi fides non expectarit iudicij assensum, sed querelarum auditum. Opportunè Abulens. quæst.18. *Quare audis verba hominum loquentium: Dauid quærit malum aduersum te, id est, quare vis assentire viris impijs, qui accusant me apud te?* Non potuit elegantiori penicillo Principis malignitatem depingere, quàm vocando assensum, auditum: quasi dicat: Non audis, vt explores; sed dum audis, assentiris, & dum assentiris inuidus & falsitates enutris, & virtutes iniustus deprædator insequeris. Quid non effutient garruli, adulatorésque, si tuam delationibus iniuerint gratiam? Quid non patiar ego libertatis assertor, si malignè conficta credis, & inexploratè assentiris. Leuiùs Saulis malignitatem denotasset, si Quare credis, dixisset; verùm quò acriùs imprudentem carpat assensum, prudenter appellauit Auditum. Acerbiorem virtutibus hostem prodit Saulem, dum causatur cum ipsa delatione delationis fidem haurire, quo nihil periculosiùs virtuti, & opportuniùs est crimini. In pessimo superiore

1. Reg. 24. v. 10.

Abulens.

Auris non semel improba fidei index.

superiore assensus confunditur cum auditu; in bono auditus distat quamplurimum ab assensu.

78. Procellosis cum ventorum adsultibus depræliabantur discipuli conglobatis aquarũ voluminibus vndique tetusa naufragabatur scapha: magister pietate diffluẽtibus aspexit oculis,& laturus opem labiles vndas,non tardis calcauit gressibus; verùm Apostoli, vt erant mẽte confusi,ibi timuerunt exitium,vbi proximius erat remediũ: fluxas super vndas,vbi aspexere gradientẽ,&clamoribus tentãt abigere properantẽ: *Turbati sunt dicentes: Quia phantasma est, & præ timore clamauerunt.* Dominus discipulorum anxietatis ac timoris fluctus voce sedauit,cùm tumẽtis æquoris vndas sine voce reprimeret: *Ego*, inquit, *sum, nolite timere.* Quid tunc Petrus? E naui in aquas celeri pede descẽdit, & agniturus magistrũ properat. *Descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquã, vt veniret ad Iesum.* O Petri audaciã! Videt nauigãtes omnes timore obturbari, audit ingeminatis clamoribus terrorem prodi: scit omnes vno ore attestari phantasma, & curiosus properat periculis vicinari? Immoretur naui, auriget, vt periculum frustretur, scapham, nec intrepidè calcet vndam. Imò ô Petri prudentiam! Nauis Princeps, Apostolorum caput, discipulorum superior ambulantem super vndas vnanimi consensu audit esse phantasma; nec tamen credit clamoribus; sed properat eminus experiri diligentiúsque perscrutari: non extorserunt clamores fidem; illis tamen motus solitum tentauit examen: audit, vt exploret, non credit cùm audit. Quid si tunc Petrus subiectorum vocibus motus assentiat? Profectò eximium Christi Domini miraculum denigraret: sugillasset temerarius, quàm deberet virtutem extollere obsequentissimus; ast dum examinaturus solerter properat, regiminis formam superiori præscribit: nam bonus superior rumoribus non assentitur credulus, sed examinat illibatus. *Quærebat certificari*, inquit Caietanus, *tactu corporeo, aut propinquitate tanta, vt clarè videre posset faciem, manus, vestes, & reliquum corpus solito more, quo quotidie cum eo conuersabatur: sic enim totaliter exclusa fuisset omnis suspicio quod esset phantasma.* Suspicio phantasma esse Petro ingeminatis vocibus affirmabat: *quia phantasma est*; verùm Petrus pastorum forma, regiminis speculum, prudentiæ elogium mouetur clamoribus, vt diligenter exploret; non tamen vt re inconsulta assentiatur: plures concordauerant testes, sed timore obturbati, sed agitati fluctibus, sed insomnes: his ergo adhibere fidem fidei esset iniuria, exploratum tendere fuit prudentia. O vtinam à Petro discerent superiores, inspiceréntque quasi per anatomiam solertius, an inuidentiæ fluctibus agitetur delator, an timore obturbetur, an fundamento probabili innixus, an ex se suspiciosus, an in credendo facilis, an peruersus. Ecce attestabantur plures egregium Christi miraculum illusorias esse præstigias: *quia phantasma est*; verùm etsi plurium concors testimonium, circumstantiis infirmabatur: nam inter confusas vorticum vndas, inter anxias tempestatis vertigines, inter procellosos maris adsultus, inter malè dubias auroræ luces. Quid in albicante diei noctísque confinio præter periculũ suum attenti inspicerẽt naufragi? Miraculum pauor illusorias criminatur præstigias, fors præstigias arbitrare-

Matth. 14. v. 26.

Caiet.

Naxera in Iosue Tom. 2.

tur miraculum. Ex vultu, ex vocis modo, ex dicendi affectu deprehendendũ est delatoris ingenium, ne committat superior temeritatis erratũ.

Aaron dignitatis culmine splendescebat; sed rutilus dignitatis fulgor inuidorum aciem reuerberabat: apud Moysem Aaronis germanum tumultuosis clamoribus Aaronis electionẽ causantur, non adeò eximiis meritis clarum, non adeò nobilibus excellentiis conspicuum testantur dignitatis apicem inscendisse, sed fauoris alis volasse. Quid tunc? (fungebatur namque non solùm creatoris honore, sed temporalis Principis munere.) Ad examen diuinum Numen procedit, vt superioribus gubernandi normam præscripserit. *Accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas: quem ex his elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant.* Rumores serpebant in populo, Aaronem scilicet turgido supercilio alios quantumuis benemeritos despexisse, inflatioréṁque superbiæ pompam affectasse. Inanes quidem querelæ. Quid ergo interdicet Deus magistratu Aaronem? Despiciet delationes vtpotè omnino inuidentia confictas, & liuore turpissimo natas? si Aaronem dignitate priuasset, optimum Reipublicæ Antistitem abstulisset; si verò criminationes quantumuis cæca ambitione partas despiciat, veris metum fortassis incutiet. Rem in examen vocat, vt delatio non de superioris neglectu, sed de malignitatis pruritu rubore suffundatur, vtque electus constet non fragili fauore eleuatus; sed suffragiis meritorum electus. Virga floruit, & viridi foliorum lingua, florulentáque voce egregias Aaronis deprædicauit virtutes, malignas depulit inuidentium accusationes: *Cùm Sacerdotium Aaron*, inquit Gregorius apud Glossam, *qui de tribu Leui fuerat, despiceretur, dignúsque alius, qui offerret holocausta crederetur, duodecim virgæ iuxta duodecim tribus in tabernaculo poni iubentur, & virga Leui viruit, & quid virtutis Aaron in munere haberet ostendit.* Delationibus credulas aures præbere erat ministris optimis rempublicam dispoliare; rumores despicere deferentium aliena ad superiores crimina, quod regimini non semel pernecessarium, linguas esset occludere; rem tamen ad æquam examinis trutinam expendisse fuit virtuti elogium, & ambitioni supplicium. Ostendit clarissimè examen dotes, quos inuidentia obscurabat, & humilitas electi tegebat: dum virga floret, dum micant fructus, arcentur querimoniæ, & diuerberantur inuidiæ. Exertè asserebant Aaronem munere indignum plures: communis serpebat rumor, ambitionis tamen erat indecorus partus, & liuoris pessimus fructus. Si superior delatoribus inexcussa re credidisset, prudentiam equidem maculasset; verùm dum interpellatus rumoribus æquo committit causam examini, & merita clarat, & malignitatem castigat. Adde, adhibito prudenti examine laudabilius superiorem à vero deerrare, quàm dubiis incertísque coniecturis attingere. 79.

Num. 17. v. 2. & 5.

Gregor.

Hinc fulciat thesim prudentissimum, vel cæci Isaaci iudicium. Miserat Esau venatum, vt cœlesti benedictione donaret: germanus pia fraude, & arcano dolo maioris personam induens patrem saporatis obsoniis deuincire sibi curauit: addubitauit senex, an Iacob fratris benedictionem ambiret, & inducta persona falleret: 80.

 erant

erant namque non improbabiles coniecturæ, obsonia scilicet citissimè condita & inuenta, vocis sonus, qui industriè licèt dissimulatus, non Esau, sed Iacob prodebat: hærebat senex inter prudentiæ suspiciones, & asserentis se primogenitum esse animositates, vtque hanc coniecturæ, prudentiæque dirimeret litem, manibus commisit examen: *Accede huc, vt tangam te fili mi, & probem vtrùm tu sis filius meus Esau, an non.* Maluit prudentissimus senex adhibito examine errare, quàm coniecturis incertis credere: si voci, si celeritati credidisset, ab studio nullatenus aberrasset: rectam attamen gubernationis normam sequentibus non præscriberet: felici ergo errore coniecturis non fidens Iacob benedictione ditauit. *Isaac pro indaganda veritate*, scribit Lippomanus, *nihil negligit, non contentus auditu tactum expetit certius signum.* Accinit Chrysostomus apud ipsum: *Ob vocem placidiorem dubitabat iustus.* De veritate dubitabat, probabiles satis coniecturæ dubium reddebant; sed quia iustus, ne coniecturis imprudens fideret, examine adhibito prudenter errauit. O si ab his arcanis discerent superiores, quantumuis veritatem ducti coniecturis sæpiùs venentur, prudentiæ, optimóque regimini contraire, & quantumuis adhibito examine à vero distent, se prudenter gerere, atque feliciùs errare.

Gen. 27. v. 21.

Chrysost.

Lippoman.

§. XVII.

Augustiori zelus ardoris pompa resplendet, dum viuidiùs curat alienis culpis mederi, quàm humana sibi commoda incrementare.

81. GEnerosus animus ex se concitatur ad honesta, virilis appetit ardua neminem honestæ præsumptionis virum, celsique ingenij sordida & humilia delectant. Speciosus virtutis decor (est namque oculis pestilenti passionum humore non suffusis pulcherrima) ad se vocat, nec tantùm vocat, sed rapit. Quemadmodum flamma nec iacere didicit, nec flecti nouit; sed in altum vel immensis ponderibus pressa ambitiosè contendit: ita generosus zeli ardor nescit ignauè quiescere, sed anhelat semper laudabiliter operari: extra ius ditionémque fortunæ viuit, innatóque impetu ad meliora rapitur. Secunda temperabit modestè, aduersa feret viriliter, & altis admiranda despiciet: magnanimè, & quia scit quæ virtutis summi æstimanda, vehementior est in his tuendis, quàm in propriis commodis procurandis. Et quidem vitium quodlibet gehennalis fornacis scintilla est: passionum acrius adspirantium flatibus, furentibúsque cupiditatis ventis flabellata transit quam citò in incendium, & ferè irremediabile adfert virtutis excidium. Huic malo omni solertia refragatur zelus, ne vires addat ignauia, omnésque animi virtutes misera depopuletur ruina: nam si lethalis hæc pestis altè præcordiis insederit, ad se remedia trahet, & industrio etiam medico negotium facesset. *Tunc*, aiebat Seneca epist. 39. *consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant; sed etiam placent, & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores sunt.* Figulus tenero in luto quamlibet superinducit figuram, fingit, refingit, format, obliterat; at postquam exiccatum induruit, citius quàm reformet disrumpet. Huius ingenij non indoctus zelus ipse se vrget, & cupiditatem velocioribus alis transgressus vincit: si insanum ambitionis æstum cum zeli adæquaueris flammis, minus ambitio furet, quàm zelus ardeat. Hebræi negligenter adeò adaugere curabant patrimonia, diuitiisque cumulare diuitias, vt Iosue marcescentem illorum obiurgarit ignauiam. *Vsquequo marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram.* Circa censum desides, verùm ad coërcenda crimina adeó acres, vt suspecta in altaris substructione Rubenitarum culpa ardentes in arma ruant, & maturandam è vestigiò legationem statuant. *Cum audissent filij Israel ædificasse filios Ruben, &c. conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos, & interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees, &c.* Properandum censent, vt crimina ipsis in cunabulis restinguantur: ecce qui sortes amplificare contempserant, ardentiùs inuolauere, re aliena euerterent crimina, quàm vt ditissima acquirerent prædia. Despiciunt aliis miranda, & dolent quæ pluribus contemnenda. *Qua in re*, scribit Masius, *vindicante auita religionis zelus laudem meretur maximam.* Adstipulatur Abulensis quæst. 11. *Incendebant nouem tribus & dimidia quod etsi duæ tribus, & dimidia inchoassent facinus, timore belli, quod indiceretur eis, desisterent:* plus illos adursit alieni criminis zelus, quàm imperij producendi appetitus. Citiùs medendis culpis statuerunt incumbere, lentiùs aggerandis opibus insudare: quod nobiliori zeli conditio est.

Seneca.

Dum vitia transeunt in mores, præsens euernantur virtutes.

Ios. 18. v. 3.

Masius.

Abulens.

Fugiebat celebris ille propheta fœminæ peruersæ insaniam, alas addidit metus, ne pigras in itinere poneret passus, verùm aut viæ laboribus fatigatus, aut tædio sanè impeditus se sub arborem abiecit, vt fessos artus soporis dulcedine recrearet. *Proiecit se, & obdormiuit in vmbra iuniperi.* Vides adhuc vrgente metu, adhuc compellente periculo, adhuc morte minitante somnum accepisse prophetam: vide illum ipsum longiora itinera nec tardo pede carpentem: à torrente Carith vsque ad Sarepta Sidoniorum contendit, neque adeò prolixo itinere dormire auditur, aut capessisse quietis tantillum refertur. *Surrexit, & abijt in Sarepta.* Viæ terminus termini coniungebatur initio, quasi nulla esset intercapedo: *Surrexit, & abijt.* Defuerunt ne in tam longo itinere frondosæ arbores? non molestarunt ardentes æstus? nulla occurrerunt hospitia? Cur ergo Elias cursum non repigrat, vt cibum aut somnum capiat? Quia diuini honoris ardentiùs incandiuit zelotypus, quàm propriæ salutis cupidus: non tantum missus est, vt à vidua hospita pasceretur; imò sub cibi specie, vt à veritate viduam religionéque extorrem pasceret, est delegatus. Ita Rabanus & Angelomus apud Glossam: *Hac vidua gentium significat Ecclesiam, quæ à suo diutius fuerat conditore deserta: populum fidei veræ, & rectæ veritatis nescium donec veniens sermo propheticus pasceretur ibi simul & pasceret.* Mittitur Elias Sareptam vitia idololatriæ extincturus: fugit ardentes mulieris furias suæ patrocinaturus saluti; verùm

82.

3. Reg. 18. v. 5.

3. Reg. 17. v. 10.

Glossa.

verum illud est discrimen inter propriæ vitæ studium, & alieni erroris extirpandi ardentissimum æstum, vt fugiens dormiat, & Sareptam versus alatus excurrat. Nouerat quàm parui æstimanda sit ipsa vita, quæ tempore breuissimo succidenda, aut ab aduersario amputanda; at animæ salus, quia æternùm fortunata, aut in sæculum misera sic zelotypi adurebat præcordia, vt nec permiserit somnum captasse placidum, nec vel exiguum sumere cibum. Ipse somnus zeli ardentis elogium est: resplendet lucidior de illis moris, candidior de nimis: lentior fuit Elias in auertendo a ceruicibus gladio, viuidior in euertendo idololatriæ delicto. O si zeli diuini alumni hoc zeli, sacræque æmulationis speculum intuerentur, suásque ad illud efformarent actiones! non sic auidè insequerentur commoditates, non sic remissè tuerentur virtutes; verùm nonnulli artificioso prodigio in zeli fornace Angelorum mentiuntur faciem, eiaculantúrque versus alios stridentem flammarum procellam, vt plausibilem sibi lucrentur lucem. Profectò nonnulli in religionis cœtu sunt Luciferi: non habent ardorem, sed quærunt lucem: & cùm non semel ab odio mutuentur animum; à zelo mutuantur etiam ad speciem studium. Bene ille aduertit, qui propriis commodis prætulit vel alienam virtutem, qui adussit crimina, vt lucrifaceret homines, non adussit homines, vt sanctitatis plausum acquireret: verus zelus suas notas habet, deprehendes facilè, si perspexeris.

83. Christus Dominus, etsi instantis mortis metu non terretur, humanæ naturæ propria non denegauit; verum antequam ad orcum descenderet, stragem Petro imminentem prædicit: *Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Luc. 22. v. 31. Vides Dominum in preces pro Petro fusum, vide illum etiam tendentem ad mortem, vt pro se ad Patrem preces effuderit: *Pater, si vis transfer calicem istum à me.* Incongrua ad speciem orationis series. Pro Petro priùs, & pro se Patrem rogauit posteriùs: estne Christus aliquorum adinstar qui cum aliorum commoda solicitè curarint in vita, sua Deum erant in vltima mortis angustia damnanda ignauia, aut periculosa fiducia. Minimè sanè: est enim Dominus perfectionis perfectio, virtus virtutis: verùm si orationis studia distinxeris, discriminis facilè rationem inuenies. Christus pro se orat, vt vitæ temporalis discrimen auertat: orat pro Petro, ne tentatio penitùs fidem concutiat, adeóque grauius Christi Domini zelum vrget Petri culpa, quàm propria infamia, vt pro Petro citiùs orauerit, pro se & sub conditione, & tardius: esset zeli flagrantis iniuria priùs studuisse propriis commodis, quàm extirpandis aliorum delictis: zeli Domini sumptuosius elogium est, pro temporali vita posterius, & pro Petri fide longas preces fudisse priùs. Nos miseri adeò corrupta æquitatis lance animæ & corporis negotia pensamus, vt puerorum instar aurea monilia & vniones pretiosas fragili, sed splendenti vitro commutemus. Domini zeli rutilantior de tarditate refulsit flamma, dum vitæ commoda vlteriori loco ponenda censuit, prioríque lucra animæ collocauit. Theophyl. *Rogaui igitur dicit*, scribit Theophylactus, *vt non deficiat fides tua; quamuis enim breui tempore concutiendus sis, habes tamen recondita semina fidei, vt etiam si folia abiecerit spiritus inualentia, radix tamen viret, & non deficiet fides tua.* Meliùs post aliqua: *post cœnam non desidia, & ludi, & somnus Dominum excipiebant; sed docebat & orabat propter nos... secessit autem in montem oliuarum, postquam talia docuisset discipulos, vt oraret.* Orauit propter nos, secessit postea oraturus pro se: priùs animarum curatoris negotium egit; posteà in vitæ patrocinium orauit. Zeli ardore temporalem oblitus est vitam, aut certè sub conditione & in locum vltimum reseruauit. Adde viuidam charitatem non solùm caduca commoda alienæ animæ saluti postponere, sed ipsam gloriam quodammodo posthabere.

Adest latro ille, qui gloriosa voce duros crucis temperauit cruciatus, & dolorum patientia leniuit ictus. Pendebat Christus Dominus patibulatus non tam inuidentiæ spolium, quàm charitatis trophæum, in exterius miserum, & interius verè beatum peruersa lingua belluinóque furore hostes insultabant: prius impatientiæ ille discipulus latro blasphemias didicit, quàm sibi consulere nouerit: qui à nudo rapere diuitias non poterat, honore dispoliare lingua satagebat: quos illi scelera dolores incusserant, lingua sacrilega in gloriæ Dominum euaporabat; socius verò blandiori genio præditus, sociíque insanis dicteriis præ clauis percussus illius insaniam aggreditur moderari. *Vnus de his, qui pendebant, latronibus blasphemabat: respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es: & nos quidem iustè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali fecit.* O crucis virtutem! Suscepit latronem, excudit martyrem: fortunatè in iudicum manus incidit, infeliciùs vitam protenderet. De Domini consortio eruditus fulgurante charitatis splendoribus voce socium corripuit, & veluti in redemptionis consortium admissus culpas etiam refrænare contendit. In socij audaciam temerariam inuehitur, vt linguam frænet, non vt petulantiam euulget, & postquam iniquitati verba reprehensione eripuit, oráque malignitatis occlusit, ad Dominum versis oculis quia manus tendere non valebat, linguam direxit, & humillimas preces fudit. Et dicebat ad Iesum: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Quàm citò eum docuit Spiritus sancti gratia! De latrone factus est confessor, de confessore beatus, verum si Domini mors instat, si latro impetrare sibi cæleste regnum exambit, cur satis angustum tempus in socio carpendo deterit, qui posset feliciùs in cælesti regno acquirendo sibi lucrari: petat à Domino paradisum, & socij postea dignis vocibus carpat insultum, ne dum in alium inuehitur, fugacem occasionem amiserit. O latronis zelum, ó viuidam charitatis flammam! Sua ipse delicta confessus est, *Iustè digna factis recipimus:* crimina confessione depulit, & socij etiam crimina depellere studuit; verùm iam gratiæ partus sic proximi vtilitatis Deique honoris nobilissima flamma exarsit, vt vel gloriam criminis coercitioni postponeret, accuratiúsque proximi salutem, quàm æternanda sibi gaudia perquireret. Non curauit antea, quàm sibi gratiam acquireret, alterius culpam vitare, sed curauit alterius vitare culpam antequam petere sibi gloriam. *Charitatem in morte sua* Gregor.

84. (marginal number printed beside the paragraph "Adest latro ille…")

Luc. 23. v. 39 (marginal reference beside "…moderari. Vnus de his,")

veraciter tenuit, qui fratrem, & collatronem pro simili scelere morientem de iniquitate sua redarguit. Viuidissima inquit Gregorius in catena latronis charitas resplenduit, quia antequàm sibi comparare regnum, à socio auertere gestiuit delictum. Recordor illius ardentissimæ charitatis mei protoparentis Ignatij, sic diuini æstibus zeli flagrabat, vt aliquando dixerit, si daretur optio, malle se gloria priuari, quàm crimen aliquod á fratribus non depellere. Relinquerem, inquit, ipsam gloriam etiam iterum non recuperandi periculo, vt certo obuiarem alicui proximorum peccato. O charitatem Christi Domini amorem redolentem! Sciebat Ignatius tunc auctiorem se gloriam indubitanter manere, cum illam pro Dei honore & proximorum salute periculo non detrectabat exponere. Hic nitidissima flagrantis zeli emicabat flamma, quia ardentius quam sibi commoda, aliena gestiuit auertisse delicta. Discant hinc zelotypi non confictis delationibus adaugere sibi commoda; sed quo melius culpis alienis obuient, vel aperta amplecti discrimina.

---

§. XVIII.

Oborta calamitas, dum actio debitos aptatur in vsus, patientiæ erit exercitium, non delictorum flagellum.

85. IN continua temporum rotatione, & varia rerum alea multa accidunt nobis ingrata, multa aspera, multa dura; omnia tamen illa non temeritate, aut placiditate disponuntur fortunæ; sed cælesti nutu prouidentiæ. Fabulosa, & elaborata cæcitate delirans antiquitas deam finxit fortunam, & quidem cæcam; nos verò, quibus candidior veritatis refulsit splendor, prouidentiam solùm agnoscimus oculatam, cuius orbita Ezechiele testante, oculis semper plena, & quando leuat deiecta, & quando deprimit eleuata. Ezec. 1. v. 18. *Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus, & totum corpus oculis plenum.* Non negauerim hominum continuos errores illis calamitates procudere, & molestias anxias non semel afferre: Cassiodor. *Iustitiæ ratio persuadet*, aiebat Theodericus 5. variarum 14. *excedentes reprimere, vt ad cunctos possit quietis suauitas peruenire.* Excessus vitandi sunt, vt pacis arrideat serenitas, & radiet serenitatis iucunditas. Ipsi excedentes; ni reprimantur, quietis suauitate carebunt; quia de perniciosis excessibus se perturbabunt. Quia verò non omnia cælitus immissa flagella culpis extorquentur; sed sæpè ad patientiæ & meritorum incrementa infliguntur, solicitè perscrutandus est rerum vsus; quia inde clarissimè agnoscitur, an obscuris scelerum vaporibus concreta desæuierit tempestas, an prouida Numinis dispositione premat calamitas. Si res omnes debitos aptantur in vsus, infortunium erit patientiæ experimentum; si abusus vigeat, erit errorum supplicium. Tribus vltra Iordanem considentes grauis tempestas adoritur, reliquæ delere cupientes tribus armantur: *Conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos.* Audierant substructam aram, & propero incõsultóque zelo ardentes idololatriæ crimine fratres insimulant, & extinguere illorum memoriam parant. Interim mittunt, qui rem accuratiùs explorent; sed legati de sceleris præiudicio acriter in innoxios inuehuntur. *Quæ est ista transgressio? Cur reliquistis Dominum Deum Israel ædificantes altare sacrilegum, & à cultu illius recedentes?* Re indiscussa durissimè carpunt ipsi, qui intimiùs exploratum sunt delegati: non discutiunt; sed damnant, non examinant; sed condemnant: rem agunt iudicis, qui munus debuerant agere exploratoris. Quid tunc? Pacatis verbis de conscientiæ serenitate, respondent se erexisse aram non in auitæ religionis iniuriam; sed in beneficiorum memoriam: *Putauimus melius, & diximus: Extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas; sed in testimonium inter nos & vos.* Altaria in testimonium, ac in monumentum erigere maiorum exemplis licitum, & ipsa gratitudine honestum. Dum ergo altari ad debitos vsus erecto adeò ingentem perturbationem patiuntur, constat Numen illorum experiri patientiam, non illos affligere ob culpam: Masius. *Incenduntur Israelitæ*, scribit Masius, *suspicione atrocis rei aduersus fratres suos vsque eo, vt bello ipsos inuadere parent:* Bella in Rubenitas parantur; non tamen ob admissum piaculum; sed ob suspectum idololatriæ delictum: innocui patiuntur vt scelesti; eo tamen discrimine quòd tam acerbo casu Rubenitarum Deus exercere studuit patientiam, non scelerum punire culpam. Si altare debitis vsibus non seruiret, bella essent delictorum supplicia, dum tamen constat ritè structum, solùm sunt virtutum experimenta.

86. Improuisè ad Iobum nuntij inuolarunt stragis: Iob 1. v. 14. *Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia.* Septuaginta sic reddunt: Septuag. *Iuga boum arabant, & asinæ fœminæ pascebantur iunctæ eis.* Gregorius Magnus ex Græco legit: Gregor. *Asinæ fætæ.* Quàm citò pressit calamitas, cùm diuturnis boum gemitibus agri constaret vbertas! Arabant duram telluris glebam aratri vomere proscindentes, vt post longas moras, & adultas hyemis niues aureæ nitescerent fruges; sed citissimè spes ablata: *Tulerunt*, inquit, *omnia.* Acerbum equidem nuntium; sed quod calamitatem ad patientiæ pompam declarabat inductam, non ad scelerum mulctam immissam. Ecquis hoc? Audi ipsum nuntium: *Boues*; inquit, *arabant, & fætæ asinæ pascebantur.* Boues laboribus nati studebant sulcis altioribus proscindendis: asinæ pullos suos lactabant, vtque vberiori lacte enutrirent, pascuis amœnissimis feriabantur: omnia debitos aptabantur in vsus, tuncque ingruit acerba prædonum ira, & iniusta Sabæorum rapina: ergo infortunium non erat scelerum mulcta; sed eximiæ virtutis pompa. Referat nuntius non solùm ablatos boues; sed dum ararent, ablatos, vt de expleto munere immissæ calamitatis innotesceret causa, ne sanctitatis putaretur iniuria: *Non dicitur: Boues à Sabæis ablati sunt*, notat Gregorius lib. 2. moralium cap. 8. *sed, qui ablati sunt, boues arabant.* Iobi exercebatur patientia, non peccatorum desæuiebat vindicta, quandoquidem tunc pressit miseria, cùm boues aratro colla subderent, & vomere terram verterent. *Diaboli est*, scripserat Gregorius ibi cap. 4.

ad

ad afflictionem bonorum malitia æstibus anhelare: quo enim eorum tentationem inuidens appetit, eò illorum quasi probationem deprecans petit. Probatio exigitur, non culpa mulctatur. Discute si omnia tua debitos ritè disponantur in vsus, cùm durior fortuna pressit: quod si ita inueneris accidisse, crede probationem patientiæ, & animos contra calamitatis æstus resume; si tamen aliter te gessisse noueris, culpam dolorosis dele gemitibus, ne iratis vindictæ mergaris æstibus.

87. *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* Hominem hunc primum parentem arbitratur apud D. Thomam Augustinus: *Homo iste ipse Adam intelligitur in genere humano. Ierusalem ciuitas pacis illa cælestis, à cuius beatitudine lapsus est.* Versus Iericho mutationis infelicitatisque matrem iter agebat infelix iste, & quid nisi gemitus poterat inuenire, qui à pacis regione stultissimus studebat recedere. Transi modò cogitatione ad sponsam in ciuitatis custodes incidentem, & videbis diuersa nomina; sed simillima latrocinia: ibi grassatores feriunt, & dispoliant; hic custodes & dispoliant, & vulnerant: audi Sponsam: *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Qui circumeunt, inquit, non qui defendunt; cùm tamen defensioni debuissent inuigilare, non rapinas exercere. Ambrosius hæc vulnera docet non metuenda; sed pluris æstimanda. Audi illum ad hunc locum in collectis: *Videtis quemadmodùm quærat, quæ desiderat inuenire, vt non timeat vulnerari; sed hæc vulnera non metuenda sunt; sed optanda: quia vulnera charitatis sunt.* Et cur hæc optanda dispoliatio, quando illa descendentis hominis effugienda? Quia homini accidit infortunium, cùm à recto virtutis itinere deuians nouis voluptatibus indulgeret; sponsæ verò, cùm sponsum amantissimum deperiret. Quid honestius sponsæ, quàm sponsum sibi dilectum diligenter quærere? Vulnera ergo, quæ munus suum adimplenti contingunt, æstimatione sunt digna, quia viuidam charitatis commendant flammam. Vulneratur viator, cùm deflexis à recto gressibus descendebat: dispoliatur etiam sponsa; sed cùm ad sponsum honestissimè properabat: hæc ergo vulnera sunt virtutis ornamenta; illa scelerum sunt indicia. Vtriusque viantis studium calamitatem ostendit esse delicti consequentiam, aut charitatis ac patientiæ gloriam. Si sponsa otio indulgens plagas exciperet, plagæ damnarent inertiam; verùm dum sedula quæ amantis sunt, obit, infortunium charitatem commendat, non afflictatam denigrat: *Hæc vulnera non metuenda sunt; sed optanda;* illa non optanda; sed metuenda.

Luc. 10. v. 30.

August.

Cant. 5. v. 7.

Ambros.

88. Componamus modo quam Iacobus reuisens propria plagam accepit, cum illa, quam Nabuchod. se proceram intuitus arborem tolerauit. Planta illa tumidis superbiæ laticibus irrigata sic inoleuit, vt despiciens nubes improbè vsque ad cælum ipsum cacumina egisset. Verùm in immensum producta duros securis ictus perpessa est: pulcherrimæ discutiuntur frondes, saporati sparguntur fructus, rami teretes perstringuntur: *Succidite arborem.* Nabuchod. vulneratur, & etiam Iacob feritur: *Tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit:* idem de vtroque ferendum censebis iudicium, quandoquidem similes acceperint plagas: Vigil Nabuchod. ferit, Dominus Iacobum tangit: ergo sors æqua. Minimè: nam, etsi similis videatur effectus; à causis tamen & circumstantiis dissimillimis est exortus: Iacobus, quem nomen luctæ sudoribus dedicauit (sonat namque supplantatorem & luctatorem) luctando plagam accepit, muneri suo incumbens percussus est; Nabuchod. verò, quam regia dignitas totam noctem somno non ponere compellebat, dormiens feritur, garrulis auibus differtam apponens mensam, sydera detrudens cacumine vulneratur: Iacobi ergo vulnus, quia luctamine inflictum constat, non fuit aduersantis supplicium; sed erudientis flagellum: Nabuchodonosoris proditur culpa: quia dormienti incutitur plaga. Iacobus plagam accepit, lachrymas vehementia doloris extorsit; sed dum dolens edit lamenta, & benedictionis adquirit lucra: *Benedixit ei*, inquit, *in eodem loco*, eo scilicet, vbi claudus: vt noueris delicti non fuisse mulctam; sed benedictionis tesseram, ac fortitudinis pompam. *Sic erat vnus & idem Iacob*, inquit Isidorus in Genes. cap. 27. *& benedictus & claudus.* Felix infortunium, quo benedictio non tollitur; sed augetur! Opto sic angi, quia sic desidero benedici. Nabuchodonosori extimescenda est calamitas, quam vocauit iners somnus, & expensis indignissimis cibus.

Dan. 4. v. 20.

Genes. 32. v. 25.

Isidor.

§. XIX.

Non semel qui vrgente necessitate deuotus, iam extra periculum inimicus.

89. PLures sunt, quibus nulla fides, plures, quibus peruersum ingenium, necessitate suadente se merita deuotione præstant morigeros, & studiosè obsequiosos: quod si orbitam vertat fortuna, iam argumentum nihil debentium odio quærunt; & quod humillimo præstiterunt obsequio, repetunt durissimo supercilio: dum pendent, sedulè adimpleturi rimantur votum, & pectore abditum prædorantur desiderium: iam verò extra discriminis aleam constituti, aut ambitionis negotium adepti, faciem aduersariorum assumunt, & quibus anteà inseruierant, pertinaciter contendunt nocere, & illatis molestiis de industria affligere. *Detrahit amicitia maiestatem suam*, aiebat Seneca epist. 9. *qui illam parat ad bonos casus.* O quàm detracta his temporibus amicitiæ maiestas! Nullus alterum spectans amat; sed dum amat, se ipsum spectat. Epicurus quærendum dicebat amicum, vt ægroto assideret, vt in vincula coniecto, vel inopi subueniret: profectò temporariam explicuit amicitiam: hæc studia amicos sæpè coniungunt, quæ vt infirmo fundamento suffulta, cessante periculo, aut necessitate corrunt collapsa: non fulcitur hic affectus beneuolentia; sed sæpè inopiâ: vtque ædificia fundamentis fatiscentibus collabuntur; ita amicitiæ istæ necessitate aut periculo submotis collapsæ desident, & versæ in contrarium diffident. *Qui se spectat*, aiebat vbi suprà Seneca, *& propter hoc ad amicitiam venit,* malè

Senec.

malè cogitat, quemadmodum cœpit, sic desinet: parauit amicum aduersus vincula laturum opem: cùm primùm crepuerit catena, discedet. Hæ sunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat. Qui causa vtilitatis assumptus est, tādiu placebit, quādiu vtilis fuerit... Qui amicus esse cœpit, quia expedit, placebit ei aliquod pretium contra amicitiam. Vera dixit: nam plures aliorum contrahunt familiaritatem indigentia, non amicitia. Sit qualecumque nostri textus exemplum. Dum Israel populus hostium tenderet regiones expugnaturus, Rubenitas comiter primatu allicit, & illorum opem deuotissimè implorat. *Transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis* Dum desudant prælia, Rubenitarum auidissimè deposcuntur auxilia; postea cùm vanus rumor aram struxisse spargeret, iam omnes in Silo conueniunt, vt non solùm Rubenitas conterant; sed & illorum nomina deleant: *Conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos.* Modò vti in hostes armantur, qui fratrum paulò ante nominibus gloriabantur nobilitati, & cognationis titulis nobilitabantur decori. Ecqua huius causa est? Quia iam stata pax, hostes iam subacti: *Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem & pacem, sicut pollicitus est, reuertimini*, aiebat Iosue: Iam ad propria reuertentes bellicis rebus compositis, aram, vt dicebamus struxerant, & tribus reliquæ illos expugnare audissimè contendebant. *Iam tumultuabantur*, scribit Arias Montanus, *quòd ipsi filij Israel essent parati nomen suum vindicare, ac tueri: atque ita filiorum Israelis nomen non populariter, & confusè iactabant, vt ferè iam duas illas tribus ac dimidiam filios Israel non censerent appellandos; sed filios Ruben.* Iam nulla causa; sed mera suspicione ab Israelitarum honore expungunt, & gloria nominis mulctare contendunt ipsos, quod paulò antè & fratres humanissimè compellarunt, & honoris causa primos ordine statuerunt. O quàm nimis verùm exemplum est! Plures dum indigent, cognationem affectant, eadem gloriantur stirpe geniti, eisdem proauis nobilitati; quod si adipiscantur optata, limis olim cognatos adspiciunt, affinitatem dedignantur, nec eodem titulo insigniri patiuntur. Primi sunt, vt defendant; Israelitarum nomine insigniri nefas est iam pace florente. Disce hinc ob honestatem operari, & omnem spem humanam proiicere: nam qui vrgente necessitate tibi deuoti, rebus compositis inuenientur fortè inimici.

Nonnulli solùm placent, dum vtiles.

Iosue 1. v. 15.

Iosue 22. v. 4.

Arias Mont.

90. Desertam à gratia Saulis animam nactus dæmon tormento immanissimo discruciabat: internis flammis vrgebatur adustus, qui externè rubentibus purpuræ splendoribus emicabat circumcinctus: prudentia de mentis arce deturbabatur, agebantur pupillæ oculorum transuersim, præcordia continuis ictibus diffluebāt concussa, & melancholiæ tormentis tabescebant pectora discruciata. Quid tunc? *Misit Saul ad Isai dicens: Stet Dauid in conspectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis.* Rusticus mapalibus innutritus, Regiis oculis apparet gratiosus, nec à se Princeps vel tantisper seiungi permittit: causam textus indicat: *Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat.* Diligebat medicum, quia internum sustinebat martyrium; verùm cùm aliquando Dauid manu sua psalleret, dæmonémque dulcisona cantus melodia abigeret, Saul non sine irarum nota hastam, vt pastorem confodiat, emisit: *Tenebat Saul lanceam, & misit eam putans quòd configere posset Dauid cum pariete.* Quàm varia in regum aula fortuna! vbique orbitam rotat celerem; sed in palatio citissimam; modò Dauid Principis conspectui gratiosus, & modò lancea impetitus. Ecqua huius discriminis causa est? Quia anteà, inquit Seleuciensis Basilius orat. 15. cantu pro medicina indigebat; modò verò iam firmiorem salutem adeptus, & dæmoniacis obturbationibus liberatus: qui ergo vrgente necessitate deuotus, iam immani odio inimicus, & operibus aduersarius. Audi Basilium: *A dæmonis exitu leuatus Saul, & aduersorum detersa caligine in Dauidem, quem præsentem cognouerat, hastam eiaculatus medicinæ pretium cæde n obtulit.* Quid aptiùs? Ne medicus infirmitatis existeret testimonium, improuisum nequissimus moliebatur interitum; & quia iam ad speciem Dauidis non indiget cantibus, ingratus in Dauidem fraudulentis armatur insultibus: coluit, dum indiguit, occidere nisus est, cùm sanitatem recepit. Proh palatinorum mores! In procelloso ambitionis solo eo solùm vento feruntur, qui vtilitatem, non qui honestatem inspiret: plures ad genua prouoluti ipsos adorabunt, dum ambiant, quos posteà conculcabunt, si culmine dignitatis eluceant: sanatus furit hostis, qui furiosus Dauidis anteà fuerat amicus. *A dæmonis exitu leuatus, & aduersorum detersa caligine hastam eiaculatur*, qui amicitiam colebat, dum crebris obruebatur infortuniis, & duris afflictabatur molestiis: *Inuenit*, inquit, *gratiam coram me:* Dum ægroto concinit, dum impurato sedat spiritu concitatum.

Moyses vndis traditus vndas nauigat puerulus, adulabantur fluctus recenter nato non sine Dei nutu: fertur expers periculi, & inter confusos vndarum vortices ad thronum tetendit securus: nomen mutuatur ab aqua (aquam enim sonat Moyses) vt iugis beneficij seruetur memoria, & ipsis nominis litteris gratitudo ipso nomine legatur insculpta. Iam grandis factus, Deúsque Pharaonis inauguratus virgam prensat elementorum imperatricem, fluuióque accedens verbere ferit, & sanguine liquorem commutat. *Eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in sanguinem.* Anteà periculo subiectus ab aquis nomen mutuatur; modò Pharaonis Deus constitutus extra periculum degit, & qui nomen tulit, iam verbera inflixit: *Infami fluminis parcebat, cuius ipse quoque virga percussus scaturigines in sanguinem transmutauit:* verba sunt Basilij Seleuciensis orat. 9. Dum prensat virgam dignitatis insigne, iam non est periculo expositus: aquam ergo verberauit non obscurus ingratitudinis vitio; sed decoratus mysterio. Et, ne aliquis in hoc conceptu scrupulus manserit, expende quod disertè Abulensis quæst. 8 Fugiebant Hebræi Ægyptiacam seruitutem: Pharao, qua rapiebatur, præsumptionis temeritate stupentes maris vortices intrat, & fugientium terga, si non impressis mucrone plagis, terrificis adurget minis, Deus columna illa Ægyptiorum retardat audaciam, & fulminibus adurit iactis duritiam. Fugientibus iam Ægyptiis Moyses manum 91.

Exod. 8. v. 20.

Seleuc.

Abulens.

Exod. 14. v. 27. manum contra mare extendit, & percussum verbere alueum ad antiquum reducit: *Cum extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibúsque Ægyptijs occurrerunt aquæ.* Conducibilius profectò videbatur mare percussisse, dum armata Ægyptiorum agmina instabant, non cùm fugiebant: cur igitur Moyses, qui aggredientes sustinuit, mare percutit, vt naufragio tradat fugientes? Percutiat aquas ea parte, qua sepelire valeant Ægyptios, & perstet mare induratum, qua viam concedit Hebræis. Sanè dum maris profunda puluerulento vestigio calcat Hebræus, aquarum vorticibus in murorum faciem constipatis defendebatur: *Erat enim aqua quasi murus à dextera eorum & læua:* tunc ergo nec virga percutitur, nec ictibus verberatur; at cùm Ægyptij fugiunt, iam riparum firma premebant Hebræi: ripam ergo prementes referient aquam, qui intra aquam nec auderent ferire; imò nec ausi fuerant calcare. *Iam Moyses*, inquit Tostatus, *& omnes Hebræi erant extra mare: quod patet, quia dicitur quod Moyses extendit manum super mare, quod non contingeret, si ipse esset in via.* Dum viatores confusa maris itinera premunt, manum non extenderent: nam auxilio quodammodò indigebant aquarum; quando verò extra mare, quia iam securitate fruuntur, vndæ repetitis virgæ ictibus verberantur: non antea iussit Deus Moysi vndas fluminis referire, quàm Hebræi ripam contrariam inciperent securitate tenere: nam fortassis Numinis non adimplerent imperium, si intra alueum constituti aquarum sibi interesse arbitrarentur subsidium: *Extendit manum super mare: quod non contingeret, si ipse esset in via.* O quam populus in maris profundo contra mare extrahere obniteretur imperium! Quam lentè virgam leuaret ad ictum, si prouenire sibi ab aquis posse credidisset auxilium; at dum aquarum nullatenus periculis subiacet, aquas semel & iterum ferret.

---

§. XX.

Ministri in altos non audent: non criminibus extirpandis; sed suis non semel commodis inuigilant adaugendis.

92. RESpublica rege, præfectis, consulibus, ministrisque constat: nec enim Princeps Briareus, aut Argos: manuum adinstar ministris vtitur, & quæ per se explere nequiret, mediantibus sæpè ministris commodiùs exercet; verùm ea lues ex his plures nociuis infecit contagiis, vt nescias an conducibilius fuerit Principem populi errata ignorare, aut opera ministrorum punire. In criminis punitione peccant, furantur in furto, & quas in aliis rapinas, puniunt, ne puniant, exercent. Potentes, auróque exundantes audaciam ministrorum sæpè retundunt, & quia sibi a potentia cauent, aut dissimulant magnatum errata, aut, quod peius est, fouent

Cassiod. crimina. *Comperimus*, scribit Theoder. 2. var. 24. *sic primæ transmissionis tempus exemptum, vt nihil aut parum à Senatoribus omnibus constet illatum; allegantes per hanc difficultatem tenues deprimi, quos magis decuerat subleuari: fiet enim, vt exactorum nimietas, dum à potentibus contemnitur, in tenues conuersa grassetur, & ille potius soluat aliena, qui est deuotus ad propria.* Grassatur in tenues exactorum audacia, quia retunditur à potentia: quam in diuitibus nequit explere, in pauperibus satagit nutrire voracitatem, & licitis vexantur iniuriis, qui exiguis ministrorum manus incurrerant culpis: læsus pauperum dolor adhuc vociferatione non pascitur: quia nec sermo liber permittitur. *Nuper*, iterum Theodericus epist. 25. *prouincialium iudicum relatione comperimus domos quasdam præpotentium suas non implere per ordinem functiones: hinc fieri, vt dum illationis quantitas procurati queritur, à tenuibus summa potior exigatur.* Soluunt aliena, qui commiserunt minimè crimina, & cupiditatis flamma, quia robora nequit sæpiùs euertere, satagit stipulas deuorare. Gentiles duarum tribuum apud iudices de ara non ritè constructa dubiis sunt delationibus accusati: erant tribus illæ prædiuites, locóque primariæ: Ruben namque Princeps & primogenitus: vt ergo commissa indagarentur errata, debitísque suppliciis punirentur delicta, miserunt non quoscumque; sed capita tribuum: *Interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis, & decem Principes cum eo.* Profectò vt certiores fierent indagatione delicti, satis videbatur sedulos amandasse ministros. Principes summa auctoritate fulgentes, tribuum toparchi indecorè tendunt inexplorata carpturi. Ergo delegentur exploratum ministri, vt certiores postea rem punituri perrexerint Principes. O dignam Iosue œconomiam! Scit superbæ molis structores auro copiosos, argentóque diuites: equidem ipse dixerat: *In multa substantia, atque diuitijs reuertimini ad sedes vestras cum argento & auro*, &c. Præcauet ergo, ne si ministros deleget, adaugendis studeant commodis, non explorandis delictis: ministri namque potentioribus parcunt, dispoliant imbecilles. Huc voco quod aliorsum aiebat Oleaster ad 4. Exod. *Serui Principum non tam bonum Principis ministerium, quàm propriam vtilitatem quærunt.* Olcast. Principes non deterrentur potentia, nec auri corrumpuntur fallacia. Suo muneri se reddunt, & scelestos affligunt; at ministri auri pallore acie reuerberata non vident, & vtilitatis præstigiis veluti incantati non audiunt.

Exactores à Christo Domino Cæsaris tributum supercilio turgido exigunt: causantur non solutum, cùm nunquam legatur petitum: pauperi crimen est indebita non offerre; diuiti non est debita non soluisse; verùm Christus, qui plus vitandis scandalis studebat, Petrum piscatum mittit, eúmque piscem, qui primus ascenderit, tollere admonuit: *Eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Cùm Dominica semper verba arcanis exundarint mysteriis, nec superfluis clausula aliqua tumeat vocibus, sedulè nobis indagandum est, cur piscem tolli iusserit, qui staterem ore compressisse nuntiauit: *Eum piscem, qui primus ascenderit, tolle:* Matth. 17. v. 26. & quando piscator inescatum fallacia piscem non traxit, aut quando captum fluctibus aquarum remisit? Totus oculus capturam perquirit, sibique de piscium captiuitate iucundissimus gratulatur: moneat ergo non quòd piscem extrahat; sed quod staterem sumat. O immortalem 93.

Domini prudentiam! vult nos pisciculos à turbulentis cupiditatum vorticibus extrahi, lutulentísque profundi specubus trahi: quia ergo scit ministros sæpesæpiùs auro corrumpi, cœnosúmque gurgitem diu diuidi permittere inhabitare, monet ne diuitiis acceptis piscem illum aquis iterum delegarit; sed confusis à vorticibus tulerit: *Tolle*: non quidem fuit vacuum mysterio præceptum; sed nostris aptissimum exemplis arcanum. O quoties, qui arundinem gestant, inueniunt piscem auro diuitem vndis cœnosissimis immersum, nec salebrosis latebris occultatum, extraheréque nituntur, vt aurum euomat, non vt cœnosa relinquat; imò vndis remittunt auro spoliatum: mirum est piscem statere diuitem arundinem non fregisse, nec auro dexteram subornasse: non superuacuum fuit, vt tolleret, præcepisse: quia auro piscatoris poterat dexteram euirasse: *Nos pisciculi*, aiebat

Tertull. Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 1. *in aqua nascimur*: pisces homines referunt; piscis ergo auro præditus diuitem adumbrauit: ministro ergo quantumuis Petro, prudenter iniungitur, ne auro denudatum turbidis fluentis remittat;

Hilar. sed ad soliditatem telluris extrahat: *Cum primum piscem*, inquit Hilarius in catena, *admonetur Petrus inquirere, ascensuri ostenduntur & plures*: plures ascendunt, alioqui vnicus esset, non primus: non ergo necessum fuit, vt reliquos tollat, Petrum adhortari præceptis; vt verò primum diuitémque extraxerit, non fuit superuacuum vrgere iussis.

94. Elias Regis legatis se vltroneus offert durissima prædicturus: Ochozias ad nuntiorum verba sic violentis iræ flammis exarsit, vt extemplo

4. Reg. 1. v. 9. Prophetam vinciri iusserit. *Misit ad eum quinquagenarium Principem, & quinquaginta, qui erant sub eo... sedentique in vertice montis ait: Homo Dei rex præcepit, vt descendas.* Mira profectò quinquagenarij & satellitum modestia: si vrgentur regis edictis, cur in prophetam violentas non iniecerint manus, cur funibus non strinxerint, cur ferreis catenis non illigarunt? Michæas in maxilla percutitur, truditur in carcerem, durísque compedibus afflictatur:

3. Reg. 22. v. 27. *Mittite virum istum in carcere, & sustentate eum pane tribulationis*: & Elias vel militum terrorem incussit audaciæ? An quia Elias vir Dei? Hoc etiam epitheto honorabatur Michæas; imò sanctitate fulgere, potiùs impiæ manus irritamentum, quàm furoris obstaculum. Quid ergo habuit Elias, quod militibus reuerentiam suaderet? Animaduerte quo constiterit loco: *Sedentis*, inquit, *in vertice montis*, ait: aliter loqueretur, si montis vertice non sederet: Michæas non occupabat excelsa, non possidebat sublimia; ideò ministri audacissimè furunt, iustásque contumelias nouis contumeliis adaugent; dum verò Elias cacumina montium occupat, ministri regis sibi cauent, & altitudini reuerentiam exhibent: vrbanos reddidit altitudo, effrænes locus humilis

Sanctius. reddidisset: *Sedebat in montis vertice propheta*, scribit noster Sanctius, *quo sine magno labore ascendere cum suis quinquagenarius ille non poterat: quare, quò ab illa liberaretur molestia, iubet, vt descendat.* Timet quinquagenarius, verentúrque milites plures sibi molestias in Eliæ vertice sedentis comprehensione imminere, vtque vitent, vrbanè ad speciem compellant. De culminis sublimitate restrinxit iram, & temerariam militum cohibuit audaciam: nec enim ministri in sublimes audent, aut in diuites furunt. Michæas indecoras sustinet alapas, ferreásque catenas: quia montis non occupabat sublimia; sed planitiei fortassis deiecta: sua sibi potentia auxiliantur diuites, & auertunt auro, quod accersebant delicto. Inopes & inualidi non solùm patent criminis pœnis; sed malignitatis mendaciis, ministrorum iniuriis.

Ioannes agnum illum, quantumuis faustis, iteratísque acclamationibus nondum pro meritis celebratum librum adaperientem conspexit, 95.
vtque eius proprietates describeret, septem oculos habentem asseruit: *Ecce in medio throni, &* Apoc. 5. v. 5.
quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. O pulchrum optimi superioris ænigma! Agnus mansuetam refert placiditatem, ferè occisus circumfert sibi mortificationem passionum, totus oculus subiectis inuigilat: oculos habuit vel in morte ad videndum expansos: quia vel in morte Princeps occupabat thronum: vidit Euangelista in solio veluti mortis laborantem angustiis; non verò vidit clausis oculis non attendisse vigiliis. Verùm perscrutemur altiùs, cur ministri oculorum emblemate depingantur: quid luminibus administrorum ænigma? Oculus dum nil intra palpebras admisit, omnia imperturbatè intuetur; transuersim non agitur; sed æquam fert de rebus sententiam; verùm si vel leuis festuca oculo inhæreat, nec lucem aspicere, nec palpebras poterit aperire: clauduntur lumina, & candicante Solis lumine tenebrescunt: non iam illis aspicere liberum, non iam rotare pupillas datum: vel ingestus tenuis puluis oculorum adulterauit iudicium, obscurauit adspectum: elegantiùs ergo oculi ministrorum ænigma: quid enim certius, quàm aureo puluere non videre, limpidósque rerum veritate informari? *Conscientiam probamus*, scribit Cassiodorus 4. var. 28. *cui iu-* Cassiodor.
dicanda committimus: quia dignus est inter alios sequenda decernere, qui sibi modum vi, ut est legitima conuersationis imponere. Qui legitimam sibi non imponit conuersationem, malè sequenda discernet, improbè commissa videbit. Miris coloribus depinxit Hildebertus epist. 59. ministrorum ingenia: *Ministri*, inquit, *odoratu præda* Hildeberg.
canibus, rapacitate similes sunt vnguibus Harpyiarum. Harpyiæ à poëtis facie humanissima pingebantur, virgineo vultu, oréque micanti; illarum verò vngues exacuti, & ad rapiendum semper intenti. Ecce ministrorum ingenia, humanam faciem, & placidum vultum ostendunt his, quorum facultatibus aluntur, & diuitiis subornantur: quia vngues saturant, serenam frontem ostendunt; vbi verò vnguibus non est locus, minatur truculentus aspectus.

Serpens prudentissimus inter animantia cuncta deprædicatur: nec minùs illum adussit inuidia, quàm nobilitauit prudentia: mortem anhelat sæculis introducere, & curatoris voce odium euaporat immane: curatorem simulat; sed hostem gestat: accedit Euæ illius fors venustate longis, & de industria compositis elogiis concelebrata, Dei prædictiones euertit, dum pomum offert. *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij.* O timiditatem culpæ, ô criminis pauidam semper conscientiam! 96. Gen. 3. v. 4.

scientiam! Cur non Adamum; sed mulierem aggressus est? Non esset celebrior de competitore victoria, de strenuo audacia? Vide serpentis artes astutia plenas. Adam fulgebat creaturarum imperio, Eua regis erat administra, & in adiutorium creata: munera ergo administræ offert, quo culpæ aditum aperuerit. Adamus Princeps muneribus non subornatur in iustitiæ detrimentum, in iniquitatis subsidium; qua tamen sic donis inhiat, vt Rempublicam totam
Seleuc. prorsus euertat. *Per latus hominis*, scribit Basilius Seleuciensis orat. 3. *hominem subruere incipit... Quid agis mulier? Iussa es virum fouere, & ad insidias peruenisti? formata es in vitæ societatem, & mortis conciliatrix inuenta es: vt membrum sumpta es, & vt sagitta missa es.* Per latus hominis structuram destruit: nam sæpè infelicitatis sunt ianuæ superioris collaterales, regiique ministri. Non vidit Eua fraudem, quia vidit pomum, nec pede vaferrimum conculcauit colubrum, quia manu insulsum decerpsit fructum.

97. Sapientissimus ille Salomon dignum regia maiestate architectatus thronum leunculis gradatim dispositis constipauit: *Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte superiori, & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: & duo leones stabant iuxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde.* (3. Reg. 10. v.18.) Profectò throni ornatus nec tempori adaptari videtur, nec Principi: Salomon namque vtpote Pacificus, de leonum non debebat ferocitate terrere; sed placiditate allicere. Quid cum regio throno carniuoris? Quid cum pace truculentis? Thronum cingat obsequiosa seruorum manus, latera constipet vrbana ministrorum pompa, adstet maiestati resplendens famulorum caterua; feræ syluosis non petantur è saltibus, densis non adducantur è syluis: timebunt namque qui allocuturi accesserint regem, ne leones aut vitam lacerent, aut saltem vestes dirumpant. Non potuit sapientissimus Salomon elegantiori penicillo mores Principi adstantium, ministrorúmque depinxisse. Si quis accedat, medios inter leones gradi erit opus, quocumque se verterit, inueniet vngues; imò non semel grandiores, quo propiùs accesserit culmini: in primo gradu occurrit leunculus, in
Psalm. 103. v.21. superioribus leo; & quidem leonis catulorum iam Psaltes mores expressit: *Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant escam sibi.* Leones cibare per quemlibet gradum ascendentibus necessum est: quia leonum catuli vtrinque.
Hildebert. Redeat laudatus suprà Hildebertus: *Bonos Principes; sed prauos habentes ministros Scriptura nunc Scyllam, nunc Harpyas appellat: etenim Scylla facie humana; sed caninis capitibus accincta describitur.* Principi sæpè æquitas, iustitia, meritorúmque remuneratio cordi sunt; verùm aliquando ministri sine oblata offa gradi accedentes non sinunt: Salomon ergo vtpote disertissimus, ipsa throni fabricâ ministrorum non obscurè depinxit ingenia. Rugient, supercilia adducent, difficultates opponent, de industria rei grauitatem exaggerabunt, & totus hic rugitus, vt quærant, & rapiant escam sibi. Bene ergo expertus Iosue non ministros delegat pro indaganda veritate; sed Principes: *Familia*, aiebat
Senec. Seneca de tranquilit. cap. 8. *vestiarium petit, victumque. Tot ventres auidissimorum animalium tuendi sunt: emenda vestis, & custodiendæ rapacissimæ manus, & flentium, detestantiumque ministeriis vtendum.* Huic Principes non facilè se infortunio subducunt: gaudent namque numeroso satellitio; sed quò maius satellitium ad pompam, & maior vrget populum turba ad rapinam.

---

§. XXI.

Perire voluit, aut puniri grauiùs gestiuit, qui minis admonitus supplicium eludere non curauit.

Deus clementiæ, benignitatísque adeò eximius est cultor, vt sibi quodammodo patientia detrahat, & imperitorum obtrectationibus obscurandam maiestatem exponat. 98.
Opportunè Tertullianus lib. de patientia, cap. 2. *Sustinens ingratissimas nationes, ludibria artium, & opera manuum suarum adorantes nomen cum familia sua persequentes, luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie insolescentem, vt sua sibi patientia detrahat: plures enim Dominum non credunt, quia sæculo iratum tamdiu nesciunt.* (Tertull.) Profectò Deus, vt hominibus resplendeat indulgentissimus æquitati suæ, iustitiæque quodammodo procacibus habetur iniurius, verùm ne furoris temeritas remedia ad se trahat, & in morborum materiem imprudenter conuertat, paulatim medicinam componit, duram minatur vindictam, vt de iactis minis exarmarit iustitiam: terret delinquentes, ne puniuerit peccatores: ad auram post meridiem paradiso deambulat iudex, vt ipse strepitu Adamum fugere admoneat, & voce fugato parcat. Notauit Basilius Seleuciensis orat. 3. *O Domini in homines amorem! Tamquam ignarus quærit quem ipse fugabat, & tamquam non videas, qui rebus adest omnibus, compellat: Adam, Adam vbi es?* Victa est, licet gloriosè quodammodo à misericordia sapientia: affectat ignorantiam, ne Adamus delibarit iustitiam. (Seleuc. *Prudentis superioris est omnia non videre, sed quodammodo affectare nescire.*) Quisquis admonitus periit, ignauiam suam summopere commendauit. *A malis longo interuallo*, inquit Plutarchus de tarda Dei vindicta, *& tardè pœnas expetit, non quia maturata vindicta noxam vel pænitentiam veretur.* Instè punit, dum punit; verùm adeò misericordiæ precibus exoratur, vt tempus de industria protelarit vindictæ, quasi de maturitate periculum valeat incurrere pœnitentiæ: tardè castigat, vt constet non esse deflagrantis ardoris impetum; sed sceleri necessarium remedium. Hinc summa lucet punitorum proteruia, quandoquidem longissima pœnitentiæ spatia in luxuriæ procacitatísque conuerterunt auxilia: non solùm patienter errata sustinet & spectat; sed vltrices iras histrionicè repræsentans misericordiæ benignitatísque causam agit. Aliquando sub osoris specie elucet amici veritas: sub toruitatis furore amor corde asseruatur parentis, imò vt benignissimum parentem gerat, se hostem truculentissimum iactat: minatur, vt terreat; strepitum ciet, vt fuget, & quia nullum, quem torqueat, desiderat inuenire, minis præmonens reum studiosissimè nititur effugare: quisquis

quisquis periit monitus, de ipsa admonitione grauius sibi incrementauit supplicium, quandoquidem dilucidè ostendit, non solùm oblectamenta sectari culpæ, sed iniuriam negligere audaciæ. Iosue vt scelerum timorem incutiat trucibus minis percellit audaces: *Adducet super vos, quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis, eo quòd preterieritis pactum Domini Dei vestri.* Ne posteà dolore adurgeretur dispergens, dispersionem præcauet ipsam præmonens dispersionem: verùm si minæ hucusque auferendam terram, incolásque prorsus disperdendos non enunciarant, cur non solùm testatur implendas; sed calamitate pronunciat incrementandas? Hoc profectò dicat quis prædictas non erit minas implere, sed flammas suppliciis addere. Fallat ni ipsa minitatio despecta, dum exaggerat culpam, & culpæ non adauxerit pœnam. Delinquere non admonitum humanæ est fragilitatis erratum; minis verò præmissis errare summæ est procacitatis delictum, & quadamtenus ambitiosum stragis votum. Prorsus ergo admoniti debebuntur de terra, qui non admoniti ob tot non sunt exterminati flagitia.

99. Achan cupiditatis vernula cum hostium detriumphator, Domini præuaricatus est pactum, Ducísque temerauit edictum: aurum clanculum suffuratus abscondit; sed quod studiosa occultarat industria, diuina denunciauit Principi prouidentia: adeò verò cautè indicauit delictum, vt perpetratam nunciaret culpam, & perpetrantem celaret personam. *Anathema in medio tui est Israel.* (Ios. 7. v. 13.) Remedium consuluit sceleri, & scelesti etiam prouidit honori, vt discant qui ad principes superioréśque culpas deferunt id facere odio culpæ, amore personæ, ne & ipsi delatores periculosius laborarint remedio, dum fœdissimo maleuolentiæ adurgentur odio. De Numinis sententia in diem sequentem citat Iosue omnem cœtum, & ardentes prædicens flammas minis percellit attaminatum. *Quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni.* Tribus omnes tardam accusabant auroram nouitatis studio, & publicationis criminis desiderio. Achan inter cæteros aduentauit, sortéque rationabili deprehensus dignas tanto flagitio pœnas subiuit. *Lapidauit eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta erant.* Iam pungit scrupulus: nam si Domini sententia horrendum anhelantibus flammis addixit, cur Iosue grandinantium duro lapidum imbre deleuit; nec flammis voracibus vstulauit? Varia adæquè ingeniosi & pij interpretes, vt nodum soluerent, tradiderunt: & nos aliqua in septimi capitis expositione retulimus. Placet modò Lyra, qui ait non solùm ignibus vstulatum; sed crebris lapidum ictibus repercussum. (Lyra.) *Punitus est duplici pœna, scilicet lapidationis ... Secundò combustionis cùm pertinentibus ad ipsum secundum quod Dominus imperauerat.* Vnde videbatur sedandus, acrior recrudescit scrupulus: nam aut Iosue, dum grauiorem adaggerat pœnam, sanguinolentus deliquit, aut oraculi iussa corruptus interpres tacuit. Satis non fuit vstulationis pœna, vt vel flagrans sopiretur sæuitia? Quid ergo addita lapidatio? Adulatusne est grato oculis vstulationis fumo, & auribus resonantium lapidum sono? Profectò Iosue sæuitiæ inhumanitatísque furorem prorsus ignorat, Achan attamen ipse pœnarum sibi cumulum incrementat. Flammas meruit nummorum raptu, lapidationem minarum contemptu. *Accedetis mane,* inquit Iosue, *& quicumque deprehensus, comburetur igni.* Totum noctis spatium fugæ aut rubori concessit, ne sors attaminatum aliquem inueniret. Achan toto illo tempore honesta delicti pœnitudine erratum valuit delere, aut matura saltem fuga supplicium frustrare, quandoquidem ne perspicaces curiositatis oculos vereretur, obscura noctis patrocinabatur caligo: verùm ille nec minis perculsus confugit ad pœnitentiam, nec saltem arripuit fugam: adeò temeraria somnum capit socordia reclamante conscientia reus, vt tutissimè placido indulgere somno potuisset iustus: punitus ergo est duplici pœna, vstulationis ob auri furtum, lapidationis ob minarum contemptum. Ipse sibi adauxit pœnas, quia temerarius despexit minas, nec expiare gestiuit conscientiam, nec curauit saltem arripere fugam: admonitio flammas tantummodò minabatur; sed imprudentissima oscitantia lapidationem adauxit: *Punitus est duplici pœna*, & quidem meritissimè: nam delinquere obcæcatæ fuit cupiditatis erratum; sed accedere pollutum ad sortes, insanienientis fuit audacis temeritatis delictum.

Semen in Dauid procacissimus, quique illum fugientem probrosissimis verbis dehonestarat, & indignis maledictis prosciderat, facillimè veniam impetrauit, eam namque semper Dauid, quæ prophetam deceat, animitus excoluit humanitatem, posteà cum seruos reducturus ad Achis in Geth iuisset, à Salomone morti traditur, & à Banaia impræsentiarum occiditur. 100.
Iussit itaque rex Banaia filio Ioiadæ, qui egressus percussit eum, & mortuus est. (3. Regum 2. v. 46.) Inquiramus, si placet, cur Salomon ob leue adeò delictum mortis supplicium intulerit, cùm pater eius graui adeò peccato regiam maiestatem obnubilanti pepercerit. Errauit Semei ad Achis tendens; sed seruorum cupiditate suasus, aut amore fortasse impulsus: hoc non erat regiæ dignitatis probrum, sed ad summum cupiditatis studium. In Dauidem scelestissimè lapides iecit, turpissimásque contumelias iactauit. Ergo aut Dauid puniat, aut Salomon parcat. Perpende, amabo te, temporum discrimen, & circumstantiarum diuersitatem: anteà deliquit furenti ardore obcæcatus, modò delictum perpetrauit admonitus: vocauit namque illum Salomon, vt hanc illi præscriberet legem. *Ædifica tibi domum in Ierusalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc atque illuc. Quacumque autem die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum.* Minis terret, & de ipso terrore vitæ patronus consuluit, ne seuerum ageret iudicem, pium ostendit se monitorem. Sanè non prædixisset supplicium, si inferre desideraret tormentum. Quid tunc? Semei cupiditate abripitur: legem audacter transgreditur, & cum adhuc domum excedens vsque ad Cedronem vertendi stylum opportunum illi fuerit spatium, nihilominus præfixum temerarius transiliuit terminum: licet ergo priùs grauiùs errarit, venia donatur, quia furore deliquit abductus; modò verò occiditur, quia peccauit admonitus. (*Tunc iusta probatur districtio, cùm lenis præcedit patientia.*) Huc voco Cassiodorum 4. variarum 29. (Cassiod.) *Nos quibus cordi est post primam culpam non statim desiderare vindictam,* ad

ad monitionem potiùs iussa conuertit … stra districtio nimia, quam lenis pa … præcedat. Ideóque præsenti auctoritate … mus, vt iussionibus nostris nulla dilation … tas afferatur. Attentiùs audi, quæ subdit: *Non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus.* *non habet veniæ locum, qui delinquit admo…* Grauissimè deliquit Semei; sed nondum adm … nitus insaniuit: ideò indulgentiæ locum inue … nit: deliquit posteà leuiùs sanè, sed minis terrefactus, & ab ipso Rege admonitus: ideò ergo indulgentiæ locum non inuenit, quia malitiam admonitione cumulans deerrauit: *Non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus*: timeant peccatores, qui post misericordes Domini admonitiones adhuc incrementare crimina non desistunt: nam qui fortè veniam consequerentur de errato, pœnas sibi cumulabunt de monito.

101. Duo latrones in Domini patientiam procaciter insultabant, nec crucis tormento afflicti linguam edocuere silentium; sed de impatientia
Matth.27. v.44. proferre satagunt maledictum. *Idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo improperabant ei.* O mira saluatoris patientia! Sibi quodammodo detrahit, dum scelestissimorum hominum procacissimas linguas tolerat. Quid dico tolerat? Latronem alterum secum ducit ad pa-
Luc.23.v.43. radisum: *Hodie mecum eris in paradiso.* O quàm faustum latroni lignum, quod videbatur probrosum: felicior profectò de mulcta, qui infelicissimus fors de venia: verùm si vicina maiestas latronem, vt inimici trophæum ad paradisum portauit, cur vtrumque ad plausum triumphi augustiorem non tulerit? Si vterque blasphemus, cur alter tantùm veniam humaniter consecutus? Vterque profectò deliquit, alter verò meliora sapiens socium reprehendit; alter adhuc admonitus blasphemias in Dominum proiicere ore spurcissimo non cessauit. *Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es.* Licèt ergo vterque priùs impatientiæ stimulis blasphemauerit incitatus, veniam aliquomodo sibi non impediebant, quia cæco furore abducti; & dolore sæuissimo discruciati; quando verò alter adhuc non desistit admonitus, vritur dignissimè condemnatus: nec enim habet veniæ locum, qui delinquit admonitus: *Vt agnouit,*
Theoph. inquit Theophylactus, *qui priùs erat blasphemus, Iesum verum Regem, confutat & alterum latronem, & ad Iesum dicit: Memento mei in regno tuo.* Alter non destitit confutatus; alter errauerat cæcus: qui ergo ante admonitionem deliquit, veniam impetrauit; qui verò post admonitionem durus de cruce ad tartarum detrusus immortales pœnas subiuit.

102. Concludat thesim Saluator ipse, qui dum de infligendis peccatoribus pœnas ageret, sic ait
Luc.12.v.47. apud Lucam: *Ille seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Profectò si non cognouit voluntatem, nullis plagis videtur dignus, qui cognoscens flagellis foret inflictis acrioribus verberandus. Hanc quæstionem dignissimè, vt assolet & Theologicè noster ad hunc locum exagitat Maldonatus. Ego verò quod meo facit instituto, transcribo: sicque sententiam moribus concinnandis adapto, scilicet vterque seruus dignissima plagis commisit; alter verò iudicij igna…

…rentia puerum suscitans Christi personam re… Elisæus, fortassis quia iuuentus ægriùs ad … reduci, difficiliùsque sustinet prophetæ … æquari. Satis est prophetæ cada… …mini resculpserit vitam; Chri… …ens florido sanguine ar… …tentiam. O bene; … Basilij: vt Chri… …micantiùs … præsidio … *t. … qu… paru… multi… paucis. … sunt, qu… modò conis …* contemptu…

Ardentior resplen… …tas, dum sibi angustatur, ne proximus fœdis peccatorum sordibus maculetur.

CHaritas, aiebat Apostolus, *non quærit, quæ sua sunt; sed quæ Iesu Christi*: parum hoc, 103.
vt quæ Iesu Christi, ambitiosè quærat, magnanimiter sua amittit: animarum zelus homines honestè inebriat, & vel necessariis integumentis denudat: quò pauperior, & volatu sæpè velocior. Cupiditas insana, & verus amor ambitione sibi opposita exæstuant: cupiditatis hydropi nullus sufficiet humor, quantumuis adijcias: quia quidquid addideris, in flammarum transit nutrimentum. *Quidquid illi congesseris,* Seneca.
aiebat Seneca de consolat. cap. 11. *non erit finis cupiditatis, sed gradus.* E contra amori accidit: quidquid detraxeris, non erit amoris extinctio; sed flabellatio: contractior in se ipso procerior est: dum auro pauperior, & flammis ditior: degenerat amor cupidini admixtus, scintillat solo animarum lucro ditatus: quo sibi angustior, & nobilissimis ignibus splendidior. Angustissimo ligno Dominus occubuit nudatus, vt homo innocentiæ trabea rutilaret vestitus: scintillauit amoris ardentissima flamma, dum corpus ligni arctissima contraxit angustia: propriis incrementis inhians, & commoda curans, re vacuus speciem sæpè charitatis mentitur: qui de augendis censibus agit, de culpis extirpandis non agit: honoris ambitio aut non videt culpam, aut culpis negligit adhibere medelam; imò per aliena sæpiùs scelere nititur dignitatis culmina ascendere, iniquitatisque pennis ad alta aggreditur euolare. Eua de pomi raptu sibi diuinitatem excudere, Cain de infami parricidio hæreditatem nititur ampliare. Proximorum perfectus amor spe non ducitur; imò propriis dispendiis vulneri peccatorum medetur: *Non amor ille nomi-* Cassiod. Amicitia sui causa est.
ne, scribit Cassiodorus in prologo de amicitia, *vel honore amicitia dignus est, quod alicuius mundanæ vtilitatis obtentu contrahitur: amicitia siquidem ipsa sui causa est, ipsa sibi merces est, & longè infra fines amicitiæ amor ille subsistit, quem expectatio ambitiosa, vel spes quæstuaria antecedit.* Amor & perfectus zelus sic erratis inuigilat

1. Cor.13. v.5.

erant namque non improbabiles coniecturæ, obsonia scilicet citissimè condita & inuenta, vocis sonus, qui industriè licèt dissimulatus, non Esau, sed Iacob prodebat: hærebat senex inter prudentiæ suspiciones, & asserentis se primogenitum esse animositates, vtque hanc coniecturæ, prudentiæque dirimeret litem, manibus commisit examen: *Accede huc, vt tangam te fili mi, & probem vtrùm tu sis filius meus Esau, an non.* (Gen. 27. v. 21.) Maluit prudentissimus senex adhibito examine errare, quàm coniecturis incertis credere: si voci, si celeritati credidisset, ab studio nullatenus aberrasset: rectam attamen gubernationis normam sequentibus non præscriberet: felici ergo errore coniecturis non fidens Iacob benedictione ditauit. (Chrysost.) *Isaac pro indaganda veritate*, scribit Lippomanus, *nihil negligit, non contentus auditu tactum expetit certius signum.* (Lippoman.) Accinit Chrysostomus apud ipsum: *Ob vocem placidiorem dubitabat iustus.* De veritate dubitabat, probabiles satis coniecturæ dubium reddebant; sed quia iustus, ne coniecturis imprudens fideret, examine adhibito prudenter errauit. O si ab his arcanis discerent superiores, quantumuis veritatem ducti coniecturis sæpiùs veneentur, prudentiæ, optimóque regimini contraire, & quantumuis adhibito examine à vero distent, se prudenter gerere, atque feliciùs errare.

---

§. XVII.

Augustiori zelus ardoris pompa resplendet, dum viuidiùs curat alienis culpis mederi, quàm humana sibi commoda incrementare.

81. GEnerosus animus ex se concitatur ad honesta, virilis appetit ardua neminem honestæ præsumptionis virum, celsique ingenij sordida & humilia delectant. Speciosus virtutis decor (est namque oculis pestilenti passionum humore non suffusis pulcherrima) ad se vocat, nec tantùm vocat, sed rapit. Quemadmodum flamma nec iacere didicit, nec flecti nouit; sed in altum vel immensis ponderibus pressa ambitiosè contendit: ita generosus zeli ardor nescit ignauè quiescere, sed anhelat semper laudabiliter operari: extra ius ditionémque fortunæ viuit, innatóque impetu ad meliora rapitur. Secunda temperabit modestè, aduersa feret viriliter, & altis admiranda despiciet: magnanimè, & quia scit quæ virtutis summi æstimanda, vehementior est in his tuendis, quàm in propriis commodis procurandis. Et quidem vitium quodlibet gehennalis fornacis scintilla est: passionum acrius adspirantium flatibus, furentibúsque cupiditatis ventis flabellata transit quam citò in incendium, & ferè irremediabile adfert virtutis excidium. Huic malo omni solertia refragatur zelus, ne vires addat ignauia, omnésque animi virtutes misera depopuletur ruina: nam si lethalis hæc pestis altè præcordiis insederit, ad se remedia trahet, & industrio etiam medico negotium facesset. (Seneca.) *Tunc*, aiebat Seneca epist. 39. *consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant; sed etiam placent, & desinit esse remedio locus; vbi quæ fuerant vitia, mores sunt.* (Dum vitia transeunt in mores, prorsus euertuntur virtutes.) Figulus tenero in luto quamlibet superinducit figuram, fingit, refingit, format, obliterat; at postquam exiccatum induruit, citius quàm reformet disrumpet. Huius ingenij non indoctus zelus ipse se vrget, & cupiditatem velocioribus alis transgressus vincit: si insanum ambitionis æstum cum zeli adæquaueris flammis, minus ambitio furet, quàm zelus ardeat, Hebræi negligenter adeò adaugere curabant patrimonia, diuitiisque cumulare diuitias, vt Iosue marcescentem illorum obiurgarit ignauiam. *Vsquequo marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram.* (Iosu. 18. v. 3.) Circa censum desides, verùm ad coërcenda crimina adeò acres, vt suspecta in altaris substructione Rubenitarum culpa ardentes in arma ruant, & maturandam è vestigiò legationem statuant. *Cùm audissent filij Israel ædificasse filios Ruben*, &c. *conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos, & interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees*, &c. Properandum censent, vt crimina ipsis in cunabulis restinguantur: ecce qui sortes amplificare contempserant, ardentiùs inuolauere, re aliena euerterent crimina, quàm vt ditissima acquirerent prædia. Despiciunt aliis miranda, & dolent quæ pluribus contemnenda. *Qua in re*, scribit Masius, *vindicante auitæ religionis zelus laudem meretur maximam.* (Masius.) Adstipulatur Abulensis quæst. 11. (Abulens.) *Incendebant nouem tribus & dimidia quod etsi duæ tribus, & dimidia inchoassent facinus, timore belli, quod indiceretur eis, desisterent:* plus illos adussit alieni criminis zelus, quàm imperij producendi appetitus. Citiùs medendis culpis statuerunt incumbere, lentiùs aggerandis opibus insudare: quod nobiliori zeli conditio est.

Fugiebat celebris ille propheta fœminæ peruersæ insaniam, alas addidit metus, ne pigras in itinere poneret passus, verùm aut viæ laboribus fatigatus, aut tædio sanè impeditus se sub arborem abiecit, vt fessos artus soporis dulcedine recrearet. *Proiecit se, & obdormiuit in vmbra iuniperi.* (3. Reg. 19. v. 5.) Vides adhuc vrgente metu, adhuc compellente periculo, adhuc morte minitante somnum accepisse prophetam: vide illum ipsum longiora itinera nec tardo pede carpentem: à torrente Carith vsque ad Sarepta Sidoniorum contendit, neque adeò prolixo itinere dormire auditur, aut capessisse quietis tantillum refertur. *Surrexit, & abijt in Sarepta.* (3. Reg. 17. v. 10.) Viæ terminus termini coniungebatur initio, quasi nulla esset intercapedo: *Surrexit, & abijt.* Defuerunt ne in tam longo itinere frondosæ arbores? non molestarunt ardentes æstus? nulla occurrerunt hospitia? Cur ergo Elias cursum non repigrat, vt cibum aut somnum capiat? Quia diuini honoris ardentiùs incandiuit zelotypus, quàm propriæ salutis cupidus: non tantum missus est, vt à vidua hospita pasceretur; imò sub cibi specie, vt à veritate viduam religionéque extorrem pasceret, est delegatus. Ita Rabanus & Angelomus apud Glossam: (Gloss.) *Hæc vidua gentium significat Ecclesiam, quæ à suo dudum fuerat conditore deserta: populum fidei veræ, & rectæ veritatis nescium donec veniens sermo propheticus pasceretur ibi simul & pasceret.* Mittitur Elias Sareptam vitia idololatriæ extincturus: fugit ardentes mulieris furias suæ patrocinaturus saluti; verùm

verum illud est discrimen inter propriæ vitæ studium, & alieni erroris extirpandi ardentissimum æstum, vt fugiens dormiat, & Sareptam versus alatus excurrat. Nouerat quàm parui æstimanda sit ipsa vita, quæ tempore breuissimo succidenda, aut ab aduersario amputanda; at animæ salus, quia æternùm fortunata, aut in sæculum misera sic zelotypi adurebat præcordia, vt nec permiserit somnum captasse placidum, nec vel exiguum sumere cibum. Ipse somnus zeli ardentis elogium est: resplendet lucidior de illis moris, candidior de minis: lentior fuit Elias in auertendo à ceruicibus gladio, viuidior in euertendo idololatriæ delicto. O si zeli diuini alumni hoc zeli, sacræque æmulationis speculum intuerentur, suásque ad illud efformarent actiones! non sic audè insequerentur commoditates, non sic remisse tuerentur virtutes; verùm nonnulli artificioso prodigio in zeli fornace Angelorum mentiuntur faciem, eiaculantúrque versus alios stridentem flammarum procellam, vt plausibilem sibi lucrentur lucem. Profectò nonnulli in religionis cœtu sunt Luciferi: non habent ardorem, sed quærunt lucem: & cum non semel ab odio mutuentur animum, a zelo mutuantur etiam ad speciem studium. Bene ille adurit, qui propriis commodis prætulit vel alienam virtutem, qui adussit crimina, vt lucrifaceret homines, non adussit homines, vt sanctitatis plausum acquireret: verus zelus suas notas habet, deprehendes facilè, si perspexeris.

83. Christus Dominus, etsi instantis mortis metu non terretur, humanæ naturæ propria non denegauit; verùm antequam ad orcum descenderet,
Luc 22.v.32. fulgentem Petro iam mentem prædicit: *Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Vides Dominum in preces pro Petro fusum, vide illum etiam tendentem ad mortem, vt pro se ad Patrem preces effuderit: *Pater, si vis transfer calicem istum à me.* Incongrua ad speciem orationis series. Pro Petro priùs, & pro se Patrem rogauit posteriùs: estne Christus aliquorum adinstar qui cum aliorum commoda solicitè curarint in vita; sua Deum erant in vltima mortis angustia damnanda ignauia, aut periculosa fiducia. Minimè sanè: est enim Dominus perfectionis perfectio, virtus virtutis: verùm si orationis studia distinxeris, discriminis facilè rationem inuenies. Christus pro se orat, vt vitæ temporalis discrimen auertat: orat pro Petro, ne tentatio penitus fidem concutiat, adeóque grauius Christi Domini zelum vrget Petri culpa, quàm propria infamia, vt pro Petro citius orauerit, pro se & sub conditione, & tardius: esset zeli flagrantis iniuria priùs studuisse propriis commodis, quàm extirpandis aliorum delictis: zeli Domini sumptuosius elogium est, pro temporali vita posteriùs, & pro Petri fide longas preces fudisse priùs. Nos miseri adeo corrupta æquitatis lance animæ & corporis negotia pensamus, vt puerorum instar aurea monilia & vniones pretiosas fragili, sed splendenti vitro commutemus. Domini zeli rutilantior de tarditate refulsit flamma, dum vitæ commoda vlteriori loco ponenda censuit, prio-
Theophyl. rique lucra animæ collocauit. *Rogaui igitur dicit*, scribit Theophylactus, *vt non deficiat fides tua; quamuis enim breui tempore concutiendus sis, habes tamen recondita semina fidei, vt etiam si folia abieceris spiritus inualentis, radix tamen viret, & non deficiet fides tua.* Meliùs post aliqua: *post cœnam non desidia, & ludi, & somnus Dominum excipiebant; sed docebat & orabat propter nos... secessit autem in montem oliuarum, postquam talia docuisset discipulos, vt oraret.* Orauit propter nos, secessit postea oraturus pro se: prius animarum curatoris negotium egit; posteà in vitæ patrocinium orauit. Zeli ardore temporalem oblitus est vitam, aut certè sub conditione & in locum vltimum reseruauit. Adde viuidam charitatem non solùm caduca commoda alienæ animæ saluti postponere, sed ipsam gloriam quodammodo posthabere.

Adest latro ille, qui gloriosa voce duros cru- 84.
cis temperauit cruciatus, & dolorum patientia leniuit ictus. Pendebat Christus Dominus patibulatus non tam inuidentiæ spolium, quàm charitatis trophæum, in exterius miserum, & interius vere beatum peruersa lingua belluinoque furore hostes insultabant: priùs impatientiæ ille discipulus latro blasphemias didicit, quàm sibi consulere nouerit: qui a nudo rapere diuitias non poterat, honore dispoliare lingua satagebat: quos illi scelera dolores incusserant, lingua sacrilega in gloriæ Dominum euaporabat; socius verò blandiori genio præditus, sociique insanis dicteriis præ clauis percussus illius insaniam aggreditur moderari. *Vnus de his,* Luc.23.v.39
qui pendebant, latronibus blasphemabat: respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es. & nos quidem iustè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali fecit. O crucis virtutem! Suscepit latronem, excudit martyrem: fortunate in iudicum manus incidit, infeliciùs vitam protenderet. De Domini consortio eruditus fulgurante charitatis splendoribus voce socium corripuit, & veluti in redemptionis consortium admissus culpas etiam refrænare contendit. In socij audaciam temerariam inuehitur, vt linguam frænet, non vt petulantiam euulget, & postquam iniquitati verba reprehensione eripuit, oráque malignitatis occlusit, ad Dominum versis oculis quia manus tendere non valebat, linguam direxit, & humillimas preces fudit. Et dicebat ad Iesum: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Quàm citò eum docuit Spiritus sancti gratia! De latrone factus est confessor, de confessore beatus, verùm si Domini mors instat, si latro impetrare sibi cæleste regnum exambit, cur satis angustum tempus in socio carpendo deterit, qui posset feliciùs in cælesti regno acquirendo sibi lucrari: petat à Domino paradisum, & socij postea dignis vocibus carpat insultum, ne dum in alium inuehitur, fugacem occasionem amiserit. O latronis zelum, ô viuidam charitatis flammam! Sua ipse delicta confessus est, *Iustè digna factis recipimus:* crimina confessione depulit, & socij etiam crimina depellere studuit, verùm iam gratiæ partus sic proximi vtilitatis Deique honoris nobilissima flamma exarsit, vt vel gloriam criminis coercitioni postponeret, accuratiúsque proximi salutem, quam æternanda sibi gaudia perquireret. Non curauit anteà, quàm sibi gratiam acquireret, alterius culpam vitare, sed curauit alterius vitare culpam antequam petere sibi gloriam. *Charitatem in morte sua* Gregor.

veraciter tenuit, qui fratrem, & collatronem pro simili scelere morientem de iniquitate sua redarguit. Viuidissima inquit Gregorius in catena latronis charitas resplenduit, quia antequàm sibi comparare regnum, à socio auertere gestiuit delictum. Recordor illius ardentissimæ charitatis mei protoparentis Ignatij, sic diuini æstibus zeli flagrabat, vt aliquando dixerit, si daretur optio, malle se gloria priuari, quàm crimen aliquod á fratribus non depellere. Relinquerem, inquit, ipsam gloriam etiam iterum non recuperandi periculo, vt certo obuiarem alicui proximorum peccato. O charitatem Christi Domini amorem redolentem! Sciebat Ignatius tunc auctiorem se gloriam indubitanter manere, cum illam pro Dei honore & proximorum salute periculo non detrectabat exponere. Hic nitidissima flagrantis zeli emicabat flamma, quia ardentius quam sibi commoda, aliena gestiuit auertisse delicta. Discant hinc zelotypi non confictis delationibus adaugere sibi commoda; sed quo melius culpis alienis obuient, vel aperta amplecti discrimina.

---

§. XVIII.

Oborta calamitas, dum actio debitos aptatur in vsus, patientiæ erit exercitium, non delictorum flagellum.

85. IN continua temporum rotatione, & varia rerum alea multa accidunt nobis ingrata, multa aspera, multa dura; omnia tamen illa non temeritate, aut placiditate disponuntur fortunæ; sed cælesti nutu prouidentiæ. Fabulosa, & elaborata cæcitate delirans antiquitas deam finxit fortunam, & quidem cæcam; nos verò, quibus candidior veritatis refulsit splendor, prouidentiam solùm agnoscimus oculatam, cuius orbita Ezechiele testante, oculis semper plena, & quando leuat deiecta, & quando deprimit eleuata. *Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus, & totum corpus oculis plenum.* Non negauerim hominum continuos errores illis calamitates procudere, & molestias anxias non semel afferre: *Iustitiæ ratio persuadet*, aiebat Theodericus 5. variarum 14. *excedentes reprimere, vt ad cunctos possit quietis suauitas peruenire.* Excessus vitandi sunt, vt pacis arrideat serenitas, & radiet serenitatis iucunditas. Ipsi excedentes, ni reprimantur, quietis suauitate carebunt; quia de perniciosis excessibus se perturbabunt. Quia verò non omnia cælitus immissa flagella culpis extorquentur; sed sæpè ad patientiæ & meritorum incrementa infliguntur, solicitè perscrutandus est rerum vsus; quia inde clarissimè agnoscitur, an obscuris scelerum vaporibus concreta desæuierit tempestas, an prouida Numinis dispositione premat calamitas. Si res omnes debitos aptantur in vsus, infortunium erit patientiæ experimentum; si abusus vigeat, erit errorum supplicium. Tribus vltra Iordanem confidentes grauis tempestas adoritur; reliquæ delere cupientes tribus armantur: *Conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos.* Audierant substructam aram, & propero incõsultóque zelo ardentes idololatriæ crimine fratres insimulant, & extinguere illorum memoriam parant. Interim mittunt, qui rem accuratiùs explorent; sed legati de sceleris præiudicio acriter in innoxios inuehuntur. *Quæ est ista transgressio? Cur reliquistis Dominum Deum Israel ædificantes altare sacrilegum, & à cultu illius recedentes?* Re indiscussa durissimè carpunt ipsi, qui intimiùs exploratum sunt delegati: non discutiunt; sed damnant, non examinant; sed condemnant: rem agunt iudicis, qui munus debuerant agere exploratoris. Quid tunc? Pacatis verbis de conscientiæ serenitate, respondent se erexisse aram non in auitæ religionis iniuriam; sed in beneficiorum memoriam: *Putauimus melius, & diximus: Extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas; sed in testimonium inter nos & vos.* Altaria in testimonium, ac in monumentum erigere maiorum exemplis licitum, & ipsa gratitudine honestum. Dum ergo altari ad debitos vsus erecto adeò ingentem perturbationem patiuntur, constat Numen illorum experiri patientiam, non illos affligere ob culpam: *Incenduntur Israelitæ*, scribit Masius, *suspicione atrocis rei aduersus fratres suos vsque eo, vt bello ipsos inuadere parent:* Bella in Rubenitas parantur; non tamen ob admissum piaculum; sed ob suspectum idololatriæ delictum: innocui patiuntur vt scelesti; eo tamen discrimine quòd tam acerbo casu Rubenitarum Deus exercere studuit patientiam, non scelerum punire culpam. Si altare debitis vsibus non seruiret, bella essent delictorum supplicia, dum tamen constat ritè structum, solùm sunt virtutum experimenta.

Ezec.1.v.18.

Cassiodor.

Masius.

Improuisè ad Iobum nuntij inuolarunt stragis: *Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia.* Septuaginta sic reddunt: *Iuga boum arabant, & asinæ fœminæ pascebantur iunctæ eis.* Gregorius Magnus ex Græco legit: *Asinæ fœtæ.* Quàm citò pressit calamitas, cùm diuturnis boum gemitibus agri constaret vbertas! Arabant duram telluris glebam aratri vomere proscindentes, vt post longas moras, & adultas hyemis niues aureæ nitescerent fruges; sed citissimè spes ablata: *Tulerunt*, inquit, *omnia.* Acerbum equidem nuntium; sed quod calamitatem ad patientiæ pompam declarabat inductam, non ad scelerum mulctam immissam. Ecquis hoc? Audi ipsum nuntium: *Boues*, inquit, *arabant, & fœtæ asinæ pascebantur.* Boues laboribus nati studebant sulcis altioribus proscindendis: asinæ pullos suos lactabant, vtque vberiori lacte enutrirent, pascuis amœnissimis feriabantur: omnia debitos aptabantur in vsus, tuncque ingruit acerba prædonum ira, & iniusta Sabæorum rapina: ergo infortunium non erat scelerum mulcta; sed eximiæ virtutis pompa. Referat nuntius non solùm ablatos boues; sed dum ararent, ablatos, vt de expleto munere immissæ calamitatis innotesceret causa, ne sanctitatis putaretur iniuria: *Non dicitur: Boues à Sabæis ablati sunt*, notat Gregorius lib. 2. moralium cap. 8. *sed, qui ablati sunt, boues arabant.* Iobi exercebatur patientia, non peccatorum desæuiebat vindicta, quandoquidem tunc pressit miseria, cùm boues aratro colla subderent, & vomere terram verterent. *Diaboli est*, scripserat Gregorius ibi cap. 4. ad

86. Iob 1.v.14.

Septuag.

Gregor.

ad afflictionem bonorum malitiæ æstibus anhelare: quo enim eorum tentationem inuidens appetit, eò illorum quasi probationem deprecans petit. Probatio exigitur, non culpa mulctatur. Discute si omnia tua debitos ritè disponantur in vsus, cùm durior fortuna pressit: quod si ita inueneris accidisse, crede probationem patientiæ, & animos contra calamitatis æstus resume; si tamen aliter te gessisse noueris, culpam dolorosis dele gemitibus, ne iratis vindictæ mergaris æstibus.

87. Luc.10.v.30. *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam dispoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* Hominem hunc primum parentem arbitratur apud D.Thomam Augustinus: Aug. *Homo iste ipse Adam intelligitur in genere humano. Ierusalem ciuitas pacis illa cælestis, à cuius beatitudine lapsus est.* Versus Iericho mutationis infelicitatisque matrem iter agebat infelix iste, & quid nisi gemitus poterat inuenire, qui à pacis regione stultissimus studebat recedere. Transi modò cogitatione ad sponsam in ciuitatis custodes incidentem, & videbis diuersa nomina; sed simillima latrocinia: ibi grassatores feriunt, & dispoliant; hic custodes & dispoliant, & vulnerant: audi Sponsam: Cant.5.v.7. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Qui circumeunt, inquit, non qui defendunt; cùm tamen defensioni debuissent inuigilare, non rapinas exercere. Ambrosius hæc vulnera docet non metuenda; sed pluris æstimanda. Audi illum ad hunc locum in collectis: Ambros. *Videtis quemadmodum quærat, quæ desiderat inuenire, vt non timeat vulnerari; sed hæc vulnera non metuenda sunt; sed optanda: quia vulnera charitatis sunt.* Et cur hæc optanda dispoliatio, quando illa descendentis hominis effugienda? Quia homini accidit infortunium, cum à recto virtutis itinere deuians noxiis voluptatibus indulgeret; sponsæ verò, cùm sponsum amantissimum deperiret. Quid honestius sponsæ, quam sponsum sibi dilectum diligenter quærere? Vulnera ergo, quæ munus suum adimplenti contingunt, æstimatione sunt digna, quia viuidam charitatis commendant flammam. Vulneratur viator, cùm deflexis à recto gressibus descendebat: dispoliatur etiam sponsa; sed cùm ad sponsum honestissimè properabat: hæc ergo vulnera sunt virtutis ornamenta; illa scelerum sunt indicia. Vtriusque viantis studium calamitatem ostendit esse delicti consequentiam, aut charitatis ac patientiæ gloriam. Si sponsa otio indulgens plagas exciperet, plagæ damnarent inertiam; verùm dum sedula quæ amantis sunt, obit, infortunium charitatem commendat, non afflictatam denigrat: *Hæc vulnera non metuenda sunt; sed optanda;* illa non optanda; sed metuenda.

88. Comparemus modo quam Iacobus reuisens propria plagam accepit, cum illa, quam Nabuchod. se proceram intuitus arborem tolerauit. Planta illa tumidis superbiæ laticibus irrigata sic inoleuit, vt despiciens nubes improbè vsque ad cælum ipsum cacumina egisset. Verùm in immensum producta duros securis ictus perpessa est: pulcherrimæ discutiantur frondes, saporati sparguntur fructus, rami teretes perfringuntur: Dan.4.v.20. *Succidite arborem.* Nabuchod. vulneratur, & etiam Iacob feritur: *Tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit:* Genes.32.v.25. idem de vtroque ferendum censebis iudicium, quandoquidem similes acceperint plagas: Vigil Nabuchod. ferit, Dominus Iacobum tangit: ergo sors æqua. Minimè: nam, etsi similis videatur effectus; à causis tamen & circumstantiis dissimillimis est exortus: Iacobus, quem nomen luctæ sudoribus dedicauit (sonat namque supplantatorem & luctatorem) luctando plagam accepit, muneri suo incumbens percussus est; Nabuchod. verò, quam regia dignitas totam noctem somno non ponere compellebat, dormiens feritur, garrulis auibus dissertam apponens mensam, sydera detrudens cacumine vulneratur: Iacobi ergo vulnus, quia luctamine inflictum constat, non fuit aduersantis supplicium; sed erudientis flagellum: Nabuchodonosoris proditur culpa: quia dormienti incutitur plaga. Iacobus plagam accepit, lachrymas vehementia doloris extorsit; sed dum dolens edit lamenta, & benedictionis adquirit lucra: *Benedixit ei*, inquit, *in eodem loco*, eo scilicet, vbi claudus: vt noueris delicti non fuisse mulctam; sed benedictionis tesseram, ac fortitudinis pompam. *Sic erat vnus & idem Iacob*, inquit Isidorus in Genes. cap.27. Isidor. *& benedictus & claudus.* Felix infortunium, quo benedictio non tollitur; sed augetur! Opto sic angi, quia sic desidero benedici. Nabuchodonosori extimescenda est calamitas, quam vocauit iners somnus, & expensis indignissimis cibus.

---

§. XIX.

Non semel qui vrgente necessitate deuotus, iam extra periculum inimicus.

PLures sunt, quibus nulla fides, plures, quibus peruersum ingenium, necessitate suadente se merita deuotione præstant morigeros, & studiosè obsequiosos: quod si orbitam vertat fortuna, iam argumentum nihil debentium odio quærunt; & quod humillimo præstiterunt obsequio, repetunt durissimo supercilio: dum pendent, sedulè adimpleturi rimantur votum, & pectore abditum praeodorantur desiderium: iam verò extra discriminis aleam constituti, aut ambitionis negotium adepti, faciem aduersariorum assumunt, & quibus anteà inseruierant, pertinaciter contendunt nocere, & illatis molestiis de industria affligere. *Detrahit amicitiæ maiestatem suam*, aiebat Seneca epist.9. Senec. *qui illam parat ad bonos casus.* O quàm detracta his temporibus amicitiæ maiestas! Nullus alterum spectans amat; sed dum amat, se ipsum spectat. Epicurus quærendum dicebat amicum, vt ægroto assideret, vt in vincula coniecto, vel inopi subueniret: profectò temporariam explicuit amicitiam: hæc studia amicos sæpè coniungunt, quæ vt infirmo fundamento suffulta, cessante periculo, aut necessitate corrunt collapsa: non fulcitur hic affectus beneuolentia; sed sæpè inopiâ: vtque ædificia fundamentis fatiscentibus collabuntur; ita amicitiæ istæ necessitate aut periculo submotis collapsæ desident, & versæ in contrarium dissident. *Qui se spectat*, aiebat vbi suprà Seneca, *& propter hoc ad amicitiam venit, malè*

malè cogitat, quemadmodum cœpit, sic desinet: parauit amicum aduersus vincula laturum opem: cùm primùm crepuerit catena, discedet. Hæ sunt Nonnulli solùm placent, dum vtiles. *amicitiæ, quas temporarias populus appellat. Qui causa vtilitatis assumptus est, tādiu placebit, quādiu vtilis fuerit... Qui amicus esse cœpit, quia expedit, placebit et aliquod pretium contra amicitiam.* Vera dixit: nam plures aliorum contrahunt familiaritatem indigentia, non amicitia. Sit qualecumque nostri textus exemplum. Dum Israel populus hostium tenderet regiones expugnaturus, Rubenitas comiter primatu allicit, & Iosf.1.v.15. illorum opem deuotissimè implorat. *Transite armati ante fratres vestres, omnes fortes manu, & pugnate pro eis* Dum desudant prælia, Rubenitarum auidissimè deposcuntur auxilia; posteà cùm vanus rumor aram struxisse spargeret, iam omnes in Silo conueniunt, vt non solùm Rubenitas conterant; sed & illorum nomina deleant: *Conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos.* Modò vti in hostes armantur, qui fratrum paulò ante nominibus gloriabantur nobilitati, & cognationis titulis nobilitabantur decori. Ecqua huius causa est? Quia Iosf.22.v.4. iam stata pax, hostes iam subacti: *Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem & pacem, sicut pollicitus est, reuertimini*, aiebat Iosue: Iam ad propria reuertentes bellicis rebus compositis, aram, vt dicebamus struxerant, & tribus reliquæ illos expugnare audissimè contendebant. *Iam tumultuabantur*, scribit Arias Mont. Arias Montanus, *quòd ipsi filij Israel essent parati nomen suum vindicare, ac tueri: atque ita filiorum Israelis nomen non populariter, & confusè tractabant, vt ferè iam duas illas tribus ac dimidiam filios Israel non censerent appellandos; sed filios Ruben.* Iam nulla causa; sed mera suspicione ab Israelitarum honore expungunt, & gloria nominis mulctare contendunt ipsos, quod paulò antè & fratres humanissimè compellarunt, & honoris causa primos ordine statuerunt. O quàm nimis verùm exemplum est! Plures dum indigent, cognationem affectant, eadem gloriantur stirpe geniti, eisdem proauis nobilitati; quod si adipiscantur optata, limis olim cognatos adspiciunt, affinitatem dedignantur, nec eodem titulo insigniri patiuntur. Primi sunt, vt defendant; Israelitarum nomine insigniri nefas est iam pace florente. Disce hinc ob honestatem operari, & omnem spem humanam proiicere: nam qui vrgente necessitate tibi deuoti, rebus compositis inuenientur fortè inimici.

90. Desertam à gratia Saulis animam nactus dæmon, tormento immanissimo discruciabat: internis flammis vrgebatur adustus, qui externè rubentibus purpuræ splendoribus emicabat circumcinctus: prudentia de mentis arce deturbabatur, agebantur pupillæ oculorum transuersim, præcordia continuis ictibus diffluebāt concussa, & melancholiæ tormentis tabescebant pectora discruciata. Quid tunc? *Misit Saul ad Isai dicens: Stet Dauid in conspectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis.* Rusticus mapalibus innutritus, Regiis oculis apparet gratiosus, nec à se Princeps vel tantisper seiungi permittit: causam textus indicat: *Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat.* Diligebat medicum, quia internum sustinebat martyrium; verùm cùm aliquando Dauid manu sua psalleret, dæmonémque dulcisona cantus melodia abigeret, Saul non sine irarum nota hastam, vt pastorem confodiat, emisit: *Tenebat Saul lanceam, & misit eam putans quòd configere posset Dauid cum pariete.* Quàm varia in regum aula fortuna! vbique orbitam rotat celerem; sed in palatio citissimam; modò Dauid Principis conspectui gratiosus, & modò lancea impetitus. Ecqua huius discriminis causa est? Quia anteà, inquit Seleuciensis Basilius orat. 15. cantu pro medicina indigebat; modò verò iam firmiorem salutem adeptus, & dæmoniacis obturbationibus liberatus: qui ergo vrgente necessitate deuotus, iam immani odio inimicus, & operibus aduersarius. Audi Basilium: *A dæmonis exitu leuatus Saul, & aduersorum detersa caligine in Dauidem, quem præsentem cognouerat, hastam iaculatus medicinæ pretium cæde n obtulit.* Quid aptiùs? Ne medicus infirmitatis existeret testimonium, improuisum nequissimus moliebatur interitum; & quia iam ad speciem Dauidis non indiget cantibus, ingratus in Dauidem fraudulentis armatur insultibus: coluit, dum indiguit, occidere nisus est, cùm sanitatem recepit. Proh palatinorum mores! In procelloso ambitionis solo eo solùm vento feruntur, qui vtilitatem, non qui honestatem inspiret: plures ad genua prouoluti ipsos adorabunt, dum ambiant, quos posteà conculcabunt, si culmine dignitatis eluceant: sanatus furit hostis, qui furiosus Dauidis anteà fuerat amicus. *A dæmonis exitu leuatus, & aduersorum detersa caligine hastam iaculatur,* qui amicitiam colebat, dum crebris obruebatur infortuniis, & duris affligtabatur molestiis: *Inuenit, inquit, gratiam coram me:* Dum ægroto concinit, dum impurato sedat spiritu concitatum.

Moyses vndis traditus vndas nauigat puerulus, adulabantur fluctus recenter nato non sine Dei nutu: fertur expers periculi, & inter confusos vndarum vortices ad thronum tetendit securus: nomen mutuatur ab aqua (aquam enim sonat Moyses) vt iugis beneficij seruetur memoria, & ipsis nominis litteris gratitudo ipso nomine legatur insculpta. Iam grandis factus, Deúsque Pharaonis inauguratus virgam prensat elementorum imperatricem, fluuióque accedens verbere ferit, & sanguine liquorem commutat. *Eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in sanguinem.* Anteà periculo subiectus ab aquis nomen mutuatur; modò Pharaonis Deus constitutus extra periculum degit, & qui nomen tulit, iam verbera inflixit: *Infanti fluuius parcebat, cuius ipse quoque virga percussus scaturigines in sanguinem transmutauit:* verba sunt Basilij Seleuciensis orat. 9. Dum prensat virgam dignitatis insigne, iam non est periculo expositus: aquam ergo verberauit non obscurus ingratitudinis vitio; sed decoratus mysterio. Et, ne aliquis in hoc conceptu scrupulus manserit, expende quod disertè Abulensis quæst. 8 Fugiebant Hebræi Ægyptiacam seruitutem: Pharao, qua rapiebatur, præsumptionis temeritate stupentes maris vortices intrat, & fugientium terga, si non impressis mucrone plagis, terrificis adurget minis, Deus columna illa Ægyptiorum retardat audaciam, & fulminibus adurit iactis duritiam. Fugientibus iam Ægyptiis Moyses manum

Margin notes (right column): 91. — Exod. 8. v.20. — Seleuc. — Abulens.

Exod. 14. v. 27. manum contra mare extendit,& percussum verbere alueum ad antiquum reducit: *Cùm extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibúsque Ægyptiis occurrerunt aquæ.* Conducibilius profectò videbatur mare percussisse, dum armata Ægyptiorum agmina instabant,non cùm fugiebant: cur igitur Moyses,qui aggredientes sustinuit, mare percutit,vt naufragio tradat fugientes? Percutiat aquas ea parte, qua sepelire valeant Ægyptios,& perstet mare induratum,qua viam concedit Hebræis. Sanè dum maris profunda puluerulento vestigio calcat Hebræus, aquarum vorticibus in murorum faciem constipatis defendebatur: *Erat enim aqua quasi murus à dextera eorum & læua*: tunc ergo nec virga percutitur, nec ictibus verberatur; at cùm Ægyptij fugiunt, iam riparum firma premebant Hebræi: ripam ergo prementes referient aquam, qui intra aquam nec auderent ferire; imò nec ausi fuerant calcare. *Iam Moyses*, inquit Tostatus,*& omnes Hebræi erant extra mare: quod patet, quia dicitur quod Moyses extendit manum super mare, quod non contingeret, si ipse esset in via.* Dum viatores confusa maris itinera premunt, manum non extenderent: nam auxilio quodammodò indigebant aquarum; quando verò extra mare, quia iam securitate fruuntur, vndæ repetitis virgæ ictibus verberantur: non anteà iussit Deus Moysi vndas fluminis referire, quàm Hebræi ripam contrariam inciperent securitate tenere: nam fortassis Numinis non adimplerent imperium, si intra alueum constituti aquarum sibi interesse arbitrarentur subsidium: *Extendit manum super mare: quod non contingeret, si ipse esset in via.* O quàm populus in maris profundo contra mare extrahere obniteretur imperium! Quam lentè virgam leuaret ad ictum, si prouenire sibi ab aquis posse credidisset auxilium; at dum aquarum nullatenus periculis subiacet, aquas semel & iterum ferit.

§. XX.

Ministri in altos non audent: non criminibus extirpandis; sed suis non semel commodis inuigilant adaugendis.

91. REspublica rege,præfectis,consulibus,ministrisque constat: nec enim Princeps Briareus,aut Argos: manuum adinstar ministris vtitur, & quæ per se explere nequiret, mediantibus sæpè ministris commodiùs exercet; verùm ea lues ex his plures nociuis infecit contagiis, vt nescias an conducibilius fuerit Principem populi errata ignorare, aut opera ministrorum punire. In criminis punitione peccant, furantur in furto, & quas in aliis rapinas, puniunt, ne puniant, exercent. Potentes, auróque exundantes audaciam ministrorum sæpè retundunt, & quia sibi à potentia cauent, aut dissimulant magnatum errata, aut, quod peius est, fouent

Cassiod. crimina. *Comperimus*, scribit Theoder. 2. var. 24. *sic primæ transmissionis tempus exemptum, vt nihil aut parum à Senatoribus domibus constet illatum; allegantes per hanc difficultatem tenues deprimi, quos magis decuerat subleuari: fiet enim, vt exactorum nimietas, dum à potentibus contemnitur, in tenues conuersa grassetur, & ille potius soluat aliena, qui est deuotus ad propria.* Grassatur in tenues exactorum audacia, quia retunditur à potentia: quam in diuitibus nequit explere, in pauperibus satagit nutrire voracitatem,& licitis vexantur iniuriis, qui exiguis ministrorum manus incurrerant culpis: læsus pauperum dolor adhuc vociferatione non pascitur: quia nec sermo liber permittitur. *Nuper*, iterum Theodericus epist. 25. *prouincialium iudicum relatione comperimus domos quasdam præpotentium suas non implere per ordinem functiones: hinc fieri, vt dum illationis quantitas procurari quæritur, à tenuibus summa potior exigatur.* Soluunt aliena, qui commiserunt minimè crimina, & cupiditatis flamma, quia robora nequit sæpiùs euertere,satagit stipulas deuorare. Gentiles duarum tribuum apud iudices de ara non ritè constructa dubiis sunt delationibus accusati: erant tribus illæ prædiuites, locoque primariæ: Ruben namque Princeps & primogenitus: vt ergo commissa indagarentur errata, debitisque suppliciis punirentur delicta, miserunt non quoscumque; sed capita tribuum: *Interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis, & decem Principes cum eo.* Profectò vt certiores fierent indagatione delicti,satis videbatur sedulos amandasse ministros. Principes summa auctoritate fulgentes, tribuum toparchi indecorè tendunt inexplorata carpturi. Ergo delegentur exploratum ministri, vt certiores posteà rem punituri perrexerint Principes. O dignam Iosue œconomiam! Scit superbæ molis structores auro copiosos, argentóque diuites:equidem ipse dixerat: *In multa substantia, atque diuitiis reuertimini ad sedes vestras cum argento & auro*, &c. Præcauet ergo, ne si ministros deleget,adaugendis studeant commodis, non explorandis delictis: ministri namque potentioribus parcunt, despoliant imbecilles. Huc voco quod aliorsum aiebat Oleaster ad 4.

Oleast. Exod. *Serui Principum non tam bonum Principis ministerium, quàm propriam vtilitatem quærunt.* Principes non deterrentur potentia, nec auri corrumpuntur fallacia. Suo muneri se reddunt, & scelestos affligunt; at ministri auri pallore acie reuerberata non vident,& vtilitatis præstigiis veluti incantati non audiunt.

93. Exactores à Christo Domino Cæsaris tributum supercilio turgido exigunt: causantur non solutum, cùm nunquam legatur petitum: pauperi crimen est indebita non offerre; diuiti non est debita non soluisse; verùm Christus, qui plus vitandis scandalis studebat, Petrum piscatum mittit, cúmque piscem, qui primus ascenderit, tollere admonuit: *Eum piscem qui primus ascenderit,tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Cùm Dominica semper verba arcanis exundarint mysteriis, nec superfluis clausula aliqua tumeat vocibus, sedulè nobis indagandum est, cur piscem tolli iusserit,qui staterem ore compressisse nuntiauit: *Eum piscem, qui primus ascenderit,tolle:* Matth. 17. v. 26.
& quando piscator inescatum fallacia piscem non traxit, aut quando captum fluctibus aquarum remisit? Totus oculus capturam perquirit, sibique de piscium captiuitate iucundissimus gratulatur: moneat ergo non quòd piscem extrahat;sed quod staterem sumat. O immortalem

 Domini

Domini prudentiam! vult nos pisciculos à turbulentis cupiditatum vorticibus extrahi, lutulentísque profundi specubus trahi: quia ergo scit ministros sæpesæpiùs auro corrumpi, cœnosúmque gurgitem diu diuidi permittere inhabitare, monet ne diuitiis acceptis piscem illum aquis iterum delegarit; sed confusis à vorticibus tulerit: *Tolle:* non quidem fuit vacuum mysterio præceptum; sed nostris aptissimum exemplis arcanum. O quoties, qui arundinem gestant, inueniunt piscem auro diuitem vndis cœnosissimis immersum, nec salebrosis latebris occultatum, extraheréque nituntur, vt aurum euomat, non vt cœnosa relinquat; imò vndis remittunt auro spoliatum: mirum est piscem statere diuitem arundinem non fregisse, nec auro dexteram subornasse: non superuacuum fuit, vt tolleret, præcepisse: quia auro piscatoris poterat dexteram euirasse: *Nos pisciculi*, aiebat Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 1. *in aqua nascimur:* pisces homines referunt; piscis ergo auro præditus diuitem adumbrauit: ministro ergo quantumuis Petro, prudenter iniungitur, ne auro denudatum turbidis fluentis remittat; sed ad soliditatem telluris extrahat: *Cum primum piscem*, inquit Hilarius in catena, *admonetur Petrus inquirere, ascensuri ostenduntur & plures:* plures ascendunt, alioqui vnicus esset, non primus: non ergo necessum fuit, vt reliquos tollat, Petrum adhortari præceptis; vt verò primum diuitémque extraxerit, non fuit superuacuum vrgere iussis.

Tertull.

Hilar.

94. Elias Regis legatis se vltroneus offert durissima prædicturus: Ochozias ad nuntiorum verba sic violentis iræ flammis exarsit, vt extemplo Prophetam vinciri iusserit. *Misit ad eum quinquagenarium Principem, & quinquaginta, qui erant sub eo ... sedentique in vertice montis ait: Homo Dei rex præcepit, vt descendas.* Mira profectò quinquagenarij & satellitum modestia: si vrgentur regis edictis, cur in prophetam violentas non iniecerint manus, cur funibus non strinxerint, cur ferreis catenis non illigarint? Michæas in maxilla percutitur, truditur in carcerem, durísque compedibus afflictatur: *Mittite virum istum in carcere, & sustentate eum pane tribulationis:* & Elias vel militum terrorem incussit audaciæ? An quia Elias vir Dei? Hoc etiam epitheto honorabatur Michæas; imò sanctitate fulgere, potiùs impiæ manus irritamentum, quàm furoris obstaculum. Quid ergo habuit Elias, quod militibus reuerentiam suaderet? Animaduerte quo constiterit loco: *Sedenti*, inquit, *in vertice montis*, ait: aliter loqueretur, si montis vertice non sederet: Michæas non occupabat excelsa, non possidebat sublimia; ideò ministri audacissimè furunt, iussásque contumelias nouis contumeliis adaugent; dum verò Elias cacumina montium occupat, ministri regis sibi cauent, & altitudini reuerentiam exhibent: vrbanos reddidit altitudo, effrænes locus humilis reddidisset: *Sedebat in montis vertice propheta*, scribit noster Sanctius, *quo sine magno labore ascendere cum suis quinquagenarius ille non poterat: quare, quò ab illa liberaretur molestia, iubet, vt descendat.* Timet quinquagenarius, verentúrque milites plures sibi molestias in Eliæ vertice sedentis comprehensione imminere, atque vitent, vrbanè ad speciem compellant. De culminis sublimitate restrinxit iram, & temerariam

4. Reg. 1. v. 9.

3. Reg. 22. v. 27.

Sanctius.

militum cohibuit audaciam: nec enim ministri in sublimes audent, aut in diuites furunt. Michæas indecoras sustinet alapas, ferreásque catenas: quia montis non occupabat sublimia; sed planitiei fortassis deiecta: sua sibi potentia auxiliantur diuites, & auertunt auro, quod accersebant delicto. Inopes & inualidi non solùm patent criminis pœnis; sed malignitatis mendaciis, ministrorum iniuriis.

Ioannes agnum illum, quantumuis faustis, iteratísque acclamationibus nondum pro meritis celebratum librum adaperientem conspexit, vtque eius proprietates describeret, septem oculos habentem asseruit: *Ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* O pulchrum optimi superioris ænigma! Agnus mansuetam refert placiditatem, ferè occisus circumfert sibi mortificationem passionum, totus oculus subiectis inuigilat: oculos habuit vel in morte ad videndum expansos: quia vel in morte Princeps occupabat thronum: vidit Euangelista in solio veluti mortis laborantem angustiis; non verò vidit clausis oculis non attendisse vigiliis. Verùm perscrutemur altiùs, cur ministri oculorum emblemate depingantur: quid luminibus administrorum ænigma? Oculus dum nil intra palpebras admisit, omnia imperturbatè intuetur; transuersim non agitur; sed æquam fert de rebus sententiam; verùm si vel leuis festuca oculo inhæreat, nec lucem aspicere, nec palpebras poterit aperire: clauduntur lumina, & candicante Solis lumine tenebrescunt: non iam illis aspicere liberum, non iam rotare pupillas datum: vel ingestus tenuis puluis oculorum adulterauit iudicium, obscurauit adspectum: elegantiùs ergo oculi ministrorum ænigma: quid enim certius, quàm aureo puluere non videre, limpidósque rerum veritate informari? *Conscientiam probamus*, scribit Cassiodorus 4. var. 28. *cui iudicanda committimus: quia dignus est inter alios sequenda decernere, qui sibi modum vijus est legitima conuersationis imponere.* Qui legitimam sibi non imponit conuersationem, malè sequenda discernet, improbè commissa videbit. Miris coloribus depinxit Hildebertus epist. 59. ministrorum ingenia: *Ministri*, inquit, *odoratu prædæ canibus, rapacitate similes sunt vnguibus Harpyiarum.* Harpyiæ à poëtis facie humanissima pingebantur, virgineo vultu, oréque micanti; illarum verò vngues exacuti, & ad rapiendum semper intenti. Ecce ministrorum ingenia, humanam faciem, & placidum vultum ostendunt his, quorum facultatibus aluntur, & diuitiis subornantur: quia vngues saturant, serenam frontem ostendunt; vbi verò vnguibus non est locus, minatur truculentus aspectus. 95.

Apoc. 5. v. 5.

Cassiodor.

Hildeberg.

Serpens prudentissimus inter animantia cuncta deprædicatur: nec minùs illum adussit inuidia, quàm nobilitauit prudentia: mortem anhelat sæculis introducere, & curatoris voce odium euaporat immane: curatorem simulat; sed hostem gestat: accedit Euæ illius fors venustate longis, & de industria compositis elogiis concelebrata, Dei prædictiones euertit, dum pomum offert. *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij.* O timiditatem culpæ, ô criminis pauidam semper conscientiam! 96.

Gen. 3. v. 4.

scientiam ! Cur non Adamum ; sed mulierem aggressus est ? Non esset celebrior de competitore victoria, de strenuo audacia ? Vide serpentis artes astutia plenas. Adam fulgebat creaturarum imperio, Eua regis erat administra, & in adiutorium creata: munera ergo administræ offert, quo culpæ aditum aperuerit. Adamus Princeps muneribus non subornatur in iustitiæ detrimentum, in iniquitatis subsidium; qua tamen sic donis inhiat, vt Rempublicam totam prorsus euertat. *Per latus hominis*, scribit Basilius Seleuciensis orat. 3. *hominem subruere incepit . . . Quid agis mulier ? Iussa es virum fouere, & ad insidias peruenisti ? formata es in vitæ societatem, & mortis conciliatrix inuenta es : vt membrum sumpta es, & vt sagitta missa es.* Per latus hominis structuram destruit : nam sæpè infelicitatis sunt ianuæ superioris collaterales, regiique ministri. Non vidit Eua fraudem, quia vidit pomum, nec pede vaferrimum conculcauit colubrum, quia manu insulsum decerpsit fructum.

Seleuc.

97. Sapientissimus ille Salomon dignum regia maiestate architectatus thronum leunculis gradatim dispositis constipauit : *Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fului nimis, qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte superiori, & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile : & duo leones stabant iuxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde.* Profectò throni ornatus nec tempori adaptari videtur, nec Principi : Salomon namque vtpote Pacificus, de leonum non debebat ferocitate terrere ; sed placiditate allicere. Quid cum regio throno carniuoris ? Quid cum pace truculentis ? Thronum cingat obsequiosa seruorum manus, latera constipet vrbana ministrorum pompa, adstet maiestati resplendens famulorum caterua ; feræ syluosis non petantur è saltibus, densis non adducantur è syluis : timebunt namque qui allocuturi accesserint regem, ne leones aut vitam lacerent, aut saltem vestes disrumpant. Non potuit sapientissimus Salomon elegantiori penicillo mores Principi adstantium, ministrorumque depinxisse. Si quis accedat, medios inter leones gradi erit opus, quocumque se verterit, inueniet vngues ; imò non semel grandiores, quo propiùs accesserit culmini : in primo gradu occurrit leunculus, in superioribus leo ; & quidem leonis catulorum iam Psaltes mores expressit : *Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant escam sibi.* Leones cibare per quemlibet gradum ascendentibus necessum est : quia leonum catuli vtrinque. Redeat laudatus suprà Hildebertus: *Bonos Principes ; sed prauos habentes ministros Scriptura nunc Scyllam, nunc Harpyas appellat : etenim Scylla facie humana ; sed caninis capitibus accincta describitur.* Principi sæpè æquitas, iustitia, meritorúmque remuneratio cordi sunt ; verùm aliquando ministri sine oblata offa gradi accedentes non sinunt : Salomon ergo vtpote disertissimus, ipsa throni fabricâ ministrorum non obscurè depinxit ingenia. Rugient, supercilia adducent, difficultates opponent, de industria rei grauitatem exaggerabunt, & totus hic rugitus, vt quærant, & rapiant escam sibi. Bene ergo expertus Iosue non ministros delegat pro indaganda veritate ; sed Principes : *Familia*, aiebat

3. Reg. 10. v. 18.

Psalm. 103. v. 21.

Hildebert.

Senec.

Seneca de tranquilit. cap. 8. *vestiarium petit, victumque. Tot ventres auidissimorum animalium tuendi sunt : emenda vestis, & custodienda rapacissima manus, & flentium, detestantiumque ministerijs vtendum.* Huic Principes non facilè se infortunio subducunt : gaudent namque numeroso satellitio ; sed quò maius satellitium ad pompam, & maior vrget populum turba ad rapinam.

§. XXI.

Perire voluit, aut puniri grauiùs gestiuit, qui minis admonitus supplicium eludere non curauit.

DEus clementiæ, benignitatísque adeò eximius est cultor, vt sibi quodammodo patientia detrahat, & imperitorum obtrectationibus obscurandam maiestatem exponat, Opportunè Tertullianus lib. de patientia, cap. 2 *Sustinens ingratissimas nationes, ludibria artium, & opera manuum suarum adorantes nomen cum familia sua persequentes, luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie insolescentem, vt sua sibi patientia detrahat : plures enim Dominum non credunt, quia seculo iratum tamdiu nesciunt.* Profectò Deus, vt hominibus resplendeat indulgentissimus æquitati suæ, iustitiæque quodammodo procacibus habetur iniurius, verum ne furoris temeritas remedia ad se trahat, & in morborum materiem imprudenter conuertat, paulatim medicinam componit, duram minatur vindictam, vt de iactis minis exarmarit iustitiam : terret delinquentes, ne puniuerit peccatores : ad auram post meridiem paradiso deambulat iudex, vt ipse strepitu Adamum fugere admoneat, & voce fugato parcat. Notauit Basilius Seleuciensis orat. 3. *O Domini in homines amorem ! Tamquam ignarus quærit quem ipse fugabat, & tamquam non videat, qui rebus adest omnibus, compellat : Adam, Adam vbi es ?* Victa est, licet gloriosè quodammodo à misericordia sapientia : affectat ignorantiam, ne Adamus delibarit iustitiam. Quisquis admonitus periit, ignauiam suam summopere commendauit. *A malis longo interuallo*, inquit Plutarchus de tarda Dei vindicta, *& tardè pœnas expetit, non quia maturatæ vindictæ noxam vel pænitentiam veretur.* Iustè punit, dum punit ; verùm adeò misericordiæ precibus exoratur, vt tempus de industria protelarit vindictæ, quasi de maturitate periculum valeat incurrere pœnitentiæ : tardè castigat, vt constet non esse deflagrantis ardoris impetum ; sed sceleri necessarium remedium. Hinc summa lucet punitorum proteruia, quandoquidem longissima pœnitentiæ spatia in luxuriæ procacitatisque conuerterunt auxilia: non solùm patienter errata sustinet & spectat ; sed vltrices iras histrionicè repræsentans misericordiæ benignitatísque causam agit. Aliquando sub osoris specie elucet amici veritas : sub toruitatis furore amor corde asseruatur parentis, imò vt benignissimum parentem gerat, se hostem truculentissimum iactat : minatur, vt terreat ; strepitum ciet, vt fuget, & quia nullum, quem torqueat, desiderat inuenire, minis præmonens reum studiosissimè nititur effugare : quisquis

98.

Tertull.

Seleuc. *Prudentis superioris est omnia non videre, sed quodammodo affectare nescire.*

quisquis periit monitus, de ipsa admonitione grauius sibi incrementauit supplicium, quandoquidem dilucidè ostendit, non solùm oblectamenta sectari culpæ, sed iniuriam negligere audaciæ. Iosue vt scelerum timorem incutiat trucibus minis percellit audaces: *Adducet super vos, quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis, eo quòd præterieritis pactum Domini Dei vestri.* Ne posteà dolore adurgeretur dispergens, dispersionem præcauet ipsam præmonens dispersionem: verùm si minæ hucusque auferendam terram, incolásque prorsus disperdendos non enunciarant, cur non solùm testatur implendas; sed calamitate pronunciat incrementandas? Hoc profectò dicat quis prædictas non erit minas implere, sed flammas suppliciis addere. Fallat ni ipsa minitatio despecta, dum exaggerat culpam, & culpæ non adauxerit pœnam. Delinquere non admonitum humanæ est fragilitatis erratum; minis verò præmissis errare summæ est procacitatis delictum, & quadamtenus ambitiosum stragis votum. Prorsus ergo admoniti debebuntur de terra, qui non admoniti ob tot non sunt exterminati flagitia.

99. Achan cupiditatis vernula cum hostium detriumphator, Domini præuaricatus est pactum, Ducísque temerauit edictum: aurum clanculum suffuratus abscondit; sed quod studiosa occultarat industria, diuina denunciauit Principi prouidentia: adeò verò cautè indicauit delictum, vt perpetratam nunciaret culpam, & per-
Iosue.7.v.13. petrantem celaret personam. *Anathema in medio tui est Israel.* Remedium consuluit sceleri, & scelesti etiam prouidit honori, vt discant qui ad principes superiorésque culpas deferunt id facere odio culpæ, amore personæ, ne & ipsi delatores periculosius laborarint remedio, dum fœdissimo maleuolentiæ adurgentur odio. De Numinis sententia in diem sequentem citat Iosue omnem cœtum, & ardentes prædicens flammas minis percellit attaminatum *Quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni.* Tribus omnes tardam accusabant aurorum nouitatis studio, & publicationis criminis desiderio. Achan inter cæteros aduentauit, sortéque rationabili deprehensus dignas tanto flagitio pœnas subiuit. *Lapidauit eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta erant.* Iam pungit scrupulus: nam si Domini sententia horrendum anhelantibus flammis addixit, cur Iosue grandiuantium duro lapidum imbre deleuit; nec flammis voracibus vstulauit? Varia adæque ingeniosi & pij interpretes, vt nodum soluerent, tradiderunt: & nos aliqua in septimi capitis expositione retulimus. Placet modò Lyra, qui ait non solùm ignibus vstulatum; sed crebris lapidum ictibus repercussum.
Lyra. *Punitus est duplici pœna, scilicet lapidationis... Secundò combustionis cum pertinentibus ad ipsum secundum quod Dominus imperauerat.* Vnde videbatur sedandus, acrior recrudescit scrupulus: nam aut Iosue, dum grauiorem adaggerat pœnam, sanguinolentus deliquit, aut oraculi iussa corruptus interpres tacuit. Satis non fuit vstulationis pœna, vt vel flagrans sopiretur sæuitia? Quid ergo addita lapidatio? Adulatusne est grato oculis vstulationis fumo, & auribus resonantium lapidum sono? Profectò Iosue sæuitiæ inhumanitatísque furorem prorsus ignorat, Achan attamen ipse pœnarum sibi cumulum incrementat. Flammas meruit nummorum raptu, lapidationem minarum contemptu. *Accederis manè, inquit Iosue, & quicumque deprehensus, comburetur igni.* Totum noctis spatium fugæ aut rubori concessit, ne sors attaminatum aliquem inueniret. Achan toto illo tempore honesta delicti pœnitudine erratum valuit delere, aut matura saltem fuga supplicium frustrare, quandoquidem ne perspicaces curiositatis oculos vereretur, obscura noctis patrocinabatur caligo: verùm ille nec minis perculsus confugit ad pœnitentiam, nec saltem arripuit fugam: adeò temeraria somnum capit socordia reclamante conscientia reus, vt tutissimè placido indulgere somno potuisset iustus: punitus ergo est duplici pœna, vstulationis ob auri furtum, lapidationis ob minarum contemptum. Ipse sibi adauxit pœnas, quia temerarius despexit minas, nec expiare gestiuit conscientiam, nec curauit saltem arripere fugam: admonitio flammas tantummodò minabatur; sed imprudentissima oscitantia lapidationem adauxit: *Punitus est duplici pœna*, & quidem meritissimè: nam delinquere obcæcatæ fuit cupiditatis erratum; sed accedere pollutum ad sortes, insanienientis fuit audacis temeritatis delictum.

Semen in Dauid procacissimus, quique illum fugientem probrosissimis verbis dehonestarat, & indignis maledictis prosciderat, facillimè veniam impetrauit, eam namque semper Dauid, quæ prophetam deceat, animitus excoluit humanitatem, posteà cum seruos reducturus ad Achis in Geth iuisset, à Salomone morti traditur, & à Banaia impræsentiarum occiditur. 100.
Iussit itaque rex Banaiæ filio Ioiadæ, qui egressus percussit eum, & mortuus est. Inquiramus, si placet, cur Salomon ob leue adeò delictum mortis supplicium intulerit, cùm pater eius graui adeò peccato regiam maiestatem obnubilanti pepercerit. Errauit Semei ad Achis tendens; sed seruorum cupiditate suasus, aut amore fortasse impulsus: hoc non erat regiæ dignitatis probrum, sed ad summum cupiditatis studium. In Dauidem scelestissimè lapides iecit, turpissimásque contumelias iactauit. Ergo aut Dauid puniat, aut Salomon parcat. Perpende, amabo te, temporum discrimen, & circumstantiarum diuersitatem: anteà deliquit furenti ardore obcæcatus, modò delictum perpetrauit admonitus: vocauit namque illum Salomon, vt hanc illi præscriberet legem. *Ædifica tibi domum in Ierusalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc atque illuc. Quacumque autem die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum.* Minis terret, & de ipso terrore vitæ patronus consuluit, ne seuerum ageret iudicem, pium ostendit se monitorem. Sanè non prædixisset supplicium, si inferre desideraret tormentum. Quid tunc? Semei cupiditate abripitur: legem audacter transgreditur, & cum adhuc domum excedens vsque ad Cedronem vertendi stylum opportunum illi fuerit spatium, nihilominus præfixum temerarius transiliuit terminum: licèt ergo priùs grauiùs errarit, venia donatur, quia furore deliquit abductus; modò verò occiditur, quia peccauit admonitus. Huc voco Cassiodorum 4. variarum 29. *Nos quibus cordi est post primam culpam non statim desiderare vindictam,* ad

3. Regum 2. v.46.

Tunc iusta probatur districtio, cum lenis præcedit patientia.

Cassiod.

ad monitionem potiùs iussa conuertimus, ne sit nostra districtio nimia, quam lenis patientia non præcedat. Ideoque præsenti auctoritate decernimus, vt iussionibus nostris nulla dilationis calliditas afferatur. Attentiùs audi, quæ subdit: *Quia non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus.* Grauissimè deliquit Semei; sed nondum admonitus insaniuit: ideò indulgentiæ locum inuenit: deliquit posteà leuiùs sanè, sed minis terrefactus, & ab ipso Rege admonitus: ideò ergo indulgentiæ locum non inuenit, quia malitiam admonitione cumulans deerrauit: *Non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus*: timeant peccatores, qui post misericordes Domini admonitiones adhuc incrementare crimina non desistunt: nam qui fortè veniam consequerentur de errato, pœnas sibi cumulabunt de monito.

Non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus.

101. Duo latrones in Domini patientiam procaciter insultabant, nec crucis tormento afflicti linguam edocuere silentium; sed de impatientia proferre satagunt maledictum. *Idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo improperabant ei.* O mira saluatoris patientia! Sibi quodammodo detrahit, dum scelestissimorum hominum procacissimas linguas tolerat. Quid dico tolerat? Latronem alterum secum ducit ad paradisum: *Hodie mecum eris in paradiso.* O quàm faustum latroni lignum, quod videbatur probrosum: felicior profectò de mulcta, qui infelicissimus fors de venia: verùm si vicina maiestas latronem, vt inimici trophæum ad paradisum portauit, cur vtrumque ad plausum triumphi augustiorem non tulerit? Si vterque blasphemus, cur alter tantùm veniam humaniter consecutus? Vterque profectò deliquit, alter verò meliora sapiens socium reprehendit; alter adhuc admonitus blasphemias in Dominum proiicere ore spurcissimo non cessauit. *Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es.* Licèt ergo vterque priùs impatientiæ stimulis blasphemauerit incitatus, veniam aliquomodo sibi non impediebant, quia cæco furore abducti; & dolore sæuissimo discruciat; quando verò alter adhuc non desistit admonitus, vritur dignissimè condemnatus: nec enim habet veniæ locum, qui delinquit admonitus: *Vt agnouit*, inquit Theophylactus, *qui prius erat blasphemus, Iesum verum Regem, confutat & alterum latronem, & ad Iesum dicit: Memento mei in regno tuo.* Alter non destitit confutatus; alter errauerat cæcus: qui ergo ante admonitionem deliquit, veniam impetrauit; qui verò post admonitionem durus de cruce ad tartarum detrusus immortales pœnas subiuit.

Matth. 27. v. 44.

Luc. 23. v. 42.

Theoph.

102. Concludat thesim Saluator ipse, qui dum de infligendis peccatoribus pœnas ageret, sic ait apud Lucam: *Ille seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Profectò si non cognouit voluntatem, nullis plagis videtur dignus, qui cognoscens flagellis foret inflictis acrioribus verberandus. Hanc quæstionem dignissimè, vt assolet & Theologicè noster ad hunc locum exagitat Maldonatus. Ego verò quod meo facit instituto, transcribo: sicque sententiam moribus concinnandis adapto, scilicet vterque seruus dignissima plagis commisit; alter verò iudicij ignarus; alter minarum ac iudicij rigoris præscius: qui ergo admonitus deliquit, multis vapulat, quia de ipsa admonitione cumulauerat culpam; qui verò iudicium ignorans errauit, leuiùs punitur quia de ipsa iudicij ignoratione imminuerit pœnam. *Voluntatem Domini vocat eam ipsam de qua loquebatur* (verba sunt Maldonati) *qua Dominus decreuit aliquando ad iudicium venire, quam voluntatem Apostoli & alij, quos de suo ipse aduentu monuerat, & sciebant, sciúntque Christiani omnes; alij autem & nunc ignorant, & tunc ignorabant. Inter quos hoc erit discrimen, quòd illi quia sciunt venire decreuisse, & non se pararunt; sed sese somno tradiderunt, vapulabunt multis; hi verò propter eadem peccata vapulabunt paucis: quia eadem peccata in illis hoc grauiora sunt, quod cum Domini contemptu sint quodammodò coniuncta.* Peccatum post minas indicauit contemptum, & ideò adauxit supplicium.

Luc. 12. v. 47.

Maldonat.

§. XXII.

Ardentior resplendet charitas, dum sibi angustatur, ne proximus fœdis peccatorum sordibus maculetur.

103. Charitas, aiebat Apostolus, *non quærit, quæ sua sunt; sed quæ Iesu Christi*: parum hoc, vt quæ Iesu Christi, ambitiosè quærat, magnanimiter sua amittit: animarum zelus homines honestè inebriat, & vel necessariis integumentis denudat: quò pauperior, & volatu sæpè velocior. Cupiditas insana, & verus amor ambitione sibi opposita exæstuant: cupiditatis hydropi nullus sufficiet humor, quantumuis adiicias: quia quidquid addideris, in flammarum transit nutrimentum. *Quidquid illi congesseris*, aiebat Seneca de consolat. cap. 11. *non erit finis cupiditatis, sed gradus.* E contra amori accidit: quidquid detraxeris, non erit amoris extinctio; sed flabellatio: contractior in se ipso procerior est: dum auro pauperior, & flammis ditior: degenerat amor cupidini admixtus, scintillat solo animarum lucro ditatus: quo sibi angustior, & nobilissimis ignibus splendidior. Angustissimo ligno Dominus occubuit nudatus, vt homo innocentiæ trabea rutilaret vestitus: scintillauit amoris ardentissima flamma, dum corpus ligni arctissima contraxit angustia: propriis incrementis inhians, & commoda curans, re vacuus speciem sæpè charitatis mentitur: qui de augendis censibus agit, de culpis extirpandis non agit: honoris ambitio aut non videt culpam, aut culpis negligit adhibere medelam; imò per aliena sæpiùs scelere nititur dignitatis culmina ascendere, iniquitatísque pennis ad alta aggreditur euolare. Eua de pomi raptu sibi diuinitatem excudere, Cain de infami patricidio hæreditatem nititur ampliare. Proximorum perfectus amor spe non ducitur; imò propriis dispendiis vulneri peccatorum medetur: *Non amor ille nomine*, scribit Cassiodorus in prologo de amicitia, *vel honore amicitia dignus est, quod alicuius mundanæ vtilitatis obtentu contrahitur: amicitia siquidem ipsa sui causa est, ipsa sibi merces est, & longè infra fines amicitiæ amor ille subsistit, quem expectatio ambitiosa, vel spes quæstuaria antecedit.* Amor & perfectus zelus sic erratis inuigilat

1. Cor. 13. v. 5.

Seneca.

Cassiod. *Amicitia sui causa est.*

lat deterendis, vt nullatenus diuitiis inhiauerit ampliandis. *Hoc sæpè dixit diuinus Apostolus*, (Theodor.) scripsit Theodoretus cap. 8. ad citatum suprà Apostoli locum: *Non quæro meam vtilitatem; sed multorum, vt seruentur.* Obliuiscitur lucra, vt ab aliis depellat errata; imò non solùm obliuiscitur lucra; sed patitur lubenter dispendia: Rubenitæ, aliísque duarum tribuum Gentiles propria iterum salutantes aram æternum religionis indicem extruunt religiosa prouidentia, non vana iactantia; verùm, vt nihil honestum linguas non patitur, suspiciosis rumoribus reliquos apud Hebræos illorum infamatur studium: properant hi, vtque fratres à crimine auertant, quæ illis sorte obuenerant hæreditates, fraterna charitate partiri non dubitant: *Si putatis*, inquiunt, *immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad terram, in qua tabernaculum Domini est, & habitate inter nos: tantum vt à Domino, & à nostro consortio non recedatis.* Veriti sunt putasse Rubenitas tellurem ante Iordanem immundam, nouísque aduersus patriam religionem ritibus consecrandam: quod vt vitent, nidulos suos libenter offerunt, séque sortibus verentur minimè coangustandos: *Transite*, inquit Lyra, (Lyra.) *quia dabimus vobis de possessionibus nostris, ne rem illicitam faciatis.* O quàm nobilis illorum præcordia adurebat amor, quando ne fratres macularentur peccatis, acquisitis abdicabantur diuitiis, aliena commoda propriis incommodis mercabantur, quóque charitati amplius honestiúsque adularentur, possessis in sortibus angustantur. Nec adeò mirum, si paucos inuitassent hospites, aut laxa terreni non repleuissent spatia; at allicientium nonnullæ tribus satis angustæ, & hospites amplissimè numerosi: ipsis difficultatibus acrior accendebatur flamma, & qui extinguere possent venti, validis difficultatum flatibus excitarunt. Notauit id (Masius.) Masius: *Credibile est plerásque tribus non nimis laxè habitasse, cùm tot passim reliqui essent Chananæi; & tamen gentem cùm ab hominum multitudine, tum à re pecuaria copiosissimam suis sedibus, atque possessionibus recipere, sibique vrbes atque agros, quæ illis attribuant, detrahere malunt, quàm vt à Deo tradita religionis iura mutari, aut pollui ab illis paucis tribubus sinant.* Vt flagrans dementer scelestorum amor propriis incommodis ac dispendiis alios ad peccata prouitat, sic ardens istorum charitas & abigere culpam, & redimere gratiam tentat. Emicuit ardentissima charitatis flamma de locorum angustia, & promissionis magnificentia.

104. Post illa inaudita sæculis prodigia populus de Ægyptiaca oppressione in libertatem asseritur; verùm Pharao, qui tantillum resipuit, citissimè iterum lapidescit: fugientes insequitur; sed ipsis mucronibus, dum ferire aggreditur, celeriores docet volatus: alas præstitit persecutio, & quando patienter lata non præstitit iustis alas? Mare tardabat gressus: nec mirum: nam voluptatis ænigma mare, plúsque virtutis morantur itinera voluptatum lapsus, quam inimicorum adsultus; mare tamen virga percussum viam fugientibus dedit, & vndas labiles indurauit: (Exod. 14. v. 21.) *Abstulit illud Dominus flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisáque est aqua:* vehemens deprædicatur ventus: quia ardentissius hic Spiritus sancti flatus. Ita Interlinearis: (Interlin.) *Vento vehementi, id est Spiritu sancto mundanam sapientiam exiccante.* Ardorem venti conceperunt fluctus, & frænatis vorticibus substitere. O quàm vehemens de aquarum restagnatione probatur ventus! Seipsas replicantes quodammodo coangustarunt, vt Ægyptia vulnera nullatenus paterentur Hebræi; sed ad promissam terram celeriori gressu inuolarent iusti: angusto adeò spatio aqua nullatenus spissaretur constricta, ni vehementi Spiritus sancti afflatu nobilitata. *Stabat aqua*, scribit Emissenus, (Emissen.) *eleuata quidem; sed tamen quasi fræno cohibita, ac populus quidem ducem sequebatur.* Totum Spiritus sancti ardorem combibit aqua, dum angustiis inclusa populum illæsum transmisit, & exercitum peccatorum absorbuit: non solùm vrens; sed vehemens ventus deprædicatur, dum fluctus proximorum saluti consulens veluti frænatus constringitur: quo plus angustatur mare, plus amoris rutilat flamma, & fortunata spiritus agnoscitur vehementia.

Elias post fulminatam in refractarios sententiam deserto deliciabatur: deliciabatur, in- 105.
quam: quia peccatores oculis non videre maxima iustis voluptas est. Inter ardentes flammas gaudet eductus, qui de scelerum adspectu cruciabatur dilaniatus: corui, ne iudex reorum pateretur sententiam, deferebant carnes, & panem; verùm Deus Eliæ profectionem vrget, & Sareptam ad viduam mittit: *Surrexit, & abijt in Sarepta.* (1. Reg. 17. v. 10.) Rabanus apud Glossam ad Gentiles missum prophetam, quo errores depulerit, attestatur: *Hæc vidua gentium significat Ecclesiam, quæ à suo diutius fuerat conditore deserta, populum fidei vera, & vitæ veritatis nescium... donec veniens sermo propheticus pasceretur ibi simul & pasceret.* Prophetam agnouit mulier reuelatione quidem diuina, & profectionis actionibus informata: non potuit non excellentissimus deprædicari propheta, qui, vt aliis cœlestem impertiret doctrinam, propriam patiebatur inediam, quique, vt religionis cultum nutriret, sibi epulas angustarat. Deserto bis carne & panibus pastus alebatur, Sareptæ exigui panis frustulum famem potiùs accendebat, quàm solaretur: desertum ergo relinquere, & Sareptam inuolare eximium prophetæ clarabat zelum, & vehemens virtutis deprædicabat studium. *Defecerant corui*, inquit Tertullianus lib. aduersus Psychicos cap. 8. (Tertull.) *qui illum liberalius pascerent? An difficile Angelo fuerat aliquem aliunde de conuiuio regis ministrum cum instructissimo ferculo raptum ad Eliam transferri... Sed constitui oportebat exemplum.* Oportebat profectò ardentis zeli, & eximiæ sanctitatis exemplum sæculis exhiberi: ob id ergo Elias nec itineribus parcit, nec dissertæ mensæ indulget; sed breuissimo cibo contentus errores abigit, & stabilit virtutes. Recordor gaudio equidem delibutus illius sanctissimi Patris mei Xauerij Indiarum Apostoli: lacera attritáque veste inuolabat indutus, arduis montosisque itineribus diuexatus, ac ipso ieiunio pastus, vt Eliæ adinstar extorrem à veritate Indorum Ecclesiam congregaret, & religionem doceret. Quàm angusto cibo, quàm duro lecto & vixit, & occubuit, vt densissimas idololatriæ tenebras Euangelij luce depelleret! Aliud Eliæ producamus exemplum.

Tendebat discipulo comitatus, gressus mora- 106.
batur Iordanis; sed inuoluto pallio aquas verberat, & inter profunda gurgitum viam puluerulentam

4. Regum 2. v.2. rulentam complanat: *Tulit Elias pallium suum, & inuoluit illud, & percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtramque partem, & transierunt ambo per siccum.* Non multò post flammantem quadrigam inscendit, cúmque discipulus doloris æstibus vrgeretur, vestémque, vt angustias tantisper euaporaret, scidisset, pallium ab æthere demittit, liberalitatem, dum specie celat, adaugens:

Lyra. *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Hoc Lyra putat charitatis artificium, non sortis casum: *Non à casu cecidit; sed ex diuina ordinatione, vt Elisæus ipso operiretur, in signum quòd spiritus Eliæ requiescebat super eum.* Pallium testatur modo ingeminatum spiritum, cùm anteà non prædiceret geminatum. Vide quando Eliæ spiritus duplicetur, cùm pallium mittit: anteà retento pallio percussit aquas; modò non retinet pallium; nec mirum: hîc namque diuinis flammis exæstuat, ibi gelidas aquas tranabat: dum angustatur, vt alteri subueniat, spiritum mirè duplicet: non potuit ardentibus flammis immersus ad proximi auxilium vestibus non nudari, etsi anteà pallio studuerit operiri: cælestis prodebatur flamma, quæ prophetam dispoliauit: minùs ardebat, cùm ad alterius leuamen pallium obuoluit; mirè flagrat, cùm remisit. Diuitiis priuari, arctiori sede concludi, iucundiori potu non vti, quo pauperes bibant, quo nudi induantur flammantis charitatis est pompa. Tribus ergo amoris flammis exæstuant Iordanis vndas tranantes, & quò fratres à delictis auertant, sortes offerentes.

107. Magistrum discipulus è vestigio sequatur. Piæ illæ mulieris filius prophetæ Elisæi hospitio & orationibus impetratus florenti adhuc lanugine emoritur. Quàm citò deperditus, qui prolixis temporibus exambitus! Viridis iuuentus longa vitæ promittebat spatia; sed morbus pestilens citissimè spes præcidit, matrísque dolorem ingeminauit: nulla sibi fidat ætas: nam recèns natus parentum non semel præoccupat sepulchra. Quo morbo laborauerit puer, modestè Scriptura tacuit; sed ipso silentio edocuit.

Seleuc. *Mortuus erat*, inquit Basilius orat. 10. *vi peccatorum.* O quoties dum nimiè voluptatibus indulgent iuuenes, tempora sibi immaturè præcidunt, & ipsis deliciis eneruati dispereunt! Mater dolore exæstuans orbitatis onere frangebatur, & luminum dilectorum occasu mœstissimam noctem sustinebat; prophetam tamen adit, singultibúsque eloquentiùs explicuit, quod verbis non poterat sæpiùs interruptis, & dolore sanè ligatis: celeri pede puerum excitaturus inuolat Elisæus, séque cadaueri insternens ab orco animam reducere nititur:

4. Regum 4. v.34. *Posuit os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum.* Non exhorruit charitas ora cadaueris ori infigere, & vitam morte miscere. Hîc Christi figuram gessisse prophetam tradit laudatus vbi suprà Basilius. *Elisæus Christi figuram gerit.* Verùm disquiramus, cur hîc præcipuè Domini personam induerit? Suscitauit eius cadauer demortuum hominem, vt extra vitæ lineam extenderet prophetiam: prophetauere ossa vel obscuro limo sepulta, corpus animæ munus peregit, & de tactu vitam refudit:

Iuuentus difficillimè ratiand confirmatur. *Proiecerunt cadauer in sepulchro Elisæi, quod cùm tetigisset ossa Elisæi, reuixit homo.* Hîc & ibi in lucem cadauera reuocantur; ex Basilij tamen sententia puerum suscitans Christi personam refert Elisæus, fortassis quia iuuentus ægriùs ad sensum reduci, difficiliúsque sustinet prophetæ actionibus exæquari. Satis est prophetæ cadauer, vt amissam homini resculpserit vitam; Christo opus est, vt adolescens florido sanguine ardens erratam demutarit sententiam. O bene; sed thesi sententiam adaptemus Basilij: vt Christi Domini personam induat, vtque micantiùs scintillet amor, non solùm orationis præsidio mortuum vitæ restituit; red se ipsum reliquiis iniecit: si tactu manus, aut vocis imperio mortem depulisset, seipsum nullatenus angustasset: corpus pueri cadaueri insternēs curuatur, séque quodammodò breuiat, vt pestilenti scelerum lue demortuo lucem refundat: hîc ergo micantior rutilat charitas: quia medetur culpis magnitudinis dispendio, & coangustationis martyrio. Christi personam induit se contrahens, vt alienæ auxiliaretur saluti, ardentiórque resplenduit amor de incuruatione, quàm micaret de magnitudine: nam nobilissima solum amoris diuini flamma has membrorum contractiones poterat suadere, & prophetam coangustare.

---

§. XXIII.

Summa infelicitas est nec vitiorum potiri commodis, nec virtutum præmiis.

OMnia ista, quorum cupidine homines non solùm febricitant, sed insaniunt: pecunia scilicet, corporis voluptates, ciborum sapores, fastigiorum tumor euanida prorsus sunt, & quæ possidentem non placidè satiant; sed ardentiùs irritant. *Multos cernas*, scribit Plutarchus lib. de cupid. diuitiar. *qui malunt vel cum infelicitate diuites esse, quàm beati pecunia danda, sed non est profectò argento tristitiæ vacatio venalis, non magnanimitas, constantia, fidentia; animus rebus suis contentus. Diuitiæ non afferunt diuitiarum contemptum, neque superfluorum possessio desiderium superfluorum aufert.* Verum dixit: malunt plures diuitiis inseruire, quam virtutibus exornari: cæcutiunt profectò, & malum suum ipso ad speciem incrementantes remedio, voluptatum ardent studio: cùm ipsis voluptatibus non sopiantur; sed ardores ampliùs flabellentur. *Omnia ista*, verba sunt Senecæ epist. 67. *in quæ dominium casus exercet, seruilia sunt, pecunia, & corpus, & honores imbecilla, fluida, mortalia, possessiones incerta; illa rursus libera, & inuicta opera virtutis, quæ non ideò magis appetenda sunt, si benigniùs à fortuna tractentur, nec minus, si aliqua rerum iniquitate premuntur.* Virtus inuicta & æterna est; vitium fluidum; sed deliciosum: qui voluptatibus corporis, aut insanis auri desideriis indulsit, errauit; sed errorem suum bracteata illa voluptatis, aut felicitatis crusta solatur: virtutis alumnus sequitur solida, licet iniquiùs ferè semper à fortuna tractata: ille verò summè infelix est, qui nec virtutum præmia, nec vitiorum assecurus est commoda; sed quidquid vtrique acerbum, sustinuit. Vt Israelis legati summum, quod suspicabantur scelus duabus & dimidiæ tribubus actiùs obiiciant, ac seueriùs carpant, delicti Achan memorant iniuriam: *Nonne Achan filius Zara præterijt man-*

108. (right margin, beside first line of §. XXIII)

Plutarch. *Malunt homines esse diuites, quàm beati.*

Senec. *Fluidum ac euanidum est quidquid ad corpus spectat.*

datum Domini, & super omnem populum Israel ira eius incubuit? Summam Achan infelicitatem exaggerant, quò vehementiùs ad speciem præuaricatores deterreant. Sed videamus cur Achan ad infelicitatis producatur exemplum, referamus historiam. Vidit coccineum pallium grato oculis nigrore adulantem, & contra Ducis edictum furto raptum tabernaculo abscondit:
Iof.7.v.21. *Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulámque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli, & abscondi in terra.* Non vsus est coccineo pallio ad vanitatis pompam, & tulit exustulationis sententiam. *Comburetur igni.* Summa profectò miseria, carere voluptatum deliciis, & horrisonis perire incendiis. Si Achan raptis diuitiis potiretur, si coccino splendesceret ornatus, sententiæ rigorem aliquo modò de percepta antea voluptate leniret: puniretur; sed, licèt euanidum, pompaticæ vestis gaudium percepisset; at miserrimus probatur, dum pallio vti non potest ad pompam, & solum concupiscit ad flammam. Ne furtum agnosceretur, abscondit, humóque operuit, & dum sibi timor interdicit vsum, diuina sententia punit seuerè reatum. Si Achan edictis paruisset, non vestiretur coccino; sed nec dicaretur incendio: si sanguineo vestitus incessisset ornatu, ignis vstularetur flamma; sed vestis etiam fulsisset pompa; at sic delinquere, vt floridæ vestis priuetur vsu, & flammas sustineat
Abulens. delicto, exaggeratio miseriæ est. *Postquam duxit Achan ista de vrbe Iericho*, inquit Abulensis quæst. 50. *non ausus fuit illa ponere coram alijs Israelitis, ne cognoscerent illa esse de anathemate Iericho, & lapidarent eum; sed abscondit, vt postea in alijs locis, quos capturi erant, posset dicere se accepisse de præda.* Interdicebatur tunc vsus; sed arsit nihilominus appetitus: exambiuit, quibus frui nec patiebatur locus, nec tempus, & cùm solùm vitiorum tunc subiret molestiam, sustinere ardentem cogitur flammam. O quot cùm nec senilis ætas, nec corporis imbecillitas, aut diuitiarum inopia obscœnas carnis permittat delicias, prodigiosis cupiditatis exæstuant flammis: nec alius fructus, quàm cupiditatibus distorqueri, & æternis ignibus destinari.

109. Nabuchodonosor immanem ambitiosæ insaniæ construit imaginem, cuius indecorum sic cogit ad cultum, vt ebullientium repugnantes flammarum transmittat ad æstum. Dulcisona sonoraque aures demulcebat instrumentorum harmonia, quo facilius cantu delinitos detestabilis fefellisset nequitia: tres pueri impiis refragantur edictis, & animo concepta fiducia conditionales regis minas excutiunt. Quid tunc? Æstibus ligati iniiciuntur; sed allambens flamma iniusta dissoluit vincula; reuerenda tamen non attigit corpora; solùm impietatis mi-
Dan 3.v.22. nistros horridum deuorauit incendium. *Porrò viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.* O quàm non ignis amisit pabula; sed mutauit! Plus flamma, quam amisit, inuenit: nam dum, ne iustis noceret, aufugit, quos iustè deuoraret ministros prehendi. Profectò ex his omnibus (quod insolitum sanè) infeliciores disperiere ministri: nam qui sacrilego metu adorauerunt statuam, temporales ardentis fornacis vitarunt flammas, & concentus auribus perceperunt harmonias; qui verò à Numine steterunt, ardores despexere fornacis; sed sibi præmia cumulauere virtutis; at ministri, dum rogo innutriendo vacant, dum ardoribus adaugendis student, nec temporalem sceleris immunitatem adepti, nec virtutis gloriam sunt assecuti, cantu non oblectantur distantes, & æstu consumuntur æstum nutrientes: quidquid in vitio & virtute asperum, infelicissimi sunt experti, vitij sine voluptate culpam, virtutis sine virtute sententiam. Opportunè Zeno Veronensis serm. 5. de trib. puer. *Mira res: opacitas intus, incendium foris est: intus hymnus canitur, foris vlulatus auditur.* Ministri vlulant Zeno.
pœna, & attaminantur culpa: temporalibus statuam adorantes oblectantur deliciis, æternis pueri redimiuntur tempora lauris; ministri verò nec deliciis fruuntur, vtpotè longè distantes, nec virtutibus adornantur, vtpotè vitio inseruientes.

In crucem actus Dominus mirâ prodebatur patientia, quamtumuis denigrare conficta gestiuerit causa. Verùm Scribæ, & Pharisæi sic obcæcabantur, vt sibi de felici euentu plauderent, &, quod durius, horrendas in blasphemias erumperent *Prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita; similiter & summi sacerdotes.* Latronum etiam alter dolorum impatientia, & ingenita peruersitatis malitia sacrilega lingua furebat, & mitissimum Dominum dicteriis execrandis dehonestabat. Quid tunc? socius, cui lenius ingenium, acriter obiurgat maledicum, & carpit patibulatum, *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es.* O gratiæ energiam! de latrone repentè factus confessor Christi diuinitatem deprædicat, & blasphemi socij nequitiam prodit. Sed videamus quid illi obiiciat: similém, ac iustus, Sustinere crucis infamiam, & similem etiam, ac Scribæ, admittere culpam: *Neque tu times Deum*, vt nec Scribæ iam timẽt, nec crucem vitas vt Scribæ: ac si dicat: omniũ infelicissimus comprobaris: nam qui delinquunt Scribæ gloriam etsi volaticam sibi captant, & crucis molestias vitant; Christus crucem immeritò sustinet; sed in ipso crucis apice regnum sibi immortale figit; tu verò vtriusque extremi, quò tuam miserabilius cumulaueris calamitatem, duriora iunxisti, virtutis scilicet non coronam; sed crucem; vitij non immunitatem, sed culpam: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es*: iungis furentium blasphemiam, & patientis Christi ignominiam: nil quo acerbum adeò solari posses casum, reliquisti. Scribæ delinquunt; sed reipublicæ plausum, & auctoritatem præripiunt sibi: Christus patitur; sed virtutibus redimitur; tu verò omnium hominum miserrimè à virtute mutuatus es crucis pœnam, à vitio criminis culpam. *Quasi dicat*, inquit D. Thom. *licet homines non timueris; tamen deberes Deum timere maximè in articulo mortis, in quo tu es.* In cruce Deum timere debebas, ne pœnam corporis supplicium exceperit animæ; at quia infelix crucis sustines tormentum, & pateris culpæ supplicium. O quot inopiæ cruce diuexati diuitias sitienter anhelant! O quot effœta senectute prodigiosa libidine sufflammantur! O quot, quibus nullæ vires, ardent vindictam, & cùm vitiorum nequeant frui commodis, culparum exuruntur incendiis!

Nisi granum frumenti, aiebat Christus, *cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Profectò

Margin notes (right column): 110. — Marci 15. v. 31. — Luc. 23. v. 40 — D. Thom. — 111. — Ioan. 12. v. 24.

profectò grani plus interesse videtur viuere, licèt aureis non coronetur spicis, quàm auream producere segetem, si subeat mortem, si granum mortuum non fuerit, manebit solum; sed viuum: si fructum attulerit, manebit associatum; sed mortuum: ergo grano conducibilius erit fructibus carere, quam exundare. Profectò hoc non protulit Dominus de quolibet; sed de cadenti grano: ait enim: *Nisi granum frumenti cadens in terram:* si granum non profundis sepelietur sulcis, fors illi aliquando vtilius viuere, quàm fructibus abundare; verùm cadens, ni moriatur, tacet miserrimum: nam nec fructus habebit solatium, nec casus vitare quit detrimentum: aliud quoduis granum, si fructum non ferat, de propria vita, de quo horrei fastigio lætatur: demortuum vitam æternat in fructu; at cadens, nec moriens, non vitat infelicitatem casus, nec vbertate petitur fructus: vnde Dominus meritò cadenti grano, nec morienti insultat: *Nisi granum frumenti cadens*, &c. vtpotè qui cadentis subeat incommodum, & non cadentis similiter detrimentum, solum manet, vti quod horreis altissimis asseruatum; cadit vt quæ copiosissimum ferunt fructum: *Quia de morte sua præuidit discipulos contristandos*, inquit Chrysostomus in catena, *superabundantiam facit sermonis dicens: Non solùm, si non mortem meam patienter sustinueritis; sed etiam nisi vos ipsi moriamini, nullum vobis erit lucrum.* Expende hæc vltima verba: *Nullum vobis erit lucrum:* nam à virtute non obtinebitis fructum, nec à mundo honorem: non à Christo; quia infructuosi: non à mundo, quia discipuli. Mundus vos vt discipulus odio habebit: vos etiam magister vti fructibus nudos pauci æstimabit, aut fanè despiciet: vos ergo, qui iam nomina magistro dedistis, satagite sic mundo emori, vt solum viuatis Christo: aliter enim discipulorum patiemini inuidiam, & vitiorum sententiam. Chrysost.

§. XXIV.

Reipublicæ euersio non continget absque miraculo, dum eius partes debito incubuerint officio.

112. Nil adeò ad florentem Reipublicæ statum fulciendum proderit, vt eius partes ritè propria sibi munia exercere: hoc est firmissimum stabilitatis fulcrum, quod nec labefactant aduersi casus, nec acriùs adspirantium ventorum adflatus. Acies ordinata ipsis syderibus similitudinem addet ad gloriam, pariet inordinata ignominiam: *Quæ est ista*, sciscitabantur quidam, *quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Nondum stabilis, fixaque firmabatur fortuna de rosea auroræ placiditate, de flammanti luciflua pulchritudine Lunæ, de copiosa rutilantium radiorum scaturigine Solis, ni ordinis adderetur concinnitas: *Vt castrorum*, inquit, *acies ordinata.* Acies, ni milites suas deserant stationes, victrix immortali cingitur lauro, & diuiti cumulatur tropheo: ni debitus ordo prius fuerit timida perturbatione confusus, triumphos nunquam tulerit ad- Cant 6.v.9.

uersarius. *Vndique stipata*, exponit N. Delrius, *nullum hostibus irrumpendi aditum relinquens, & omne id prorsus excludens, quod nitori, atque pulchritudini eius aliquam adferre maculam posset.* Sol suas patitur eclipses, Luna defectus, aurora nebulas, id vnum omne infortunium excludit, aciei scilicet quasque partes suo muneri solerter incumbere, & stationis leges seruare. Rubenitæ aram extruxerant, quam cæteræ tribus religioni suspicabantur aduersam: legatos mittunt, qui rem diligentiùs explorent, cúmque ritè aram omnibus constitisset extructam, Phinees felicitati plaudit reipublicæ: *Nunc scimus, quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis à præuaricatione hac.* Dum reipublicæ partes præuaricationis probantur expertes, Deo proteguntur, & nulli temporum casibus perturbantur: *Nunc scimus, id est, nunc ex verbis vestris cognoscimus*, exponit Abulensis quæst. 16. *quod vobiscum sit Dominus, id est, quod Deus mouit vos ad hoc, vel quod sit vobiscum: id est quod diligit vos, & habet sub protectione sua speciali.* Numinis potentia munita cum æternitate certabit de duratione Respublica, si nullus, quæ muneris sui, deserat; sed ritè & fideliter obeat. Delrius. Abulens.

113. Grandi adæquè miraculo putat Irenæus lib. 4. aduers. hæref. cap. 37. statuam illam duris conflatam metallis prorsus euersam, & fornacis flammam, ne pueros vstularit, sopitam. *Aliquando cum his, qui erant circa Ananiam, Azariam, & Misaelem videbatur assistens eis in fornace ignis & in camino, & liberans eos de igne: Et visio, inquit, quarti similis filio Dei: aliquando lapis à monte abscissus sine manibus, & percutiens temporalia regna, & ventilans ea.* Profunda sanè Irenæi meditatio, & quæ acumine scintillet ingenij: pueri anhelantibus flammis traduntur; sed corpora ipsis honorificata sunt pœnis: Dei excipiuntur benignitate non flamma; & vbi exæstuans flammarum horrendum sibilantium timebatur martyrium, ibi leniter flantis roscidæ auræ inuentum est refrigerium: sopitus est non sine ingenti miraculo fornacis æstus, & placidi venti successit flatus: & æquali prodigio statua sternitur, ac exæstuans ignis frænatur? *Lapis*, inquit, *abscissus est de monte, sine manibus, & percussit statuam.* Abscissus sine manibus dicitur, vt non humanæ industriæ artibus; sed omnipotentiæ prorsus viribus euersio imaginis adscribatur. Verùm si contra arborem tot ferientium manus sunt aduocatæ, cur nullæ contra statuam fuerint inuentæ? Cur statua simili ac eripiuntur pueri, miraculo sternitur, & arbor sine portento præciditur? Quia in statua debitum ordinem asseruauere metalla; arboris verò partes sic naturæ metas transgressæ, vt cacumen sydera cælo pelleret, & rami omnem terræ latitudinem exambirent. In statua aurum metallorum Princeps splendebat in capite: *Caput ex auro optimo erat*, aurum excipiebat argentum, argentum æs, æs ferrum; ferrum denique terminabatur in luto: vbi ergo partes debitis aptantur locis, & dignis addicuntur officiis, sic statuam fulciunt, vt nulla euertere tentarit industria, solaque demoliri valuerit omnipotentia. *Aliquando visus est liberans de igne, aliquando lapis à monte abscissus sine manibus, & percutiens temporalia regna.* Plures ad arboris excidium concurrunt manus: *Succidite arborem*; sed in statuam manus armatur nulla: *sine manibus:* Irenæus. Dan 2.v.34.

 quia

quia vbi partes debitum ordinem deseruerunt, in se omnium dexteras prouocarunt; at vbi debitus ordo & locus metallis pro materiæ merito decretus, nisi omnipotentia lapidem iecerit, manus hominis non iactabit. Sine manibus lapis abscissus est contra statuam; manus plurimæ arborem ferrea deiecere securi.

114. Iob copiosis inter orientales diuitiis exundans, cùm omnes felicitate vinceret, nullius sustinebat inuidiam; solus dæmon nequissimis armatur technis, & iusti imperium inuidis euertere molitur insidiis: præter naturæ ordinem ardentes è cælo flammarum globulos eiaculatur, ædificij fundamenta conspirantibus simul ventis concussa dissoluit, vt germanorum vnio resolutis domus compagibus tumuletur: denique prædonum in greges exacuit manus: *Boues arabant*, deplorat nuntius, *& asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi.* Gregorius ex Græco legit: *Asinæ fœtæ pascebantur.* Profectò humanæ rerum vicissitudini verti posset, si aliis in circumstantiis accideret casus; modò verò robustiorem manum ipse declarauit euentus: nam si animo perpendas, omnia debitum inuenies ordinem asseruasse, propriisque vsibus inseruisse: asinæ fœtæ pullos lactant: boues terram aratro proscindunt: primogenitus & fratrum Princeps fratribus reliquis alimenta præbet, reliqui fratres concordes, & vinculo amoris vniti maioris domum frequentant, & excellentiori obsequuntur: *Cùm quadam die*, inquit, *filij & filiæ eius comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti.* Quid huic addendum politiæ? Quid detrahendum est œconomiæ? Nunc ergo Iobi rempublicam euerti non erat vario adscribendum fortunæ ingenio; sed vltra naturæ vires audenti dæmonio. Ni Dei nutu furiæ gehennales sæuirent, adeò optimè statutam rempublicam casus quantumuis luctuosi, minimè euertisse valerent: nunc euersa est, vt Numinis clariùs agnoscatur potentia, & dæmonis prodatur malitia, quandoquidem Deus sic vnita, congruentique ordine disposita valuit euertere, & dæmon aggressus est demoliri: *Non datur*, aiebat Gregorius lib. 2. moral. cap. 8. *Boues à Sabæis ablati sunt; sed qui ablati sunt boues, arabant, vt videlicet memorato fructu operis, causa crescat doloris: vnde & apud Græcos non solùm asinæ; sed & asinæ fœtæ raptæ referuntur.* Vt dolorem acriùs exulceraret: tunc omnia abstulit, cùm debitis deseruirent vsibus, & aduersis videbantur remota casibus. Solùm conspirantes annuente Numine gehennales furiæ eam euertere molirentur rempublicam, cuius partes debitis studebant officiis, & propriis vacauerant ministeriis.

Iob 1. v. 13.

Gregor.

Gregor.

115. Fortassis hanc thronus ille sapientissimi regis veritatem suffulcit. Salomon sapientiæ elogium, potentiæ miraculum thronum artis elaborauit industria, qui duratione spreuerit tempora: *Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis: qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte posteriori; & duæ manus hinc, atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas; & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde.* O quot manibus opus est ad fulciendum thronum! Profectò, vt aiebat Seneca, ad tuendam fortunam alia fortuna opus est. Thronum ex ebore fabricauit, vt stabilem diuturnitatem dilucidiùs ostenderet; sed qui gradibus leunculi, & iuxta manus leones residebant, vel ebori firmitatem præstabant: leunculi sunt parui, leones sunt magni: dum ergo excellentiores fastigia occupant dignitatis, humilioresque pro conditione sua aptis gradibus disponuntur, nullis perturbanda casibus solia firmantur. Si leones inferioribus gradibus starent, & leunculi throni apice refulgerent, quantumuis de ebore elaboratum citissimè nutaret solium; at dum superiori loco leones, inferiorique leunculi disponuntur, regni fulcra æternitati dicantur. Leonibus contra aduersos thronus munitur occursus, dum pro meritorum conditione erogatur gradus. *Thronus Salomonis Ecclesia esse intelligitur, in qua pacificus noster regnans*, aiebat Rabanus apud Glossam, *iudicia sua facere dignoscitur.* Salomonis verè sapientis, & pacifici iudicia esse comprobantur, quæ ordinatè disponuntur. Ænigma Ecclesiæ, in quam nec portæ inferi præualebunt, nec quid fortunæ vices tentabunt, est thronus, in quo inferiores occupant inferiora, & excellentiores sublimia: *Thronus Salomonis Ecclesia esse intelligitur.*

3. Reg. 10. v. 18.

Raban.

Iam si aliter, facillimè euerti regna reperies: vel fœminea manu feriuntur, vel puerili labefactantur. Producamus Abimelechi regis historiam; imò tyrannidis feralis exempla. Rhamnus imperat, & sub vmbra sua protegit Syluestres plantas: *Requiescite sub vmbra mea.* Syluæ arbores ad vmbræ commoda, & propinquitatis inuitantur fastigia. *Ligna syluæ*, ait Isidorus in iudices cap. 6. *intelligimus homines esse vanos, & vagos æterno incendio præparatos.* Hic ipse arbuscularum inutilium patronus eam in Libani cedros indignationem pectore fouit, vt ardentes eiaculatus flammas adurere prorsus tentarit: *Egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.* Et quid cedris nisi flamma, dum desertorum myricis vmbra? Is illius regni status, nec dissimilis finis: *Ecce*, inquit, *vna mulier fragmen molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.* Opus non fuit copiosis armatorum agminibus, vt Abimelechus, eiusque imperium periret; sed fœminea manu percussus interiit. Vbi inutiles indignósque prosequebatur fauor, & cedros vrebat furor, opus non erat armis: quia elatis regnum in seipsum armabatur indignis. *Abimelechus*, inquit Basilius hom. 22. quæ est de humil. *per mulieris manum, & lapidis ictum periyt.* Satis fuit mulieris manus ad euertendum imperium, in quo cedri flammis voracibus exuruntur, & arbusculæ placida fauoris benignitate adumbrantur. 116.

Iudic. 9. v. 15.

Isidor.

Basil.

---

§. XXV.

Etsi defunctorum animas viuósque fideles magnum diuidat loci interuallum, pietatis non est interdictum commercium.

Fides Catholica edocet cœlorum regnum nullum nisi omni labe detersa ingredi, emaculatúmque gaudiis nunquam interrumpendis potiri: cúmque per humanam fragilitatem aut lethalis 117.

lethalis criminis etiam confessione expiati maneat non semel reatus, aut læuium culparum næuus, opus fuit locum animis purgandis dicari, vbi quousque prorsus emaculati pœnarum lixiuio albissimis stolis induerentur ad nuptias, sustinerent ardentissimas flammas: *Auro*, aiebat Iobus, *locus est in quo conflatur.* quasi dicat: Vt solares radij mira efficacia terram in aurum conuertunt, quod sordescit in vena, dum artifex non expoliat industria, & ignis decoquat flamma; ita mortalis homo diuinæ gratiæ luce illustratus, virtutibus auri adinstar resplendet excultus; verùm quia de terrea vena aliquas contraxit maculas, opus est depurgatrices patiatur pœnas, donec omnimodò decoctis fæcibus niteat decorus, & interrumpendis nunquam dicetur purissimis voluptatibus fortunatus. Opportunè Cassiodorus 9. var. 3. *Minuta quæque grauiora discernentibus aquis à genitrice terra separant, ac fictilibus recōdita vasta fornace decoquunt, donec soluantur vtiliter in liquorem: viuos quoque de flamma venientes tanto igne depurgant, quousque pulchritudinem sui prodant, quam terrena viscera, ne cuperetur, abscondetant: vincitur natura, cum eam meliorat industria, pulchrior est, dum arserit.* Melioratur aurum de flammis, & quas contraxerat de origine, maculas deponit, dum patitur; ad fulgorem aptatur, dum coquitur: non aliter anima terrea mole concreta contrahit, quæ rationabilis decoquat flamma, & pia possit abradere industria: distant à nobis, quæ procellosum sæculi mare enauigarunt felices, & iam solidum littus tenuerut periculi exortes; verùm etsi regionum distent spatio, vicinæ sunt pietatis, & affectionis commercio: de fontibus Saluatoris promicat vena, qua possit purgatorij sopiri, aut extingui flamma. Ecce Hebræorum tribus Iordane adiacente distant diuisæ, & interuallis non modicis separatæ. Rubenitæ altare construunt operosæ magnitudinis, & sumptuosissimæ molis: *Cum venissent ad tumulos Iordanis in terram Chanaan, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.* Hoc altare, etsi à diuisis tribubus constet extructum, omnibus profuturum refertur, & contra pœnas à Numine infligendas auxilium dicitur: *Liberastis filios Israel de manu Domini*, hoc est de infligendis pœnis. Itaque altare illud, dum ritè extruitur, & extructoribus proderat, & fratribus etiam separatis vtile erat. Adest Augustinus lib. 20. de ciuit. Dei cap. 9. *Neque piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi: alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi.* Distant animæ longissimis interuallis; verùm adhuc piis nobiscum agunt commerciis, quatenus nostris orationibus, religiosisque suffragiis, hostiisque liberantur à pœnis, & nos etiam firmissimis suarum precum muniunt contra pericula auxiliis.

Iob 28. v. 1.

Cassiod.

August.

118 Moyses à populo separatus occubuit: illo iam defuncto Deus Iosue monet, vt contra aduersarios initingat: *Moyses seruus meus mortuus est: surge, & transi Iordanem istum tu & omnis populus tecum.* Certè Moysis mortem commemorari potuit videri superfluum; imò deiiciendis animis, eneruandisque vigoribus opportunum: nam quid non trepidet populus duce optimo destitutus, & propugnatore acerrimo orbatus. Ergo mortem taceat, nec populus fluuium transmittere timeat; imò ne timeat, non tacuit: Moysem serui titulo honorat, & dum honorat, quantumuis subtractus denegetur aspectui, adesse testatur auxilio: adhuc viuit Moyses vt faueat, etsi corpore careat denudatus, vt viuat. Innuit aliquomodo Origenes homil. 2. in Iosue: *Refertur quia duo Moyses videbantur, vnus viuus in spiritu, alius mortuus in corpore.* Mortuus refertur; sed quamuis corporeis oculis denegatus, adhuc permanet ad auxilium populi viuus: viuus apparet in spiritu, ne putarint temporali vita prorsus finitum esse commercium, etsi viuos defunctosque magnum separet interuallum.

Iosi. 1. v. 2.

Origen.

Mortuus est Lazarus iuuentutis flore, cùm venustiorem ætas valida explicaret pompam, & diuturniorem promitteret viam: adeò caducis innitimur, adeò fucatis cæcamur: vinctus erat: *prodijt* namque, *qui fuerat mortuus ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata.* Sorores pias lachrymas fundunt, Dominum deprecantur, variisque obsequiis obstrictum pulsant affectu, & ad commiserationem lachrymarum mouent singultu. Quid tunc? Deus vincula iubet dissolui, & animam ab inferis reuocari: *Soluite eum, & sinite abire.* Profectò sororum lachrymæ, dum vincula à Domino impetrarunt disrumpi, ostenderunt posse defunctos fidelium precibus adiuuari: pedes habebat Lazarus, vt ad Dominum inuolaret; oculos, vt videret; sed nequibat ligatura constrictus, & sudario retardatur; ast dum ob sororum lachrymas vinculum soluitur, & velamen oculorum aufertur, iam Lazarus Christum liberis luminibus adspicit, & vestigiis expeditis excurrit: *Quia ipse sororum fletibus mouebatur*, scribit Veronensis Zeno sermone de Lazaro, *lachrymis Filij sui Saluatoris nostri inter ipsos calos Pater flectebatur.* Viuebat Lazarus; sed adhuc tecta facie, manibus, pedibusque constrictus ad vocantem Dominum properare nequibat: ad documenta virtutum ipse, qui fuerat mortuus manibus & pedibus erat vinctus: vt verò Christus solui iussit, manus sacerdotalis vinculis liberauit. Impediebant vincula; non tamen id generis erant, quæ resolui, & relaxari non possent: ergo dum sorores preces & lachrymas fundunt, Christus ad commiserationem mouetur, & ad eius imperium reseratur sepulchrum, aufertur impedimentum: distabat à sororibus Lazarus; poterat tamen precibus subueniri, & ad felicissimam Dei visionem disruptis repagulis reuocari.

119.

Ioan. 11. v. 43.

Zeno.

Audiuit Ioannes animas reserato quinto sigillo subtus altare clamare, quibus iussum est tantillum quiescerent, donec fratrum numerus impleretur: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, & clamabant voce magna, &c. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum.* Multa profectò in hoc loco veniunt examinanda, cur scilicet interfectorum animæ altare circumdent, cur ibi & clamor sopitus, & splendidus ornatus concessus: cur adhuc faternitatis retineant vocabulum, qui omnis exuisse cognationis videntur vinculum: ani- 110.

Apoc. 6. v. 9.

ma, quia carnis nescit separata consortia, cognationis, affinitatisque respuit etiam vocabula: cur ergo, quod ad aliud sæculum constat transisse, se fraternitate non didicerint denudasse? Vt nostræ thesis veritas comprobetur dilucidiùs, & agnoscatur apertiùs. Distant animæ à superstitibus; verùm sacri altaris mutuo adiuuantur auxilio, & adhuc fraternitatem conseruant, non de carnalis originis vinculo; sed de charitatis affectu: fideles illarum fratres, dum Domini corpus ad altare offerunt, & nuptiales illis vestes transmittunt: ad altare clamoris sopitur ardor: quia manat ab altari sanguinis Dominici liquor. Itaque, etsi diuidat distans locus, religiosus coniungit affectus. Vtrumque tradit Augustinus, scilicet viuos animarum precibus adiuuari, & viuorum suffragiis animabus etiam subueniri. Audi illum serm. 17.
August. de verbis Apostoli: *Cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbi non pro ipsis oretur; pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur.* Apud Glossam ad Iosue 22. aliter locus scribitur: *Martyres non ideò recitantur ad altare, vt pro ipsis oretur; sed vt eorum orationibus populus commendetur.* Addit serm. 11. de Sanctis apud Glossam: *Martyrum sepultura sub altari, super quod eorpus Domini offertur, rectè directa est.* De Dominici corporis sacrificio magnum fidelibus promanat auxilium: quò vtilissimum celebretur adhuc fraternitatis commercium: nec obesse possit locorum distantia, quando passionis Dominicæ recolitur religiosè memoria: *Sepultura sub altari, super quod corpus Domini offertur, rectè directa est*, vt ibi clamor sopiatur, & stola candida ad nuptias detur.

121. Ni fallor, hoc in Elia & Elisæo mitis coloribus figuratum est: currum inscendit igneum Elias, quò ab hominum aspectu remotus vectaretur in cælum: nescio quid humanæ mortalitatis secum deferebat, quod tantisper ascendentem grauabat: Elisæus in clamores effusus est: *Videbat*, inquit, *& clamabat*: post clamores piloso pallio nudatur Elias, & iam puriorem regionem habitat nulla sarcina prægrauatus, nullis exuuiis mortalitatis indutus: *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Pallio Elisæus aquas diuidit, & quod fuit Eliæ vtiliter demptum, Elisæo vtiliter est acquisitum: pallium ascendentem grauabat, & dum ob clamores religiosos alter hac sarcina expeditur, accipit alter quò rapidas diuiserit vndas. *Percussit aquas, & diuisæ sunt huc atque illuc, & transiit Elisæus.* Ecce laudabile inter magistrum & alumnum commercium: Elias mundum deserens aliquid secum ferebat, quod flamma consumeret, ardórque decoqueret, Elisæus, dum clamat, subtrahit voraci flammæ materiam, & in pellicea tunica culpæ Adamiticæ notam: quó magister inuolet expeditior, Elisæi lachrymis flammarum sopitur incendium, & ad traiiciendos securè vortices deploranti remanet pallium: & ne distantia impediat charitatis officia: magister delegat pallium, quo Elisæus sicco pede traiecerit fluuium: & quod Eliæ adhærens vmbra potuit esse reatus, religiosis clamoribus soluitur, Elisæo lucro ingentissimo acquiritur. Reatus ipse, qui Eliæ adhærens, ne volaret celeriter erat sarcina, flammæque materia, per lachrymas & orationes abrasus deprecanti felicitatis fuit cumulus. *Non à casu cecidit*, inquit Lyra; *sed ex diuina ordinatione, vt Elisæus ipso operiretur.* Voluit Deus, vt Elias animarum præfigurans statum ob discipuli preces pelliceæ tunicæ deponeret sarcinam, & vt Elisæus de ablata sarcina procuderet sibi tutelam: quò constaret omnibus vita excedentium animas fidelium posse clamoribus adiuuari, fidelésque posse animarum beneficiis fulciri.

4. Reg. 2. v. 12.

Lyra.

CAPVT XXIII.

Vers. 1.
VOLVTO autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israeli subiectis in gyro nationibus vniuersis, & Iosue iam longæuo & persenilis ætatis. 2. Vocauit Iosue omnem Israelem, maioresq; natu, & Principes, ac duces, & magistros, dixitq; ad eos: Ego senui, & progressioris ætatis sum. 3. Vosq; cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quomodò pro vobis ipse pugnauerit. 4. Et nunc quia vobis sorte diuisit omnem terram ab orientali parte Iordanis vsque ad mare magnum, multæq; adhuc supersunt nationes. 5 Dominus Deus vester disperdet eas, & auferet à facie vestra, & possidebitis terram, sicut vobis pollicitus est 6. Tantùm confortamini & estote soliciti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi: & non declinetis ab eis: neque ad dexteram, neque ad sinistram. 7. Ne postquam intraueritis ad gentes, quæ inter vos futuræ sunt, iuretis in nomine deorum earum, & seruiatis eis, & adoretis illos 8. Sed adhæreatis Domino Deo vestro: quod fecistis vsque in diem hanc. 9. Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas & robustissimas, & nullus vobis resistere poterit. 10. Vnus è vobis persequetur hostium mille viros 10. quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est. 11. Hoc tantum diligentissimè præcaucte,

cauete, vt diligatis Dominum Deum vestrum. 12. Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare. 13. iam nunc scitote quòd Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram; sed sint vobis in foueam ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat, atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis. 14. En ego hodie ingredior viam vniuersæ terræ, & toto animo cognoscetis quòd de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, vnum non præterierit in cassum. 15. Sicut ergo impleuit opere, quod promisit, & prospera cuncta venerunt; sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat, atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis. 16. eo quòd præterieritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum, & seruieritis diis alienis, & adoraueritis eos: citò atque velociter consurget in vos furor Domini, & auferemini ab hac terra optima, quam tradidit vobis.

§. I.

Commentarius litteræ.

Vers. 1. Euoluto autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israeli, subiectis in gyro nationibus vniuersis, & Iosue iam longæuo, & persenilis ætatis.

1. RINCEPS non segniùs reipublicæ conseruationi, quam erectioni debet studere: & quidem strenua fortitudo egregiáque animi virtus non minùs in retinendo, stabiliendóque rerum felici statu, quam in promouendo relucet. Vnde Ennodius ad Theodericum. *Salue*, inquit, *reipublicæ status*: vt enim contra impellentes ventos immotas anchora fundat naues, ita contra varios fortunæ casus prouidentissimus dux dexteritate felicitatem firmat, fulcítque, ne nutet parum firma, dum nimium excrescit aucta. Ergo cùm iam aliquot præteriissent anni, ex quo fracti vires aduersarij metu conquiescebant, populúsque interea bellorum pertæsus vmbratilem, & otio accommodam vitam, potiùs quàm hæreditatem ampliare, amplecti videretur, Iosue, cui senilis ætas, diuinúmque numen abstinere bello consuluerant, veritus ne dum ignauo otio indulgent, in multa labantur vitia: ne etiam dum otiosi cum allophylis amicitias contrahunt, ad falsam illorum religionem cultúsque profanos prolectarentur, cœtum omnem citauit ad Silo, vbi etsi non apertè, ad militarem vitam adhortatur, Chananæósque satis frequentes eliminandos monet: dixi non apertè: veritus namque est sapientissimus dux, ne eius oratio dura nimis ad quietem propensis videretur. *Ego senui*, inquit, *& progressioris ætatis sum*. Honestam affert excusationem cur bellis abstineat, & cur etiam ætatis suffragio adiutus concionem illam veluti è vita citissimè decessurus habeat. Paraphrasis Chaldaica sic vertit: *Vocauit Iosue omnem Israel, senes eius, & Principes eius, & iudices eius, & exactores eius: & dixit eis: Ego senex intraui in dies.* Septuaginta sic vertunt. *Et vocauit Iosue omnes filios Israel, & Senatum eorum, & Principes eorum, & iudices eorum, & magistros eorum, & dixit ad eos: Ego senui, & progressioris ætatis sum diebus.* Ostendunt Patriarchæ illi sanctissimi, quo erga suos amores flagrarent, dum summo studio iam morti vicini legum obseruantiam, cæremoniarúmque cultum veluti amplissimam hæreditatem testamento delegarunt. Ita Moyses, ita Iacob, Dauid, aliique primates: Iosue ergo, cui non minor cæteris pietas, nata opportunitate suos ad probitatis, religionísque officia cohortatur. Hanc exhortationem apud Siluntem, vt dicebamus, aut quidem in ciuitate Iosue factam fuisse putat R. Dauid Kimhi, & R. Dauid F. Gersonis, adstipulatúrque Masius: sequentis verò capitis concionem apud Sichem esse factam indubiè traditur. Concio hæc celeberrima fuit, vtpotè ad quam cœtus omnis, Principésque vocati, cùm aliis in concionibus hi omnes nullatenus solerent coire. Seniores intelliguntur Senatus ipse, quem Iudæi veteres Græco vocabulo appellabant *συνέδριον*, & nos Sanedrim vocamus. Ad hos viros magni ponderis negotia deferebantur, erátque Senatus iste apud suos primæ auctoritatis. Princeps ac duces, hoc est singularum tribuum tribuni, primatésque, qui aliàs populi capita vocabantur: per magistros & iudices non solùm eos intelligit Masius, qui lites dirimerent, sed qui præcipuum in populum magistratum gererent, & tanquam lex viua reliquos continerent officio, dum religioso præirent exemplo. Per iudices apparitores etiam & ministri intelligi possunt: omnes namque hi ad tribunalis pompam spectant; verùm de his inferioris notæ ministris nullatenus putarim viuas esse leges, alterósque coërcere, imò vti legum tineas legem corrumpere, vti æruginésque peruertere. Exordio illo *Ego senui*, beneuolos attentiorésque reddit: insito namque naturæ instinctu omnes reuerentur senes, libentérque auscultant, præsertim magnis in rebus expertos, facinorúmque gloria claros: existimantur namque optimas proferre viuendi regulas, salubriáque monita, quæ longior vita fecit scire, & vicina iam mors proferre. *Vsus rerum testes*, (scribebat Plutarchus lib. de tractanda republica) *rugæ elucent, assistentémque seni fidem & grauitatis auctoritatem conciliant: est enim iuuentutis parere, senectæ imperare. At maximè stat ciuitas, vbi consilia senum, & iuuenum vigent hastæ.* Lacædomonij Reges natu grandes veluti consiliarios sibi associarunt: statuit id etiam Lycurgus, Romanique à senibus vocarunt Senatum:

Ennodius. *Princeps est status reipublicæ.*

Paraphr. Chaldaic.

Septuag.

R. Kimhi. R. Dauid. Masius.

Plutarch. *Rugæ seniis fidem, & auctoritatē conciliant.*

Senes consilijs, iuuenes pelleant armis.

quisquis petiit monitus, de ipsa admonitione grauius sibi incrementauit supplicium, quandoquidem dilucidè ostendit, non solùm oblectamenta sectari culpæ, sed iniuriam negligere audaciæ. Iosue vt scelerum timorem incutiat trucibus minis percellit audaces: *Adducet super vos, quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis, eo quòd præterieritis pactum Domini Dei vestri.* Ne posteà dolore adurgeretur dispergens, dispersionem præcauet ipsam præmonens dispersionem: verùm si minæ hucusque auferendam terram, incolásque prorsus disperdendos non enunciarant, cur non solùm testatur implendas; sed calamitate pronunciat incrementandas? Hoc profectò dicat quis prædictas non erit minas implere, sed flammas suppliciis addere. Fallar ni ipsa minitatio despecta, dum exaggerat culpam, & culpæ non adauxerit pœnam. Delinquere non admonitum humanæ est fragilitatis erratum; minis verò præmissis errare summæ est procacitatis delictum, & quadamtenus ambitiosum stragis votum. Prorsus ergo admoniti debebuntur de terra, qui non admoniti ob tot non sunt exterminati flagitia.

99. Achan cupiditatis vernula cum hostium detriumphator, Domini præuaricatus est pactum, Ducisque temerauit edictum: aurum clanculum suffuratus abscondit; sed quod studiosa occultarat industria, diuina denunciauit Principi prouidentia: adeò verò cautè indicauit delictum, vt perpetratam nunciaret culpam, & perpetrantem celaret personam. *Anathema in medio tui est Israel.* Remedium consuluit sceleri, & scelesti etiam prouidit honori, vt discant qui ad principes superioresque culpas deferunt id facere odio culpæ, amore personæ, ne & ipsi delatores periculosius laborarint remedio, dum fœdissimo maleuolentiæ adurgentur odio. De Numinis sententia in diem sequentem citat Iosue omnem cœtum, & ardentes prædicens flammas minis percellit attaminatum. *Quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni.* Tribus omnes tardam accusabant auroram nouitatis studio, & publicationis criminis desiderio. Achan inter cæteros aduentauit; sortéque rationabili deprehensus dignas tanto flagitio pœnas subiuit. *Lapidauit eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta erant.* Iam pungit scrupulus: nam si Domini sententia horrendum anhelantibus flammis addixit, cur Iosue grandinantium duro lapidum imbre deleuit; nec flammis voracibus vstulauit? Varia adæquè ingeniosi & pij interpretes, vt nodum soluerent, tradiderunt: & nos aliqua in septimi capitis expositione retulimus. Placet modò Lyra, qui ait non solùm ignibus vstulatum; sed crebris lapidum ictibus repercussum. *Punitus est duplici pœna, scilicet lapidationis .. Secundò combustionis cùm pertinentibus ad ipsum secundum quod Dominus imperauerat.* Vnde videbatur sedandus, acrior recrudescit scrupulus: nam aut Iosue, dum grauiorem adaggerat pœnam, sanguinolentus deliquit, aut oraculi iussa corruptus interpres tacuit. Satis non fuit vstulationis pœna, vt vel flagrans sopiretur sæuitia? Quid ergo addita lapidatio? Adulatusne est grato oculis vstulationis fumo, & auribus resonantium lapidum sono? Profectò Iosue sæuitiæ inhumanitatísque furorem prorsus ignorat, Achan attamen ipse pœnarum sibi cumulum incrementat. Flammas meruit nummorum raptu, lapidationem minarum contemptu. *Accedetis mane,* inquit Iosue, *& quicumque deprehensus, comburetur igni.* Totum noctis spatium fugæ aut rubori concessit, ne sors attaminatum aliquem inueniret. Achan toto illo tempore honesta delicti pœnitudine erratum valuit delere, aut matura saltem fuga supplicium frustrare, quandoquidem ne perspicaces curiositatis oculos vereretur, obscura noctis patrocinabatur caligo: verùm ille nec minis perculsus confugit ad pœnitentiam, nec saltem arripuit fugam: adeò temeraria somnum capit socordia reclamante conscientia reus, vt tutissimè placido indulgere somno potuisset iustus: punitus ergo est duplici pœna, vstulationis ob auri furtum, lapidationis ob minarum contemptum. Ipse sibi adauxit pœnas, quia temerarius despexit minas, nec expiare gestiuit conscientiam, nec curauit saltem arripere fugam: admonitio flammas tantummodò minabatur; sed imprudentissima oscitantia lapidationem adauxit: *Punitus est duplici pœna,* & quidem meritissimè: nam delinquere obcæcatæ fuit cupiditatis erratum; sed accedere pollutum ad sortes, insanientnientis fuit audacis temeritatis delictum.

Semen in Dauid procacissimus, quique illum fugientem probrosissimis verbis dehonestarat, & indignis maledictis prosciderat, facillimè veniam impetrauit, eam namque semper Dauid, quæ prophetam deceat, animitus excoluit humanitatem, posteà cum seruos reducturus ad Achis in Geth iuisset, à Salomone morti traditur, & à Banaia impræsentiarum occiditur. 100.
Iussit itaque rex Banaiæ filio Ioiadæ, qui egressus percussit eum, & mortuus est. Inquiramus, si placet, cur Salomon ob leue adeò delictum mortis supplicium intulerit, cùm pater eius graui adeò peccato regiam maiestatem obnubilanti pepercerit. Errauit Semei ad Achis tendens; sed seruorum cupiditate suasus, aut amore fortasse impulsus: hoc non erat regiæ dignitatis probrum, sed ad summum cupiditatis studium. In Dauidem scelestissimè lapides iecit, turpissimásque contumelias iactauit. Ergo aut Dauid puniat, aut Salomon parcat. Perpende, amabo te, temporum discrimen, & circumstantiarum diuersitatem: anteà deliquit furenti ardore obcæcatus, modò delictum perpetrauit admonitus: vocauit namque illum Salomon, vt hanc illi præscriberet legem. *Ædifica tibi domum in Ierusalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc atque illuc. Quacumque autem die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum.* Minis terret, & de ipso terrore vitæ patronus consuluit, ne seuerum ageret iudicem, pium ostendit se monitorem. Sanè non prædixisset supplicium, si inferre desideraret tormentum. Quid tunc? Semei cupiditate abripitur: legem audacter transgreditur, & cum adhuc domum excedens vsque ad Cedronem vertendi stylum opportunum illi fuerit spatium, nihilominus præfixum temerarius transiliuit terminum: licèt ergo priùs grauiùs errarit, venia donatur, quia furore deliquit abductus; modò verò occiditur, quia peccauit admonitus. Huc voco Cassiodorum 4. variarum 29. *Nos quibus cordi est post primam culpam non statim desiderare vindictam,* ad

Iosu.7.v.13.

Lyra.

3. Reg. 2. v. 46.

Tunc iuste probatur districtio, cum lenis præcessit patientia.

Cassiod.

ad gemitionem potiùs iussa conuertimus, ne sit nostra districtio nimia, quam lenis patientia non praecedat. Ideòque praesenti auctoritate decernimus, vt iussionibus nostris nulla dilationis calliditas afferatur. Attentiùs audi, quae subdit: *Quia non habet veniae locum, qui delinquit admonitus.* Grauissimè deliquit Semei; sed nondum admonitus insaniuit: ideò indulgentiae locum inuenit: deliquit posteà leuiùs sanè, sed minis terrefactus, & ab ipso Rege admonitus: ideò ergo indulgentiae locum non inuenit, quia malitiam admonitione cumulans deerrauit: *Non habet veniae locum, qui delinquit admonitus*: timeant peccatores, qui post misericordes Domini admonitiones adhuc incrementare crimina non desistunt: nam qui fortè veniam consequerentur de errato, poenas sibi cumulabunt de monito.

Non habet veniae locum, qui delinquit admonitus.

101. Duo latrones in Domini patientiam procaciter insultabant, nec crucis tormento afflicti linguam edocuere silentium; sed de impatientia proferre satagunt maledictum. *Idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo improperabant ei.* O mira saluatoris patientia! Sibi quodammodo detrahit, dum scelestissimorum hominum procacissimas linguas tolerat. Quid dico tolerat? Latronem alterum secum ducit ad paradisum: *Hodie mecum eris in paradiso.* O quàm faustum latroni lignum, quod videbatur probrosum: felicior profectò de mulcta, qui infelicissimus fors de venia: verùm si vicina maiestas latronem, vt inimici trophaeum ad paradisum portauit, cur vtrumque ad plausum triumphi augustiorem non tulerit? Si vterque blasphemus, cur alter tantùm veniam humaniter consecutus? Vterque profectò deliquit, alter verò meliora sapiens socium reprehendit; alter adhuc admonitus blasphemias in Dominum proiicere ore spurcissimo non cessauit. *Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es.* Licèt ergo vterque priùs impatientiae stimulis blasphemauerit incitatus, veniam aliquomodo sibi non impediebant, quia caeco furore abducti; & dolore saeuissimo discruciat; quando verò alter adhuc non desistit admonitus, vritur dignissimè condemnatus: nec enim habet veniae locum, qui delinquit admonitus: *Vt agnouit,* inquit Theophylactus, *qui prius erat blasphemus, Iesum verum Regem, confutat & alterum latronem, & ad Iesum dicit: Memento mei in regno tuo.* Alter non destitit confutatus; alter errauerat caecus: qui ergo ante admonitionem deliquit, veniam impetrauit; qui verò post admonitionem durus de cruce ad tartarum detrusus immortales poenas subiuit.

Math. 27. v. 44.

Luc. 23. v. 43.

Theoph.

102. Concludat thesim Saluator ipse, qui dum de infligendis peccatoribus poenas ageret, sic ait apud Lucam: *Ille seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non praeparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Profectò si non cognouit voluntatem, nullis plagis videtur dignus, qui cognoscens flagellis foret inflictis acrioribus verberandus. Hanc quaestionem dignissimè, vt assolet & Theologicè noster ad hunc locum exagitat Maldonatus. Ego verò quod meo facit instituto, transcribo: sicque sententiam moribus concinnandis adapto, scilicet vterque seruus dignissima plagis commisit; alter verò iudicij ignarus; alter minarum ac iudicij rigoris praescius: qui ergo admonitus deliquit, multis vapulat, quia de ipsa admonitione cumulauerat culpam; qui verò iudicium ignorans errauit, leuiùs punitur quia de ipsa iudicij ignoratione imminuerit poenam. *Voluntatem Domini vocat eam ipsam de qua loquebatur* (verba sunt Maldonati) *qua Dominus decreuit aliquando ad iudicium venire, quam voluntatem Apostoli & alij, quos de suo ipse aduentu monuerat, & sciebant, sciùntque Christiani omnes; alij autem & nunc ignorant, & tunc ignorabant. Inter quos hoc erit discrimen, quòd illi quia sciunt venire decreuisse, & non se pararunt; sed sese somno tradiderunt, vapulabunt multis; hi verò propter eadem peccata vapulabunt paucis: quia eadem peccata in illis hôc grauiora sunt, quod cum Domini contemptu fiut quodammodò coniuncta.* Peccatum post minas indicauit contemptum, & ideò adauxit supplicium.

Ib. 12. v. 47.

Tam probe stricti leuius patiis

Maldonat.

§. XXII.

Ardentior resplendet charitas, dum sibi angustatur, ne proximus foedis peccatorum sordibus maculetur.

103. CHaritas, aiebat Apostolus, *non quaerit, quae sua sunt; sed quae Iesu Christi*: parum hoc, vt quae Iesu Christi, ambitiosè quaerat, magnanimiter sua amittit: animarum zelus homines honestè inebriat, & vel necessariis integumentis denudat: quò pauperior, & volatu saepè velocior. Cupiditas insana, & verus amor ambitione sibi opposita exaestuant: cupiditatis hydropi nullus sufficiet humor, quantumuis adiicias: quia quidquid addideris, in flammarum transit nutrimentum. *Quidquid illi congesseris,* aiebat Seneca de consolat. cap. 11. *non erit finis cupiditatis, sed gradus.* E contra amori accidit: quidquid detraxeris, non erit amoris extinctio; sed flabellatio: contractior in se ipso procerior est: dum auro pauperior, & flammis ditior: degenerat amor cupidini admixtus, scintillat solo animarum lucro ditatus: quo sibi angustior, & nobilissimis ignibus splendidior. Angustissimo ligno Dominus occubuit nudatus, vt homo innocentiae trabea rutilaret vestitus: scintillauit amoris ardentissima flamma, dum corpus ligni arctissima contraxit angustia: propriis incrementis inhians, & commoda curans, re vacuus speciem saepè charitatis mentitur: qui de augendis censibus agit, de culpis extirpandis non agit: honoris ambitio aut non videt culpam, aut culpis negligit adhibere medelam; imò per aliena saepiùs scelere nititur dignitatis culmina ascendere, iniquitatísque pennis ad alta aggreditur euolare. Eua de pomi raptu sibi diuinitatem excudere, Cain de infami parricidio haereditatem nititur ampliare. Proximorum perfectus amor spe non ducitur; imò propriis dispendiis vulneri peccatorum medetur: *Non amor ille nomine,* scribit Cassiodorus in prologo de amicitia, *vel honore amicitiae dignus est, quod alicuius mundanae vtilitatis obtentu contrahitur: amicitia siquidem ipsa sui causa est, ipsa sibi merces est, & longè infra fines amicitiae amor ille subsistit, quem expectatio ambitiosa, vel spes quaestuaria antecedit.* Amor & perfectus zelus sic erratis inuigilat

1. Cor. 13. v. 5.

Seneca.

Cassiod. *Amicitia sui causa est.*

lat deterendis, vt nullatenus diuitiis inhiauerit ampliandis. *Hoc sæpè dixit diuinus Apostolus,*
Theodor. scripsit Theodoretus cap.8. ad citatum suprà
Apostoli locum: *Non quæro meam vtilitatem;*
sed multorum, vt seruentur. Obliuiscitur lucra,
vt ab aliis depellat errata; imò non solùm obli-
uiscitur lucra; sed patitur lubenter dispendia:
Rubenitæ, aliíque duarum tribuum Gentiles
propria iterum salutantes aram æternum reli-
gionis indicem extruunt religiosa prouidentia,
non vana iactantia; verùm, vt nihil honestum
linguas non patitur, suspiciosis rumoribus reli-
quos apud Hebræos illorum infamatur stu-
dium: properant hi, vtque fratres à crimine
auertant, quæ illis sorte obuenerant hæredita-
tes, fraterna charitate partiri non dubitant: *Si*
putatis, inquiunt, *immundam esse terram posses-*
sionis vestræ, transite ad terram, in qua taberna-
culum Domini est, & habitate inter nos: tantum
vt à Domino, & à nostro consortio non recedatis.
Veriti sunt putasse Rubenitas tellurem ante Ior-
danem immundam, nouísque aduersus patriam
religionem ritibus consecrandam: quod vt vi-
tent, nidulos suos libenter offerunt, séque sor-
tibus verentur minimè coangustandos: *Tran-*
Lyra. *site*, inquit Lyra, *quia dabimus vobis de possessio-*
nibus nostris, ne rem illicitam faciatis. O quàm
nobilis illorum præcordia adurebat amor, quan-
do ne fratres macularentur peccatis, acquisitis
abdicabantur diuitiis, aliena commoda propriis
incommodis mercabantur, quóque charitati
amplius honestiúsque adularentur, possessis in
sortibus angustantur. Nec adeò mirum, si pau-
cos inuitassent hospites, aut laxa terreni non
repleuissent spatia; at allicientium nonnullæ tri-
bus satis angustæ, & hospites amplissimè nume-
rosi: ipsis difficultatibus acrior accendebatur
flamma, & qui extinguere possent venti, validis
difficultatum flatibus excitarunt. Notauit id
Masius. Masius: *Credibile est pleráſque tribus non nimis*
laxè habitasse, cùm tot passim reliqui essent Cha-
nanæi; & tamen gentem cùm ab hominum mul-
titudine, tum à re pecuaria copiosissimam suis se-
dibus, atque possessionibus recipere, sibique vrbes
atque agros, quæ illis attribuant, detrahere ma-
lunt, quàm vt à Deo tradita religionis iura mu-
tari, aut pollui ab illis paucis tribulus sinant. Vt
flagrans dementer scelestorum amor propriis
incommodis ac dispendiis alios ad peccata pro-
ritat, sic ardens istorum charitas & abigere cul-
pam, & redimere gratiam tentat. Emicuit ar-
dentissima charitatis flamma de locorum angu-
stia, & promissionis magnificentia.

104. Post illa inaudita sæculis prodigia populus
de Ægyptiaca oppressione in libertatem asseri-
tur; verùm Pharao, qui tantillum resipuit, citis-
simè iterum lapidescit: fugientes insequitur;
sed ipsis mucronibus, dum ferire aggreditur, ce-
leriores docet volatus: alas præstitit persecutio,
& quando patienter lata non præstitit iustis alas?
Mare tardabat gressus: nec mirum: nam volu-
ptatis ænigma mare, plúsque virtutis morantur
itinera voluptatum lapsus, quàm inimicorum
adsultus; mare tamen virga percussum viam fu-
Exod.14. v.21. gientibus dedit, & vndas labiles indurauit: *Ab-*
stulit illud Dominus flante vento vehementi &
vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisáque
est aqua: vehemens deprædicatur ventus: quia
ardentissius hic Spiritus sancti flatus. Ita Inter-
Interlin. linearis: *Vento vehementi, id est Spiritu sancto*
mundanam sapientiam exiccante. Ardorem venti
conceperunt fluctus, & frænatis vorticibus sub-
stitere. O quàm vehemens de aquarum resta-
gnatione probatur ventus! Seipsas replicantes
quodammodo coangustarunt, vt Ægyptia vul-
nera nullatenus paterentur Hebræi; sed ad pro-
missam terram celeriori gressu inuolarent iusti:
angusto adeò spatio aqua nullatenus spissare-
tur constricta, ni vehementi Spiritus sancti affla-
tu nobilitata. *Stabat aqua*, scribit Emissenus, Emissen.
eleuata quidem; sed tamen quasi fræno cohibita,
ac populus quidem ducem sequebatur. Totum Spi-
ritus sancti ardorem combibit aqua, dum angu-
stiis inclusa populum illæsum transmisit, &
exercitum peccatorum absorbuit: non solùm
vrens; sed vehemens ventus deprædicatur, dum
fluctus proximorum saluti consulens veluti fræ-
natus constringitur: quo plus angustatur mare,
plus amoris rutilat flamma, & fortunata spiri-
tus agnoscitur vehementia.

Elias post fulminatam in refractarios sen- 105.
tentiam deserto deliciabatur: deliciabatur, in-
quam: quia peccatores oculis non videre ma-
xima iustis voluptas est. Inter ardentes flammas
gaudet eductus, qui de scelerum adspectu cru-
ciabatur dilaniatus: corui, ne iudex reorum pa-
teretur sententiam, deferebant carnes, & panem;
verùm Deus Eliæ profectionem vrget, & Sare-
ptam ad viduam mittit: *Surrexit, & abijt in Sa-* 1. Reg.17.
repta. Rabanus apud Glossam ad Gentiles mis- v.10.
sum prophetam, quo errores depulerit, attesta-
tur: *Hæc vidua gentium significat Ecclesiam,*
quæ à suo diutius fuerat conditore deserta, popu-
lum fidei vera, & rectæ veritatis nescium... donec
veniens sermo propheticus pasceretur ibi simul &
pasceret. Prophetam agnouit mulier reuelatio-
ne quidem diuina, & profectionis actionibus
informata: non potuit non excellentissimus de-
prædicari propheta, qui, vt aliis cœlestem im-
pertiret doctrinam, propriam patiebatur ine-
diam, quique, vt religionis cultum nutriret, sibi
epulas angustarat. Deserto bis carne & panibus
pastus alebatur, Sareptæ exigui panis frustulum
famem potiùs accendebat, quàm solaretur: de-
sertum ergo relinquere, & Sareptam inuolare
eximium prophetæ clarabat zelum, & vehe-
mens virtutis deprædicabat studium. *Defecerant* Tertull.
corui, inquit Tertullianus lib. aduersus Psychi-
cos cap. 8. *qui illum liberalius pascerent? An*
difficilè Angelo fuerat aliquem aliunde de conui-
uio regis ministrum cum instructissimo ferculo ra-
ptum ad Eliam transferri... Sed constitui oporte-
bat exemplum. Oportebat profectò ardentis ze-
li, & eximiæ sanctitatis exemplum sæculis ex-
hiberi: ob id ergo Elias nec itineribus parcit,
nec differtæ mensæ indulget; sed breuissimo
cibo contentus errores abigit, & stabilit virtu-
tes. Recordor gaudio equidem delibutus illius
sanctissimi Patris mei Xauerij Indiarum Apo-
stoli: lacera attritáque veste inuolabat indutus,
arduis montosísque itineribus diuexatus, ac ipso
ieiunio pastus, vt Eliæ adinstar extorrem à ve-
ritate Indorum Ecclesiam congregaret, & reli-
gionem doceret. Quàm angusto cibo, quàm du-
ro secto & vixit, & occubuit, vt densissimas ido-
lolatriæ tenebras Euangelij luce depelleret!
Aliud Eliæ producamus exemplum.

Tendebat discipulo comitatus, gressus mora- 106.
batur Iordanis; sed inuoluto pallio aquas ver-
berat, & inter profunda gurgitum viam pulue-
rulentam

4. Regum 2. v. 2. rulentam complanat: *Tulit Elias pallium suum, & inuoluit illud, & percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtramque partem,& transierunt ambo per siccum.* Non multò post flammantem quadrigam inscendit, cúmque discipulus doloris æstibus vrgeretur, vestémque, vt angustias tantisper euaporaret, scidisset, pallium ab æthere demittit, liberalitatem, dum specie celat, adaugens:
Lyra. *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Hoc Lyra putat charitatis artificium, non sortis casum: *Non à casu cecidit; sed ex diuina ordinatione, vt Elisæus ipso operiretur, in signum quòd spiritus Eliæ requiescebat super eum.* Pallium testatur modo ingeminatum spiritum, cùm anteà non prædiceret geminatum. Vide quando Eliæ spiritus duplicetur, cùm pallium mittit: anteà retento pallio percussit aquas; modò non retinet pallium; nec mirum: hîc namque diuinis flammis exæstuat, ibi gelidas aquas tranabat: dum angustatur, vt alteri subueniat, spiritum mirè duplicet: non potuit ardentibus flammis immersus ad proximi auxilium vestibus non nudari, etsi anteà pallio studuerit operiri: cælestis prodebatur flamma, quæ prophetam dispoliauit: minùs ardebat, cùm ad alterius leuamen pallium obuoluit; mirè flagrat, cùm remisit. Diuitiis priuari, arctiori sede concludi, iucundiori potu non vti, quo pauperes bibant, quo nudi induantur flammantis charitatis est pompa. Tribus ergo amoris flammis exæstuant Iordanis vndas tranantes, & quò fratres à delictis auertant, sortes offerentes.

107. Magistrum discipulus è vestigio sequatur. Piæ illę mulieris filius prophetæ Elisæi hospitio & orationibus impetratus florenti adhuc lanugine emoritur. Quàm citò deperditus, qui prolixis temporibus exambitus! Viridis iuuentus longa vitæ promittebat spatia; sed morbus pestilens citissimè spes præcidit, matrísque dolorem ingeminauit: nulla sibi fidat ætas: nam recèns natus parentum non semel præoccupat sepulchra. Quo morbo laborauerit puer, modestè Scriptura tacuit; sed ipso silentio edocuit.
Seleuc. *Mortuus erat*, inquit Basilius orat. 10. *vi peccatorum.* O quoties dum nimiè voluptatibus indulgent iuuenes, tempora sibi immaturè præcidunt, & ipsis deliciis eneruati dispereunt! Mater dolore exæstuans orbitatis onere frangebatur, & luminum dilectorum occasu mœstissimam noctem sustinebat; prophetam tamen adit, singultibúsque eloquentiùs explicuit, quod verbis non poterat sæpiùs interruptis, & dolore sanè ligatis: celeri pede puerum excitaturus inuolat Elisæus, séque cadaueri insternens ab orco animam reducere nititur:
4. Regum 4. v. 34. *Posuit os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius,& manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum.* Non exhorruit charitas ora cadaueris ori insigere, & vitam morte miscere. Hic Christi figuram gessisse prophetam tradit laudatus vbi suprà Basilius. *Elisæus Christi figuram gerit.* Verùm disquiramus, cur hîc præcipuè Domini personam induerit? Suscitauit eius cadauer demortuum hominem, vt extra vitæ lineam extenderet prophetiam: prophetauere ossa vel obscuro sinu sepulta, corpus animæ munus peregit, & de tactu vitam refudit: *Proiecerunt cadauer in sepulchro Elisæi, quod cùm tetigisset ossa Elisæi, reuixit homo.* Hîc & ibi in lucem cadauera reuocantur; ex Basilij tamen sen-

Iuuentus difficillimè ratione conformatur.

Naxera in Iosue Tom. 2.

tentia puerum suscitans Christi personam refert Elisæus, fortassis quia iuuentus ægriùs ad sensum reduci, difficiliúsque sustinet prophetæ actionibus exæquari. Satis est prophetæ cadauer, vt amissam homini resculpserit vitam; Christo opus est, vt adolescens florido sanguine ardens erratam demutarit sententiam. O bene; sed thesi sententiam adaptemus Basilij: vt Christi Domini personam induat, vtque micantiùs scintillet amor, non solùm orationis præsidio mortuum vitæ restituit; red se ipsum reliquiis iniecit: si tactu manus, aut vocis imperio mortem depulisset, seipsum nullatenus angustasset: corpus pueri cadaueri insternēs curuatur, séque quodammodò breuiat, vt pestilenti scelerum lue demortuo lucem refundat: hîc ergo micantior rutilat charitas: quia medetur culpis magnitudinis dispendio, & coangustationis martyrio. Christi personam induit se contrahens, vt alienæ auxiliaretur saluti, ardentiórque resplenduit amor de incuruatione, quàm micaret de magnitudine: nam nobilissima solum amoris diuini flamma has membrorum contractiones poterat suadere, & prophetam coangustare.

---

§. XXIII.

Summa infelicitas est nec vitiorum potiri commodis, nec virtutum præmijs.

Omnia ista, quorum cupidine homines non solùm febricitant, sed insaniunt: pecunia scilicet, corporis voluptates, ciborum sapores, fastigiorum tumor euanida prorsus sunt, & quæ possidentem non placidè satiant; sed ardentiùs irritant. *Multos cernas*, scribit Plutarchus lib. de cupid. diuitiar. *qui malunt vel cum infelicitate diuites esse, quàm beati pecunia danda, sed non est profectò argento tristitia vacatio venalis, non magnanimitas, constantia, fidentia; animus rebus his contentus. Diuitiæ non afferunt diuitiarum contemptum, neque superfluorum possessio desiderium superfluorum aufert.* Verum dixit: malunt plures diuitiis inseruire, quam virtutibus exornari: cæcutiunt profectò, & malum suum ipso ad speciem incrementantes remedio, voluptatum ardent studio: cùm ipsis voluptatibus non sopiantur; sed ardores ampliùs flabellentur. *Omnia ista*, verba sunt Senecæ epist. 67. *in qua dominium casus exercet, seruilia sunt, pecunia, & corpus, & honores imbecilla, fluida, mortalia, possessiones incertæ; illa rursus libera, & inuicta opera virtutis, quæ non ideò magis appetenda sunt, si benigniùs à fortuna tractentur, nec minus, si aliqua rerum iniquitate premuntur.* Virtus inuicta & æterna est; vitium fluidum; sed deliciosum: qui voluptatibus corporis, aut insanis auri desideriis indulsit, errauit; sed errorem suum bracteata illa voluptatis, aut felicitatis crusta solatur: virtutis alumnus sequitur solida, licet iniquiùs ferè semper à fortuna tractata: ille verò summè infelix est, qui nec virtutum præmia, nec vitiorum assecutus est commoda; sed quidquid vtrique acerbum, sustinuit. Vt Israelis legati summum, quod suspicabantur scelus duabus & dimidiæ tribubus acriùs obiiciant, ac seueriùs carpant, delicti Achan memorant iniuriam: *Nonne Achan filius Zara præterijt man-*

108.

Plutarch. *Malunt homines esse diuites, quàm beati.*

Senec. *Fluidum ac euanidum est quidquid ad corpus spectat.*

datum Domini, & super omnem populum Israel ira eius incubuit? Summam Achan infelicitatem exaggerant, quò vehementiùs ad speciem præuaricatores deterreant. Sed videamus cur Achan ad infelicitatis producatur exemplum, referamus historiam. Vidit coccineum pallium grato oculis nigrore adulantem, & contra Ducis edictum furto raptum tabernaculo abscondit:

Iof.7.v.21. *Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulámque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli, & abscondi in terra.* Non vsus est coccineo pallio ad vanitatis pompam, & tulit exustulationis sententiam. *Comburetur igni.* Summa profectò miseria, carere voluptatum deliciis, & horrisonis perire incendiis. Si Achan raptis diuitiis potiretur, si coccino splendesceret ornatus, sententiæ rigorem aliquo modò de percepta antea voluptate leniret: puniretur; sed, licèt euanidum, pompaticæ vestis gaudium percepisset; at miserrimus probatur, dum pallio vti non potest ad pompam, & solum concupiscit ad flammam. Ne furtum agnosceretur, abscondit, humóque operuit, & dum sibi timor interdicit vsum, diuina sententia punit seuerè reatum. Si Achan edictis paruisset, non vestiretur coccino; sed nec dicaretur incendio: si sanguineo vestitus incessisset ornatu, ignis vstularetur flamma; sed vestis etiam fulsisset pompa; at sic delinquere, vt floridæ vestis priuetur vsu, & flammas sustineat

Abulens. delicto, exaggeratio miseriæ est. *Postquam duxit Achan ista de vrbe Iericho*, inquit Abulensis quæst. 50. *non ausus fuit illa ponere coram alijs Israelitis, ne cognoscerent illa esse de anathemate Iericho, & lapidarent eum; sed abscondit, vt postea in alijs locis, quos capturi erant, posset dicere se accepisse de præda.* Interdicebatur tunc vsus; sed arsit nihilominus appetitus: exambiuit, quibus frui nec patiebatur locus, nec tempus, & cùm solùm vitiorum tunc subiret molestiam, sustinere ardentem cogitur flammam. O quot cùm nec senilis ætas, nec corporis imbecillitas, aut diuitiarum inopia obscœnas carnis permittat delicias, prodigiosis cupiditatis exæstuant flammis: nec alius fructus, quàm cupiditatibus distorqueri, & æternis ignibus destinari.

109. Nabuchodonosor immanem ambitiosæ insaniæ construit imaginem, cuius indecorum sic cogit ad cultum, vt ebullientium repugnantes flammarum transmittat ad æstum. Dulcisona sonoraque aures demulcebat instrumentorum harmonia, quo facilius cantu delinitos detestabilis fefellisset nequitia: tres pueri impiis refragantur edictis, & animo concepta fiducia conditionales regis minas excutiunt. Quid tunc? Æstibus ligati iniiciuntur; sed allambens flamma iniusta dissoluit vincula; reuerenda tamen non attigit corpora; solùm impietatis mi-

Dan 3.v.22. nistros horridum deuorauit incendium. *Porrò viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.* O quàm non ignis amisit pabula; sed mutauit! Plus flamma, quam amisit, inuenit: nam dum, ne iustis noceret, aufugit, quos iustè deuoraret ministros prehendi. Profectò ex his omnibus (quod insolitum sanè) infeliciores disperiere ministri: nam qui sacrilego metu adorauerunt statuam, temporales ardentis fornacis vitarunt flammas, & concentus auribus perceperunt harmonias; qui verò à Numine steterunt, ardores despexere fornacis; sed sibi præmia cumulauere virtutis; at ministri, dum rogo innutriendo vacant, dum ardoribus adaugendis student, nec temporalem sceleris immunitatem adepti, nec virtutis gloriam sunt assecuti, cantu non oblectantur distantes, & æstu consumuntur æstum nutrientes: quidquid in vitio & virtute asperum, infelicissimi sunt experti, vitij sine voluptate culpam, virtutis sine virtute sententiam. Opportunè Zeno Veronensis serm. 5. de trib. puer. *Mira res: opacitas intus, incendium foris est: intus hymnus canitur, foris vlulatus auditur.* Ministri vlulant pœna, & attaminantur culpa: temporalibus statuam adorantes oblectantur deliciis, æternis pueri redimiuntur tempora lauris; ministri verò nec deliciis fruuntur, vtpotè longè distantes, nec virtutibus adornantur, vtpotè vitio inseruientes. Zeno.

In crucem actus Dominus mirâ prodebatur patientia, quamtumuis denigrare conficta gestiuerit causa. Verùm Scribæ, & Pharisæi sic obcæcabantur, vt sibi de felici euentu plauderent, &, quod durius, horrendas in blasphemias erumperent *Prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita; similiter & summi sacerdotes.* Latronum etiam alter dolorum impatientia, & ingenita peruersitatis malita sacrilega lingua furebat, & mitissimum Dominum dicteriis execrandis dehonestabat. Quid tunc? socius, cui lenius ingenium, acriter obiurgat maledicum, & carpit patibulatum, *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es.* O gratiæ energiam! de latrone repentè factus confessor Christi diuinitatem deprædicat, & blasphemi socij nequitiam prodit. Sed videamus quid illi obiiciat: similem, ac iustus, Sustinere crucis infamiam, & similem etiam, ac Scribæ, admittere culpam: *Neque tu times Deum*, vt nec Scribæ iam timēt, nec crucem vitas vt Scribæ: ac si dicat: omniū infelicissimus comprobaris: nam qui delinquunt Scribæ gloriam etsi volaticam sibi captant, & crucis molestias vitant; Christus crucem immeritò sustinet; sed in ipso crucis apice regnum sibi immortale figit; tu verò vtriusque extremi, quò tuam miserabilius cumulaueris calamitatem, duriora iunxisti, virtutis scilicet non coronam; sed crucem; vitij non immunitatem, sed culpam: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es*: iungis furentium blasphemiam, & patientis Christi ignominiam: nil quo acerbum adeò solari posses casum, reliquisti. Scribæ delinquunt; sed reipublicæ plausum, & auctoritatem præcipiunt sibi: Christus patitur; sed virtutibus redimitur; tu verò omnium hominum miserrimè à virtute mutuatus es crucis pœnam, à vitio criminis culpam. *Quasi dicat*, inquit D. Thom. *licet homines non timueris; tamen deberes Deum timere maximè in articulo mortis, in quo tu es.* In cruce Deum timere debebas, ne pœnam corporis supplicium exceperit animæ; at quia infelix crucis sustines tormentum, & pateris culpæ supplicium. O quot inopiæ cruce diuexati diuitias sitienter anhelant! O quot effœta senectute prodigiosa libidine sufflammantur! O quot, quibus nullæ vires, ardent vindictam, & cùm vitiorum nequeant frui commodis, culparum exuruntur incendiis!

110.

Marci 15. v.31.

Luc. 23. v. 40

D. Thom.

Nisi granum frumenti, aiebat Christus, *cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* 111. Ioan. 12. v. 24.

Profectò

profectò grani plus interesse videtur viuere, licèt aureis non coronetur spicis, quàm auream producere segetem, si subeat mortem, si granum mortuum non fuerit, manebit solum; sed viuum: si fructum attulerit, manebit associatum; sed mortuum: ergo grano conducibilius erit fructibus carere, quam exundare. Profectò hoc non protulit Dominus de quolibet; sed de cadenti grano: ait enim: *Nisi granum frumenti cadens in terram*: si granum non profundis sepelitur sulcis, fors illi aliquando vtilius viuere, quàm fructibus abundare; verùm cadens, ni moriatur, tacet miserrimum: nam nec fructus habebit solatium, nec casus vitare quit detrimentum: aliud quoduis granum, si fructum non ferat, de propria vita, de quo horrei fastigio lætatur: demortuum vitam æternat in fructu; at cadens, nec moriens, non vitat infelicitatem casus, nec vbertate petitur fructus: vnde Dominus meritò cadenti grano, nec morienti insultat: *Nisi granum frumenti cadens*, &c. vtpotè qui cadentis subeat incommodum, & non cadentis similiter detrimentum, solum manet, vti quod horreis altissimis asseruatum; cadit vt

Chrysost. quæ copiosissimum ferunt fructum: *Quia de morte sua prædixit discipulos contristandos*, inquit Chrysostomus in catena, *superabundantiam facit sermonis dicens: Non solum, si non mortem meam patienter sustinueritis; sed etiam nisi vos ipsi moriamini, nullum vobis erit lucrum.* Expende hæc vltima verba: *Nullum vobis erit lucrum*: nam à virtute non obtinebitis fructum, nec à mundo honorem: non à Christo; quia infructuosi: non à mundo, quia discipuli. Mundus vos vt discipulos odio habebit: vos etiam magister vti fructibus nudos pauci æstimabit, aut sanè despiciet: vos ergo, qui iam nomina magistro dedistis, satagite sic mundo emori, vt solum viuatis Christo: aliter enim discipulorum patiemini inuidiam, & vitiorum sententiam.

---

§. XXIV.

Reipublicæ euersio non continget absque miraculo, dum eius partes debito incubuerint officio.

112. NIl adeò ad florentem Reipublicæ statum fulciendum proderit, vt eius partes ritè propria sibi munia exercere: hoc est firmissimum stabilitatis fulcrum, quod nec labefactant aduersi casus, nec acriùs adspirantium ventorum adflatus. Acies ordinata ipsis syderibus firmitudinem addet ad gloriam, pariet inordi-

Cant 6.v.9. nata ignominiam: *Quæ est ista*, sciscitabantur quidam, *quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Nondum stabilis, fixaque firmabatur fortuna de rosea auroræ placiditate, de flammanti lucifluæ pulchritudine Lunæ, de copiosa rutilantium radiorum scaturigine Solis, ni ordinis adderetur concinnitas: *Vt castrorum*, inquit, *acies ordinata.* Acies, ni milites suas deserant stationes, victrix immortali cingitur lauro, & diuiti cumulatur trophæo: ni debitus ordo priùs fuerit timida perturbatione confusus, triumphos nunquam tulerit ad-

uersarius. *Vndique stipata*, exponit N. Delrius, *nullum hostibus irrumpendi aditum relinquens, & omne id prorsus excludens, quod nitori, atque pulchritudini eius aliquam adferre maculam posset.* Sol suas patitur eclipses, Luna defectus, aurora nebulas, id vnum omne infortunium excludit, aciei scilicet quasque partes suo muneri solerter incumbere, & stationis leges seruare. Rubenitæ aram extruxerant, quam cæteræ tribus religioni suspicabantur aduersam: legatos mittunt, qui rem diligentiùs explorent, cúmque ritè aram omnibus constitisset extructam, Phinees felicitati plaudit reipublicæ: *Nunc scimus, quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis à præuaricatione hac.* Dum reipublicæ partes præuaricationis probantur expertes, Deo proteguntur, & nulli temporum casibus perturbantur: Deltrius.

Nunc scimus, id est, nunc ex verbis vestris cognoscimus, exponit Abulensis quæst. 16. *quod vobiscum sit Dominus, id est, quod Deus mouit vos ad hoc, vel quod sit vobiscum: id est quod diligit vos, & habet sub protectione sua speciali.* Numinis potentia munita cum æternitate certabit de duratione Respublica, si nullus, quæ muneris sui, deserat; sed ritè & fideliter obeat. Abulens.

Grandi adæquè miraculo putat Irenæus lib. 4. 113.
aduers. hæres. cap. 37. statuam illam duris conflatam metallis prorsus euersam, & fornacis flammam, ne pueros vstularit, sopitam. *Aliquando cum his, qui erant circa Ananiam, Azariam, & Misaelem videbatur assistens eis in fornace ignis & in camino, & liberans eos de igne: Et visio, inquit, quarti similis filio Dei: aliquando lapis à monte abscissus sine manibus, & percutiens temporalia regna, & ventilans ea.* Profunda sanè Irenæi meditatio, & quæ acumine scintillet ingenij: pueri anhelantibus flammis traduntur; sed corpora ipsis honorificata sunt pœnis: Dei excipiuntur benignitate non flamma; & vbi exæstuans flammarum horrendum sibilantium timebatur martyrium, ibi leniter flantis roscidæ auræ inuentum est refrigerium: sopitus est non sine ingenti miraculo fornacis æstus, & placidi venti successit flatus: & æquali prodigio statua sternitur, ac exæstuans ignis frænatur? *Lapis*, inquit, *abscissus est de monte, sine manibus, & percussit statuam.* Abscissus sine manibus dicitur, vt non humanæ industriæ artibus; sed omnipotentiæ prorsus viribus euersio imaginis adscribatur. Verùm si contra arborem tot ferientium manus sunt aduocatæ, cur nullæ contra statuam fuerint inuentæ? Cur statua simili ac eripiuntur pueri, miraculo sternitur, & arbor sine portento præciditur? Quia in statua debitum ordinem asseruauere metalla; arboris verò partes sic naturæ metas transgressæ, vt cacumen sydera cælo pelleret, & rami omnem terræ latitudinem exambirent. In statua aurum metallorum Princeps splendebat in capite: *Caput ex auro optimo erat*, aurum excipiebat argentum, argentum æs, æs ferrum; ferrum denique terminabatur in luto: vbi ergo partes debitis aptantur locis, & dignis addicuntur officiis, sic statuam fulciunt, vt nulla euertere tentarit industria, solaque demoliri valuerit omnipotentia. *Aliquando visus est liberans de igne, aliquando lapis à monte abscissus sine manibus, & percutiens temporalia regna.* Plures ad arboris excidium concurrunt manus: *Succidite arborem*; sed in statuam manus armatur nulla: *sine manibus*: Irenæus. Dan 2.v.34.

quia vbi partes debitum ordinem deseruerunt, in se omnium dexteras prouocarunt; at vbi debitus ordo & locus metallis pro materiæ merito decretus, nisi omnipotentia lapidem iecerit, manus hominis non iactabit. Sine manibus lapis abscissus est contra statuam; manus plurimæ arborem ferrea deiecere securi.

114. Iob copiosis inter orientales diuitiis exundans, cùm omnes felicitate vinceret, nullius sustinebat inuidiam, solus dæmon nequissimis armatur technis, & iusti imperium inuidis euertere molitur insidiis: præter naturæ ordinem ardentes è cælo flammarum globulos eiaculatur, ædificij fundamenta conspirantibus simul ventis concussa dissoluit, vt germanorum vnio resolutis domus compagibus tumuletur: denique prædonum in greges exacuit manus: *Boues arabant*, deplorat nuntius, *& asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi.* Gregorius ex Græco legit: *Asinæ fœtæ pascebantur.* Profectò humanæ rerum vicissitudini verti posset, si aliis in circumstantiis accideret casus; modò verò robustiorem manum ipse declarauit euentus: nam si animo perpendas, omnia debitum inuenies ordinem asseruasse, propriisque vsibus inseruisse: asinæ fœtæ pullos lactant: boues terram aratro proscindunt: primogenitus & fratrum Princeps fratribus reliquis alimenta præbet, reliqui fratres concordes, & vinculo amoris vniti maioris domum frequentant, & excellentiori obsequuntur: *Cùm quadam die*, inquit, *filij & filiæ eius comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti.* Quid huic addendum politiæ? Quid detrahendum est œconomiæ? Nunc ergo Iobi rempublicam euerti non erat vario adscribendum fortunæ ingenio; sed vltra naturæ vires audenti dæmonio. Ni Dei nutu furiæ gehennales sæuirent, adeò optimè statutam rempublicam casus quantumuis luctuosi, minimè euertisse valerent: nunc euersa est, vt Numinis clariùs agnoscatur potentia, & dæmonis prodatur malitia, quandoquidem Deus sic vnita, congruentíque ordine disposita valuit euertere, & dæmon aggressus est demoliri: *Non datur*, aiebat Gregorius lib. 2. moral. cap. 8. *Boues à Sabæis ablati sunt; sed qui ablati sunt boues, arabant, vt videlicet memorato fructu operis, causa crescat doloris: vnde & apud Græcos non solum asinæ; sed & asinæ fœtæ raptæ referuntur.* Vt dolorem acriùs exulceraret: tunc omnia abstulit, cùm debitis deseruirent vsibus, & aduersis videbantur remota casibus. Solùm conspirantes annuente Numine gehennales furiæ eam euertere moliebantur rempublicam, cuius partes debitis studebant officiis, & propriis vacauerant ministeriis.

Iob 1. v. 13.

Gregor.

Gregor.

115. Fortassis hanc thronus ille sapientissimi regis veritatem suffulcit. Salomon sapientiæ elogium, potentiæ miraculum thronum artis elaborauit industria, qui duratione spreuerit tempora: *Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis: qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte posteriori: & duæ manus hinc, atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas; & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde.* O quot manibus opus est ad fulciendum thronum! Profectò, vt aiebat Seneca, ad tuendam fortunam alia fortuna opus est. Thronum ex ebore fabricauit, vt stabilem diuturnitatem dilucidiùs ostenderet; sed qui gradibus leunculi, & iuxta manus leones residebant, vel ebori firmitatem præstabant: leunculi sunt parui, leones sunt magni: dum ergo excellentiores fastigia occupant dignitatis, humilioresque pro conditione sua aptis gradibus disponuntur, nullis perturbanda casibus solia firmantur. Si leones inferioribus gradibus starent, & leunculi throni apice refulgerent, quantumuis de ebore elaboratum citissimè nutaret solium; at dum superiori loco leones, inferiorique leunculi disponuntur, tegni fulcra æternitati dicantur. Leonibus contra aduersos thronus munitur occursus, dum pro meritorum conditione erogatur gradus. *Thronus Salomonis Ecclesia esse intelligitur, in qua pacificus noster regnans*, aiebat Rabanus apud Glossam, *iudicia sua facere dignoscitur.* Salomonis verè sapientis, & pacifici iudicia esse comprobantur, quæ ordinatè disponuntur. Ænigma Ecclesiæ, in quam nec portæ inferi præualebunt, nec quid fortunæ vices tentabunt, est thronus, in quo inferiores occupant inferiora, & excellentiores sublimia: *Thronus Salomonis Ecclesia esse intelligitur.*

3. Reg. 10. v. 18.

Raban.

Iam si aliter, facillimè euerti regna reperies: vel fœminea manu feriuntur, vel puerili labefactantur. Producamus Abimelechi regis historiam; imò tyrannidis feralis exempla. Rhamnus imperat, & sub vmbra sua protegit Syluestres plantas: *Requiescite sub vmbra mea.* Syluæ arbores ad vmbræ commoda, & propinquitatis inuitantur fastigia. *Ligna syluæ*, ait Isidorus in iudices cap. 6. *intelligimus homines esse vanos, & vagos æterno incendio præparatos.* Hic ipse arbuscularum inutilium patronus eam in Libani cedros indignationem pectore fouit, vt ardentes eiaculatus flammas adurere prorsus tentarit: *Egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.* Et quid cedris nisi flamma, dum desertorum myricis vmbra? Is illius regni status, nec dissimilis finis: *Ecce*, inquit, *vna mulier fragmen molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.* Opus non fuit copiosis armatorum agminibus, vt Abimelechus, eiusque imperium periret; sed fœminea manu percussus interiit. Vbi inutiles indignósque prosequebatur fauor, & cedros vrebat furor, opus non erat armis: quia elatis regnum in seipsum armabatur indignis. *Abimelechus*, inquit Basilius hom. 22. quæ est de humil. *per mulieris manum, & lapidis ictum perijt.* Satis fuit mulieris manus ad euertendum imperium, in quo cedri flammis voracibus exuruntur, & arbusculæ placida fauoris benignitate adumbrantur. 116.

Iudic. 9. v. 15.

Isidor.

Basil.

§. XXV.

Etsi defunctorum animas viuósque fideles magnum diuidat loci interuallum, pietatis non est interdictum commercium.

Fides Catholica edocet cœlorum regnum nullum nisi omni labe detersa ingredi, emaculatúmque gaudiis nunquam interrumpendis potiri: cúmque per humanam fragilitatem aut lethalis 117.

lethalis criminis etiam confessione expiati maneat non semel reatus, aut læuium culparum næuus, opus fuit locum animis purgandis dicari, vbi quousque prorsus emaculati pœnarum lixiuio albissimis stolis induerentur ad nuptias, sustinerent ardentissimas flammas: Iob 28. v. 1. *Auro*, aiebat Iobus, *locus est in quo conflatur.* quasi dicat: Vt solares radij mira efficacia terram in aurum conuertunt, quod sordescit in vena, dum artifex non expoliat industria, & ignis decoquat flamma; ita mortalis homo diuinæ gratiæ luce illustratus, virtutibus auri adinstar resplendet excultus; verùm quia de terrea vena aliquas contraxit maculas, opus est depurgatrices patiatur pœnas, donec omnimodò decoctis fæcibus niteat decorus, & interrumpendis nunquam dicetur purissimis voluptatibus fortunatus. Cassiod. Opportunè Cassiodorus 9. var. 3. *Minuta quæque grauiora discernentibus aquis à genitrice terra separant, ac fictilibus recōdita vasta fornace decoquunt, donec soluantur vtiliter in liquorem: riuos quoque de flamma venientes tanto igne depurgant, quousque pulchritudinem sui prodant, quam terrena viscera, ne cuperetur, absconderant: vincitur natura, cum eam meliorat industria, pulchrior est, dum arserit.* Melioratur aurum de flammis, & quas contraxerat de origine, maculas deponit, dum patitur; ad fulgorem aptatur, dum coquitur: non aliter anima terrea mole concreta contrahit, quæ rationabilis decoquat flamma, & pia possit abradere industria: distant à nobis, quæ procellosum sæculi mare enauigarunt felices, & iam solidum littus tenuerut periculi exortes; verùm etsi regionum distent spatio, vicinæ sunt pietatis, & affectionis commercio: de fontibus Saluatoris promicat vena, qua possit purgatorij sopiri, aut extingui flamma. Ecce Hebræorum tribus Iordane adiacente distant diuisæ, & interuallis non modicis separatæ. Rubenitæ altare construunt operosæ magnitudinis, & sumptuosissimæ molis: *Cum venissent ad tumulos Iordanis in terram Chanaan, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.* Hoc altare, etsi à diuisis tribubus constet extructum, omnibus profuturum refertur, & contra pœnas à Numine infligendas auxilium dicitur: *Liberastis filios Israel de manu Domini*, hoc est de infligendis pœnis. Itaque altare illud, dum ritè extruitur, & extructoribus proderat, & fratribus etiam separatis vtile erat. Adest Augustinus lib. 20. de ciuit. Dei cap. 9. August. *Neque piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi: alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi.* Distant animæ longissimis interuallis; verùm adhuc piis nobiscum agunt commerciis, quatenus nostris orationibus, religiosisque suffragiis, hostiisque liberantur à pœnis, & nos etiam firmissimis suarum precum muniunt contra pericula auxiliis.

118. Moyses à populo separatus occubuit: illo iam defuncto Deus Iosue monet, vt contra aduersarios insurgat: Iosue 1. v. 2. *Moyses seruus meus mortuus est: surge, & transi Iordanem istum tu & omnis populus tecum.* Certe Moysis mortem commemorari potuit videri superfluum; imò deiiciendis animis, eneruandisque vigoribus opportunum: nam quid non trepidet populus duce optimo destitutus, & propugnatore acerrimo orbatus. Ergo mortem taceat, nec populus fluuium transmittere timeat; imò ne timeat, non tacuit: Moysem serui titulo honorat, & dum honorat, quantumuis subtractus denegetur aspectui, adesse testatur auxilio: adhuc viuit Moyses vt faueat, etsi corpore careat denudatus, vt viuat. Innuit aliquomodo Origenes homil. 2. in Iosue: *Refertur quia duo Moyses videbantur, vnus viuus in spiritu, alius mortuus in corpore.* Origen. Mortuus refertur; sed quamuis corporeis oculis denegatus, adhuc permanet ad auxilium populi viuus: viuus apparet in spiritu, ne putarint temporali vita prorsus finitum esse commercium, etsi viuos defunctosque magnum separet interuallum.

119. Mortuus est Lazarus iuuentutis flore, cùm venustiorem ætas valida explicaret pompam, & diuturniorem promitteret viam: adeò caducis innitimur, adeò fucatis cæcamur: vinctus erat: *prodyt* namque, *qui fuerat mortuus ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata.* Ioan. 11. v. 43. Sorores pias lachrymas fundunt, Dominum deprecantur, variisque obsequiis obstrictum pulsant affectu, & ad commiserationem lachrymarum mouent singultu. Quid tunc? Deus vincula iubet dissolui, & animam ab inferis reuocari: *Soluite eum, & sinite abire.* Profectò sororum lachrymæ, dum vincula à Domino impetrarunt disrumpi, ostenderunt posse defunctos fidelium precibus adiuuari: pedes habebat Lazarus, vt ad Dominum inuolaret; oculos, vt videret; sed nequibat ligatura constrictus, & sudario retardatur; ast dum ob sororum lachrymas vinculum soluitur, & velamen oculorum aufertur, iam Lazarus Christum liberis luminibus adspicit, & vestigiis expeditis excurrit: *Quia ipse sororum fletibus mouebatur*, scribit Veronensis Zeno sermone de Lazaro, Zeno. *lachrymis Filij sui Saluatoris nostri inter ipsos cælos Pater flectebatur.* Viuebat Lazarus; sed adhuc tecta facie, manibus, pedibusque constrictus ad vocantem Dominum properare nequibat: ad documenta virtutum ipse, qui fuerat mortuus manibus & pedibus erat vinctus: vt verò Christus solui iussit, manus sacerdotalis vinculis liberauit. Impediebant vincula; non tamen id generis erant, quæ resolui, & relaxari non possent: ergo dum sorores preces & lachrymas fundunt, Christus ad commiserationem mouetur, & ad eius imperium reseratur sepulchrum, aufertur impedimentum: distabat à sororibus Lazarus; poterat tamen precibus subueniri, & ad felicissimam Dei visionem disruptis repagulis reuocari.

110. Audiuit Ioannes animas reserato quinto sigillo subtus altare clamare, quibus iussum est tantillum quiescerent, donec fratrum numerus impleretur: Apoc. 6. v. 9. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, & clamabant voce magna, &c. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum.* Multa profectò in hoc loco veniunt examinanda, cur scilicet interfectorum animæ altare circumdent, cur ibi & clamor sopitus, & splendidus ornatus concessus: cur adhuc fraternitatis retineant vocabulum, qui omnis exuisse cognationis videntur vinculum: ani-

quisquis periit monitus, de ipsa admonitione grauius sibi incrementauit supplicium, quandoquidem dilucidè ostendit, non solùm oblectamenta sectari culpæ, sed iniuriam negligere audaciæ. Iosue vt scelerum timorem incutiat trucibus minis percellit audaces: *Adducet super vos, quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis, eo quòd prætericritis pactum Domini Dei vestri.* Ne posteà dolore adurgeretur dispergens, dispersionem præcauet ipsam præmonens dispersionem: verùm si minæ hucusque auferendam terram, incolásque prorsus disperdendos non enunciarant, cur non solùm testatur implendas; sed calamitate pronunciat incrementandas? Hoc profectò dicat quis prædictas non erit minas implere, sed flammas suppliciis addere. Fallar ni ipsa minitatio despecta, dum exaggerat culpam, & culpæ non adauxerit pœnam. Delinquere non admonitum humanæ est fragilitatis erratum; minis verò præmissis errare summæ est procacitatis delictum, & quadamtenus ambitiosum stragis votum. Prorsus ergo admoniti debebuntur de terra, qui non admoniti ob tot non sunt exterminati flagitia.

99. Achan cupiditatis vernula cum hostium detriumphator, Domini præuaricatus est pactum, Ducísque temerauit edictum: aurum clanculum suffuratus abscondit; sed quod studiosa occultarat industria, diuina denunciauit Principi prouidentia: adeò verò caute indicauit delictum, vt perpetratam nunciaret culpam, & per-
Iof.7.v.13. petrantem celaret personam. *Anathema in medio tui est Israel.* Remedium consuluit sceleri, & scelesti etiam prouidit honori, vt discant qui ad principes superioresque culpas deferunt id facere odio culpæ, amore personæ, ne & ipsi delatores periculosius laborarint remedio, dum fœdissimo maleuolentiæ adurgeantur odio. De Nummis sententia in diem sequentem citat Iosue omnem cœtum, & ardentes prædicens flammas minis percellit attaminatum *Quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni.* Tribus omnes tardiam accelabant auroram nouitatis studio, & publicationis criminis desiderio. Achan inter cæteros aduentauit, sortéque rationabili deprehensus dignas tanto flagitio pœnas subiuit. *Lapidauit eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta erant.* Iam pungit scrupulus: nam si Domini sententia horrendum anhelantibus flammis addixit, cur Iosue grandinantium duro lapidum imbre deleuit, nec flammis voracibus vstulauit? Varia adæque ingeniosi & pij interpretes, vt nodum soluerent, tradiderunt: & nos aliqua in septimi capitis expositione retulimus. Placet modò Lyra, qui ait non solùm ignibus vstula-
tum; sed crebris lapidum ictibus repercussum. Lyra.
Punitus est duplici pœna, scilicet lapidationis . . . Secundò combustionis cum pertinentibus ad ipsum secundum quod Dominus imperauerat. Vnde videbatur sedandus, acrior recrudescit scrupulus: nam aut Iosue, dum grauiorem adaggerat pœnam, sanguinolentus deliquit, aut oraculi iussa corruptus interpres tacuit. Satis non fuit vstulationis pœna, vt vel flagrans sopiretur sæuitia? Quid ergo addita lapidatio? Adulatusne est grato oculis vstulationis fumo, & auribus resonantium lapidum sono? Profectò Iosue sæuitiæ inhumanitatísque furorem prorsus ignorat, Achan attamen ipse pœnarum sibi cumulum incrementat. Flammas meruit nummorum raptu, lapidationem minarum contemptu. *Accedetis mane,* inquit Iosue, *& quicumque deprehensus, comburetur igni.* Totum noctis spatium fugæ aut rubori concessit, ne sors attaminatum aliquem inueniret. Achan toto illo tempore honesta delicti pœnitudine erratum valuit delere, aut matura saltem fuga supplicium frustrare, quandoquidem ne perspicaces curiositatis oculos vereretur, obscura noctis patrocinabatur caligo: verùm ille nec minis perculsus confugit ad pœnitentiam, nec saltem arripuit fugam: adeò temeraria somnum capit socordia reclamante conscientia reus, vt tutissimè placido indulgere somno potuisset iustus: punitus ergo est duplici pœna, vstulationis ob auri furtum, lapidationis ob minarum contemptum. Ipse sibi adauxit pœnas, quia temerarius despexit minas, nec expiare gestiuit conscientiam, nec curauit saltem arripere fugam: admonitio flammas tantummodò minabatur; sed imprudentissima oscitantia lapidationem adauxit: *Punitus est duplici pœna*, & quidem meritissimè: nam delinquere obcæcatæ fuit cupiditatis erratum; sed accedere pollutum ad sortes, insanienientis fuit audaciis temeritatis delictum.

Semen in Dauid procacissimus, quique illum 100.
fugientem probrosissimis verbis dehonestarat, & indignis maledictis prosciderat, facillimè veniam impetrauit, eam namque semper Dauid, quæ prophetam deceat, animitus excoluit humanitatem, posteà cum seruos reducturus ad Achis in Geth iuisset, à Salomone morti traditur, & à Banaia impræsentiarum occiditur.
Iussit itaque rex Banaiæ filio Ioiadæ, qui egressus 3. Regum 2. v.46.
percussit eum, & mortuus est. Inquiramus, si placet, cur Salomon ob leue adeò delictum mortis supplicium intulerit, cùm pater eius graui adeò peccato regiam maiestatem obnubilanti pepercerit. Errauit Semei ad Achis tendens; sed seruorum cupiditate suasus, aut amore fortasse impulsus: hoc non erat regiæ dignitatis probrum, sed ad summum cupiditatis studium. In Dauidem scelestissimè lapides iecit, turpissimásque contumelias iactauit. Ergo aut Dauid puniat, aut Salomon parcat. Perpende, amabo te, temporum discrimen, & circumstantiarum diuersitatem: anteà deliquit furenti ardore obcæcatus, modò delictum perpetrauit admonitus: vocauit namque illum Salomon, vt hanc illi præscriberet legem. *Ædifica tibi domum in Ierusalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc atque illuc. Quacumque autem die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum.* Minis terret, & de ipso terrore vitæ patronus consuluit, ne seuerum ageret iudicem, pium ostendit se monitorem. Sanè non prædixisset supplicium, si inferre desideraret tormentum. Quid
tunc? Semei cupiditate abripitur: legem auda- *Tunc iusta*
cter transgreditur, & cum adhuc domum exce- *probatur di-*
dens vsque ad Cedronem vertendi stylum op- *strictio, cum*
portunum illi fuerit spatium, nihilominus præ- *lenis tracedit*
fixum temerarius transiliuit terminum: licèt *patientia.*
ergo prius grauiùs errarit, venia donatur, quia furore deliquit abductus, modò verò occiditur, quia peccauit admonitus. Huc voco Cassiodo-
rum 4. variarum 29. *Nos quibus cordi est post* Cassiod.
primam culpam non statim desiderare [illegible],
ad

ad monitionem potiùs iussa conuertimus, ne sit nostra districtio nimia, quam lenis patientia non præcedat. Ideòque præsenti auctoritate decernimus, vt iussionibus nostris nulla dilationis call. ditas afferatur. Attentiùs audi, quæ subdit: *Quia non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus.* Grauissimè deliquit Semei; sed nondum admonitus insaniuit: ideò indulgentiæ locum inuenit: deliquit posteà leuiùs sanè, sed minis terrefactus, & ab ipso Rege admonitus: ideò ergo indulgentiæ locum non inuenit, quia malitiam admonitionę cumulans deerrauit: *Non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus:* timeant peccatores, qui post misericordes Domini admonitiones adhuc incrementare crimina non desistunt: nam qui fortè veniam consequerentur de errato, pœnas sibi cumulabunt de monito.

Non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus.

101. Duo lattones in Domini patientiam procaciter insultabant, nec crucis tormento afflicti linguam edocuere silentium; sed de impatientia proferre satagunt maledictum. *Idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo improperabant ei.* O mira saluatoris patientia! Sibi quodammodo detrahit, dum scelestissimorum hominum procacissimas linguas tolerat. Quid dico tolerat? Lattonem alterum secum ducit ad paradisum: *Hodie mecum eris in paradiso.* O quàm faustum latroni lignum, quod videbatur probrosum: felicior profectò de mulcta, qui infelicissimus fors de venia: verùm si vicina maiestas lattonem, vt inimici trophæum ad paradisum portauit, cur vtrumque ad plausum triumphi augustiorem non tulerit? Si vterque blasphemus, cur alter tantùm veniam humaniter consecutus? Vterque profectò deliquit, alter verò meliora sapiens socium reprehendit; alter adhuc admonitus blasphemias in Dominum proiicere ore spurcissimo non cessauit. *Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es.* Licèt ergo vterque priùs impatientiæ stimulis blasphemauerit incitatus, veniam aliquomodo sibi non impediebant, quia cæco furore abducti; & dolore sæuissimo discruciat; quando verò alter adhuc non desistit admonitus, vritur dignissimè condemnatus: nec enim habet veniæ locum, qui delinquit admonitus: *Vt agnouit,* inquit Theophylactus, *qui prius erat blasphemus, Iesum verum Regem, confutat & alterum latronem, & ad Iesum dicit: Memento mei in regno tuo.* Alter non destitit confutatus; alter erraneerat cæcus: qui ergo ante admonitionem deliquit, veniam impetrauit; qui verò post admonitionem durus de cruce ad tartarum detrusus immortales pœnas subiuit.

Math. 27. v. 44.

Luc. 23. v. 43.

Theoph.

102. Concludat thesim Saluator ipse, qui dum de infligendis peccatoribus pœnas ageret, sic ait apud Lucam: *Ille seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Profectò si non cognouit voluntatem, nullis plagis videtur dignus, qui cognoscens flagellis foret inflictis acrioribus verberandus. Hanc quæstionem dignissimè, vt assolet & Theologicè noster ad hunc locum exagitat Maldonatus. Ego verò quod meo facit instituto, transcribo: sicque sententiam moribus concinnandis adapto, scilicet vterque seruus dignissima plagis commisit; alter verò iudicij ignarus; alter minarum ac iudicij rigoris præscius: qui ergo admonitus deliquit, multis vapulat, quia de ipsa admonitione cumulauerat culpam; qui verò iudicium ignorans errauit, leuiùs punitur quia de ipsa iudicij ignoratione imminuerit pœnam. *Voluntatem Domini vocat eam ipsam de qua loquebatur* (verba sunt Maldonati) *qua Dominus decreuit aliquando ad iudicium venire, quam voluntatem Apostoli & alij, quos de suo ipse aduentu monuerat, & sciebant, sciuntque Christiani omnes; alij autem & nunc ignorant, & tunc ignorabant. Inter quos hoc erit discrimen, quòd illi quia sciunt venire decreuisse, & non se pararunt; sed sese somno tradiderunt, vapulabunt multis; hi verò propter eadem peccata vapulabunt paucis: quia eadem peccata in illis hoc grauiora sunt, quod cum Domini contemptu sint quodammodò coniuncta.* Peccatum post minas indicauit contemptum, & ideò adauxit supplicium.

Luc. 12. v. 47.

Maldonat.

§. XXII.

Ardentior resplendet charitas, dum sibi angustatur, ne proximus fœdis peccatorum sordibus maculetur.

103. CHaritas, aiebat Apostolus, *non quærit, quæ sua sunt; sed quæ Iesu Christi:* parum hoc, vt quæ Iesu Christi, ambitiosè quærat, magnanimiter sua amittit: animarum zelus homines honestè inebriat, & vel necessariis integumentis denudat: quò pauperior, & volatu sæpè velocior. Cupiditas insana, & verus amor ambitione sibi opposita exæstuant: cupiditatis hydropi nullus sufficiet humor, quantumuis adiicias: quia quidquid addideris, in flammarum transit nutrimentum. *Quidquid illi congesseris,* aiebat Seneca de consolat. cap. 11. *non erit finis cupiditatis, sed gradus.* E contra amori accidit: quidquid detraxeris, non erit amoris extinctio; sed flabellatio: contractior in se ipso procerior est: dum auro pauperior, & flammis ditior: degenerat amor cupidini admixtus, scintillat solo animarum lucro ditatus: quo sibi angustior, & nobilissimis ignibus splendidior. Angustissimo ligno Dominus occubuit nudatus, vt homo innocentiæ trabea rutilarit vestitus: scintillauit amoris ardentissima flamma, dum corpus ligni arctissima contraxit angustia: propriis incrementis inhians, & commoda curans, re vacuus speciem sæpè charitatis mentitur: qui de augendis censibus agit, de culpis extirpandis non agit: honoris ambitio aut non videt culpam, aut culpis negligit adhibere medelam; imò per aliena sæpiùs scelere nititur dignitatis culmina ascendere, iniquitatisque pennis ad alta aggreditur euolare. Eua de pomi raptu sibi diuinitatem excudere, Cain de infami parricidio hæreditatem nititur ampliare. Proximorum perfectus amor spe non ducitur; imò propriis dispendiis vulneri peccatorum medetur: *Non amor ille nomine,* scribit Cassiodorus in prologo de amicitia, *vel honore amicitiæ dignus est, quod alicuius mundanæ vtilitatis obtentu contrahitur: amicitia siquidem ipsa sui causa est, ipsa sibi merces est, & longè infra fines amicitiæ amor ille subsistit, quem expectatio ambitiosa, vel spes quæstuaria antecedit.* Amor & perfectus zelus sic erratis inuigilat

1. Cor. 13. v. 5.

Seneca.

Cassiod. *Amicitia suâ causa est.*

lat deterendis, vt nullatenus diuitiis inhiauerit ampliandis. *Hoc sæpè dixit diuinus Apostolus,* scripsit Theodoretus cap. 8. ad citatum suprà Apostoli locum: *Non quæro meam vtilitatem; sed multorum, vt seruentur.* Obliuiscitur lucra, vt ab aliis depellat errata; imò non solùm obliuiscitur lucra; sed patitur lubenter dispendia: Rubenitæ, aliíque duarum tribuum Gentiles propria iterum salutantes aram æternum religionis indicem extruunt religiosa prouidentia, non vana iactantia; verùm, vt nihil honestum linguas non patitur, suspiciosis rumoribus reliquos apud Hebræos illorum infamatur studium: properant hi, vtque fratres à crimine auertant, quæ illis sorte obuenerant hæreditates, fraterna charitate partiri non dubitant: *Si putatis,* inquiunt, *immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad terram, in qua tabernaculum Domini est, & habitate inter nos: tantum vt à Domino, & à nostro consortio non recedatis.* Veriti sunt putasse Rubenitas tellurem ante Iordanem immundam, nouísque aduersus patriam religionem ritibus consecrandam: quod vt vitent, nidulos suos libenter offerunt, séque sortibus verentur minimè coangustandos: *Transite,* inquit Lyra, *quia dabimus vobis de possessionibus nostris, ne rem illicitam faciatis.* O quàm nobilis illorum præcordia adurebat amor, quando ne fratres macularentur peccatis, acquisitis abdicabantur diuitiis, aliena commoda propriis incommodis mercabantur, quóque charitati amplius honestiúsque adularentur, possessis in sortibus angustantur. Nec adeò mirum, si paucos inuitassent hospites, aut laxa terreni non repleuissent spatia; at allicientium nonnullæ tribus satis angustæ, & hospites amplissimè numerosi: ipsis difficultatibus acrior accendebatur flamma, & qui extinguere possent venti, validis difficultatum flatibus excitarunt. Notauit id Masius: *Credibile est pleråsque tribus non nimis laxè habitasse, cùm tot passim reliqui essent Chananæi; & tamen gentem cùm ab hominum multitudine, tum à re pecuaria copiosissimam suis sedibus, atque possessionibus recipere, sibique vrbes atque agros, quæ illis attribuant, detrahere malunt, quàm vt à Deo tradita religionis iura mutari, aut pollui ab illis paucis tribulibus sinant.* Vt flagrans dementer scelestorum amor propriis incommodis ac dispendiis alios ad peccata prouitat, sic ardens istorum charitas & abigere culpam, & redimere gratiam tentat. Emicuit ardentissima charitatis flamma de locorum angustia, & promissionis magnificentia.

104. Post illa inaudita sæculis prodigia populus de Ægyptiaca oppressione in libertatem asseritur; verùm Pharao, qui tantillum resipuit, citissimè iterum lapidescit: fugientes insequitur; sed ipsis mucronibus, dum ferire aggreditur, celeriores docet volatus: alas præstitit persecutio, & quando patienter lata non præstitit iustis alas? Mare tardabat gressus: nec mirum: nam voluptatis ænigma mare, plúsque virtutis morantur itinera voluptatum lapsus, quam inimicorum adsultus; mare tamen virga percussum viam fugientibus dedit, & vndas labiles indurauit: *Abstulit illud Dominus flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisáque est aqua:* vehemens deprædicatur ventus: quia ardentissius hîc Spiritus sancti flatus. Ita Interlinearis: *Vento vehementi, id est Spiritu sancto mundanam sapientiam exiccante.* Ardorem venti conceperunt fluctus, & frænatis vorticibus substitere. O quàm vehemens de aquarum restagnatione probatur ventus! Seipsas replicantes quodammodo coangustarunt, vt Ægyptia vulnera nullatenus paterentur Hebræi; sed ad promissam terram celeriori gressu inuolarent iusti: angusto adeò spatio aqua nullatenus spissaretur constricta, ni vehementi Spiritus sancti afflatu nobilitata. *Stabat aqua,* scribit Emissenus, *eleuata quidem; sed tamen quasi fræno cohibita, ac populus quidem ducem sequebatur.* Totum Spiritus sancti ardorem combibit aqua, dum angustiis inclusa populum illæsum transmisit, & exercitum peccatorum absorbuit: non solùm vrens; sed vehemens ventus deprædicatur, dum fluctus proximorum saluti consulens veluti frænatus constringitur: quo plus angustatur mare, plus amoris rutilat flamma, & fortunata spiritus agnoscitur vehementia.

Elias post fulminatam in refractarios sententiam deserto deliciabatur: deliciabatur, inquam: quia peccatores oculis non videre maxima iustis voluptas est. Inter ardentes flammas gaudet eductus, qui de scelerum adspectu cruciabatur dilaniatus: corui, ne iudex reorum pateretur sententiam, deferebant carnes, & panem; verùm Deus Eliæ profectionem vrget, & Sareptam ad viduam mittit: *Surrexit, & abijt in Sarepta.* Rabanus apud Glossam ad Gentiles missum prophetam, quo errores depulerit, attestatur: *Hæc vidua gentium significat Ecclesiam, quæ à suo diutius fuerat conditore deserta, populum fidei veræ, & vitæ veritatis nescium... donec veniens sermo propheticus pasceretur ibi simul & pasceret.* Prophetam agnouit mulier reuelatione quidem diuina, & profectionis actionibus informata: non potuit non excellentissimus deprædicari propheta, qui, vt aliis cœlestem impertiret doctrinam, propriam patiebatur inediam, quique, vt religionis cultum nutriret, sibi epulas angustarat. Deserto bis carne & panibus pastus alebatur, Sareptæ exigui panis frustulum famem potiùs accendebat, quàm solaretur: desertum ergo relinquere, & Sareptam inuolare eximium prophetæ clarabat zelum, & vehemens virtutis deprædicabat studium. *Deserverant coruι,* inquit Tertullianus lib. aduersus Psychicos cap. 8. *qui illum liberalius pascerent? An difficilè Angelo fuerat aliquem aliunde de conuiuio regis ministrum cum instructissimo ferculo raptum ad Eliam transferri... Sed constitui oportebat exemplum.* Oportebat profectò ardentis zeli, & eximiæ sanctitatis exemplum sæculis exhiberi: ob id ergo Elias nec itineribus parcit, nec differtæ mensæ indulget; sed breuissimo cibo contentus errores abigit, & stabilit virtutes. Recordor gaudio equidem delibutus illius sanctissimi Patris mei Xauerij Indiarum Apostoli: lacera attritáque veste inuolabat indutus, arduis montosísque itineribus diuexatus, ac ipso ieiunio pastus, vt Eliæ adinstar extorrem à veritate Indorum Ecclesiam congregaret, & religionem doceret. Quàm angusto cibo, quàm duro secto & vixit, & occubuit, vt densissimas idololatriæ tenebras Euangelij luce depelleret! Aliud Eliæ producamus exemplum.

106. Tendebat discipulo comitatus, gressus morabatur Iordanis; sed inuoluto pallio aquas verberat, & inter profunda gurgitum viam puluerulentam

Marginalia: Theodor. — Lyra. — Masius. — Exod. 14. v. 21. — Interlin. — Emissen. — 105. — 1. Reg. 17. v. 10. — Tertull.

4. Regum 2. v. 8. rulentam complanat: *Tulit Elias pallium suum, & inuoluit illud, & percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtramque partem, & transierunt ambo per siccum.* Non multò post flammantem quadrigam inscendit, cúmque discipulus doloris æstibus vrgeretur, vestémque, vt angustias tantisper euaporaret, scidisset, pallium ab æthere demittit, liberalitatem, dum specie celat, adaugens: *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Hoc Lyra putat charitatis artificium, non sortis casum: *Non à casu cecidit; sed ex diuina ordinatione, vt Elisæus ipso operaretur, in signum quod spiritus Eliæ requiescebat super eum.* Pallium testatur modo ingeminatum spiritum, cùm anteà non prædiceret geminatum. Vide quando Eliæ spiritus duplicetur, cùm pallium mittit: anteà retento pallio percussit aquas; modò non retinet pallium; nec mirum: hic namque diuinis flammis exæstuat, ibi gelidas aquas tranabat: dum angustatur, vt alteri subueniat, spiritum mirè duplicet: non potuit ardentibus flammis immersus ad proximi auxilium vestibus non nudari, etsi anteà pallio studuerit operiri: cælestis prodebatur flamma, quæ prophetam dispoliauit: minùs ardebat, cùm ad alterius leuamen pallium obuoluit; mirè flagrat, cùm remisit. Diuitiis priuari, arctiori sede concludi, iucundiori potu non vti, quo pauperes bibant, quo nudi induantur flammantis charitatis est pompa. Tribus ergo amoris flammis exæstuant Iordanis vndas tranantes, & quò fratres à delictis auertant, sortes offerentes.

Lyra.

107. Magistrum discipulus è vestigio sequatur. Piæ illæ mulieris filius prophetæ Elisæi hospitio & orationibus impetratus florenti adhuc lanugine emoritur. Quàm citò deperditus, qui prolixis temporibus exambitus! Viridis iuuentus longa vitæ promittebat spatia; sed morbus pestilens citissimè spes præcidit, matrísque dolorem ingeminauit: nulla sibi fidat ætas: nam recèns natus parentum non semel præoccupat sepulchra. Quo morbo laborauerit puer, modestè Scriptura tacuit; sed ipso silentio edocuit. *Mortuus erat*, inquit Basilius orat. 10. *vi peccatorum.* O quoties dum nimiè voluptatibus indulgent iuuenes, tempora sibi immaturè præcidunt, & ipsis deliciis eneruati dispereunt! Mater dolore exæstuans orbitatis onere frangebatur, & luminum dilectorum occasu mœstissimam noctem sustinebat; prophetam tamen adit, singultibúsque eloquentiùs explicuit, quod verbis non poterat sæpiùs interruptis, & dolore sanè ligatis: celeri pede puerum excitaturus inuolat Elisæus, séque cadaueri insternens ab orco animam reducere nititur: *Posuit os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum.* Non exhorruit charitas ora cadaueris ori infigere, & vitam morte miscere. Hic Christi figuram gessisse prophetam tradit laudatus vbi suprà Basilius. *Elisæus Christi figuram gerit.* Verùm disquiramus, cur hîc præcipuè Domini personam induerit? Suscitauit eius cadauer demortuum hominem, vt extra vitæ lineam extenderet prophetiam: prophetauere ossa vel obscuro sinu sepulta, corpus animæ munus peregit, & de tactu vitam refudit: *Proiecerunt cadauer in sepulchro Elisæi, quod cùm tetigisset ossa Elisæi, reuixit homo.* Hic & ibi in lucem cadauera reuocantur; ex Basilij tamen sententia puerum suscitans Christi personam refert Elisæus, fortassis quia iuuentus ægriùs ad sensum reduci, difficiliúsque sustinet prophetæ actionibus exæquari. Satis est prophetæ cadauer, vt amissam homini resculpserit vitam; Christo opus est, vt adolescens florido sanguine ardens erratam demutarit sententiam. O bene; sed thesi sententiam adaptemus Basilij: vt Christi Domini personam induat, vtque micantiùs scintillet amor, non solùm orationis præsidio mortuum vitæ restituit; sed se ipsum reliquiis iniecit: si tactu manus, aut vocis imperio mortem depulisset, seipsum nullatenus angustasset: corpus pueri cadaueri insternens curuatur, séque quodammodò breuiat, vt pestilenti scelerum lue demortuo lucem refundat: hîc ergo micantior rutilat charitas: quia medetur culpis magnitudinis dispendio, & coangustationis martyrio. Christi personam induit se contrahens, vt alienæ auxiliaretur saluti, ardentiórque resplenduit amor de incuruatione, quàm micaret de magnitudine: nam nobilissima solùm amoris diuini flamma has membrorum contractiones poterat suadere, & prophetam coangustare.

Seleuc.

4. Regum 4. v. 34.

Iuuentus difficillimè ratione conformatur.

Naxera in Iosue Tom. 2.

---

§. XXIII.

Summa infelicitas est nec vitiorum potiri commodis, nec virtutum præmijs.

108. OMnia ista quorum cupidine homines non solùm febricitant, sed insaniunt: pecunia scilicet, corporis voluptates, ciborum sapores, fastigiorum tumor euanida prorsus sunt, & quæ possidentem non placidè satiant; sed ardentiùs irritant. *Multos cernas*, scribit Plutarchus lib. de cupid. diuitiar. *qui malunt vel cum turpitudine diuites esse, quam beati pecunia danda, sed non est profectò argento tristitiæ vacatio venalis, non magnanimitas, constantia, fidentia; animus rebus his contentus.* *Diuitiæ non afferunt diuitiarum contemptum, neque superfluorum possessio desiderium superfluorum aufert.* Verum dixit: malunt plures diuitiis inseruire, quam virtutibus exornari: cæcutiunt profectò, & malum suum ipso ad speciem incrementantes remedio, voluptatum ardent studio: cùm ipsis voluptatibus non sopiantur; sed ardores ampliùs flabellentur. *Omnia ista*, verba sunt Senecæ epist. 67. *in quæ dominium casus exercet, seruilia sunt, pecunia, & corpus, & honores imbecilla, fluida, mortalia, possessiones incerta; illa rursus libera, & inuicta opera virtutis, quæ non ideo magis appetenda sunt, si benigniùs à fortuna tractentur, nec minus, si aliqua rerum iniquitate premuntur.* Virtus inuicta & æterna est; vitium fluidum; sed deliciosum: qui voluptatibus corporis, aut insanis auri desideriis indulsit, errauit; sed errorem suum bracteata illa voluptatis, aut felicitatis crusta solatur: virtutis alumnus sequitur solida, licet iniquiùs ferè semper à fortuna tractata: ille verò summè infelix est, qui nec virtutum præmia, nec vitiorum assecutus est commoda; sed quidquid vtrique acerbum, sustinuit. Vt Israelis legati summum, quod suspicabantur scelus duabus & dimidiæ tribubus actiùs obiiciant, ac seueriùs carpant, delicti Achan memorant iniuriam: *Nonne Achan filius Zare præteriit mandatum*

Plutarch. *Malunt homines esse diuites, quam beati.*

Senec. *Fluidum ac euanidum est quidquid ad corpus spectat.*

datum Domini, & super omnem populum Israel ira eius incubuit? Summam Achan infelicitatem exaggerant, quò vehementiùs ad speciem præuaricatores deterreant. Sed videamus cur Achan ad infelicitatis producatur exemplum, referamus historiam. Vidit coccineum pallium grato oculis nigrore adulantem, & contra Ducis edictum furto raptum tabernaculo abscondit: *Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulámque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli, & abscondi in terra.* Non vsus est coccineo pallio ad vanitatis pompam, & tulit exustulationis sententiam. *Comburetur igni.* Summa profectò miseria, carere voluptatum deliciis, & horrisonis perire incendiis. Si Achan raptis diuitiis potiretur, si coccino splendesceret ornatus, sententiæ rigorem aliquo modò de percepta antea voluptate leniret: puniretur; sed, licèt euanidum, pompaticæ vestis gaudium percepisset; at miserrimus probatur, dum pallio vti non potest ad pompam, & solum concupiscit ad flammam. Ne furtum agnosceretur, abscondit, humóque operuit, & dum sibi timor interdicit vsum, diuina sententia punit seuerè reatum. Si Achan edictis paruisset, non vestiretur coccino; sed nec dicaretur incendio: si sanguineo vestitus incessisset ornatu, ignis vstularetur flamma; sed vestis etiam fulsisset pompa; at sic delinquere, vt floridæ vestis priuetur vsu, & flammas sustineat delicto, exaggeratio miseriæ est. *Postquam duxit Achan ista de vrbe Iericho*, inquit Abulensis quæst. 50. *non ausus fuit illa ponere coram alijs Israelitis, ne cognoscerent illa esse de anathemate Iericho, & lapidarent eum; sed abscondit, vt posteà in alijs locis, quos capturi erant, posset dicere se accepisse de præda.* Interdicebatur tunc vsus; sed arsit nihilominus appetitus: exambiuit, quibus frui nec patiebatur locus, nec tempus, & cùm solùm vitiorum tunc subiret molestiam, sustinere ardentem cogitur flammam. O quot cùm nec senilis ætas, nec corporis imbecillitas, aut diuitiarum inopia obscœnas carnis permittat delicias, prodigiosis cupiditatis exæstuant flammis: nec alius fructus, quàm cupiditatibus distorqueri, & æternis ignibus destinari.

Iosu. 7. v. 21.

Abulens.

109. Nabuchodonosor immanem ambitiosæ insaniæ construit imaginem, cuius indecorum sic cogit ad cultum, vt ebullientium repugnantes flammarum transmittat ad æstum. Dulcisona sonoraque aures demulcebat instrumentorum harmonia, quo facilius cantu delinitos detestabilis fefellisset nequitia: tres pueri impiis refragantur edictis, & animo concepta fiducia conditionales regis minas excutiunt. Quid tunc? Æstibus ligati iniiciuntur; sed allambens flamma iniusta dissoluit vincula; reuerenda tamen non attigit corpora; solùm impietatis ministros horridum deuotauit incendium. *Porrò viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.* O quàm non ignis amisit pabula; sed mutauit! Plus flamma, quam amisit, inuenit: nam dum, ne iustis noceret, aufugit, quos iustè deuoraret ministros prehendi. Profectò ex his omnibus (quod insolitum sanè) infeliciores disperiere ministri: nam qui sacrilego metu adorauerunt statuam, temporales ardentis fornacis vitarunt flammas, & concentus auribus perceperunt harmonias; qui verò à Numine steterunt, ardores despexere fornacis; sed sibi præmia cumulauere virtutis; at ministri, dum rogo innutriendo vacant, dum ardoribus adaugendis student, nec temporalem sceleris immunitatem adepti, nec virtutis gloriam sunt asfecuti, cantu non oblectantur distantes, & æstu consumuntur æstum nutrientes: quidquid in vitio & virtute asperum, infelicissimi sunt experti, vitij sine voluptate culpam, virtutis sine virtute sententiam. Opportunè Zeno Veronensis serm. 5. de trib. puer. *Mira res: opacitas intus, incendium foris est: intus hymnus canitur, foris vlulatus auditur.* Ministri vlulant pœna, & attaminantur culpa: temporalibus statuam adorantes oblectantur deliciis, æternis pueri redimiuntur tempora lauris; ministri verò nec deliciis fruuntur, vtpotè longè distantes, nec virtutibus adornantur, vtpotè vitio inseruientes.

Dan 3. v. 22.

Zeno.

In crucem actus Dominus mirâ prodebatur patientia, quamtumuis denigrare conficta gestiuerit causa. Verùm Scribæ, & Pharisæi sic obcæcabantur, vt sibi de felici euentu plauderent, &, quod dúrius, horrendas in blasphemias erumperent *Prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita; similiter & summi sacerdotes.* Latronum etiam alter dolorum impatientia, & ingenita peruersitatis malita sacrilega lingua furebat, & mitissimum Dominum dicteriis execrandis dehonestabat. Quid tunc? socius, cui lenius ingenium, acriter obiurgat maledicum, & carpit patibulatum, *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es.* O gratiæ energiam! de latrone repentè factus confessor Christi diuinitatem deprædicat, & blasphemi socij nequitiam prodit. Sed videamus quid illi obiiciat: similém, ac iustus, Sustinere crucis infamiam, & similem etiam, ac Scribæ, admittere culpam: *Neque tu times Deum*, vt nec Scribæ iam timēt, nec crucem vitas vt Scribæ: ac si dicat: omniū infelicissimus comprobaris: nam qui delinquunt Scribæ gloriam etsi volaticam sibi captant, & crucis molestias vitant; Christus crucem immeritò sustinet; sed in ipso crucis apice regnum sibi immortale figit; tu verò vtriusque extremi, quò tuam miserabilius cumulaueris calamitatem, duriora iunxisti, virtutis scilicet non coronam; sed crucem; vitij non immunitatem, sed culpam: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es*: iungis furentium blasphemiam, & patientis Christi ignominiam: nil quo acerbum adeò solari posses casum, reliquisti. Scribæ delinquunt; sed reipublicæ plausum, & auctoritatem præripiunt sibi: Christus patitur; sed virtutibus redimitur; tu verò omnium hominum miserrimè à virtute mutuatus es crucis pœnam, à vitio criminis culpam. *Quasi dicat*, inquit D. Thom. *licet homines non timueris; tamen deberes Deum timere maximè in articulo mortis, in quo tu es.* In cruce Deum timere debebas, ne pœnam corporis supplicium exceperit animæ; at quia infelix crucis sustines tormentum, & pateris culpæ supplicium. O quot inopiæ cruce diuexati diuitias sitienter anhelant! O quot effœta senectute prodigiosa libidine sufflammantur! O quot, quibus nullæ vires, ardent vindictam, & cùm vitiorum nequeant frui commodis, culparum exuruntur incendiis! 110.

Marci 15. v. 31.

Luc. 23. v. 40

D. Thom.

Nisi granum frumenti, aiebat Christus, *cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* 111.

Ioan. 12. v. 24.

Profectò

profectò grani plus interesse videtur viuere, licèt aureis non coronetur spicis, quàm auream producere segetem, si subeat mortem, si granum mortuum non fuerit, manebit solum; sed viuum: si fructum attulerit, manebit associatum; sed mortuum: ergo grano conducibilius erit fructibus carere, quam exundare. Profectò hoc non protulit Dominus de quolibet; sed de cadenti grano: ait enim: *Nisi granum frumenti cadens in terram*: si granum non profundis sepeliretur sulcis, fors illi aliquando vtilius viuere, quàm fructibus abundare; verùm cadens, ni moriatur, tacet miserrimum: nam nec fructus habebit solatium, nec casus vitare quit detrimentum: aliud quoduis granum, si fructum non ferat, de propria vita, de quo horrei fastigio lætatur: demortuum vitam æternat in fructu; at cadens, nec moriens, non vitat infelicitatem casus, nec vbertate petitur fructus: vnde Dominus meritò cadenti grano, nec morienti insultat: *Nisi granum frumenti cadens*, &c. vtpotè qui cadentis subeat incommodum, & non cadentis similiter detrimentum, solum manet, vti quod horreis altissimis asseruatum; cadit vt

Chrysost. quæ copiosissimum ferunt fructum: *Quia de morte sua præuidit discipulos contristandos*, inquit Chrysostomus in catena, *superabundantiam facit sermonis dicens*: *Non solum, si non mortem meam patienter sustinueritis, sed etiam nisi vos ipsi moriamini, nullum vobis erit lucrum.* Expende hæc vltima verba: *Nullum vobis erit lucrum*: nam à virtute non obtinebitis fructum, nec à mundo honorem: non à Christo; quia infructuosi: non à mundo, quia discipuli. Mundus vos vt discipulos odio habebit: vos etiam magister vti fructibus nudos pauci æstimabit, aut sanè despiciet: vos ergo, qui iam nomina magistro dedistis, satagite sic mundo emori, vt solum viuatis Christo: aliter enim discipulorum patiemini inuidiam, & vitiorum sententiam.

---

§. XXIV.

Reipublicæ euersio non continget absque miraculo, dum eius partes debito incubuerint officio.

112. NIl adeò ad florentem Reipublicæ statum fulciendum proderit, vt eius partes ritè propria sibi munia exercere: hoc est firmissimum stabilitatis fulcrum, quod nec labefactant aduersi casus, nec acriùs adspirantium ventorum adsultus. Acies ordinata ipsis syderibus similitudinem addet ad gloriam, pariet inordinata ignominiam: *Quæ est ista*, sciscitabantur

Cant.6.v.9. quidam, *quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Nondum stabilis, fixaque firmabatur fortuna de rosea auroræ placiditate de flammanti luciflux pulchritudine Lunæ, de copiosa rutilantium radiorum scaturigine Solis, ni ordinis adderetur concinnitas: *Vt castrorum*, inquit, *acies ordinata*. Acies, ni milites suas deserant stationes, victrix immortali cingitur lauro, & diuiti cumulatur trophæo: ni debitus ordo prius fuerit timida perturbatione confusus, triumphos nunquam tulerit aduersarius. *Vndique stipata*, exponit N. Delrius, Delrius. *nullum hostibus irrumpendi aditum relinquens, & omne id prorsus excludens, quod nitori, atque pulchritudini eius aliquam adferre maculam posset.* Sol suas patitur eclipses, Luna defectus, aurora nebulas, id vnum omne infortunium excludit, aciei scillcet quasque partes suo muneri solerter incumbere, & stationis leges seruare. Rubenitæ aram extruxerant, quam cæteræ tribus religioni suspicabantur aduersam: legatos mittunt, qui rem diligentiùs explorent, cúmque ritè aram omnibus constitisset extructam, Phinees felicitati plaudit reipublicæ: *Nunc scimus, quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis à præuaricatione hac.* Dum reipublicæ partes præuaricationis probantur expertes, Deo proteguntur, & nulli temporum casibus perturbantur: *Nunc scimus, id est, nunc ex verbis vestris cognoscimus*, exponit Abulensis quæst. 16. Abulens. *quod vobiscum sit Dominus, id est, quod Deus mouit vos ad hoc, vel quod sit vobiscum: id est quod diligit vos, & habet sub protectione sua speciali.* Numinis potentia munita cum æternitate certabit de duratione Respublica, si nullus, quæ muneris sui, deserat; sed ritè & fideliter obeat.

Grandi adæquè miraculo putat Irenæus lib. 4. 113. aduers. hæres. cap. 37. statuam illam duris conflatam metallis prorsus euersam, & fornacis flammam, ne pueros vstularit, sopitam. Irenæus. *Aliquando cum his, qui erant circa Ananiam, Azariam, & Misaelem videbatur assistens eis in fornace ignis & in camino, & liberans eos de igne: Et visio, inquit, quarti similis filio Dei: aliquando lapis à monte abscissus sine manibus, & percutiens temporalia regna, & ventilans ea.* Profunda sanè Irenæi meditatio, & quæ acumine scintillet ingenij: pueri anhelantibus flammis traduntur; sed corpora ipsis honorificata sunt pœnis: Dei excipiuntur benignitate non flamma; & vbi exæstuans flammarum horrendum sibilantium timebatur martyrium, ibi leniter flantis roscidæ auræ inuentum est refrigerium: sopitus est non sine ingenti miraculo fornacis æstus, & placidi venti successit flatus: & æquali prodigio statua sternitur, ac exæstuans ignis frænatur? *Lapis*, inquit, *abscissus est de monte,* Dan. 2. v. 34. *sine manibus, & percussit statuam.* Abscissus sine manibus dicitur, vt non humanæ industriæ artibus; sed omnipotentiæ prorsus viribus euersio imaginis adscribatur. Verùm si contra arborem tot ferientium manus sunt aduocatæ, cur nullæ contra statuam fuerint inuentæ? Cur statua simili ac eripiuntur pueri, miraculo sternitur, & arbor sine portento præciditur? Quia in statua debitum ordinem asseruauere metalla; arboris verò partes sic naturæ metas transgressæ, vt cacumen sydera cælo pelleret, & rami omnem terræ latitudinem exambirent. In statua aurum metallorum Princeps splendebat in capite: *Caput ex auro optimo erat*, aurum excipiebat argentum, argentum æs, æs ferrum; ferrum denique terminabatur in luto: vbi ergo partes debitis aptantur locis, & dignis addicuntur officiis, sic statuam fulciunt, vt nulla euertere tentarit industria, solaque demoliri valuerit omnipotentia. *Aliquando visus est liberans de igne, aliquando lapis à monte abscissus sine manibus, & percutiens temporalia regna.* Plures ad arboris excidium concurrunt manus: *Succidite arborem*; sed in statuam manus armatur nulla: *sine manibus*:

quia vbi partes debitum ordinem deseruerunt, in se omnium dexteras prouocarunt; at vbi debitus ordo & locus metallis pro materiæ merito decretus, nisi omnipotentia lapidem iecerit, manus hominis non iactabit. Sine manibus lapis abscissus est contra statuam; manus plurimæ arborem ferrea deiecere securi.

114. Iob copiosis inter orientales diuitiis exundans, cùm omnes felicitate vinceret, nullius sustinebat inuidiam; solus dæmon nequissimis armatur technis, & iusti imperium inuidis euertere molitur insidiis: præter naturæ ordinem ardentes è cælo flammarum globulos eiaculatur, ædificij fundamenta conspirantibus simul ventis concussa dissoluit, vt germanorum vnio resolutis domus compagibus tumuletur: denique prædonum in greges exacuit manus: Iob 1. v. 14. *Boues arabant*, deplorat nuntius, *& asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi*. Gregor. Gregorius ex Græco legit: *Asinæ fœtæ pascebantur.* Profectò humanæ rerum vicissitudini verti posset, si aliis in circumstantiis accideret casus; modò verò robustiorem manum ipse declarauit euentus: nam si animo perpendas, omnia debitum inuenies ordinem asseruasse, propriisque vsibus inseruisse: asinæ fœtæ pullos lactant: boues terram aratro proscindunt: primogenitus & fratrum Princeps fratribus reliquis alimenta præbet, reliqui fratres concordes, & vinculo amoris vniti maioris domum frequentant, & excellentiori obsequuntur: *Cùm quadam die*, inquit, *filij & filiæ eius comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti.* Quid huic addendum politiæ? Quid detrahendum est œconomiæ? Nunc ergo Iobi rempublicam euerti non erat vario adscribendum fortunæ ingenio; sed vltra naturæ vires audenti dæmonio. Ni Dei nutu furiæ gehennales sæuirent, adeò optimè statutam rempublicam casus quantumuis luctuosi, minimè euertisse valerent: nunc euersa est, vt Numinis clariùs agnoscatur potentia, & dæmonis prodatur malitia, quandoquidem Deus sic vnita, congruentique ordine disposita valuit euertere, & dæmon aggressus est demoliri: *Non datur*, aiebat Gregor. Gregorius lib. 2. moral. cap. 8. *Boues à Sabæis ablati sunt; sed qui ablati sunt boues, arabant, vt videlicet memorato fructu operis, causa crescat doloris: vnde & apud Græcos non solùm asinæ; sed & asinæ fœtæ raptæ referuntur.* Vt dolorem acriùs exulceraret: tunc omnia abstulit, cùm debitis deseruirent vsibus, & aduersis videbantur remota casibus. Solùm conspirantes annuente Numine gehennales furiæ eam euertere moliretur rempublicam, cuius partes debitis studebant officiis, & propriis vacauerant ministeriis.

115. Fortassis hanc thronus ille sapientissimi regis veritatem suffulcit. Salomon sapientiæ elogium, potentiæ miraculum thronum artis elaborauit industria, qui duratione spreuerit tempora: 3. Reg. 10. v. 18. *Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis: qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte posteriori; & duæ manus hinc, atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas; & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde.* O quot manibus opus est ad fulciendum thronum! Profectò, vt aiebat Seneca, ad tuendam fortunam alia fortuna opus est. Thronum ex ebore fabricauit, vt stabilem diuturnitatem dilucidiùs ostenderet; sed qui gradibus leunculi, & iuxta manus leones residebant, vel ebori firmitatem præstabant: leunculi sunt parui, leones sunt magni: dum ergo excellentiores fastigia occupant dignitatis, humilioresque pro conditione sua aptis gradibus disponuntur, nullis perturbanda casibus solia firmantur. Si leones inferioribus gradibus starent, & leunculi throni apice refulgerent, quantumuis de ebore elaboratum citissimè nutaret solium; at dum superiori loco leones, inferiorique leunculi disponuntur, regni fulcra æternitati dicantur. Leonibus contra aduersos thronus munitur occursus, dum pro meritorum conditione erogatur gradus. *Thronus* Raban. *Salomonis Ecclesia esse intelligitur, in qua pacificus noster regnans*, aiebat Rabanus apud Glossam, *iudicia sua facere dignoscitur.* Salomonis verè sapientis, & pacifici iudicia esse comprobantur, quæ ordinatè disponuntur. Ænigma Ecclesiæ, in quam nec portæ inferi præualebunt, nec quid fortunæ vices tentabunt, est thronus, in quo inferiores occupant inferiora, & excellentiores sublimia: *Thronus Salomonis Ecclesia esse intelligitur.*

Iam si aliter, facillimè euerti regna reperies: 116. vel fœminea manu feriuntur, vel puerili labefactantur. Producamus Abimelechi regis historiam; imò tyrannidis feralis exempla. Rhamnus imperat, & sub vmbra sua protegit Syluestres plantas: *Requiescite sub vmbra mea.* Iudic. 9. v. 15. Syluæ arbores ad vmbræ commoda, & propinquitatis inuitantur fastigia. *Ligna syluæ*, ait Isidor. Isidorus in iudices cap. 6. *intelligimus homines esse vanos, & vagos æterno incendio præparatos.* Hìc ipse arbuscularum inutilium patronus eam in Libani cedros indignationem pectore fouit, vt ardentes eiaculatus flammas adurere prorsus tentarit: *Egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.* Et quid cedris nisi flamma, dum desertorum myricis vmbra? Is illius regni status, nec dissimilis finis: *Ecce*, inquit, *vna mulier fragmen molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.* Opus non fuit copiosis armatorum agminibus, vt Abimelechus, eiusque imperium periret; sed fœminea manu percussus interiit. Vbi inutiles indignósque prosequebatur fauor, & cedros vrebat furor, opus non erat armis: quia elatis regnum in seipsum armabatur indignis. *Abimelechus*, inquit Basil. Basilius hom. 22. quæ est de humil. *per mulieris manum, & lapidis ictum periyt.* Satis fuit mulieris manus ad euertendum imperium, in quo cedri flammis voracibus exuruntur, & arbusculæ placida fauoris benignitate adumbrantur.

---

§. XXV.

Etsi defunctorum animas viuósque fideles magnum diuidat loci interuallum, pietatis non est interdictum commercium.

Fides Catholica edocet cœlorum regnum 117. nullum nisi omni labe detersa ingredi, emaculatúmque gaudiis nunquam interrumpendis potiri: cúmque per humanam fragilitatem aut lethalis

lethalis criminis etiam confessione expiati maneat non semel reatus, aut læuium culparum næuus, opus fuit locum animis purgandis dicari, vbi quousque prorsus emaculati pœnarum lixiuio albissimis stolis inducerentur ad nuptias, sustinerent ardentissimas flammas:

Iob 28. v. 1. *Auro,* aiebat Iobus, *locus est in quo conflatur.* quasi dicat: Vt solares radij mira efficacia terram in aurum conuertunt, quod sordescit in vena, dum artifex non expoliat industria, & ignis decoquat flamma; ita mortalis homo diuinæ gratiæ luce illustratus, virtutibus auri adinstar resplendet excultus; verùm quia de terrea vena aliquas contraxit maculas, opus est depurgatrices patiatur pœnas, donec omnimodò decoctis fæcibus niteat decorus, & interrumpendis nunquam dicetur purissimis voluptatibus fortunatus.

Cassiod. Opportunè Cassiodorus 9. var. 3. *Minuta queque grauiora discernentibus aquis à genitrice terra separant, ac fictilibus recōdita vasta fornace decoquunt, donec soluantur vtiliter in liquorem: viuos quoque de flamma venientes tanto igne depurgant, quousque pulchritudinem sui prodant, quam terrena viscera, ne cuperetur, absconderant: vincitur natura, cum eam meliorat industria, pulchrior est, dum arserit.* Melioratur aurum de flammis, & quas contraxerat de origine, maculas deponit, dum patitur; ad fulgorem aptatur, dum coquitur: non aliter anima terrea mole concreta contrahit, quæ rationabilis decoquat flamma, & pia possit abradere industria: distant à nobis, quæ procellosum sæculi mare enauigarunt felices, & iam solidum litus tenuerut periculi exortes; verùm etsi regionum distent spatio, vicinæ sunt pietatis, & affectionis commercio: de fontibus Saluatoris promicat vena, qua possit purgatorij sopiri, aut extingui flamma. Ecce Hebræorum tribus Iordane adiacente distant diuisæ, & interuallis non modicis separatæ. Rubenitæ altare construunt operosæ magnitudinis, & sumptuosissimæ molis: *Cum venissent ad tumulos Iordanis in terram Chanaan, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.* Hoc altare, etsi à diuisis tribubus constet exstructum, omnibus profuturum refertur, & contra pœnas à Numine infligendas auxilium dicitur: *Liberastis filios Israel de manu Domini,* hoc est de infligendis pœnis. Itaque altare illud, dum ritè extruitur, & extructoribus proderat, & fratribus etiam separatis vtile erat. Adest Augustinus lib. 10. de ciuit. Dei cap. 9.

August. *Neque piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi: alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi.* Distant animæ longissimis interuallis; verùm adhuc piis nobiscum agunt commerciis, quatenus nostris orationibus, religiosisque suffragiis, hostiisque liberantur à pœnis, & nos etiam firmissimis suarum precum muniunt contra pericula auxiliis.

118. Moyses à populo separatus occubuit: illo iam defuncto Deus Iosue monet, vt contra aduersarios inìngat:

Ios. 1. v. 2. *Moyses seruus meus mortuus est: surge, & transi Iordanem istum tu & omnis populus tecum.* Certè Moysis mortem commemorari potuit videri superfluum; imò deiiciendis animis, eneruandisque vigoribus opportunum: nam quid non trepidet populus duce optimo destitutus, & propugnatore acerrimo orbatus. Ergo mortem taceat, nec populus fluuium transmittere timeat; imò ne timeat, non tacuit: Moysem serui titulo honorat, & dum honorat, quantumuis subtractus denegetur aspectui, adesse testatur auxilio: adhuc viuit Moyses vt faueat, etsi corpore careat denudatus, vt viuat. Innuit aliquomodo Origenes homil. 2. in Iosue: *Refertur quia duo Moyses videbantur, vnus viuus in spiritu, alius mortuus in corpore.* Origen. Mortuus refertur; sed quamuis corporeis oculis denegatus, adhuc permanet ad auxilium populi viuus: viuus apparet in spiritu, ne putarint temporali vita prorsus finitum esse commercium, etsi viuos defunctosque magnum separet interuallum.

Mortuus est Lazarus iuuentutis flore, cùm venustiorem ætas valida explicaret pompam, 119. & diuturniorem promitteret viam: adeò caducis innitimur, adeò fucatis creamur: vinctus erat: *prodijt namque, qui fuerat mortuus ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata.* Ioan. 11. v. 43. Sorores pias lachrymas fundunt, Dominum deprecantur, variisque obsequiis obstrictum pulsant affectu, & ad commiserationem lachrymarum mouent singultu. Quid tunc? Deus vincula iubet dissolui, & animam ab inferis reuocari: *Soluite eum, & sinite abire.* Profectò sororum lachrymæ, dum vincula à Domino impetrarunt disrumpi, ostenderunt posse defunctos fidelium precibus adiuuari: pedes habebat Lazarus, vt ad Dominum inuolaret; oculos, vt videret; sed nequibat ligatura constrictus, & sudario retardatur; ast dum ob sororum lachrymas vinculum soluitur, & velamen oculorum aufertur, iam Lazarus Christum liberis luminibus adspicit, & vestigiis expeditis excurrit: *Quia ipse sororum fletibus mouebatur,* Zeno. scribit Veronensis Zeno sermone de Lazaro, *lachrymis Filij sui Saluatoris nostri inter ipsos cælos Pater flectebatur.* Viuebat Lazarus; sed adhuc tecta facie, manibus, pedibúsque constrictus ad vocantem Dominum properare nequibat: ad documenta virtutum ipse, qui fuerat mortuus manibus & pedibus erat vinctus: vt verò Christus solui iussit, manus sacerdotalis vinculis liberauit. Impediebant vincula; non tamen id generis erant, quæ resolui, & relaxari non possent: ergo dum sorores preces & lachrymas fundunt, Christus ad commiserationem mouetur, & ad eius imperium reseratur sepulchrum, aufertur impedimentum: distabat à sororibus Lazarus; poterat tamen precibus subueniri, & ad felicissimam Dei visionem disruptis repagulis reuocari.

Audiuit Ioannes animas reserato quinto sigillo subtus altare clamare, quibus iussum est 110. tantillum quiescerent, donec fratrum numerus impleretur: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, & clamabant voce magna, &c. Et data sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum.* Apoc. 6. v. 9. Multa profectò in hoc loco veniunt examinanda, cur scilicet interfectorum animæ altare circumdent, cur ibi & clamor sopitus, & splendidus ornatus concessus: cur adhuc fraternitatis retineant vocabulum, qui omnis exuisse cognationis videntur vinculum: ani-

cauete, vt diligatis Dominum Deum vestrum.
12. Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare.
13. iam nunc scitote quòd Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram; sed sint vobis in foueam ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat, atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.
14. En ego hodie ingredior viam vniuersæ terræ, & toto animo cognoscetis quòd de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, vnum non præterierit in cassum.
15. Sicut ergo impleuit opere, quod promisit, & prospera cuncta venerunt; sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat, atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.
16. eo quòd præterieritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum, & seruieritis diis alienis, & adoraueritis eos: citò atque velociter consurget in vos furor Domini, & auferemini ab hac terra optima, quam tradidit vobis.

§. I.

Commentarius litteræ.

Vers. 1. Euoluto autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israeli, subiectis in gyro nationibus vniuersis, & Iosue iam longæuo, & persenilis ætatis.

1. PRINCEPS non segniùs reipublicæ conseruationi, quam erectioni debet studere: & quidem strenua fortitudo egregiaque animi virtus non minus in retinendo, stabiliendóque rerum felici statu, quàm in promouendo relucet. Vnde Ennodius ad Theodericum. *Salue, inquit, reipublicæ status*: vt enim contra impellentes ventos immotas anchora fundat naues, ita contra varios fortunæ casus prouidentissimus dux dexteritate felicitatem firmat, fulcitque, ne nutet parum firma, dum nimium excrescit aucta. Ergo cùm iam aliquot præterissent anni, ex quo fracti vires aduersarij metu conquiescebant, populúsque intereà bellorum pertæsus vmbratilem, & otio accommodam vitam, potiùs quàm hæreditatem ampliare, amplecti videretur, Iosue, cui senilis ætas, diuinumque numen abstinere bello consuluerant, veritus ne dum ignauo otio indulgent, in multa labantur vitia: ne etiam dum otiosi cum allophylis amicitias contrahunt, ad falsam illorum religionem cultúsque profanos prolectarentur, cœtum omnem citauit ad Silo, vbi etsi non apertè, ad militarem vitam adhortatur, Chananæósque satis frequentes eliminandos monet: dixi non apertè: veritus namque est sapientissimus dux, ne eius oratio dura nimis ad quietem propensis videretur. *Ego senui*, inquit, *& progressioris ætatis sum*. Honestam affert excusationem cur bellis abstineat; & cur etiam ætatis suffragio adiutus concionem illam veluti è vita citissimè decessurus habeat. Paraphrasis Chaldaica sic vertit: *Vocauit Iosue omnem Israel, senes eius, & Principes eius, & iudices eius, & exactores eius: & dixit eis: Ego senex intraui in dies.* Septuaginta sic vertunt. *Et vocauit Iosue omnes filios Israel, & Senatum eorum, & Principes eorum, & iudices eorum, & magistros eorum, & dixit ad eos: Ego senui, & progressioris ætatis sum diebus.* Ostendunt Patriarchæ illi sanctissimi, quo erga suos amores flagrarent, dum summo studio iam morti vicini legum obseruantiam, cæremoniarúmque cultum veluti amplissimam hæreditatem testamento delegarunt. Ita Moyses, ita Iacob, Dauid, aliique primates: Iosue ergo, cui non minor cæteris pietas, nata opportunitate suos ad probitatis, religionísque officia cohortatur. Hanc exhortationem apud Siluntem, vt dicebamus, aut quidem in ciuitate Iosue factam fuisse putat R. Dauid Kimhi, & R. Dauid F. Gersonis, adstipulatúrque Masius: sequentis verò capitis concionem apud Sichem esse factam indubiè traditur. Concio hæc celeberrima fuit, vtpotè ad quam cœtus omnis, Principésque vocati, cùm aliis in concionibus hi omnes nullatenus solerent coire. Seniores intelliguntur Senatus ipse, quem Iudæi veteres Græco vocabulo appellabant συνέδριον, & nos Sanedrim vocamus. Ad hos viros magni ponderis negotia deferebantur, erátque Senatus iste apud suos primæ auctoritatis. Principes ac duces, hoc est singularum tribuum tribuni, primatésque, qui alias populi capita vocabantur: per magistros ac iudices non solùm eos intelligit Masius, qui lites dirimerent; sed qui præcipuum in populum magistratum gererent, & tanquam lex viua reliquos continerent officio, dum religioso præirent exemplo. Per iudices apparitores etiam & ministri intelligi possunt: omnes namque hi ad tribunalis pompam spectant; verùm de his inferioris notæ ministris nullatenus putarim viuas esse leges, alterósque coërcere; imò vti legum tineas legem corrumpere, vti æruginésque peruertere. Exordio illo *Ego senui*, beneuolos attentiorésque reddit: insito namque naturæ instinctu omnes reuerentur senes, libentérque auscultant, præsertim magnis in rebus expertos, facinorúmque gloria claros: existimantur namque optimas proferre viuendi regulas, salubriaque monita, quæ longior vita fecit scire, & vicina iam mors proferre. *Viris rerum testes*, (scribebat Plutarchus lib. de tractanda republica) *rugæ elucent, assistentémque senis fidem & grauitatis auctoritatem conciliant; est enim iuuentutis parere, senectæ imperare. At maximè stat ciuitas, vbi consilia senum, & iuuenum vigent hasta.* Lacædomonij Reges natu grandes veluti consiliarios sibi associarunt: statuit id etiam Lycurgus, Romanique à senibus vocarunt Senatum:

Ennodius. *Princeps est status reipublicæ.*

R. Kimhi. R. Dauid. Masius.

Paraphr. Chaldaic.

Septuag.

Plutarch. *Rugæ senile. fidem, & auctoritatem conciliant.*

Senes consilijs, iuuenes polleant armis.

Tales assideant & Achiui bis mihi quinque.
Nam in senum consiliis sæpesæpiùs & relucet cana prudentia, & viget intemerata iustitia. Refert etiam Iosue Dei beneficiorum catenam, quæ honestè Hebræos ligauerit, ac nobiliter vinxerit: ingenuos namque adstringit ferrum, quam acceptum ligauerit beneficium. Inculcat sæpè verba illa: *Dominus Deus vester*, vt doceat nullatenus ferre riualem, adeò vt nec barbarorum deorum nomina sciri aut proferri sustineat. Interdicit illos amicitia, familiaritatéque allophylorum, ne paulatim voluptuosis illiciis, prauisque exemplis ad impietatem prolabantur; imò firmiter, animitúsque Deo suo adhæreant, semel & iterum monet, & hucusque fecisse allaudat. *Quod fecistis*, inquit, *vsque in diem hanc*: crescit enim laudata virtus, & immensum gloria calcar habet, teste Ouidio: quia tamen homines nonnunquam plus vtilitate, quàm honestate mouentur, summa commoda ex necessitudine, qua se Deo obligarint, profert emanatura, scilicet coronandos fore victoriis, augendos diuitiis, cumulandósque inimicorum manubiis. Nec solùm commoda veluti indice monstrat; sed prædicit, si deuiauerint, detrimenta, scilicet perituros, ac de dominis transituros in seruos. Nec potuit casus ob oculos acerbior poni, quàm nouum exilium, totque commodorum proscriptio, à fertilissimaque & iucunda hæreditate exulatio. Vnde Horatius epist. 21,

Ouidius. *Crescit virtus dignis laudibus celebrata.*

Horatius.

Quis circum pagos, & circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
Cui sit conditio dulcis sine puluere palma?

Extremæ quidem ignauiæ vertendum docet, si palmas sine puluere contempserint, nutritasque tot sæculis spes inertia oppressi frustrarint: *En ingredior viam vniuersæ terræ, & toto animo cognoscetis*, &c. Profectò magnatum sepulchra optima oculorum collyria. Morte ergo mea, inquit Iosue, quæ iamiam instat, eruditi, cognoscetis Deum etsi suis benignissimum, refractariis & peruicacibus adæque terribilem. Ne ergo iras eius incidatis, mandatis adhærete, quæ & vegetam prorogabunt vitam, & maximè adaugebunt fortunam.

---

§. II.

Omnes gestiunt Principibus denuntiare iucunda, ferè nullus salutaria.

2. Peruersissimum ferè omnium, sed fortunatorum præcipuè ingenium est exambire dulcia, & fastidire proficua: amant, quę cupediis adulantur; respuunt animitus si quæ suis cupiditatibus aduersentur. Hinc ferè omnes grata studēt adulatione placere, & detractāt ingrata veritate corrigere: alati inuolant, vt denuntiēt quidquid voluptuosas possit enutrire delicias; detrectāt verò referre, quæ noxias possunt restinxisse cupedias. Ni veritas per se ipsam oculis ingeratur, tardè ad magnates defertur; cùm tamen quidquid cupiditatis exambire potest delirium, ocyssimis volatibus deferatur. *Cùm bellum Græciæ indiceres Xerxes*, aiebat Seneca lib. 6. de benef. cap. 31. *animum tumentem, oblitumque, quàm caducis confideres, nemo non impulit: alius aiebat non laturos nuntios belli, & ad primam aduentus famam terga versuros: alius nihil esse dubij, quin illa mole non vinci solùm Græcia; sed obrui posset.* Adulandi certamen erat, & quantumuis, vt probauit euentus, imminerent pericula, omnes referebant solùm quæ grata. O quàm inopiā veracis semper laborauere fastigia! Quò quis dignitate præstantior, hac te probabitur indigentior, homine scilicet, qui verum dicat, quique hominem consuetudine pro rectis blanda audiendi inter mendacia stupentem à falsitatibus vindicet, & quæ salubria, denuntiet. Vident ferè omnes se assentatione placere, monitisque vtilissimis potentiores exacerbare; ideò denuntiare refugiunt alteri vtilia, & referunt sibi commoda. Hinc laudandus Iosue, qui cùm ad populi primates concionem haberet, latenter otium corripuit, & quæ supplicia legis præuaricatoribus imminerent, clarè nunciauit: *Vocauit Iosue omnem Israelem maioresque natu, & Principes, ac duces, & magistros, dixitque ad eos*, &c. *Hoc tantùm diligentissimè præcauete, vt diligatis Dominum Deum vestrum. Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare; iam nunc scitote quòd Dominus Deus vester nō eas deleat ante faciem vestram; sed sint vobis in foueam ac laqueū.*

Seneca.

Mirum non esset, si hæc minaretur solùm plebeiis; mirum verò fuit, ingenuoque animo dignum eodem modo denunciasse fortunatis. O quàm sunt rari, qui eodem modo veritatem admonuerint plebeios, ac dignitatum fastigiis altos! Quàm sunt rari, qui referant altis vtilia, nec referre gestiuerint grata! Innuit aliquomodo Theodoretus q. 18. *Decessurus vitâ propheta, vt conuocauit vniuersos, admonuit illos eorum, quæ debuit.* Non grata; sed debita admonuit; cùm tamen sæpè premantur silentio vtilia, solúmque nuncientur placentia. Theodor.

Componamus, si placet, Ionæ ad Niniue aduentum cum Abrahami peregrinatione ad Ægyptum: fame compulsus Ægyptum intrat Abrahamus ibi peregrinaturus: erat Sara ad miraculum pulchra, quam cùm Ægyptiorum Principes curiosè adspexissent, inuolarunt celeriter, vt Principi denunciarent: *Viderunt Ægyptij mulierem quòd esset pulchra nimis, & nunciauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum*, In ingenti adeò hominum copia mulier peregrina laudibus celebratur, & ad Pharaonem per Principes fama defertur. Transi modò cogitatione ad Ionam, qui, cùm Niniuem ingressus terribilibus minis Niniuitas percelluisset, sic ad peccatorum luctum, planctumque commouit, vt iam continuis aures referirentur gemitibus, & vtilissimis exundaret ciuitas planctibus: tunc huius veritatis notitia ad regem peruenit; non tamen nuntij auctor proditur, sed fama peruagata refertur. *Peruenit verbum ad Regem Niniue*, & cur imminens ciuitati periculum regi principes non retulerint, cùm alij principes Saræ pulchritudinem denuntiarint? Conducibilius profectò erat de graui adeò appetenti discrimine regem monere, si aliquomodò valeret frustrare: imò vtilissimum erat mulieris venustatem silentio tegere, nec cupiditatis irritasse insaniam, & libidinis fouere dementiam; & tamen Principum quisque se auctorem denuntiationis gloriatur, cùm nullus vtilis adeò admonitionis se delatorem glorietur. 3.

Gen. 12. v. 14

Ionæ 3. v. 6.

&

Et quæ discriminis causa est? Ipsa indicauit materia: dum mulieris exaggeratur pulchritudo, dum oris cõmendatur venustas, cupiditati enuntiantur grata; dum ciuitatis periculum, dura: adeóque desuescunt homines magnatibus referre vtilia, si ingrata, gestiuntque adeò vel noxia dicere, si iucunda, vt ad Niniuitatum Principem discriminis notitia sine auctore peruenerit, ad Ægypti verò Regem quisque, vt notitiam ingesserit, inuolarit: *Viderunt eam semel & iterum*, scribit Lippomanus, *curiosè scilicet; vt aulicorum ac carnalium Principum studia discas, qui tantopere pulchram laudauerunt Regi ceu dignam regio matrimonio, per omnia regum moribus sese attemperantibus illis, qui in domibus regum sunt.* Adstipulatur Chrysostomus: *Ecce quomodo lenonis egère officium in regis gratiam.* Suspicati sunt Ægyptiorum magnates regis se gratiam posse promereri, si vilissimo lenonum munere non erubescerent fungi; nec recusarunt nuntiare, quæ nouerant regi placere; at Niniuitæ, quia duris nuntiis verentur exasperare, quia indignationem timent mouere, imminens toti regno improbè tacent periculum, nec communem ciuitatis referunt planctum. O vtinam hæc non adeò solita, nec ab aulicis studiosè adeò obseruata; verùm cupiditatis vernulæ, adulatorésque, quidquid voluptates enutrire poterit, referent, quidquid ad salutem vtile, adfectatione ignorabunt.

Lippoman.

Chrysost.

Cùm Saul ieiunium vsque ad vesperam militibus indixisset, Ionathásque filius palàm præceptum violasset, regem sic latuit casus, vt sortibus rem indagare fuerit necessum: *Captus est Ionathas.* Haud temerè suspicari possumus nonnullos Ionatham fauum comedisse nullatenus ignorasse: nam miles adspexit, & licèt serò, memoriam paterni edicti refricuit: nullus tamen, etsi impediri animaduerterit triumphum, rupit silentium, cùm Ziphæi latitantem Dauidem curiosè notarint, regíque prodiderint. *Morabatur David in deserto, in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph in monte opaco.* Opacitas exulem densitate tegebat, solitudo notitiam vetabat; & tamen Ziphæi celeres inuolarunt, ac Dauidem prodiderunt: *Ascenderunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne David latitat apud nos in locis tutissimis syluæ?* Si profundissimis terræ spelæis latitantem curiosis oculis notant, regíque denuntiant Ziphæi, cur miles ille, qui apertè præceptum infringi vidit, ora silentio signauit? aut si miles tacuit, cur Ziphæus retulit? Quia nouerant Ziphæi his artibus regis se gratiam inire posse; miles verò iram timebat incurrere: ergo miles non modico populi discrimine silentium coluit, Ziphæus Dauidẽ latitare nuntiauit: *Cùm nullum periculum*, scribit Iosephus lib. 5. antiq. cap. 14. *ex silentio immineret, per adulationem, & auaritiam virum pium, & præter ius ad mortem quæsitum regi se tradituros erant polliciti.* Ex militis silentio, dum impunita culpa, aliquod emergebat damnum, ex Ziphæorum taciturnitate nullum periculum; & tamen Ziphæi rem deferunt Sauli gratam adulationis studio, miles occlusit ora silentio: est namque vsitatissimum Principibus solùm denuntiare, quæ grata, celare dura. Certè filium crimine fuisse denigratum non poterat patri non esse molestum, vt captiosas tendenti insidias, quo aduersarius latitaret loco agnouisse iucundum. Principi ergo ocyssimis volatibus denuntiantur Dauidis latibula, & temerata à filio celantur præcepta.

1. Reg. 14. v. 41.

1. Reg. 23. v. 14.

Ioseph.

Huius veritatis ipsum producamus Dauidem testem: nam cùm iustitiæ oculus illum ab hostibus vindicasset, de medióque Saulem inuidum sustulisset, non defuit Amalecites, qui omnem casus acerbi seriem studiosè explicaret: *In die tertia apparuit homo veniens de castris Saul veste conscissa, & puluere conspersus caput.* Posteà cùm Absalon illata sorori iniuria offensus fratrem occidisset, fama ad Dauid sine auctore quidem peruenit: *Fama peruenit ad Dauid, dicens: Percussit Absalon filios Regis.* Nuntio perculsus Dauid corruit super terram, túncque Ionadab rem sibi anteà non occultam relatione testatus est: *Ne æstimet Dominus meus rex quòd omnes pueri filij regis occisi sint: Ammon solus mortuus est: quoniam in ore Absalon erat positus ex die, qua oppressit Thamar sororem eius.* Non defuit Amalecites, qui è castris curreret, vt Saulis interitum Dauidi nuntiaret: nec fuit, qui Ammon mortem denuntiaturus veniret; imò Ionadab, qui Regem certiorem poterat effecisse, ora silentio signauit. Ecqua huius discriminis causa est? Amalecitam putasse Saulis interitus nuntium fore Dauidi gratissimum, & sibi pretiosis strenis commodum, mortis verò Ammon durissimum omnes agnouisse nuntium, regíque ingratum: ergo quæ acerba, alatæ famæ vocibus committuntur; quæ grata, ab Amalecita studiosè nuntiantur. O quàm funestus forsitan vitaretur casus, si Ionadab denuntiasset opportunè, quod imminebat periculum! Id verò est quodammodò, si dici liceat, Principibus fatum, vt omnes detrectent, quantumuis proficua, nuntiare dura, & gestiant referre grata. Adest Lyra: *Dicunt hic Hebræi, quod Doeg videns Saul mortuum tradidit ista insignia regalia filio suo, vt portaret ad Dauid, ac per hoc inueniret gratiam apud eum.* Dum Amalecites cupit placere, & festinè inuolat denuntiare: erat Saul acerrimus Dauidis hostis, fraudulentus inimicus, cuius interitus nuntium non poterat ad speciem non esse gratum: erat Absalon regis filius, cuius dolus patri futurus erat acerbus: ergo Ionadab tacuit acerba, & retulit Amalecites iucunda. Si Ionadab anteà excogitatæ vindictæ regi communicasset notitiam, doloris impediret maturè causam; noluit tamẽ patris animum exulcerare, quantumuis discrimen agnouisset vrgere: Ammon mortis nuntius non refertur, Saulis interitus Amalecites nũntius legatur: plures namque, vt referant, quæ grata, venantur, cùm omnium ora, ne vtilia dixerint, silentio iniquo obsignentur. O quàm verè aiebat Seneca citato libro cap. 30. *Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa; dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadétque; sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandissimè fallat.* O nimis verum, nec sine periculo Principum vsitatum!

5.

2. Regum 1 v. 2.

2. Reg. 13. v. 30.

Lyra.

Seneca.

* * *

§. III.

§. III.

Superba indiget monitore felicitas: quia non semel insanire consuluit vanitas.

6. ADuersa fortes, prospera fortuna homines ostendit cordatos: nescio an maiori prudentia egeat ingruens calamitatis procella, aut felicitatis aura: faciliùs quis per confusa aduersæ sortis volumina prudentiæ gubernaculo rationis aurigat puppim, quàm per lacteas, serenásque tranquillissimæ prosperitatis vndas dirigere valeat nauim: nec enim semel inter stupentes vortices, inter acriores ventorum flatus aliquis portus offenditur cæca fortuna, & inopinata felicitate; at lætioris prosperitatis malicia, dum nauigia iucundiùs detinet, absorbenda non semel naufragio tradit: admonitore, consiliatoréque indiget, quisquis magnitudinis fastigium inscendit: nam de pallido auri nitore rationis hebetantur oculi, & de vana seruorum pompa homo à se deficiscit, & vltra metas vanitatis superbit. *Hominem se esse*, aiebat Tertullianus in apolog. cap. 33. *etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur: suggeritur enim ei à tergo: Respice post te, hominem memento te. Et vtique hoc magis gaudet, tanta se gloria coruscare, vt illi admonitio conditionis suæ sit necessaria.* Non solùm magnatibus conditionis admonitio est opportuna; sed necessaria: assumunt namque cereas Icari alas, & quia stultius volare contendunt, miserabiliùs sæpissimè ruunt. *Putauit sibi noceri*, aiebat Seneca lib. 1. de ira cap. 16. de Cæsare, *ne à Ioue quidem posse, aut se nocere etiam Ioui posse*. Sic Cæsar potentiæ vanitate turgebat, vt conditionis suæ metas transgressus, se ipso Ioue potentiorem sit arbitratus: inter adulatorum greges, inter blandissimè fallere decertantes fortunati semper versantur, dumque se tam magnos, quam audiunt, credunt, à ratione; imò contra rationem desipiunt. Hinc meus Iosue, cum iam populum multis adumbratilem vitam commoditatibus, hostilibusque trophæis abundare conspiceret, semel & iterum, & superbiter, admonuit: *Postquam pacem dederat Dominus Israeli subiectis in gyro nationibus vniuersis... Vocauit Iosue omnem Israelem, maioresque natu & Principes, ac duces, & magistros, dixitque ad eos, &c. Estote solliciti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi.* Timuit prudentissimus Imperator, ne tranquilla pace fruentes, ac deliciis omnibus exundantes suæ conditionis turgerent obliti, ad insaniásque excurrerent limites rationis transgressi: nam prosperitas, dum mille corpus voluptatibus recreat, mentem caliginibus tetris obscurat: *Optimus Imperator Iosua*, scribit Masius, *quem iamdudum ætas affecta bello faciendo abstinebat, verens, ne, quod postea euenit, ille tum ex ignauia otio in multa alia vitia, tum ex amica barbarorum consuetudine ad suscipiendam horum fœdam religionem & cultus laberetur, conuocatum, vt credibile est, Siluntem memorabili ista oratione hortatur.* Semel & iterum adhortationibus instruit: quia lætam, quia iam fruebantur, verebatur fortunam, vtporè fœcundissimam superbiæ venam, & amentiæ non semel causam: nullo enim adeò carent, cùm nullo sic potentes indigeant, quàm exhortatore, monitoréque: cuius defectu dignitatum culmina rationis euasere sæpè dispendia.

Tertull. Seneca. Masius.

7. Nabuchod. ille plantam videt proceram, quæ florum venustate alliciebat oculos, quæ fructuum copia vel cupiditatis vincebat ausus; postea cum pallore & pædore feræ adinstar fœno victitans desertorum deerrabat anfractibus: hic sine monitore oculos ad cælum leuauit, ibi vel admonitore desipuit: Daniel consilium præbet, vt appetentem frustretur securim, de ipsísque minis procudat sibi securitatem: *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime.* Nec solùm Daniel præbet documentum; sed vigil elatis vocibus præmonuit excidium: *Succidite arborem.* Et cur in aduersa fortuna nec Angelus voce monet, nec Daniel ad virtutem consilio adurget, cùm vterque florente planta & præbuerit consilium, & decoris prænuntiarit dispendium? Obuia equidem ratio: dum squalentibus herbis viuit, dum fœnum comedit, ipsa ad virtutem calamitate eruditur; at dum viridantibus foliis nitet, dum floribus gratissimis vernat, dum fructibus copiosis exundat, non solum obbrutescit; sed, si dici liceat, lignescit: non solum ab homine transiuit in brutum; sed à rationali degenerauit in lignum: vigil admonuit, Daniel consuluit; nec tamen, dum pompa effloruit, non turgere superbissimus valuit. Huc voco, quod aiebat Tertullianus loco citato. *Maior est, qui reuocatur, ne se Deum existimet.* Prosperitatis fascino, fortunæ præstigiis se iam vel supra ipsos ab antiquitate fictos deos existimabat eminere, & omnia longè numina superare. Adest Theodoretus orat. 4. *Somnias te Deum esse; imo vero etiam superiorem Deo.* Cùm bruti adinstar campis deerrat, vt rationi restitueretur, non fuit admonitore opus, nec satis fuit vnus & alter monitor, ne obbrutesceret, dum micabat opulentus: calamitate dedicit infirmam sibi inesse naturam, prosperitate vltimam affectauit superbiam. Adde potentes, etsi miraculis tantisper comprimantur, non adeò rationi restitui, vt nouerint prorsus tumiditate carere. Testatur hoc ipse Nabuchod. qui cùm ingenti illo puerorum prodigio perculsus menti vtilissimo stupore veritatem nosceret redditus, Hebræorum Deum clara voce confessus est; sed in ipsa confessione vanitatis errorem immiscuit, & alia numina quodammodò inseruit: *Benedictus Deus eorum*, Sidrach videlicet, Misac, & Abdenago, *qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum, & verbum regis immutauerunt, & tradiderunt corpora sua, ne seruirent, & ne adorarent omnem Deum excepto Deo suo.* Tradiderunt, debuisset dicere corpora sua, ne adorarent figmentum, statuam videlicet illam à se confictam, artificiosáque industria elaboratam; & tamen Deum vocat statuam; imò omnem Deum: nec enim vel stupendo illo miraculo superbiæ prorsus deprimi valuit tumor; sed adhuc insaniæ fumabat ardor: sic mentem fascinat lætior fortuna, sic inflat prosperitatis superbior aura. Adde eadem ferè arma requiri, vt fortunatus sapiat, ac vt infernus compeditis amissis gemat.

Dan. 4. v. 24. Tertull. Theodor. Dan. 3. v. 95.

8. Ionas propheta ille, qui Dòmini portauit imaginem, non priùs oculis Niniuitas illustrat, quàm Dominicæ passionis vmbram post natalē sepul

sepulchrum gerat: à Domino delegatur, vt Niniuitas horrēdis percellat minis, vtque excessus culparum corrigat; ille verò imperium molitur extrahere, donec bellua circumferatur inclusus, & feliciter prædicat naufragus: post triduum littori expositus clamat adeò exertis vocibus, vt ad regem veritatis verbum peruenerit, quod vti
Ionæ 3.v.5. non vulgare textus animaduertit: *Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem, & peruenit verbum vsque ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.* Verbum peruenisse ad regem non videbatur notatu dignum, quando omnes ingenti plangebant luctu; & tamen Scriptura veluti quid insolitum refert, & ad sæcula consignatum literis mittit; imò arcana reluctantia Ionas regem monere noluit, quousque passi Domini, inferosque detriumphantis imaginem induit. Nouerat namque opus esse cælesti admonitore, vt superbissimus rex se Deum stultè non crederet, & alium potentiorem existimaret. Sic potentia fallaciarum catenis, adulationum fascinis tenebat obstrictum, vt solui vel cælesti admonitione fuerit
Zeno. miraculum. *Mira res*, aiebat Zeno serm. de Iona, *post naufragium, post natatile sepulchrum incolumis tertio post die Niniuitas illustrat terribilibus oculis salutem ciuitati credulæ præstiturus.* Ea Niniue ciuitas febriebat tumoris insania, eà rex turgebat vanitatis amentia, vt cælesti fuerit magistro opus; imò res fuerit mira vel Dominicam gerentem imaginem rationi superbientes restituisse, & potentiæ agitatos calcaribus refrænasse.

9. Mirabilis Ezechieli visio obiicitur, quadriga scilicet illa, cuius alata animalia non currus pondere grauabantur oppressa; sed iugo fulgebant nobilitata: alis instruebantur, quas venusta colorum commendabat varietas, & mirabilis volatus pernicitas; verùm dum altius inuolant, terribili voce alas submittere compelluntur, & firmis
Ezec.1.v.25. gressibus hærere monentur: *Cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant, & submittebant alas suas.* Certè solitum est animalia calcaribus agitare, voce ciere, vt viam celeriori volatu carpant; & tamen hic, dum alas erigunt, vox insonat, quæ tardare volatum admonitione compellat: cur ergo & ala refertur eleuans, & vox terribiliter insonans? O dignam Numine politiam! admonitorem adhibuit, ne ipsa ala miserabili casu præcipitaret: sæpè namque dum pulchrior fortunæ penna hominem eleuat, miserandis casibus tradit: quod si monentem non habeat, dum turgidè superbit, & citissimè ruit: ergo vox intonet salutaris, quæ submittere tantisper alas admoneat, & securitatem figat: dum alas submittunt, stant: auditur vox, alas submittunt: opus namque illis erat admonitionis fræno, ne miserabili peri-
Gregor. rent excidio. *Inuenimus*, scribebat Gregorius hom. 8. in Ezechiel. *quemdam intellectualem spiritum per creatoris potentiam viuentem, corpus, quod sustinet, viuificantem, sed tamen obliuioni subditum, mutabilitati subiectum, quem sæpè timor afficit, lætitia extollit, Ipse itaque intellectus animæ vox eius est.* Aptiùs post pauca: *Cum vox super firmamentum fit, stant animalia & submittunt alas suas: quia sanctorum mentes, cùm Creatoris sui potentiam intenta contemplatione considerant, vilescunt eorum animo virtutes, quas habent, & tantò fiunt apud se humiles, quantò eis illud elatum est, quod super Angelos sonat.* Ne alis turgerent, altioremque induisse iam naturam putarent, vox resonat, quæ notitiam ingerit, & omnem de volatu præsumptionis superbiam remouet: dum gloriæ animalia comprobantur, cælesti voce admonentur: indigent namque, quos fortunatioribus sors extulit alis, opportunis admonitionis cohiberi frænis: extollit namque animum lætitia, & sensim irrepit ad interiora superbia: ergo admonitio & ala iungantur, ne quæ causa fuerat volandi, sit occasio corruendi.

---

§. IV.

Gloriosior virtutis triumphus, quem nequit hostis turbare, nec illatis victori damnis aliquod solatium habere.

Gloriosus triumphus, quem pleni aduersa- 10.
riorum commendant gemitus, quem nullus calamitatis næuus obscurat; sed perfecta laus semper exornat: si inflictum victori vulnus deuicti solatium est, & dum subiectus ingemit, de fortuna, de inflicta vel subiectus exultat plaga: si aduersariorum adsultibus maneat subiecta; nondum plena resplendet victoriæ gloria: ille solùm semper decantandus est triumphus, quem obscurare non potest foeditas, iam aduersariorum conatus: nam, etsi Sol eodem iubare fulgeat in sereno ac nebuloso, nobis tamen lux pulchrior apparet, si iubar nulla nebula obscuret, si caligo nulla deuenustet; sed deuictis prorsus obstaculis plenè resplendeat. Nondum integra refulget victoriâ, quem hostilis adhuc premere potest catena: nec se penitus deuictum dolet, qui iterum animos decertandi resumit. Iure Seneca epistol. 35. appellauit bea- Senec.
tos: *Quibus potentia non est in peius commutandi statum, nec interpellandi quidem optimum.* O felicem impotentiam, quæ augustioris felicitatis commendat gratiam! Quem multæ adornauere virtutes, nondum perfecta resplenduit pompa, si aliqua vitiorum obstiterit vmbra: *Cuicumque deest aliquid ad bonum*, aiebat ibi Seneca, *malus est*, Itaque si nihil licuerit vitio, nil deerit virtutis lauro; at si virtutis hostis aliquod intulerit detrimentum, iam & victoriæ obscurat tantisper gaudium. Iosue, vt populi felicitatem exaggeret, omnes per gyrum subactos asserit inimicos, quin nudum aliquod latus melioris fortunæ illis relinquat solatium, quandoquidem victoria Hebræos illustrabat per gyrum: *Pacem dederat Dominus Israeli subiectis in gyro nationibus vniuersis.* Ni vniuersæ per gyrum gemerent subiectæ nationes, nondum consummatæ pacis deprædicarentur laudes: esset namque pax imperfecta, si ex aliquo illam latere aduersariorum perturbarent insidiæ. Non mediocre esset aduersariis solatium, si nudum præsidio aliquod latus admittere posset bellum; at dum vndique iniecta hostibus crepat catena, cumulatior resplendeat victoriæ pompa. Opportunè Abulensis quæst. 2. *Dicitur Deus de-* Abulens.
disse pacem, quando cessauit terra à bellis, & fecit Deus quod diuideretur terra: fuit autem ista pax inducta dupliciter: vno modo per cessationem Iudæorum à bellis contra Chananæos: alio modo per

cessa

cessationem Chananaeorum ab impugnatione Iudaeorum. Dum fracti viribus Chananæi non audent noua mouere certamina, perfectæ victoriæ pacisque referuntur elogia: nam si hostibus aliquod ab spe remansisset subsidium, cumulatiùs pacis non resonaret præconium.

11. Moyses Dei populum mira patrans Ægyptia catena exoluit; verùm cùm ventum esset ad mare, libertatis placiditatem interturbat hostis, & populus exiguam libertatis lætitiam ingenti clamore persoluit: *Tulisti nos, vt moreremur in solitudine: quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto?* Vides hanc populi libertatem Moysi adscribi; vide Deo exinceps referri: Ægyptij aquarum voluminibus sepeliuntur, & populus per maris profunda puluerulentus incedit, iámque Dominus victoriæ artifex faustis iteratisque acclamationibus prædicatur: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est.* Et cur modò gloriosiùs magnificatus? Quia quam ex Ægypto vsque ad mare populus consecutus est libertatem, perturbationibus, nouísque discriminibus mansit exposita; ast quam per confusos maris vortices viator obtinuit, nec anxietati subiecta, nec timori vnquam remansit exposita; imò cunctis naufragio traditis inimicis plenissimi gaudij causa emergebat Hebræis. Hæc ergo victoria digna quæ adscribatur Numini; illa non immeritò adscripta Moysi: Moyses dicatur populum tulisse de Ægypto, & Dominus de profundo: alter namque non extinxit aduersariorum ferociam, etsi repressserit petenti dextera audaciam; alter verò non solùm repressit audaciam; sed penitus deleuit potentiam. Quem ergo iterum Ægyptij interturbare valuerunt, adscribitur Moysi triumphus: *Tulisti nos*; ast dum nullus iam perturbationis est timor, diuinæ fortitudini redditur plausus. Plena non videtur victoria, ad quam obscurandam hostilis iterum insurgere potest audacia; diuina verò triumphi resplendet pompa, cùm nulla iam aduersariis ad perturbationem est via. Innuit Zeno Veronensis serm. 5. de Exod. *Hunc Deus præcipit proficisci, duce Moyse videlicet & Aaron, iter demonstrante nubis columna per diem; eadem ignis quoque per noctem.* Addit post pauca: *Mira res: iter eius barbaris vehementer vrgentibus nec eques potest sequi, nec nauis: Maria cum mulieribus tympanum quatit, hymnus canitur, Dei populus liberatur, resolutisque vndis via cum persecutore deletur.* Victoria plauditur, cùm via deletur: nam dum inimicus poterat in aduersarios insurgere, nondum triumphus plena nouerat luce radiare: sic Moyses populum traxit, vt iterum vinci timeret, sic illum liberauit Deus, vt omni metu depulso faustis acclamationibus exultaret. Adde non modice obscurari victoriam, si quid licuit hosti in salutem, aut si vel leuem intulerit plagam.

Exod. 14. v. 2.

Zeno.

12. Componamus Centurionem cum Iacobo luctante: Iacob strenuè luctatus est; non tamen adeò indemniter, vt plagam non tulerit: *Tetigit*, inquit textus, *neruum femoris eius, & statim emarcuit.* In hoc vulnere aliquod adumbrari vitium testatur Isidorus in quæst. in Gen. cap. 27. *Erat vnus & idem Iacob & benedictus & claudus: benedictus in his, qui in Christum ex eodem populo crediderunt, atque in infidelibus claudus.* Itaque certamen illud gloriosa coronabatur victoria; inflicta tamen denigrabatur aliquomodo plaga; at Centurio sic omni virtute resplenduit, vt nil obscurum admiserit; sed sub se quidquid vitiosum habuerit. Equidem ipse ait: *Homo sum sub potestate constitutus: habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit; & alio, veni, & venit:* quàm virtutis excellentiam sic Christus Dominus allaudauit, vt Iacobo etiam victori prætulerit: *Non inueni tantam fidem in Israel:* Iacob vicit; non tamen Centurioni est æquandus: nam Iacob in illa etiam victoriæ pompa aliquam admisit plagam; at Centurio sic à plaga immunis, vt omnem prorsus sub dominio presserit vitiositatem: hæc ergo præ illa victoria laudibus resplendet ornata. Ita Nyssenus hom. 10. in Cantica: *Vocem Centurionis prætulit fidei Israelis: non enim mihi videtur conferre Centurionem cum populo Israelitico in ratione fidei; sed cum ipso Israele, qui in lucta cum aduersario cum Dei auxilio vix euasit, ne caderet: nec abijt penitus illæsus ab aduersario: læsus enim fuit in femore; hic autem Centurio regia potestate pro imperio amandat id, quod est alienum, asciscit autem, & ad suam admittit familiaritatem id, quod est sibi gratum.* Iacob adeptus est benedictionem; sed cum benedictione admisit & plagam: *Erat enim claudus, & benedictus*; at Centurio quidquid virtuti aduersum, imperio subiecit & amandauit: *Dico huic, vade, & vadit.* Redeat iterum Nyssenus: *Nulla est societas luci cum tenebris, ait Apostolus; sed necesse est omnino, vt, si tenebræ recesserint, sit lux, quæ pro eis cernitur, &, si vitium fuerit amādatum, pro eo virtus introducatur: & si hoc rite factum fuerit, prudentia carnis non amplius resistat spiritui: nec enim potest morte affecta eius resistendi potestate; sed ad omne, quod par est ministerium sit apta & parata, vt quæ pareat, & subijciatur dominatui spiritus: quando enim expulsus quidem fuerit miles vitij socius, eius autem loco ingressus fuerit miles virtutis,* &c. Iacob contentus fuit coniungere benedictionem cum plaga; centurio verò omne prorsus vitium exterminauit, & virtutem omnem asciuit: huius ergo gloriam commendat Dominus, vtpotè in qua nihil fuit, quod aduersarij calamitatem leuaret, aut gloriam detriumphantis deprimeret.

Genes. 32. v. 25.

Isidor.

Math. 8.

Nyssen.

13. Hoc fortè nos edocebat propheta, animam suo corpori superinieciſse testatus: *Effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi.* Ambrosius profundè meditatur inter animam & corpus antiquam illam luctam: concupiscit namque spiritus aduersus carnem, & caro aduersus spiritum, in qua lucta adeò se Psaltes strenuè gessit, vt quidquid carnis, spiritui subiecerit, animæque pede quidquid terrenum vti deuictum calcarit. Audi Ambrosium ad hunc locum: *Sanctus sese colligit ab his, quæ foris sunt, & supra se effundit animam suam, vt anima supra corpus effusa infirmitatem carnis abscondat, tegat corpus ad pœnitentiam, & virtus vbique animæ, mentisque prætendat.* Etsi Dauid iustitia se, vti diploide vestiret, si pes aliqua nuditate sorderet, non posset plenam spiritus cecinisse victoriam; vbi verò difficili illo luctamine sic spiritus carnem, si dici potest, absorbuit, vt prorsus tecta ac subiugata maneret, integram triumphi laudem est assecutus: nec enim passioni licuit aliquod habere solatium, dum anima supra corpus effusa sic insanis omnibus appetitionibus dominata est, sic omnibus membris imperauit,

Psal. 41. v. 5.

Ambros.

imperauit, vt nihil non subactum animum quiret ferire; imò nec valuerit arma mouere. Parum esset modestiam de vagis oculorum triumphasse aspectibus, si lingua obmurmurationis denigraret pruritibus: solaretur namque diabolus de linguacitatis culpa, quam modestiæ concessisset victoriam: nec perfectus resplenderet triumphus: quia aduersarij non irritus fuit conatus.

14. Cùm Dauid multiplices obtinuerit victorias, illam solùm ad sumptuosiorem sui pompam sibi arrogasse videtur gratia, quam de illa adeptus est Philisthina bellua: desertorum abditis patris agebat puerulus gregem, eratque supra ætatem solertia, & ad repellendos ferarum adsultus decens audacia. Non semel leo aut vrsus innata voracitate impulsus, aut acribus famis stimulis agitatus arietem rapuit; verùm & vita soluit; nam adolescens mira fortitudine obarmatus sic validè inter lacertos constringebat feram, vt prædam dimitteret, dum ora ad animam efflandam laxaret. Audi ipsum non vana iactantem; sed vt animos Sauli inderet, occulta promentem: *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum.* Has victorias illustrior victoria excepit: nam cùm gigas ille in Deum proiectissimas iaceret contumelias, in campum zelus prosiluit, & antequam infame contribules iugum opprimeret, ab illorum ceruice repulit: *Præualuit aduersus Philisthæum in funda & lapide.* Basilius Seleucensis gratiam hic suas ostentasse vires testatur orat. 15. *Cum nullus è toto exercitu probaretur satis, essétque in periculo Saul, tunc militem suum producit in medium gratia.* Sed videamus cur hæc victoria à gratia præ aliis ostentetur: Indicat sane ipse textus: vicit alia certamina Dauid, eruit a ferarum dentibus prædam; sed fortè laceram, iamque ipsis dentibus vulneratam, & proprio sanguine aspersam: licet ergo florida coronaretur triumphator lauro, obscurabatur tamen aliquali detrimento; at dum gigantem vicit, sic se strenuè gessit, vt nulla accepta plaga plena resplenduerit victoria: hìc ergo præ aliis certaminibus suas vires ostendit gratia: quia illam nulla obscurauerit infelicitatis vmbra. *Militem suum in aciem producit gratia.* Addit Basilius orat. 16. *Cùm in acie contra Goliat constitisset, & victoriæ gratia erat: gratiam verò fides vocauerat. Metu regem liberauit; priusquam seruitij iugum contribules experirentur, repulit.* Gloriari potuisset inimicus, ni Dauid, antequam experirentur contribules iugum, repulisset, Hebræum fuisse aliquando subactum; at dum nullum hosti remansit solatium, integrum puerulus est adeptus trophæum: prostratus olim leo Dauidis fortitudinem commendabat; sed lacerata ouis aliqualem hostis triumphum aspectibus ingerebat: de gigante ergo victoria lætabunda exultat gratia: quia illam nulla obscurauerat contumelia.

1. Reg. 17. v. 34.

Basil.

* * *

§. V.

Inglorium est Principi sceleratis fauere, turpissimum iniquè facta præmiari.

QVidquid claritate conspicuum, tenebris probatur aduersum: rerum stabilis ordo mutaretur inuersus, si solaris lux obscuris iniret fœdus cum vmbris, aut caliginosis faueret tenebris: de lucis exortu nocturni vincuntur horrores, & quæ orbis faciem absente Sole defœdauerant tenebræ, tartareis delitescunt antris oriente luce. Ingloriè candor degeneraret, si amicitiam cum caligine iniret, aut si nocturnis vmbris faueret: vnde qui clara origine exorti, quique ad dignitatis fastigia euecti gloriæ suæ grandem incusserę notam, si cum peruersis, nebulonibúsque contraxerint amicitiam. Laus est Principis aliquando falli: quia gestit semper largiri; verùm non modicum verteretur in probrum, si aut iniquè facta constet præmiari, aut Reipublicæ pestibus fauere. *De primo proueciu,* aiebat Cassiodorus 8. var. 22. *potest esse cunctatio, dum multi fallunt Principis animum, quando facilè est illudere, cui semper votum est præstitisse.* Verùm, etsi semel falli non sit generositatis nota, dignum prouexisse regalia semper sæculo commendat iudicia. Audi Cassiodorum: *Hos intrare in nostram curiam decet, qui ad primos honores non expendunt meritum suum; sed cùm magna susceperint, iterum maiora promerentur: ornant quoque tales & nostra: quoniam benè priùs electus creditur, qui sæpiùs approbatur.* Probis moribus fragrans in Principis amicitiam ascitus decorus est maiestatis ornatus; at fauere iniquis, & associari peruersis obscura claritatis est nebula, & turpissima fastigij nota. Iosue morti proximus Principes populi, tribuumque Toparchas admonet, ne laudi suæ offundant tenebras, si cum impiis periculosas contraxerint amicitias: *Vocauit Iosue omnem Israelem, maioresque natu, & Principes, ac duces, & magistros, dixitque ad eos, &c. Si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare, iam nunc scitote, quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram; sed sint vobis in foueam, ac laqueum, & offendiculum.* Opportunè Abulensis quæst. 4. *scilicet dando eis securitatem de non delendo eos, & communicando illis tanquam amicis.* Vbi incolumitas scelestis promittitur, vbi amicitia contrahitur, ibi & dignitatis claritas obtenebrescit, & ingens periculum imminet: nam vt fauere iustis stabile est munimentum; ita auxiliari improbis certum probatur esse naufragium.

15

Cassiod.

Benè eligitur, qui sæpiùs approbatur.

David mansuetudinis norma, forma benignitatis, cum plurimas persecutoribus remisisset iniurias, adeo in Banaa, & Rechab iracundus excanduit, vt non solùm capite puniuerit; sed mille pœnis excruciatos suspenderit: *Præcepit itaque Dauid pueris suis, & interfecerunt eos, præcidentésque manus, & pedes eorum suspenderunt eos super piscinam in Hebron.* Inquiramus, si lubet, huius causam seueri supplicij: refert textus, scilicet Isboseth super lectulum dormientem latenter capite detruncasse, & vti gratum Dauidi obsequium attulisse: *Sublato*

16

2. Reg. 4. v. 12.

E E e

to capite eius abierunt per viam deserti tota no-ctle,& attulerunt caput Isboseth ad Dauid in Hebron, dixeruntque ad Regem: Ecce caput Isboseth filij Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam. Profectò delictum inaurare poterat votum, quandoquidem mortem perpetrarunt in Dauidis obsequium, arbitrati gratum se exhibere seruitutis officium: ergo donec intentioni pœnam infligendam crimini; imò, inquit Iosephus lib. 7. cap. 2. plus regem exasperauit intentio, quàm ipsa criminis perpetratio, quandoquidem eo Dauidem ingenio præditum sunt arbitrati, vt impiè factis largiretur præmia, & cum improbis amicitiæ iniret consortia: quod summa illi erat iniuria, vtpotè obscurissima regiminis nota. Audi Iosephum: *Fortè alium me* (Ioseph.) *iam factum credebatis, vt mutatis moribus delectarer viris maleficis,& Domini cædem tamquam beneficium oblatum complecterer, idque occiso à vobis in suo lecto viro iusto, qui neminem vnquam læsit; vos verò maxima etiam beneuolentia, summisque honoribus prosecutus est. Quapropter eadem opera & illi pœnas violatæ fidei dabitis, & mihi iniquæ de me opinationis, quem putastis de tali Iebosthi cæde libenter auditurum: nec enim alio modo grauiùs existimationem meam lædere potuistis.* Dum rati sunt Principem sceleribus oblectandum, flagitiisque præmia dilargiturum, maxima affecere iniuria, & dedecorosa aspersērunt notâ: nihil enim adeò Principi inglorium, vt flagitia remunerare, aut amicitiam cum sceleratis sancire. Imò ne ab hoc textu discedamus: non solùm iniquis fauere est Principibus dedecorosum; sed discriminibus etiam plenum.

17. Isboseth dormiens occiditur, & capite à latronum Principibus detruncatur, cuius si profundè scruteris causam, à textu indicatam reperies: *Duo viri Principes latronum erant filio Saul, nomen vni Banaa, & nomen alteri Rechab.* Dum improbos euehit ad dignitatis fastigia, in se illorum exacuit arma, pro amicis vtitur sceleratis,& à dolosis detruncatur amicis, vt indignæ amicitiæ lueret pœnam, qui magnitudini non erubuit inferre notam. *Erant filio Saul*, inquit (Lyra,) Lyra, *id est de domo eius, & ab eo instituti super turmas.* Adstipulatur etiam, vt vidimus, Iosephus (Ioseph.) Dauidis nomine illos carpens: *Vos maxima etiam beneuolentia, summisque honoribus prosecutus est.* Dum exercentes latrocinia imprudenter honorat, ruinam sibi citissimam parat. Et certè capite tulit pœnam, qui cùm esset caput, cum scelestis contraxerat amicitiam.

18. Ioathan, vt regnum Abimelech fore infaustissimum prænuntiaret, hoc eleganti ænigmate veluti coloribus miris imminentem calamitatem expressit: (Iud.9.v.10. & 15.) *Ierunt ligna, vt vngerent super se regem, dixeruntque oliuæ: Impera nobis, quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam? &c. Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni & impera super nos.* Ad oliuam non omnia ligna; sed ligna confluxisse narrantur; ad inaugurandum rhamnum non tantùm aliqua ligna; sed omnia conuenisse refertur: nam vt plurimum maior numerus studet delictis, quàm studuerit præceptis. Verùm cur Ioathan, vt rhamno prænuntiaret exitium, à lignis syluæ electum profert ad thronum? Quia in lignis syluæ vagi pessimique homines adumbrantur: dum ergo hos vmbra protegit, dum libani cedros exurit, regno suo maturat imprudenter exitium, & de præstito fauore sibi elaborat dispendium: *Cùm repudiata fuissent ligna syluæ*, (Isidor.) scribit Isidorus quæst. in Iudic. cap. 6. *ab oliua,& ficu, & vite, venerunt ad rhamnum, vt eum sibi facerent regem; sed priùs videamus, cur oliua, ficus,& vitis super ligna regnare noluerunt: ligna quippe syluæ intelligimus homines esse vanos & vagos.* Addit in capitis fine: *Exiet ignis de rhamno,& omnes, qui in eo confident, cum ipso pariter deuorabit.* Propera, voraxque rhamno minabatur flamma, dum improbos eius protegebat vmbra: oliua noluit splendorem clarissimum infuscare de iniquorum auxilio, & amicitiæ consortio; at rhamnus dum improbis præbet tutelam, internam suscitat flammam.

Cùm Christus Dominus ligno inter latrones penderet: hanc enim fraudem excogitauit versutia, vt confunderet innocentiam, vtque coloraret inuidiam: latronum alter, dum regis titulum crucis apice eminere intuetur, à clauis exolutionem precatur: *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum & nos.* Hanc humilem ad speciem petitionem, vti detestandam Euangelista sugillauit blasphemiam: *Vnus de his, qui pendebant latronibus blasphemabat eum dicens,* &c. Verùm quæ blasphemia detestabilis est à rege libertatem deposcere, illúmque pro liberatione à pœnis exorare? Certè blasphemauerant Pharisæi, qui impotentiam impudentissimis vocibus post tot virtutis experimenta contestabantur. *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere*; at latro fatetur potentiam, dum à malis vtrumque liberari desiderat: ergo non audiat blasphemus, qui blasphemis ad speciem inuenitur contrarius: imò præ aliis comprobatur blasphemus, qui de audacissima præsumptione Christo regi insultabat iniurius: precabatur, vt faueret iniquo, vt libertatem largiretur indigno: hoc ergo maxima erat regalis potestatis iniuria, & condemnanda blasphemia: nullo enim alio grauiùs Christi opinionem potuit lædere, quàm dum ausus est auxilium sibi exorare. Innuit Chrysostomus apud Hugonem Cardinalem: *Vnus, de his, qui pendebant, &c. Si quis Solem tenebrosum æstimet, numquid stellæ illi detraxit, vel sibi ipsi? Itaque qui malos bonos æstimant, vel è conuerso, se ipsos confundunt.* Adstipulatur Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 13. *Ad finem iniquus obstinatus ad salutem manibus quidem affixus erat; sed lingua blasphema verberabat.* Verberat, dum deposcit auxilium: quia iniquis fauere magnum est regalis potentiæ dehonestamentum. Adde tunc præcipuè regna ad occasum vergere, cùm iusti debitis præmiis nudantur,& iniqui indignis fauoribus efferuntur. 19. (Luc.23.v.39.) (Hugo.) (Cyrill.)

Dauid Reipublicæ salus oculis notabatur, implacabilique adeò odio æstuabat Saul, vt nec nomen labiis proferret, aut memoriam recordari permitteret; verùm cùm Dauid exterminabatur afflictus, Doeg inter primos regis ministros tumescebat honoratus: *Non est, qui vicem meam doleat*, queritur Saul, *ex vobis, nec qui annuntiet mihi, eo quod suscitauerit filius meus seruum meum aduersum me insidiantem mihi vsque hodie. Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat,& erat primus inter seruos Saul. Vidi, inquit, filium Isai in Nobe.&c.* Vides Dauidem vti proditorem ad mortem quæri, audisque Doeg mendacem primum inter seruos honorari: quid ergo mirum, si Saulis regnum celerrimè tenderet 20. (1. Reg.22. v.8.)

ret ad occasum, quando in locum benemeriti sufficiebatur dolosus, & qui de scelere debebat lugere punitus, fulgebat de adulationibus honoratus: *Saulis regnum*, aiebat Basilius Seleuciensis orat. 14. *vergebat ad occasum.* Et Abulens. quæst. 17. *Fortè Doeg per adulationes peruenerat in magnum fauorem regis.* Ad occasum vergit imperium, cùm iniquus adulator fulget, & dignus dolet.

Seleuc. Abulens.

---

§. VI.

Non ardeat ad noxias appetitiones insania, si deest ad explendas insanas appetitiones potentia.

21. QVicumque prorsus non insanit passionibus obcæcatus, viribus appetitiones metitur, ne sibi incrementet tormenta, si æstuantia adimplere non possit vota. *Miles*, aiebat Seneca epist. 18. *in media pace decurrit sine vllo hoste: vallum iacit, & superuacuo labore lassatur, vt sufficere necessario possit.* Prudens miles vires expetitur, séque ante certamina tentat, ne miserè certaminibus ruat. Et quidem Dauid, si vltra vires armorum incomportabili in campum proditet grauatus sarcina, hostilis caderet præda. Certe in virtutibus prudentia, & in vitiis comprobatur astutia temerè non audere; sed vires industria deliberatione taxare: qui ventrem farcit, & ventris officium desuescere cogit, non vitam; sed multiplices morbos alit, dum caloris vires extinguit: crudam indigeriem ructat ingurgitatus, & intemperantiæ dat pœnas nimio vini potator calore adustus. Plures sic insaniunt, vt se non computent; sed dementi furore ad vitia pro pluribus valere putent: imprudentia est tentare, quod virium defectu tentatum possis nunquam operibus adimplere. Et quidem ab ipsa malitia mutuari licet exemplum. Nationes Hebræos circumdantes referuntur adeò subiectæ, vt renuntiasse dixeris armis, séque sanguinolentis subtraxisse omnimodo præliis. *Pacem dederat Dominus Israeli subiectis in gyro nationibus vniuersis.* Abulensis rogat, cur nationes contra infestissimos sibi hostes semper non pugnauerint, aut internum, quo quidem æstuabant, odij furorem ostenderint? Respondétque vires suas prudenter expendisse, & se inferiores expertos, tentare bella fuisse nullatenus ausos: suam namque aliter calamitatem incrementassent de imprudenti temeritatis audacia, dum miserabili conciderentur ruinâ. Audi Abulensem quæst. 2. *Fuit totalis pax, non quidem per concordiam tanquam inter amicos, sed per timorem pugnandi: nam Chananæi libentissimè pugnassent, etiam vi æternum, si quomodolibet sererent se profecturos contra Israel; sed arbitrantes oppositum siluerunt a bellis.* Ardebat immortalis contra Hebræos odij pectoribus flamma; noluerunt tamen vti prudentes atrocia tentare bella: quia expendentes vires timuerunt frustrari effectu; imò miserabili perire casu. O vtinam improbos aliquando Chananæos imitaremur, sileremúsque à contra virtutem bellis, vel cùm noscimus viribus destitui corporeis! verùm ea est furens vindictæ ac libidinis insania, vt conetur rumpere, quos limites statuit potentia.

Senec. *Miles se antè exercet, vt certamine detriumphet.*

Abulens. *Timor aliquando pacis & tranquillitatis origo.*

Populus necessariæ Moysis absentiæ impatiens deos sibi producere quærit: *Fac nobis deos, qui nos præcedant*: vrgetur Aaron plus interna ambitione, quàm externa furentium rabie: petit iocalia, igni committit, & vitulum auro conflatum omnibus adorandum proponit: *Fecit ex eis vitulum conflatilem.* Ecce aptum peccatorum exemplar: construendi vituli materia ab omnibus colligitur, & cùm omnium aurum vix vnico conflando vitulo satis fuerit, non vnicum; sed deos plurimos exambiebant: non inquiunt, fac nobis Deum; sed, *fac nobis deos*: si vota cum viribus conferas, vires longissimè vinci videas: vnico tantùm & quidem fusili, non solido conflando vitulo illis est aurum; & cùm solùm conflare potuerint vnicum, ardent plurimos deos sibi confingi; imò infinitos optarent construi. Hanc populi amentiam prodit Tertullianus aduersus Gnosticos, cap. 3. *Aberat apud Deum in monte Moyses, cum populus tam necessariæ absentiæ impatiens deos sibi producere quærit, quos potiùs ipse perdiderit; vrgetur Aaron, iubet inaures feminarum suarum in ignem conferri: sapiens ignis effigiem vituli defundit illis.* Sapiens ignis sordidissimam sugillauit amentiam, dum ex materia numerum taxat: defundit vitulum, quia vnico tantùm opportunum acceperat aurum; at populus, vel inanimis stolidior, cùm vnico tantum vitulo valeat præbere materiam, ad plures concupiscendos cæcam protraxit insaniam. Minùs certè errassent, si vota cum auri viribus contulissent; eo tamen insano dementatur furore, vt animo discupiant plures, cum opere solùm valeant effingere singulorum. 22. Exod. 32. v. 1. Tertull.

23. Hanc peccandi libidinem diabolicam prorsus esse tentator Christum adortus ostendit: antequam propriam imbecillitatem experiretur, cum Deo affectauit æqualitatem: *Similis ero Altissimo*; verùm ipso vanitatis pondere, quod quidem non vanum; sed grauissimum est, ad infernum ruit: *Ad infernum detraheris in profundum laci.* Hic ergo dispares longè adeò vires expertus iterum aggreditur, & certamen famelico offert: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Chrysologus serm. 11. peiùs impudentem, quàm anteà, accessisse tradit: *Accedit peius impudens quam recessit.* Et quæ huius tentationis præ alterius fuit impudentia? Iam explicat Chrysologus. *Miser malus vis esse; sed non potes.* Expertus erat vires suas Deum nullatenus posse lædere: diabolica ergo erat amentia iterum bella tentare, non potest deiicere Deitate munitum, & tamen Deitate & ieiunio aggreditur obarmatum: gehennalem prodidit furorem, & solo dæmone dignam rabiem. Imò, vt noueris nec gehennales vernulas insano hoc peccandi furore ad speciem agitari, purpurati helluonis historiam recole. Isai. 14 v. 14. Math. 4. Chrysolog.

24. Stupendas diuitis & pauperis vices proponit Euangelista, dum alterum à purpura descendisse docet ad flammam, alterum ab ærumnis ascendisse refert ad gloriam: accepit diues euanidas ac fallaces delicias, & cùm fuerint temporalissimæ gaudio, æternæ fuere tormento: eleuans oculos suos pœnitentia ductus immaturam precatur misericordiam, cùm nunquam retractandam vstulationis accepisset sententiam: clamabat diues; sed iam non auri censu, sed criminis opulentus reatu: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum* Luc. 16 v. 24.

digiti sui in aquam, vt infringeret linguam meam: quia crucior in hac flamma. Abrahamus adhuc pius irremeabile chaos ostendit. *In his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint.* Hoc responso accepto aliò transfert animum, & ad fratres mitti postulat pietatem mentito affectu. *Rogo te pater, vt mittas eum in domum patris mei.* Abraham prophetas habere obiecit; sed diues iterum institit: *Non pater Abraham*, &c. Expendamus, cur pro se semel & bis pro fratribus postularit: denegat Abrahamus aquam, denegat Lazari mundo præsentiam; & tamen diues, qui aqua sibi denegata conticuit, denegata pręsentia iterum succlamauit. & quę discriminis causa est? An quia plures sibi minus, quàm cognatis attendant. An quia iustos præ gehennalibus flammis improborum mores adurgeant? Bene; sed arcanior est ratio: dum Lazari depostulatur aduentus ad fratres, non negatur vt impossibilis; at ad infernum tractus asseritur prorsus irremeabilis: ergo inferni vernula, dum se intra potentiæ limites versari nouit, semel & iterum institit; & dum supra potentiam ad infernum nouit descensum, ora silentio signauit: quia nec damnati huius sic ad speciem furit malitia, vt

Chrysolog. vltra potentiam audeat. *Ostendit*, inquit Chrysologus serm. 123. *post mortem & semel apud inferos gehennalis custodia deputatos ad sanctorum requiem non posse transferri.* Desiderabat diues inuidia præ flamma adustus Lazarum ad suos aduocare cruciatus: audiuit fieri non posse, & destitit ab studio, ne grauiori adurgeretur tormento: *sub specie pietatis*, addit Chrysologus, *ad pristina vulnera, ad præteritos gemitus Lazarum vult redire, quem prima petitione ad suos euocare non potuit cruciatus.* Vbi agnouit impotentiam, primæ petitionis non protelauit malitiam: vt suo nos doceat exemplo vel furorem gehennalem transgredi, qui vltra vires ad peccandum extendit vota, & cùm explere non possit, flabellat adhuc ardentissima desideria.

25. *Impij*, aiebat Isaias, *quasi mare feruens, quod*

Isai. 57. v. 20. *quiescere non potest & redundant fluctus eius.* Mare acriùs adspirantium ventorum flatibus repercussum, flammis indignationis exardet: fertur elatum limites studens disrumpere, & fluctibus vltra statas sibi metas tumidissimè redundare. Arena cingitur, quam prætererire nō potest; & tamen impatientia transilire tentat, & ardenti æstu terram opprimere alluuione festinat: hoc ergo impiis ingenium est: tentant, quæ non possunt, & cū agnouerint se non posse, nihilominus prosequuntur tentare. Vtinam impij maris imitarentur ingenium, vt impotens frænarent studium: mare namque vbi terminum attigit, nec transgredi licere cognouit, in se ipsum curuatis fluctibus reuertitur, & votis pristinis aduersa-

Seleuc. tur: *Esto*, aiebat Basilius Seleuciensis orat. 1. *Ventorum impetu ad terram mare propellatur: fertur illud quidem fluctibus antè elatum; vbi verò terminos attigerit, reuertit, refugitque.* Maris refugit fluctus impossibitate cohibitus; sed impius feruet ipsa sæpè impossibitate irritatus, Impius mari assimulatur, vt omnia potentiæ spatia impetu cæco repleuerit, non vt impossibili cognito votis retractatis aufugerit: impius vltra terminos transilire festinat; mare termino attingens fluctus refrænat.

26. Luctabatur Angelus cum Iacob, & inducias victus ab homine postulauit: *Dimitte me: iam enim ascendit aurora*: sed videamus quæ causa certamen interrumpendi? Tradidit exertè textus: *Cùm videret, quòd eum superare non posset*: viriliter prosecutus est luctam, dum possibilem existimauit victoriam; at cùm vltra proprias ad speciem vires agnouit studium, retractauit sapientissimè desiderium: vt suo nos facto instruat, viribus scilicet desideria taxare, nec vltra vires audere. O si improbi hac erudirentur doctrina! ea tamen aguntur peccandi sæpissimè insaniâ, vt protenderint appetitus, vel cùm patiuntur virium defectus. Genes. 32. v. 26.

---

§. VII.

Satis non est Superiori, quà homo, modestè viuere; sed opus est, quà Princeps, prudenter regere.

SVperior quisque cùm sit singularis naturæ lege, fit multiplex dignitate: vnicus est, & duo, si secernas muneris personam, & exercentis naturam. Satis est priuato homini modestis moribus refulgere; non est superiori satis, si subditorum mores bene non contigerit gubernare. Itaque idem homo, etsi sibi prauus, & optimus potest esse superior; vt indignus etiam muneris dignitate quantumuis morum agnoscatur radiare luce: *Agrum suum*, aiebat Cassiodorus 5. variarum 29. *à dumosis sentibus doctus purgat agricola, quia laus excolentis est, si agreste solum dulcissimis fructibus amœnetur; sic quies suauissima populi, & tranquilla dispositio regionum præconium probatur esse regnantium.* Vt facilè contingit eumdem hominem placidis moribus esse præditum, & ruris peritia vacuum, ita & legibus ad vnguem parere, non tamen benè subditos gubernare: nam quamuis ad regendum lux de honestis actionibus sæpissimè oriatur; è prudentiæ tamen officina ars regiminis propria petitur. Itaque quisque culmina dignitatum inscendit, non solùm debet laudabili radiare vitâ; sed & subiectos digna gubernare prudentia. Ecce Iosue morti proximus, etsi laudabili cōuersatione fulgeret, quò superioris adimpleat munus, concionem citat, beneficiorū Numinis memoriam refricat, præuaricatoribusque grauissimas pœnas denuntiat. *Vocauit Iosue omnem Israelem, maioresque natu, & Principes, ac duces, & magistros, dixitque ad eos*, &c. *Confortamini, & estote soliciti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi.* Morti proximus subiectorum gerit curam: quia non solùm studebat, quà homo, honestis moribus exornari; sed quà cæterorum Princeps, omnes ad virtutem decenti admonitione adurgere. *Credibile est*, scribit Masius, *solicitissimū patrem & Principem Iosuam per omnem occasionē cohortatum sæpè suos esse ad omnia probitatis & pietatis officia.* Se non solùm præbuit factis exemplum; sed exhibuit etiam admonitione magistrum: parum namque esset, si vitæ præstitisset moribus documenta, ni subiectorum depulisset etiam errata.

27. (right margin)

Cassiodor. *Laus excolentis est, si ager dulcissimis fructibus amœnetur.*

Quies populi præconium regnantiū.

Masius.

Nabuchod. ille, qui ipso laborauit remedio, quique dum statuæ detumescere compellebatur ruina, insolentiori didicit turgere superbia, intentatas à Numine minas facilè delusurum se credi 28.

credidit, si statuam auream operosa mole construxerit, ac inter deos execrandis thuris suffitibus, & sacrilegis hostiis insanus indigitarit: aderant tunc tres pueri veræ fidei Sacramento muniti, qui honestissimè superbientes statuæ cultum exhibere renuerunt: fornax vltra quàm solet, septenario ignis pabulo armata, globulisque horrendum ebullientibus metum adspicientibus ingerebat; verùm fides, quia nouerat se nigra posse flammarum volumina detriumphare, ausa est Regi intrepida animositate resistere: denique inter ignes præcipitati sic vndantis incendij globulos illæsi calcarunt, vt quo ingentius erat supplicium, grãdius etiam triumphi prædicaretur miraculum. Vidit rex impius suis artibus impugnari, & flammantibus armis vinci, reique nouitate compulsus de persecutore veritatis fit testis, & de impietatis patrono
Dan.3. v.93. impietatis proditur hostis: *Accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis, & ait: Sidrach, Misach, & Abdenago serui Dei excelsi egredimini, & venite.* Deum excelsum deprædicauit, quem antea superbè insanus despexit: nec solùm antiquum noua confessione errorem refutat; sed publicis etiam edictis subiectos Numini debitum exhibere honorem inclamat: *Nabuchodonosor rex omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in vniuersa terra: Pax vobis multiplicetur. Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelsus: placuit ergo mihi prædicare signa eius, quia magna sunt.* Signa prædicat, ac impietatem etiam decretis damnat: *A me ergo positum est hoc decretum, vt omnis populus, tribus, & lingua quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, dispereat, & domus eius vastetur: neque enim est alius, qui possit ita saluare.* D. Hieronymus epist. 50. & apud Glossam notanter animaduertit Nabuchodonosorem contentum non fuisse proprium errorem digna confessione depellere; sed omnem populum veram Dei notitiam doctum ab idololatriæ cæcis erroribus reuocare: primum namque ad ipsum pertinebat, qua homo; secundum spectabat qua caput: agnouit itaque cælesti luce illustratus satis sibi non esse Deum deprædicare verum; sed necessum etiam ab aliis ex-
Hieron. terminare confictum: *Quomodo reges Domino seruiunt in timore, nisi ea, quæ contra Domini iussa fiunt, religiosa seueritate prohibendo, atque plectendo? aliter enim seruit, quia homo est; aliter etiam quia rex est: quia homo est, seruit ei viuendo fideliter: quia verò etiam rex est, seruit leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes sanciendo.* Seruiuit Nabuchod. quia homo, digna confessione antiquam depellendo fallaciam: seruiuit, quia rex, idololatriæ prohibendo malitiam: nec satis esset, licèt ipse diuinitatem coleret, si idololatriam editis legibus non vetaret; nec vetare satis lege, ni coleret ipse actione; at dum iusta decreta emulgat, & ipse Numinis potentiam allaudat, adimpleuit munus priuati, consummauit & Principis.

29. Hoc idem in Niniuitarum rege licet videre coloribus actionum expressum: Niniue erat superba ciuitas, non solùm armorum copia præfidens; sed diuitiarum exundantia superbiens; febriebat illa impietatis ardore; verùm mater misericordia sub stragis specie remedia parat, & sub indignationis vmbra pietatem dissimulat: Ionas mittitur, qui minis impios percellat: illi terrore perculsi mores commutant, & planctibus oppugnant planctus: rex solium paruipendens pœnitentiæ munitur armis, quò cælestibus obuiauerit minis: *Surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.* Ionæ 3. v. 6. Nec solùm ipse luctus lorica obarmatus prosiluit in campum; sed cunctis ciuibus indixit decreto luctum: *Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis, & Principum eius dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum.* Si ipse solùm pœnitentiam arripuisset, vt homo pœnitens virtutibus fulgurasset; at ni edicto omnes ad pietatem cogeret, munus Principis non impleisset; verùm dum vtrumque laudabiliter exercet, & priuati, & Principis munus implet. Innuit Ambrosius in cap. 3. Ionæ: *Religiosus Princeps non perdidit imperium; sed mutauit... Primus planè ieiunauit: quia vt tota ciuitas ieiunaret, famem sibi rex primus indixit, & solus omnium prior cœpit esurire quam miles: necesse enim erat, vt qui potentior cunctis fuerat, deuotior fieret vniuersis: exemplo ergo suo præparat religionis exercitum, non armis; sed sola deuotione munitum: iubet omnem sexum, omnem ætatem à diuersis epulis abstinere.* Ambros. Ecce, ne imperium perdat, religionis causam agit, & abstinere vel pueros iubet: & qui antea probabatur iniquus, modò probatur Princeps & religiosus: Princeps de imperio, religiosus de ieiunio.

Certè hominis peccata non semel indulget Deus clementissimè, cùm muneris culpam puniat ferè semper seuerè. Moyses adest huius veritatis exemplar: cùm Hebræi ab Ægyptiis durissimè tractarentur, ipse visitandi fratres causa obambulabat: incidit quadam die in exactorem immitissimum, crudelissimúmque, cuius nimia in vrgendo duritia erat humanæ naturæ offensa: eoque precibus exacerbaretur, sic Mosis iram commouit, vt de medio statim tulerit, & sabulo absconderit: *Egressus est ad fratres suos viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis; cùmque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Exod. 2. v. 11. Disputant interpretes, an Moyses Ægyptium occidens peccarit. Abulensis quæstionem pro vtraque parte versat, aitque quæst. 6. *Quòd Moyses non ageret vt iudex, satis patet: quia iudex publicè profert sententiam, & executioni demandat; Moyses autem tanquam malè agens à nullo videri volebat.* Abulens. Ob hoc homicidium nullam inflictam memini pœnam; cùm tamen ob petram virga percussam capitali fuerit pœna punitus, & terræ promissæ prohibitione mulctatus: *Non introducetis populos hos in terram, quam dabo eis.* Nec in Moyse solùm hoc licet inspicere; sed in Aarone: nam cùm contra Moysem fratrem ipse & soror obmurmurassent, illaque fœdissimæ lepræ tulisset pœnam, ille non refertur incurrisse similis contagij plagam: *Locuta est Maria & Aaron contra Moysem propter vxorem eius Æthiopissam.* Num. 12. v. 1. Itaque etsi Mariæ Aaronique culpa fuerit communis, lepra Mariam inficit singularis; modò verò communis fratribus pœna, dum diuerberationis communis refertur culpa. Quòd si discriminis inqui-

ras causam, ea se statim offert, Aaronem scilicet obmurmurando vti hominem priuatum peccasse; at silicem referiendo vti Principem deliquisse, adeóque diuinam iram vt Princeps delinquens meruit, vt qui obmurmurationis supplicium tantisper Aaroni distulit, diuerberationis pœnam infligere festinarit: alibi namque loquela peccauit, deliquit alibi virga, & muneris peccatum maturauit sibi supplicium. Nec dissimili modò contigit Moysi: alibi homicidium priuatus perpetrat, alibi populi iudex petram repetitis ictibus percutit, & quamuis diuerberatio, vt Abulensi placet, culpa fuerit leuis, hominisque interemptio, vt apparet, grauis; nihilominus Deus homicidium murmurationémque ad tempus dissimulauit benignè; ictum verò puniuit seuerè: quod discant Principes, superioresque in munus nullatenus deliquisse, etsi contigerit vti priuatos per humanam fragilitatem peccasse. Innuit Isidorus apud Glossam:
Isidor. *Hic Moyses Dominum offendit & prohibetur Iordanem transire: turbatus enim murmure populi dubitanter petram virga percussit.* Erat virga imperij insigne, maioritatis testimonium, principatus indicium: ergo dum virga peccat, superior cæteris delinquit: quamuis ergo supplicium non tulerit ob grauiorem priuatus offensam, ob leuiorem tulit, dum Princeps, culpam.

---

§. VIII.

Auidè solùm excipienda consilia, quæ nec spes temerauit, nec adulatio corrupit.

31. INtemeratum sapientis consilium magnum auditoribus bonum: nam prudentiæ senilis luce ignorantiæ depellitur vmbra, & vitæ copiosa aperitur vena: ab ore sapientis promanat salus, vt ex ambitiosi & auari labiis interitus: mors quidem & vita in manibus linguæ, dum incorrupta consulit, aut fraudulenta seducit: quidquid exoculata consuluit ambitio, saluti ferè semper inuenitur aduersum, vt quod candida sapientia monuit, vitæ ac moribus opportunum. Bene Seneca epist. 8.
Senec. *Posterorum negotium ago: illis aliqua, quæ possint prodesse, conscribo: Salutares admonitiones, velut medicamentorum vtilium compositiones litteris mando: esse illas efficaces in meis vlceribus expertus, quæ etiamsi persanata non sunt, serpere desierunt.* Tota generis humani salus a Numinis consilij obseruatione pendebat: ideò serpentis dolosa viguit astutia in suadendo latenti ambitione infectum, & auaritia corruptum. Deus homini consuluerat, præceperátque, vt à vetitæ arboris esu abstineret, ne mortis pœnam incurreret:
Gen. 2. v. 17. *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Vidit serpens monitum aduersùs tortuos fortunæ vultus munimentum esse firmissimum, vtque morti aditum aperiret, infectum ambi-
Gen. 3. v. 5. tione adlatrauit: *Scit Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum.* Dum profectum ab ambitione mentitur consilium, veritati suadet aduersum; & dum pestiferum ipse præbet, calamitati reserat aditum: nihil namque humanam felicitatem aut promouet aut depellit, vt syncerum sapientis consilium, aut ambitiosum simulatæ prudentiæ monitum: ergo serpens omnem Adami euertere molitur fortunam, dum monenti ambitionis inurit notam. *Hoc vtique volebat intelligi*, scribit Rupertus lib. 3. in Genes. cap. 7. *quod claritatem omnis sapientiæ, diuinitatem quoquè, & omnium scientiam Deus inuidens homini tale lignum illi interdixit.* Rupert. Dum admonitionem suadet ab ambitione prolatam, & veritati credere facit oppositam: nam vt sunt vitalia, quæ à sapienti, puróque animo traduntur consilia, sic exitialia sunt, quæ lucri spes composuit, aut lues ambitionis corrupit. Iosue, cùm salubria populo præstat consilia: *Estote solicìti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi*, se morti testatur proximum: *Ego senui, & progressioris ætatis sum:* nam nouerat plurimi esse momenti, si consilium nulla ambitione, nulláve prauitate appareret infectum, quò faciliùs obseruaretur admissum. Adest Abulensis quæst. 2. *Vocauit totum Israel, quoniam erat longæuus: quia intendebat commouere totum populum ad Dei cultum, & hoc voluit facere ad mortem suam: Ea quippè quæ quis agit in limine mortis, magis apud posteros in memoria tenentur, quam ea, quæ fiunt, dum quis de morte suspectus non est; & hoc quia creditur facere quis ex maiori affectione quæcumque agit morti coniunctus, quàm quæ aliàs egit, cùm ista sunt ad aliorum vtilitatem* Abulens. Morti proximum nec propriæ spes vtilitatis inflammat, nec ambitionis insania instigat: ideò eius consilia auidè sunt excipienda, cùm omnino reluceant pura.

Editissimo monte fulgurans Dominus spectaculum edidit: tres discipulos secum ducit: 32. erant illi congruentes spectatores, cúmque illorum oculi in spes suas auidissimè expanderentur, animus cum reuerentia visionis desiderium producebat. O rem miram! diuina vi ex humana forma radij promicabant, qui solare iubar vincerent: vidit Sol, quæ priùs non didicerat, & inuisæ anteà lucis fulgoribus occuli doctus est: Petrus, etsi hæc adspiceret, nimia tamen felicitate raptus mente consternatur, nec cœlestem doctrinam capit; sed visionem producere discupit: *Domine bonum est nos hîc esse*; verùm Patris Matth. 17. v. 4. relucens cœlestis vocis accentus Petri interpellat consilium; obstrepit, ne Petri audiatur socordia, vt sæculis vtilissima tradatur doctrina. *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube.* Vetuit Petri consilium auribus capi: quia constabat ab studio cupiditatis, & ambitionis oriri: montis apice, dignitatis culmine desiderabat fulgere, nec animaduertebat orbis saluti obuiare: vocem Petri cœlestis vox interrupit, quo ambitionis & cupiditatis consilia suspecta semper ostenderit: *Supernè tonitruus perrumpens*, aiebat Basilius Seleuciensis orat. 43. *non sine terrore medetur ignorantiæ.* Seleuc. Clariùs & opportuniùs Hieronymus apud D. Thomam: *Cogitauit conuenientem ibi stationem esse ex loci dispositione: quod significat dicens: Bonum est nos hic esse.* Hieron. Adstipulatur Remigius ibi: *Absque gustu mortis voluit subire æternam felicitatem.* Remig. Cæcissimè errauit: quia seipsum dum consuleret, attendit: nec enim aiebat, bonum est te hîc esse; sed, bonum est nos hîc esse: ergo cœlesti tonitruo intercipi oportebat consilium,

consilium, quòd à propria constabat vtilitate profectum.

33. Cùm Christus Dominus desertis degeret, faméque post quadraginta dies, & noctes laboraret, ecce tentator accedit, & lapides in panes vertendos offert: quasi facilius non fuerit è Domini manibus panes efflorescere, quàm panem lapides parturire: euidens creationis refugit argumentum, quia subdolus solum molitur periculum, non vult dubitationem depo- Matth. 4. v. 3 nere, sed pietatem mentiendo fallere: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Chrysologus dæmonem de ignorantia sugillat, vtpote Chrysolog. qui ipso consilio consilium prodat: *Diabole,* inquit serm. 11. *fallit te promissio tua, potest famem vertere in saturitatem, qui potest in panem lapides immutare: quid illi consilium tuum, cui sua sufficit virtus: Dic vt lapides isti panes fiant. Diabole prodidisti te.* Ineptum satis apparebat consilium, nec à mediocriter sapiente auscultandum. Huius causam dilucidiùs Caietanus expressit: ait namque hoc consuluisse propriæ sustentationis spebus motum, faméque ad spe- Caietan. ciem instigatum. *Non est intelligendum quod diabolus hæc sola verba dixerit, quod ex abrupto proruperit dicendo: Si filius Dei es; sed quod multis compositis verbis necessitate panis ad vtriusque sustentationem allegata suadendo protulerit hanc sententiam.* Dum spem prodidit, & consilium auditu indignum ostendit: nam ferè semper, qui se in consulendo attendit, consilium non præbet veritati, ac rationi consentaneum; sed propriæ cupiditati opportunum. Quid consuleret, nisi delirium, qui fami, necessitatique ad speciem depellendæ lucrari discupit alimentum? Dum tentare cupit, nescit: quia de spebus consilium reddit suspectum; imò & rationi inimicum: *Fallit te promissio tua: quid illi consilium tuum?* Quasi dicat Chrysologus: Dum in consulendo tibi affectas prouidere, & à veritate ostendit etiam deerrare: nam quæ spes, aut ambitio adulterauit consilia, nullis auribus sunt excipienda.

34. Saulis Palatini Dauidi consulunt Regis fi- 1. Reg. 18 v. 23. liam in matrimonium accipiat: *Esto gener regis.* Dauid consilium audiens recusat: *Numquid parum videtur vobis generum esse regis? ego autem sum vir pauper & tenuis.* Seruorum hic refutat consilia, cúm Ionathæ gratis auri- 1. Reg. 19. v. 2. bus aliàs exceperit monita: *Indicauit Ionathas Dauid dicens: Quærit Saul pater meus occidere te, quapropter obserua te, quæso, mane, & manebis clam, & absconderis.* Quæ monet Ionathas, incunctanter exequitur; quæ Palatini monent, animitus auersatur. Et quæ discriminis causa est? Quia noscebat à candidissimo Ionathæ pectore consilia purissima effluere; à seruis verò ambitione adulterata manere: Dauidi consulunt sub honoris prætextu non dubium periculum: quia lucrari sibi è rege fucati consilij discupiunt præmium; at Ionathas ab omni cupiditatis nota inueniebatur alienus, vtpote qui regno renuntiarat amicus. Huius ergo Dauid requiescebat consiliis; illorum refragabatur prudenter technis. Adest Ambrosius lib. 1. offi- Ambrof. cior. cap. 32. *Dauid, cùm esset prudentior, Ionathæ iunioris consilijs acquiescebat.* O quàm prudens probabatur Dauid Ionathæ consiliis acquiescens, & aulicorum monitis contradicens! nam Ionathas consulebat nulla cupiditate corruptus, aulicus cupiditate ambitionis infectus.

Sapiens optimi consilij pretium, & consultoris electionem exaggerans aiebat: *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille.* 35. Eccli. 6. v. 6. Ille, à quo accipienda consilia, nec debet cupiditate corrumpi, nec ambitione pulsari: ambitio namque sic mentis, rationisque splendorem hebetat, vt quid conducat, apparere non sinat: qui vtilitatis propriæ causa consulit, quid tempori, & rationi consentaneum, parum attendit: omni passione liber, omni cupiditate defæcatus, omnique ambitione alienus in consiliarium est asciscendus: nam vt liquor, si per purissimos tramites excurrat, alendæ vitæ conducit; si verò per limosos luculentósque, ægritudines secum adfert: ita consilium est scaturigo salutis, si à puro corde profectum; at si à corruptis visceribus, non est salutis fomentum; sed vitæ ac veritatis naufragium. Hæc voco Ambrosium lib. 2. de offic. cap. 17. *Talis debet esse consiliarius, qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil fabulosum, nihil simulatum, quod vitam eius ac mores refellat: nihil improbum ac maleuolum, quod auertat consulentes: alia sunt enim, quæ fugiuntur, alia, quæ contemnuntur: fugiamus ea, quæ possunt nocere, quæ malitiosè possunt in noxam serpere, vt si is, qui consulitur, dubia sit fide, & pecuniæ auidus, vt possit pretio mutari: si iniuriosus, hic fugitur, ac declinatur; qui verò voluptarius, intemperans, etsi alienus à fraude; tamen auarus & cupidior lucri turpis, hic contemnitur.* Auarus, cupidus, ambitiosus non sunt in consilium vocandi, sed animitus diffugiendi. Ambrof.

Paulus cùm consilium omnibus præberet: 36. *Quæ didicistis,* inquit, *& accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite:* Ad Philip. 4. v. 9. vt auidioribus auribus eius acciperetur consilium, omnem prorsus notam ambitionis, & cupiditatis detersit: *Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse.* Quasi dicat: Non sector vtilitatem, vt consulam veritatem: qui enim aliqua cupiditate consulit ductus, à ratione exorbitare solitat obcæcatus. Adest Ambrosius vbi suprà: *Ideò boni* Ambrof. *vir consilij dicit: Ego autem didici, in quibus sum, sufficiens esse... Hoc est, non honorem maiorem, non obsequia vberiora desiderabat, non gloriæ immodicæ cupidus, aut gratiam indebitè quærebat.* Ecce quis boni consilij vir sit, nullius cupidus, nullius ambitiosus: ab huius ergo ore auidè sunt excipienda monita: quia rationis serenum nulla interpellare valebunt nubila.

---

§. IX.

Stultorum est cælestia beneficia cæcis oculis prætereire; sapientium in se collata videre.

Diuinæ liberalitatis inexhaustus fons seipsum vrget, & ad noua beneficia semper 37. impellit: nihil à nobis expectat; sed proprio honori consulens munificentissimus donat: vltra humanas vires est omnia Numinis dona censere, cùm delatus liberalitatis imber vel attentissi

tentissimos feliciter obruat, & adæquè gratos esse non sinat; verùm etsi supra humanas sit vires omnia à Numine accepta in censum referre, id inter prudentem & stultum discrimen est, quòd prudens multa, quibus obstringitur, gratus agnoscit, stultus vel Sole clariora lumininibus clausis non videt. Aiebat olim Seneca lib.2. de benef. cap.23. multos esse, qui beneficij testem refugiant, qui malè de pensione, hoc est, gratitudine cogitent. Audi Philosophum.
Seneca. *Malè cogitat, qui testem accepti beneficij vita recusat.*
Sunt quidam, qui nolunt, nisi secretò, accipere: testem beneficij, & conscium vitant, quos scias licèt malè cogitare: quomodò danti in tantum producenda est notitia muneris sui, in quantum delectatura est, cui datur: ita accipienti adhibenda concio est; quod pudet debere, ne acceperis. Quidam furtiuè agunt gratias, & in angulo, & ad aurem: non est ista verecundia; sed inficiandi genus. Ingratus est, qui remotis arbitris agit gratias. Ignotissimum olim habebatur acceptum celare beneficium; sed inuenti sunt acutiores ingratitudinis artifices, qui scilicet non tantùm aliis; sed propriæ etiam conscientiæ denegant: affectant ignorantiam in dissimulationem; imò corrumpunt conscientiam ad ingratitudinis cumulum, & ad brutalitatis auctarium. Iosue, vt hanc à populo suo notam depulerit, accepta allaudat agnoscere beneficia: & quidem exigua non erat laus à Numine accepta recordari, cum plures homines, si hoc titulo digni, affectauerint præterire: *Vos cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus; quomodo pro vobis ipse pugnauerit.*
Abulens. Abulensis quæst. 2. ita verba præfata exponit: *Vos cernitis cuncta, quæ fecerit: quasi dicat: Ipse benefecit vobis, & ista beneficia non sunt abscondita: quia vos omnes nostis quid fecerit.* O quàm eximiæ probantur virtutis, qui beneficiorum memoriâ retinebant censum, nec ignorationis affectauere delirium.

38. Nascitur Dominus pauperrimo tuguriolo; verùm roseus exorientis Solis splendor caliginosis non potuit tenebris obscurari; imò vel à dissitissimis contigit Magis videri: eloquentis deris ductu viam celeriter carpunt, Ierosolymámque perueniunt: ibi legis Doctores, Iudæorum magistros non tam interrogant, quàm insultent: produnt turpissimam ingratorum ignorantiam, & cæcissimæ cæcitatis iniuriam: *Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam dicentes. Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? videmus enim stellam eius in oriente.* Magus vidit, non vidit Hebræus: & quidem sapientiæ erat testimonium spectasse oculis beneficium, vt extremæ ingratitudinis culpa Iudæos non adspicere vel fulgentissimum astrum: omnibus nascitur Dominus; verùm sic Hebræus exoculatus ignorat, vt micantis syderis lucem non videat: distantior erat Magus; sed sapientis vocabulum adimpleuit, dum ingens adeò beneficium agnouit:
Chrysol. *Videt Magus*, aiebat Chrysologus serm. 156. *qui habet stellam.* Præmiserat eodem serm. *Legis auctorem Magus scit, nescit Iudæus.* Iudæus à vera sapientia alienus recusauit adspicere beneficia; at sapiens Chaldæus, prudens Sirus (nomen namque Magi sapientiam sonat) oculis spectat stellam. O quàm referre
Seneca. posset de Iudæis loco citato Philosophus: *Dant operam, vt beneficium in ipsos collatum quàm igno-tissimum sit: verentur palàm ferre, vt sua potiùs virtute, quàm alieno adiutorio consecuti dicantur.* Liuore & ingratitudine veluti geminatis morbis arrepti stultè obcæcantur exoculati.

Cùm Moyses exploratores delegarat, vt pru- 39.
dentissimi ducis munus cumulatiùs impleret, ad hostiles prouincias volatu alacri peruenerunt; vtque ex fructibus faciliùs terræ deprehendi posset ingenium, vuam cum palmite absciderunt, & in vecte duo ex illis portarunt. *Absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri.* Num.13. v.24. Hugo Charensis ad Genes. 40. historiam moribus adaptans ingeniosè ponderat palmitem, cum ad vtrumque baiulum adæquè pertineat, ab vno tantùm oculis fuisse inspectum; ab alio verò portitore prorsus inuisum: qui præcedebat, vecte humeros prægrauabat; non tamen palmitem aspicere quibat; alter verò vectationis laborem fructus aspectu leniebat, & vuam gratis oculis spectabat. Audi Charensem: *Duo viri ferunt botrum in vecte, id est duo populi Christum in cruce: Iudæus, qui præcedit, fert, quod non videt; gentilis, qui sequitur, videt & fruitur eo, quod fert.* Hugo. Botrus vtique adæquè communis; ea verò inter Iudæos, de quibus Dominus ait: *Cæci sunt, & duces cæcorum*, & gentiles inuenitur differentia, quod gentilis in sapientiæ, & veritatis scholam receptus non ignorat beneficium. Hebræus verò oculos claudit, ne exhibere cogatur obsequium. O quot inueniũtur stulti! cùm largissimis fruantur beneficiis non attendunt ingrati; imò quasi de sibi debitis turgent superbi. Cordati viri quanta Numini debeant sedula meditatione scrutantur, ne stultitiæ incurrerint notam; at imprudentes, dum recusant agnoscere, suam produnt sæculis insipientiam.

Errabat Agar desertorum anfractibus: cúm- 40.
que aqua defuisset, sic pueruli siti adurebantur præcordia, vt parum abfuerit, quin arentem exhalauerit vitam; verùm Deus miserorum auxilium matris aperuit oculos, vt gelidam aquarum spectaret scaturiginem: *Aperuit oculos eius Deus, quæ videns puteum aquæ abijt, & impleuit vtrem.* Genes. 21. v.19. Caietanus ingeniosè animaduertit aquæ puteum non denuò productum; sed visum Agar oculis quodammodò insertum: *Demonstratio appellatur apertio oculorum: quia impedimentum videndi puteum non erat ex parte putei latentis; sed ex parte ipsius Agar.* Caietan. Beneficium non latebat; ea tamen incredulitate stultitiáque Agar oculi comprimebantur, vt nullatenus adspiceret; sed penitus ignoraret; at dum se sapientium numero addit, & Dei beneficium videt; imò vt beneficium vidit, sapientium se numero addidit. *Intelligens*, scribit Interlinearis, *Sacramentorum profunditatem credidit.* Interlin. Dum credit, habet oculos, & inter prudentes admissa vidit, quæ anteà coram posita non adspexerat: quamdiu oculorum acies obtenebrescebat infidelitate depressa, videre non poterat beneficia.

Deus Abrahamum de filio sacrificium offerre 41.
iubet: ille cùm tristari naturæ legibus obsecutus debuisset, vt Domini aduletur præceptis, exultat & gaudet, & de nocte consurgens properat, cúmque ventum esset ad sacri montis crepidinem, duos pueros, quos secum detulerat, dereliquit: *Die autem tertio eleuatis oculis vidit locum procul: dixitque ad pueros suos: Expectate hic cum asino.* Gen.22. v.5. Quærunt interpretes, cur in hoc

hoc monte præ aliis ara constructa; curque pueri montem inscendisse prohibiti : Respondéntque ibi cælestia lumina coruscasse ab Abrahamo, Isaacoque conspectu, & à pueris ignorata, ideóque illos cum asino reliquisse, vtpote obcæcatos & brutorum numero addendos. Ita Abulens. Abulensis ad hunc locum : *Respondetur secundùm quosdam Hebreos, quòd super montem illum, in quo futura erat immolatio, vidit quamdam columnam ignis Abraham in loco proprijssimo, vbi strues lignorum componenda erat ; & tunc quæsiuit Abraham à pueris, vtrùm viderent aliquid : qui responderunt quòd non, & ideò iudicauit eos Abraham ad ascendendum montem indignos.* O quàm pueri, quámque insipientes probabantur, qui fulgentissimam lucem cælitus immissam, & coram oculis positam non videbant! Dignè remansere cum asino, qui cæcis adeò oculis cælestia dona ignorabant, aut studiosè clausis non aspiciebant : Abraham dum aspicit, montem inscendit, à brutalitatéque inuenitur remotus, cui clarus erat oculorum aspectus. Nec dubium quod Abrahamo puerisque tunc semel historicè, pluribus modò accidisse moraliter : lucem ipsam non vident brutorum numero addendi, & rationalium titulis dispoliandi.

42. Cùm Elisæum per insidias rex Siriæ capere decreuisset, armatorum misit exercitum; arcanorum eius punire discupiens nuntium : cúmque mane puerulus hostilia agmina conspexisset, & de se ac propheta actum penitus reputasset, in clamores effusus est : *Heu, heu, heu, domine mi, quid faciemus?* 4. Regum 6. v. 15. Propheta pueri temperat lachrymas, dum pro illis plures ac fortiores adesse testatur copias : *Noli timere : plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis :* nec propheticus fallebatur obtutus, cùm amplissimus mons flammiuomis equis igneisque curribus appareret non procul plenus : *Ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Verùm qui fieri potuit, vt puerulus agmina fulgentissima non videret, cùm hostilia non ignoraret? Si pro Elisæo, ipsoque cælestes milites aduentarant armati, quomodò pueri oculi sic obcæcabantur detenti? Nomen ipsum quæstioni respondet : erat puerulus nec sapientia præditus, nec cælestium intelligentia exornatus : ideò beneficia adeò magna sic clausis præteribat oculis, ac si cælestibus non protegeretur auxiliis : videbat Elisæus : nam vt prudentissimus cælestia valuit aspicere beneficia : est namque proprium cæcorum accepta à Numine præterire, vt sapientium gratitudine recensere. Adest Ambros. Ambrosius serm. 1. de Elisæo : *Propheta nuntiat etiam de multitudine, cùm puer incertus adhuc sit de salute : spirituales oculi carnalibus quantò plus cernunt! hic perspicit armatorum numerum, & ille non cernit defensionis indicium. Quanta est diuinæ misericordia! defertur hominibus beneficium, nec videtur auxilium.* Cùm vtrique fuerit communis, puer ignorat, quod prophetes adspicit beneficium : fulgurabant cælesti splendore arma; sed puerulo erant cæcissima lumina : ignorantes namque & stulti homines quæ ad gratitudinem cogunt semper ignorant, cùm prudentes & iusti sciant. Ergo Iosue dum testatur populum accepta a Numine agnoscere beneficia, illius ad sæcula transmittit elogia.

§. X.

Sapientis iustique non semel armis præferenda consilia : quia validissima contra aduersitatem sunt arma.

Nihil prauis consiliis nocentius, nihil optimis optabilius : prudentia vt dominatur facilè astris, ita & facilè appetentibus obuiat ruinis: qui de iustorum, sénumque consilio rem aliquam gessit, se contra fortunæ insultus prouidenter armauit : ferrum eruginat, sordescit autem, sed æquum nunquam marcescit consilium. 43.
Nos ab Iouis consiliorum, scribit Plutarchus lib. Plutarch. an seni sit tractanda respublica, *fori & ciuitatum præsidis famulis non pedum, non manuum opera quærimus; sed consilij; sed prospicientiæ, & eloquentiæ: non illius, quæ fremitum & strepitum populi excitet; sed quæ sale condita sit, & solicitudine prædita prudente cautione.* Iouis administris magnam inesse antiqui arbitrabantur potentiam; verùm sibi in primis ab illis quærendum statuerunt optimum & prudens consilium, vt quod aduersus calamitatis vortices opportunum sit munimentum:

Nam consilium sapiens multas vnum manus superat.

Addit ibi Plutarchus: *Vna sententia, quæ facunda sit, & lepòre distincta, præclarissimas, & summas res conficit in Republica.* Summatibus, altisque præcipua cura deberet esse optimos habere consiliarios, quorum prudentia firmaretur felicitas, & impediretur aduersitas. Audi Spartianum in Spartian. Adriano: *Nihil non consulto Senatu faciebat, execratúsque est Principes, qui minus senatoribus detulissent; erat verò tum mos, vt cùm Princeps causas cognosceret, & Senatores, & equites Romanos in consiliũ vocaret, sententiamque ex omnium deliberatione proferret.* Nil licet errori, cùm ardua probis consiliis negotia gerũtur, senumque prudẽtia tractantur. Adde pretiosius patrimoniũ præ muneribus esse consiliũ. Adest Iosue, qui morti proximus, vt populũ, quem tenerè semper dilexerat stabili felicitate fulciret, optimũ cõsiliũ præbuit: *Ego senui, & progressioris ætatis sum, & c. tantùm confortamini & estote soliciti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi.* Et cur Iosue vti olim Elias discipulo, pallium non reliquerit populo? Amoris index fuit relicta clamanti vestis, qua & absentiæ dolorem leniret, & leniendo augeret : *Leuauit, inquit, pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* 4. Regum 2. v. 13. si ergo Elias ad dilectionis contestationem reliquit alumno pallium, cur Iosue non reliquerit vestimentum? Quia pretiosius quid legauit, consilium scilicet prudentissimum : morti proximus veluti testamento legauit, quod ad stabiliendam Reipublicæ fortunam maximè conducere vidit: dum salutaribus erudit monitis inuincibilibus munit armis, & veluti contortis aduersitatem vulnerat telis. Huc voco, quod aiebat Cassiodor. 7. vari. 12. Cassiodor. *Sicut perniciosum est doctos praua suadere, sic salutare munus, cùm veritatis terminos disertitudo nescit excedere.* O quàm salutarè munus erat æquitatis limites non excedere; sed mores optimos sedulò commendare; Non minùs suam erga populum Iosue contestatus est charitatem, dum religio-

ſum omnibus præbuit conſilium, ac Elias dum alumno legauit pallium. Iam præ induſtria, præ armis optima valere monita, ſcripturæ probabunt exempla.

44. Toroſa arbor Nabuchod. obiicitur, cuius brachia terræ latitudinem occupabant, cuius cacumen cælum ipſum tangebat, in hanc vtpote floribus venuſtam, viridantibus foliis gratam, fructibus ſaporatis copioſam ſecures armantur:
Dan.4. v.11. *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & diſpergite fructus eius.* Theodoretus orat.4. in foliis militarem potentiam agnouit: *Folia vocat decus illud, quod conſpiciebatur in veſte, & throno, & regijs, & ſcutatis, haſtatis,* &c. Itaque arbor, etſi multis armatorum agminibus munita, ſecuris ictibus manſit ſubiecta. Quid tunc? Daniel introducitur, qui cæleſti illuſtratus luce regi enodauit arcanum, & optimum dedit conſilium: *Rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum* Non ſolùm obturbatus rex terribili videtur ſomno; ſed exhibito propheta conſilio: quid intererit Danielis conſilium aduerſus cæleſtes militares phalangas, quando conſtat tot nullatenus armatas profuiſſe copias: Imò ſapiens Daniel præbet tempore adeò calamitoſo conſilium: vt noueris quam efficax ſit aduerſus infortunia remedium: cui ſi tumidiſſimus rex annuiſſet, & felicitatem ſuam ſine dubio aduerſus cæleſtes minas firmaſſet. Nil tot haſtatorum deaurata ſeruiebant arma; ſed ſalubria prophetæ profuiſſent monita, & qui militibus circumdatus ſecuris ictibus manſit expoſitus, prophetæ monitis de ingruente calamitate triumpharet munitus:
Theodor. *Propheta hanc ſententiam expoſuit*, inquit Theodoretus vbi ſuprà; *Ille verò cum ſe durum, & inexorabilem præbuiſſet, ſcelerum præmia tulit, & quæ audiuerat triſtia, hæc oculis conſpicatus eſt.* Dum aſpernatur conſilium, cogitur calamitatis ſuſtinere naufragium: quod ſi prudens arripuiſſet, quam armatorum agminibus non poterat, iram cæleſtem vitaſſet.

45. Duo vterini fratres ea arcana vel in matris vtero primatus ambitione certabant, vt ſolare iubar nodum contuiti implacabili diſſidio col-
Geneſ.25. v.22. liderentur oppoſiti: *Collidebantur in vtero eius paruuli.* Eſau prior egreditur, & quam à natura accepit prærogatiuam, laudabili conſeruauit induſtria, ſeni parenti offerens frequenter obſonia. Ecce Iacob viribus ad ſpeciem non potuit obtinere primatum; præualuit tamen nactus
Gen.27. v.8. opportunum matris conſilium: *Fili mi acquieſce conſilijs meis, & pergens ad gregem affer mihi duos hædos optimos:* obtemperauit moriger, & obedientiæ vindemiauit fructum arcano furto fratri præripiens primatum. *Benedicens illi ait: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* His, ſi placet, immoremur tantiſper, expendamúſque quàm præ viribus matris Iacobo conducibilius fuerit conſilium: matris palæſtra pugnaciſſimè decertauit puerulus; ſed ad ſpeciem ſpebus manſit fruſtratus; aſt dum prudenti conſilio vtitur, & triumpho feliciſſimè coronatur: felicior reſplenduit de monito, quàm de certaminis reſplenduerit ſtudio.
Chryſoſt. Lippoman. *Vides*, aiebat Chryſoſtomus apud Lippoman. *magnum matris in filium amorem; imò diſpenſationem Dei: ipſe enim eſt, qui ei hoc conſilium dedit, & omnia bene agere fecit.* Adeſt etiam auctor catenæ: *Hæc reuelat iuniori filio prudens mater nolens eidem auferri patris benedictionem: quia audierat, antequam pareret: Maior ſeruiet minori.* Cordato obtinuit conſilio, quod perículoſo adeptus non fuerat prælio; vt hinc nobis dilucidiùs conſtet verum eſſe, quod aiebat Plutarchus: *Conſilium ſapiens multas vnum manus ſuperat.*

Holofernes digna ſtrage ſæculo notus ita dura obſidione Bethuliæ ciues premebat, vt parum abfuerit, quin ciuitatem hoſtibus traderent: Iudith ſuorum captiuitatem dolens ac præcipuè religionis dedecus nobili impatientia non ferens conſilium optimum præbet, quod non armis; ſed obnixis fulciri precibus poſcit. 46.
Orate, vt firmum faciat Deus conſilium meum. Iudith 8. v.31.
Non me latet ardua negotia prudentibus ordinari conſiliis: nam Prouerb.20. aiebat ſapiens:
Cogitationes conſilijs roborantur, & gubernaculis tractanda ſunt bella. Prouerb.20. v.18.
Cogitationes conſiliis firmantur; ſed hoſtiles exercitus armorum viribus euincuntur: cur ergo Iudith conſilium capit, cum ciues ſuos victoriam hoſtibus vel ante certamen concedere videt: quid proderit muliebris aſtutia, quando fortiſſima militum ſuccumbit conſtantia: Peribúntne robuſti Holofernis milites ad venuſtatis aſpectum, cum fortiſſimos Bethulienſes legitimum ad certamen prouocaſſe gloriantur in campum: Ita equidem: conſilio ſuperati ſunt, qui armis detriumpharent, & Bethulienſes protexit prudentia, quos defendere nequiuerant arma: vicit Iudith, & inimicorum euertit caſtra, dum cæleſtia oppoſuit conſilia: nihil enim validiùs prudentia, nihil fortiùs optimi conſilij energia: *Sicut verba mea*, inquit noſter Sanctius, *à Deo eſſe cognoſcitis, probate,* Sanctius.
quod factura ſum, ſi quidem hoc quoque a Deo eſt: vel certè illud, probate, pro futuro ponitur, id eſt probabitis, nempe cum exitum habuerit, quem præſentio. Optimi conſilij vires iam præſentiebat, omnibúſque ſalutares fore nuntiabat: nec ſpebus fruſtrata eſt: nam qui ciuitatem tradere cogitabant armati, victoriâ potiti ſunt optimo conſilio muniti: plus valuere ad euertendas hoſtium copias vel fœminæ prudentis conſilia, quam exacuta militum arma. Adde quem optimis priuauit conſiliis, certiſſimis Deum tradidiſſe naufragiis.

Ahia Silonites apprehendens pallium ſuum nouum, quo indutus erat, in duodecim partes 47.
diuiſit, quarum decem Ieroboamo tradidit, quaſi regni teſſeram: decreuerat namque Deus Salomonici regni gloriam minuere, & maiorem partem ad Ieroboamum transferre: quod citiſſimè factum eſt, dum Roboam eius filium non militaribus armis, ſed optimis priuat conſiliis: nam cùm in Sichem veniſſet à populo coronandus, omnéſque tribus inauguraturæ in Principem aduentaſſent, opportunum regiæ magnificentiæ tempus agnoſcerent, tributa, quibus grauabantur, imminui ad coronationis plauſum expoſtularunt; rex, vt maturiùs rem illam decerneret, conſilium cum ſapientioribus iniuit, & quid foret conducibilius, rogauit: *Iniit conſilium rex Roboam cum ſenioribus, qui aſſiſtebant coram Salomone patre eius, cùm adhuc viueret, & ait: Quod datis mihi conſilium?* Illi prudentiſſima præbuere conſilia: reſpuit tamen, quia ſibi ingrata: *Dereliquit conſilium ſenum, quod dederant ei.* Nec mora: conſiliis nudum impetere

prope

properauit calamitas,& detriumphauit aduersitas: *Videns itaque populus, quòd noluisset eos audire rex, respondit ei dicens: Quæ nobis pars in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Isai?* Non potuit armis cogere ad seruitium, quos consiliis acceptis deuotum alliceret ad obsequium: dum præfidens viribus senum paruipendit monita, magna regni cogitur sustinere dispendia: *Minimus digitus meus*, aiebat tumidè, *grossior est dorso patris mei*: potentiæ magnitudine est nisus; sed regnum ferè amisit optimis consiliis fraudatus. Ad rem Ambrosius lib.2.offic.cap.18.

Ambros. *Egregiè itaque viros alicui præsidentes muneri commendat iustitia. E contra iniquitas destituit atque impugnat. Exemplo nobis est Scriptura, quæ dicit, cùm populus Israel post mortem Salomonis rogasset filium eius Roboam, vt releuaret ceruices eorum à seruitute dura, & paterni imperij temperaret austeritatem, illum spreto senili consilio, de suggestione adolescentium responsum dedisse huiusmodi, quod & onus adijceret super patris iugum, & leuiora grauioribus supplicia mutaret... Itaque desertus à populo ac destitutus vix duarum tribuum propter Dauid meritum habere potuit societatem.* Si consilium senum auscultasset, regnum pacatissimè stabilisset; at dum paruipendit consilia, amittit & regna: nam prudentis monitum est stabile aduersus fortunam fulcrum, & ad tempestates frustrandas optimum regiminis gubernaculum.

---

§. XI.

Apud homines non ita venerationem extorquet personæ meritum, vt collatum beneficium.

48. VEnerationem reuerentiámque conciliandi artificium est largiter benefacere, & muneribus plures obstringere: officia etiam feræ sentiunt, nec vllum tam immansuetum animal est, quod erga ipsum cura non mitiget, & in amorem benefactoris non vertat: leonum ora à magistris impunè tractantur,& elephantorum feritatem vsque ad seruile obsequium demerentur cibus. Forsitan meriti magnitudo extorquebit ab aliquibus reuerentiam; sed tardè, sed difficulter, sed pertinaciter; at vbi beneficia resplendent, etiam à duro & immemore pectore gratiam extundunt. Si debito ordine, iustóque tenore omnia procederent, hominis dignitas primum sibi vendicare debuisset locum; verùm adeò genus humanum est cupiditate corruptum, vt non tam ad magnitudinis contestationem vlli exhibeatur obsequium, quàm ad venerantis spectet lucrum: non venerantur homines magna; sed sibi commoda, quod adeò verum est, vt ni spes alliciat, plures ad castra ingratorum transeant. Quàm bene aiebat Seneca lib.2. de benefic. cap.33. *Rariores in eorum officijs sunt, quibus iam ante dignitatem debent, & dum opinionem clientium timent, grauiorem subeunt ingratorum.* Plures se deuotos exhibent, clientes profitentur, & luminibus vsque ad fastidium assistunt; qui, si iam optatis fruantur, argumentum nihil debentium odio quærunt. Itaque cupiditatis spe ferè omnes mouentur, & consiliis cæcæ auiditatis reguntur.

Senec. *Rariora erũt officia, si iam dignitas fuerit obtenta.*

Hinc disertissimus Iosue, vt populum ad Numinis compellat obsequia, non tam eius dignitatem, quàm præstita ipsis retulit beneficia: *Vos cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro vobis ipse pugnauerit, &c. tantùm confortamini, & estote soliciti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi.* Satius videbatur Numinis commemorare excellentiam, potentiæ vires, magnitudinis splendorem, quàm detritos hostes,& terram sorte diuisam, vt tot titulis debitam præstitisset populus obedientiam: cur ergo dignitatem tacuit, & terram concessam retulit? Quia nouerat, respondet Abulens.q.2. apud homines minùs valere meritũ, plusque ad venerationem extorquendam conducere beneficium: ideò sapientissimè in medium protulit beneficium, & tacuit meritum: *Probari quòd Deus Hebræorum esset verus Deus poterat faciliter per multa magnalia quæ egerat, qualia non potuerunt facere dij gentium, & ista erat inductio conueniens simpliciter ad hoc, quod intendebatur; induxit tamen hoc per beneficia præstita: quia ista erat conueniens inductio secundum subiectam materiam: Iudæi enim non multum afficerentur in Deum, quia Deus erat.* Numinis dignitas, excellentiaque omni obsequio coli deberet, etsi nullum beneficium præstitisset; verùm sic apud rudes homines, suæque cupiditati ac lucro adulantes aliena parui æstimantur merita, vt venerationis ac reuerentiæ tardè impendantur illis tributa: illos solummodò suspiciunt, & cultu idololatriæ simili venerantur, à quibus quid commodi accipiunt, aut per quod, si quid occurrat aduersitatis, depellunt. Abulens.

Cùm Moyses in Sina cum Domino differeret,& de legibus edendis ageret, tam necessariæ absentiæ impatiens populus Deos sibi producere cupit: vrgetur Aaron, ac tandem muliebribus ex iocalibus Deus ille conflatur, cuius comparatione sic apud illos vilescebat Moyses, vt ipso nomine nonnullam antiquæ dignitati iniuriam intulerint. Audi insanæ ambitionis voces: *Fac nobis deos, qui nos præcedant: Moysi enim viro huic, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Vitulus, à quo etsi delusi, ductationis beneficia sperabant, vti Deum suffitibus, & immolatis hostiis colebant; at Moysem Pharaonis Deum luminibus faciei prodeuntibus suspiciendum, dum arbitrantur defunctum; non Deum appellant; sed virum: *Viro huic*: & quidem Moysis merita maiorem, quàm vituli splendor, ad reuerentiam cogebant; ea tamen est mortalium amentia, vt vitulum, à quo beneficia sperant, exertis clamoribus inaugurauerint in Deum, & Pharaonis Deum, à quo iam spes nulla, solùm appellauerint virum: *Putauit Moysem interijsse*, scribit Interlinearis apud Lippoman. *aut aliquid accidisse, quòd non posset redire.* Aptiùs Lippomanus: *Nescimus quid acciderit huic viro Moysi: Quasi dicant: Quid ad nos Moyses? Fortassis mortuus est.* Dum suspicantur defunctum, Moysis ostendunt contemptum, dúmque vitulum fore sperant benefactorem, hostiis colunt, ac Deum exertis vocibus confitentur. Non impendebant meritis cultum; sed expectatis beneficiis obsequium: nam apud homines non sic venerationem extorquet meritum, vt lucratur beneficium. 49. Exod.32.v.1. Interlin. Lippoman.

Dauid sic meritorum gloria etiam apud inimicos 50.

micos clarebat, vt Angelus haberetur: cantu abegit dæmonem, lapidis iactu proſtrauit gigantem, montibus diſcerpſit feras; verùm cùm Saul argumentum nihil debentis odio implacabili quæreret, non ineptam rationem, vt animos ab
1.Reg.22. v.7. amicitia Dauidis auerteret, cogitauit: *Audite nunc filij Iemini, numquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros, & vineas, & vniuerſos vos faciet tribunos, & centuriones: quoniam coniuraſtis omnes aduerſum me?* Videbat Saul Dauidem præclaris virtutibus effulgere, fugitiuumque & pauperem montibus deerrare, & aduerſus merita oppoſuit nulla cupiditati ſperanda à paupere lucra: apprimè namque callebat parum curare homines de alieno merito & multum de proprio commodo. Reuereri omnes tenebantur eximias animi in Dauide dotes; verùm per id temporis nihil ab eo ſperare poterant inſanæ cupiditates: ergo Saul dum ſpem omnem euacuat, & reuerentiam erga Dauidem euacuandam prorſus ſperat: Innuit Noſter Sanctius ad
Sanctius. hunc locum: *Sumit argumentum ab honeſto, dum ait pro conſanguineo Principe aduerſus alienum conſanguineis eſſe laborandum: & ab vtili, cum ab alio eodémque rerum omnium egeno ſperari nihil poſſit neque ad honorem graue, neque ad vitæ ſubſidium opportunum.* Non negauit merita; ſed colentium vitæ præbere poſſe ſubſidia: quia nouerat apud homines minorem merita ſibi reuerentiam conciliare, & maiorem munera venerationem communiter extorquere. O quot ſepulta tenebris ſine plauſu iacuere merita: quia nequiuerant muneribus dignitatum ſibi negotiari faſtigia, officium & deuotionis obſequium de vtilitate enutritur propria, non de alterius meritorum præſtantia, aut de dotum excellentia.

51. Modò occurrit menti, cur Dominus, vt Aaronem Sacerdotij apice conſeruaret, ad dignitatis indicem virgam promiſiſſet florere, & addiderit fructificare: lis erat, an Aaron foret ab omnibus ſuſpiciendus, adeòque obcæcabatur inuidia, vt clariſſima nullatenus agnoſceret merita: tunc Deus, vt lites dirimeret, virgas iubet tributim accipi, vt quæ germinarit, foliis vti linguis ſententiam pro digniori protu-
Num.17. v.2. lerit: *Accipe ab eis virgas ſingulas per cognationes ſuas à cunctis Principibus tributim,* &c. *Quem elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me querimonias filiorum Iſrael.* Moyſes exemplo Domini adimpleuit præceptum, ac ſequenti die ſtupendo prodigio virgam Aaron inuenit floribus vernantem, ac fructibus ſaporatis prædiuitem: *Inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* O quàm Dominus dignis ſua promiſſa cumulauit auctariis! Promiſerat flores, & ſuperadiecit fructus. Verùm quid neceſſum erat extemporaneos extrudere fructus, ſi gratos ſatis erat producere flores? Profectò emergens flos Aaronis conteſtaretur exertè meritum; fructus accipientis eſſe poterat beneficium: cúmque officia non tam pendantur alienis meritis, quàm commodis propriis, opportunum fuit proferre, quibus alij viuerent, fructus, vt dignos meritis potiri quiuerit plauſus. Huc voco, quod aiebat Gregorius lib.14. mor.
Gregor. cap.19. & apud Gloſſam: *Virga Leui viruit, & quid virtutis Aaron in munere haberet, oſtendit.* Non me latet Gregorij ſenſus; ſic tamen theſi verba eius adapto: Quid Aaron virtutis haberet, virga oſtendit in munere: id eſt, dum ſaporatas amygdalas offert, populi promeretur obſequia: quia, dum obſequitur, & ſibi populus quærit lucra. Adſtipulatur Origenes apud
Gloſſam: *Inde refert flores, vbi profecit, & ſuauitate morum decoratur, & fragrantiam miſericordiæ, & benignitatis effundit: tandem affert fructus iuſtitiæ, quibus non ſolum ipſe viuat; ſed vitam aliis præbeat.* Vbi à virga fructus accipiunt, officia referunt: forſitan, quantumuis gratus flos meritorum venuſtate fulgeret, ſi defuiſſet fructus, debitam præſtare populus venerationem renuiſſet. Ergo opportunè floribus, fructibúſque decoratur hæc virga, ne ſine flore reuerentiam extorquere videretur indignam, & ne abſque fructu tarde potiretur debitam. Origen. Sacerdos morum fragrātiam effundat.

Forſitan hoc ipſum in primis illis generis humani parentibus miris actionum coloribus depinxit Deus: quem abſolutum, perfectúmque conſtruxerat ſimulacrum, dignitatis hominem extulit ad faſtigium, & creaturarum ipſi conceſſit imperium; verùm pleniori voluptatis ſenſu non fruebatur, quamuis tot haberet ſeruitia, dum eiuſdem generis nulla adſpiciebat conſortia: tunc Deus, quò adiutorium illi largiatur, mulierémque ad viri reuerentiam allexerit, de mutuata coſta fabricat, & artificioſè ædificat: *Tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Omnipotentiæ ſuæ detraxiſſe tantiſper videtur Deus, dum coſtam mutuatur: quid enim neceſſum erat ab Adamo accipere, quod ipſe faciliimè poterat procreare? Erantne potentiæ vires exhauſtæ in creaturarum molitione? Indigebat aliena ope, qui vitam cunctis infuderat, & ex nihilo ad lucis florem extraxerat? Minimè quidem: cur ergo partitur corpus, vt indiuiſus ſit animus. O ſapientiam immortalem! Adamus regia dignitate, ac Numinis ſimilitudine dignæ ab omnibus venerationis exigebat tributum, Eua ad viri creabatur obſequium, cúmque ea mortalibus conditio ſit, vt alienis meritis ad obſequelam parum alliciantur, dum collatis beneficiis non adſtringuntur, Euam vult coſtæ beneficium agnoſcere, quò promptiùs viro geſtiat tributum venerationi impendere: quaſi veritus parui apud Euam Adami æſtimanda merita, ni ab exordio in ſe collata ad obſequelam adigerent beneficia. Adeſt; Baſilius Seleucienſis orat.2. *Mulieris ſubiectionem ſilentio teſtatam facit: illa enim cogitans quo ex loco ſit efficta, voluntatem ad obſequelam flectat:* fors voluntatem ad obſequelam non flecteret, quantumuis Adami dignitatem adſpiceret, ni ſe ex latere fictam agnoſceret: nam apud mortales aliena deſpiciuntur non ſemel merita, & propria ſolùm ambiuntur commoda. Ergo prudentiſſimè Ioſue, vt populum ad Numinis impulerit reuerentiam, beneficiorum retulit copiam, & naturæ tacuit præſtantiam: *Iudæi namque non multum afficerentur ad Deum, quia Deus erat.* 52. Gen.2. v.21 Seleuc.

§. XII

§. XII.

Prudens validiùs armatur aduersus faustæ fortunæ periculum, quàm aduersus tempestatis aduersæ flatum.

53. MOrtalis conditio, vt aduersis abiectè deprimitur, sic secundis tumidè effertur: ad tuendam fortunam alia fortuna opus est; imò ad tuendam in prospera fortuna prudentiam vigilantissima industria: miserabiliori naufragio non semel tradidit adulans felicitati fauonius, quàm acriùs aspirans Eurus. Opportunè Seneca epist. 36. *Hi, quibus inuidetur, non desinent transire: alij elidentur, alij cadent: res est inquieta felicitas, ipsa se exagitat: mouet cerebrum non vno genere: alios in aliud irritat, hos in potentiam, illos in luxuriam, hos inflammat, illos mollit; at benè aliquis illam fert: sic quomodo vinum*, Vt generosius vinum ardentiùs inflammat, & turbata ratione ad casum validiùs instigat, ita felicitas, dum inflatior, & possidenti periculosior. Superbia enutritur diuitiis, ingluuies differtis mensis, amentia seruorum copiis. Hoc inter aduersam, & secundam fortunam discrimen est, quod aduersa adspicientes ad commiserationem allicit, prospera ad inuidentiam impellit; & ad hæc prospera, dum mille corpori architectatur delicias, mille moribus ascilcere solet fallacias. Premit aduersa fors corpus; sed virtutibus instruit animum. Calamitatis aquilo densas præsumptionis abstergit nebulas, & homine indignas sæpe ignorantias. *Sagitta*, inquit Plutarchus in Apophthegm. de Alexandro, *crure eius icto, vt conferti concurrerunt, qui frequenter erant eum Deum salutare soliti, refiziens vultu: Hic sanguis, inquit, est, non liquor.* Vulnus ostendit adulationis fallaciam, nutriuerat prosperitas homine indignæ præsumptionis amentiam. Hinc prudentissimè Iosue cùm populus stabili pace, multisque, commoditatibus frueretur, semel & iterum optimis præmunit consiliis, ne in extremam calamitatem labatur. *Quia vobis sorte diuisit omnem terram ab orientali parte Iordanis vsque ad mare magnum, multaque adhuc supersunt nationes, Dominus Deus vester disperdet eas, & auferet à facie vestra, & possidebitis terram, sicut vobis pollicitus est: tantum confortamini.* Opportuniùs videbatur dicere: Tantùm requiescite, & opimis fructibus exundantes gaudete; non ciere ad arma, dum prosperitatis animos oblectant commoda. Quid necessum est confortari, dum arridet tranquillitas; dum nulla premit aduersitas? Fortitudo in dura & difficilia obarmatur, ad prospera non accingitur; & tamen Iosue monet fortitudine armari, quos felicitate omnimoda videt fulgere: *Confortamini.* O prudentem virum! sciebat plures periisse voluptuosis felicitatis lenociniis, quàm superciliis aduersæ fortunæ toruis; ideòque semel & iterum admonet fortitudine armari, ne infaustè contigerit disperire. Huc voco Stoicum vbi suprà: *Non est quod tibi isti persuadeant eum esse felicem, qui à multis obsidetur: sic ad illum quemadmodum ad lacum concurritur, quem exhauriunt, & turbant.* Felix obsidetur à multis delitiis, voluptatúmque lenociniis, quæ non minùs valent ad eneruandum animum, quàm possit calamitas ad hominem euertendum. Sapienter ergo confortari admonet, vt à gratis & blandis hostibus liberet.

Seneca,

Fortuna uti vino utendum.

Plutarch.

Seneca. *Plures ad felicem vt exhauriant accurrunt.*

Iob athleta ille nobilissimus, dum commodis, deliciisque exundaret, veluti in aciem contra aduersariorum impetus consurgebat, & sacrificiorum arma prensabat: *Cùm in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis.* Verùm vt humana mutationibus subiacent semper exposita, præcipuè dum captiosæ inuidentiæ studio contra probos viros tenduntur insidiæ, de ditissimo Iobus inuenitur pauperrimus; verùm licèt dæmonis improbitas euertere prorsus niteretur fortunam, animi labefactare non valuit constantiam; imò acerbissimis, repetitisque nuntiis impetitus athleta strenuus surrexit, & in campum contra aduersarium insiluit. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit.* Ecce miles fortissimus stat in acie, non tamen hìc obtulisse refertur sacrificia, cùm alibi non minus studiosè surrexerit antelucanus, & sacrificia obtulerit solertissimus, *Consurgens diluculo offerebat holocausta.* Et cur qui olim ad holocausta veluti ad fortissima munimenta confugerat, calamitatibus impetitus ad arcendos inimicorum adsultus non offerat etiam libamina; hic surgit: *surrexit Iob*; illic consurgit: *Consurgens diluculo*: ibi sacrificiorum armis munitur, hic libaminum subsidiis non stipatur. Et quidem opportuniùs videbatur, dum hostis inuidentia adustus furebat, obiicere sacrificiorum scuta, & hostiarum induere arma: in pace superuacaneus est gladius, ad campum miles culpabiliter procedit nudus: ergo Iobus stylum vertat, & dum ingruens calamitatis obruit procella, hostiarum arripiat arma. O dignam homine cordato industriam! Nouerat Iobus maiora imminere pericula fortuna blandienti, quàm sæuissima minitanti, & pro temporis opportunitate militare ordinauit subsidium: ipse dolor, ipsa miseria superbiam cogit detumere, & animos deprimi elatos: ipsa spicula ab aduersitate contorta sæpè sunt pro virtutibus arma; at dum lætior fortuna, dum iucundior potus, dum delicatior cibus, dum opulentior census, sic animus obtutescit vt inimicorum pateat insidiis, & sæpe aduersariorum feriatur telis. Ergo Iobus sacrificia offert ridenti fortuna, non offert dæmonis furente insania: vt nos doceat accuratiùs in acie standum aduersus fraudulenta felicitatis lenocinia, quàm aduersus iratæ fortunæ tela. *Rectè*, aiebat Gregorius lib. 1. moral. cap. 7. *ad offerenda holocausta diluculo consurgere perhibetur: quia per hoc, quod pro nobis intercessionis suæ petitionem obtulit discussa erroris nocte humanæ mentis tenebras illustrauit.* Timuit disertissimus de conuiuiis, de generosioribus vinis menti tenebras generandas: ideoque curauit matutinis hostiis depellere, & felices orationibus obarmare. Adstipulatur Origenes apud Glossam: *Holocausta faciebat, vt gratias ageret, expiationem adhibebat in cogitationum remissionem, & vitulum pro animis. vt viui permanerent.* Celeriorem verebatur plaudenti fortuna mortem, quàm aduersante, ideò in aduersa non obtulit vitulum, in prospera offerebat holocaustum. 54.

Iob 1. v. 5.

Gregor.

Origen.

Inuidos improbitas excruciare non desinit: quale erit liuoris tormentum, quando vitæ ma- 55.

sunt sustinere periculum? Satrapas Daniel morti eripuerat; sed quia sapientiæ plausibus celebratus, ob regiæque beneuolentiæ fauorem ad dignitatis fastigia erectus, illum fraudulentis causis circumuenire gestiebant, & ne vel reliquiæ manerent, ferarum truculentiæ tradere festinabant: Dei supplicem carniuomis deuorandum feris committunt; sed adest Angelus, qui leonum truculentiam reprimat, & dentibus
Dan. 6. v. 22. fræna iniiciat: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Cælesti milite contra inuidentiam armatur, & ferina rabies comprimitur. Transi modò cogitatione ad Lotum, qui cùm Sodomis degeret, duo mittuntur Angeli, vt eius saluti prouideant, & securum à periculis imminentibus
Genes. 19. v. 1. reddant: *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere.* Profectò hæc arcana de sæculi more censeri possunt disposita: afflictis namque adstat rarus, amplior felicibus numerus; verùm hæc omnia arcana & nostræ eruditioni opportuna: Danieli cũ feris erat decertandum; Loto cum paradisæis voluptatibus confligendum, adeóque maiori munimine opus est facultatibus circumdato, quàm leonum sæuitiæ obiecto, vt Danieli vnus inter feras adstiterit Angelus; sed Loto inter delicias ad salutem adfuerit geminus. Adest
Ambros. Ambrosius apud Lippoman. *Penè non est profectus, vt euaderet, nisi vrgentibus Angelis, & tenentibus manum eius egredi coactus esset: non ergo profectus, sed eductus est.* Huius reluctantiæ
Rupert. causam tradit ibi Rupertus: *Amœnitate Sodomorum tenebatur, & irriguis penè paradisiacis aruis.* Florida alliciebant arua, diuitiarum illiciebant animum lenocinia, magnaque adeò felici ac diuiti imminebant naufragia, vt vnus, & alter Angelus necessarius fuerit: dum Daniel affligitur, ferarum ora frænantur; dum Lotus voluptatibus circumfunditur, eius dextera ab Angelis apprehenditur: nam dum deliciæ circumfluunt, felicem ipsum necessum est detinere; dum premit calamitas, infortunia exterminare. Quasi afflictio periculum sit extrinsecum, felici internum.

56. Christus Dominus Angelorum ope nullatenus indigebat: nec enim ab illis poterat mutuari subsidia, qui illorum virium erat fœcundissima vena; verùm ad nostram eruditionem, dum diuersis vtitur Angelorum ministeriis vtilissimis nos instruit doctrinis: ergo cùm apud hortum mortis premeretur angustiis, & iamiam aures perstrepentibus hostium percellerentur armis, Angelus adest, qui pauentem confortet.
Luc. 22. v. 43 *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum.* Vides afflicto vnicum adstitisse Angelum, vide
Isaiæ 6. v. 1. modò felici adstitisse geminum: *Vidi Dominum*, aiebat Isaias, *sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum: Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri.* Seraphinos appositos ad custodiam testatur Bernardus serm. 5. de ver-
Bernard. bis Isaiæ Prophetæ: *Quasi gemino quodam velamine, ne sublimiora prospiciat inuidus, prepeditur.* Præmiserat clariùs: *Quid æstimare vetat deiecto Lucifero ad peruigiles excubias Seraphim constitutos?* Dum throno eminet, imminens ad speciem geminis Cherubinis periculum arcet, dum sanguineo madet sudore, dum afflictionis arctatur angustia, vnius Angeli consignatur litteris assistentia: vt discamus maiori custodia indigere felices: nam miser solùm cum infelicitatis luctatur fluctu; at fortunatus cum alieni liuoris pruritu & propriæ superbiæ fastu.

Cùm mulier illa ad dæmonis perniciem nata, & ad infernorum gemitus edita cælo micaret, fulgentissimis syderibus redimita, induta Sole, & calcata Luna, draco alienis luminibus veluti stimulis incitatus bellum ciet, cui Angelorum myriades refragantur, vt opem ferant 57.
mulieri: *Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone.* Fugit mulier in solitudinem, & draco vel detriumphatus non destitit, hîc tamen nec Angelorum apparet exercitus, nec armatorum copiosus assistit numerus: duæ alæ datæ sunt, vt desertum incoleret; non tamen visa sunt agmina, quæ aduersus draconem insurgerent: *Data sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum locum.* Et cur si anteà circumdabatur milite degens olympo, modò careat armis delitescens deserto? Ipsa dubitatio est solutio: fulgebat anteà veluti inserta luminibus, modò degit deserto; anteà felicissima resplendebat fortuna; modò exulat ad speciem omni splendoris iubare orbata: vtque noueris valentiora requiri arma aduersus felicis fortunæ periculum, quàm aduersus austerioris sortis detrimentum: in deserto, vbi cunctis commoditatibus degit priuata, alis vtitur; in cælo, vbi refulgebat splendida, cingitur armatorum agminibus & bellicosis aiebat: *Duæ alæ*, exponit Hugo Charensis, *sunt contemptus mundi, & fruitio Dei, quas Christus continuò habuit etiam hic in vita, & quare data sunt illi, vt volaret in desertum... Ergo locus proprius Ecclesiæ est desertum, vbi nec res mundi sunt, nec tumultus.* Vbi mitium omnium fructuum caret copia, contra serpentem non indiget ad defensionem militiâ; indiget verò, cùm lucet fortunæ pompâ. Apoc. 12. v. 7 Hugo.

§. XIII.

Sceleris puniti memoria, valida aduersus vitij suggestiones ministrat arma.

Vnum exemplum, scribit Seneca epist. 7. *aut luxuriæ, aut auaritiæ multum mali facit: conuictor delicatus paulatim eneruat, & emollit, vicinus diues cupiditatem irritat.* Vera dixit; verùm vt studiosa peccandi cupido ipsas virtutes infecit, antidotúmque pestiferum transire compulit in venenum; ita etiam virtutis studiositas ipsum vitiorum venenum vertit aliquando in antidotum; & quod mortiferum parabatur excidium, inuentum est aliquando virtutis esse fomentum. Luxuriæ, aut auaritiæ exemplum pestiferum exhalat humorem, quo morum probitas corrumpatur, aut saltem debilitetur; hoc tamen est, dum impunitum gliscit, dum inultum audet; si tamen digno supplicio vindicetur, de supplicio virtutibus adulatur: effrænis libido transit in castitatis fomentum, dum dignum oculis repræsentat supplicium: militat deiecta pro humilitate superbia, quia auertit à consimili delicto ruina. Prudentissimus Iosue ad pugnam cum nationibus suos accendit, dum nationibus pœnas supplicium inflictas prodit: *Vos cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus... Multa adhuc* 58. Seneca.

adhuc supersunt nationes: Dominus Deus vester disperdet eos. Vitia nationibus designari probatione non indiget: ergo quem exitum aliæ nationes habuerint, in memoriam refert, vt contra nationes alias obarmet, quandoquidem ipsa disperdita vitia sunt pro virtutibus munimenta. *Memorabili ista oratione hortatur non quidem apertè, vt ad laboriosam militiam reuertatur*, Masius. scribit Masius, *& Chananæos passim reliquos eliminet.* Chananæi reliqui facilè eliminantur, dum cæteris nationibus illatæ pœnæ attenduntur: est namque sceleris pœna opportuna pro virtute militia.

59. Ab exordio religio vim passa est: qui Deo placuerat, occiditur, & liuor, quò faciliùs insectetur alienum, à sanguine auspicatur proprio: Cainus ille orci ianitor, cædis artifex, impietatis alumnus fratrem nulla stimulatus offensa faudulenter ducit in campum, & imparato lethale infligere anhelat vulnus; verùm Deus iusti iugulationem non negligit; imò cæsum honorat, dum de eius salute iugulatorem interrogat; at Cainus artes serpentis edoctus loquitur instar serpentis; nec solùm dexteræ vsum cædis commodauit delicto; sed etiam linguæ vsum fraudulento mendacio. Sed quid interest, inficietur delinquentis insania, si effusi sanguinis exerto clamore testatur lingua? Signum imprimit Dominus Caini fronti, vt trepidationis supplicio punitus Gen. 4. v. 12. Septuag. appareat omni aspicienti: *Vagus & profugus eris super terram.* Septuaginta: *Gemens & tremens eris super terram.* Quid hac trepidationis nota intenderit Dominus, rogant interpretes. Placet inter alios Seleuciensis Basil. qui orat. 4. existimat Deum de pœna simili obuiasse delicto: ostendit aspicientibus dignam parricidij mulctam, quò omnem à cæde cohibeat dexteram: parricidij quidem delictum, si inultum, similia audendi cæteris fuisset fomentum; at dum digna pœna omnibus apparet punitum, militat pro virtutibus obarmatum. Accipe Basilium: Seleuc. *Ærumnis constrictus esto, tuáque trepidatio posteris vertatur in legem: tremens obambula, animata lex videntibus occurrens: spirans columna auertat à pari pœna, lex, inquam, atramenti vice trepidationis nota conscripta.* Auidiùs audi sequentia: ***Malum tacere nescium intuentibus sit hortamento, & perturbata natura quietem suadeat.*** En stabilis quies perturbationem agnoscit matrem, & de tempestate oritur inconcussa tranquillitas: instabilis officina fluctuationis elaboratur constantia, & de parricidio parricidij exterminatur malitia. Perturbata natura quietem suadet: nam dum aspicientes criminis considerant mulctam, simili damno præbere refugiunt causam.

60. Christus Dominus curiam petens viridantibus foliis ficum pompaticam intuetur: fructum accedit quæsiturus non sterilitatis ignorans, sed discipulos instruens; maledictionisque pœna inflicta iam adspicientibus erat horror, Matth. 21. v. 19. quæ nuper floridus viror: *Arefacta est continuo ficulnea, & videntes discipuli mirati sunt.* Ficulneæ aspectus discipulos modò cogit ad magistri reuerentiam, cùm olim Euam proritauerit ad insaniam. Verùm cur in ficulnea præ aliis arboribus seueritatis documentum ostendit, & maledictum ariditatis indixit? Vt de veneno, inquit Isidorus Pelusiota, contra vitium præpararet antidotum. Mulier oculis vaga ficum vidit olim, cuius venustate illusa deliquit temeritatis audacia: *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, &* Gen. 3. v. 6. *pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Ergo, vt de aspectu medicetur aspectum, oculis ostendit aridam, quam olim venustè aspexerant floridam: vt si luxuriantes ramuli suasere delictum; iam aridi delicti incusserint metum. Audi Isidorum Pelusiotam epist. 51. *In hac re* Pelusiot. ***arcanus quidam sermo adnexus est à senibus sapientibus ad nos grassatus: nempe hanc transgressionis arborem esse, cuius etiam folijs ad corpus tegendum hi, qui mandatum violarunt, vsi sunt, ac proinde Christus humano ac misericordi animo hoc ei imprecatus est, vt ne posthac fructum peccati causam ferret:*** imò vt vitutes ariditate fulciret: nam si Eua de ficus adspectu temeritate insaniuit, iam exiccatæ arboris visus discipulos ad Numinis reuerentiam coëgit: est namque ad virtutem subsidium crimen, si iusta pœna mulctatum.

61. Exoculata Philisthæi ambitio, dum ad seruitutem Dei populum auidiùs nititur cogere, sibi maturauit imprudentissimè disperire: lapis à puerulo iaciebatur, & galea rumpebatur, caput plagam admittebat, & de corpore anima diffugiebat: gladio gladij baiulum diuidit, templóque ad memoriam facti suspendit, cúmque posteà grauius Dauidem periculum adurgeret, hoc gladio accingitur, & cæteris præstantiorem testatur: *Non est huic alter similis, da mihi eum.* 1. Reg. 21. v. 9. Et quid in hoc gladio egregius præliator vidit, vt cæteris anteferret? Certè modò superbia, ambitióque Saulis pectus nactæ domicilium contra Dauidem pugnabant, cúmque gladius ille fuerit superbiæ, & ambitionis supplicium prudentissimè, vt coronatus emicet triumpho, gigantæo accingitur gladio: quid enim contra superbiam, & ambitionem valentiùs, quàm superbiæ, ambitionisque ruina, & durissimi supplicij memoria? *Sternitur mortuus Goliat*, scribit Basilius Seleuciensis oratione 15. *sternitur alienigenarum turris: hoc* Seleuc. ***fidei spolium est, trophæum gratiæ, auxilij cælestis indicium, blasphemiæ coërtio, columna index extinctæ audaciæ: quid igitur super his David, qui omnia gratiæ tribuit, neque gladium infert in pugnam? inermis pugnator sublato Goliat gladio gladij dominum diuidit armis in vsus debitos versis.*** Gladius erat extinctæ audaciæ ambitionísque index: ergo bellicè strenuéque contra audaciam & ambitionem armatur, dum supplicij memoria oculis continuò ingeritur: gladius quasi de peruerso auxiliatu virtuti, dum inflictam pœnam ostendit sceleri. Adde non semel de illius posse desperari salute, qui ad mentem non redit de criminis punitione; imò vt peccatum punitum est optimum ad sanitatem remedium, ita despicientibus certissimum esse solet naufragium.

62. Cùm Pharao, quos in suam fidem aduenas hospitésque receperat, nulla humanitate premeret; imò ferina crudelitate laniaret, Moyses mittitur, qui populum deposcat exolui: refractarius rex, dum intractabili, duráque obstinatione obarmatur, sibi stragem præter intentionem molitur: denique primum diuinæ seueri-

tatis post virgam in serpentem conuersam testimonium Ægyptiis ineluctabile fuit naufragium: *Fugientibus Ægyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.* Et cur qui ranarum agminibus, qui muscarum copiis, qui suppliciorum imbribus non perierat, vorticibus obrutus tulerit mari naufragium? Certè quia mare sceleris cruentum iam præostenderat ipsi supplicium: *Ecce percutiam virga*, clamabat Moyses, *quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem.* Liquor pellucidam claritatem sanguineis horroribus commutauit: cuius causam rogat Theodoretus quæst. 19. aitque hanc plagam pro pueris exegisse vindictam: ergo cùm cruentatur mare, vndarum linguis testatur persequi Hebræos apertè indignum, quandoquidem duro supplicio mulctatum. Accipe Theodoretum: *Fluuius ille mutatus in sanguinem conqueritur de cæde puerorum per eos commissa.* Itaque fluuius in sanguinem commutatus, dum delicti oculis ingerebat supplicium, vel durum à scelere auertebat animum; at dum præostensi supplicij efficax medela contemnitur, in ipso mari contumaces rebellésque prudens vorticum insania adoritur: est enim in improbos insanire prudentia, vt nimium dissimulare stultitia: ipsa admonitione punitur, & vndis sanguineis mergitur: quasi de eius sanitate desperauerit ars, dum pestilentem obstinationis humorem ad se vidit trahere medelam efficacissimam, & curationem sæculis omnibus comprobatam.

Exod. 14. v. 27.

Exod. 7. v. 17.

Theodor.

63. Balthasar abusus potentia ad religionis iniuriam horribili vidit manu sententiam litteris exaratam: *Apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ.* Et cur irreuocabilis sententia scribatur in aula? Viderat antea Nabuchod. campo statuam corruere, torosam arborem repetitis securis ictibus cadere; metus tamen medebatur periculo: quia periculum euacuabatur de metu. Ad hæc arbor præcisa repullulat, diruta statua construitur: cur ergo sententia Balthasari fulminata irreuocabili decreto sancitur, si in Nabuchod. semel & iterum dicta reuocatur? Fors locus delinquentis culpam exaggerat, dum culpæ ignorari non patitur pœnam: Nabuchod. namque in aula superbiæ audiuit sententiam, & pati inceperat mulctam: Post finem mensium duodecim in aula Babylonis deambulabat; respondítque rex, & ait: *Nonne & hæc Babylon magna, quàm ego ædificaui in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Dum in aula superbit Nabuchod. exulat mulctatus ab aula: aula ergo punitæ superbiæ erat index, & humilitatis admonitrix; cúmque in aula Balthasar sacrilegus & vanus superbit, in aula irreuocabilem exarari sententiam videt: quasi indignus venia fuerit, qui nec ipso sceleris supplicio resipuit: & ne nobis his in rebus coniectandi daretur occasio, audi prophetam ipsum: *Quando eleuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est, & à filijs hominum eiectus est, &c. Tu quoque filius eius Balthasar non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia, &c. idcirco ab eo missus est articulus manus, quæ scripsit hoc.* Quasi dicat: si superbiæ ignorares supplicium, si ipsa, qua delinquis, aula non existeret monimentum, forsitan irreuocabilis non decerneretur pœna; verùm cùm laboraueris ipso remedio, ineuitabili peribis excidio. Adest Lyra. *Quasi dicat: grauius peccasti: quia exemplum in auo tuo habuisti.* Qui alienæ calamitatis non eruditur exemplis, perire exambit suppliciis: nam nimis inuenitur stultus, qui post periculum delinquit incautus.

Dan. 5. v. 5.

Dan. 4. v. 26.

Dan. 5. v. 20.

Lyra.

Nimium inuenitur stultus, qui post exemplum incautus.

§. XIV.

Faciliùs triumphat fragilitas virtute armata, quàm torositas, si iustitiæ auxilio nuda.

64. VIros legit campus omni imbonitate induratos, & torosis membris munitos: imbecillis iure vocatur imbellis: nam cui non suppetunt robustæ vires ad arma, ad hostium plausum procedit temerarius ad prælia: masculum animum, & qui acceptis plagis vel de genu pugnet Mars seligit; desidem ac imbecillem fastidit: *Belus ferreum gladium primus produxit*, scribit Cassiodorus 1. variar. 30. *à quo & bellum placuit nominari: consilium atrox, crudele præsidium, ferina certatio. Datum illi est priùs inermem facilè vincere.* Homines amat militia truces, & leonum adinstar ad nullius occursum pauentes; verùm licèt ad triumphos torosæ exigantur vires, non proderunt, nisi suffulciantur virtutibus: rariores triumphos peperit robur, quàm virtus: nam sæpè corruit sine virtute potentia, & ab imbellibus etiam detriumphata est temeritatis audacia: si animi virtus & corporis robur amico fœdere coniungantur, ægrè ab aduersariis vincuntur; imò facilè floridis redimiuntur lauris, opimísque ditantur trophæis. Decantatam toti orbi Romanorum fortunam non tam illis peperit validus corporis vigor, quàm concinnus virtutum moralium tenor. Ita Plutarchus lib. de Roman. fortuna: *Quamuis graue, & continuum inter fortunam & virtutem bellum & dissidium sit, ad tantam certè imperij, & potentiæ conglutinationem probabile est eas inducijs factis conuenisse, atque vbi conuenerunt, absoluisse, & consummasse opus omnium humanorum pulcherrimum.* Vbi virtus animi, & corporis virtus conueniunt, aduersariorum adsultibus difficillimè superantur; verùm si ex his vtra erit desideranda, conducibilius est ad victoriam virtutis viribus suffulciri, quàm prævalidis corporis viribus obarmari: vicit namque sæpiùs imbecillitas, si virtutis muniatur armis, quàm torositas si propriis impugnata sit vitiis. Hanc veritatem testatur mens Iosue ad populum concionem habens: *Multa adhuc supersunt*, inquit, *nationes: Dominus Deus vester disperdet eas, & auferet à facie vestra, & possidebitis terram, sicut vobis pollicitus est: tantùm confortamini, & estote soliciti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi.* Satiùs videbatur monere, vt solicitè arma caperent, & in aduersarios irruerent; & tamen adhortatus est ad præcepta, non ciuit ad arma. Ecqua huius ratio est? Quia licèt

Cassiodor.

Gladius à Belo primùm inuentus.

Bellum ferina certatio.

Plutarch.

Aliquando virtus conuenit cum fortuna.

cèt ipsi armorum potentiâ nudi, facilè detriumphabunt feras ac truces nationes, si legis obseruantia congrediantur armati, & clypeo præceptorum protecti. Ita Abulensis quæst. 2. *Est sensus quod Deus illas nationes deleuerat in conspectu Iudæorum tradens in manu ipsorum, cum Iudæi fragiles essent, & nationes robustæ*: Iudæi Deum numerabant in auxiliis, hostes fere immensis pollebant armis; verùm vbi in campum prosiluit legis obseruantia, cessit virium, & armorum potentia. — Abulens.

65. Cùm larga manu in populum Dominus effunderet beneficia, non solùm liberalitatem suam commendauit muneribus dilargitis; sed auxit etiam negatis: *Non eijciam eos*, loquebatur de hostibus, *à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ.* Profectò qui homines eiiciebat, & bestias facilè exterminare valuisset, ni aliquod lateret arcanum, & edoceretur mysterium; nec enim Deus homines exterminare poterat, & bestias non poterat. Verùm quia in bestiis carnales appetitus voluit intelligi, dum bestias impedit, & inimicos permittit, edocet certiorem fore victoriam de fortissimis hostibus, ni Iudæi eneruentur vitiis, quàm de paucissimis, si debilitentur peccatis. Prodest August. quæstione 17. in Iudic. *Quod ait: Ne multiplicentur in te bestiæ feræ, mirum si non bestiales quodammodò cupiditates, & libidines intelligi voluit: quæ solent de repentino successu terrenæ felicitatis existere: nec enim Deus homines exterminare poterat, & bestias non poterat vel perdere, vel pasci potius non permittere.* Sic homines ad bellum culpis euigorantur, sic emasculantur delictis, vt satius fuerit sine vitiis cum fortissimis pugnare, quàm debilibus inferre bellum, si adfuerint crimina. Bestiæ ergo, hoc est carnales appetitus exterminantur, & ad victoriæ gloriam hostes robustissimi permittuntur: quia facilius est inermem sine vitio de hostibus validissimis detriumphare, quàm robustum vitiis defœdatum hostem imbecillem vincere. — Exod. 23. v. 29. — August.

66. Adstabat mole illa superbiæ spatius gigas, & cùm turris instar inter cæteros emineret; plus tamen vanissima turgebat superbia, quàm procera corporis statura: puerulus Dauid armorum ignarus aduersarius occurrit, quem conspicatus gigas in risum effusus est, ludicrum certamen existimans: *Cùm inspexisset Philisthæus, & vidisset Dauid, despexit eum: erat enim adolescens rufus & pulcher aspectu.* Basilius Seleuciensis orat. 15. diuinitus hoc testatur procuratum certamen, vt noscerent homines, quàm facilè sit detriumphare hostem cælitus impugnatum, immetatis etiam viribus præmunitum, quantásque vires inspiret puerulo, quantumuis imbecilli ac inermi, ad triumphum legis ritè obseruatum præceptum. Audi Basilium: *Quasi hæc ad eum loqueretur* (gratia.) *Nihil tibi eiusmodi opus armis, quæ partem gloriæ bellicæ sibi arrogent: communicetur inter nos, ô Dauid, belli decus, ne victoria gloriam ad se trahat armorum potentia: videant te pastoris habitu deprœliantem: gratiæ, non armis trophæum adscribatur.* Dauid imbecillis armis prodit nudatus; virtutibus tamen munitus; & vincit: nam constitui oportebat exemplum, scilicet de potentissimo etiam hoste virtutem inermem triumphare, & vel gigantem facilè vitiis oppressum corruere: quid enim opus est ad corruendum armata dextera, si interna validissima oppugnet culpa? A puerulo vincitur gigas: hic namque vitiis impeditus, & ille virtutibus obarmatus. — 1. Reg. 17. v. 42.

Aman armis & potentia superbus draconis induit faciem, quò Mardochæum penitus deleat serpentis astutia, & diuitiarum potentia: *Ecce duo dracones magni parati contra se in prælium.* Mardochæus faciem etiam serpentis assumit; verùm vt captiuus nec efflorebat armis, nec diuitiarum pollebat copiis: iam ergo descendunt in arenam parati in prælium: & quidem non dubius ad speciem belli exitus, cùm bellicus adeò diuersus fuerit vtrique apparatus: Mardochæus facilè cedet, & Amanus, etsi infaustè, facilè vincet. Hæc profectò ita ad speciem videbantur futura, quando magna adeò virium inter decertantes inueniebatur differentia; verùm vt noueris præ armis pollere iustitiam, vicit Mardochæus inermis, & detriumphatus est Amanus potentia fretus, & iniquâ astutiâ fisus: clamabant dracones, & licèt ad iusti clamorem exiguus solummodò emicuerit fonticulus, & ad iniqui voces copiosissimus in arma ruerit exercitus; tamen labilis vnda triumphauit de superba armatorum potentia: *Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt nationes, vt pugnarent contra gentem iustorum.* Hebræi acri vndique arctabantur timore, vtpotè validissimis hostibus impetiti, vt nulllo humano auxilio suffulti: *Conturbata est gens iustorum timentium mala sua, & præparata ad mortem*; verùm timor ipse fuit illis pro armis, & qui imbecilles coronati sunt triumphatores: *Humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos.* Adest noster Sanctius ad cap. 10. *Cum gens iusta imminere sibi videret à potentiori manu ineluctabile fatum, conturbata vehementer in eo statu, atque articulo, in quo nulla proponebatur ad salutem via, clamauit ad Deum, qui fecit, vt paruus ille fonticulus cresceret in fluuium, & mutaretur in Solem, & impetu aquarum præcipiti, & æstu nimio inclytos & superbos opprimeret.* Fonticulus vicit, gens exarmata triumphauit: nec enim superbissimus draco, in quem cælum iaciebat fulmina, potiri valuit victoria: dum Mardochæus Deum in auxiliis numerat, quantumuis imbecillis, appetentes calamitates exterminat: induit namque pro thorace iustitiam, apprehenditque inexpugnabile æquitatis scutum, in quod nec potentiæ valent tela, nec serpentina prodest astutia. — 67. — Esther 11. v. 6. — Sanctius — In superbum etiam quæ à natura dissident, concordant.

Huius veritatis non ignarus acri Herodes timore percellitur: nam cùm ad recèns natum regem Magi fulgentissimi syderis magisterio ducti accurrerent adorandum, sic gelido timore correptus est, vt non dubias perturbati animi notas dederit, nec celare dissimulatione sagaci quiuerit: *Ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.* Quæ Ierosolymæ timore concutitur, timorem à rege depulsura penitus videbatur: quid enim timeat puerulum recèns natum rex potentissimus hastatis, & scutatis militibus septus, & aduersus omnem timorem armatus? Nil mirum vereretur periculum, si Ierosolyma ab eo defe- — 68. — Matth. 2. v. 2.

defecisset, & proditionem aliquam cogitasset, aut si aduersarius bellorum expertus ad certamina prouocaret multis armatorum agminibus constipatus; verùm quid timeat ab inermi puerulo fasciis ligato grandæuus homo ferè immetato militantium imperans numero: *Turbatus est*, inquit, & quidem iure: nec enim erat stultus, quamuis obcæcaretur superbus: videbat recèns natum puerulum; sed tota ciebat virtutum copia munitum, agnoscebat se copiosis exercitibus obarmatum, nec paucioribus sceleribus deditum: & prudentissimè timuit fragilitatem coronandam lauris aduersus exercitus, roborísque valentiam multis oppugnatam delictis. Opportunè Augustinus apud D. Thom. *Rex impius timuit adhuc matris vbera lambentem.* Delicti conscius puerulum timet: quia intra se stragis causam agnoscit: tota Ierosolyma Herodis partes tuetur, grandis potestas aduersus pericula armatur; verùm in hoc prudens sibi vel à puerulo veretur imminere ruinam: quia scit in se culparum armari copiam: *Rex impius timuit adhuc matris vbera lambentem.*

§. XV.

Iustus liciti se oblectamenti ad labores fallit spebus; iniustus conscientiæ morsum sopit de exercendis aliquando virtutibus.

69. NVllus est adeò obcæcatæ mentis homo, cui sine conscientiæ morsu placuerint vitia: rarus perfectæ adeò virtutis, vt licita non placuerint oblectamenta. *Hoc ipsum*, scribebat Seneca epist. 12. *succedit in locum voluptatum, nullis egere. Quàm dulce est facultates fatigasse, ac reliquisse!* Animo sanè hoc iucundum; sed corpori sæpesæpiùs asperrimum: lis & controuersia est cupiditati & virtuti: vel qui in vitiis callos obduxerunt, conscientiæ aliquando morsu, si non dilacerantur, tanguntur, & quò præsentibus liberiùs indulserint voluptatibus, exercendæ posteà virtutis se fallunt, & imponunt spebus: vt enim infirmus, cui malignus putridæ febris ardor præcordia depascit, artificiosi fontis sitim eludit aspectu, & aliquando ore pleno bibendum sibi promittens, oris lenit quodammodo siccitatem; sic peruersus conscientiæ timore vexatus spes suas in futurum differt, & conscientiæ latratum industriis promissis fallit. Ad rem Tertullianus lib. de spectac. cap. 1. *Tanta est enim vis voluptatum, vt ignorantiam protelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationem, aut vtrumque.* Instat ratio; sed in commodiorem occasionem eius differtur consilium, ne voluptatis tunc minuatur oblectamentum: studiosè obsurdescentes conscientiæ voces non audiunt, aut saltem futuris placare student promissis. Hoc idem honesto modo iustis accidisse reperies, quos sæpè angor virtutis premit, & imbecillitas carnis resistit: licita sibi postmodum fore oblectamenta promittunt, pœnitentiæque insuauitatem, abstinentiæ rigorem licitis voluptatibus sibi persuadent citissimè commutanda, aut sine dubio finienda: & ne in longum spes suspensa diuexet, de industria breue sibi præscribunt spatium, quo ab honesta fallacia aduersus carnis insultus opportunum mutuentur auxilium. *Rectus, atque integer animus*, scribebat Seneca epist. 99. *corrigit praua fortunæ, & dura atque aspera ferendi scientia mollit.* Iosue quo populum honesta ad certamina efficaciùs alliciat, legique non solùm parere; sed assentari etiam doceat, citissimè corporalia oblectamenta promittit, quò de spe & carnis emolliat reluctantiam, & exactiorem legis persuaserit obedientiam: *Possidebitis terram, sicut vobis pollicitus est: tantùm confortamini, & estote soliciti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi.* Aduersariis fortissimis depræliari, luctam cum proceræ magnitudinis monstris inire, solicitudinem vel fortissimis incutiebat; verùm dura asperáque emolliunt certamina, dum sibi citissima amœnæ regionis, fertilísque telluris grata promittunt oblectamenta. Ad perferenda dura de sagaci promissione muniuntur, vt improbi ad prosequenda illicita oblectamenta de spe virtutis armantur.

Seneca. Prudens fortunam emollis, dum prudenter fert.

Seruiuit Iacob annis septem Labano socero eximia Rachelis pulchritudine illectus: rigidas despexit niues, æstuantes tulit ardores peruigil & insomnis: testatur ipse: *Æstu vrebar & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Anxios perferebat labores, vtque muniret constantiam, iucunda connubia, opulentas diuitias, animi corporísque placidam sibi futuram requiem cogitabat. Hoc ipso tempore Laban imposturam facit, & fraudes honesta ad speciem causa colorauit: agnouit fraudem Iacobus, cúmque iustis socerum appellaret querelis, respondit: *Imple hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoque dabo tibi.* Ecce & eruditæ & peruersæ mentis industriam. Laban iniquus, vt iustitiæ querelas sopiat, se iustè processurum promittit, & se in posterum aliter facturum spondet: spe virtutis iniustitiam defendit: nec minus Iacob pro virtute industrius liciti oblectamenti spebus virtutis labores subit: alter ne frangatur molestiis, confugit ad liciti gaudij auxilium: alter vt iniustas prosequatur technas ad futuræ iustitiæ votum. Ad rem sanè Gregorius passim in hoc paragrapho citandus in 1. Reg. cap. 11. *Sancti viri, vt hosti illudant, rigorem conuersationis in præsenti virtute habent: pro illusione infirmitatis carni quoddam commodum in futuro promittunt: nam sæpè ingentia sunt, quæ agunt; sed pro infirmitate carnis semper agere dura, & aspera promittere non præsumunt. Tantò quidem faciliùs eadem dura sustinent, quantò eorum onera sibi inesse in perpetua promissione non vident.* Ausculta auidiùs, quæ subdit. *Sed dum optimè viuunt, & quotidie proficere, & non deficere conantur, illud carnis licitum blandimentum, de quo desperare non possunt, semper carni in futura æstimatione promittunt.* Quid subtilius? Fragilis humana natura oblectamenta sitienter exambit; aspera auidissimè refugit: Sancti ergo, quò ad perferenda dura faciliùs alliciant, oblectamentorum spebus armant: de futuro corporis gaudio ad perferendos virtutis labores alacriori incitantur studio: Iacob ergo duros animosus labores deuorat, dum transacta hebdomada sibi promittit futura gaudia. E contra Labanus, ne iustitiæ ingratas sibi voces semper auscultet, ad futuræ iustitiæ promissionem recurrit: non negat

Marginal notes: 70. — Genes. 31. v. 40. — Genes. 29. v. 20. — Gregor. — Seneca. Iucūdum est voluptatibus non egere. — Tertull.

gat Rachelem dandam; sed promittit in posterum, vt Liam maritet fraudulenter intrusam: *Hanc quoque dabo tibi.* Præsentem confirmat fraudem de ipsis iustitiæ promissis, vt Iacobus duras laborum perferet molestias de oblectamentis futuris.

71. Psal. 54. v. 7. Hoc fortasse ingenio aiebat Psaltes: *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Non solùm discupiuit volatum, sed honestum etiam otium, & forsitan sibi promisit otium, vt maturaret volatum: terrea moles non potest continuis virtutem ambire studiis, quin honestis suffulciatur oblectamentis: iustus ergo, quò celeriores spiritus libraret alas, & fore sibi honorem throni promisit; & placidissimam post volatum requiem spopondit. Audi Anastasium lib. 6. anagog. contemplation.
Anastas. *Eiusmodi volucris desiderabat fieri ille, qui dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, quæ descendit in Iordanem, & volabo, & requiescam in illa requie cælestium volucrum sex alas habentium.* Alludit ad Isaiæ 6. vbi Seraphim excelsi
Isai. 6. v. 2. eleuatique solij apice refulgebant: *Seraphim*, inquit, *stabant super illud*: quibus & pulchra alarum concinnitas, & concinna gloriæ varietas: Psaltes ergo, quo indefessæ columbæ alas volaturus assumat, throni honorem, alarum pulchram sibi varietatem depinxit, vt de honesto illo honoris ambitu, thronique desiderio & volandi leniret laborem, & laboris depelleret lassitudinem. Qui summa virtutum nondum inscendit, his se honestis oblectamentis communiat, ne laboris pondere pressus deficiat: nam cum natura humana oblectationis sit appetens, ni oblectationis suffulciatur spebus, non poterit se continuis librasse ad alta volatibus: *Volabo*, inquit, *& requiescam*: de honesto quietis otio celeri est auxiliatus volatui; ne humana natura columbæ detrectaret volatum, ni honestum volatus sibi promitteret otium.

72. 1. Regum 11. Naas ille, qui serpens interpretatur, expeditionem instruit aduersus Iabes Galaad ciues, qui cùm dura obsidione pressi coangustarentur, septem dierum depoposcerunt inducias, quibus transactis ciuitatis traderent gazas. *Concede nobis septem dies, vt mittamus nuntios ad vniuersos terminos Israel, &, si non fuerit, qui defendat nos, egrediemur ad te.*
1. Reg. 11. v. 9. Diuus Gregorius, quo ad mores cælesti pollebat acumine, præsentem sic historiam adaptat, scilicet habitatores Iabes, hoc est afflictæ, & exiccatę oblectamentis à serpente contra virtutem continuè allici & prolectari; hi tamen carnis imbecillitatem experti, virtutisque studiosissimi inducias petunt, & post dies septem se afflictionem, laborisque ciuitatem relicturos serio ad speciem promittunt, non quia virtutem deserere cupiant; sed ne corpus omni delectatione negata fatiscat. Itaque exigui temporis petunt inducias, vt pœnitentiæ prosequantur molestias, ne pœnitentiæ prosequi nequeant molestias, si nullas ab oblectamentis rogarint inducias.
Gregor. Audi Gregorium loco citato: *Qui sunt habitatores Iabes, id est, exiccata, nisi qui castigationem extenuatæ carnis in longo habent vsu virtutis.* Subdit posteà: *Quo in loco notandum est, quia ad Naas egredi sub conditione promittunt; sed vrbis mœnibus sub conditione muniuntur: quia abstinentes in eo etiam, quod secundum carnem infirmi sunt, roborari per diuinam miseri-*

cordiam confidunt: & quia gulæ vitium decipiendo supplantare gestiunt, dicunt: Concede nobis septem dies: quasi enim à gula tempus conceditur, quando eo respectu comprimitur, vt eius desiderijs quandoque seruiatur. Inediam sibi perpetuam indicere robur fatigaret humanum; at vel imbecillis potest ad exiguum tempus sustinere ieiunium. Dum ergo nisi valida appetitus famе impugnantur, continua non minantur ieiunia; sed citissime lauta futura sibi promittunt fercula, quo hac honesta fallacia quasi delinitum edendi desiderium ad tempus permittat protelasse ieiunium. O fallaciam honestissimam! ó pulchram fraudem sopire promissione appetitum, & exercere ieiunium.

Hoc idem peruersa via videas accidisse malignis: anguntur sæpesæpiùs conscientiæ stimulis, & cælitus immissis flagellis, & inter appetitus insanias, & rationis molestias inducias petunt ad tempus, non quo postea rationi pareant; sed quò liberius tunc appetitui indulgeant. Pharao importunis ranarum clamoribus verberatus, obnixè precatur Moysem contra molestissimum laborem auxilium; ille, quia Dei ad instar non incutiebat verbera vt affligeret personam; sed vt depelleret culpam, statim lubentissimè assensit: *Constitue mihi*, inquit, Exod. 8. v. 9.
quando deprecor pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te. Ille inter verberum ictus & cupiditatis affectus nec ferre poterat, nec restituere volebat. Quid ergo? In crastinum se restituturum promisit, & possidere distulit, quo de ipsa spei fallacia fraudis protelaretur astutia: *Qui respondit: Cras.* Confugit ad crastinum, vt differret in sempiternum: de spe blandiri voluit conscientiæ, de versutia malitiæ. Aptè Gregorius vbi suprà: *Possunt qui-* Gregor.
dem bona proponere; sed quia exequi, quod proponunt, nequeunt, & à præsenti concupiscentia superantur, & bonum, quod in præsenti deserunt, in vicino tempore se recuperare posse confidunt. Sæpè quidem ieiunare disponunt; sed cum consueta gula vincuntur; eo die manducandum iudicant, in futuros ieiunandum... cras enim, quod semper promittitur, nunquam reperitur. Si differret in longius, in se ipsum insanire criminaretur conscientia, vtpote qui cælesti negligebat deperire vindicta. Ergo quo sibi imponat, diuersaque appetitus, & rationis ingenia à natura discrepantia fœdere fraudulento coniungat, & conscientiæ promittit crastinam pœnitentiam, & præsentem exequitur appetitus insaniam: & spes, quæ partes rationis agere videbatur, in liberioris audaciæ fomenta conuertitur, quandoquidem vitiis eo solum die liberiùs indulgendum suadet, quasi in crastinum non possit, & cùm dies crastina nunquam illucescat ad virtutis obsequium, ficta illa spes scelerum incrementat delirium. Peccandi hodiernum explet appetitum, quasi ad virtutum castra mane sit transiturus, & cùm nox illa nunquam resipiscentiæ illustretur aurora, proiectiori semper debacchatur audacia. Iosue ergo peruersitatis ingenium honestè detorquens ad virtutis studium terrenas, licitasque voluptates permittit: *Possidebitis terram*, vt ad mandata legis implenda honesta industria prolectat: *Confortamini, & estote soliciti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi.* Disce ergo ab impiis pias pro religione fraudes, vt pro hone-

state, quas pro sceleribus illi, exercere valeas industrias.

§. XVI.

Obsequium Deo præstitum gratius est de religiosa obedientia, quàm de pretij summa, aut multitudinis copia.

74. Tertullian. ARtificium promerendi, scribit Tertullianus lib. de patient. cap. 4. *obsequium est; obsequij verò disciplina morigera subiectio est.* Obsequiis hominum promeretur fauor eò præstantior, quò & obsequium amplius & nobilius: apud Deum verò non de quantitate censetur; sed de subiectione taxatur: morigera subiectio est obsequiorum vita, præstantiæ index est religiosa obedientia. Obsequium sponte exhibitum Numini probatur gratum; sed quod obedientiæ decorat disciplina apparet pulchrius, & habetur sæpius pretiosius. Demetrius vir ille fortissimus, cùm illi amplam patientiæ materiam sors obtulisset, dolebat animi sui fortitudinem de exprompta non commendari obedientia, quantumuis virili adornaretur constantia.
Seneca. *Hanc animosam Demetrij fortissimi viri vocem audisse me memini*, scribit Seneca lib. de prouident. *Hoc vnum, inquit, dij immortales de vobis queri possum, quod non antè mihi voluntatem vestram notam fecistis: prior enim ad ista venissem, ad quæ nunc vocatus sum*: Quasi dicat: Vultis liberos? illos auferri patiar magnanimè. Vultis aliquam mei corporis partem? largiar generosè. Vultis valetudinem? nullam moram faciam, quo minus recipiatis, quod dedistis: à volente feretis, quidquid petieritis. Hoc vnum de vobis querar, quod licèt aduersa serenâ fronte tulerim, præceptis tamen non obediuerim; cùm obedientia magnum operis sit ornamentum, & virtutis dignum elogium. *Maluissem*, inquit, *offerre, quàm tradere.* Magnus animi & fortitudinis commendabatur vigor salutem spernere, corpus nudare, & quidquid delectat, abiicere; dolebat tamen Demetrius eximium Deo fortitudinis obsequium præstitum sola patientia, non obedientia exornatum: sciebat namque quoduis aliud vel amplissimum obsequium eximio carere cultu, & gratissimo Numini ornatu. Addit Philosophus: *Nec seruio Deo, sed assentio.* O quàm nouerat obedientiæ præstantiam, & Deo assentiendi excellentiam! Hinc Iosue morti proximus, huiusque philosophiç satis gnarus studiosissimè legi monuit obedire, vltra legémque vel ad dexteram vetuit partem vagari. *Tantum confortamini, & estote soliciti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi, & non declineris ab eis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Abulensis declinare ad sinistram interpretatur minùs, quàm lex præcipiat, efficere; ad dexteram verò plus quàm ipsa iubeat, offerre. Audi ipsum quæst. 3.
Abulens. *Deus voluit Iudæos teneri ad obseruandum legem secundum tenorem, quòd etiam addere aliquid ad legem, vt opus esset maius, non permitteretur, vtpote, si Deus iubeat offerre agnum anniculum, non permitteretur quòd offerretur vitulus, quamquam esset solemnior oblatio.* Ad dexteram declinaret, qui vitulum pro agno offerret; verùm vt noscamus obsequia Deo oblata non tam commendari de summa, quàm de obedientia, noluit legem vel in melius excedi, vt exactè didicerint obedire, cúmque omnia illis in figura contingerent, his Deus nobis obedientiæ commendauit excellentiam, vt nosceremus obsequiorum esse præstantiam.

Deus religiosi ritus, dignásque cæremonias populum edocens iubet legi nec addi, nec minui: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec eminuas.* Certè 75. Deuter. 12. v. 32.
imminutio vitari debuit, quandoquidem quidquid imminutum, habetur omnibus imperfectum; prohibere verò honestum incrementum in religiosi studij ad speciem vergebat incommodum. Cur qui arietes duos lege tenetur offerre, nequiuerit quatuor litare, quando expromptior probatur voluntas, & relucet animi generositas? Iterum repeto, quæ dicebam: omnia illis in figura scilicet contingere, nostræque eruditioni sacrari: vt ergo noueris obsequium, quod obedientia litat, plus Deo placere de morigera subiectione, quàm lautiori de quantitate, vetuit addere, iussit exactè obedire. Certè dum arietes quatuor offeruntur, à propria voluntate ortum probabatur obsequium; obeditur que, cùm impletur à legibus statutum, eaque religiosæ obedientiæ est præstantia, vt vincat vel longè lautiora obsequia. Non assero quodcumque opus propter obedientiam patratum quæuis aliarum virtutum opera excellere, & virtutis merito superare; aio tamen sic Numinis oculis gratam inueniri obedientiam, vt non semel vel exiguum obsequium appareat de obedientia gratius, quàm sine obedientia numero grandius, & materiæ pretio excellentius. Audi Procopium apud Glossam: *Quidam præpotentes sibi visi hoc quòd stateram ingentem suæ vitæ fabricassent, se ipsos ab Ecclesia abstraxerunt.* Procop.
Dum non legis sequuntur præcepta; sed ad austeriora quidam nituntur studia, misera non semel decidunt in errata: agitantur namque aliquando superbiæ spiritu sub fucato austerioris vitæ prætextu. Adde obedientiæ opera spontaneis semper præferri, & à Numine commendari.

Fugiebat Iacob fratris iram, cúmque, vt rixarum præciderit causas, patriam & domum relinquit, in cælestem admissus patriam, ampliorem hæreditatem inuenit: vidit scalam illam sæculis celebrem, & ne tanti beneficij tempus aboleret memoriam, lapideam gratus erigit columellam: Deo dicauit altare oleo perunctum, ritéque consecratum: *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper.* Aliquantum temporis fluxerat, 76. Gen. 28. v. 18
cùm ob Sichimitarum cædem prudenti timore concutitur, rationabilique angore percellitur, tunc Deus Bethel iubet repetere, altaréque ad sacros cultus erigere: *Surge & ascende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo:* paruit exemplo Iacob, altare construxit; oleo tamen textus perunxisse non tradit: *Ædificauit ibi altare, & appellauit nomen loci illius: Domus Dei.* Iam Gen. 35. v. 1.
sciscitari lubet, cur Deus nouum altare iusserit excitari, quando primum illud sacris poterat vsibus deseruire: & quidem altare illud oleo micabat sacratum; cùm recens hoc oleo non referatur perunctum. Si stat ara chrismate initiata, quid opus est denuò aliam erigere; &, si fas

fas est dicere, ad antiquæ iniuriam dicare? Ea se mihi offert ratio: primum illud altare Iacobi erectum arbitrio; hoc secundum Numinis constructum præcepto: quamuis ergo primum illud oleo nitenti exundarit, & secundum oleo ad speciem caruerit, hoc quasi gratius erigitur, illudque postponitur, non quòd religioæ gratitudinis Deus repudiarit studium; sed quod obedientiæ prætulerit ad nostram eruditionem obsequium. Adest opportunè Lippomanus: *Hic primùm Domino iubente ara erigitur: quæ prius leguntur, sine Dei præcepto factæ erant.* Prima ara sine Dei præcepto fuerat constructa; secunda Dei iussu dicata: hæc ergo vocatur ara, illa dicitur columella. Adde quæ absque Numinis finut iussu, ab obsequiorum aliquando dispungi censu.

Lippoman.

77. Saul post felicem illam, arcanamque Ionathæ ad speciem temeritatem, post de Philisthinis victoriam altare Deo ædificat; imò tunc primum ædificasse refertur: *Ædificauit Saul altare Domino, tuncque primum cœpit ædificari altare Domino.* Difficile est tunc primùm altare ædificasse, cùm præcedens caput altare prædixerit erexisse, & holocaustum dicasse. Ait ergo Saul: *Afferte mihi holocaustum, & pacifica: & obtulit holocaustum:* si ergo priùs altare cõstruxisse refertur, cur posteà primum erexisse dicatur? Hieronymus in qq. Hebraic. tradit primum illud altare ab obsequiorum numero expungi, vt quod sine obedientia contigerat excitari; at altare hoc rite & obsequiosè constructum; & ideò vocari primum. Accipe Hieronymum: *Quia inobedienter illud ædificauit, non Domino ædificasse intelligitur; hic autem quia obedienter & rectè illud ædificauit, Domino ædificasse perhibetur.* Hoc altare, quia obedientia construxerat: quia religio dicarat, primum est habitum; illud quia sponte, quia indebitè fabricatum, reiectum: Numinis gratiam promeretur obedientia, & commendatum de lege non potest sordescere de repulsa. Legi ergo Iosue exactissimè præcipit obedire, nec præter legem obsequium incrementare, vt doceat non tam officium placere de quantitate, quam de legi subiectione. Adde vel Christi Domini opera, cùm omnia infiniti valoris fuerint, ad nostram eruditionem voluisse nescio quam ex obedientia venustatem contrahere, &, si fas est dicere, commendationem accipere.

1. Reg. 14. v. 35.

1. Reg. 13. v. 9.

Hieron.

78. Nascitur Dominus, & iam ab exordio inuidiam passa est religio, & à Magis adoratus ad cædem quæritur. Angelus Ioseph admonet fugam inire, & dolosas inuidentiæ technas frustrare: *Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Chrysologus, quo solet ingenij acumine, hanc fugam amori, nostræque salutis studio animaduertit ad speciem indecoram: nam si eo moriendi amore flagrabat, vt vita esset patientiæ materia, cur mori distulit? Cur Ægyptum, ac si timeret, repetiit? Ad hæc fuga imbecillitatem arguit, impotentiam sugillat; & Dominus sibi fugit iniurius, & nostræ ad speciem redemptioni contrarius? Imò ideò fugit, scribit Chrysologus serm. 151. vt redemptionem nostram perfectiùs consummaret, & virtutem suam commendatiorem sæculis reddidisset: crucem ascendens obedientiæ fuit forma assentente Paulo: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis:* si puerulus moreretur, licèt eiusdem mors extitisset valoris; non tamen resplenderet opus de obedientia; sed de fortitudinis tolerantia, isque splendor operibus de obediéntia accrescit, vt prouidentissimus fugerit: *Quod fugit Christus, fuit mysterij, non timoris: fuit liberatio, non periculum creatoris; diuinæ virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ: non fugit propter auctoris mortem; sed fugit propter sæculi vitam: nam qui mori venerat, quare fugeret mortem?* Auidiùs accipe, quæ sequuntur: *Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se paruulum permisisset occidi: Christus venerat, vt quos præceptis docuerat, firmaret exemplis, & ipse faceret, quæ facienda mandauerat.* Vt obedientiæ commendaret virtutem venerat, vtque fusus per obedientiam sanguis culpas elueret, hominésque Deo gratissimos redderet: ergo si mortem eius obedientia non commendasset, tota nostræ salutis causa teste Chrysologo iam periisset. Et quid exaggeratius potuit pro obedientiæ elogiis afferri, quàm ipsa Dei opera obedientia commendari, Deumque ipsum, ne morti suæ hoc deficeret decus, Herodianos frustrasse adsultus?

Matth. 3. v. 13.

Ad Philip. 2. v. 8.

Chrysolog.

---

§. XVII.

Nulla leuis in religionem censenda culpa, ideò rigidâ quæuis punienda pœnâ.

79 INtemerata veri Numinis fides regnorum fulcrum, & humanæ salutis est sustentaculum: qui veræ notitiam religionis sortitur, habet, qua possit saluari tabulam, vel cùm vitiorum tempestatibus agitatur: qui in fidem peccat, vitæ sibi scaturiginem imprudenter obturat. Frustra regna operosis armantur propugnaculis, si impetantur errorum telis. Vnde Augustinus citatus à Politico Christiano tom. 1. cap. 19. aiebat: *Constare debet inter omnes veraciter pios neminem sine vera pietate, id est, veri Dei vero cultu veram posse habere virtutem:* miseræ obiectus viuet calamitati, qui veræ fidei non firmatur anchora, vt aduersus truces fortunæ vultus armatur, qui veræ munitur religionis tutela. Refert Nazarius de Constantino habuisse ob fidei puritatem auxiliares cælestes copias, quæ fulgorum iacerent in aduersarios sagittas: *Flagrabant verendum nescio quid vmbone corusci, & cælestium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant, vt tui crederentur: hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Constantino imus auxilio.* Addit eleganter Nazarius: *Habent profectò & diuina iactantiam, & cælestia quoque tangit ambitio, illi cælo lapsi, illi diuinitus missi gloriabantur, quòd tibi militabant.* Itaque à religione magna regnis regibusque propugnacula, & cælestia sunt munimenta; vtque optimis ducibus maximè curæ est ciuitatum muros vtili importunitate lustrare, ne quid dirutum, aut labefactatum aditum præbuerit hostibus, & attulerit cladem ciuibus; ita Regibus summo studio sit intemeratam semper religionem tueri, vt omnem à suis ruinam facilè quiuerint propulsare: nam vt murus dum integer, & hostilem frustrat adsultum, & ciuium depellit metum: ita fides, si intemerata, regna tuetur, & vti inexpugnabile vallum aduersariis obiicitur. Qui in alias virtutes peccat, habetur sceleratus: qui

August.

Nazarius.

Sacra quoque cælestia tangit ambitio.

qui in fidem, à veritate inuenitur alienus: *Acerrimi Numinis Appollo*, refert Valerius lib. 1. *qui Carthagine à Romanis oppressa veste aurea nudatus, id egit, vt sacrilega manus inter fragmenta eius abscissa inueniretur.* Detestanda profectò Apollinis erat religio; verùm dum putatum falsò Deum temerauit audacia, sacrilegas præcidit manus vindicta; vt liqueret omnibus, quæ in religionem perpetrata duriùs præ aliis fore punienda. Iosue morti proximus populum vtilissima concione instruens sub à tellure optima dispersionis pœna iussit, ne vel gentium deorum nomina labiis proferrent, aut ad fidem obtestandam adducerent: *Ne, postquam intraueritis ad gentes, quæ inter vos futuræ sunt, iuretis in nomine deorum earum.* Addit posteà *Iam nunc scitote quod Dominus Deus vester non eas deleat, &c. donec vos auferat, atque disperdat.* Leue ad speciem videbatur nomina idolorum proferre, aut ad faciendam gentilibus fidem deos ab ipsis cultos obtestari: verùm ea debet religio puritate fulgere, vt nec ficti Numinis nomen liceat Dei cultoribus vsurpare. *Quod iuramus*, scribit Masius, *ei Numen inesse quodammodò vel imprudentes statuimus.* Adstipulatur Lyra: *Ad hoc inducit rationem, primò ex amore boni, secundò ex timore mali.* Seueris sub pœnis idolorum nomina proferre vetuit: quia contra religionem militare cognouit.

80. Dæmon vt est humanæ calamitatis studiosissimus, implacabilisque odij stimulis agitatus, immaturum sepulchrum præparat, & viuos homines nititur amandare sepulchris: hominem inhabitabat, & hospitij merces dolor ingentissimus erat: venit Dominus prædam à violento hoste potenti manu erepturus, & iam tremens ad pedes prolabitur, seque in abyssum non mitti exorat: *Deprecabantur eum multum, ne se expelleret extra regionem: erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus pascens, & deprecabantur eum spiritus dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus: & concessit eis statim Iesus.* Transi modò cogitatione ad ipsum dæmonem, qui cum facie serpentis personatus Euam fuerit fallaciis aggressus, sententiam durissimam tulit, vt scilicet turpi adreptatione fœdas per tellurem spiras traheret, vt calcato victitaret cœno, vt omnibus execrandus obscuro delitesceret antro: *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Et cur hîc grauem adeò sententiam audiat, cùm ibi tantillùm Deus deprecanti ad speciem indulgeat? In paradiso mortem architectatur; sed in sepulchro vitam abscindit; mortis auctor mortis inhabitabat mansionem, & miserabilis homo vitam morte grauiorem velut iudicio dato sustinere cogebatur, dum nec carebat sensu, quia viuus, nec sepulchri horroribus, quia sepultus. Ergo vtrobique pœna sit æqualis, cùm culpa videatur similis vtrobique. O, amabo te, versutiæ serpentinæ fallaciam attende: aiebat Euam allocutus: *Eritis sicut dij*: dumque deorum pluralitatem ore perfido molitur stabilire, veram vnius Numinis fidem subdolus conatur euertere: hîc ergo duriorem tulit mulctam: quia aduersus religionem, vti præpilatum telum contorserat fraudulentiam. Innuit Basilius Seleuciensis orat. 3. *Eritis sicut dij. Tu mihi, frater, tu huiusce dictionis insidias obseruato, quæ omnis impietatis parens ac radix extiterunt, si quidem per eam Græcorum superstitio pullulauit, & impietatis sectæ hinc progenitæ sunt: hanc primam machinam contra veritatem machinatus est, persuaderi posse hominibus, vt pro Numine rem procreabilem ducant, hoc vsque ad idolorum vtilitatem Dei nomen disiecit.* Contra religionem paradiso mouit serpentina versuties arma; contra vitam Gerasenis immatura effodit sepulchra: vtque noueris quamlibet in religionem culpam acerrimo fore supplicio puniendam, legioni tantisper indulsit; serpentem verò execrationibus onerauit. Profectò dum aliis indulgetur erratis, lucet non semel misericordia; in delictis verò contra fidem ad seueram vltionem sæpè compellit materia. Iam si placet duram huius legionis pœnam cum aliis aliàs dæmoni inflictis componamus, vt hanc ipsam veritatem iterum comprobemus.

Dæmon sic hominem totum possederat, vt ipsis sensibus spoliasset, & cùm viuum reliquisset ad pœnam, stipitem reddebat ad vitam: *Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum*: dæmon abactus est; non tamen durè hîc se torqueri conqueritur, cum alibi egregiè vapulare queratur: *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Et cur hîc duriora dæmoni infligat Christus tormenta? hominem hîc sepulchro tradit; sed ibi etiam & sensuum vsum abscindit: ergo eadem vrgeat vtrobique seueritas, aut pœnæ seueritatem vtrobique temperarit benignitas. Discriminis causam innuit Chrysostomus in catena ad Matth. 8. *Perniciosum dogma imponere volebant, scilicet, quòd animæ morientium dæmones fiant: vnde multi aruspicum occidunt pueros, vt animam eorum cooperantem habeant.* Ecce cur seueriorem sepulchra inhabitantibus Dominus pœnam intulerit: quia dæmones, vt ita dicam, erant dogmatici, & veræ fidei aduersi: quamuis ergo alias culpas mitiùs puniuerit, in fidem commissas duriùs, diriúsque sapientissimus vindicauit: vt Principes, superioresque doceret, ne pestiferam hanc lucem permitterent serpere; sed studerent vigilantissimè abscindere.

81. (in margin beside "Dæmon sic hominem")

82. Geminam sustinuit mulctam Nabuchod. Statua celerrimo lapilli ictu corruit; arbor in longius tempus durauit permissa, nec radicitus prorsus auulsa: arbori excidium decernitur; sed radicum germen seruatur: *Germen radicum eius in terra finite*: statua sine interuallo euertitur, & nec vestigium leue permittitur: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullúsque locus inuentus est eis.* Quæris discriminis causam; sed inuenies facilè, si attentè euoluas historiam: arbor vmbrâ feras protegit, garrulas aues ramis habitare permittit, inflatissima superbia turget; at statua diuinum sibi honorem aggreditur vsurpare, & veram religionem euertere: hæc ergo statuæ culpa omnimoda celerrimáque deletione vindicatur; arbori verò misericorditer indulgetur: pietas erat arbori radicem, vt vtili supplicio secta iterum pullularet, permittere; sed ipsa exigebat pietas statuam penitus abolere. *Vsurpauit infelix*, scribit Theodoretus orat. 3. *vt opinatus est, diuinum honorem: neque satis ipsi fuit à subiectis sibi populis adorari; quin etiam*

Margin notes: Valer. Max. — Masius. — Lyra. — Marc. 5. v. 10 — Gen. 3. v. 14. — Seleuc. — Luc. 11. v. 14. — Matt. 8. v. 29. — Chrysost. — Dan. 4. v. 12. — Dan. 2. v. 34. — Theodor.

etiam eodem adorationis cultu imaginem coli lege sanciuit. Vbi veram fidem temerare aggreditur, celeri ictu lapidis dissipatur; vbi aliis vitiis laborat, tantisper ipsi indulgetur.

83. Multa delicta defœdarunt sæpiùs Hebræos; inter reliqua verò Achani peccatum fuit celebre ob seuerum pœnæ supplicium, & obseruatæ linguæ silentium: sic desæuiit cælestis vltio, vt quidquid ad Achan pertinuerit, voracibus ignis flammis fuerit absumptum,& veluti peste

Iosu.7.v.25. infectum nigras in fauillas redactum: *Lapidauit eum omnis Israel, & cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt.* Scrutemur peccati arcanum: *Vidi*, fatetur ipse, *inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulámque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli,& abscondi in terra.* Pro re-

Septuag. gula aurea legerunt Septuaginta, *linguam auream.* Et quidem duriori,quàm fas esset, pœna punitum videtur hoc furtum, aut quàm deceret, mitiori aliud Hebræorum peccatum. Peccauit Absalomus fratrem fraudulenter occidens; & tamen Dei personam gerens pepercit pater: peccauit prodigus;& tamen benignè ex-

1. Regum 4. v.17. Tertull. ceptus, & mensa opipara recreatus. Peccarunt sacerdotes inhiantes rapinis; nec tamen flammis, sed morte puniti sunt: *Mortui sunt Ophni & Phinees*, scribit Tertullianus aduersus Psychicos cap. 16. *filij in acie ruunt, nurus expirat in partu: hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens sacrificiorum carnalium defraudatrix:* si ergo ob sacrificiorum rapinam sacerdotes capitis dedere pœnas; cur grauiorem ob rapinam pœnam sustineat Achamus? Fors lapidatus est de delicto, vstulatus est de silentio: dum abscondit linguam, peccatum celari satagit, non fateri. Verùm sacratius in litteræ cortice Origenes adinuenit mysterium homil.7. in Iosue, & apud Glossam: in aurea lingua peruersa hæreticorum, fidémque impugnantium dogmata existimat designari, ob ídque graui adeò supplicio Achami culpam puniri: sacerdos cecidit certamine occisus; Achamus verò lapidibus periit obrutus,& flammis, vt nonnulli arbitrantur, decinerescit adustus: fidei bellum infert, dum aditum peruersis dogmatibus aperit: ideò pia lapidibus obruit sæuitia, & re-

Origen. ligiosa vstulauit flamma. Audi Origenem: *Furatus est linguam auream, & posuit eam in tabernaculo suo. Non puto in illo furto parui auri tantam vim fuisse peccati, vt tam numerosam Dei Ecclesiam macularet; sed multus decor est in verbis, multa in rhetorum, vel philosophorum moribus pulchritudo: qui omnes sunt de ciuitate Iericho, id est,de hoc mundo.* Attentiùs au-

Hæreticorum sermo sæpe calamistratus, & cultus. di quæ subdit: *Si ergo inuenias apud philosophos peruersa dogmata luculenti sermonis assertionibus decorata, ista est lingua aurea.* Ecce dignam tanti supplicij causam, in religionem deliquisse, dogmatáque peruersissima disseminasse: alia ergo delicta, quia in fidem non militabant, sunt leuiori pœna punita; hæc verò vti religioni aduersa, flammis voracibus vstulata.

§. XVIII.

Quod voluitur sæpiùs mente, non plurimum distat ab opere.

Affectus operis est principium, nec tardè executioni mandatur, quod mente sæpiùs 84. obuoluitur: quod semel & iterum fixè animo inhæret,manus ad opera exacuit: vnde irruentia vitiorum phantasmata solicitâ discretionis manu tentant abegisse à mente, qui stabili nolunt defecisse virtute: nam si semel animum intret voluptuosum sceleris simulacrum, citò parturiet delictum. Crebra cogitatio instigat affectum, affectus impellit manum, & qui prauis negligenter indulsit cogitationibus, se illicitis quodammodò iam defœdauit operibus: defœdauit, dixi: quia licèt non fuerit adhuc in facta, erunt quàm citò sæpè futura. Imaginatio primú animi munimentum est,quod si importunis cogitationum adsultibus improbæ intrarint,ac deuicerint cogitationes,aditum culpis aperient,& constantiam animi subruent. Optimè Tertull. de cultu fœm.c.12. *Addiscimus aduersus congressus etiam & suspiciones impudicas prouidendum omni modo esse: quid enim castæ mentis integritas in alterius suspicione maculatur? Quid speretur in me, quod auersor? Cur non mores meos habitus pronunciat, ne spiritus per aures ab impudentia vulneretur?* Tertull. Mentis integritas labefactatur, dum per aures impudicis phantasiis imaginatio concutitur: longissimè à delictorum imaginibus debet distare, qui tenuit delicta operibus adimplere. Iosue huius doctrinæ non ignarus populum seriò adhortatur, ne fictorum Numinum nomina vsurpet; imò ne imaginatione verset: *Ne postquam intraueritis ad gentes, quæ inter vos futuræ sunt, iuretis in nomine deorum earum.* Masius legit: *Neque nommemoretis nomen deorum illarum*; verùm quid interest mente nomen obuoluere, simulacrorumque recordari, dum detrectauerint labiis proferre? Aut si vetat memoriam,cur operis explicuit malitiam? Imò quia prohibuit malitiam,inquit Masius,prudentissimè inhibuit memoriam: nam quod animo obuersari permittitur, opere frequenter impletur: audi Masium: *Iis est consentaneum,quod idem Paulus ad Ephesios scripsit, cùm eos moneret, vt neque stupra, neque obscœnitates alias, aut auaritiam inter se nominarent: fieri enim vix potest,vt nihil nos afficiat, neque ad nostrum sensum adherescant, quorum sæpè vsurpamus memoriam.* Crebra memoria adfectionis est filia: dum ergo commemoratione flabellatur affectus, in delicta appetere videtur casus. Masius.

Iosue cum populo de Numinis cultu disse- 85. rens illorum virtutem, religionisque puritatem, elogiis dignissimis. celebrauit: *Adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis vsque in diem hanc.* Iosu.23.v.8. Non multò post edictis præcipit idola auferri, & gẽtium stupiditates penitus abiurari: *Auferte deos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel.* Iosu.24.v.23. Diuus Augustinus, quo solet acumine, quæst.29. in Iosue non modicam difficultatem opponit: *Quid est, quod ait idem Iosue loquens ad p[illegible]um: Et nunc circumferte deos alienos, qui sunt i.. vobis, & dirigite corda vestra ad Dominum Deum Israel? non enim credendi sunt adhuc habuisse aliqua gentium simulacra,* August.

mulacra, cùm superiùs eorum obedientiam prædicauerit. Profectò Iosue refragari sibi videtur, dum intemeratæ obedientiæ profert elogia, & vanissima gentium auferri præcipit simulacra: nam si asseruatis inanium deorum simulacris inueniebantur polluti, religiosa non poterant obedientia laudari ornati: si de religione iure commendabantur, cur statim vti mendaciorum æstimatores acriter reprehenduntur? Aut non reprehendat, si laudat, aut non laudet, si reprehendit. O excelsam Augustini mentem! Populus externa deorum simulacra nullatenus possidebat; cogitatione tamen illorum nomina, & proprietates sæpiùs versabat; adeòque coniuncta sunt & memoria sæpiùs voluere, & operibus adimplere, vt Iosue, quasi iam habeant, deos iubeat auferri: quia vidit animo commemoratione frequenti volui. Accipe August. *Neque putandum est hoc illum inaniter præcepisse: non enim ait. Et nunc auferte deos alienos, si qui sunt in vobis; sed omnino tanquam sciens esse: Qui sunt, inquit, in vobis. Proinde propheta sanctus in cordibus eorum cernebat esse cogitationes de Deo alienas à Deo, & ipsas admonebat auferri.* Laudauit idola exteriùs non colere; verùm quia idolorum vidit sæpiùs recordari, idola iussit auferri: nec imprudens arbitratus est factum, quod sic tenaciter animo videbat obiectum: *Cernebat esse cogitationes, & ipsas admonebat auferri.*

August.

86. Iacob cùm sæpiùs soceri se fraudibus circumuentum doleret, nec viribus impar pugnare quiret contra potentiam, prudentem excogitauit industriam: oues accepit curandas eo pacto, vt si parturæ à parentum coloribus discreparent, in solicitì præmium laboris cederent: tunc virgas accipit populeas, amygdalinas, & ex platanis, quas ea decorticauit industria, vt aliò virgæ tractu niteret viror, & aliò appareret candor: *Tollens Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis ex parte decorticauit eas, detractisque corticibus in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit; illa verò, quæ integra fuerant, viridia permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius.* Variegatas virgas posuit in canalibus, vt cùm oues accederent bibituræ, virgarum intuerentur vmbras, & colorum aspicerent maculas: *Posuit eas in canalibus, vbi effundebatur aqua, vt cùm venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas.* Verùm inquiramus, quid interest varius menti obiiciatur color, quando Iacobi solum intererat varietas velleribus ouium sparsa, non imaginationi impressa? Intendit, vt oues varij velleris edant parturas, & ponit decorticatas canalibus virgas? O arcanam prudentis philosophiam! Nouit Iacob parum distare ab opere, quod sæpè voluitur mente, ob idque decorticatas ac varias virgas obiecit oculis, quò ouium phantasiâ sæpiùs obuoluatur varietas, & partus varia nascatur fœcunditas: nec enim oues poterant externa non exprimere actione, quod non sine oblectamento toties repræsentabatur phantasiæ. Adest D. Thomas ad hunc Genesis locum: *Secundum Hieronymum virgarum varietas faciebat vmbras, seu imagines arietum & hircorum in aqua illa resplendentium varias apparere fœmellis simul in aqua intuentibus virgas.* Curabat Iacob, vt varietas affectuosè animo imprimeretur frequenter visa, quò varia prodirent opera: *Posuit eas in canalibus*, scribit Lippomanus, *vt in ipso calore concipiendi imaginatione ouium ex varietate virgarum & colorum maculosæ oues vel capræ conciperentur id, quod & factum est.* Opus imaginationi respondit, & quod phantasia non sine voluptate versatum, opere sine dilatione est expressum. O quàm distarent à parturis maculæ, si ab imaginatione distarent vmbræ! at dum phantasia semel & iterum varietatem reuoluit, & varietate aspersa vellera partus edit: nec enim poterant distare ab opere, quæ toties reuoluebantur in mente.

Genes. 30. v. 37.

D. Thom.

Lippoman.

Pharaonis pistor somnium vidit, aues scilicet se pascere, quòd sic animo fixè obuersabatur studium, vt nec dormiens interruperit desiderium: *Et ego, inquit, vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auésque comedere ex eo.* Nec solùm pistor; sed etiam vidit pincerna, feracem scilicet vitem, ex qua aureas decerpebat vuas, vt generosum liquorem ex eis exprimeret, regique calicem propinaret: Ioseph optimus arcanorum coniector somnia certa interpretatione enodauit: prædixit alteri, Pharaoni calicem citissimè porrecturum, & aues alterum carnibus alteri: *Lacerabunt volucres carnes tuas.* Et cur Iosephus ex insomniis coniicit futuros effectus, cùm sæpè somnia ex cruditatibus fuerint orta, nec futurorum præsagia? Ita equidem; verùm disertissimus coniector videns sic fixum animo, vt nec somnus interpellauerit, votum, indubium prædixit euentum: dum alter non vnico; sed plurimis diebus cogitat se regi exhibere obsequia, digna agnoscitur præstiturus officia: dumque alter non sine voluptate tribus diebus canistris adumbratis aues opiparè enutrit, ansam coniectori præbet: non indubius prædixit somnia operibus perficienda, dum vel inter dormiendum vidit imaginatione depicta. Quàm aberat pincerna à potandis auibus, quando mente solùm regia obiiciebantur obsequia! Quàm distabat à præstanstando Principi obsequia, qui aues innutriendi dicabatur studio vel inter somnia: non imprudens Iosephus prænuntiauit euentum, dum frequentem examinat cogitatum: prorumpunt namque sæpissimè in opera, quæ sæpiùs mente obuoluta. *Vterque*, scribit Lippomanus, *secundum interpretationem congruam sibi vidit somnium: vult dicere: Quisque somnium vidit de suo negotio & successu iuxta exigentiam propriæ causæ.* Quod sic thesi adapto. Alter, dum vel somnians Principis mente tractat obsequia, certa executionis protulit signa; alter verò dum aues pascere, nutriréque cogitat, non tectè opere se innutriturum denunciat: nam quæ animo sæpiùs inhærent, & operibus expressa lucent: *Iuxta exigentiam propriæ causæ*: regis obsequium mête obuersatum, ad opere quodammodo compellebat explendum, vt auium obiectus animo pastus externos etiam consulebat effectus. Qui virtutum excellentiam, puritatis candorem reuoluit animo, difficulter obscœno maculatur libidinis luto; at qui carnis negotia pingit phantasia, libidinis non difficulter est victima. Ergo Iosue, vt longiùs idololatriæ relegauerit culpam, sapientissimè vetat vel idolorum memoriam.

87.

Genes. 40. v. 16.

Lippoman.

§. XIX.

§. XIX.

Si antiqui sceleris pœnitudine deleatur umbra, vt interrupta nullatenus videatur vitæ innocentia.

88. LAbilis mortalis frugalitas insanis passionum flatibus agitatur, & sæpè ad noxias appetituum syrtes illiditur: fascinat rationem voluptas, & animi propositum vincit cupiditatis temeritas: vnus peccatoribus portus est, scilicet pœnitudo, qua & Numinis ira obsistitur, & passionis furor frænatur: *Quod supra omnes pietates indulgentissimum est*, scribit Cassiodorus lib. de diuin. lection. cap. 16. *acceptam sibi pœnitentiam iudex ipse testatur, quando etiam verba, quibus rogetur clementissimus redemptor, indulget; terret, vt corrigat, iudicium minatur, vt parcat, & sic nos præcipit viuere, vt pijs Angelis mereamur esse consortes.* Homo Dei simulacrum, eiúsque studio expressum paulò minùs inuenitur ab Angelis; at qui inferior nobilis natura originis, suppar; imò Dei contubernalis honesto pœnitudinis artificio, & grato cælis lachrymatum profluuio; verùm is pœnitentiæ sit ardor, vt penitus quidquid vitiositatis consumat, aut saltem sic abradat, vt nec curiosis oculis antiquæ culpæ quis despicere valeat notam, aut deprehendere possit vmbram. Iosue ad populum concionem habens firmam adeo in Dei cultu eius allaudauit constantiam, vt nunquam incurrisse religionis dixerit notam: *Ne postquam intraueritis ad gentes, quæ inter vos futuræ sunt, iuretis in nomine deorum earum, & seruiatis eis, adoretísque illos; sed adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis vsque in diem hanc.* Cui videatur Princeps inuerso stylo adulari populo, eiúsque extollere facta non modica veritatis iniuria. Numerorum namque 25 sic à religione obcæcati libidine exorbitarunt, vt initiati fuerint Beelphegor: *Fornicatus est*, inquit, *populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua; at illi comederunt, & adorauerunt deos earum: initiatúsque est Israel Beelphegor.* Si ergo constat magnum illos obscurasse idololatriæ delictum, quomodò Iosue huiuscemodi testetur nunquam perpetrasse peccatum? Varij varia respondent; placet tamen nostro instituto opportunior Charensis Hugo: testatur namque delictum illud ea populum lachrymarum vi deleuisse, ea pœnitudinis angustia emaculasse, vt pro non factis computetur, & antiquorum scelerum censui non addantur. Accipe eius verba: *Hoc falsum videtur, quia Numerorum 25. legitur quòd initiati sunt Beelphegor. Solutio: Iam pœnituerant, vnde pro non facto habebatur.* Vt optima medicamenta sic infirmæ valetudinis imbecillitatem corroborant, maciémque depellunt, vt homo antiquæ sanitati ac robori restitutus infirmitatem aliquam non censeatur passus; sed optima semper valetudine videatur vsus: ita pœnitentiæ salubris homini austeritas sic animæ salutem reparat, sic peccatorum maculas eluit, vt vitæ innocentia censeatur nullatenus interrupta; sed laudabilis in virtute tenoris seruata semper constantia: *Pro non facto habetur.* O quanta pœnitentiæ dignitas! O quanta peccatori à pœnitudinis medicamento commoditas!

Cassiodor.

Deus minatur, vt parcat.

Num. 25. v. 1.

Hugo.

Dum immetata Nabuchod. superbia, & humanæ vanitatis limites supergressa iactantia inter Numina indigitari contendit, in brutum mirando portento cudit. O quàm diuersa promittit cæcus ambitionis affectus, ac superbis afferat casus! Brutum montibus deerrabat humana specie prorsus obliterata, & oculis adspicientium deleta, tantáque est abstinentiæ vis, vt fœno victitantem in hominem resculpserit, quem vsque ad brutotum censum ciborum copia deiecit: dedit vexatio intellectum, quem superbissimus potentiæ fastus abstulerat, vel ad minus densis vanitatis tenebris obcæcarat. Ecquis hoc ait? Ipse sanè Nabuchod. *Ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi... In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei, decorémque perueni, & figura mea reuersa est ad me.* Intulerat tumoris culpa bruti speciem, aquilæ, aut leonis figuram; at dum pœnitet, sic prorsus dedecoris illius ignominia est abrasa, vt antiqua forma sit reddita: qui illum aspiciebant, quamuis folio agnoscerent aliquod tempus caruisse, suspicari non poterant humanam faciem mutasse. Huc voco quod aiebat Tertullianus lib. de pœnitentia, cap. 2. *Pœnitentiam destinabat purgandis mentibus præpositam, vbi quidquid error vetus inquinasset, quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentia verrens & radens, & foras abijciens mundam pectoris domum superuenturo Spiritui sancto parat, quò se ille cum cælestibus donis libens inferat.* Euertit, erasit pœnitentia quidquid intulerat culpa. Addit Tertullianus cap. 12. *Babylonium regem in regna restituit: diu enim pœnitentiam Domino immolarat.* Antiquo sic est splendori restitutus, vt aspicientibus videretur nullatenus interceptus.

89.

Dan. 4. v. 31.

Tertull.

90. Fallar, ni hanc pœnitentiæ vim efficaciámque Dominus edocuerit, cum Petro de futuris passionis tempore casibus disserens: *Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Si hoc Domini promissum cum Petri contuleris casu, non videtur fides non defecisse; negauit namque semel & iterum; sed penitus auolasse: enuntiet ergo citò pœnitudine restaurandam; non verò non defecturam: orationis namque suæ efficaciæ detrahit, si testetur se orasse, & postulatum non obtinuisse. Imò, vt pœnitudinis commendet energiam, in acie perseueraturam docet constantiam: emollita est muliebris loquelæ flammis vel Marpesia cautes; celeriter tamen adeò pœnitentiæ arma in se & inimicum vibrauit, vt nunquam putaueris corruisse; imò dixeris detriumphasse; pro non defectu fidei computatur negatio: quia vberrimus lachrymarum fons maculam eluit, & ardens pœnitudinis dolor adussit. Audi Ambrosium in Psalm. 43. *Vide quid dicit, & intellige. Ventilatur Petrus, vt Christum negare cogatur. Incidit in tentationes, quadam locutus est quasi palearum plena; sed locutus est verbo, vt fundatior esset affectus: denique fleuit, & paleas suas lauit, & illis tentationibus meruit, vt pro se Christus interueniret.* Fides Petri deprædicatur, & quamuis aduersarij machinamentis

Luc. 22. v. 31.

Ambros.

mentis

mentis fuerit concussa pœnitudinis propugnaculis manet illæsa; sic fleuit, vt plus quàm perdidit, acquisierit; sic citò doluit, vt quodammodò non potuerit censeri lapsus, quando adeò celeriter videbatur erectus: vicinatur namque innocentiæ festinata correctio. Adde excellentem pœnitentiam non solùm contractas sordes penitus emaculare; sed futuras impedire; quod acutè satis notauit Tertullianus lib. de pœnitent. cap. 2.

91. Cùm de Domini benignitate plus indies hominum malignitas insolesceret, nec Dominum crederet, quia iratum sæculo tamdiu nesciret, nō sine graui dolore ventum est ad diluuij supplicium: sic hominum animis inuiscerata, concarnatáque æstuabat luxuria, vt necessum fuerit, quò extingueretur delictum, confusis cataclysmi vorticibus ipsum tradere simulacrum. *Tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ.* Disruptæ cataractarum abyssi omnia repleuerunt, & miserabili naufragio ferè penitus obliterarunt: cúmque Noe sacrificium obtulisset, sic Dominus odore suauitatis est oblectatus, vt quasi facta retractans nullatenus exinceps fundendam iram promiserit, & miris arcus coloribus veluti inito fœdere metum omnem depulerit: *Odoratusque est Dominus odorem suauitatis, & ait: Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, Non igitur vltra percutiam omnem animam viuentem, sicut feci.* Itaque si humano loquamur stylo, Deus, etsi veræ pœnitentiæ incapax, pœnitentiæ partes in se quodammodò expressit, pœnitentiamque dedicauit, cúmque pœnitentia & retractet facta, & impediat futura, hîc Deus & factum quodammodò retractauit, & propositum nullis violandum sæculis edidit, vt hinc disceremus adeò firmiter pœnitere, vt largo perpetrata luctu deleamus, & laudabili duritie, sacráque obstinatione contra futuros peccati adsultus armemur, Audi Tertullianum: *Post condemnatum hominem cum sæculi dote, post eiectum paradiso, mortique subiectum, cùm rursus ad suam misericordiam maturauisset, iam inde in semetipso pœnitentiam dedicauit, rescissa sententia irarum pristinarum, ignoscere pactus operi, & imagini suæ.* O laudanda pœnitentiæ dedicatio, quando & pristinarum irarum rescissa manet sententia, & stabilis aduersus omnem casum firmata concordia: in se pœnitudinis vmbram expressit, vt pœnitentiæ veritatem homines edoceret, sic pœnitendum est, vt admissi sceleris penitus rescindatur sententia, & de propositi firmitudine nunquam exinceps admittenda sit culpa.

Gen. 6. v. 6.

Gen. 8. v. 21.

Tertull.

92. Thesis nostræ optimum Ezechias oculis exhibuit exemplum: nam cùm illustri accepto triumpho tantisper superbiret, mortis incurrit sententiam, & denuntiatam à propheta Numinis agnouit iram, ad pœnitudinis patrocinium confugit, & qui vitam sibi praeciderat superbiendo, multiplicauit plorando: *Fleuit itaque Ezechias fletu magno* Idem Isaias lætior iterum nuntius à Domino delegatur, iamque in salutis signum Solis cursus regis optioni relinquitur: *Vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?* Maluit prudentissimus rex, & pœnitentium exemplar diem occasu non intercipi, sed ad orientem redire, omnémque admissam vmbram detergere: *Neque hoc volo, vt fiat; sed vt reuertatur retrorsum decē gradibus.* Si Sol ad occasum celeri volatu excurreret, tenebris deturpatus iaceret; ad orientem verò retroactus nulla tenebrarum parenthesi subiiceret obscurus; sed abrasis ac detritis vmbris perpeti iubaris candore haberetur omnibus clarus; rex ergo noluit lucem intercipi; sed flammantem semper micare, vt pœnitentiæ posteris præscriberet formam, & Solis luminibus exaratam ideam. Innuit Augustin. lib. 2. de mirabil. sacræ scripturæ cap. 28. *Solis in ortum ab occasu per decem horas recidiuo Deus tramite retorquet, quatenus inde iterum veluti mane festinare inciperet, qui dies totius exceptis duabus horis spatium consummasset. Conuenienter autem tale signum euenit.* Consonat Glossa moral. *Ezechias figura fuit cuiuslibet boni viri, qui Deo permittente, & diabolo procurante cadit in aliquod peccatum; sed ex Dei misericordia resurgit ad maius bonum.* Qui orientem videret Solem, occasui appropinquasse non diceret; sed roseo iubare tenebras omnes depulisse putaret: ergo quo diu se contigerat, in Sole Ezechias expressit: vt doceret pœnitentes sic ad gratiæ puritatísque oriens redire, vt nullus censeri possit occasus tenebris propinquasse, aut culparum vmbras aliquando sustinuisse. Disce ergo salutem tuam sic vtili pœnitudine reparare, vt nulla pristinarum culparum appareat vmbra; sed virtutis micans, orientalísque semper flamma.

4. Reg. 20. v. 4.

August.

Gloss. mor.

---

§. XX.

Bona opinio non semel calcar est ad virtutem, indecora suspicio impulit aliquando ad errorem.

Nihil apud homines famâ pretiosius, nihil nomine bono optabilius: id vt tueantur, nihil non facient; & sæpè vt in virtutis officina elaboratur inflata præsumptionis superbia, sic in superbæ ambitionis domicilio honesta virtutis oritur auaritia: dum quis fidelis putatur, omnibus votis adnititur esse fidelis: dum omnes arbitrantur pudicum, pudet apparere libidinosum: opinio ad virtutem instigat, & dum adulatur vanitati, non semel inseruit etiam virtuti. Huc voco, quod aiebat aliorsum Seneca lib. 6. naturalium quæstionum, cap. 3. *Illud quoque proderit præsumere animo nihil horum deos facere, nec ira Numinum, aut cælum concuti, aut terram.* Dum tranquilla fictitia illa Numina animo concipiebant, iram, si dici potest, frænabant: quasi dicat Seneca: Proderit, ne dij vltimam effundant iram, suspicari per ipsos nullatenus turbari terram: nam quamuis illorum ingenium flabellauerit excandescentiam, optima de illorum placiditate opinio coget ad pacis, & tranquillitatis concordiam. *E contra*, aiebat Cassiodorus 11. variarum 9. *aliquid persuadetur animo, cùm intrauerit pectus acta suspicio.* Qui suspicatur, ad suspicionis aliquando veritatem impulisse videtur, & quem fidelem quis putat, fidelem facit. Iosue, vt ad Numinis cultum Hebræos vrbanè compellat, exhibitam semper reuerentiam allaudat. *Adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis vsque in diem hanc.* Bona illos opinione adurget, & quodammodò vel inuitos impellit. *Laudat eos*, scribit Abulensis q. 3. 93.

Seneca.

Cassiod.

Abulens.

quia

quia virtus laudata crescit. Vt crescat virtus, virtutis deprædicauit cultores: & quidem ne boni nominis infuscauerint famam, religionis ebibent disciplinam.

94. Iure irridet dæmonem Chrysologus, dum tentationis cum verbis confert propositum. Desertis degebat Dominus cælesti contemplationi prorsus deditus, & ieiunij austeritate innutritus, cum quadraginta diebus, noctibúsque elapsis subdolus tentator accedit, & vti Dei filio lapides in panem vertendos offert: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Domini præsentia obturbatus tentare cupit & nescit: filiationis diuinæ ad miracula prouocat titulo, & ipsius tituli votis refragatur obstaculo: dum quam de ipso opinionem habeat, profert Dei filium appellans, ipsam suggestionem infirmat: *Miser malus vis esse; sed non potes* (verba sunt Chrysologi serm. 11.) *cupis tentare, sed nescis.* Nescit profectò: quia delicto opposuit obstaculum, cùm Dei appellauit filium: qui Filius habebatur, non poterat opinioni operibus contraire, nec in errorem prolabi. Certè Dominus sua diuinitate aduersus omnes diaboli technas inuincibiliter erat armatus; verùm hac tentatione diabolus apparuit stultus quandoquidem bonam opinionem ad virtutem stimulum ad virtutis protulit detrimentum: *Tentare cupis, sed nescis.* Ipsa tentatio aduersabatur tentationis studio, & filiationis opinio contradicebat errato: bona namque opinio est virtutis sæpe fomentum, & ne quis in errorem prolabatur, obstaculum.

Matth. 4. v. 3

95. Christus Dominus, quo discipulos suos contra ignauiam, & negligentiam obarmet: *Vos estis,* inquit, *sal terræ, vos estis lux mundi:* lucem vocat, vt contra caliginosas tenebras deprælientur viriliter; salem, vt aspera & insulsa palatis agrestibus condiant, quo ad virtutem faciliùs alliciant: & quidem magnum erat incitamentum prolatum à Domino elogium, quandoquidem honesta nominis honorísque ambitione obarmati vitia omnia conculcare tenebantur intrepidi. Innuit Caietanus: *Vos,* inquit, *discipuli mei, quos in pastores & duces mundi missurus sum, estis: non monet sitis; sed, estis, vt quod sint, perpendant, & necessitatem incumbendi proprio officio cognoscant.* Profectò ipsa nominis claritas quamdam veluti necessitatem imponebat dignis famam operibus cumulandi, & peccatorum tenebras depellendi. Honesta illos opinione præmunit: quia nomen honorabile quodammodo maculari non sinit.

Mat. 5. v. 13.

Caietan.

96. Notabat Basilius Seleuciensis Dauidem copiosissima gratia præmunitum, quando oculis notatus vt proditor iniuriarum nō extitit vltor. Vicit immetatæ molem illam superbiæ, & cæca dextera Deum testata est gigantis debellatorem; verùm post Goliat surrexit in prophetam hostis longè immanior, regis scilicet liuor victoriæ plausibus stimulatus, & ipsa Dauidis humanitate vsque ad dementiam adultus: hoc certamen tanto præcedenti grauius, quantò à discrimine videbatur alienus: Goliat, dum arma ostentat, legitimum ad certamen in aciem vocat; at Saul cruenta maleuolentia plenus latebat in insidiis, amicitiæ laruа loricatus: tandem, cùm intra pectoris septa comprimi non posset inuidia, eius foras ardentissima protupit flamma. Dauidem vti proditorem criminabatur, vtique publicæ pacis, & tranquillitatis pestem insectabatur: sub zeli specie ferina latebat rabies. Audi ipsum Achimelech allocutum: *Quare coniurastis aduersum me tu, & filius Isai, & dedisti ei panes & gladium, & consuluisti pro eo Deum, vt consurgeret aduersum me insidiator vsque hodie permanens?* Ecce Dauid audit insidiator, & proditor. Quid tunc? Saul spelæum imprudens ingreditur, in cuius interiori parte Dauid cum satellitibus non sine timore latebat: cumque & amicorum consiliis protitaretur, & ipsa opportunitate compelleretur, à cæde abstinuit, humanitatéque inimicum deuicit. & iniurias nobilius vindicauit: *Surrexit Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul silenter.* Basilius Seleuciensis hîc gratiam totam explicuisse testatur pompam, quandoquidem ipsa proditoris fama vulgarisque suspicio præ ipsis iniuriis armatam ad cædem. Dexteram exacuebant, & vehementissimè protitabant: hîc ergo abstinuisse vindicta illustre erat fidelitatis trophæum, & admirandum sæculis benignitatis elogium. Audi Basilium orat. 15. *Qui libertatem pepererat, tamquam libertatis proditor oculis notabatur, quique cognatos belli fluctibus exemerat, solus inuidiæ fluctibus iactabatur; verùm ò dilecte, ne tibi paradoxum videatur, si Dauid tanta cùm esset gratiæ, Deóque in delicÿs inuidentiæ iaculis fuerit expositus: Dauidem Saulis motibus obluctari permittit Deus, vt athleta ope diuina inuidentiæ victor euadat: tentationem præmittit, vt mentem coronet.* O quàm in deliciis Deo erat Dauid, quámque eximiæ gratiæ armis munitus, quando nec suspicionibus obscuratus ad suspicionem operis perficiendam fuerit impulsus: nam vt bona opinio est ad virtutem incitamentum, ita obscura fama, iniquáque suspicio est magnum ad scelera illicium: ergo cùm Dauid libertatis proditor habetur; nec tamen vti fidelis vlciscitur, totam gratiæ explicat pompam, & quæ prophetam deceat, ostentat gratiam: *Libertatis proditor oculis notabatur. Vt athleta ope diuina inuidentiæ victor euadat.* Iam ad componendos animi motus bonam apud omnes opinionem opportunum esse remedium, vt effrænem prorsus truculentiam, cui bona non medeatur fama, ostenderunt & Hebræorum supplex querela, & Pharaonis aucta crudelitatis sæuitia.

1. Reg. 22. v. 13.

1 Reg. 24. v. 5.

Seleuc.

97. Dum confictis, vanissimísque periculis Pharao nititur prouidere, populum belluarum ingenia supergressus iniquis artibus excogitauit præcidere: durissimis exactoribus, & ad hominum perniciem natis subiiciebantur, & flagellis proscindebantur: dolore compulsi Pharaoni accedunt, & rem commiseratione dignissimam Principi exponunt: *Iniustè agitur contra populum tuum. Qui ait: Vacatis otio.* Et cur non dicant: Iniustè agis; sed, iniustè agitur, quandoquidem ipse rex erat calamitatis auctor, & sæuæ crudelitatis præceptor? Prudentissimè, inquit Lippomanus, sæuitiam regi non imputant, vt a sæuitia faciliùs auertant: nam dum se putat haberi mitem, pudebit esse crudelem: ideò ergo bonam feritati opinionem opponunt, & quasi obiecto fræno furentem reprimunt; verùm adeò insanabilis erat morbus, vt nec opinionis quicquam profuerit medela; sed perseuerarit sæuitia. Audi Lippomanum: *Non sunt iuxta Latinam editionem ausi apertè dicere: Iniustè agis contra populum tuum, ne regem offenderent,* &

Exod. 5. v. 16.

Lippoman.

& vt honorē deferrent regio; sed iniustè agitur, scilicet ab exactoribus tuis, & contra intentionem tuam: nec tamen propter hoc remissionem aliquam inuenerunt. Crudelis adeò Pharao erat bellua, vt nec de mititatis opinione sit mitigatus; adeóque ad mores componendos efficax remedium est bona opinio, vt Hebræi exactores regis intentioni aduersari dixerint, quò faciliùs furorem eius frænarint.

98. Duo gemelli fratres matris vtero veluti arenâ athleticè decertabant, & se inuicem collidebant: alter alterius fratris plantam manu tenebat, quem mater non arcani inscia Iacob opportuna appellatione vocauit: *Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu, & idcircò appellauit eum Iacob.* Chrysostomus apud Lippomanum, hoc nomen autumat ei Rebeccam indidisse, quoad benedictionem fratri præripiendam ab exordio natiuitatis acueret: nam qui apud omnes audiebat supplantator, cur supplantationis recusaret opus, quando nomen ipsum supplantationis fuit pignus: fratrem posteà supplantauit: quia fratris supplantator apud omnes semper audiuit: quasi ipsa fama, ipsáque suspicio suaderent opus, vt nomini responderet euentus: *Quia omnia anteà oraculo promissa erant, ideò & Rebecca appellatione ei indita Iacob eum vocauit, quod scilicet supplantationem interpretari potest, sicut & Esau post patris benedictiones eiulans dicebat: Rectè vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me... Vide quantus erat priscorum intellectus, vt & mulieres natis nomina non temerè, nec fortuitò imponerent; sed appellarent filios iuxta futurorum prædictionem.* Actionibus vocabulum adimpleuit, & quia supplantatorem vocabat fama, famæ responderunt opera. Sic instigat suspicio, sic vrget opinio.

Gen. 25. v. 25.

Chrysost.

---

§. XXI.

Spes in homine collocata est calamitatis auctarium, in Deo aduersitatum remedium.

99. Multa sunt, quæ hominum animos vrgentissimis distorserint curis, & grauissimis percelluerint ærumnis, inter acerrimos verò dolorum adsultus, inter confusos desæuientis procellæ vortices spes pro tessera est: lenit calamitatem lætiora promittens, præsentem emollit dolorem futuram animo repræsentans felicitatem; vtque astrorum cælestium motus cærulea vorticum volumina nauigantibus sunt pro tessera, ita spes contra internos externosque tumultus præsentaneam affert medelam, animumque fodicantem leuat tristitiam. Quàm benè Seneca lib. 5. declamatio. declamat. 1. *Spes est vltimum aduersarum rerum solatium:* prudentissimi viri, dum densissimis calamitatum obruuntur tenebris, candidam sperant lucem, vt dum clarissima fulgent luce, tristissimam verentur noctem: *Rursus post tenebras spero lucem*, aiebat quidam sapiens; verùm ea solùm calamitates imminuit, quæ spes in Domino collocatur: nam illas artificiosè incrementat, quæ in homine constituitur. *In nullo hominum*, aiebat Gregorius lib. 7. indiction. epistol. 75. *spem ponatis; sed totam mentem in fiducia Dei omnipotentis adstringite.* Humana fiducia est calamitatum fœcunda vena: inde namque sæpè sæpiùs oritur aduersitatis crementum, vnde opportunum contra calamitatem sperabatur subsidium; ast honesta fiducia, cùm à Deo suppetias precatur, fulcro firmissimo innititur; nec semel, quod merita impediebant poscentis, honor ipse dilargiri consulit dantis; quasi iam diuini sit quodammodo causa honoris supplici præbere subsidium, & contra ingruentes calamitatum procellas efficax adhibere remedium: *Spes*, aiebat Cassiodorus 5. variarum 17. *effectus tædium laboris excludit*: certè si diuina: nam non ratò tædium laboris adauget humana. Hinc Iosue, vt populi saluti prospiceret, seriò Deo adhærere monuit: *Adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis vsque in diem hanc.* Dum protsus adhærere imperat, fiduciam in creatura aliqua collocare consultissimè vetat: esset namque ab hominibus sperare prosperitatis venenum, vt à Domino stabile contra varios vultus fortunæ fulcrum. Adest opportunè Masius ad hunc locum: *Rursus futurum modi finitiui pro mandatiui positum est. Adhærere Domino est omnem spem in eo solo collocatam habere, nihilque opis aliunde, siue ex cælo, siue terra expectare, cuius ipse non sit fons & auctor.* Vbi spem monet, felicitatem promittit: *Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas, & robustissimas, & nullus vobis resistere poterit.* Ecce vberrimus adhesionis Domino, hoc est spei in ipso collocatæ fructus, scilicet triumphalibus coronari lauris, decantandísque potiri victoriis: quid enim aliud honesta spes, quàm iucundissimos extruderet fructus, & felicissimos parturiret euentus?

Seneca. *Spes est aduersarum rerum solatiū.*

Iob 17. v. 12.

Gregor.

Cassiodor. *Spes tædium laboris excludit.*

Masius.

E contra spes, quæ in homine innititur, non solùm calamitatem non leuat; sed nouam parit. Adest huius veritatis testis prodigus ille, qui cupiebat gaudere libertate viuendi, Seruabat pater pignoribus substantiam, vt seruata filiis afferret gloriam, quæ dissipata cuderet sine dubio ignominiam; verùm adolescentior malè consulente ætatis ardore, instigantéque voluptatis pruritu hæreditatem sibi dari querulus flagitauit: accepit aurum, & in auro ad salacitatem fomentum: fugit in regionem longinquam, non tam verecundiæ consilio, quàm procacitatis voto: non curauit paternos non offendere oculos culpis; sed ne paterni oculi iniectis remorarentur audaciam frenis; verùm dum obscœnis auidius inhiat deliciis, celeriùs ingentibus affligitur miseriis: nam valida fames sic adurebat præcordia, vt necessum fuerit in vernularum redigi censum, qui copiosum vernularum apud patrem habebat numerum: *Facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere.* Vt calamitati huic aliquam afferret medelam, diuiti cuidam regionis illius adhæsit: equidem textus ait: *Abiit & adhæsit vni ciuium regionis illius.* In villam missus lucis refuga, a lætitiaque exul iam non solùm incipit egere; sed fame vrgentissima discruciari: *Ego*, clamat ipse, *hic fame pereo.* O infelicissimè adolescens! seruitutis iugo te subdideras, vt famem leuares, & hero diuiti commissus non tantùm fame incipis, vt antea vrgeri, sed mori? Ad quid adhæsisti ciui? Certè vt inopiæ aliquomodo subuenires; & sic infelix desipuisti, vt remedio ipso miserabiliter laborauetis. Antequam adhæ 100.

Luc. 15. v. 14.

adhæreres, cœpisti egere; non tamen fame perire; hîc fame peris, vbi famis remedia studiosiùs perquiris. Nec mirum: adhæsisti homini, ab eo sperasti remedium, & ipsis incrementasti de spebus damnum. *Sic inuenit*, scribit Chrysologus serm. 1. *qui se negat patri, qui se committit extraneo, vt sentiat seuerum iudicem, qui fugit indulgentissimum prouisorem.* Addit post pauca: *Quàm crudele ministerium: quia neque conuiuit porcis, qui viuit porcis: miser qui porcorum deficit, & esurit in saginam.* Vbi in patre collocauit spem: *Ibo ad patrem meum*; inuenit differtam mensam, nec solandæ fami solùm edulia; sed etiam saporatissima fercula; cùm verò adhæret extraneo sperans qualecumque calamitatis remedium, famis adauget periculum: anteaquam adhæreret, incœpit famescere; postea inedia vrgentissima disperire: *Ego hic fame pereo.* Vbi *hic?* Vbi speraui subsidium: nam ipsa spe adauxi mihi tormentum: *Sic inuenit, qui se committit extraneo.*

Chrysolog.

101. Succedant primi populi Israelitici reges Saul & Dauid: hic cùm cælesti adustus zelo adinstar teli iacto in Deum feriretur probro, maluit vitam periculo exponere, quàm sacrilegas spurcissimo gigantis ore in Deum contumelias iactas audire: Saul illum armis regiis loricat, galea munit caput, thorace pectus, lorica corpus, ocreis crura, hasta obarmat dexteram, clypeo tuetur sinistram; verùm Dauid armorum inexpertus, & diuino auxilio præcipuè fisus arma vti belli impedimenta deponit, & Dei nomine armatus in arenam prosiliuit: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum:* Saul in Philisthæos etiam insurgit apud montes Gelboe; verùm licet simile ad speciem bellum; dissimilis fuit belli casus: Dauid namque ipso gigantis gladio gigantem iugulauit; Saul verò propria hasta transfossus periit: *Arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum.* Vides Saulem proprio gladio trucidatum, Dauidem verò alieno ad victoriam præmunitum. Ecqua discriminis causa est? Dauidem, inquit Basilius Seleuciensis, auxilium à Domino sperasse, & Saulem testatur Drogo, armorum potentiam confidenter nimis asciuisse. Audi Basil. orat. 15. *Non hisce meis manibus; sed diuinis obarmatus sum, tibique cum vita caput adimam.* Dum diuino fidit auxilio, immortali redimitur victoriæ lauro; at Saul suam ipse calamitatem crementat, dum propriis armis confidit. Ita Drogo de Sacram. Domin. Passion. *Clypeus Saul propriæ virtutis confidentia est, qua non valet resistere sagittis incircumcisorum; væ autem his, qui amiserunt sustinentiam, hoc est, clypeum fortium: & maledictus homo, qui confidit in homine, quod est clypeus Saul.* Ecce Saul propria potentia confidit, numerosis superbit agminibus; sed hasta ipsa, quæ vanissimæ spei olim adulabatur, altè per interanea transfigitur. Vt videas spem in Deo collocatam afferre gloriam; in creaturis verò adaugere semper miseriam. Saul cùm spem malè collocat, miserè occumbit occisus, Dauid dum spem dignè constituit, fulget in sæcula laureatus.

1 Reg. 17. v. 45.

1 Reg. 31. v. 4.

Seleuc.

Drogo.

102. Isaias cap. 31. dolet Israelitarum calamitatem non solùm quam perpetrata sibi parauerant culpa; sed quam vanâ asciuerant confidentia. *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt, & super equitibus, quia prævalidi nimis: & non sunt confisi super sanctum Israel, & Dominum non requisierunt; ipse autem sapiens adduxit malum.* Rebellauerat Israeliticus populus ne tributum solueret Assyriis Ægypti regis fisus auxilio; sed dum sperat suppetias, sibi incrementauit ærumnas: ipsa Ægyptus, in qua fidebat, fuit acerbioris calamitatis materia, ac durioris supplicij causa. Ita Lyra: *Regnum Israel fuit destructum ex mala confidentia super Ægyptum.* Consonat Glossa: *Possumus hoc intelligere super eos, qui in persecutionis tempore non confidunt in Domino; sed in sæculi auxilio, nescientes Abraham in Ægypto periclitatum, & in luto & in latere seruisse ibi Dei populum, quæ spiritualiter dicitur fornax ferrea.* Dei populus spem in Ægyptiis collocat, ne soluerit auri tributa, & passus est ibi filiorum naufragia: ibi quæsiuit stultè calamitatis auxilium, vbi grauius expertus est olim damnum: Assyriorum namque rex aureis expoliabat nummis; sed cui confidebat, Ægyptus filiis. Spes in Domino collocata æternos illis pareret triumphos; at dum brachiis nituntur carneis, dignos amentia coguntur sustinere cruciatus. O nos miseros, qui post longas adeò experientias spem in hominibus collocamus, nec Domino perfectè adhæremus!

Isai. 31. v. 1.

Lyra.

Glossa.

Diuersa sors pro confidentia discrimine aut nobilitauit, aut disiecit Hebræos. Vrgentissimis cincti periculis a Domino auxilium deposcunt, adeòque præsentaneum adest remedium, vt aduersariorum spectarint naufragium: *Tollens se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abyt post eos, & cum eo pariter columna nubis priora dimittens post tergum stetit inter castra Ægyptiorum, & castra Israel, & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem.* Ad Dominum clamantes aduersus ingruentes calamitatum triumphant adiiltus; verùm cùm ingrati idolum sibi dari deposcunt, ab eoque vti prouidentissimo duce sperant per desertorum anfractus inoffensè gradi, sibi maturauerunt perire: nam Moyses nigras vitulum redigens in fauillas, idololatras vorare cogit ad pœnam: *Sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel.* Pro confidentiæ discrimine & casus fuit manifesta differentia: nam aureo puluere sacrilegi sunt deprehensi, & vitâ ob sacrilegium mulctati. Ita Rupert. lib. 4. in Exod. cap. 27. *Aiunt quidam quod aureum vitulum in puluerem redactum in potu illis in indicium dederit, & hoc facto qui auctores fuerunt sceleris, aureis prominentibus labijs publicati vel deprehensi.* De vituli potentia celeritatem sibi promittebat, & sperabat exoculata fiducia; verùm dum celeritatem sperant, ipso puluere impediuntur obcæcati, & desertis iacent occisi: sperarant de vitulo celerrimum per deserta volatum, & vitulus ipse durissimum asciuit illis supplicium; cùm verò in Domino spem collocant, mare diuidunt, & Ægyptiorum spolia tollunt: nam in Domino fiducia est triumphorum ac felicitatis mater, vt spes in creaturis locata infortuniorum est nutrix. Domino duce innixi illustri coronantur victoriâ; vitulo fidentes dignissima mortis occumbunt pœna. 103.

Exod. 14. v. 19.

Rupert.

§. XXII.

Non semel, qui ab augustiori virtutum deficit pompa, ruit usque ad vitiorum profunda.

104. LAbilis mortalis conditio vices patitur, nec diu in eodem statu permanet: non solùm nobis animi inconstantia; sed & leuitas est. De homine scribebat Iobus huius philosophiæ non ignarus: *Quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.* A virtute non semel transitur in vitium, & qui flos gratissimus morum recreabat fragrantia, fœdissima iam adspicientium oculos offendit vmbra. Verùm etsi stabili varietate morum alternentur vices, & à virtute ad vitium homines prolabantur, illos miserabilior infelicitat casus, quos aliquando maior exornabat virtutum cēsus: à perfectionis vertice ruunt, ideò violentiori impetu, ac grauiori casu. *Impossibile est*, scribit Paulus, *eos, qui semel sunt illuminati; gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti; gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Ea est diuinæ misericordiæ benignitas, vt nullum peccatorem respuat; sed omnes ad pœnitentiam alliciat, Paulus verò doloris expressit difficultatem; nec solùm testatur lapsos; sed prolapsos, quod maiorem casus enormitatem designat. Adest Anselmus ad hunc locum: *Ideò impossibile esse dicimus, vt tales renouentur: quia nolunt renouari: nam si vellent, esset vtique possibile... Sic tepuit mens eorum erga dilectionem virtutum, & exarsit in amorem vitiorum, vt nulla ratione consentiant peccata relinquere, quibus pertinaciter adhæsere.* Audi quæ paulò pòst addit: *Tales sunt, qui priùs ad summa virtutum profecere, & post ad ima vitiorum prolapsi sunt, id est, prorsus lapsi, vel procul lapsi, vel longè lapsi à priore statu.* Ipsa virtutum altitudo, si vitia à recto tramite abducant, miserabilioris fit occasio ruinæ: nam qui imis versantur, aliquando cadunt; qui summis, ruunt. Hanc philosophiam prudentissimus admonet Iosue: suorum, vtpote qui laudabili pertinacia adhæserant Deo, deprædicauit virtutem; prædicit tamen in foueam casuros, si à virtutis tramite deflexerint, & oculos cupiditate obcæcarint: *Adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis vsque in diem hanc, &c. Quòd si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare, iam nunc scitote quòd Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram; sed sint vobis in foueam.* Leuiùs cadit, qui in plano offendit; miserabiliùs qui in foueam ruit: illis ergo, quorum religiosam deprædicauerat obseruantiam, maiorem minatur ruinam: nam qui in vertice virtutum degit, ad vitiorum solet ima deuolui, dum cadit.

Iob 14. v. 2.

Ad Hebr. 6. v. 4.

Anselm.

105. Draco ille, qui cælo inferebat bellum, inuidentia adustus, & summa ambitione inflatus, astra deiecit, quæ ad terram obscurabantur delapsa: *Cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Stellas audis ad telluris superficiem deiectas: vide draconem ad profundum laci vitiorum pondere impulsum, & superbiæ calcaribus agitatum: *Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris?* insultat Isaias, *ad infernum detraheris in profundum laci.* Examinemus, si placet, inter stellarum, & luciferi lapsus discrimen. Si stellæ deuoluuntur ad terram, cur Lucifer detruditur ad ima? Minorem casum profectò innuit ad terram prolabi, & maiorem ad profundiora inferni detrudi; cur ergo si omnibus simile peccati pondus, diuersum adeò describitur præcipitium? Quæstioni respondet thesis: Lucifer erat expressius similitudinis Dei signaculum, initium viarum eius, viuidiore radiorum lumine coruscans, augustiorique virtutum pompa oculos intuentium prolectans: dum ergo à maiori culmine ruit, ad profundiora laci deuenit: aliæ stellæ terram attigere prolapsæ, quia angustiori lumine præditæ. Adest Origenes apud Glossam: *Manifestè ostenditur de cælo cecidisse is, qui prius erat Lucifer, & qui mane oriebatur.* Adstipulatur Lyra: *Lucifer, id est pulchrior inter Angelos, sicut Lucifer, quæ est stella matutina, pulchrior est inter stellas.* Cæteros præcellebat luminum censu: ideò prolapsus miserabiliori obscuratus est casu.

Apoc. 12. v. 4.

Isai. 14. v. 12.

Origen.

Lyra.

Dum ambitionis flammis inardescunt, & in Aaronem Core, Dathan, & Abiron seditiosissimè armantur, ad tartara disrupta terra voluuntur: *Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum: descenderúntque viui in infernum operti humo.* Non vulgari disperiere sententia; sed stupenda ad infernum descenderunt ruina: iam si inquiras cur præcipiti adeò infelicique casu perierint, respondebit Veronensis Zeno serm. 2. de Exodo grauissimum fuisse casum: quia à summo ruerunt virtutum ac prodigiorum fastigio: sic gens illa Deo probata erat, vt per confusa desæuientium gurgitum volumina sicco vestigio transirent, & Ægyptios omnes naufragio dignissimo tumularet: *Ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris.* Qui ergo mirando mare calcauere prodigio, profundiori in terra sunt extincti naufragio: dum decidunt, miserabiliter ruunt, & grauior inuenitur ruina, quorum augustior aliquando virtutum resplenduit pompa: *Per mare*, verba sunt Zenonis, *pedibus ambulasti, vt patereris in terra naufragium:* Quasi dicat Zeno: Quos olim per marinos vndarum vortices sicco pede sæculis retro incognitum transuexit prodigium, hos inuisum etiam maioribus tellure demersit naufragium: dúmque ab illa virtutum corruunt eminentia, pedem non sistunt vsque ad profunda. Certè vt qui repudiatis sæculi voluptatibus viam alacriter carpunt virtutum, culmina non semel tenuerunt; ita qui virtutem fastidientes se inseruere vitiis, profundissimas detruduntur in foueas. 106.

Numer. 16. v. 31.

Zeno.

Exod. 14. v. 22.

Moyses comprehensa virga elementis imperabat Deus Pharaonis factus mare sistit, & populum per desertorum errores sine erroribus ducit: solares radij ex humana facie promicabant, qui fulgores Solis euincerent, quique Solem nitidiùs splendere edocerent. Hic ergo celebri adeò virtutum pompa relucens aliquando per humanam fragilitatem deliquit, & ingrata populi obmurmuratione turbatus petram illam 107.

Christum

Exod. 20. Christum repetitis ictibus ferit: *Cùm eleuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressa sunt aquæ largissimæ.* Non semel tantùm; sed bis percussit petram, & totam Christi Domini passionem veluti compendio signauit: Moysem hîc Hebræorum populum designasse, tradit Isidor. Isidorus apud Glossam: *Hic Moyses Iudaicum populum sub lege positum significat.* Augustinus gemina percussione crucem Christi exprimi te- August. statur quæst. 35. *Quòd virgâ petra percutitur, crux Christi figuratur.* Sed videamus cur Moyses non vnicum ictum inflixerit; sed bis lapidem verberarit, cúmque totam Christi Domini passionem maturarit turbatus, qui tot prodigiis virga patratis emicuerat conspicuus? Ipsum dubium dubij clarissimum est responsum. Moysis dextera elementa edomuit, Pharaonem demersit, marinos adsultus stitit: dum ergo ab excelso adeò virtutum culmine ruit, ad sæuè Christum Dominum crucifigendum descendit: vt verum sit, quod aiebat Paulus: *Crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Audi Isi- Isidor. dorum cap. 33. in Numer. *In hac mansione propter aquas contradictionis Moyses offendit Deum, & prohibetur transire Iordanem: turbatus enim murmure populi dubitanter petram virgâ percussit, quasi illud Deus non posset facere.* Ferè perdidit fidem, qui egregiè adeò coluerat anteà pietatem: & quidem miserabili experientia non semel ita comprobatum est, vt effrænatiùs delinquant, & impudentiùs audeant, si virtutum religionísque deserant semitam, qui religiosiores anteà præceptorum emicuerant obseruantiâ. Moyses dum delinquit, omnem passionis acerbitatem exercet, & cruci benefactorem affigit.

108. Notabat Ostiensis Drogo lib. de sacrament. Domin. passion. non semel qui obscœnis vitiorum fæcibus voluebantur, gratia aspirante perfectionis prensare alta, vt qui à perfectionis separantur fastigio, vitiorum tenere profunda. Adsunt huius veritatis Petrus, & beatissimus latro testis: Dimas factus est de latrone confessor, & quæ pœna cœperat in latrone, consummatur in martyre. Petri gerit vices, dum blasphemos, & de Christo iniquè opinantes corri- Luc. 23. v. 40 pit, dum socij errorem refrenat: *Nos quidem iuste: nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali gessit.* Audis latronis dignissimam confessionem: audi Petri detestabilem prauitatem: Marc. 14. v. 71. *Cœpit anathematizare, & iurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis.* Petrus sacrilegè iurat, & vt facinorosus latro bellum infert virtuti, cùm latro patrocinatus fuerit pietati: nec mirum: ruit Petrus à virtutis apice, nec stetit lapsus vsque ad iuramenti sacrilegi iniuriam, religionísque contumeliam, non negauit semel, sed ter refragatus est veritati: dum labitur Petrus, detestabiles latronis scelerati mores refert, dum conuertitur latro, Apostoli vitam moribus delineauit: alter de latrone Apostolus, alter de Drogo. Apostolo latro: *In te beatissime & confessor & martyr*, inquit Drogo, *de totius mundi sterilitate fidei reliquias colligit Christus: tu fugientibus discipulis & Petro negante socius & comes passionis eius fieri gauisus es: tu Petrus in cruce fuisti, & Petrus in domo Caiphæ latro.* Vsque ad latronis scelestissimi mores deiectum est Apostolorum caput, & latro scelestorum dux vsque ad Apostoli inuolauit virtutes: ita namque fieri solet, vt qui in profundo vitiorum olim demersus, ad culmina perfectionis inuolatit alatus, & qui virtutis apice excelsus, si ruat, ad vitiorum extrema prolabatur delusus. Iure ergo prudentissimus Iosue profundam, si ceciderint, minatur foueam, quos ad religionis anteà natos deprædicarat tutelam.

---

§. XXIII.

Effrænata luxuria præ hostilibus armis humani generis deuastatrix, & omnis commoditatis expultrix.

Continentiam pudicitiámque humani generis fuisse constat vel ab exordio fœcundam venam, cùm eam Dominus procreationis constituerit semper magistram: vnicam Euam molitus vni viro humani generis capiti associat, quod continétiam hominum esse fontem vel ipsis factis erudiat: *Concordia, & continentia magistra molitio talis*, scribit Basil. Sel. orat. 2. *vni viro vnicam adsocians vxorem continentiæ subindicat legem.* Conducibilius videbatur ad humani generis propagationē nō vnicam; sed plures fœminas effinxisse, viroque adsociasse; verùm sapientissimus artifex ab exordio continētiam introduxit, quo humanum genus facilius propagaret: quæ si deficiat, & ardens illi libido succedat, iam homines vltore ferro trucidantur, iam variis morborum flammis aduruntur, iam impotentibus affectibus dilaniantur. In spectaculis olim cum feris decertabant homines sæuitiæ obiecti, mortique addicti; verùm nullum spectaculum humano generi adeò aduersum, vt salacitatis studium. Audi Tertullianum de spectaculis cap. 25. *In omni spectaculo nullum magis scandalum occurret, quàm ille ipse virorum & mulierum accuratior cultus, ipsa consensio, ipsa in fauoribus aut conspiratio, aut dissensio inter se de commercio scintillas libidinum conflabellant.* Minus nocet humano generi leo, plus libido: *Sæuus criminum stimulus libido est*, aiebat Ambrosius lib. 2. de Cain & Abel cap. 1. *quæ nunquam manere quietum patitur affectum: nocte feruet, die anhelat, de somno excitat, de negotio abducit, à ratione reuocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat.* Ob id Iosue morti proximus, dum studiosiùs populi curat augmenta, libidinis remouere cupit obstacula: *si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitāt, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare, iam nunc scitote quòd Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram; sed sint vobis in foueam, ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat, atque disperdat de terra hac optima.* Libidinosa connubia, illicita matrimonia, aut improba luxuriæ commercia grauius minabantur damnum, quàm omnes hostes attulissent periculum. Inter hostes libidine expuncta ouant triumphatores; at dum amicitias contrahunt, dum libidini indulgent, dum carnis negotia exercent, non solùm lamentantur deuicti; sed de terra prorsus abacti: *Donec vos auferat, atque disperdat de terra hac optima.*

Right margin: 109. · Seleuc. · Tertull. · *Scintilla libidinis de mulieris aspectu flabellantur.* · Ambros.

Inter alia beneficia in populum à Numine larga munificentia collata refertur hostes non vno anno prorsus deletos; sed ad populi vtili- 110.

Exod.23. v.28.

tatem seruatos: *Non eyciam eos à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ*; verùm si antiquum illud prouerbium, *Homo homini leo*, veritate suffultum est, in beneficiorum censum non videtur inferendum hostes simul non deteri, ne feras contigerit procreari, quandoquidem nulla fera sic in hominem desæuit, vt in hominem homo odio ac liuore stimulatus insurgit: ergo dum hostes seruat, ne creuerint belluæ, non imminuit vitæ periculum; sed auget salutis longissimè detrimentum. Hanc difficultatem, quo solet ingenio, enodauit Augustinus quæst.17. in iudices, dum in feris carnales autumat designari appetitus, & libidinis exprimi insultus. Certè ex repentina felicitate, ex pacis sereno flabellari solet libido: quæ exitiale adeò venenum aduersus mortalium vitam armatur, vt beneficio vertendum sit vel truculentissimos hostes non depellere; sed bestias libidinum impedire. Audi Augustinum: *Quod ait: Ne multiplicentur in te bestiæ feræ, mirum si non bestiales quodammodo cupiditates & libidines intelligi voluit, quæ solent de repentino successu terrenæ felicitatis existere: nec enim Deus homines exterminare poterat, & bestias non poterat vel perdere, vel pasci potiùs non permittere.* Si stata omni ex parte felicitas Hebræis adularetur, terræ indulgentes deliciis luxuriam irritarent, & felicitatis fomentis libidinibus studerent; si libidinum studia sint impedienda, hostilia semper timorem incutient arma; inter hæc verò discrimina, qui apprimè nouerat pestilentissimas esse ad humanum euertendum genus luxuriæ vires, vti beneficium ingens truculentos permisit hostes: nam dum viriliter cum hoste decertant, Hebræi nobilissimis exornantur trophæis; at vacantes libidini miserrimis disperirent naufragiis: nam ad hominum euertendam vitam libido est nocentior pestis, quàm sit sæuissimus hostis.

August. *Repentina felicitas superbia ac libidinis nutrix.*

111. Balac Moabitarum Princeps, vt populi Israelitici vires fascinet, Balaam arioli conducit auguria, & conatur emere maleficia: opponit armatorum agmina, regni fulcit accuratissimè munimenta; verùm Balaam omnia fore irrita contestatur, & artis incantamenta, & militum etiam subsidia; verùm peruersum præbet consilium, quod grauius populo præ armis, præque auguriis intulit damnum: *Verumtamen pergens ad populum meum dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* Consilium hoc eiusmodi fuit, pulchellas scilicet, & formæ lenociniis fœminas adspicientium oculis gratas obiicere, vtpotè quæ præ armis hostes vincerent, metúmque imminentium prorsus discriminum pellerent. Ita Theodor. quæst.45. *Probè sciens illos inuictæ fortitudinis esse, qui proteguntur à Deo, excogitauit in filios Israel impietatem, in quam prolaberentur per intemperantiam, vt propter impietatem diuino denudati auxilio captu faciliores fierent: persuasit itaque Madianitis, vt non viri; sed mulieres cum illis decertarent, quæ armorum vice corporis venustate, & verborum illecebris essent præditæ.* Nouerat iniquus ariolus ad euertendos homines plus valere formæ lenocinia, quàm arma, vtque stragem Balac celeriùs moliatur Hebræis, consulit non copiosas militum phalangas opponere; sed libidinosis stimulis subiugare. Adstipulatur Chrysostomus hom. 14. ad populum: *Scientes Madianæi, & cognoscentes quòd gens illa inexpugnabilis est, & macharis quidem, & armis expugnari non potest, peccato verò tantùm ipsam capere facilè, virgines speciosas ornantes, & ante castra statuentes in lasciuiam milites euocabant.* In aciei fronte, vbi robustiores, valentioresque ad hostibus terrorem incutiendum locantur, pulchellas, & formæ venustate gratiosas ad eneruandas aduersariorum vires statuit: nam lasciuia est exitialior machæra.

Num.24. v.14.

Theodor. *Pulchritudo ad subigendos homines fortior armis.*

Chrysost.

Dauid mapalibus innutritus sic ad leonis, 112.
vrsique occursum insurgebat intrepidus, vt non solùm illis metum incuteret; sed gloriosè detriumpharet: nec solùm ab oculis remotus feras discerpsit; sed coram populo gigantem animosus prostrauit. Hîc ergo nobilibus adeò victoriis coronatus iam turbatur timore concussus, & robore inimicos extimet dispoliatus: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Caietanus legit: *Fui territus.* Profectò terrore obturbari fortitudinis erat nota, & antiquæ gloriæ ignominia: quî ergo fieri potuit, vt qui olim animosè sideret, quantumuis aduersus ipsum consisterent castra, & fortuna omnium calamitatum contorqueret spicula, timore nullatenus percellendum; modò se terrore palàm confessus fuerit turbatum? Quia libidini indulsit, inquit Caietanus, & qui alienis subiugari non potuit armis, propriis subiugatus est oculis: iam fugit pedes filij proditoris arma, qui leonis, qui vrsi, qui gigantis animosè ambiuerat prælia. Audi Caietanum: *Contrariatur fortitudini timor, & multò magis terror: fatetur ergo se perdidisse fortitudinem, dum confitetur se fuisse territum: & verè perdidit fortitudinem animi ad aspectum mulieris.* Ferarum insultus, horribilis truculenti gigantis vultus animos exacuebant; Bethsabee tamen aspectus ignorabat: iam pauet, iam timore fugit exagitatus, qui olim certaminis prouocationem ad se rapiebat intrepidus: *Perdidit fortitudinem ad aspectum mulieris*, non ad aspectum gigantis.

Psal.29. v.8.

Caietan. *Mulieris adspectus expectorat fortitudinem.*

Pharaonis durities diuinam in se indignatio- 113.
nem armauit: delegatur Moyses omnipotentiæ vicarius, qui virga pastoritia elementis imperet, & in peruicaciam tyranni obarmet: populum Moyses deposcebat exolui, Pharao reluctabatur largiri: virga in draconem mutatur, crystallinus liquor in sanguineum colorem vertitur; verùm Pharaonis superbiæ visa est conducibilior pertinacia, quàm pœnitentia. Quid tunc? *Venit*, inquit textus, *musca grauissima in domos Pharaonis, & seruorum eius, & in omnem terram Ægypti, corruptáque est terra ab huiusmodi muscis.* O quàm durè puniebatur superbia, dum non leonibus, non vrsis, sed minutissimis animalibus inducias petere compellebatur afflicta: muscæ iam non solùm suauitatem vnguenti perdunt; sed pestilentem corruptionem Ægyptiorum populis inferunt. Et cur ad delendos Ægyptios Dominus obarmet muscas, qui sæuiores inferre potuisset plagas? Quia per muscas, inquit Gregorius 18.moral.cap.28. appetitus libidinosi signantur. *Ægyptus, quæ huius mundi speciem tenet, muscis percutitur: musca enim nimis insolens, & inquietum animal est, in qua quid aliud, quàm insolentes curæ desideriorum carnalium designantur?* Vt Ægyptus egregiè vapulet, vt deuastetur citissimè, non Deus rapaces armat leones, aut sæuas concitat tigres; sed carnalium libidinum

Exod.8. v.24.

Gregor. *Musca libidinis enigma.*

libidinum permittit æstus, sed inquietos luxuriæ adsultus: nec enim citò adeò periret virgâ, dracone, liquore, sanguine, vt muscâ pestem citissimam inferente.

114. Reges armantur in Sodomitas, repentè irruunt, & duro iugo submittere ceruicem compellunt: *Tulerunt omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrhæ, & vniuersa, quæ ad cibum pertinent, & abierunt: necnon & Lot, & substantiam eius.* Stragis nuntium Abrahamum perculit, qui vtvt potuit, seruorum coacta manu in hostes nulla cautela munitos irruit: *Irruit super eos nocte, percussitque eos vsque Hoba, quæ est ad lænam Damasci, reduxitque omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius; mulieres quoque & populum.* Armis Sodomorum populus fuit aliquo tempore subiugatus; tamen penitus non luxit attritus: vnus Abrahamus calamitati obuiauit, & antiquæ gloriæ restituit; verùm qui de transacto periculo debuissent esse cautiores, de triumpho, tranquillitatéque indulgebant liberiùs obscœnissimis libidinibus. Deus properat ciuitatem euersurus, & dilecto suo Abrahamo secreti committit arcanum: ille semel & iterum à sulphureis flammis populum liberare contendit; nec tamen obtinuit: duo mittuntur Angeli, qui Lotum extrahant, cùm vnus Abrahamus ex aduersariorum manibus eripuerit: *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere.* Sulphureis flammis Pentapolis manet exusta, qui hostilibus prorsus non fuerat armis vastata. Vnus Abrahamus nepotem valuit ab aduersariis eripere, duo Angeli aduentauerunt, vt à periculo extraherent; Abrahamo hostilis cessit exercitus; sed Sodomiticæ libidinis non cessit adsultus: valentior fuit ad stragem domestica Sodomorum luxuria, quàm aduersariorum arma. *Ecce quomodo ciuitates illæ spurcitiæ Sodomiticæ matres*, scribit Bernardus apud Lippomanum, *diuino prædamnata iudicio, & incendio sunt deletæ: ecce quomodo gehennalis flamma moram non sustinens execrabilem illam præuenit tollere nationem.* Sublata est tota natio libidinis flammis, cùm hostilibus tota deleta non fuerit copiis.

Genes. 14. v. 11.

Gen. 19. v. 1.

§. XXIV.

Præfectorum amici, consanguineíque impunè sæpe perpetrarunt errores; imò errores solent deprædicari virtutes.

115. Amici delictum eis adfectionis præstigiis coloratur, vt non solùm non appareat pœna mulctandum; sed laudibus efferendum. Opportunè Tertull. lib. de anima cap. 57. *Corpora denique videbantur Pharaoni, & Ægyptijs magicarum virgarum dracones; sed Mosey veritas mendacium deuorauit.* Moysis veritas clarissimè ostendit Magorum fraudulentissimam imposturam; verùm habebat Magorum dolus magnam in Pharaonis adfectione tutelam: Moyses magicos dracones conuincebat euidenter esse figmenta; Pharao tamen adfectionis nebulis obcæcatus solida censebat corpora: nec mirum, quandoquidem Magi Principi familiares, amicique. Quod si amicorum delicta ita magico amore disparent, quid mirum, si cognatorum colorentur errata, & præmio digna censeantur scelera. Præfectus iniuriam à cognatis suis passos non audit: quia consanguinitatis incantamentis præpeditus, vocibus obsurdescit: cognati præfectura fauorabilis semper est pro cognato delinquente sententia, & qui seuerè debuissent puniri errores, adulationis fuco colorati deprædicantur sæpè virtutes. Iosue ad populi Principes concionem habens monet, ne consuetudinis, affinitatisve vinculis irretiantur: aliter namque deorum figmenta adorabunt, & cognatorum erroribus adhærebunt: *Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare, iam nunc scitote, quòd Dominus Deus vester non eas deleat*, &c. Ne gentium adorauerint simulacra, prudentissimè vetuit connubia: nam si affinitate fuerint semel coniuncti, affectus facilè interpellabit iudicium, & Deum ab affini cultum deprædicabunt idolum. *Contracta amicitia*, scribit Abulensis quæst. 4. *siue ex frequentia communicationis, siue ex amicitia, quæ nimis persuasiua est, mutarentur corda Iudæorum ad idololatriam: sic enim Israelitæ faciliter ad idololatriam conuersi sunt, & adorauerunt Deum Beelphegor.* Cognati amicique Beelphegor vti Deum adorabant, & iam Israelitæ amicitiæ præstigiis, & cognationis incitamentis verùm Deum esse credebant: adeò Israelitarum Principes aberant ab idololatriæ vindicta, vt illis venerabilis esset idolorum ara.

Tertull.

Abulens.

Ismael suæ cupiditati refragatur, dum primogenituræ gloriam præripere fratri ambitiosus molitur, Sara cum matre depellendum procacem, & audacissimum filium monet: *Eyce ancillam hanc, & filium eius.* Abrahamus ad speciem improbauit consilium; imò durum Saræ sugillauit ingenium: *Durè accepit hoc Abraham pro filio suo.* Et quæ huius iudicij causa? Nullam ad exilium in puero inuenisse culpam. Audi Caietanum: *Iniquum, atque crudele videbatur, eycere filium proprium, ac primogenitum nulla exigente culpa filij.* Non putabat iniquum eiicere ancillam: nec enim ait textus: Durè accepit hoc Abraham pro ancilla; sed, pro filio: & cùm eadem filium matrémque defœdauerit culpa; tamen in puero nulla inueniebatur causa. Profectò leuior matrem in educando scilicet negligentia, grauior puerum temeritatis scilicet denigrabat audacia; sed Abrahamus, quia diligebat filium, nullum inueniebat peccatum. Tradit profectò explicatè textus: *Pro filio*, inquit, *suo*: eadem causa filium & matrem ligabat; verùm cognationis præstigiis obcæcato filij culpa parenti nullatenus apparebat: nec mirum: erat namque Abrahamus diuersimodè erga filium, & erga ancillam affectus, & ideò quæ ancillam damnabat culpa, in filio nec criminis erat nota. Opportunè Chrysostomus apud Lippomanum: *Sara non immeritò rem hanc egit; sed oppidò decenter, atque ita decenter, vt & Deum collaudarit eius dicta. Patriarcha verò benè affectus erga Ismaelem molestè accipiebat, quæ à Sara dicebantur.* Affectus vel iusti interpellabat iudicium, & cùm iustissimam Deus exterminationis dixerit causam, nullam in dilecto videbat culpam. 116.

Genes. 21. v. 10.

Caietan.

Chrysost.

Peccauit populus, & cùm Deus super illorum 117.

vtilitate

vtilitate montis cacumine curam gereret, idololatriæ libidine obcæcatus, distansque a Domino sacrilegum religioso cultu vitulum adorauit: Dominus Moysem de scelere facit certiorem, & seuerus præcipit, ne dignissimæ obsistat indignationi: *Peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægipti: recesserunt citò de via, quam ostendisti eis, feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias dixerunt: Isti sunt dij tui Israel.* Moyses audito scelere Dei furorem sopire nititur, & cur irascatur in populum, sciscitatur: *Cur Domine, irascitur furor tuus?* Profectò illud *cur*, prudentiam Moysis sugillat: dignum propheta erat Deum, ne irasceretur, rogare; sed alienum à prudente causam indignationis inquirere, audit coluisse idola, & rogat cur furor decernat dura supplicia? Certè sciscitatus causam aut nullam, aut leuissimã esse affirmat. si Deus non retulisset populum ritibus vitulum sacrilegis adorasse, nil mirum cur tantæ indignationis arderet flamma, perquireret; sed mirum est post relatam grauissimis ac seuerissimis suppliciis dignam culpam, furoris quærere causam. Verùm, ô dilecte, Dei verba expende: aiebat namque Moysem alloquens: *Peccauit populus tuus:* licèt ergo magna perpetrare flagitia audiuerit, de affectionis consilio causam furoris quodammodò non inuenit: quasi in populo suo tanti supplicij nullum adspiciat meritum, vel post execrandum illud delictum. Profectò Moysem nulla inordinatæ affectionis obscurat culpa; verùm adfectionis proditur efficacia, dum post idololatriæ scelus à populo admissum, adhuc furoris occasionem sciscitatur. *Vides*, aiebat Chrysostomus apud Lippoman. *quomodò Moyses cum a Iudeorum ingratitudine liberari posset, & alterius gentis potiorem longéque maiorem accipere principatum, cùm sanctus & Dei seruus esset intimus, ne audire quidem id sustinuit.* Adstipulatur Gregorius ibi: *Commissi sibi populi seditionem tolerat, & irascentem Dominum pro eisdem suis persecuteribus rogat.* Aptiùs Tostatus quæst. 17. *Vade descende: peccauit populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, in quo eum incitabat ad duo: primo, vt pro eo oraret, ne deleretur tamquam pro re sua.* Arcana interrogatione vires Moyses pandit affectus, & dum rogat causam, populi ad speciem imminuit culpam; imò ipse Deus Moysis adserit populum deliquisse, vt adnitatur iram Numinis temperasse,

Exod. 23. v. 7 · Chrysost. · Gregor. · Abulens.

118. Ionas prædicatione sua minarumque prædictione sic Niniuitarum perculit animos, vt mores prorsus deierarent antiquos: ciuitas resonabat lamentis, si aliquando criminum exundarat delictis: à consortio Niniuitarum fugiens propheta sibi construxit vmbraculum, vt cõtra Solarem æstum aliquod sortiretur auxiliũ: *Egressus est Ionas de ciuitate, & sedit contra orientem ciuitatis, & fecit sibimet vmbraculum ibi, & sedebat subter illud in vmbra, donec videret quid accideret ciuitati.* Nox erat media, & virescens hedera in faciẽ tecti explicata Ionam contra Solares radios circumtegebat elata, proiectumque Solis radium vice muri frangebat spissa: vndique flores expansi ad delicias vsque spectabantur, Ionam viror oblectabat, & flos tristitiam animi minuebat: sed ecce tibi è vestigio siccatur planta, & quæ oblectabat grata oculos venustate, iam tristitiam incrementabat marcore: *Praeparauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit.* Ionas hederæ dolebat casum, cùm ciuitatis ad speciem desideraret excidium; verum Deus vt vtrumque castigaret affectum, amputet inflictam hederæ immeritò pœnam, rogat: *Putasne benè irasceris tu super hedera?* Quid tunc: Intrepidè respondet: *Benè irascor ego vsque ad mortem*. Diuus Hieronymus scripturæ arcanorum profundus indagator in hedera Israeliticum populum existimat designari, & ad suos adfectionem prophetæ exprimi: *Citò consurgens, & citò arescens ordine & vita comparabitur Israeli radices paruas mittenti in terram, & conãti quidem in excelsa sustolli.* Ecce quid faciat affectus: hedera vermibus scatet, ciuitas peccatorum maculas lachrymis vberrimis eluit; & tamen Ionas hederam putat sine causa grato virore nudari, & alienigenorum ciuitatem nimia indulgentia permitti. Ionas vtpotè Hebræus sic suos amat, vt peccatorum vermibus scatere non videat, cùm ciuitatem Niniuitarum dignissimam excidio censeat: pœnitentiæ meritum in extraneis despiciebatur, & superbia arrogantia in propriis non videbatur: hederam vermibus scatentem sine causa putat arefactam, & non adspicit pœnitentiam: quia affectus artificio marcoris euanuit causa, & indignationis supercilio in extraneis virtutis despicitur excellentia: & quidem quod semel tunc figurâ, sæpiculè accidisse videmus: ferè omnes nullum in cognatis & amicis deprehendunt erratum; cùm in extraneis errati loco habeatur excellentissimum meritum: *Postquam in siccata cucurbita*, addit Hieronymus, *aruit Israel, & cum distinctione interrogatur: Benè irasceris tu super hedera? Confidenter respondet, & dicit: Benè irascor ego*, Hedera pestiferis culparum vermibus rosa debuit siccari: lugenti ciuitati fuit fas indulgere: & propheta, vt arcanè mores nostros exprimeret, vermes in sua putauit hedera floribus coronandos, & vel pœnitentes Niniuitas durè puniendos: sic ludit & illudit affectus, sic affectionum præstigiis delicta cognatorum digna solent censeri præmio, & virtutes extraneorum supplicio. Adde in affinibus dignitatem aliquam exambire loco meritorum censeri: itaque quæ in cognatis deberet ambitio puniri, præmiis assolet mumerari.

Ionæ 4. v. 5. · Qui minori fundamento innixus, excambit alta superbus. · Hieron.

De passione cum discipulis disserabat Dominus, cùm filiorum Zebedæi mater Apostolorum dissecans chorum officiosissima accedit, & subsellia filiis deposcit: *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Et quod meritum mater proferat, & quos pro virtute sudores commemoret? Iam prodit: *Flij* inquit, *mei* patrueles tui: de sæculi more putabat satis allegare esse cognatos, vt præmio ostenderet dignos: putauit ipsum rogare pro meritis esse, vt cognatus deberet annuere: *Mater*, scribit Basilius Seleuciensis orat. 24. *regnum postulauerat obtentu facile arbitrata, sperabatque, quod sperabatur ex sola postulatione rogantibus obuenturum.* Præmiserat idem Basilius: *Materiam inuenit natura, filiis vt gratificetur.* Putauit mulier de sæculi more, vt Christus filiis gratificaretur, naturam dignissimam esse causam, solamque petitionem iustitiæ materiam. O quot querelas excitant cognati, si quod efflagitant, non concedatur; quasi pro meritis sit ad obtinendum, expliсuisse vota, & prodidisse sermonibus desideria, verùm Christus meritum exegit, & se Deum, & hominem comprobauit; ni enim talis 119.

Matth. 20. v. 21. · Seleuc.

talis esset, votis cognatorum annueret, & in gratiam cognationis,quod petebatur, concederet: *Christus Dominus*, addit Basilius, *regni acquirendi modum docebat: Potestis bibere calicem?* Non præbuit affinitatis titulo; sed certaminis merito, vt præfectos doceat consanguinitatem dediscere, & virtutem solùm attendere: petiuit mater ex sola postulatione, quod postulabatur,sperans,& sæculi stylum declarans.

§. XXV.

Magnum erroris supplicium errorem producendi occasiones permittere, non frænare.

120. SIc mortalium densis cupiditatis tenebris mens caligat, vt delusa, quæ nocentissima sibi,quærat. Aliquod malorum nostrorum leuamen esset,si quæ appetimus,nosceremus; verùm nobis vt stultissimis res fuco illitæ sæpissimè imponunt, & properantes cupiditates eludunt: inhiamus diuitiis,carnis studemus negotiis: quæ cæca improuisaque desideria nullo durius vlciscetur Deus,quam si opportunam errori occasionem permittat, nec lippitudinem cupiditatis abstergat. Omnes mortales pulsat non semel ambitio; verùm à quibus Deus erroris materiam aufert, probantur amati, quibus permittit, despecti. Ad improbos videbis sæpè omnibus optata confluere: salutis integritas,virium torositas, palati ac libidinis lenocinia, ingens diuitiarum copia; his verò, etsi aureis catenis illigantur, & ipsis,quibus illigantur, puniuntur: sæuior cupiditatis pœna est cupiditas, & effrænis salacitas salacitatis vindicta: non indiget Deus ad punienda scelera externis suppliciis; imò duriùs punit ipsis peccata peccatis. Felix est,qui cùm oculos obturatos haberet, cecidit, si de casu oculi fuerint aperti: infelix, si ad cæcitatem transierunt pestilentiori humore suffusi. Quàm benè aiebat Seneca lib.de prouidentia: *Quos Deus probat,quos amat,indurat,recognoscit, exercet; eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis seruat.* Videtur Numinis indulgentia, quæ ardentissima censeri debuisset ira. O nos miseros, qui passionum nocte obcæcati contrariam veritati sententiam ferimus! Beneficia putamus, quæ comprobantur tormenta, & horremus vt tormenta, quæ grato animo debuissemus censere munera. *Infelix est Fabritius*,aiebat citatus ibi Seneca, *quòd rus suum,quantum à Republica vacauit, fodit, quòd bellum tam cum Pyrrho, quàm cum diuitijs gerit, quòd ad focum cœnat illas ipsas radices, & herbas, quas in agro triumphalis senex auulsit? Quid ergo? Felicior esset,si in ventrem suum longinqui littoris pisces, & peregrina aucupia congereret?* Cùm felicitas de virtute debeat censeri, iam apud hebetes de deliciis contigit supputari; cùm tamen quod sibi imprudens discupit commodum, sit grauius stultæ concupiscentiæ supplicium. Iosue à noxiis cum improbis amicitiis, aduersisque veræ religioni connubiis populum habita concione auertens, si aliter fecerint, à Deo gentem illam amicitiæ fœdere, matrimoniique vinculo iam ligatam detestatur nullatenus depellendam: *Si volueritis gentium harum,quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare, iam nunc scitote, quòd Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram.* Profectò quod illis minatur supplicium ad connubia,amicitiæque fœdera contrahenda censeri potuit fomentum: nam si allophylorum gaudent consuetudine, si pulchellarum discupiunt formas,quid illis gratius, quidque optabilius, quàm deliciis suis nunquam carere; sed sine metu discriminis exundare? Ergo Iosue non illis minetur perseuerantiam; sed denunciarit ruinam. O Ducis prudentiam! Quid miserabilius erranti, quàm recti tramitis non habere magistrum; sed cæco impetu viam arripere, & à termino longiùs ipso volatu distare? Magnum impenderet beneficium per amœna gradienti prata, qui illum non fineret longiùs aberrare; sed à paradisiacis illis deliciis auulsum rectam ad semitam reduceret, ad terminúmque dirigeret. Ergo si erroribus adhæreat, ait Iosue permissurum Deum, vt longissima per errorum viam conficiat spatia, quò grauissima errorum sustinuerit supplicia: nec enim acrior decerni poterat mulcta, quàm errantem cæciùs errare permittere, nec ab erroribus vindicare. Opportunè Abulensis quæst.4. *Si peccaueritis facientes hæc, non sitis quasi de pœna incerti; sed ex nunc cognoscite quòd Deus faciet permanere gentes istas ante faciem vestram.* Ecce grauissimam delicti pœnam, gentes illas, quibus cum decreuerant noxias amicitias inire, multo tempore permanere.

Seneca. *Non semel est durior pœna, non punire, sed indulgere.*

Abulens.

Cùm paterfamilias, vt filij dilectissimi nuptias dignè celebraret,cœnam opiparam instruxisset, plures vrbanissimus inuitauit: illi se adfuturos promittunt; verùm opportuno tempore variis occupationibus irretiti, & euanidis occupati venire renuunt, séque rogant excusatos haberi, nec importuniùs vocari. Retulit seruus inciuiles inuitatorum excusationes: *Reuersus seruus nuntiauit hæc domino suo:* tunc pater iusta indignatione inflammatus sententiam culpâ dignissimam contra inurbanos pronuntiat, & delicatis opiparæ cœnæ deliciis priuat: *Dico vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam.* O quàm vel prudentis rationem indignatio perturbat! Si inuitati, vt aliis dicarentur deliciis se studiosè ab his subtraxerant mensis, quæ illis erit pœna non habere,quæ respuunt, his priuari,quæ fastidiunt? Gregorius Magnus homil.36. in Euangel. hanc censet acerbissimam pœnam: nam cum deliciis corrupti, cùm vanitatibus dediti veris se gaudiis priuarint, à vero gaudio repellere, fruique euanidis voluptatibus permittere grauior erat sententia, & durior errati mulcta: *Qui huius mundi aduersitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, atque à præsentis vitæ desiderijs corriguntur, quid isti fratres mei nisi compelluntur, vt intrent? Sed valde est tremenda sententia,quæ protinus subinfertur: intenta hanc aure percipite, vt tantò eam minùs sentiatis in examine, quantò nunc auditis formidolosiùs in prædicatione: ait enim: Dico autem vobis,quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam.* Ipsi nolunt gustare: nam varias excusationis causas prætendunt; sed prudentissimus pater,vt seueriùs puniat, mensâ interdicit, vt indulgens alios à vitiis abstractos intrare ad cœnam compellit:

121.

Luc.14.v.21.

Gregor.

pellit: nec enim grauius culpæ decerni potuit tormentum, quàm longissimum illi temporis permittere spatium.

122. Cùm duo Angeli formâ elegantes sub vespere Sodomam fuissent ingressi, Sodomitæ vel appetente periculo libidinis negotia curabant exoculati: parum abfuit quin hospitij portas violenter effringerent, vt hospitibus vim inferrent; verùm eos Angeli cæcitate percutiunt, non ea, quæ visum prorsus priuaret; sed quæ ostium inuenire non sineret: (Gen.19.v.11.) *Percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Noua cæcitas fuit cæcitatis supplicium, & dum inuenire ostium prolixiùs tentant; fœdissimæ spatia appetitionis continuant; sed inquiramus cur Angeli vires non eneruarint, quò infirmi improba non prosequantur desideria; sed calamitate fracti impudica retractent vota? Quia Angeli, respondet Ambrosius apud Lippomanum, durius illis infligere supplicium decernunt: & certè beneficium grande censeri debuisset ab impuratissimis desideriis incussis etiam doloribus furentes liberare, vt erat grauissima pœna auidius noua cæcitate desiderium permittere. Obcæcati studiosissimè adlaborant, vt domus ostium inueniant: retrocederent à detestando desiderio dolore afflicti, & prosequuntur, quia cæci: durior ergo illis pœna non esset dolore abstrahi; sed noua cæcitate, si dici potest, impelli: (Ambros.) *Mirabilis Angelorum declaratur potestas, vt offusa impuris cæcitate non reperirentur domus ostia, quæ illi aperire cupiebant.* Adstipulatur Lippomanus: (Lippoman.) *Poterant omnes occidere; sed reseruabant alteri pœnæ: non autem auferlur visio; sed eius rei aspectus intercipitur, quam videre cupiebant. Omnia Sodomitæ videbant præter ostium domus: ideò multo labore ianuam inquirebant. Cæcitas mentis & corporis sequela est immoderatæ libidinis, obtusitas, & insania, contemptus Dei.* (Cæcitas libidinis filia.) Dum ostium solùm non vident, instant cæcissimè, vt quærant, & dum improba producendi desideria illis permittuntur spatia, grauissima infliguntur supplicia: mitior esset vindicta omnes occidisse: *sed reseruabantur alteri pœnæ*: & quæ maior pœna cæcitatis, quàm noua cæcitas? Ergo Angeli dum cæcos cæcissimè delirare permittunt, & grauissimè etiam puniunt.

123. Populus in se ipsum insaniens Domini abiecit dominium, & more gentium regem deligendum clamauit ad thronũ: displicuit sermo prophetæ; sed dum vrgetur, Dominum consulit, & quid in hac re faciendum, instanti deprecatione requirit: Deus populi votis annuere præcipit, nec modicam sibi illatam iniuriam dolet: (1.Reg.8.v.7.) *Dixit Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt; sed me, ne regnem super eos.* Profectò reddita causa plus aduersabatur votis, quàm faueret improbis desideriis: si Deum abiecerunt, vota puniat, & desideratis non annuat: nam præmij habetur loco desiderata obtinere, & concupita impetrare: ergo errantes puniat, nec erroribus faueat. O Numinis seueriorem vindictam! votis annuit, vt studia rigidiùs puniat: quæ enim durior pœnâ, quàm delicti perseuerantiâ ipsum punire delictum, & opportunè, perpetrandi occasione animi stultum vlcisci votum. Dum populus auditur, & rigidiùs ipsâ indulgentia mulctatur. Innuit Gregorius lib. 4. in Reges cap. 2. (Gregor.) *In adimplẽdis suis prauitatibus audiri ipsi reprobi delinquentes possunt, vt illis libera iniquitas æternæ vindictæ meritum augeat:* dum liberè permittuntur delinquere, & pœnas coguntur grauissimas dare: est namque rigidum improbi desiderij supplicium, vt opere augeatur perfectum: è contrà paterna benignitas peccandi occasiones præcidit, & dum præcidit, paternam dilectionem ostendit.

Prodigus ille, qui nihil gloriæ, nihil sibi famæ reliquit, porcorum lutulentis pascuis addictus ventrem discupit adimplere: *Cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant.* (Luc.15.v.16.) Quid tunc? Opere nullatenus expletur votum; imò luridæ famis sæuum viscera discruciat tormentum: *nemo illi dabat.* Et cur fame consumitur, qui anxiis desideriis arctatur? Vt dum improbi desiderij præciditur clementer occasio, ad patrem saniori reuocetur consilio: nam si opportuna occasione siliquis ingurgitatus ventrem impleret, nulla de ad patrem reditu pulsatus cogitatione dormiret, duriórque comprobaretur pœna, quæ ad speciem prospera videri potuit fortuna. Innuit Chrysologus serm. 2. *Fames reuocat, quem saturitas exularat: fames illi patrem dedit sapere, cui copia tulerat sentire genitorem.* (Chrysolog.) Satur, & à lucis regione deerraret exul; dum verò famescit, ipsa felici infelicitate reducitur, & virtutibus instauratur: occasiones ergo perficiendi vota clementissimè sunt præcisæ, fuissent rigida seueritate concessæ. 124.

---

§. XXVI.

Quæ homo contra legem vt vitæ exambit subsidia, esse solent certissima detrimenta.

125. Fucata nobis rerum species imponit: citò fallaci opinioni accedimus, & quia contemnimus altius perscrutari, contigit sæpissime illudi: prærupta sunt, quæ fallente visu putantur excelsa, & fuco illita, quæ mentiebatur aspectus aurea. Quàm benè aiebat Seneca epistola 37. (Seneca.) *Fiat via, & hanc tibi viam dabit philosophia: ad hanc te confer, si vis saluus esse, si securus, si beatus: denique, si vis esse, quod est maximum, liber: hoc contingere aliter non potest... Vna ad hanc fert via, & quidem recta: non aberrabis: vade certo gradu; si vis tibi omnia subijcere, te subijce rationi.* (Omnia subiicit sibi, qui se subiicit rationi.) Securitas, honestáque vitæ commoditas virtutem agnoscit originem, & philosophiam rationis sororem matrem. Sæpè securitatem nobis parere gestimus delusi, per quæ, dum rationi innitimur aduersi, à felicitate longiùs distamus abstracti: nemo per cupiditatibus amica, ac rationi aduersa firma sibi parare poterit commoda; imò fragilibus innixus, quò incumbit confidentiùs, & corruet miserabiliùs. Stupidus est, qui ab igne exigit gelidam glaciem, qui à niue, ardorem: nec minùs probatur stultus, qui à vitio mutuatur commodum, à virtuteque salutis oriri putat dispendium. In cassum desudant, qui sibi per vitia elaborare nituntur commoda, cùm certa sibi parent vitæ ac salutis naufragia: quisquis rationem excussit, & à se fortunam longè amandauit. Aliquando per improbas artes, per fraudes artificiosas compacta ad tempus fulgebit felicitas; sed citissimè cithara vertetur in luctum

luctum, & risus desinet in lamentum. Hanc veritatem edocet Iosue, dum quæ incommoda ab illicitis connubiis, ab improborum consortiis emergent populo, pandit: *Si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare, iam nunc scitote quòd Dominus Deus vester, non eas deleat ante faciem vestram; sed sint vobis in foueam ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat, atque disperdat de terra hac optima.* Connubia tractant, vt multiplicati terrâ securiùs fruantur, vtque amico fœdere copulati cum hostibus prælia vitent; verùm dum illicitè saluti prospiciunt, per ea ipsa, quæ putabantur commoda, certissima sibi salutis conciliauere dispendia. Amicus inuenitur captiosus laqueus, & quæ gratâ venustate allophyla mulier oculos prolectabat, vt sudes aut oculos eruit, aut dolorem saltem grauissimum ingerit. *Erunt vobis in offendiculum,* exponit Lyra, *id est flagellum, seu scrutinium laterum vestrorum, id est, scrutabuntur omnia secreta vestra, ad vos subuertendum, & eijciendum de terra.* Dum illicitæ amicitiæ exambiunt subsidium, hostile patiuntur flagellum: sunt namque certissima detrimenta, quæ contra legem quæruntur non semel commoda. Lyra.

126. Duo viri latronum Principes, vt gratiam Dauid inirent, Isboseth occidere cogitarunt, quod & opere perfecerunt: & quando caruit effectu, quod iniquorum delictum irrepsit animo: *Tulerunt caput Isboseth ad Dauid in Hebron, dixerúntque ad Regem: Ecce caput Isboseth filij Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam.* Quid tunc Dauid? Capite damnat, vt pœna respondeat culpæ: *Præcepit Dauid pueris suis, & interfecerunt eos.* Perpetrarant delictum, vt sibi Regem beneuolum conciliarent, & per quæ sibi comparare gestiuerant luctum, salutis comparauere dispendium. Opportunè Iosephus lib. 7. cap. 2. *Præciso capite, & per totam noctem ac diem itinere continuato tanquam a læsis properantes ad eum, quem magno beneficio demeruissent, Hebronem peruenerunt, ostensóque Dauidi Isboshi capite commendabant ei suam operam, ac beneuolentiam, quòd regni æmulum de medio sustulissent; sed multum eos spes sua fefellit.* Spes suaserat crimen, & crimen dignam illis peperit mulctam, cùm regis exambiebant beneuolentiam: ita namque sæpissimè accidit, & illa ipsa, per quæ legi aduersantes nobis solicitamus augmenta, in salutis ac vitæ vertuntur damna. 2. Reg. 4. v. 8. Ioseph.

127. Non sine arcano consilio per Moysem ab aquis sublatum Pharaoni infertur pœna, & punitur dignè sæuitia: ille homo facie, animo bellua, quò suam feritatem dissimulet, regni mentitur periculum, & Hebræorum infantibus cum nulla humanitate parat naufragium: *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite:* parturæ expectabantur, infantes nondum solare iubar contuiti aquis tradebantur, & quod Dei manus studiosè effingebant, regis manus vorticibus obliterabant. Regis edictum naturam velut obsidione concludebat, nec timet inauditum sæculis perpetrare delictum, vt vitet periculum, quòd fuerat stultissimè suspicatus. Quid tunc: Moyses nascitur gratiarum manibus factus, & corporis habitu ad miraculum venustus, cúmque parentes eius ministrorum vererentur insidias, clausula inclusum puerum elegantissimum tradunt aquis: Dei iussa infanti parcebat fluuius, vt Pharaoni à fluuio infaustissimis emergeret casus: Regis filia, cùm leuandi animi causa cum puellis per amnis crepidinem graderetur, capsulam intuita ad se protinus iussit adferri; cernénsque in ea infantem elegantissimum, miserta est eius, in filiique locum adoptauit, & Moysis vocabulum indidit: *Vocauit nomen eius Moyses dicens: Quia de aqua tuli eum.* Huius pueri operâ vsus postea est Deus, vt refractarios puniret, Ægyptiósque Principes pro pueris vorticibus aboleret; verùm inquiramus, cur Deus populi Saluatorem vorticibus tradi voluerit, cùm aduersus insidias in paterna valeret domo seruare? Alatur Moyses, adolescat in virum, virgam prehendat, qua clementa in refractarium obarmet, quáque ranarum, ac locustarum agmina immittat: fluuio non tradatur, nec à filia Pharaonis vita aquis extractus donetur. O diuinæ prouidentiæ vindictam! A fluuio, quem contra legem, puerorum constituerat carnificem, emergere debebat damnum: quia à fluuio gestiebat Pharao mutuari subsidium: vt per ipsa, quæ sibi putabat commoda, asciscere detrimenta: ab aquis tollitur Moyses, vt qui ab aquis Pharao expectabat securitatis auxilium, ab aquis tolleret durissimum sibi flagellum. *O arcanam, diuinámque admodum gubernandi rationem,* exclamat Basilius Seleuciensis orat. 9. *alter contra Ægyptios humanitatis legislator alebatur Moyses.* Moyses, hoc est, de aqua extractus alitur, & per aquam tyrannis Pharaonis dignè punitur; vt qui ab aqua contra naturæ legem postularat auxilia, per aquam vitæ ac salutis pateretur dispendia: quod & naufragio non minùs dilucidè comprobatur: aquis namque submergitur, qui tot plagis antea verberabatur: vt vitæ experiretur detrimentum, quod ambitionis suæ mare constituerat auxilium: & quod olim puerorum iugulator ad securitatem regni; modò constitueretur carnifex ad vltionem dignam delicti. Exod. 1. v. 22. Exod. 2. v. 10. Seleuc.

Hoc ipsum expressit Ioathan pulchro illo ænigmate: nam cùm arbores rhamnum in regem inaugurassent, quo sub eius vmbra placidissimè requiescerent, ignem, quo vstularentur, imprudentissimè flabellarunt, & quæ falsa spe illis apparebat vmbra, erat ardentissima flamma: *Venite & sub vmbra mea requiescite; si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.* Sibi contra rationem discupiunt vmbram, & inueniunt dignissimè flammam: rationis iniuriâ amant quiescere, & rationabili vindicta contigit vstulari: de excogitato commodo dignum emersit supplicium, & de vmbratili spe vorax exarsit incendium. *Misit Dominus,* inquit textus, *spiritum pessimum inter Abimelech & habitatores Sichem.* Elegerant ad vitæ commoda, & passi sunt perpetua dissidia. Ita Lyra: *Misit Dominus spiritum, id est, contentionem, seu discordiam excitari per spiritum malignum inter Abimelech, & habitatores Sichem, vt suis iniquitatibus exigentibus destruerentur adinuicem.* Quod suis vtilitatibus pacatissimum fore suspicabantur imperium, infestissimum inuenere dissidium. Vt nostra thesis sit vera, scilicet quæ contra rationem vitæ procurantur commoda, salutis inueniri sæpissimè detrimenta. 128. Iudic. 9. v. 15. Lyra.

129. Saul, qua insaniebat in Dauidem liuoris phrenesi captiosas semper excogitabat insidias: filiam dare vult, non quò exosum nobilitet; sed quò mortis constituat instrumentum, quæ vitæ erat ad speciem consortium: *Dabo ei illam, vt fiat ei in scandalum.* Quæ molitione sua conficta fuit ad felicitatis fomentum, fraudulenta nititur cogitatio detorquere vsque ad calamitatis illicium: verùm quod nequitiæ suæ artibus adulterare gestiuit connubium, exosi inuenit præter opinionem remedium: nam cùm Dauidem grauissima discrimina vrgerent, Michol per fenestram dimissum saluat, & industriam paternam frustrat: *Deposuit eum per fenestram.* Michol, quæ fraudulento animo Dauidi in matrimonium data est, vt nequitiæ paternæ auxiliatrix Dauidi euaderet in scandalum, detecto dolo fuit periclitanti subsidium: vt Saul contra se pateretur arma, quæ pro se contra rationem excogitauerat munimenta. Adest Basilius Seleuciensis orat. 16. *Quam igitur Dauidi dat filiam, in cædis perpetrandæ societatem adsumit... Ignorabat interim Saul auxiliatricem, non insidiatricem dedisse se, vitæ custodem, non mortis adiutricem; illa verò improbato parentis furore virum à iugulatione ereptum fugâ dimittit:* contra naturæ leges vel ante thalamum viduitatem imponit filiæ, opem ab illa sperans contra inimicum; sed quod fraudis suæ putauerat adiutorium, fraudis inuenit impedimentum: per mulierem parentis artes effectu caruere delusæ, quando per illam videbantur perficiendæ: ita namque obcæcatam multorum malitiam punit sapientissimus iudex, vt duriùs torqueantur, dum vident, quæ pro se studiosissimè procurata, contra se clarissimè inuenta, vtque non solùm illis ingerat pœnam ardenti desiderio caruisse; sed & propriis sumptibus, ærumnosisque laboribus calamitatem suam incrementasse. Michol contra legem datur insidiatrix, & inuenitur adiutrix, vt ipsum, quod Saul fraudis excogitarat fomentum, fraudis experiretur supplicium.

1. Reg. 18. v. 21.

1. Reg. 19. v. 12.

Seleuc.

---

§. XXVII.

Validior sæpè ad ruinam est, captiosæ amicitiæ laqueus, quàm hostilis aduersariorum adsultus.

130. NIhil est amicitia fideli dulcius, nihil infideli nocentius: putat namque homo se amico credere, & hosti se inuenit prodere: hostis ipso nomine monet vigilantiam: quia apertè exercet inimicitiam; at improbus ac fraudulentus amicus, dum securam suadet confidentiam, & faciliùs aufert vitam: perniciosum est illius amicum esse, qui adulterato fallit nomine, vt hostili incautiùs percutiat ense: laruatus amicus est nocentissima pestis, & quia non timetur veneni contagium, vitæ incurritur imprudenter excidium. O quàm bene aiebat Plutarchus lib. de adulatoris & amici discrimine: *Amicus est vt nummus ante necessitatem comparandus probatus, non quem exploret necessitas: nec enim sentire debemus læsi; sed ne lædamus, experientiam & notitiam capere oportet adulatoris: alioquin idem nobis acciderit, quod illis, qui percipiunt prægustando exitiale medicamentum, iudicium per sui ipsorum perditionem & necem agentes.* Optimè comparauit adulterinum exitiali veneno amicum: nam dum iucundæ immixtum potioni hauritur, ipsa mors sub pulchro nomine deuoratur. Ecce Iosue cum populum vmbratilem vitam sectari animaduerteret, ad bella apertè adhortatus est: *Vsque quò marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis*; hic verò non minori studio amicitias impedire conatur, illásq; veluti religionis pestē veretur. *Quod si volueritis gentiū harū, quæ inter vos habitant erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare, iam nunc scitote quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram; sed sint vobis in foueam ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris.* Ciet animosè ad arma, vetat prouidenter fœdera: plus namque pacatam timebat pessimorum amicitiam, quàm sanguinolentam aduersariorum audaciam: monuit, ne hostiles vererentur adsultus; sed blandæ amicitiæ laqueos: nocentior namque est pessimorum amicitia, quàm ingens aduersariorum caterua: *Memorabili ista hortatur oratione.* scribit Masius, *vt lege Dei se habeat, & à Chananæorum familiaritate atque consuetudine sibi quàm diligentissimè caueat; sed ad ista suadenda hismaximè vtitur argumentis, quæ obliquè & tectè omnes ab otio ad belli cogitationem, & à familiari vsu barbarorum ad inimicitiam cum ipsis gerendam excitare atque incendere debeant.* Laboriosam ad militiam incendit, ab impiorum amicitia retraxit: nouerat namque prudentissimus Imperator nocentiora fore, quàm certamina, consuetudinis cum improbis fœdera.

Plutarch.

Ios. 18. v. 3.

Masius.

131. Abner cùm ageret partes Isboseth, bello fugatus est: fugentem Asael sic obstinatè insecutus premebat, vt absuerit parum, quin caperet; verùm cùm Abner subsidium à fuga sibi non esse cognosceret, acri timore compulsus per persequentis vitam salutem sibi parare aggreditur, Asaelque lanceæ mucrone vulneratus occiditur: *Percussit eum Abner auersa hasta in inguine & transfodit, & mortuus est in eodem loco.* Vides Abner de inimico triumphasse; vide modò a Ioab demortui fratre dolosâ amicitiâ miserè succubuisse: *Egressus Ioab à Dauid misit nuntios post Abner, & reduxit eum à cisterna Sira ignorante Dauid, cúmque redisset Abner in Hebron, seorsim adduxit eum Ioab ad medium portæ, vt loqueretur ei in dolo, & percussit ibi illum in inguine, & mortuus est.* Amicitiam, beneuolentiámque simulasse Ioabum tradit Iosephus lib. 7. antiq. cap. 1. *Obuiam factus ante mœnia Ioabus humanissimè exceptum summam beneuolentiam præ se ferens (vt sæpè fit, cùm ad obtexendas insidias malum aliquod facinus molientes summam bonitatem simulant) seorsum à cætero comitatu seducit, quasi secretius aliquid cum eo colloqui vellet, atque ita abductum in locum portæ solitarium vno tantùm fratre Abisao præsente stricto ferro per ilia traiicit.* Asael persequitur, Ioab fraudulenter adulatur; grauius tamen Abner sustinuit periculum à fraudulento amico, quàm ab aduersario acerrimo: dum Asael vrget, dum fugientis tergoribus importuniùs insistit, alas addit, & viriliter deprœliari fugientem edocet; at cùm Abner fraudulento se credit amico, oc-

2. Regum 2. v. 23.

2. Regum 3. v. 26.

Ioseph.

culto

culto occiditur ferro : plus debuisset vereri iniqui amici beneuolentiam, quàm hostis acerrimi instantiam. Itaque alter fratrum Abner acertimus hostis insequitur ; alter verò fraudulenta beneuolentia adulatur ; adeóque grauius periculum fuit Abner ab improbo amico, quàm à pertinaci aduersario, vt de hoste triumpharit, & fraude amici occubuerit. *Humanissimè exceptum, summam beneuolentiam præ se ferens, seorsum à cætero comitatu seducit, & stricto ferro per ilia traijcit.* Et quidem quod olim historice, quotidie in moribus non est dubium accidere occultè. Pessimus comes, iniquus familiaris blandiendo lædit, adulando occidit, & dum voluptati disponit grata, animæ propinat venena.

132. Huius peruersæ efficaciæ non ignarus Saul, cùm semel & iterum teli per insidias iacti expectatione frustratus esset, Ionathan Dauidis amicum corrumpere consiliis fraudulentis aggreditur : quod si vaferrimus effecisset, de Dauide absque dubio triumphasset : *Locutus est Saul ad* (1. Reg. 19. v. 1.) *Ionatham filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid.* O cogitationem fraudulentam, & ipsa cupiditate obcæcatam ! Si contortam semel & iterum hastam hostis prudenter cautus elusit, si honoris specie Philisthinorum armis obiectus celebres consecutus est triumphi plausus, quid intererit Ionathas moliatur insidias, aut prætexere aggrediatur corruptus technas ? Qui laqueos prudens dirupit potentiæ, fraudulentæ euincet etiam malitiæ : cur ergo à Ionatha vtile expectat auxilium, qui tot artibus nullum compararat sibi remedium ? Quia Ionathas Dauidis amicus, qui quidem si amicitiam adulterasset, & amicum retibus fraudis cœpisset : filio pater suadebat indigna ; sed studio quidem apta : nec enim pestis valentior, quàm improbus, & fraudulentus amicus. Redeat iterum Iosephus apud Glossam : *Timore magnarum rerum, id est regni & vitæ, ne priuaretur vtroque, cogitauit eum crudeli calamitate perimere, eiusque mortem Ionathæ filio, & reliquis familiaribus delegauit.* Qui per armorum nequiuerat oppugnare potentiam, per familiarium interimere voluit fallaciam : est namque pessimus, & fraudulentus amicus ad nocendum hostibus validior, & ipsis dæmonibus perniciosior. Adde citiùs hominem labi improbi amici consiliis, quàm artificiosis dæmonis technis.

133. Primi parentes paradiso deliciabantur, erátque voluptas innoxia carens serpentino veneno ; verùm diabolus veluti duplici sagitta confossus, & se dolebat deiectum, & hominem ad honoris altitudinem sublimatum : serpentis facie personatus dolosi aggreditur, & hominis structuram per latus subruere peruersa cogita-
Gen. 3. v. 1. tione molitur : *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus : qui dixit ad mulierem : Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi ?* Mulier ad insidiosè interrogata respondit, mortisque venenum sub pomi specie latere obiecit : *De fructu ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Dæmon mortis timorem legis magistrum obseruanti æque neruum penitus deterit, dum immortalitatem falsè promittit : tandem Eua malum consilium cum oculo communicans fucata pulchritudine allicitur, & dolosis consiliis fallitur, seductionis fructum vindemiat, & prægustatum pomum viro candida manu propinat : *Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit.* Anastasius Synaita lib. 10. in Hexamer. magnum animaduertit discrimen inter Euam & Adamum : Eua namque, dum fraudulentis dæmonis telis impetitur, semel & iterum refragatur : opponit namque mortem, in medium adducit præceptum, arboris veretur tactum ; at Adamus nec præcepti meminit, nec aliquam excusationem adduxit. Audi Synaitam : *Fortior ac virilior* Synaita. *tamquam adiutrix hominis apparuit in transgressione mandati : ipsa enim & sola restitit serpenti, & cum quadam obiectione, & contentione, calliditate superata comedit ex ligno ; Adam autem cùm nihil omnino depugnasset, aut contradixisset, fructus fuit particeps dati à muliere :* dum Adamus pomum sibi propinari autumat beneuolentia, comedit nulla interiecta temporis mora ; at Eua dum serpentinam vereri potest astutiam, tantisper examinat causam : citiùs corruit Adamus per deprauatæ mulieris beneuolentiam, quàm corruerit mulier per fraudulentam serpentis astutiam, vt noueris plus verendum à prauorum consuetudine, quàm ab ipsorum dæmonum malignitate : tardiùs fraudulenta mulierem fregerunt arma, citiùs Adamum amicitiæ infidæ consilia : satius esset Adamo dæmonem pati aduersarium, quàm Euæ iam deprauatæ consortium : mulier namque blandiendo gratam ad ruinam impulit, & ad scelera adulando coëgit. Putabat Adamus suis mulierem solicitè inuigilare commodis, cùm venenatis doli transfigere studeret sagittis. Denique, vt ad homines perdendos fraudulentæ amicitiæ, ac cum improbo consuetudinis vires penitiùs agnoscas ; audi quid Ieremias Threnor. 3. Christi Domini personam gerens protulerit.

Venatione ceperunt me quasi auem inimici mei 134. Threnor. 3. v. 52.
gratis. Certè si historiam recolamus, non venationis fraudibus ; sed armatorum Christum Dominum captum inueniemus agminibus : aues & pisces dulcedine allectante capiuntur, fallente visco, prolectante oblectamento : Dominus verò missa cohorte capitur & vincitur : cur ergo sibi detrahit, dum potentiam aduersariorum imminuit ? Audi Ioannem : *Iudas cùm accepisset* Ioan. 18. v. 3. *cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis :* ergo se captum armorum dicat violentia, non venationis fallacia. Imò vt noueris improbi amici contagium, armatorum tacuit exercitum : quasi diceret : Quantumuis me armatorum circumdarent arma, facilè illos omnes prosternerem, detriumpharémque non solùm manu ; sed linguâ : quod & probauit euentus : *Vt* Matth. 26. v. 49. *dixit eis : Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram* ; at blandum fraudulenti amici osculum me tradidit, & inimicis obiecit : *Accedens ad Iesum, dixit : Aue Rabbi, & osculatus est eum, dixitque illi Iesus : Amice ad quid venisti ? Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum.* Doloso amici osculo traditur, qui armatorum exercitu non vincitur : detriumphata maneret inimicorum potentia, ni improbi amici adiuuaretur fallacia ; amicitiæ verò illico capitur, qui inimicorum minimè phalangas veretur. Adest Origenes apud D. Thomam : *Si ali-* Origen. *quis quærat, cur osculo Iudas tradiderit Iesum : secundum quosdam quidem voluit reuerentiam ad* magi

magistrum seruare non audens manifestè in eum irruere; secundum alios autem hoc fecit timens, ne, si fortè se manifestum aduersarium prabuisset, ipse ei fieret causa euasionis, cùm posset secundum opinionem eius effugere, & facere se imperuium. Censebat Iudas, & rectè, Christum Dominum omnem armorum potentiam facilè posse subigere, opinabatúrque, etsi delusus, improbæ amicitiæ non posse technas euadere: ideò noluit se cohortis ducem, aduersariúmque apertè ostendere: sed amicum simulare. Et quidem consuetudinis cum improbis vires ostendit, cùm præ armis fraudulentâ amicitiâ fidit.

§. XXVIII.

Post prosperitatis fastigia duriùs premit calamitatis miseria.

135. Cassiod. SEquenti gaudio, scribit Cassiodorus 8. variarum 20, *confert dulcedinem temporum præmissa tristitia:* nec minùs verè dicere potuisset: sequenti lamento vires addit præcedens gaudium. Qui cæcus natus est, cùm Solis iubar nunquam oculis spectarit, caliginis noctísque voluminibus non torquetur; & qui gratum oculis luminis aliquando florem adspexit, visu mœret priuatus, aut caligine vehementer doluit retardante impeditus: præcedens felicitas auget calamitatis molestias, & dum antiqua memoriæ obuersantur commoda, ingeminatur duriùs ærumnarum ac paupertatis angustia: præcedens serenitas, temporisque tranquillitas est nouus tristitiæ stimulus, & calamitatis neruus: sæuiùs possessa torquet amittere, quàm discruciet non possidere; tolerabiliúsque est nunquam opulentam habuisse mensam, quàm post differtam mensam vel aquæ exambire stillam. O quàm remanet augustior fortuna ad grauissimum pœnæ sensum, cùm euolarit ad gaudium? Veluti gemina face aduritur animus de amissa fortuna, & de adurgente miseria. Hinc meus Iosue, vt populum ab erroribus vindicarit, qua modò læti fruuntur, se fortunam amissuros testatur; & quidem grande ad cohibendos cupiditatis impetus erat frænum scire versa vice subiectis exhibendum fore seruitium: *si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, &c. iam nunc scitote quòd Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram; sed sint vobis in foueam ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat, atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.* Nullum validiorem ad excolendam virtutem adhibere potuit stimulum, quàm denuntiare augustam adeò fortunam in extremam vertendam esse miseriam. *Hic inducit,* scribit Lyra, *ad cultum, & dilectionem Dei ex timore mali, quod contingit ab eo recedendo.* Graue adeò est à felicitatis culmine ad extremam deuolui ærumnam, vt minis quasi firmissimis anchoris Numinis fundauerit reuerentiam. Lyra.

136. Mirabar epulonis audaciam ad speciem impunitam, cùm nisus fuerit auferre Lazaro gloriam: & quidem non mirarer de auri priuilegio diuitis apud sæculum inultum manere delictum; cùm verò iam indigeret, mirabar impunitum fuisse, vti insolitum: à purpura transfertur ad flammam: ibi leuat oculos sui criminis testes, & cùm plus arderet gehennali mentis inuidia, solùm de adustæ linguæ queritur flamma: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Audi Chrysologum serm. 122. *Adhuc diuitem malitia non deserit, quem iam possidet pœna, qui non se ad Lazarum duci postulat; sed ad se Lazarum vult deduci.* En non tam linguæ, quàm mentis flammam: quod agit diues non est tam nouelli doloris, quàm liuoris antiqui: zelo quidem magis incenditur, quàm gehenna; verùm si diues non cessat suam prodere inuidiam, cur Abrahamus nouam non addiderit pœnam? Addidit equidem & grauissimam, cùm antiquæ felicitatis refricuit illi memoriam: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua.* O quàm dura erat misero amissa felicitatis memoria: O quàm dignè inflicta liuori pœna! Quasi dicat Abrahamus: si aliquod leuamen apud inferos esse posset, antiquæ fortunæ obliuio præstitisset tibi solatium; at quia nouo semper tuum ardet liuore ingenium, & nouum ingero recordationis supplicium. *Recordare quod recepisti bona in vita tua, nunc verò cruciaris.* Opportunè Chrysologus serm. 123. *Voco filium, vt amariùs doleas perdidisse te, quod tibi gratia dederat & natura: quia non habuisse doloris non est tanti, quanti habita mœroris est perdidisse.* O quàm non ferendum illi tormentum erat præsentem calamitatem cum antiqua felicitate conferre! regiæ recordari purpuræ, differtæ mensæ, seruorum copiæ, & modò aquæ guttulam exambire, & vel mendico indigere. Luc. 16. v. 24. Chrysol. Chrysol.

Hebræus premebatur Babylone captiuus, & quamuis inuictum animum aduersus labores ostentarit, felicitatis antiquæ exulcerans animum recordatio ad vberrimos luctus coegit: *super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Non flent dum catenis illigantur, dum famis morsibus affliguntur, dum diris verberibus discruciantur, at antiquæ felicitatis idæa, & præsens calamitatis fortuna sic durè animum lancinabant, vt tristissimos ad gemitus compellerent, & ad prodendas intimi doloris notas potenter cogerent. Recordabantur Hebræi tranquillitatis antiquæ, Principatus toto orbe humili veneratione suspecti, commoditatum exundantiæ, diuitiarum opulentissimæ copiæ, dúmque antiquam sortem, & calamitatem præsentem conferunt veluti repetitis ictibus flammas doloris eliciunt, & tormentum vehementissimè accendunt. Longè tristissima post tot delicias, post amœna locorum gaudia infaustæ sortis vrgebat præsentia, & amissæ felicitatis memoria, quibus veluti accerrimis calcaribus incitatus dolor patientiæ metas aggreditur transilire, & vel fortissimorum virorum constantiam præcipitare. *Cùm quis considerauerit,* inquit Incognitus, *& recordatus fuerit, quanta sit quies, quantáque gloria Sion; scilicet ciuitatis supernæ, dum se in Babylone videt peregrinum, statim ad fletum & lachrymas consurgit, & hoc est quod notans Psalmista dicit: Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* In tristes adeò luctus minimè erûpeêrt, ni ciuitatis Sion amœna olim gaudia habitasset; at amissa iam felicitas sic animum discruciabat memoriæ impressa, vt lachrymarum genas larga irrora 137. Psal. 136. v. 1. Incognit.

irrorauerint copia. Adde tolerabilius aliquando esse penitus perire, quàm post placidam fortunam iratissimam sustinere.

138. Post Iosue mortem Iudas populi delectus Dux ad certamina accingitur; adeóque feliciter bellum successit, vt inimicorum plures gladio corruerint, plurésque fugæ se commendarint. Adonibezech Princeps inclytus capitur, præcisísque manuum ac pedum summitatibus vitæ relinquitur: *Fugit autem Adonibezech, quem persecuti comprehenderunt cæsis summitatibus manuum eius, ac pedum.* Ab hostibus captus, mutilúsque antiquæ felicitatis se ipse dilaniabat memoria, & ingentissima premebatur angustia. *Dixitque Adonibezech: Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias.* O quàm acerbum erat Principi olim regibus dominanti ferreis manicis manus inserere, & durissimis compedibus illigari! Rogat Abulensis cur Adonibezech non fuerit occisus, cùm Agag populi hostis fuerit gladio trucidatus. *In frusta concidit eum Samuel coram Domino.* Si ergo Agag in frusta concisus, cur Adonibezech amputatis solùm extremis manuum ac pedum seruatus? Vt grauiorem, inquit Abulensis sustineret dolorem, dum discruciatur memoria, nec inflicta tollitur plaga: esset profectò nonnullum calamitatis leuamen, semel occidi, etátque occidendi pluries artificium ad recordationem antiquæ felicitatis seruari; dirius namque ac durius viscera dilaniabat memoria, quàm hostilia ferire quiuerint arma. Audi Abulensem quæst. 9. *Non dimittebant eum, vt viueret; sed habentes voluntatem tenendi eum captum perpetuò ex aliqua causa, non in fauorem eius; sed magis ad amaritudinem.* Clementiores aliquo modo Hebræi se ostenderent, si vt olim Agag in frusta gladio conciderent, durioréśque illi parcunt, & antiquæ memoriæ felicitatis committunt: *Non in furorem eius; sed magis ad amaritudinem.* Omnium terribilium terribilissimum est mors, verùm inuentum est quid durius, cuius comparatione dulcescat, post felicitatem videlicet summam calamitatem perpeti extremam.

Iud. 1. v. 6.

1. Reg. 15. v. 33.

Abulens.

139. Paradisæis topiariis primi parentes deliciabantur: ibi animalia hominis adulabantur imperio, ibi volucres sonoro aures demulcere gestiebant cantu, riuuli ibi blando felicitati plaudebant strepitu: vna tantùm arbor sub mortis pœna reseruabatur intacta, vt felicitatem Domini conseruaret memoria: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*; verùm dæmon ad inuidiam excitatus est, in ipsáque morte immortalitatem latere suasit. Euámque specie commiserationis fefellit: *Nequaquam morte moriemini.* Datum à Domino præceptum Eua Adamúsque contempsere, ad seductionis fructum inhiantes. Quid tunc? Adstat Dominus seuerus iudex, reósque coram se iubet comparere, & innocentia olim exornatos pelliceis tectos tunicis præcipit modo exulare: *Fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Inquiramus, si placet, cur intentata pœna non fuerit secuta delictum, cùm diuinam iram sufflammarit peccatum. O quàm Deus auctariis bona coronat! O quàm imminuens supplicia temperat! Verùm non multùm ab scopo aberrabit, qui dixerit æqualem hîc morti pœnam inflictam, culpámque digno supplicio mulctatam: nam Adamus telluri excolendæ vti vernula addicitur, fœdísque vestitus non longè à paradisæis exulare deliciis cogitur. Innuit Tertullianus de pallio cap. 3: *De originis loco exterminat, quippe deliquerat: pellitus orbi vt metallo datur.* O æqualem mortis seueritati sententiam! Imperium adeò amplum agresti vita commutasse, & qui animalibus omnibus imperabat, ad telluri seruiendum cogi. Nescio an Adamo commodius fuerit emori, quàm post eximiam felicitatem agriculturæ dicari. Aptè Claudius Marius lib. 2. in Genes.

Gen. 2. v. 17.

Gen. 3. v. 21.

Tertull.

Heu quibus hæc spectant oculis, quo pectore cernunt,
Quorum animis paradisus inest, quæ causa doloris!

Marius.

Dum animus adhuc paradisæarum voluptatum memoriam seruat, & ingrata tellus sentibus duris stimulat, gemina morte punitur Adamus: nam alteram causat felicitatis memoria, alteram calamitatis ærumna: ergo prudentissimus Iosue, quò à delictis populum faciliùs auertat, & præsentis felicitatis commoditates exaggerat, & futuras aduersæ sortis pœnas enuntiat: *Disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.*

---

§. XXIX.

Vt virtus alterius est virtutis illicium, ita admissa culpa est noui erroris fomentum.

Sceleris ingenium non solùm est macula inficere; sed ad nouam maculam instigare: non adeò intolerabile esset malum nostrum, si culpis solùm contingeret infici, nec ad nouas experiremur impelli: summum malorum peccatum est, vtpote à veræ felicitatis lætitia exilium, & à Numine distantissimum interuallum: id perpetrare non cogimur, liberâ semper voluntate delinquimus; verùm qui semel admisit culpam, quodammodò adigitur, & ad nouum delictum rapitur: vt pabulo ingesto superbior inardescit flamma, ita perpetratis erroribus errorum annectitur noua miseria: abyssus abyssum inuocat, & caligo densiores tenebras parit: vt è contra exculta virtus arcanum ad virtutem vigorem inspirat, & honestum animi propositum roborat: quodlibet vitium, virtúsque ad virtutes & ad errores est semen, & vt granum profundis telluris sulcis commissum pullulat in spicam grandi frenore, & ingenti lucro, ita virtus corde fota nouas producit virtutes, errórque explicatur in deteriores errores. Quàm benè Seneca epist. 117. *Non obtinebis, vt desinat, si incipere permiseris, imbecillisque primò omnis affectus deinde ipse se concitat, & vires, dum procedit, parat: excluditur faciliùs, quàm expellitur.* Crescit insaniæ furor, incrementatur libidinis æstus, & quò sopienda videbatur flamma, inardescit acrior, vtque fama acquirit vires eundo, culpa delinquendo. Hanc philosophiam suos edocet disertissimus Iosue, quò ab allophylorum consuetudine retrahat, dum concatenatas calamitates prænuntiat: *Iam nunc scitote quòd Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram; sed sint vobis in foueam ac* 140.

Seneca. *Omnis affectus se concitat.*

laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris. Pro sudibus legit Chaldæus teste Masio, *exercitus vos cingentes*; & ipse Masius: *Spinæ in oculis.* Ecce culpæ seriem: priùs deiicit in foueam, iam deiectum arctis vinculorum tricis illaqueat, iam illaqueatum oculorum lumen suffocat spinis, tribulísque percussum cingit vitiorum exercitus, ne ratio amentes valeat depulisse appetitus. Accipe Masium: *Porrò illæ translationes à laqueis, retibus, flagris, spinis satis perspicuum est, cur ad idololatras, vt vocantur, spectent: laqueis enim, & retibus blandæ voluptatis impeditur primùm progressus in Dei cultu.* Attende curiosiùs, quæ subdit: *Deinde postquam illa semel deuinctus est animus, ad omne flagitium ab ea tamquam flagro impellitur; mox verò etiam vsque eò obcæcatur, vt veritatis splendorem deinde videre amplius nequeat.* Priùs in foueam sceleris pondere deiectus quasi liberis gressibus quit resilire: iam si iniquitas iniquitati agglutinetur, rete aut laqueus pedes constringit; & tandem oculos spina effodit: gemit aliquando miser, & errorum, voluptatúmque copioso exercitu obsessus clamat: Quomodò huc veni? Facilius est vitium excludere, quàm expellere: vt etiam virtus se ipsam exagitat, & ad maiora conanda accenditur.

Chaldæus.

Masius.

141.

Abrahamo ardentiore æstus candore, an quis peregrinaretur obseruanti Deus obiicitur, & sub quercu refrigerat; tandem pectoris denudat arcanum, & quod vstulandis ciuitatibus appeteret, prædicit supplicium. Abraham, qui hospitio Dominum excipiens pro se nihil rogarat, obnixas pro ciuitatum incolumitate preces fundebat: *Numquid perdes iustum cum impio?* Deus non amplum iustorum numerum præscribit, ob illúmque, si fuerit, parcere Pentapoli spondet. Quid tunc Abrahamus? *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.* Semel colloquia miscuisse animum addebat, vt iteraret; initio charitate scintillabat, posteà humilitate resplenduit: de virtute in virtutem iuit, & virtus ipsa ad virtutem nouam allexit: *Postquam sublimitatem promissionis temperauerat*, scribit Interlinearis apud Lippomanum, *subiectione humilitatis de præcedenti pœnitentium numero quinque eximit.* Aptius Gregorius 18. moral. cap. 33. *Sancti omnes quando in Dei visione proficiunt, quantò magis diuinitatis interna conspiciunt, tantò magis se nihil esse cognoscunt, nusquam quippe legitur quòd Abraham cinerem, & puluerem se esse professus est, nisi cùm habere Dei meruit collocutionem.* Adstipulatur Caietanus: *Rationem voluntatis, hoc est audaciæ, & præsumptionis manifestat.* Honestè audacior reddebatur ad iterum cum Domino colloquendum: quia semel locutus fuerat: piæ præsumptionis extitere causa, quæ antecessere colloquia: charitas sororem humilitatem vocauit, & iam Abrahamus non solùm charitate vt priùs; sed etiam humilitate resplenduit.

Genes. 18. v. 23.

Interlin.

Gregor.

Caietan.

142.

Deliquit primus parens serpentis fraudulentia, & mulieris proritatus audacia: mulier oculis vaga cum serpente colloquia miscuit, & plantæ ope in Deum euasuram se credidit: humanitatem serpens simulat, cùm ad cædem accurrat: furtim demit mortis terrorem, vt neruum legis extenuet: adulterat pœnam, quò ad perfringendam legem impellat citiùs audaciam: mulier vidit, & ipso aspectu obcæcata fructum tulit, cuius ope, vt rebatur, redderetur æterna: *Tulit de fructu illius, & comedit.* Eia Eua dexteram siste; si porrexisti ad arborem, ne extendas, vt propinaueris etiam viró. Proh infelicitatem! Dextera, quæ vetitum pomum decerpsit, vt comederet, ipso fructu quodammodò impulsa est, vt Adamo etiam porrigeret: *Dedit*, inquit, *viro suo:* ab scelere transiuit in scelus, & cùm illi tantùm tunc nocuisset noxia cupiditas, serpsit lues, & nocuit peruersa omnibus liberalitas: *Sumpsit de fructu illius, & manducauit*, scribit Augustinus apud Lippomanum, *& dedit etiam viro suo secum: fortasse etiam cum verbo suasorio.* Accinit ibi Rupertus: *Non satis fuit mulieri, quod comedit ipsa; sed insuper & viro suo dedit; quomodò autem dedit, nisi iam abusiuo imperio, vel importunitate muliebri?* Expende illud *abusiuo imperio.* Quasi dicat Rupertus: Antequam caro culpam admitteret, alliciebatur Eua subdolo serpentis consilio; at posteà iam vtitur abusiuo imperio: habet namque nescio quod abusiuum imperium culpa, vt noua imperarit errata. Imò in hoc ipso parentum casu expendebat Ambrosius lib. de paradiso cap. 14. apertos non sine detrimento oculorum adspectus attulisse surditatem auditus: Venit Deus terribili incessu, vt quem serpens fraudulenter ademerat, vtilem terrorem incuteret, venítque ad vesperam: *Ad auram*, inquit, post *meridiem.* Et cur non statim remedia composuit; sed vsque ad vesperam distulit? Quia anima visu impedita ad diuina tunc obsurdesceret monita, nec percipere valeret consilia. Accipe Ambrosium: *Quid est ad vesperam, nisi quia culpam suam serò cognoscit? nam dum culpa feruet in corpore, & anima exagitatur corporis passionibus, non cogitat Deum sensus errantis, hoc est non audit Deum ambulantem in mentibus singulorum.* Serò Dei vocem audiuit: quia vetitæ plantæ aspectus traxerat ad surditatem auditum, erátque consequentia illicitæ visionis ad Dei voces obsurdescere, & animæ aures, ne Dei voces perciperent, obturare. O quàm egregiè peccatores falluntur, dum imprudentissima fiducia post admissam culpam arbitrantur se, quid expediat, dispecturos, rationisque consiliis ac monitis æquitati citò reddendos, cùm semel admissa culpa auditum quasi cera obdat, & oculorum aciem transuersim agat.

Gen. 3. v. 6.

August.

Rupert.

Ambros.

Serò culpa agnoscitur, citissimè perpetratur.

143.

Modò menti occurrit, cur Elisæus, dum culpam Giezi punit, & in ipsum fore leprosum, & leprosos filios gignendos prædicet: *lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum:* Ecce admissa lepra & semẽ erat futuræ: leprosus à leproso generabatur, & per generationum traduces lepra incrementabatur, & à veteri noua lepra producebatur: aliquod esset solatium, si in Giezi lepra sisteretur, nec ad filios progrederetur; verùm propheta huius veritatis præscius non solùm asseruit Naaman lepram Giezi infecturam; sed aliam etiam ab illa lepra gignendam: *Et semini tuo*, inquit, *vsque in sempiternum.* Filij leprosi nascebantur, & lepra lepram vocabat, & denuò semper fouebat. Oportunè Ambrosius ad cap. 4. Lucæ: *Vides quia facto auctoris successio damnatur hæredis? Inexpiabilis est enim venditi culpa mysterij,*

4. Reg. 5. v. 27.

Ambros.

Vindicta criminis transit non semel ad posteros.

&

& gratia vindictæ cælestis transit ad posteros. Alia lepra lepram sequitur, & à leprâ lepra iterum generatur: semel namque admissa culpa culpam generat, & ad nouam semper instigat. Nec dissimile virtutis ingenium est: virtus etiam virtutes adducit, & possidentis ad lucrum gignit.

144. Cùm ambitio turbas daret in populo, pugnacissiméque de principatu cum Aarone côtenderet, iubet Deus virgas tributim accipi, vt quæ floruerit, diremerit litem, & parturiuerit pacem: *Quem elegero, germinabit virga eius*: Moyses extemplo obsequitur, & fasciculus virgarum coram Domino ponitur: sequenti die iam Aaronis virga non solùm frondes germinat; sed flosculos etiam gratos extrudit, & in amygdalas saporatissimas condit: *Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Origenes rogat, cur flores fructúsque largiturus virgam solùm germinare promiserit; aut cur germen solum promittens, & flores, & fructus dederit? Respondétque omnia illo recondi vocabulo, & omnia deseruire mysterio: nam si semel animum virtutis frondes ornarint, flores extrudendos promittunt, & flores saporatos parturiunt fructus naturali veluti consequentia, & annexa gratiæ gratia. Audi Origen. apud Glossam: *Frondescit, vbi renatus donum gratiæ, & spiritus sanctificationem recipit inde refert flores, vbi proficit, & suauitate morum decoratur, & fragrantiam misericordiæ, & benignitatis effundit: tandem affert fructus iustitiæ.* Audi quæ subdit: *Sic ergo singuli fideles de virga Aaron, qui est Christus, germinantur.* Sic virtutes germinantur, sic virtus virtutem parit: ergo virtutem arripe, si ad virtutes optas fomentum: vitium fuge, si ad vitia abhorres illicium.

Num. 17. v. 5

Origen.

Misericordia sibi acquirit dignitates.

---

§. XXX.

Impij cum morte congrediuntur integra; iusti quasi præuijs mortificationibus & meditationibus fractâ.

145. VT amarum poculum in partes prudens diuidit industria, & de diuisione sagax eneruat prudentia, ne simul totum haurientis vires exhauriat, & desiderium salutis vincat; ita prudentissimus quisque mortem in varias dissecare conatur partes, quò eius euigorauerit vires. Omnium terribilium terribilissimum est mors, adeò fortis contra humanum genus decertat athleta, vt pro spoliis æquo pede & reges & pastores proculcet nudatos vitâ; verùm vt Iacob, quem deuincere non potuit arena; posteà arcana fratrem superauit astutia: ita sapiens mortis extenuat arma continuâ mortis memoria, cùm nuditate, cum doloribus priùs congreditur, & hanc parcarum aciei partem deuincit fortis ac magnanimus, vt prudentiæ fuerint trophæa, quæ morti aliàs penderentur spolia: visus modestiæ addicitur: lingua silentio sacratur, & iam vtiliter ante mortem marcerit defuncta, quæ violentia mortis deficerent membra. Profectò in hac re, si in qua alia, disertissimus resplenduit Seneca epist. 26. *Quæ enim querela est, quod in commodum, si quicquid debet desinere, defecit? Incommodum summum est, inquis, minui, & deperire, & vt propriè dicam, liquescere: non enim subitò impulsi ac prostrati sumus; carpimur, singuli dies aliquid subtrahunt viribus, & quis exitus est melior, quàm in finem suum natura soluente dilabi: non quia aliquid mali est ictus, & è vita repentinus excessus; sed quia lenis hæc via est, subduci.* Pessimos repentinus adoritur exitus, illos opprimit velut eques fortissimè armatus; at qui meditantur mortem, leniùs abducuntur: quia mortis vires de ipsa mortis meditatione eneruantur: *Incertum est*, addit Philosophus, *quo te loco mors expectet, ita tu illam omni loco expecta... Meditare vtrum commodius sit, vel mortem transire ad nos, vel nos ad eam: hic patet sensus: egregia res est mortem condiscere.* O Christiano calamo digna! In hac parte felix est semper audacia, vt infelicissima negligentia: adorire intrepidè mortem considerationis armis, vt illam frangas ipsius fragilitatis auxiliis. Ecce Iosue ad mortem tendit, & quidem non ignotâ, sed tritâ sæpiùs piis considerationibus viâ: *En ego hodie ingredior viam vniuersæ terræ.* Diuus Augustinus legit ex septuaginta interpretibus: *Ego autem recurro viam.* Certè recurrere est idem spatium cursu semel & iterum conficere, & iam dimensum repetere: si ergo Iosue anteà mortuus non fuerat, quomodo potuit recurrere, quod constabat ignorare? Quia expertus fuerat vtili considerantia, quod non didicerat experientiâ: tendebat ad mortem, ne mors ad ipsum veniret, & quæ improuisa periculosis opprimeret imprudentem adsultibus, præconsiderata improuisis adoriri non potuit casibus. Audi Augustinum q. 24. in Iosue: *Non arbitror de omnibus posse dici; sed de his, qui sic vixerunt, vt ad Deum redire mereantur, tanquam ad auctorem, à quo creati sunt: nec enim hoc & de illis rectè intelligi potest, de quibus dicitur, spiritus ambulans, & non reuertens.* Iusti hanc viam recurrunt, & quam priùs meditando ambulauerant, moriendo posteà metiuntur; at improbi, quia nullius vtilis considerationis gressibus præcucurrerunt, non reuertuntur; sed vadunt.

Seneca.

Mors omni loco expectanda.

August.

August.

146. Deus Abrahamo mortem prædicit non tamquam in cinerem desituro; sed tanquam de patria in patriam via placida transferendo: *Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona.* Et vbi est acris illa sententia: *Puluis es, & in puluerem reuerteris?* Si stat indissolubile edictum, quod à Numine aduersus mortales olim extorsit peccatum, quomodò in Abrahami excessu non adimpletur? sed soluitur? O expende, amabo te, quid secum interitus afferat; in regiones scilicet ignotas migrare, & in cineres reduci; verùm quia prudentissimus Abrahamus adhuc superstes in cineres est redactus, in morte ignotam versus regionem explicuit gressus: differebat cum Deo Sodomitarum causam suscipiens, & cùm eâ polleret dignitate, vt Numinis mereretur colloquia, se vilissima reputabat stercora: *Respondens Abraham ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.* Vsque ad cinerem viuens profunda se humilitate deiecit: ideò moriens de patria ad patriam migrauit: nec poterat mortem sustinere deficiens integram: quia cinerescens in vita partem mortis præconsumpserat magnam. Adest Chrysostomus apud Lippomanum, & Gregorius 24. moral. cap. 27. *Non dixit morieris*, verba sunt Chrysostomi; *sed ibis, quasi peregrinaturo*

Gen. 15 v. 15

Gen. 3. v. 20.

Gen. 18. v. 27

Chrysost.

eo, & migraturo à patria in patriam. Audi Gregorium. *Abraham in cinerem reuersus fuerat dicens: loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis. Etsi viuentem carnem necdum in terram mors soluerat, hoc tamen apud se erant, quod se futuros absque dubitatione praeuidebant.* Dum se puluerem ac fauillam meditatur, viuens cum morte congreditur, & meditando iam cineris sustinet ignominiam, quò faciliùs postea mortem sustineat cineris horroribus vacuam: per partes mortẽ diuisit, quò feliciùs cum iam eneruì pugnaret. O quàm aliter diuiti illi, cuius ager vberrimis exúdarat fructibus, accidit!

Gregor.

147. Homo quidam rationalis ad culpam, & brutum ad insipientiam sic se arbitrabatur æternum, vt nullatenus morti recordaretur obnoxium: in longinqua tempora vitam protendit delusus, qui eadem nocte orcum intrauit vitæ splendore priuatus: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Quid tunc? *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te; quæ autem parasti cuius erunt?* Totam mortis vim est infelicissimè expertus: quia nunquam mortem fuerat insipiens præmeditatus. *Qui prouenientibus fructibus*, scribit Tertullianus de oratione cap. 6. *ampliationem horreorum, & longa securitatis spatia cogitauit, is ipsa nocte moritur.* Non ille tendebat ad mortem, non trita anteà recurrit; sed ignorata prorsus sustinuit. Quàm dignè stultissimi sugillatur notâ, qui vti firmissimâ, labili innixus est vitâ. Certè quas sibi promisit delicias, quæ secura diuturnæ vitæ cogitarat spatia, mortis crementauere tormenta, quando & de amissis præsentibus crescebat dolor, & de futuris vrgebat angor. *Superuacuum*, scribebat, vbi suprà Stoicus, *forsitan putas id discere, quo semel vtendum est: hoc est ipsum, quare meditari debeamus: semel discendum est, quod an sciamus, experiri non possumus? meditare mortem: qui mori didicit, seruire dedidicit: supra omnem potentiam est, certè extra omnem.* Extra mortis etiam potentiam est, qui mortem meditatur, & contra extremas mortis angustias aliquibus mortis fractis meditatione militibus conducit sibi suppetias.

Luc. 12. v. 2.

Tertull.

Seneca. *Qui mori didicit, seruire dedidicit.*

148. Extrema ad speciem calamitas Iobum fortissimum athletarum adoritur; verùm ille cinere caput defœdans, comâque denudans surgit in aciem, & ipsam prouocat mortem: surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit, & dixit: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Confingebant veteres Parcas infausta illa forfice comam præcidere, & ornamentis nudare: ergo Iobus cum medietate priùs congreditur, & pretiosis ornamentis nudatur, vt his mortis deuictis militibus non adeò sit durus cum ipsa morte congressus. Certè deprædiari cum morte delicias præcidente milléque commoditatibus priuante durissimum est; at si nec paupertate militauerit cincta, nec in delicias armata faciliùs vincitur, & promptiori animo toleratur. *Sunt*, aiebat Tertullianus lib. de spectaculis cap. 1. *qui existiment Christianum expeditum mortis genus ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri, quò faciliùs vitam contemnant, amputatis quasi retinaculis eius, ne desiderent, quam iam superuacuam sibi fecerint.* Plus doleret Iobus si mors immiti forfice crispatam præcideret comam, si stolam auferre posset multo conchylij splendore superbam, si è throno detrusus sepulchri sustineret iacturam; at, dum ipse in terram corruit, ærumnas sepulchri sustinet; dum comâ caput denudat, decorem spernit; dum regiam stolam abiicit, nuditatem nudus deuincit, per partésque detriumphato regregius mortis satellites proterit, quò mors viribus accedat fracta; aliter namque Iobum etiam vrgeret integra: *Ob hoc concidit*, scribit Origenes lib. 1. in Iob, *vt expeditior atque constantior extitisset in prælio, vt illa, quæ retardant, deponeret, vt illa, quæ impediunt, à se proijceret.* Impediũt profectò virili pectore mortem oppetere affluentes diuitiæ, & commoditates possessæ: prudens ergo Iobus morti nuditatis telum præripuit, ne regalibus ornatum vestibus altiùs vulneraret: in terram seipsum deiecit, & dum sepulchro corpus adhuc viuum amandat, de sepulchri considerantia mortis ac sepulchri eneruaretur duritia.

Iob. 1. v. 20.

Tertull.

Origen.

Saul, qui parum, aut nunquam de suo obitu cogitarat, dum Gelboe montibus viriliter pugnat, mortem oppetit angustiis diuexatus, & tota interitus vi impetitus: *Tenent me*, inquit, *angustiæ, & adhuc tota anima mea in me est.* O quàm leuiùs tunc premeretur angustiis, si tota simul non esset vita auferenda, si pars aliqua antea iam fuisset amissa. Profectò si iniquæ ambitioni renuntiasset, & insanæ bellum cupiditati indixisset, minus quod violenter auferretur, haberet, & leniorem mortem sentiret. Certè Ionathas eodem monte interfectus est: *Percusserunt Ionatham*; nec sæuis adeò arctabatur angustiis; quia regiis se antea spoliauerat ornamentis, & Dauidem propriis loricauerat armis: *Spoliauerat se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua*, &c. Ionathas, dum pretiosis se ornamentis orbat mortis nuditatem prægustat, & dum mors nequit regali stola nudare, non potest nudum opprimere; at Saul, quia in morte vestes sibi regales adspicit detrahendas, plenas sustinuit mortis angustias: *Spoliauerunt eum armis.* Totam mortis acerbitatem experitur: quia viuens nunquam veste pompatica denudatur; at Ionathas, quia nuditatem in vita didicit, mitiorem mortem inuenit. 149.

2. Reg. 1. v. 9.

1. Reg. 31. v. 2.

1. Reg 18. v. 3.

1. Reg. 31. v. 9.

CAPVT



CAPVT XXIV.

Verſ. 1. Ongregauitque Ioſue omnes tribus Iſrael in Sichem, & vocauit
maiores natu, ac Principes, & iudices,& magiſtros, ſteterúntque in conſpectu Domini 2. Et ad populum ſic locutus eſt:
Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Trans fluuium habitauerunt
patres veſtri ab initio, Thare pater Abraham,& Nachor, ſeruierúntque diis alienis. 3. Tuli ergo patrem veſtrum Abraham de Meſopotamiæ
finibus, & adduxi eum in Terram Chanaan: multiplicauique ſemen eius. 4. Et
dedi ei Iſaac: illique rurſus dedi Iacob & Eſau. E quibus Eſau dedi montem Seir
ad poſſidendum; Iacob vero & filij eius deſcenderunt in Ægyptum. 5. Miſique
Moyſem & Aaron, & percuſſi Ægyptum multis ſignis atque portentis. 6. Eduxíque vos, & patres veſtros de Ægypto, & veniſtis ad mare: perſecutique ſunt
Ægyptij patres veſtros cum curribus & equitatu vſque ad mare rubrum. 7. Clamauerunt autem ad Dominum filij Iſrael, qui poſuit tenebras inter vos & Ægyptios,& adduxit ſuper eos mare,& operuit eos. 8. Viderunt oculi veſtri cuncta quæ
in Ægypto fecerim, & habitaſtis in ſolitudine multo tempore, & introduxi vos in
terram Amorrhæi, qui habitabat trans Iordanem. Cúmque pugnarent contra vos,
tradidi eos in manus veſtras, & poſſediſtis terram eorum, atque interfeciſtis eos.
9. Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, & pugnauit contra Iſraelem.
Miſitque, & vocauit Balaam filium Beor, vt malediceret vobis. 10. Et ego nolui audire eum; ſed è contrario per illum benedixi vobis, & liberaui vos de manu
eius. 11. Tranſiſtiſque Iordanem,& veniſtis ad Iericho: pugnauerúntque contra vos viri ciuitatis eius, Amorrhæus,& Pherezæus, & Chananæus, & Hethæus,
& Gergeſæus,& Heuæus,& Iebuſæus, & tradidi illos in manus veſtras 12 Miſique ante vos crabrones, & eieci eos de locis ſuis duos reges Amorrhæorum non
in gladio, nec in arcu tuo. 13. Dedíque vobis terram, in qua non laboraſtis, &
vrbes, quas non ædificaſtis, vt habitaretis in eis: vineas & olíueta, quæ non plantaſtis. 14. Nunc ergo timete Dominum, & ſeruite ei perfecto corde, atque
veriſſimo: & auferte deos, quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia & in
Ægypto, ac ſeruite Domino 15. Sin autem malum vobis videtur, vt Domino
ſeruiatis, optio vobis datur, eligite hodie quod placet, cui ſeruire potiſſimùm debeatis, vtrum diis, quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: ego autem & domus mea ſeruiemus Domino. 16. Reſponditque populus, & ait: Abſit à nobis vt relinquamus Dominum,
& ſeruiamus diis alienis. 17 Dominus Deus noſter ipſe eduxit nos & patres noſtros de terra Ægypti, de domo ſeruitutis, fecitque videntibus nobis ſigna ingentia, & cuſtodiuit nos in omni via, per quam ambulauimus, & in cunctis populis,
per quos tranſiuimus 18. Et eiecit vniuerſas gentes, Amorrhæum habitatorem
terræ, quam nos intrauimus. Seruiemus igitur Domino, quia ipſe eſt Deus noſter.
19. Dixitque Ioſue ad populum: Non poteritis ſeruire Domino. Deus enim
Sanctus & fortis æmulator eſt, nec ignoſcet ſceleribus veſtris atque peccatis. 20.
Si dimiſeritis Dominum, & ſeruieritis diis alienis, conuertet ſe, & affliget vos, atque ſubuertet, poſtquam vobis præſtiterit bona. 21. Dixitque populus ad Ioſue:
Nequaquam ita vt loqueris, erit; ſed Domino ſeruiemus. 22. Et Ioſue ad populum: Teſtes, inquit, vos eſtis, quia ipſi elegeritis vobis Dominum, vt ſeruiatis
ei. Reſponderúntque: Teſtes. 23. Nunc ergo ait, auferte deos alienos de medio veſtri, & inclinate corda veſtra ad Dominum Deum Iſrael. 24. Dixitque
populus ad Ioſue: Domino Deo noſtro ſeruiemus, & obedientes erimus præceptis
eius. 25. Percuſſit ergo Ioſue in die illa fœdus, & propoſuit populo præcepta
atque iudicia in Sichem 26 Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini: & tulit lapidem pergrandem, poſuitque eum ſubter quercum, quæ
erat in ſanctuario Domini 27. Et dixit ad omnem populum: En lapis iſte erit
vobis in teſtimonium quod audieritis omnia verba Domini, quæ locutus eſt vobis:
ne forte poſteà negare velitis,& mentiri Domino Deo veſtro. 28. Dimiſitque populum

pulum singulos in possessionem suam. 29. Et post hæc mortuus est Iosue filius Nun seruus Domini centum & decem annorum. 30. Sepelierúntque eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare, quæ est sita in monte Ephraim à Septemtrionali parte montis Gaas. 31. Seruiuítque Israel Domino cunctis diebus Iosue & seniorum, qui longo vixerunt tempore post Iosue, & qui nouerunt omnia opera Domini, quæ fecerat in Israel. 32. Ossa quoque Ioseph, quæ tulerant filij Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Iacob à filiis Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph 33. Eleazar quoque filius Aaron mortuus est, & sepelierunt eum in Gabaath Phinees filij eius, quæ data est ei in monte Ephraim.

§. I.

Commentarius litteræ.

Vers. 1. Congregauítque Iosue omnes tribus Israel in Sichem, & vocauit maiores natu, ac Principes, & iudices, & magistros: steterúntque in conspectu Domini.

1. DIXIMVS superiori capite alium esse illum conuentum, alium hunc: cuius rei argumento sunt diuersæ Imperatoris orationes, quibus hic & ibi suos prouidenter monet, efficicacitérque adhortatur: hic relato beneficiorum imbre ab Abrahamo è patria excito ad hanc vsque diem delapso, ad mutuúmque religionis & pietatis officium non solùm comiter inuitante; sed gratitudinis iure etiam cogente, non per locos contrarios orationem suam stabilit, sed vel ipsis huius rei iudicium committit: quod omne illuc spectabat, vt cum Domino fœdus firmiùs ferirent, irreuocabiliúsque pangerent. Igitur cùm superiori concione semel & iterum populum fulminatis à pingui hæreditate exiliis deterruisset, hîc beneficiorum memoria prolectat, vt beneficiis constrictus, nec à vera religione distrahatur fallaciis, nec nociuis titilletur cupediis. De citatione ad concilium superiori capite diximus: de vrbe Sichem ait D. Hieronymus ad latus montis Garizim sex millibus passibus circiter distantem exurgere: nunc eius ruinas ab accolis vocari Istar, tradit Masius. Coram Domino concilium constitisse tradit textus, hoc est, coram sacra arca, quæ vocabatur Deus ob repetitas sæpè alibi causas; sed cùm arca in Silo consedisset, videbitur fortè cui conuentum hunc aut in Silo coactum, aut coram arca celebratum non fuisse. Huic dubio respondet Masius licitam, multísque exemplis rem esse testaram, Imperatores, Regésque aut Pontifices delubrum Dei huc aut illuc, prout tempus peteret, opportunitásque consuleret, transtulisse. 1. Reg. 4. Arca ad militarem campum deducta est: Absalonis vrgente coniuratione à Sacerdotibus ad Dauidem perlata. Vnde concilium etsi in Sichem coactum, coram arca potuit celebrari, & Iosue concionem habere.

Hieron. *Vbi Sichem sita.*

Vers. 2. Hæc dicit Dominus Deus Israel, *&c.*

2. Ad omnes cuiuscumque conditionis homines oratio hæc dirigitur, quandoquidem ab vno Abrahamo cœtus ille nobilem ducebat originem, in parentéque diuinitus è Chaldæis excito se etiam è falsa ad veram religionem translatos, prædiuitéque hæreditate felices & tenebantur fateri, & Numini gratias agere. Neque hîc orationem facit Iosue vti summus imperator tantùm; sed vt diuinus propheta, cuius auctoritas vtpote diuino oraculo munita valde erat ad persuadendum idonea. Itaque Dei nomine loquitur, & quæ à Domino acceperat, in populum nunc effundit: primáque eius cura huc spectat, vt omnes indubiè perspexerint, claréque cognouerint se ad eam fortunam peruenisse non cæco fortunæ casu; sed prouidentissimo Dei consilio, cui tot constricti beneficiis sedulè inseruire, & amore prosequi debeant: nam qui omnia forti adscribunt, hanc vel illam religionem suscipere nullatenus renuunt. Vnde Satyricus:

Sunt qui in fortunæ iam casibus omnia ponunt, Iuuenal.
Et nullo credunt mundum rectore moueri,
Naturâ voluente vices & lucis & anni:
Atque adeò intrepidè quæcumque altaria tangunt.

Qui casui omnia tribuit, religionem nullam amplectitur; qui verò ab vno Numine omnia fluxisse cognoscit, obsequiis sibi deuincire satagit. Vnde Virgilius gratias Ioui refert, à quo omnia curari, regíque etsi delusus existimat. Ita in Eclogis:

Ab Ioue principium musæ, Iouis omnia plena: Virgil.
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.

Illud interim obseruandum est, nullum in nos collatum beneficium, quantumuis perlongis sæculorum tractibus tumulatum, diuina è memoria excidere: ad hoc enim suadendum adeò magnam beneficiorum repetit summam: vult namque Deus homines quidquid habent, quidquid sunt, & quidquid sæculis retro habuerunt, ab ipso se habuisse cognoscere, gratóque clamore fateri: primum ergo beneficium vera religio censetur: qui enim falsis credit, quantumuis grata fauerit illi fortuna, summa obscuratur miseria. *Ceterùm*, scribit Homerus lib. de superstit. *adeò multis demersus erroribus & perturbationibus animi, contrariisque ac pugnantibus magis opinionibus confusus, vt superstitio morbus est nullus. Itaque defugienda est, non quomodò qui latronum, aut ferarum insultum, aut ignem declinant, cæcóque & inconsulto impetu profugiunt, incidunt in loca inuia, voraginosa præcipitia: sic enim nonnulli dum superstitionem deflectunt transilientes positam in medio religionem in asperam & salebrosam incurrunt impietatem.* Summum ergo beneficium ex his, quæ mortalis vita accipere potest, est veram religionem colere, & animitus

Home. *Superstitio pessima lues.*

mitus diligere. Iam aliud beneficium memorat, originis scilicet nobilitatem apud homines
Cassiod. magni habitam. *Gloriatur non extrema luce natalium*, scribere potuisset Cassiodorus 8. variarum 41. de Hebræorum populo: *nam pater huic, sicut meministis, Opilio fuit, vir quidem abiectis temporibus, ad excubias tamen palatinas electus.* Addit perpetem contra irruentes casus prouidentiam, de illorúmque incrementis adeò solicitam semper curam, vt mutuari potuerit à Cassiodoro loco citato illa verba: *Licèt candidatos vobis frequenter genuerit munificentia principalis, & fæcunda indulgentia nostra nobis altera sit natura, habetis nunc profectò virum, quem & nos elegisse deceat, & vos suscepisse conueniat.* Concludit ergo ex prædictis timorem Domini apud ipsos semper adaugendum, obsequiúmque religiosè præstandum. *Nunc ergo, inquit, timete Dominum, & seruite ei perfecto corde, & auferte deos, quibus seruierunt patres vestri.*

§. II.

Commentarius litteræ.

Vers. 15. Sin autem malum vobis videtur, vt Domino seruiatis, optio vobis datur, *&c.*

3. Chaldaica. PARAPHRASIS Chaldaica sic vertit: *Et si malum in oculis vestris ad seruiendum ante Dominum, optate vobis die hac, quem colatis: num abominationes, quas coluerunt patres*
Septuag. *vestri.* Septuaginta: *Si autem non placet vobis seruire Domino, eligite vobis ipsis hodie cui seruiatis, siue dijs patrum vestrorum, qui trans fluuium, siue dijs Amorrhæorum, in quibus nunc habitatis.* Ea quæ coacti recipimus, nulla verecundia detractare solemus; quæ verò nos ipsi vltrò deliberatóque animo amplectimur, firmiùs colimus, & studiosiùs amamus. Ergo vt illius gentis animos ad fœdissimam idololatriam procliuissimos arctiori vinculo ad probam alligatos stabiliret, quam velint, religionem amplecti libero illorum committit arbitrio; eo tamen prudentiæ artificio, vt quæ Abrahamus ob veram religionem famæ, diuitiarum, gloriæque acceperit incrementa, prius in lucem protulerit, & quæ ob exoticas religiones improbandúmque cultum passi fuerint ipsi detrimenta, commemorarit: & licèt optio ista sic illis fuerit ad eligendum liberrima, vt nusquam causari valeant vllis se persuasionibus captos, aut vi deceptos; ea tamen arte summus Imperator procedit, vt gens fluxæ fidei ad Chananæorum deos prono cursu se præcipere non valeat; imò sacram amplecti religionem ad speciem cogatur; sícque & studiosius exambire, & lubentiùs obseruantiæ gestiat studere. Adiungit etiam se suósque à vera nullatenus religione mouendos, quantumuis illi obcæcati improbis exemplis suos ad errores tentarint allicere, & conentur attrahere: *Ego & do-*
Chaldæa. *mus mea, inquit, seruiemus Domino:* Chaldæa sic: *Ego & homo domus mea seruiemus ante Dominum.* Egregia sanè constãtia, quæ nec pessimis
Theodahad. cessura fidit exemplis. *Sic perorauit causas sub trãquillitate*, repetat de meo Iosue Theodahadus Rex 10. var. 7. *vt mores propriossemper assereret.*

Vers. 16. Respondítque populus, & ait: Absit à nobis, vt relinquamus Dominum, & seruiamus diis alienis, *&c.*

Imperatoris persuasi oratione vna veluti voce erumpentes falsas religiones abiurant, séque æternis Numinis firmissimè deuouent obsequiis, & addicuntur seruitiis: repetúntque accepta toties beneficia veluti securum fidelitatis pignus: nobiles namque dedecet ingratitudine maculari: est enim ingratitudo nota obscurorum ac ignobilium. His animatior Iosue audet iterum, & Numinis puritatem, sanctitatémque deprædicat, quò illos altiùs in vera religione defigat. S. Augustinus quæstionibus in Iosue innuere videtur carpsisse Iosue his verbis populi arrogantiam, qua nunquam se discessurum promiserat; proinde ac si opus illud non tam diuino perficiatur pulsu, quàm humano conatu. Masius diuinam sanctitatem ideò deprædicasse ait, vt de exhibitis illuc vsq; seruitiis sibi non plauderét, nec sese sisterent, sed acriùs incitati in plura ac plura inuolarent obsequia, & suspirarent officia. 4. August. Masius.

Vers. 21. Et Iosue ad populum: Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, vt seruiatis ei.

Ac si dicat: Gratulor vos adeò animo promptos paratósque ad Deo seruiendum; sed vereor ne qua aliàs facilitate alienos ad deos deuoluamini: debent enim, qui Deo seruiunt, stabili perennitate obedire, omnémque prorsus criminis offensionem vitare: ergo vos ipsos contra vos ipsos testes produco, vt vestra culpa post tot adstipulationes sit grauior, tótque comprobata testibus notior. *Percussit ergo Iosue in die illo fœdus, & proposuit populo præcepta atque iudicia in Sichem.* Chaldaica paraphrasis: *Et pepigit Iosue fœdus populo in die illo, & posuit illi pactum & iudicium in Sichem.* Ferè eadem Septuaginta. Masius ex Hebræo legit: *Dissecuit*, aut *discidit fœdus.* Certum est nullum hîc solemnem ritum omissum, quò pactum stabilius firmaretur. Legem impositam ait textus, scilicet conditiones fœderis latiùs explicatas, & solemniori ritu præceptas. Verba etiam referuntur scripta in legis Dei libro, scilicet hanc stipulationis formulam, sponsionisque fidem fuisse litteris contestatam, æternúmque monumentum legis libris codicibúsque coniunctam. Additur pergrandem vti indelebilem rei columellam subter quercum, quæ erat in Sanctuario Dei, erectum lapidem, quò nunquam fidem frangere sine accusatore potuerint. De arbore sub qua statuam erexit Imperator, plures plura autumant: eam nonnulli putant arborem fuisse, sub qua olim Iacob simulacra infodit, tumulauitque. Masius eam ipsam arborem putat, apud quam Deus suam primùm præsentiam Abrahamo in Chananæa patefecit, terramque tradendam promisit. Porrò ab ista statua arbor traxit nomẽ, scilicet *ilex statua*, vt constat ex Iudic. 9. Iudæi arborem non obumbrasse Sacrarium, sed non longè distitisse putant. Masius allatum modò sacrarium censet, apud istámque arborem aram extructum vtpotè celeberrimam, & quia lætissimum illud nuntium accepit Abrahamus, & quia Iacobus erecto posteà altari consecrauit. Hoc Iosue factum Deuteron. 16. nullatenus repugnare certum est: ibi enim solum de simulacris 5. Chaldaica. Masius. *Quæ arbor fuerit hæc Sanctuarij.* Masius.

mulacris lex agit; non verò de his statuis, quæ in alicuius rei confirmationē & fidem erigebantur.

Vers. 28. Dimisitque populum singulos in possessionem suam.

6. Concessa facultate quisque ad sua rediit; ea tamen conditione, vt pro viribus pugnarēt, pulsisque paulatim hostibus suos sibi fines extenderent. Quærit augustinus cur postrema hac sue oratione acriter non carpserit eos, qui tributi pactione Chananæos terram inhabitare permiserint; de hoc tamen iam diximus, Iudeæos scilicet viuente Iosue hæc pensa & tributa minimè reperisse, aut sub huius lucri inhonesta pactione allophylos tolerasse Post comitia hæc celebrata diu non vixisse Iosue probabilis coniectura est. Nec potuit nobiliori clausula sanctissimi viri excessus ornari, quàm summa omnis diuinæ legis obseruantia, exactissimáque obedientia. Seruus Domini appellatur, vtpotè strenuus, sedulúsque minister: de genere seruitutis egi tom. 1. dum ferè idem elogium Moysi attributum explicarem. Vitæ longitudo non est dierum spatiis aut interuallis, sed piis actionibus æstimanda, censendáque; non tamen inficiari possumus longæuum vitæ spatium purissimæ vitæ, immaculatæque actionis diuinitus sæpesæpiùs concedi præmium. *Non potuit*, scribit Masius, *narratio excessus sanctissimi Imperatoris præclariore elogio concludi, quàm vt seruus Iehoua, hoc est Domini Dei ille vocaretur.* Verè equidem: hoc enim epitheton omnigenæ laudibus virtutis funus eius exornat, & licèt compendiosa; celeberrima tamen panegyri sæculis sepulchrum nobilitat. Additur exactissima morientis ætas, vtpotè qui per egregia facinora, heroicásque virtutes sic vitam transegit, vt nec momenta horarum perdiderit aut prodegerit. Mortem funus parentatióque secuta est, in finibúsque possessionis suæ, in Thamnatsare scilicet in monte Ephraim sita erectum est mausolæum eo sumptu, eo populi conuentu, & planctu, quo magnum virum & illustrem Imperatorem flere ac ac parentare decebat. Magnorum virorum, heroinarúmque mulierum monumenta fuisse priscis summo studio comparata, nobilibúsque in oppidis constructa sacris litteris habemus testatum, profanísque annalibus proditum. Rabbini eo libro, qui *series mundi* inscribitur, proferunt partem illam, qua sepultus est Iosue, Gaas, quod tremere & commoueri significat, fuisse appellatam, quod dum Iosue corpus telluri mandaretur, insolitis concussa motibus tremuit, tremoribúsque agitata exiliuit. Nomen Thamnathsare, seu, vt vult Masius, Thamnathares, impositum opinantur plures quòd Israelitæ super Iosue monumentum Solis simulacrum locarint ad æternandam memorabilis Solis stationis memoriam. Septuaginta duo interpretes, vt refert Masius, hoc loco memorant illos gladiolos saxeos, quibus Iordane transmisso populus circumcisus est, vna cum cadauere fuisse humatos.

Masius. Optima laus Dei, seruum vocari.

Solis simulacrum Iosue nobilitabat sepulchrum.

Terra dum Iosue corpus reciperet, motibus insolitis contremuit.

Septuag. Masius. Circumcisionis gladij cum Iosue humati.

Vers. 31 Seruiuitque Israel Domino cunctis Iosue diebus & seniorum, qui longo vixerunt tempore post Iosue, *&c.*

7. Masius Iosue imperio viginti octo annos tribuit, quod & plerique Iudæorum faciunt; deinde annos duos seniores, quorum hîc mentio, vixisse putat. Profectò mira res adeò vastam hominum copiam sic viuente Iosue fuisse pietati addictam veræque religioni sacratam, vt nullatenus simulacra coluerint, mendaciáque fabricarint. *Paucos ratio capit*, scribit Cassiodorus 3. var. 51. *& raros probabilis oblectat intentio, & ad illud potiùs turba ducitur, quod ad curarum remissionem constat inuentum: nam quicquid æstimat voluptuosum, hoc & ad beatitudinem temporum indicat applicandum:* Magna dexteritate polleat necessum est, qui tot populos à prauis retraxerit voluptatibus, honestissimísque erudiuerit disciplinis. Mira Iosue laus Solem ardentiori cursu frænasse; mihi verò celebrius longè encomium videtur tot populos tot diuersa ingenia in officio continuisse: est enim hoc miraculo mirabilius, portentóque rarius. Hinc etiam elucet quantum valeat ad populares coërcendos optimus Princeps, cuius vita sit viuendi reliquis norma, léxque virtutes inspirans: vnde Claudianus:

Iosue 28. annos populum gubernauit.

Cassiodor. Raros probabilis oblectat intentio.

Claudian.

——Non sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, vt vita regentis.

Plato lib. de legibus censuit non operoso studio nec longo sæculorum spatio opus esse ad populi mores componendos, vitámque à noxiis cupiditatibus reuocandam, si rector se ciuibus exemplum proponat eius, quod persuasum esse cupierit: efficaciùs enim actionibus præ legibus tradũtur præcepta. Cyrus apud Xenophontem lib. 8. pœd. Principem aiebat occultam esse parentibus legem. Quod Hebræorum populus non modico expertus est detrimento: nam mox vt ille vnus Iosue ex oculis sublatus est, nec iam præsens suâ ipsius vitâ viuendi normam præscribebat, stagnans idololatriæ libido præcipiti væsania ad idola prolabi cœpit, Hebræique refractarij flagitia exambierunt nihili Dei mandata æstimantes, aut supplicia fulminata verentes.

Principis exemplum plurimum valet ad mores populi.

Xenophon.

Vers. 32. Ossa quoque Ioseph, quæ tulerant filij Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, *&c.*

Ioseph cùum iamiam vita concessurus esset, vt ossa sua olim in Chananæam asportarent, iureiurando fratres constrinxit patris exemplum secutus, qui huiusmodi religione proregem filium obstrinxerat: ritè Iosephus exoluerat; modò Israelitas sanctè exoluisse tradit hîc textus: sæpè namque vt nos ad alios habemus, qui ad nos ita se habeant, inuenimus. Quo tempore iustissimas has fratri exequias persoluerint Israelitæ, non constat. Masius tunc solutas putat, cùm apud montes Hebal & Garizim cum Deo fœdera sancirentur, cuius argumento esse potest sepulturæ locus his locis vicinus; commemoratur tamen hîc funus, quia magnorum virorum etiam ostendebantur sepulchra. Doctor quidam Hebræus, nescio an prudenti coniectura, putat Israelitas existimasse ibi Iosephum humandum, vnde sublatum fratres Ismaelitis tradiderant iterum Ægyptiis vendendum. De huius agri emptione, pretióque ad Genes. 33. agitur. Eleazar quoque mortuus & sepultus refertur. Fuit hîc primus è Sacerdotum familia, qui viuens terræ vsum, & mortuus sepulchri ius obtinuit: voluit itaque Deus antistitem hunc promissorum 8.

Quando Iosue exequia celebratæ. Masius.

missorum ac donorum suorum testem, interpretem, & ministrum perpetuo apud suos monumento ac nomine celebrari in Gabaath Ephraim, cui ex altiori situ nomen illud factum est: quo docemur vel mortuos Sacerdotes in conspicuis, editissimisque locis quiescere debuisse, vt inde veluti è cathedra populares admoneant, vitámque volaticam ac incertam ostendant. Diem clausit extremum Eleazar eius exitum probante Deo.

Sacerdotes editiori loco sepulti.

---

§. III.

Mors semper vitæ magisterium; verùm Magnatum grandius contra fallacias auxilium.

9. ÆSchylus iure optimo inuehitur in illos, qui mortem in malis numerant, quandoquidem mors optima virtutum clausula est; imò non solùm clausula; sed officina. Et sanè sapiens quisque vera Dei progenies, & egregius æmulator de tenebris facit splendescere lucem, & de ipso occasu reproducere gestit splendorem. Audi Plutarchum de consolatione ad Appollonium: *Æschylus arguit rectè eos, qui mortem in malis numerant, cuius hæc sunt verba.*

Plutarch.

Æschylus.

Mortem, quam iniquè persequuntur odio.
Homines, malorum cùm sit hæc vel maxima
Medela multorum.

Mors medela malorum.

Certè mors malorum multorum medela est, dum de luminosis eius caliginibus noxiæ depelluntur fallaciæ, quas induxerant micantes augustioris fortunæ vmbræ: corpus morbis affectus languet; sed sapientis animus de ipso languore plus viget, attestante Paulo: *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Præmiserat: *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Virtus perficitur, appetitus extinguitur, aut saltem extenuatur: docet perspicuè mors, quæ nondum docuerat vita: vnde quidam apud Plutarchum vbi suprà, mortem Pæanem optimum medicum appellauit: *O mors, Pæan medicus veni.* Pæan de medicinæ arte sæculis claruit celebratus, vtpotè qui & corrigeret ægritudines, & depelleret à corporibus pestes: mors ergo Pæan animæ est, quandoquidem & degeneris colligit appetitus excessum, & reprimit passionum tumultum. Hinc Iosue cùm se iam morti proximum præsentiret, iudices ac populi Toparchas vocauit: *Congregauit Iosue omnes tribus Israel in Sichem, & vocauit maiores natu ac Principes*, &c. *Nunc ergo*, ait: *Auferte deos alienos de medio vestri*, &c. Cur vocarit concionem modo, rogat Abulensis quæst. 1. quandoquidem non multò ante illos admonuerat, & ad concionem vocarat: respondétque voluisse admonitionẽ suam à morte efficaciam sugere, fortiúsque iudices ac primarios ad Numinis cultum mouere: *Vt admonitio esset apud mortem suam, congregauit iterum totum Israel, & protulit quæ habentur hîc: causa autem quare admonitiones istæ efficaciùs quantum ad salutem admonitorum fiunt apud mortem admonitoris, est, quia omnia, quæ tunc dicuntur, efficaciùs in memoria manent, & celebriora sunt.* O quàm efficax admonitio erat, vt aureo nitore micantia idola proculcarentur, Iosue, cui olim ardentior Solis candor obtemperauit, iam decumbentem adspicere, & pompaticam illam imperij gloriam prorsus iam extinctam videre. Ergo Iosue à morte sua mutuatur admonitioni efficaciam, vt felices, quibus fragilis imponere solet nitor, oculósque obcæcat sæpiùs splendor, fluctus refænarent superbiæ, nec flatibus impellerentur insaniæ. Hoc morti ingenitum, hoc occasui natiuum est, fallaciarum depulisse tenebras, & humanæ fragilitatis oculis repræsentasse fauillas; verùm nescio quæ ad componendos animos, & ad expurgandos mores Magnatum morti præcipuè insit efficacia, & annexa sit energia.

1. Cor. 12. v. 10.

Abulens.

Naxera in Iosue Tom. 2.

10. Christus Dominus apud Matthæum eleganti ænigmatis penicillo regnum cælorum depinxit: *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes elegerunt bonos in vasa; malos autem foras miserunt.* Et cur nulla secus littus sedentibus circa electionem fallacia, quando sæpesæpiùs sic homines obcæcatis cupiditatis affectibus eluduntur, vt pretiosis prætulerint vilia, & puerorum instar, candidis, variisque lapillis commutauerint pretiosa? Hoc profectò prudentiæ elogium, electionísque magisterium, inquit Galfridus apud Tilman. de iuxta littus sessione venit: videre est inflatissimos maris fluctus, insanientes vorticum æstus ad arenam leuem infringi, & prorsus detumescentes resolui: qui ergo secus littus sedentes instabilem voluminum contemplãtur superbiam, vtilissimum edíscunt ad electionem doctrinam, qua & noxia auersentur admittere, & proficua nouerint quærere. Audi Galfridum: *Littus igitur, in quo pisces ab inuicem separantur, est vita præsentis occasus: quia ibi omnis fluctus humanæ superbiæ frangitur, ibi detumescit, & deficit, quicquid aurâ transitoria prosperitatis inflatur.* Qui marinos fluctus prosperâ aura sustolli ad nubes vsque intuetur, non semel aut inuidia, aut altitudinis cupiditate pulsatur; at, dum illos adspicit littori proximus illisos resolui, fractósque perire, doctus de aliena calamitate agnoscit, quàm innitamur caducis, quámque inhiauerimus fucatis. Bona à malis discreta secus littus sedens amplectitur, & mala animitus auersatur: *Littus, in quo pisces ab inuicem separantur, est vita præsentis occasus, quia ibi omnis fluctus humanæ superbia frangitur.* O si reuolueremus mente operosa Imperatorum mausolæa, superbissima regum sepulchra, quàm adspiceremus nigros cineres, & fœtidos vermes!

Matth. 13. v. 47.

Galfrid.

11. Senes illi, quos veluti omnis idololatriæ magistros Dominus Ezechieli ostendit, ne ab erroribus possent abduci, studebant orientem semper intueri: *Ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum Solis.* Ortum adspiciunt iubaris pompa flagrantem, recordari detrectant occasum, quia prosequi ardentissimè concupiscunt delirium. Peruersissimi homines omni flagitio & errori dediti efficacissimam occasus verentur admonitionem, ideóque, vt vitiis insistant, nolunt adspicere Solis sepulchra; sed intueri semper cunabula. Adest Hugo Charensis: *Adorabunt ad ortum Solis, id est, ad ortum prosperitatis: prosperitas enim per Solem intelligitur: vnde Iob cap. 31. Si vidi Solem, cùm fulgeret,*

Ezech. 8. v. 16.

Hugo.

ret, & Lunam incedentem clarè. Iob disertissimus Solem tenebris decumbentem aspexit, Lunam cassa luce obscuratam videre non timuit, quò vtilem doctrinam sugeret; at qui vanitatis sequuntur plausum, intentis tantummodo oculis caduci luminis adspiciunt ortum. O quam mutarent sententiam, si quam crispatam, fulgentissimámque oriente luce spectarant, iam occasu deciduam,& tenebris deturpatam intuerentur! Solis namque occasus esset oculorum collyrium, veritatisque magisterium. Adde ad detergendam oculorum caliginem, quam noxius intulit visus, præ miraculis Magnatum sepulchri prodesse aliquando adspectum.

12. Piæ illæ mulieres, quarum adeò viuida erga Christum ardebat amoris flamma, vt acriùs flabellata micaret de absentia, sepulchrum adeunt, & vltra mortem protendere gestiunt obsequium: Angelus deuotas mulieres vocat,& resurrectione Domini denuntiata sepulchrum hortatur inspicere, & oculis expansis videre: *Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus.* (Matth.28. v.6.) Chrysologus serm.77. (Chrysolog.) ait Angelum mulieres vocasse, vt cæcutiens olim de cupiditate aspectus, de sepulchri collyrio veritatem agnosceret repurgatus: *Mulieres vocat Angelus ad videndum, vt sacri corporis locus mundaret oculos, quos diabolo claudente vetita arboris macularat aspectus.* Verùm quid necessum est de sepulchri adspectu oculos informari, quando tot anteà visis miraculis non poterant veritatem non intueri? Certè fulgor ipse Angelicus depellet tenebras, & resurgentis obiicienda quærentibus citissimè gloria absterget vmbras: si Maria viderat ad Domini imperium statas inuerti leges naturæ: si viderat nouos cæcis oculos inseri, mancam naturam iussu Domini reformari, quomodo adhuc poterit cæcutire, & de sepulchri visu mundari? Profectò patratis miraculis admonitio Angeli videtur iniuria,& mulieribus indecora: ergo non inuitet ad sepulchri scholam, quas tot miraculorum lycæo veritatis nouerat edidicisse doctrinam. O sepulchri cælestem efficaciam! O inuincibilem energiam! Certè Angelicus fulgor humanæ mentis tenebras depellebat: resurgentis Domini nitor adspicientium oculos illustrabat, tot miraculorum copia viam erroribus præcludebat; verùm Angelus sepulchri efficaciæ ad detergendam caliginem gnarus mulieres vocat ad sepulchri visum, nec ad miraculorum remittit censum: *Mulieres vocat Angelus ad videndum, vt sacri corporis locus mundaret oculos.* Proh dolor! Sic mortales despiciunt, sic obbrutescunt, vt ipsam medicinam in morborum detorqueãt fomentum, & qui à morte debeant veritatem edoceri, ad falsitatem contingit non semel trahi.

13. Degebat Moyses cum Deo apud Sinæum, cùm populus tam necessariæ absentiæ impatiẽs deos sibi initiari postulat, & insanis idololatriæ febribus inflammatus delirat. (Exod.32.v.1.) *Fac nobis deos, qui nos præcedant.* Quærit Abulensis, vnde in ingentem adeò insaniam fuerint prolapsi, & qua occasione permoti: respondétque q.2. putasse populum Moysem demortuum, dæmonémque in aëre illis ostendisse feretrum. Audi eius verba ex Rabbinorum (Abulens.) sententia scripta: *In trigesimo nono die, quem putauit populus esse diem quadragesimum, Sathan turbauit aërem,& monstrauit similitudinem feretri, atque dixit Moysem esse mortuum; ex quo populus fuit concitatus ad petendum deos.* Profectò Moysis obitus cogebat ad sequendam veritatem, & existimati obitus occasione auidissimè inuolauere ad errorem. Celeberrimi illi Ducis, potentissimíque hominis feretrum ad omnium caducarum rerum cogebat despectum; illi verò insanum promouentur ad ambitum. O quoties homines Præfecti, aut Magnatis obitu cognito illius concupiscunt auidissimè dignitatem, munus exambiunt, & vnde debuissent appetitus frænari, contigit sæpissimè impelli. Adde hos sæuissimam non semel manere vindictam, & turpissimi erroris mulctam. Adsunt testes ipsimet Hebræi. Non semel furor illis suasit colere idola; imò maiori sumptu promereri sibi figmenta: aiebat Psaltes filios filiásque suas dæmonibus immolasse; hîc autem aurum solùm constat præbuisse. Quòd si cælestis vindictæ seriem perscruteris, hîc vltore gladio idololatras reperies occisos; alibi inimicis in captiuitatem traditos: (Psalm.105. v.37.) *Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs, & iratus est furore Dominus in populum suum,& abominatus est hæreditatem suam, & tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum, qui oderunt eos.* Audis huius erroris vindictam, aspice nefandi alterius cultus sententiam: *Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum; feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi: ceciderúntque in die illa quasi viginti tria millia hominum.* Iam si inquiras, cur simili flagitio inæqualis reddatur pœna, ea afferri poterit causa, Hebræos scilicet ostensum Moysi feretrum ad insaniæ fomẽtum detorsisse,& ipso erroris remedio errasse. Magni viri mors, celebris sepulchrum, dum fallaciarum detergit tenebras, securas ad virtutem ostendit vias: quæ de tenebris emicans lux, est virtutis magisterium; quæ si ad improbitatem fuerit detorta, seuerum minatur semper supplicium. Et quidem pestilentissimus conuincitur humor, qui flabellatur antidoto, vt augeri posset veneno. Si feretrum non fuissent intuiti, supplicio mortis forsitan non iacerẽt damnati. Cape ergo à morte consilium, ne miserandum patiaris casum.

---

§. IV.

Efficaciter allicit ad virtutem consilium, vbi obseruatæ virtutis videtur præmium.

HOc inter vitium & virtutem discrimen est: ad virtutẽ non tam internis stimulis, quàm 14.
externis allicimur præmiis; in vitia natiuis impulsi igniculis proruimus, etsi infligendis aliquando pœnis arceamur: satis erat, vt auersareris vitia, ipsa sceleris fœditas,& culpæ obscuritas; satis erat, vt amplecteteris virtutem, virtutis honestas, & honestatis venustas; sed, ô nos miseros! res non censemus de internis; sed de fucatis, & adiectitiis: (Seneca) *Nullo bono*, aiebat Seneca epist.41. de probo viro, *nisi suo nitet: quid enim est stultiùs, quàm in homine aliena laudare? quid eo dementiùs, qui ea miratur, quæ in alium protinus transferri possunt? Non faciunt meliorem equum aurei freni: aliter leo aurata iuba nitet, dum contrectatur, & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus; aliter incultus integri spiritus; hic scilicet impetu acer, qualem illum esse natura voluit, speciosus ex horrido: cuius hic decor*

Leo speciosus ex horrido. decor est, non sine timore aspici. Itaque sapiens interna suspicit, & externa paruipendit; is verò est stultorum error, vt ad splendescentes colores stupeant, & quidquid fulgidum, ambiant. Vnde qui ad virtutem homines nituntur impellere, externa virtutis proponunt præmia, vt honesta exceperint auidiùs consilia. Hinc disces, cur Iosue concionem ad Sichem citauerit: *Congregauit Iosue omnes tribus Israel in Sichem.* Erat animus monitis saluberrimis instruere, consiliisque prudentissimis ad virtutem omnes inuitare: locum ergo delegit opportunissimum, qui religioso faueret studio, dum auditores reuocato in memoriam incitaret validiùs præmio. Erat Sichem ciuitas illa, quam Iacob filio suo Ioseph in virtutis ac honestatis aliquale præmium vltra hæreditatem adiecit auctarium: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* (Genes. 48. v. 22.) Prudentissimè ergo Iosue ad Sichem concionem vocat, vt ad virtutem efficaciùs alliciat: ibi namque lubentiùs excipiet auris consilium, vbi obiicitur oculis obseruatæ virtutis præmium: *Vocauit ad locum illum*, scribit Abulensis (Abulens.) quæst. 1. *vt honestiùs fierent hæc, & populus magis obseruare curaret ea, quæ promisisset coram Domino.* Addit post aliqua: *Ista ciuitas pertinebat ad tribum Ephraim, vt patet supra 20. & 21. & non fuit data ei forte; sed specialiter data filijs Ioseph: nam Iacob reliquit filios suos successores in bonis terra Chanaan, quam Deus daturus erat ei ex promissione, & fuit institutio ex æquali; sed præter hoc fecit quædam legata dans Ioseph filio suo quamdam partem in terra Chanaan extra fratres suos, vt patet Genes. 48. & ista pars secundùm quosdam est tota ciuitas Sichem.* Locus, quò concio tota confluxerat, obseruatæ legis ingerebat oculis præmium, clamosóque silentio insonabat Iosephum virtutibus præ cæteris excultum, & præ cæteris etiam præmiis ornatum: ibi ergo ad virtutem lubentiùs audirent consilia: quia ibi virtuti reddita adspiciebant oculis præmia.

15. Christus Dominus excelso monte nubibus coæquato sæculis retrò inuisum spectaculum edidit. Tres ex discipulis virtutibus claros constituit spectatores, & iam editissimo in vertice formam demutat, & illuminatam vestem induens intuentium oculos visionis voluptate delibutos & portenti admiratione perterritos detinebat, cùm vox è nube ruit, & audire Dominum præcipit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* (Matth. 17. v. 5.) Et cur modò proponat doctorem, quem in Iordane aquis intinctum non proposuerat magistrum? Ibi eadem vox resonabat: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*; (Matth. 3. v. 17.) hîc additum est: *Ipsum audite.* Satius ad speciem iuberet curiosis ipsum oculis inspectare, quandoquidem emicans splendor animos in sui admirationem rapiebat: ergo imperet aspectum, non iubeat auditum. Imò prudentissimè hîc iussit audiri: quia hîc cælesti luce coruscum contigerat spectari: nec alibi efficaciùs adeò ad virtutis impellerentur cultum, quàm vbi magnificum intuentur virtutis præmium. Adspiciunt Christum Dominum eximium virtutis cultorem cælesti gloria redimiri, præmiisque dignissimis coronari: vbi ergo obseruatæ virtutis eximium lucebat præmium, ad virtutem respui non potuit consilium. Profectò in Iordane eadem Christi Domini virtutis excellentia; non tamen ingerebantur oculis accepta ob virtutem munera; adeóque homines alliciuntur externis, vt illuc eos duxerit Dominus, vt auidiùs exciperent monita, vbi spectabantur virtutis præmia: *Vobiscum*, scribit Basilius orat. 43. Dei nomine, *de passione differui, & animus obtorpuit: dicebam in cruce me agendum, & vobis mens terrore fracta est. Dicebam: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me; sed ad memoriam passionis constantia vestra soluta est.* Quid ergo? Audi, quæ præmisit Basilius: *Quamobrem inuisæ meæ maiestatis partem aliquam vobis reuelabo, & hoc spectaculo futuri spes concitabo.* O quàm concitantur spes, quàm alliciũt ad se vel intractabiles aspertimósque animos virtutes, dum ad virtutis commendationẽ circumfusus animos prolectat splẽdor! Sapienter obsequendi Domino vox cælestis in monte præbuit consilium: quia amplum obedientiæ in Thabore ingerebatur oculis præmiũ.

Christus Dominus egregius absque pharmaco medicus ad ægrum hominum genus descendere dignatus est, non sæuis piæ artis instrumentis vsus, non cum igni, ferróque curationis gloriam partitus, non vsus remediis, quorum exordia diuexarent vti tormenta, non mercedis recipiendæ spe contra morbos armatus; imò ingentissima præmia ægris pollicitus curandos obibat: incidit in telonarium obscurum ad lucrum sedentem; imò cautionum ponderibus subsidentem: illum vocauit, & voce à fæcibus cupiditatis extraxit: *Vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me.* Vocem excipiens disruptis diuitiarum vinculis, excussis sacculorum ponderibus Dominum secutus: *Et surgens*, inquit, *secutus est eum.* Et cur Matthæus tot difficultatibus præpeditus, tot facultatibus pressus hominis vocem sequatur, & quidem ardua imperantis, & ingratissima humanæ cupiditati iubentis? O expende, amabo te, quid vox illa sequentibus contulerit: cæcis nouos oculos inserebat, claudos voce reformabat, è tumulis excitabat mortuos, liberabat à dæmonibus viuos. Ergo dum Matthæus quanta imperio obsequentes acceperint, prudenter expendit, secuturus ruptis difficultatibus surgit: quid enim adeò efficax ad excipiendum sitienti auditu salubre monitum, quàm obedientium Dominicæ voci videre brauium. Huc voco, quod aiebat Basilius Seleuc. orat. 35. *Vox emittebatur, & morbus pellebatur: ibi qui manum habebat aridam, cum reliquo vineret corpore, in vno membro manus apertam mali notam gestabat; sed vt Christum vidit, membrum recepit: eadem virtute exiliebat quatriduanus mortuus lethi signa circumferens.* Matthæo ardua quidem iubebantur, relinquere commoda, sequi dura; verùm vt vidit quanta obedientibus vox illa præstiterit, obedire expromptè minimè recusauit: quis enim virtutis respuat consilium, si virtutis assectarum ingens aspexerit præmium: *Vox mittebatur, & morbus pellebatur.* Ideò Matthæus reliquit incunctanter telonium secutus præcipientis imperium.

Christo Domino ab inferis resurgente terrarum concutiuntur ima, deuicta vlularant tartara, vtque pessimis Christi Domini resurrectio fuit doloris materia, ita iustis & Angelis fuit lætitia: *Ecce terra motus factus est magnus: Angelus*

16. (margin, right column) Matth. 9. v. 9. — Seleuc. — 17. — Matth. 28. v. 2.

gelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Chrysologus profundus mysteriorum scrutator rogat cur Angelus super lapidem sederit, cùm nulla illum defatigare quiuerit lassitudo. Certè ni Angelus, nil mirum; nam descenderat, insideret, quandoquidem plus vires fatigat vel leuiter descendere, quàm per ardua ad superiora inuolare; at spiritus, cùm, etsi descendat, non cadat, videtur insedisse ad doctrinam, non ad defatigationis medelam. Ita Chrysologus sermone 75. *Sedebat ad docendam resurrectionem, non ad lassitudinem subleuandam: cælestis natura ignorat lassitudinem, nescit laborem; sed factus est lapis vas Angelicæ sessionis, doctrinæ cælestis cathedra, schola vitæ.* Inquiramus cur ad docendam vitam, ad cælestis doctrinæ discipulos comparandos non sumptuosiorem suggestum delegerit, pretiosioremque cathedram, quæque raritate materiæ in admirationem alliceret. Profectò Angelus reuolutum lapidem, vti præstantiorem elegit cathedram: quia nouit auidiùs ibi excipiendam ab auditoribus disciplinam: nam, cùm lapis gloriæ Christi Domini, qui pro virtute militauerat, esset clarissimum testimonium, non poterat non esse efficacissimum ad virtutem illicium: nec ipsa perfidia poterat ad virtutem respuere, aut fastidire hortamenta, quando remuneratæ virtutis gloriosa impellebant indicia. Lapis reuolutus gloriæ erat titulus: ibi ergo illustrior pro veritate suggestus: *Reuoluitur*, præmiserat Chrysologus, *ad fidem, qui ad perfidiam fuerat aduolutus.* Lapis dum pro virtute gloriosissimè occumbentem funestè premebat, causas perfidiæ adiuuabat, quandoquidem omnes sequi detrectarent virtutem, quam ita adspiciebant abiectam, & extremæ obliuioni traditam; at si aduolutus perfidiæ fouebat causam, reuolutus fidei inspirabat doctrinam, quando non poterant fidei non audire doctrinam, vbi eximiam virtutis videbant gloriam. Adde satis esse, vt virtutis opera quis detrectet, virtutis asseclam irremuneratum videre.

Chrysol. | Idem.

18. Elias ille magnus, cùm videret homines fructus è terra partos in vitiorum fomenta conuertentes, & pro deliciis adulterantes, ira pietatis plena adiutrice assumpta claustra nubibus iniecit, & homines sterilitate puniuit: ipse recessit, & quasi perpetrasset flagitia, latuit. O dignissimum commiseratione sæculum, vbi virtutis alumni exules oberrabant, & vitiorum patroni liberi vbique degebant! Corui officiosissimè prophetæ famulabantur, torrens potum ministrabat: *Corui deferebant ei panem & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente.* Post aliquos dies torrens exiccatus est, & iam corui detrectant officium, nec prosequuntur obsequium: *Post dies autem siccatus est torrens:* torrentis refertur siccitas, coruorum litteris non signatur recessus; sed in ipso silentio sensus delitescit arcanus: torrens potum præbebat prophetæ, & quidem vti torrentes alij siccatus est: ergo dum corui animaduertunt torrentem virtutibus famulantem eamdem cum cæteris subire fortunam, detrectant prophetæ apponere mensam. Superfluum erat referre coruos ab officio defecisse, si retulit textus fluentis denudatum torrentem: vt enim magnum est ad virtutem illicium spectare virtutum præmium, sic irremuneratum officium vel morigeris dissuadet obsequium. Huc voco, quod aliorsum aiebat Tertull. lib. aduers. Psychic. cap. 9. *Defecerant corui, qui eum liberalius pascerent.* Defecerunt equidem seruiendi arcano fastidio, qui ad fastidium exiccati torrentis impellebãtur exemplo. Quisque fortes in acie desiderat milites, præmio coronet viriliter decertãtes: nam maximam vim sortiuntur adhortaméta vbi præmiorũ dubietatem auferunt testimonia.

1 Reg. 17. v. 6. | Tertull.

§. V.

Suspirat homo Deum arbitrio suo configuratum habere, quò & religionis plausum, & voluptatis coniunxerit appetitum.

Ex legem viuere, nullúmque Numen agnoscere, nec impietas sustinet, quandoquidem naturæ lumen opus esse fateri Deum aduertit. 19.
Itaque subiici Numini opus esse non ignorant; illum tamen Deum eligere, architectarique exãbiunt, qui sit superior, aut Numen titulo, famulus & seruus obsequio: amant superiorem; sed qui optata sibi permittat, nec edicto impotentes effrænésque voluntates reprimat: vtque semel dicam, superiorem amant homines suo adaptatum prorsus arbitrio, & solùm nomine potitum imperio: quod si habuisse contingat, concelebrant laudibus, extollunt elogiis, consecraréque exambiunt sæculis; sin aliter, linguis obscurauere maliloquis, & quod lege sanctum, adulterata intentione obmurmurabunt peruersum. Quàm aptè Tertullianus aduersus gentes cap. 13. *Domesticos deos, quos lares dicitis, domestica potestate tractatis, pignerando, venditando, demutando aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerua; vt quisque contritus, atque contusus est, dum diu colitur, vt quisque dominus sanctiorem expertus est domesticam necessitatem, publicos æquè publico iure fœdatis, quos in hastario vectigales habetis.* Deum habere gestiebant; illum tamen, quem ad sua possent placita detorquere, & in quodcumque illis collibitum, cómutare, vt sibi de religione plauderent, & deos ipsos adorantis voluntati subiicerent. Et quidem quod cæcis illis gentilibus accidit vltra idololatriæ errores, nobis erga præsules, superioresque deligendos sæpesæpiùs contingit: eos suspiramus, tumultuosáque ambitione deligimus, qui nostro re subiecti inseruiant arbitrio, solóque vacuo fulgeant maioritatis vocabulo: *Trans fluuium*, inquit Deus, *habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruierúntque diis alienis.* Quibus inseruierint diis, tradit Epiphanius apud Glossam, scilicet statuis arte confictis, & pro libito elaboratis. *Seruch*, inquit, *nascitur filius Nachor; Nachor autem genuit Tharra: hinc fieri cœperunt statuæ ex luto, & arte figulari per industriam huius Tharra.* Ecce industria deos sibi elaborare contendit, quò illos confingat ad placitum, nec aduersum patiatur arbitrium: eas dij illi fictitij vmbratilésque manus habebant, quas deuotus desiderabat: auertebant à quo nollet, oculorúmque dirigebant aciem quò vellet: itaque Deus figulari arte conformabatur, vt priùs subiectus animo delineauerit Deum.

Tertull. | Epiphan.

Populus

20. Populus ille Hebræorum post cælestem illum miraculorum imbrem nimbosas Nili ripas relinquunt, ignotas desertorum vias ingressi; sed ne laboriosis itineris circuitionibus deerrarent, séque erroribus anxiis tererent, Deus nubea igneáque columna præbuit ducatum, vt firmiùs populus & celeriùs premeret gressum: Exod. 13. v.21. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore.* Aberat Moyses apud Sineum vt leges transcriberet, diu cum Domino conuersatus, & quæ furebat populus idololatriæ libidine, Aaronem vrsit, Deum tumultuosis clamoribus conflari sibi vociferatus: Exod.32.v.1. *Fac nobis deos qui nos præcedant.* Profectò insaniam produnt, quando ad ductandum ducem sibi constitui exambiunt: si enim Dominus præcedit eos, quid duce opus? Sequantur columnam vtroque tempore indefesso lumine coruscantem. Quid ductorem quærant, qui Deum ductorem habent? Ducetne certiùs conflatilis vitulus omnimoda brutalitate indecorus, quàm Dominus ipse omnigeno sapientiæ iubare fulgidissimus? Cur Deum deposcunt, qui Deum respuunt? Vide quem efflagitent: vitulum conflatilem, qui ad illorum ducatur nutum, non qui proprium illos ductarit ad placitum: vitulus re ducitur, ducit vmbratili honoris mendacio: Deus columnæ insistens, non ad illorum gradiebatur arbitrium; imò ipsi ad columnæ progrediebantur imperium. Hunc ergo Deum respuunt, & illum amant: quia totum est ambitionis studium Deum confingere ad humanum proprius attemperatum arbitrium: *Quas cùm ille accepisset* (in aures) *formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem, dixeruntque: Hi sunt dij tui Israel.* Hos Israel deos adorare gestiuit, quos ad placitum prius, & diuinitatis typum effinxit, & stylo vt collubitum erat, delineauit. Lippoman. Apte Lippomanus: *Formauit illud cum stylo nempe ferreo, seu opere fusorio, & fecit ex illo videlicet auro vitulum conflatilem, seu fusilem: alij volunt typum & formulam esse, in quem proiecerit Aaron aurum, quod fusum expresserit vituli similitudinem.* Hos votis insanis conclamauere diuinos, vitulos scilicet pro voluntate efformatos, & priùs formula ad arbitrium illorum fictos. Itaque diis illis erat ea magnitudine caput, eæ manus, hi aspectus & gressus, quæ subiecti designabant, & diuinitatis inauguratores volebant. O quàm insudant homines in huiusmodi Numinibus elaborandis! se felicissimos arbitrantur, si huiusmodi superior contigerit: est namque re seruus, & voce tantummodo Dominus: quod funditur, typum habuit, & typus pro artificis voluntate aut augetur, aut minuitur. Hanc refert formam aut illam, vt dij illi repetere queant, quod alio sensu Psalmista: sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ. Quos honorant, illudunt, & cùm re coëgerint ad obsequia, vmbratilis tantummodò nituntur promouere ad dignitatis fastigia.

21. *Simulacra gentium*, aiebat Psalmista, *argentum & aurum, opera manuum hominum: os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo*: Psal.113.v.4. in his effingendis diis tota artis desudauit industria, & maligna inaugurauit dementia. Deos construunt omni prorsus censu diuinitatis carentes, quibus mens nulla, quibus sine visu oculi, quibus sine motu pedes. Deos habere volunt, ne athei, irreligiosique apud reliquos dehonestentur; illos tamen sibi confingunt, qui nec errata videant, nec vitiosa corrigant, quibus ad carpenda scelera vox sit nulla, & ad videndas culpas oculorum acies prorsus hebetata. In his numinibus laborandis lubens desudabit industria, & grato fatigabitur labore dementia: coniungit namque & religionis cultum, & irreligiositatis commodum, quandoquidem habet deos ad virtutis famam, & non sortitur ad peccatorum vindictam. Os habent; sed silentio sigillatum: oculos habent; sed lumine interdictos; cùm nullis caruerint ad speciem instrumentis, nullis instrumenta deseruiunt visibus. Quàm benè Zeno in Psalm.129. Zeno. serm. 1. de humilitate: *Deum persuadent hoc esse, quod volunt:* nullum buccinant regimini aptiorem, quam inhabilem prorsus & ineptum; imò illis, quo ineptior, est aptior; cùm tamen hæc regiminis aptitudo regiminis sit iniuria, & apertissima virtutis offensa. Quid sub Deo cæco non fiet? Quis, quantumuis Deus adstet, si surdus, alienam famam serpentina non arroserit lingua, & terra non infuscarit malitia? Et quid intererit oculis percipiat errata, si vt carpat, nullum vsum habuerit lingua? *Non clamabunt in gutture suo.* Quantumuis videant, non videbunt, ne clamarint. O quot superiores suorum non videbunt delicta, cum reliquorum seuerè puniant errata! Hos deos semper amauit exlex procacia, & procax semper malitia. *In quantum habet effigiem hominis*, scribit Incognitus, Incognit. *videtur habere oculos corporales, quod tamen non habet.* Videtur regere; sed non didicit gubernare: videt ad speciem, caligat ad veritatem.

Arbores de eligendo sibi superiore consilia inierunt, & licèt Ioathan ænigmate illo vitem, oliuámque inuitasse retulerit, non depinxit, quæ 22. facta; sed quæ facienda: arbores ergo & vitem respuunt, & auersantur oliuam, rhamnum deligentes spinis horridum, & origine obscurum: *Dixerunt omnia ligna ad rhamnum: Veni & impera super nos.* Iud.9.v.14. Rhamnus dignitatis ascendit fastigium, cùm vitis & oliua censeantur inhabiles ad imperium; sed videamus quid in vite electori displicuit, quid in oliua non placuit? Lux profectò oliuæ partus omnia diligenter examinat, omnia, prout fuerint, euulgat: nihil tacere docta, dissimulare nihil coacta: vitis vinum generat, quod infusum plagis natiua acrimonia mordet; cordibus autem salute præditis didicit ingeminare lætitiam: vinum namque lætificat cor hominis, & plagas hominis etiam vtili austeritate desiccat: Samaritanus namque vinum & oleum pro vulneribus sanandis infudit: ergo vitem nolunt, cuius austeritate sanentur: respuunt oliuam, cuius lumine veraci prodantur: rhamnum deligunt, sub cuius patrocinio, & requiescere valeant infructiferæ, & fructum non curare securæ. Iam hoc inaugurationis exordio promisit rhamnus: *Si verè me regem vobis constituitis, venite, & sub vmbra mea requiescite:* arbores Solem exambiunt fructuosæ, cælos petunt gratis floribus adornatæ: quæ tamen vmbratiles, infrugiferæ: ergo syluestres arbores vmbram amant, & caliginis amatrices eam arborem ad digni

dignitatis gestiunt promouere fastigium, quæ indecoræ illarum infœcunditati caliginosum præstet vmbraculum: timent vini austeritatem, quia recuperare nolunt salutem: timent splendorem oliuæ: discupiunt namque vitare vagationis opprobrium, & nullum virtutis edere fructum: amant spinam, sub vmbræ tamen pactione, & hanc confœderatis suffragiis cæteris præferunt: quia suis criminibus opportuniorem dignoscunt. *Ligna syluæ intelligimus*, scribit Isidor. quæst. in Iud. cap. 6. *homines esse vagos & vanos æterno incendio preparatos.* O quàm consonant electus & electores! Electores ligna sunt syluæ: hæc ergo nolunt frugiferam arborem luce præditam, nec vitem austeritate exornatam; sed rhamnum, sub cuius vmbra valeant requiescere, quantumuis non curarint fructificare: *Requiescite sub vmbra mea.* Syluestres illas arbores ita inter se de eligenda arbore disceptare percipias: Nobis, inquiunt, sine superiore non licet viuere. Quàm ergo arborem deligemus? Non ficum foliis asperrimam, non oliuam luce indagatrice curiosam; non vitem seueritate austeram: deligamus ergo rhamnum; hic ergo vtpotè dignitatis fastigio indignus, nostrisque tantummodo suffragiis electus, nobis annuet, & quantumuis fructus edere, florésque generare despexerimus, dissimulabit gratus; imò nobis ad requiescendum vmbram præstabit benignus: hoc ergo consilio ad electionem procedunt, & repudiatis ficu, vite & oliua electa rhamno faustis iteratisque acclamationibus gratulantur: quia hoc modo & mentiuntur obedientiam, & colunt studiosissimè ignauiam.

Isidor.

---

§. VI.

Eximiùs probatur amor, qui non tam depulit damnum, quàm prouidenter arcuit periculum.

23. Cassiod.

Parcere alienæ culpæ gloria materia.

MAteria est gloria principalis delinquentis reatum, aiebat Cassiodorus 3. var. 46. *quia nisi culparum occasiones emergerent, locum pietas non haberet.* Vera dixit: est enim pietatis elogium venia criminis depulisse reatum; verùm licèt hoc sit gloriosum pietati, ni reatum anteuertat, si possit, in dedecus verteretur amori. Salutiferis medentium manibus infirma indiget valetudo, & qui remedia opportunè attemperat, sapientem medicus se sæculis prodit. Medici est ægrotis subuenire, amantis morborum causis obstare. Insaniret amor, si vt artis ostentaret vanus industriam altam priùs dilecto incurreret vulneris plagam. Amoris elogium est adeò prouidenter accelerasse remedium, vt appetens anteuerterit damnum: parum amat, si potuit submouere, qui miseriam experto nititur subuenire: *Non miserebitur sapiens*, aiebat Seneca lib. de clement. cap. 6. *sed succurret; sed proderit in commune auxilium natus, ac publicum bonum.* Itaque qui in bublicum natus est bonum, gestit non manum porrigere naufrago; sed naufragij anteà subuenisse periculo: cui impenditur misericordia, iam pressit aliquando miseria. *Constituamus*, addit Philosophus, *nunc quoque quid sit venia, vt sciamus dari illam à sapiente non debere: venia est pœnæ meritæ remissio.* Dabit misericors pœnæ veniam, & ignoscet, qui punire potuit; sapiens tamen, si facultas insit, auertet culpam, ne indulserit veniam: nam licèt debitam criminibus venia remiserit pœnam, prodit indecoram maculam. Ergo qui amat, quique gloriatur sapientia, occurret culpis, ne dederit veniam suppliciis. Hinc Deus parentis sui Abrahami probatur amator: illi namque non remisit culpæ pœnam; sed ne incurreret pœnam, prouidenter auertit culpam: *Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruierúntque dijs alienis: tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus.* Abulensis Deum Abrahamo parenti eam inquit impendisse gratiam, vt communem reliquis nullatenus incurrerit culpam: amoris namque laudem ad speciem adulterasset, si depulisset damnum, cùm posset auertisse periculum: *Tuli ergo Abraham. Istud est primum beneficium*, inquit Abulensis quæst. 6. *scilicet distinctionis Hebraici populi à cæteris gentibus: quia incepta fuit in exitu Thare cum domo sua de terra Chaldæorum; tamen fuit consummata, cùm Abraham inde iussu Dei recessit in terram Chanaan: nam cognatio Abrahæ scilicet Nachor cum posteritate sua adorabat idola; si autem mansisset Abraham in Mesopotamia, fortè ipse, vel cognatio eius declinassent ad idola: & quia Hebræi erant populus Dei per hoc quòd ipsi colebant Deum specialiter, & Deus faciebat ei specialia beneficia, primum ad hoc necessarium erat, quòd segregarentur Iudæi ab idololatris.* Ecce quanta cura dilectum Abrahamum Deus vel à peccantium limitibus prouidenter abduxerit, ne exemplorum monitis forte persuasus deerraret: non liberauit ab idololatria, quàm incurrerat; sed, ne idololatriam incurreret, liberauit: eximiùs namque amor contentus non est depulisse scelera; sed scelerum satagit remouere pericula: si Abrahamus trans fluuium remansisset, deflecteret fortitan ad idola, & communia cognatis amplecteretur delicta. Ergo, ne vel ipsa contingentia fœdetur, à reliqua parentela patrem suum prouidenter eripuit, & eximiis gratiæ dotibus exornauit.

Seneca.

Sapiens est communis bonum.

Abulens.

Mortuus est Lazarus, cúmque Magister ad sororum domum aduentasset, lachrymantium misertus est: adstantés gementem contuiti in has voces proruperunt: *Ecce quomodo amabat eum*; verùm peruersissimi Iudæi ex ipso amoris signo contra amorem omnipotentiámque nisi sunt detorquere argumentum: *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur?* Quasi dicant: Profectò eius amor vmbratilis & confictus est, quandoquidem locum concessit sepulchro, nec causas morborum potenti est remoratus imperio: aut quidem si verè amat, eius potentia probatur inualida; aliter namque amore compulsus mortis auertisset pericula: *Erant autem*, inquit Chrysostomus apud D. Thomam, *ex inimicis eius, qui hoc dixerunt: ex quibus igitur oportebat eius admirari virtutem, ex his ei detrahunt, scilicet ex illuminatione cæci nati.* Itaque amorem infamant, aut potentiam deuenustant, quasi alterum fuerit alterius iniuria: facultatem namque morti permittens, cùm abigere potuisset, amoris adulterasse testabantur decorem, aut amor ostendebat potentiæ imbecillitatem: nec enim rationabile iudicabant diligere, & morti tradere: vnde aut inualida apud ipsos prodebatur potentia aut tepidissima 24.

Ioan. 11. v. 36.

Chrysost.

pidissima amoris flamma. Et notanter dixerunt: *Non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere, vt hic non moreretur?* quasi amantis non esset tabidum liberare è sepulchro; sed, ne tabesceret, prouido impediuisse remedio. Non dicunt: Qui aperuit oculos cæci nati, & sepulchrales valebit fascias disrumpere, & sordidis deuoratum vermibus liberare: illa namque misericordia, vtpote calamitatem depellens amoris videbatur iniuria. Et quidem, ni intercessisset mysterium, non leue iniquitatis videretur maliloquium; verùm quod ibi amoris gloriam obscurare nisum est argumentum, pro Maria matre est validissimum fulcrum. Satis est, inquiunt, cæcum nulla familiaritate coniunctum abacto morbo lucis flori restituere: Lazarum verò, cuius domo sæpè receptus satis non est à putredine liberare; sed necessum infamiam putredinis impedire. Ergo quod malitia ad Domini potentiam deuenustandam ingeniosum concinnauerat argumentum, cessit in Conceptionis auxilium: quis namque crederet Dominum eximio erga matrem amore affectum, & omnipotentia munitum, si culpæ mortem matrem incurrere permisisset, nec prouidè periculo liberasset: videtetur namque omnipotentia amoris iniuria, aut amor potentiæ offensa. Ergo ad amoris ac omnipotentiæ decus opus fuit Mariam nulla vnquam originis fœdari macula; imò nec periculi obscurari contingentia: si enim Deus atauum Abrahamum non exemit solum delicto; sed vel à delictorum regionis abduxit termino, quis credat Mariam contingentiæ finibus derelictam, & iniuriæ periculo expositam?

25. David, etsi in vtrumque eximia contulerit beneficia, in Ionatham sanè longè præclariora: nequam spiritus exagitabat Saulem, nec enim regalis pompa immunem valuit reddidisse miseriâ: dulce citharæ melos veluti telum vibrabatur in truculentum spiritum, & sonora semper concordia furentis leniebat animum: quid enim validius ad turbulentos furoris fluctus sedandos, quam dulcis & pacata vox mansuetudine resplendēs, & humilitate nitens? *Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.* Spiritus malus abigitur, & cantionis melodia furor animi temperatur, Hic idem Dauid montibus deerrans, & vti reipublicæ pestis oculis notatus fœdus iniit cum Ionatha; eiusque posteritate, nullatenusque malum aliquod illis inferendum pactione sanxit. *Non auferas misericordiam tuam à domo mea vsque in sempiternum... Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo David.* Ecce Ionathæ, eiúsque posteritati stabilis promittitur gratia, à Saule dæmonis depellebatur malitia: nec mirum: nam Dauidis & Ionathæ animæ sic honestissimo amore agglutinabantur, vt in vnicum quodammodò coirent spiritum, & coadunarentur animum: *Fuit ista iteratio fœderis*, inquit Abulensis quæst. 23. *non ex necessitate quasi vnū fœdus non sufficeret... accidebat tamen hoc Ionathas propter duo, scilicet ex amore*, &c. Periculum à Ionatha auertit amor, à Saule malum depulit cantus remedium: nec enim adeò erga Ionatham generosus proderetur Dauidis animus, ni illum iam vel ad futura sæcula liberum testaretur, omnique immunè prorsus detrimento assereret; imò & contingentiæ periculo liberaret. Satis est Saulem hostem sæpesæpiùs ab impurati tormento spiritus liberare; non tamen erat satis Ionatham, qui regales vestes Dauidi præbuit, à damno eripere; sed necessum erat vel periculum in futura sæcula arcere, Addit ibi Abulensis: *Istud secundum fœdus magis fuit ex amore*, Itaque omnes Saulis posteri regiæ indignationi obnoxij tenebantur; verùm Ionathas, quia specialiter, à Dauide dilectus, vtpotè qui à se ipso detractas regales vestes ministrarat, quantumuis Saulis filius, discrimini eripitur, & vel contingentiæ prouidenter extrahitur. Ergo si Ionathas, quia specialiter à Dauide dilectus, quantumuis Saulis filius, indignationis non particeps; sed periculi prorsus expers, quis credat Mariam non externas regales vestes; sed candoris internas verbo ministrante, quantumuis Adami filiam origine infectam, & non potiùs, quia Verbi mater, seruatam? si David inter Saulem, & Ionatham affectionis discrimen ostendit, quia alteri medicatus est plagam; ab altero tamen vel in futurum depulit periculi contingentiam: quomodò Christus Dominus dilectissimam præ omnibus matrem labe infici permisisset, & non potiùs pacto ipso in futura sæcula liberasset? Nescio quid querenti Matri posset Dominus respondere? nam si infecta filij compellaret affectum, non posset filius ad impotentiam recurrere; ideóque necessum esset amorem non adeò ardentem fateri.

Rachel tot laboribus à Iacobo acquisita sterilitatis defatigabatur notâ, & dolebat ignominiâ, 26.
cúmque anxias in querelas sic ad Iacobum prorumperet: *Da mihi liberos, alioquin moriar:* ille respondit: *Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui?* Recurrit Iacobus sapienter ad impotentiam, ne dilectionis adulteret gratiam: probaretur namque remissè amans, si cùm abolere posset, illam permisisset iniuriam: ne ergo deuenustarit amorem, se diuinitate carere fatetur: *Num pro Deo ego sum?* Quasi diceret: Profectò criminationes tuæ iustæ apparerent, tepidámque mei amoris flammam arguerent, si omnipotentia præditus hanc à te non auertissem iniuriam; at dum diuinitate nudor, iniustè querelis vexor. *Si hoc in me fuisset*, ait Chrysostomus apud Lippomam, nomine Iacobi, *omnino te sorori prætulissem: maiorem erga te beneuolentiam habens: quamuis etiam in infinitum maiori te complectar beneuolentiâ, nihil tibi in hoc prodesse potero.* Prudentissimè respondit, & iustissimè satisfecit, vtque amoris nobilitet flammam, non erubuit fateri arcēdi mali impotentiam: nam amor, si verus est, reliquis dilectum præfert; & omne prorsus periculum arcet. Finge ergo animo Mariam dilectissimam Spiritus sancti Sponsam, amantissimam Verbi Matrem, charissimam Patris filiam in primo illo originis instāti se originali macula conspexisse fœdatam, ad Sponsúmque querelas attulisse: Cur me ab hac non seruasti ignominia; cur à maledictione illa me in libertatem non asseruisti? Quid tunc responderet Sponsus? Nequibat sanè excusationem illam afferre. *Num pro Deo ego sum?* Est namque Deus, cuius nihil refragatur potentiæ: ergo adurgebatur amoris fateri iniuriam, responderéque se non adeò illam tenerè dilexisse, vt hoc illi priuilegium voluerit prouidenter concedere. Quod equidem esse non potuit, cùm ipsius Spiritus verbis ad speciem refragaretur: ille

Marginalia: 1. Reg. 16. v. 23. — 1. Reg. 20. v. 15. — Abulens. — Gen. 30. v. 2. — Chrysost.

namque & specialiter dilectam, & summè sæpè
Cant. 2. v. 7. sæpiùs testatur amatam: *Nec euigilare faciatis dilectam.* Ergo si amori proprium est omne prouidenter periculum auertisse, Deus, cuius & omnipotentia infinita, & amoris erga Mariam viuidior illuxit flamma, illam deuenustari non permisit periculo; sed à communi liberauit incendio.

27. Dauid secundùm cor Dei fuisse gloriatur, &
Matth. 1. v. 1. Abrahamo in generationis serie præfertur: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij*
1. Reg. 13. v. 14. *Abraham.* Audi Samuelem: *Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum.* Dauid & Deo quæritur, & diuini cordis exprimere proprietates laudatur. Videamus ergo cur præ Abrahamo Dauid diuini depinxerit amoris ingenium, euoluamúsque sacras tantillum historias pro thesi nostra facienda. Abrahamus cùm captum Lot consobrinum acciperet, domus vernaculos in expeditionem parat, adeóque improuisa audacia in hostiles phalangas irruit, vt victoriam de
Gen. 14. v. 14 victoribus reportarit: *Cùm audisset Abram captum, videlicet Lot fratrem suum, &c. reduxit omnem substantiam, & Lot fratrem suum, &c.* Vides ferreis vinculis liberasse, in libertatémque ex improuiso nepotem asseruisse. Transi modò cogitatione ad Dauidem. In prælium armantur Philisthæi, stabat ille spurius gigantæa mole procerus, & arrogantia præ viribus tumidus, cúmque nullus è toto exercitu satis probaretur, expauentésque periculum nullatenus admitterent duellum, Dauid prouocationem certaminis ad se rapit, & in aduersarium audacter
Seleuc. irrumpit: *Non concidat cor cuiusquam in eo: ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.* Quod expendens Basilius Seleuciensis orat. 16. sic ait: *Metu regem liberauit; priusquam seruitij iugum contribules experirentur, repulit.* En clarum discrimen: Abraham amissam Loti libertatem recuperat, Dauid à contribulibus seruitutis contingentiam depellit: hîc ergo iuxta Domini cor suis auxiliatur, séque à Domino electum in populi salutem confirmat, quando ea erga suos charitate refulget, vt metum arceat, nec solum damnum; sed periculum etiam depellat. Amauit nepotem Abrahamus, sed tepidiùs: nec enim auertit periculum, etsi depulisset incommodum; at Dauid Domini charitatem referens, ne amoueret detrimentum, vetuit prouidenter periculum. Ergo si Dauid hoc facto Numinis expressit ingenium, quia antequam iugum contribules experirentur, repulit; aliquis dandus est casus, quo veritas figuræ respondeat, & quo Deus deprælìatus cum gigante iugum intentatum auertat, cúmque in reliquis omnibus Adami posteris infame agnoscatur iugum, dicendum est in Maria matre constitisse Dauidis exemplum.

§. VII.

Sumptuosior felicitas non est externis bonis fulgere; sed internis virtutum luminibus emicare.

28. MVlta sunt, quæ dum fucis illita oculorum aciem prolectant, animo ingessere fallaciam: si apertè plures inspexeris, inuenies vitiorum vernulas; si exteriùs, splendidos magnatum collegas: à bonis viris omnia mala remouit Deus scelera scilicet & flagitia, libidinis insultus, & temeritatis ausus; sæpè nudi; sæpè morbis continuis diuexantur afflicti; illos tamen Deus sibi vendicat & tuetur: prima omnium felicitas est amandatis sceleribus non fœdari, valdè inferior cultiori corporis pompa, aut fortuna benigniori fulgere. Bellè Seneca de prouidentia cap. 6.
Puta itaque Deum dicere: Quid habetis, quod de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedit, & animos inanes velut longo fallacique somnio lusi: auro illos, argento, & ebore ornaui: intus boni nihil est: isti, quos pro felicibus aspicitis, si non quà occurrunt; sed quà latent, videritis, miseri sunt. E contrà de bonis viris dici potest: si non quà occurrunt; sed quà latent, inspiciatis, fortunatissimi sanè sunt: vera Deus ab illis mala remouit, dum crimina auertit: parum firmis gaudiis peccatores fruuntur, somnii ad instar auolant, & vt lata somnia iam expergefactos, contristant. Inter collata populo beneficia primum obtinet locum Abrahamum ab indecoro idolorum seruitio abstractum: *Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruieruntque diis alienis: tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus.* Gloriosis populum triumphis ornauit, decantatissimis auxit victoriis, opulentissimis cumulauit diuitiis; hoc tamen non solum tempore; sed dignitate recensetur longè superans beneficium, scilicet Abrahamum à falsis retraxisse cultibus, etsi tunc addictus fuerit anxiis peregrinationis laboribus: est namque crustata felicitas, quæ externis diuitiis innititur, vt vera, quæ virtutum fulcris roboratur. *Tradunt Hebræi*, inquit Hieronymus apud Glossam, *istiusmodi fabulam, quòd Abraham in ignem missus sit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus de idololatria igne profugerit.* Profugus inuenitur, qui virtutibus ornabatur; sed felicior sanè idololatriæ ignem euadens, quàm hæreditates ditissimas possidens; vera namque felicitas non est, quæ constat ditissimo auri censu; sed religioso virtutum sumptu.

Seneca. *Sæpè sunt miseri, quos prædicamus felices.*

Hieron.

Duos filios habuit Abrahamus, quorum alter tota cordis affectione dilectus, alter non ita tenerè amatus: dilectiorem Deus sibi iubet offerri: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis.* Quod si quomodò erga filios se habuerit pater disquiramus, Ismaelem teneriùs ad speciem dilectum inueniemus: nam cùm domo illum excutere diuinum iuberet præceptum, Abrahamus matris scapulæ puerum imposuit, panésque prouidenter largitus est: *Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum, & dimisit eam.* Vides quàm solerter commodis inuigilet filij: expende modò quid Isaacum ad mortem ducens effecerit. *Tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum.* Nec teneros graui humeros pondere attriuisse contentus, manus pedésque ligatura constringit, anhelantibúsque vinctum rogis audacter imponit: *Cúmque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.* Profectò quantumuis Isaacus dilectionis honoretur vocabulo, non videtur amoris potitus obsequio, & quomodò dilectus præ Ismaele,

29.
Gen. 22. v. 2.
Gen. 21. v. 14
Gen. 22. v. 6.

Iſmaele, cuius humeri pondere laborant attriti, & cuius pedes faſcia conſtringente ligati? Iſmaeli prouidit commoda, Iſaaco martyria: ne ille itinere laboraret, matris imponit ſcapulis: peditem hunc grauiſſimis onerat lignis: ergo ille fortunatior, & hic miſerior; imò ille miſerior, & hic fortunatior. Vide quid illi paterni animi affectus prouiderit: panem, aquam, in itinere requiem, & huiuſmodi, quæ ad corporis vtilitatem ſpectant; Iſaacum verò ligatura conſtringit, ne vel leuiſſimam diuinis oculis ingerat iugulatus offenſam: ligna imponit humeris, vt Chriſtum Dominum retulerit factis: hic ergo charior & felicior: eſt namque fucata felicitas rebus corporis abundare, vt vera animi dotibus effulgere. Accipe Zenonem ſerm. 1. de Abraham: *Pedes ligatura conſtringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret: ſecurus enim pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in mortem. O fratres ſecura deuotio, ô pater ſpiritum captans, corpus verò mortémque contemnens!* Hic veri amoris affectus; ille ad ſpeciem delicatus; ſed reuera adulterinus Auguſtiorem Iſaaco felicitatem curauit, dum vinculis, ne diſpliceret oculis diuinis, adſtrinxit, depreſſiorem Iſmaeli elaborauit fortunam, dum temporalem ſolicitus prouidit ſubſtantiam. Iſaacus legitima proles, Iſmael ſpuria: vt noueris verum amorem, veràmque felicitatem non caducis corporis rebus; ſed æternis animi conſtare virtutibus. Inuenies plures, quibus peccatorum felicitas inuidiæ eſt: ſe Numini arbitrantur odibiles, dum anxiis laboribus affliċtantur, anguſtiiſque ærumnoſis torquentur, non attendentes non eſſe felicem, qui micat auri ſplendore; ſed qui fulget religionis virtute.

Zeno.

30. Chryſoſtomus, quo ſolet ingenij acumine, Dauidem confert plauſibus celebratum cum ipſo virtutibus redimito. Aderat Goliat ille ingens corpore, adſpectu terribilis, voce terrorem ingeminans, & Iſraelis acies ſuperbiſſimis contumeliis vituperans: Saul filiam victori promittit, magniſque muneribus adaugendum detriumphatorem ſpondet: *Virum qui percuſſerit eum, ditabit rex diuitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei, & domum patris eius faciet abſque tributo in Iſrael.* Dauid in campum his promiſſis allectus prodit, lingua de fide cum incredulo diſputabat, manus fundam in vſum certaminis lapide duriſſimo communiebat: miſſo igitur lapide galea rumpebatur, plagam caput admittebat, animáque corpus ſuperbiſſimum ſine mortis ſenſu deſertabat. En Dauid victoria illuſtriſſima redimitum, diuitiis cumulatiſſimé adauctum, Principiſque rubenti purpura amictum: Ionathas namque propriis ſe veſtimentis exuit, quo Dauidem cumulatiùs honoraret; verùm non multò pòſt inuidentiæ fluctibus circumagitur, montaniſque abdi latebratum receſſibus cogitur: tandem cùm Saul per imprudentiam in hoſtis manus incidiſſet, Dauidis milites illum exacuunt, & ad vltionem proritant; odia in memoriam reuocant; imminentia, ni occiderit, pericula citant, & quidquid in cædem manus armare poſſet, allegant; verùm generoſum illud pectus ingenitam deſerere non didicit nobilitatem; imò inimico pepercit, nec pepercit ſolùm; ſed ruentes auidiſſimè in cædem dexteras prohibens liberauit; & qui iniuriis appetitus, erat inimici patronus: rubentis purpuræ fimbriam abſcidit, quò fidelitatem ſuam populis euulgaret: *Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, vt mittam manum meam in eum.* Vides Dauidem hîc virtutibus ſtudentem, illic triumphis honeſtiſſimis inhiantem: vbi ergo illum auguſtiùs feliciorem cenſebis? Fortaſſis cui videatur fortunatior, cùm grato purpuræ nigrore reſplendet, cùm ſanguinis execti capitis riuuli dexteram inundauerunt honeſtè, dum plauſibus celebratus, & diuitiis onuſtus, quàm dum inimico parcit: hîc namque opus eſt ad deſertorum confugere munitiſſima, pericula ſemper vereri, & herbis aut radicibus arborum ſuſtentari: ergo ibi felicior, & hîc miſerior: ita cenſent oculi externa ſpecie deluſi, aliter profundiùs veritatem contemplati. Audi Chryſoſtomum homil. 1. de Dauide & Saule: *Poſtquam igitur hanc immolaſſet victimam, poſtquam victoriam tulit, neque quidquam prætermiſit, quod ad trophæum faciebat, ſurrexit tandem horum certaminum materia Saul, & egreſſus eſt è ſpelunca ignarus omnium, quæ geſta fuerant. Egreſſus eſt autem poſt illum & Dauid liberis deinceps oculis cælum intuens, ac tunc temporis magis exultans, quàm cùm Goliat deieciſſet, ac barbari caput amputaſſet.* Audienda ſunt auidiùs, quæ ſubdit: *Siquidem hæc illa magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora ſpolia, hæc præda illuſtrior, hoc glorioſius trophæum.* Ibi corporis ſplenduit fortitudine, virtutis hîc emicuit dexteritate: felicior ergo, cùm dexteram redimiuit nobiliſſima venia, quàm cùm cinxit tempora barbari temporali victoria: gigantem proſternens amittendas acquiſiuit diuitias, iracundiam ſopiens immortales olympo ſibi repoſuit gazas. Felicior ergo, dum auguſtis virtutis factis reſplenduit, quàm cùm opimis ditatus hoſtium ſpoliis enituit: eſt enim latè auguſtius animi dotibus emicare, quàm corporis ſplendoribus enitere.

1. Reg. 17. v. 25.

1. Reg. 24. v. 7.

Chryſoſt.

31. Vitulum conflat Aaron auro ſplendeſcentem, diuitiis onuſtum, ab omnibus cultum, & adoratum: *Fecit ex eis vitulum conflatilem:* Moyſes ſerpentem architectatur æreum profectò, ſed ſolidum: *Fecit Moyſes ſerpentem æneum.* Ecquis tibi videatur felicior? vitulus ille aureus aut ſerpens hic æneus? Profectò pro vitulo ſtare videtur ſententia: vitulus namque ſcintillantis auri oculos nitore alliciebat, materiáque nobilior radiabat, diuitiis cumulatior, hoſtiis immolatis auguſtior: vitulo populus omnis & laudum & hoſtiarum tributa pendit: de ſuggeſtu auguſtus, de ſumptu clariſſimus; at ſerpens ligno affixus, nec populi plauſibus celebratus: ſerpentis materia obſcurior, fortuna ad ſpeciem inferior: ergo vitulus longè vincet felicitate ſerpentem. Expende, amabo te, quid ſerpens, quidque vitulus retulerint: vitulus vitiorum imago, luxuriæ emblema, intemperantiæque ænigma; ſerpens Chriſti Domini figura eſt. Ita Gloſſa, & Iſidorus in Numer. cap. 36. *Quòd æneus eſt ſerpens, ipſe Chriſtus intimatur, qui ligno ſuſpenſus eſt: æs quippe metallis cæteris durabilius eſſe ſolet, & aptè æneus ſerpens ligno ſuſpenſus eſt, vt Dominus & in ſerpente mortalis, & in ære ſignificaretur æternus:* ecce æs plus durat, etſi minus reſplendeat: vitulus ad oram emicuit; ſed citiſſimè in cineres abiit: ſerpens de duratione felicior, de ſimilitudine auguſtior: non potuit non durare, qui Chriſtum Dominum

Exod. 32. v. 4.

Num. 21. v. 9.

Gloſſa.
Iſidor.

paſſio

passione expressit:durare non potuit, qui euanido splendore vitium vitulus adumbrauit.Splendebat exteriùs;sed intus prorsus erat vacuus, & nulla soliditate munitus : vt repetat Seneca lib. de prouidentia cap.6. *Auro illum,argento,& ebore ornani;intus boni nihil est . . . Non est ista solida & syncera felicitas : crusta est , & quidem tenuis.* Solidiùs splendet serpens , etsi aliquantulum splenduerit obscuriùs. O quam nostris oculis falsa rerum imponit imago: quàm nitimur fictis,quàm oblectamur euanidis?

32. Psalm.36. v.35. *Vidi impium*, aiebat Psaltes, *superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani.*Cedro altissimo, montisque celeberrimi vertice elato impium contulit , iustum humiliori arbori comparauit.
Psal.1.v.3. *Et erit*,inquit,*tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Humilior iustitiæ arbor, impietatis excelsior:impietas incorruptibilem cedrum referebat æternitatem promittens, grataque viriditate refulgens. Satis non fuit referre cedrum , ni Libani fastigium cedri pompæ inseruire dixisset, *sicut cedros Libani* ; verùm quàm euanida hæc altitudo iam refert : *Et transiui , & ecce non erat : & quæsiui eum,& non est inuentus locus eius* : de alio attamen ligno contraria enuntiat : *fructum suum dabit in tempore suo , & folium eius non defluet , & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.* Profectò hæc arbor videbatur humilior ; fuit tamen æternior: illa pompâ augustior , viriditate splendidior, grato nigrore exornatior ; sed sub felicitatis crusta vera delitescebat miseria : arbor alia depressior & humilior ; sed & prosperior & fru-
Euthym. ctuosior: *Modo,inquit,illum se se gloriantem dimisi* (Euthymium audis) *& transiui , & statim euanuit :* citissimè euanida auolauit felicitas,durauit in æuum virtutis veritas : felicior ergo arbor, quæ virtutum fructibus micuit, quàm quæ felicitatis parum solidæ euanido nitore vernauit : nec enim adeo felix est, qui externis bonis refulsit, quàm qui internis animi virtutum excellentiis emicuit.

---

§. VIII.

Suos ab indecoris lapsibus reseruasse diuinitatis est argumentum,contrarium esset quadamtenus indecorum.

33. QVidquid agit diuinitas , rationi est consonum,iurique concinnum;verùm vt nos pusilli homines ex hoc mundialium rerum politia censemus,diuinitatem,si suos à reatibus liberos custodierit , relucere conspicuam, nulloque næuo indicamus deturpatam : apud loculuteios diuinitati quadamtenus indecorũ parentes suos maculari lapsibus permisisse,& cùm posset, nul-
Cassiod. *Principis gratia omni munere pretiosior.* latenus liberasse.*Intelligimus*,aiebat Cassiodorus 10. var. 26. *serenitatis vestræ gratiam muneribus omnibus ditiorem, quando illa nos hortamini facere , quæ ad mercedem nostram possint omnimodis pertinere:tale siquidem votum semper amantis est: causas vos misericordiæ velitis agere,quæ nos diuina possint commendare potentia.* Diuinam commendat prouidentiam,qui solicitam deprædicat curam :criminibus obuiasse est decora gratia , ab erratis eripuisse minor habetur gloria. Misericordiam exercuisse est benignitatis elogium; misericordiæ causas prouidentiori consilio vitare affectus propensioris est argumentum. Quis ergo ex diuinitatis hostibus occasionem ad detrahendum omnipotentiæ non rapiat, si diuinitati coniunctissimos sceleribus contaminatos agnoscat?Hanc ne apud infidos diuinitas notam incurreret,solerter procurasse videtur Deus,cùm Abrahamũ parentem noluit idololatriæ scelere attaminatum dealbare ; sed crimini prouidenter eripere:*Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio* , inquit , *Thare pater Abraham,& Nachor , seruieruntque diis alienis:Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus , & adduxi eum in terram Chanaan :* scilicet ex sententia Abulensis,omni prorsus delicto liberum:
Abraham, inquit quæst.5.*non coluit deos:quamquam ergo Thare ibi coleret idola , non dicerentur patres Hebræorum colere idola ibi.*Itaque Abrahamum generationis principium omni prorsus idololatriæ labe custodiuit immunem : quia sibi delegit in patrem; quasi Abrahami fœda idololatriæ labe obscurati appellari filium apud sæculum esset prouidentiæ nota, & Deitatis,si fas est dicere,iniuria. Abulens.

Deus ignescenti rubo Moysi conspicuus obiicitur,& dura populum tyrannide exoluat,iubet: 34.
ille,ne vanè delusus haberetur contemptui,diuinitatis testimonia requirit : *Respondens Moyses ait:Non credent mihi,neque audient vocem meã; sed dicent : Non apparuit tibi Dominus.* Populi diffidentiam allegat,quò imperium legationis extraxerit;Deus tamen, quò fidem illi faciat, inuisa sæculis aggreditur patrare miracula,& exercere prodigia:dexteram in sinu iubet recondere, quæ recondita fœdissima inficitur lepra:nec mirum,manus namque à munere cessans vitare nequibat maculam, nec depulisse miseriam:iterum leprosam recondit sinu , vt vnde promanauerat plaga,manaret etiam diuinitus medicina.Tantis adhuc miraculis Moyses non resumit animos; sed instat , & varias excusationis causas allegat: agolum videt in serpentem conuersum, serpentem intuetur in agolum commutatum, & hæret adhuc ad speciem dubius.Quid ergo Deus? *Hoc*, Exod.3.v.12. Exod 4.v.1.
inquit,*habebis signum,quod miserim te.*Interpretes quale fuerit hoc signum sciscitantur. Prodest Lyra, qui rubum illum ardentem nec flammis adustum datum signum Moysi in diuinitatis existimat argumentum : *Secundùm Hebræos hoc refertur ad præcedentia : ac si dicatur : Visio, quam tibi ostendi in rubo,est tibi pro signo , quod ego mitto te.* Benè; verùm inquiramus altiùs, cur rubus præ manus virgæque signis detur in omnipotentiæ argumentum.Ingens profectò ostentum rubum non aduri;sed nec ad speciem minus repentè manum vegetam infirmari,infirmamque sanitati restitui.Quid sæculis retro peregrinius, quàm inanime agolum vita fulciri serpentemque in agolum transformari? Ergo aut aliis credent, aut huic prodigio diffident. O ! rem intimiùs expende:Diuinitatis alloquentis quæritur argumentum, & licet virgam mutari in serpentem, serpentem reduci in virgam, infirmam manum sanitatem recuperare clarum fuerit potentię testimonium;quia tamen manus infirmitatem ante salutem passa , non adeò conspicuum apud plures existeret argumentum; rubus tamen non adustus;sed inter ebullientes flammarum globos illæsus, quique inter ipsos flammarum adsultus vernanti viriditate florebat, sic Deum testabatur Lyra.
conspi

conspicuè, vt nullus diffidere quiuerit obstinatè Quàm aptè Philo lib. 1. de vita Mosis: *Rubus erat frutex spinosus & inualidus, is nemine ignem admouente subitò incensus est, correptúsque totus à radice vsque cacumen flammâ in morem fontis scatente manebat integer & illæsus, quasi non esset incendij materia; sed ipse ab igne aleretur. E medio promicabat forma quædam pulcherrima nulli visibili similis, diuinum simulacrum luce fulgens clarissima, vt suspicari posset Dei esse imaginem:* ibi diuinitatis conspicua apparet imago, vbi remedium non medicatur incommodum; sed arcet prorsus periculum. Rubus inter furentes ignis flammas illæsus diuinitatis clarum est signum, manus post lepram sanitati restituta magnum erat; sed fors incredulis infirmus existeret testimonium.

Philo.

35. Hinc deduces cur Deus veritus non fuerit Moysem diuinitatis nomine decorare: *Ecce*, inquit, *constitui te Deum Pharaonis.* Profectò quantumuis passiuus Deus appellaretur, ad idololatriam expromptis magna erroris videbatur occasio: nam si Hebræi adeò ad idololatriam procliues, vt inanimem vitulum artis opus Deum coluerint, hostiásque vti vero Numini dedicarint, faciliùs hominem miraculis clarum, collatis beneficiis eximium, diuinitatis titulo decoratum Deum credent, & aris, ritibus, & sacrificulis colent. Cur ergo Deus Moysem adorandum non veretur, qui scit vel vitulum adorandum? Forsan ipsa Moysis actio hoc propulsabat periculum, auertebátque detrimentum: virgam manu gerens illam in terram cadere non vetuit, etsi animatum serpentem iterum ad virgæ rectitudinem instaurarit. Qui ergo quod adeò proprium erat, serpentinam formam, quantumuis ad exiguum temporis spatium, mutuari non prohibuit, diuinitatis minimè ornabatur substantia; sed Numinis tantùm vmbrâ. Nec barbaris Deus haberi poterit, cùm eius virgam in terram decidisse conspexerint. Dices virgam à rectitudine instantaneè quodammodo desciuisse, citissiméque formam rectitudinis restaurasse. Parum interest: nam diuinitate si reuera Moyses fulgeret, nec per instans vnicam virgam ad terram lapsam amisisse rectitudinem permisisset; sed semper retinere curasset: opus ergo Deitatis impugnabat vocabulum, erátque humanitatis apertissimum testimonium. Moyses appellatur Deus; constat tamen vera diuinitate non exornari, quando virgam serpentis facie assumpta, sinuosísque orbibus permisit tellure reuolui. *Quid*, inquam, aiebat Rupert. lib. 1. in Numer. cap. 4. *hæc virga est, nisi virga regia Dauidica stirpis?* Non poterat sapientibus Hebræis Deus haberi, quod Mariæ symbolum, virgam scilicet serpentis facie & ad terram prolabi permisit, & vel ad instans carere rectitudine tolerauit. Et quidem si Moyses verè esset Deus, quam manu virgam semper gestabat, ab omni serpentina forma, lapsúque immunem seruasset, nec fœdari lapsibus, sinuosisve dehonestari orbibus permisisset. Christus ergo, quia non vacua tantùm voce; sed reuera Deus, regiam Dauidicæ stirpis vigam adeò diuinitatis manu semper rectitudine florentem prensat, vt nec ad instans desciuisse permittat: esset namque quodammodo diuinitatis iniuria, & omnipotentiæ offensa.

Exod. 7. v. 1.

Rupert.

36. Modò in mentem subit, cur virga hæc Numinis non dicatur requies, cùm de illa Iesse virga hoc proferatur elogium, dum spiritus celebratur habitaculum: *Egredietur*, inquit, *virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* Flores etiam de Aaronica illa virga pullularant: ait namque textus: *Inuenit germinasse virgam Aaron, & turgentibus gemmis eruperant flores:* super illos tamen non refertur spiritus requieuisse; sed flores referuntur plurimi pullulasse, ne diuini Verbi florem quiuerint adumbrare: quia Iesse virgæ vnico flori Christum reseruabatur exprimere. Et cur in flore Aaronicæ virgæ noluit Dominus adumbrari, qui vnico Iesse flosculo anhelauit referri? Historias recole, & discriminis causas inuenies. Aaronica virga aliquando serpenti inseruiit, rectitudinisque habitum in orbium sinuositatem mutauit: Iesse virga nunquam serpentinam induit formam, aut serpentis specie retulit vmbram: flores ergo Aaronicæ virgæ Deitatis de virga exortæ non erant idonei indices; de Iesse tamen virga pullulans flos erat idoneum diuinitatis indicium; imò & omnipotentiæ elogium: quis enim omnipotentem Deum crederet, quem in matre virga serpentis tortuositatem conspexerit non vitasse? Ergo, ne aliquis diuinitatis refragetur opinioni, non in Aaronicæ virgæ floribus; sed in Iesse virgæ flore signatur: hæc namque legitur nunquam deiecta; illa ad terram aliquando prouoluta: Super hunc florem requiescere spiritus dicitur: *Et requiescet super eum spiritus Domini*; super illos autem requieuisse non legitur: quia serpentina tortuositas illi virgæ hanc laudem ademerat, dum à rectitudine abstraxerat. Ecce duas virgas Aaronis, & Iesse: super illarum alterutram erat spiritus requieturus, de illaque diuinitatis flos exoriundus: quam ergo ad Diuinitatis eliget pompam? an quæ serpentis assumpsit faciem, & aliquo amisit tempore rectitudinem, an illam, cui nullum cum serpente commercium; imò cum tortuositate dissidium? Profectò de virga semper recta flos ille Domini spiritu micans prodiuit, alteram vtpote non semper rectitudine ornatam sapientissimè repudiauit: *Virgo Regia Dauidica stirpis eligitur*, inquit Leo Papa serm. 1. de Natiuit. *quæ sacro grauidanda fœtu diuinam, humanámque prolem prius conciperet mente, quàm corpore.* Hæc eligitur Dauidicæ stirpis virga, vtpote quæ diuino humanóque grauidanda fœtu, ne, si illa eligeretur Mosaica tortuositate indecora, refragetur opinioni, aut obstiterit laudi: *Virgam de radice Iesse*, inquit Hieronymus hîc, *sanctam Mariam Virginem intelligamus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem, de qua & suprà legimus: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & florem Dominum Saluatorem.* Flos de Iesse virga exortus Saluatorem adumbrat: nam de serpentina virga pullulans obscuraret.

Isai. 11. v. 1.

Num. 17. v. 8.

Leo.

Hieron.

37. Ridet, & arridet Theodoretus Nabuchodonosoris sine cerebro prorsus insaniam: vidit somno illo proceram statuam, quam lapidis ictus prostrauit, quæque lutulentis gressibus nitebatur, & vt erat superbissimus, quam prostratam viderat, ex auro affabre factam reformauit, in eáque diuinitatem populis adorare præcepit: *Cadentes adorate statuam auream.* In illo auro minimè Deus poterat elucere, quando ictu lapidis ad terram visum fuit labi: Instaurauit

Dan. 3. v. 5.

staurauit statuam; sed quam iam lapidis ictus percussit. Si ergo primos lutulentos gressus posuit, parum interest secundos sortiatur aureos: se mentiebatur vanissimè Deum, cùm nequiuit ab ictu lapidis statuam liberare, etsi semel contritam valuerit erigere. Si Nabuchod. Deus esset, auream imaginem nullatenus instaurasset; sed ictum lapidis impedisset. Aurei micant modò gressus; sed primi sordescant lutei: ipsa ergo instaurationis opera illum Deitate carere clarissimè publicabat, quandoquidem euersionis non valuit vitasse ruinam; sed lapsam erigere solum statuam. Quis adoret vti diuinitatis scrinium statuam, quam agnouerit solo stratam, & hostili

Theodor. manu percussam? *Non simplex hic superbia modus fuit* (verba sunt Theodoreti orat. 3.) *sed Deo apertè repugnans*. Ipsa, quam erigebat, imago refragabatur diuinitati: nec enim Deus haberi poterat, qui statuæ suæ nullatenus impedire valuit casum; sed tantùm instaurare detrimen-

Chrysost. tum. *Ecce Deus*, aiebat Chrysostomus homil. de tribus pueris, *inauro non lucet*: quia quantumuis modò arte perpolitum, ruinæ casu aliquando fuit deturpatum.

---

§. IX.

Dominis inseruit peccator inualidis ad auxilium, inhiantibus ad tributum.

38. Cassiodor. *Seruorū claritas gloria dominorum.*

DE *claritate seruientium*, aiebat Cassiodorus in gnomologia, *crescit fama dominorum: tales enim prouehere Principem decet, vt quoties procerem suum fuerit dignatus aspicere, toties se cognoscat recta iudicia habuisse: moribus enim debet esse conspicuus, qui datur imitandus*. Verum hoc; sed adiiciam de claritate dominorum crescere famam, & vtilitatem seruientium: quid enim pulchrius, quàm aspicere dominum humanitate præditum, & potentia ornatum, & infelicius quid, quàm dominum sustinere ad impendendum seruitium, nec habere ad impetrandum in aduersitate remedium. Miseram deplorabat seruorum conditionem Stoicus: quia insomnes perstant: quia vigilantes inseruiunt,

Seneca. quia impransi differtis mensis assistunt. *Alia interim*, scribit epist. 47. *crudelia & inhumana

Seruis abutimur vt iumentis.

prætereo, quod nec tamquam hominibus quidem; sed tamquam iumentis abutimur*. Miser seruus, qui iumentorum ad instar est ad grauissima onera, cùm nec iumentorum numero habeatur ad pabula. Hinc idola colentium apparet summa miseria: habent namque crudelissimos dominos ad soluenda illis vectigalia; cùm tamen non habeant ad sibi impetranda auxilia. Saturnus sacrificari sibi filios poscebat; sed ad filios alen-

Tertull. dos opem conferre nequibat. *Infantes*, aiebat Tertullianus in apolog. cap. 9. *penes Africam Saturno immolabantur palam*. Consonat Diodorus

Diodor. lib. 20. *Causabantur & Saturnum sibi aduersari, quòd cùm olim huic deo filios præstantissimos immolarent, posteà clam pueros mercati, cùm enutrissent, sacris destinabant*. Saturnus charissima à deuotis pignora deposcebat, & ab illo nihil filios immolans impetrabat: ab his ergo dominis populum eruisse primum refert Deus collatum in populum beneficium: *Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nebaor, seruierúntque dijs alienis. Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanaan*. Alieni appellantur dij: erant namque à diuinitate alieni: summa ergo miseria erat habere deos proprios ad exhibendum obsequium, alienos ad impetrandum auxilium.

Vt dementiam populi exaggeratiùs Psalmista 39.
carpat, fabricasse ait idolum vitulo simile; fœnum tamen depascens, & telluris herbam comedens: *Commutauerunt*, inquit, *gloriam suam in* Psalm 105. v. 20.
similitudinem vituli comedentis fœnum. Erat vitulus, vt fœnum comederet; non erat vitulus; sed vituli similitudo, vt populum per desertorum anfractus duceret. Aiebant olim Hebræi: *Fac nobis deos, qui nos præcedant*: vitulum ad id Exod. 32. v. 1.
est fabricata dementia; hoc tamen factitij Dei erat ingenium, carebat pedibus ad ducatum; cùm tamen edacissimos haberet dentes ad cibum. Hæc ergo summa illius populi erat dementia, & infelicissima insania, Deum scilicet habere viuum, vt exigeret vectigalia, & prorsus demortuum, vt auerteret à suis pericula: *Pedes* Psalm. 113. v. 7.
habent, aiebat Psalmista, *& non ambulabunt*; non tamen ait: Dentes habent, & non edent: vitulus enim vitam mentiebatur ad pastum, cùm vitam nec mentiretur ad gressum. *Dicit Rabbi* Glossa.
Salomon, inquit Glossa, *quòd vidit spiritum vitæ in vitulo, sicut dicitur: Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*. Ad comedendum fœnum spiritum habuit præstigiis confictum, carebat vita ad ducatum: viuebat ergo, vt impendiosum illi soluerent sumptum; motu, sensúque carebat, vt præstaret illis ducatum. Et quidem quòd illic elaborauit insania, vltra idololatriæ crimen experitur sæpè imprudentia, aut minus fausta fortuna. Elegit quis Mecœnatem, cuius tutus viueret patrocinio, & solùm sumptuoso coluit dispendio: petunt mutuum, de industria hanc aut illam laudant supellectilem, lautitias vltramarinas concupiscere se ostendunt, & quidquid ad clientis anxietatem conducit, illis in voto est; si tamen clientulum, asseclámque hoc aut illud presserit infortunium, tardigradi incedent, occupationes confingent, ac denique nihil facient, quasi fuerint demortui ad auxilium, & viui solum ad sumptum.

Hanc nostram thesim mirè error ille Babylo- 40.
niorum depinxit: erat idolum nomine Bel industriæ opus, & figuli sanè partus: huic per singulos dies & pretiosi phalerni impendebantur sex amphoræ, & oues ex crassioribus quadraginta, & siligineæ similæ artabæ duodecim.
Impendebantur, inquit textus, *in eo per dies sin-* Dan. 14. v. 2.
gulos similæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinique amphoræ sex. Ecce quanta idolo soluere quotidie opus: quale ergo suis cultoribus ab ipso auxilium, accipe à Daniele: *Ne erres rex*, inquit: *iste enim intrinsecus luteus est, & forinsecus æreus*. Gressum explicare non poterat ære onustum, nequibat manum porrigere, quia luteum; & tamen viuens videbatur, vt illi penderentur tributa, demortuum, vt ipse præstaret auxilia. Quàm bellè afferret medelam morbis vilis testa! Quàm egregiè exhiberet beni gnitatem afflictis æs durissimum! idolum erat impensis sumptuosissimis cultum, & ad opem ferendam prorsus inanime & vacuum: exteriùs fortitudinem æs mentiebatur, oculósque

que alliciebat splendor; sed intus luti fœditas, & argillæ vilis fragilitas. O quot fucis resplendent illiti, cùm intus tenebras patiantur miserrimi! O quot intus fragiles, exteriùs fortitudine robusti, & virtute religiosi! Extrema profectò Babyloniorum miseria, vtpote quibus Deus solùm contingeret ad impensas, eásque sumptuosissimas; cùm nec illorum posset depellere infirmitates, nec medicari ægritudines: sumptibus Deus, beneficiis nullus. Opportunè noster Sanctius: *Ratio atque solertia ab hominibus in eligendis dijs esset adhibenda, vt non in illis species exterior, atque fucata esset exploranda; sed benignitas, vt velit, & facultas, vt possit suis cultoribus benefacere.* Quid à luteis impurísque visceribus possent sperare cultores? Quid possent ab argilla futili sibi promittere firmitatis? Quid à duro ære benignitatis ac mansuetudinis? Profectò summa miseria est spebus falsis inniti, & veris sumptibus defraudari. Attentè viderint, qui Magnatum cursant domos, quos sibi patronos delegerint: sunt namque aliquando, qui sanguisugæ ad instar nihil aliud ore versent quam affer, affer; cùm tamen benefacere prorsus ignorent obliti, & fauere nesciant ingrati. Sanctius.

41. Ridebat & irridebat Tertullianus ethnicorum errores: nam cùm defuncta corpora vstulantibus iniicerent rogis, exquisitis demortuos nitebantur alere cibis, quasi defuncti nullatenus vita excessissent ad sumptum, cùm minimè durarent ad ministerium: *Vulgus irridet,* inquit de resurrectione carnis, cap. 1. *existimans nihil superesse post mortem; & tamen defunctis parentant, & quidem impensissimo officio pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum, vt quos negant sentire quicquam, etiam desiderare præsumant; at ego magis ridebo vulgus tunc quoque, cùm ipsos defunctos atrocissimè exurit, quos postmodùm gulosissimè nutrit.* En demortuos, & simul gulosos: gulosi existimabantur ad escas illis impendendas, demortui ad gratificandas. O infelices, qui mortuos obsequiis coluere viuentium, quandoquidem nec proderant illis, quia demortui, ad auxilium, nec deficiebant ad sumptum. E contra qui virtute præditum patronum delegit, & qui verum Deum coluit, non consumitur expensis, & opportunis fruitur ac largissimis beneficiis. Tertull.

42. Adest Moyses huius thesis non inconcinna confirmatio: Pharaonis deligitur Deus, & apprehensa pastoritia virgâ clementis imperat, quæ draconis assumit faciem, & trux spiris horridis magicos dracones exacutis dilaniat vnguibus, & duris discerpit dentibus: *Deorauit,* inquit, *virga Aaron virgas eorum.* En simul & draco & virga: virga erat, ne à propriis aliquid acciperet, draco, vt suis contrariis deuoratis faueret. Inuenerunt in Dei virga Hebræi tunc miseri, quod possent exambisse solatium; nullum tamen ad alendam virgam opus fuit impendere sumptum: contrarius erat idolis & virgæ stylus: vitulus sensu caruit ad remedium, spiritum mentitus ad pastum: virga sensu carebat ad pastum, robore munita ad auxilium: erat draconum voratrix virga, ne minus liceret veritati ad suorum auxilium, quàm mendacio licuerat ad excolentium flagellum. Opportunè Augustinus in quæst. super Exod. quæst. 12. *Draco vtique potuit virgas absorbere,* Exod. 7. August.

non virga; sed eo nomine appellata res. Verus draco phantasticos vicit, Dei virga ab Hebræis nihil accepit: ô si illa virga singularis non fuisset, quàm alia miserorum fortuna esset! Verùm aliquando, vt draconem virgæ deuorent, auidos priùs dentes exercent in miseros, & pauperum sanguine maculauere cruentos. Dei appellatur hæc virga: *Portans virgam Dei in manu sua:* quia pro suis deuicit, & à suis nihil accepit. Exod. 4. v. 20

Hoc idem non solùm virga; sed & fratres euincunt, Moyses diuinitatis assumit faciem, Aaron humanitatis non deponit ingenium, etsi elatus ad dignitatis fastigium: testatur hoc ipse Deus: *Ecce,* inquit, *constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Nomina actionum fuerunt prænuncia: nam cùm Aaron absente fratre populis imperaret, quidquid optimum & pretiosum, accepit promittens auxilium, & procudens sanè naufragium: aurum subiecti ministrauere, vt placida ducerentur ad habitacula, & impendiosis sumptibus fœtida obtinuere sepulchra. Pro conflando idolo populus est nudatus, & post nuditatem mucronum acies expertus. *Fecit populus, quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron.* Transi modò ad fratrem: Cùm populus venenatis serpentum morsibus vrgeretur, Moysem lachrymabili clamore compellat. Quid tunc? *Fecit ergo Moyses serpentem aneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Moyses à populo nihil accepisse refertur, & vitam impendisse omnibus allaudatur: eiusdem erat Moyses & serpens emblema, & in eodem emblemate mors & vita amico fœdere iungebantur: viuus salutem elaborabat, demortuus nil à populis accipiebat. Quàm alia fortunâ populus Moysem, & Aaron sortitus est! Dum obsequuntur Moysi Numinis vicario, nullis sumptibus depulere calamitatem, & amissam reuocauere salutem; dum Aaroni obsequuntur, diuitiis nudantur, & calamitatem incurrunt: serpens sine populi sumptibus elaboratur, vitulus de populi nuditate construitur. Ecce Aaron prorsus inualidus ad securum populo præbendum ducatum, ad auri inhiauit dispendium; cùm tamen Moyses vitam vulneratis excuderit, & à populo nil acceperit. Nec mirum: alter namque homo & quidem ambitiosus; alter Deus munere, & vir perfectissimus opere. *Aberat apud Deum in monte Moyses,* inquit Tertullianus aduersus Gnostic. cap. 3. *cùm populus tam necessaria absentia eius impatiens deos sibi producere quærit, quos potiùs ipse perdiderit: vrgetur Aaron, iubet inaures fœminarum suarum in ignem conferri: amissuri enim erant in iudicium sibi vera ornamenta aurium Dei voces.* Dum abest Moyses, dum ambitioso obsequuntur, salute & diuitiis carent: erat namque Aaron prorsus inualidus ad auxilium, opportunissimus ad dispendium, vt Moyses verè ineptus ad dispendium, & aptissimus ad subsidium. Ergo solerter cogita, quibus inseruias, ne diuitiarum, & salutis simul patiaris iacturam. 43. Exod. 7. v. 1. Tertull.

* * *

§. X.

Solùm is, cui subrepere potest fallacia, sibi deligit, quod attaminatum sordescit culpa.

44 HVmana natura si honoris nobiliter ambitiosa, respuit quidquid culparum sordescit attaminatum offensâ, & scelerum ignominia: non solùm amicus; sed & seruus quærendus est morum puritate syncerus, & synceritate purus: quia serui culpa & deligentis est nota: quòd si in seruulis deligendis debet desudare studium, quantò potiori iure in rebus sibi coniunctioribus laborare debet ingenium, quandoquidem & Sponsi honor ad Sponsæ laudes redundat, & parentis erratum transit filiorum ad probrum. *Inter cætera humani generis pondera*, aiebat Cassiodorus 2. var. 11. *Coniugalis affectus curam sibi præcipuam vindicauit. Non immeritò, quia in honore esse meretur, vnde reparatio posteritatis acquiritur. Omne facinus auctores solos insequitur: error matris transit ad filios, & nouo infelicitatis euentu fit dedecus proprium scelus alienum.* Certè parentes sceleratos sortiri est infortunium ineuitabile filiis, quandoquidem esse non deligunt; sed accipiunt; ea tamen, circa quæ versari potest electio, prudenti nullatenus contingent impura, ni mentem subdola obscurarit fallacia: notatur namque eligentis ad probrum, quod displicet in electis erratum, & erubesceret prudentia, si illi aliquando artiferit culpa. Deus patrem sibi deligit Abrahamum; sed quem in posteritatis Principem destinauit, à crimine prouidenter eripuit, ne maculatus pater filij innubilaret honorem, aut filius iniquitatis credatur amicus, si crimine defœdatus in patrem agnoscatur electus: *Trans fluuium*, inquit, *habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruieruntque dijs alienis: tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus.* Thare alienis diis inseruisse dicitur, Abrahamus idololatriæ addictus non legitur: *Tradunt Hebræi*, inquit Hieronymus apud Glossam, *quòd Abraham in ignem missus sit, quia ignem adorare noluit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus de idololatria igne profugerit.* Accinit Lyra: *Tuli ergo patrem vestrum, separando eum ab idololatris.* Qui parentis Christi Domini honorandus erat prærogatiuâ, nullatenus idololatriæ est obscuratus offensâ; imò ibi prouido Dei auxilio triumphi redimitus resplenduit gloriâ, vbi reliquos adorati ignis maculauerat culpa. Triumphat Abrahamus in igne Dei auxilio, vbi reliqui adusti sunt idololatriæ peccato: esset namque quadamtenus prouidentiæ dedecus, si pater communi scelere attaminatus sordesceret: nec Deum, cui subrepere nequit fallacia, decebat eligere in patrem, quem generalis infecerat culpa, & culpæ obscurauerat macula.

Cassiodor.

Error matris transit ad filios.

Hieron.

Lyra.

45. Seruiebat Iacob auunculo suo Laban: Rachelem in laboris præmium elegit, etsi subdolus socer Liam latenter posteà introduxerit. Candicante iam aurora gener agnouit fallaciam, & violatæ fidei apud soceru mdat querelam: *Nonne pro Rachel seruiui tibi? Quare imposuisti mihi?* Laban statam regionis consuetudinem allegauit, quò iustam ad speciem accusationem adferret: *Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores anteà tradamus ad nuptias.* Benè est quòd statuta maiorum seruare velit illæsa, quòd pressa ab antiquis sequi adnitatur vestigia; verùm cur ante pactionem rem genero non explicuit? Lia eisdem parentibus sata, æquali cum Rachele nobilitate erat prælustris; & adhæc quia maior tempore, & potior iure: cur ergo cùm de adstipulatione agitur, vt Liam Iacob accipiat, consuetudinem regionis non afferat? cur petat à fraude, quod exigere potest à iure; Qui Liam fraudulenter intrusam sibi in sponsam accipit, absque dubio & sine fraude duxisset. Ergo Labanus imprudenter captiosam recurrit ad technam, qui sapienter statam Liæ allegare posset iustitiam: profectò non de imprudentia tacuit; sed de sæculi astutia imposuit, ratus aliter Iacobum accepturum nequaquã Liam: Liæ namque facies ingenito deturpabatur defectu: *Lia*, inquit textus, *lippis erat oculis, Rachel decora facie, & venusto aspectu.* Ergo prudentissimus Iacob sudorum pretio nequaquam facie inuenustam eligeret Liam, si occultam percalluisset fallaciam: Labanus generi agnouit prudentiam, & ideò recurrit astutissimus ad versuriam, quasi, ni desideratum de impostura obtinuisset, impossibile prorsus iudicasset: Liam admisit Iacobus; sed quia falli potuit, non quia delegit. Adest opportunè Chrysostomus homil. 56. in Genes. *Sciebat equidem quòd alterius amore flagraret, & si voti compos fieret, non eligeret posthac, seruitutem propter Liam sustinere, vel eius coniugium.* Auidiùs audi, quæ subdit: *Et propterea quia vidit Laban virtutem viri, & cogitauit quòd non aliter eum vinceret, & persuaderet, ita ei imposuit, & dedit ei Liam.* Quid pulchrius? Laban agnouit Iacobum vtpotè prudentissimum, nequaquam duro alendi greges labore Liam facie inuenustam empturum, decreuitque fore, vt acciperet, imponendum. Et quidem si Iacob fraudulentam nequiret pati imposturam; Liæ nunquam sibi deligeret formam. Hinc magnam Matrem sanctissimam Dei genitricem Mariam ab omni labe purissimam facilè euinces: nam cùm Deus falli non possit, in Matrem, Sponsamque eam delegit, quam nulla obscurauit culpa; sed semper possedit gratia; & cur tot labores ad Liam lippis oculis, & de vetitæ arboris visu turbatis accipiendam industrius ad speciem mercator offerret, cùm eisdem posset Rachelem omni prorsus næuo carentem; imò pulchritudinis gloriâ, & elegantiæ laudem in Matrem sibi coniungere, & in Sponsam dilectissimam comparare? si Iacob imposturam patitur, cum Liam admisit, aliter nullatenus admissurus, cur Rachele relicta Liam deligeret Patris Sapientia, & omni prudentiæ gloria? Hoc quisquis volet, præsumat; ego equidem, dum Ecclesia aliter non sanciat, purissimam semper crediderim, & deuoto cordis affectu immaculatam clamauerim, quandoquidem, quia eligendus erat in patrem, singulari lego Abrahamum nobilitatum victoria, vbi reliquos caliginosi ignis, tetrique fumi ausa est commaculare ignominia.

Gen. 29. v. 25

Chrysost.

Thesim nostram ipse Iacob benedictionem fratri præripiens suffulciat: infantes maternis visceribus decertabant, & ipsa vitæ officina erat inimicitiæ palæstra: eodem instanti geniti, ingenio tamen diuersissimo ornati. Ergo partus tempore prior egressus est Esau non gloriosè 46.
vincens

vincens; imò fratris fortitudinem anhelanter effugiens: priùs oriri non fuit vincentis palma; sed extimescentis nota: frater namque fratris plantam tenebat manu, vt se non victum; Gen.25. sed victorem sæculis euulgaret. *Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob.* Rupertus lib.7. in Genes. cap.5. ortus schema vtero victorem fuisse Rupert. Iacobum declarasse testatur: *Vtriusque, inquit schema, vel habitus prodidit quis & in vtero Princeps fuisset duelli, & post vterum intentator futurus esset inimicitiarum vel odij, quisve & in vtero superasset, & post vterum victoria palmam iustè repetiturus esset.* Ecce ex Ruperti sententia in vtero & Esau deuictus sordescit ignominia, & Iacob detriumphator victoriæ resplendet gloria. Denique cùm postea iterum ob benedictionem fuerit certamen, & Isaac Esau eligere studiosè contenderit, visu caligans proditur; imò Gen.27. v.1. oculis priuatus ferè notatur: *Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat.* Sed videamus cur cæcum prodiderit capitis huius exordium. Audi quæ sequuntur: *Vocauitque Esau filium suum maiorem, & dixit ei ... Fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer vt comedam, & benedicat tibi anima mea.* Dum gestit Esau ad gloriam posteritatis deligere, prorsus agnoscitur obcæcatus; at Deus, quia suæ perspicaciæ præuaricator non est, in patrem delegit victoriâ in ipso matris vtero redimitum, non ignobiliter detriumphatum: qui caligare potuit, subactum delegit; Deus victorem, quia non poterat caligare. *Iam enim,* inquit, *præ senio videre non poterat. Hic obsecro,* scribit Chryso- Chrysost. stomus hom.53. in Genes. *animaduerte indicibilem Dei sapientiam, & quomodo pater quidem geminam præferens dilectionem hæc imperauit Esau; Deus autem sapiens, & omnipotens Dominus per Rebeccam suam prædictionem impleri facit.* Ecce & Numinis luxit sapientia, & patris cæca stultitia: alter, quia cæcus, nitebatur deligere victum: alter quia infinitè sapiens, victoriâ vel maternis visceribus coronatum: solùm is, cui oculorum contingere potuit caligo, præferre valuit maculatum, cùm non maiori labore eligere quiret venustum. Et quidem, amabo te, attentiùs perpende Iacobum inter Deum, cuius erat futurus filius, & Isaac ipsius patrem materiam certaminis extitisse: pater Esau præferre gestiens seruituris Iacob nitebatur premere iugo; Deus verò vtpotè de Iacob gignendus fratris nobilitauit imperio: plus Iacobi interfuit, ne incurreret seruitutem, Deum filium habere, quàm, vt incurreret, nocuit, caligantem patrem sortiri: pater condemnare est nisus; sed filius prætnaturè liberare est aggressus; imò antequam pater Iacobo periculum creare posset, iam Deus omne prorsus periculum abigere festinauit; imò non abigere; sed vitare: Isaac namque post amborum fratrum ortum obsequiis Esau delinitus teneriorem illi impendebat affectum, & testamento nitebatur relinquere dominatum; ast Deus natiuitatem non expectauit; sed prouidenter præuenit nixum, & Rebeccæ adhuc fra- Genes.25. v.23. tribus grauidæ Dominum consulenti. *Duæ,* inquit, *gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúsque populum superabit, & maior seruiet minori.* Nondum natus, & iam electus: antequam videat lucem, primogenituræ donatur gloriâ, cùm illum pater mor-

Naxera in Iosue Tom.2.

ti vicinus nisus fuerit seruitutis affecisse ignominia: vt noueris multis retro sæculis cælesti fauore præuentum, antequam iugi immineret periculum. Ergo qui Iacobum delegit, & Esau victum repudiauit, quia caligare non potuit, in Maria deligenda culpæ næuum minimè admisit.

Probet hoc idem Dauidis electio. Paruulus pascebat oues, quò & operis exercitium & vitæ 47. innocentiam proderet tempus: *Adhuc reliquus est paruulus,* inquit pater, *& pascit oues.* Ad quæ 1. Reg 16. v.11. Zeno. Zeno Veronensis serm.1. in Psalm.129. *Innocens cum innocentibus deputatus.* Itaque Dauidis clarissima proditur innocentia. Cùm ergo Deus de rege Saulis loco cooptando cum magno Samuele disceptaret, ad Isai domum imperij inauguratorem delegat; ille aliis ascitis fratribus maiorem deligere properabat; verùm olei fluxa natura sursum miraculosè detenta est, ne cum errante propheta faceret. *Vidit Eliab, & ait: Num coram Domino est Christus eius?* Propheta, quia erroris non expers, Eliab eligere adnitebatur; verùm Spiritus sancti gratia, quia falli non poterat, hunc respuit, & Dauidem imperij sceptris ornauit: primi fratris non constabat innocentia: recusauit ergo gratia conciliare sibi ad speciem imprudentiæ probrum, si deligere de crimine non recusaret suspectum. In Dauidis animo tota virtutum prata vernabant, vitæque instituta intaminatam innocentiam prodebant. Hunc ergo Deus omnis erroris expers delegit: Samuel quia quantumuis propheta, erroris particeps, Eliab ad regnum vngere festinauit. Prodest Seleuciensis Basilius orat.14. *Cornu* Seleuc. *inuergens reiectaneum, vt vngeret, cogebat; sed oleum fluere recusabat, ne cum errante propheta faceret, & fluxa natura sursum retinebatur gratia legibus obsecuta, capútque, à quo resiliebat gratia, relinquebat aridum.* Si gratiæ error subrepere potuisset, Eliab imperatoriis fulgeret fasciis redimitus; at quia erroris expers, Dauid præfertur diademate coronatus: Samuel Dauidem postponebat, & reliquos fratres prætulisse festinabat; sed errori probatur obnoxius, dum innocentiam prætermittens notam, sceptris adsignabat ætatem delictis attaminatam, aut de crimine saltem suspectam. Ergo si materiale oleum in caput gratia aridum fluere recusauit, vt in Domini patrem sanctum eligeret, quomodo oleum illud diuinitate plenum in Mariam gratia aridam anxiis adeò votis efflueret, & in matrem deligere properaret? *Filiorum causa iure,* aiebat Cassiodorus 9. var.21. *ad patrum* Cassiod. *cognoscimus remisisse personas, vt ipsi de illorum prouectu debeant cogitare, quorum interest studia Romana proficere: neque enim credendum est vos inde posse minus esse solicitos, vnde & generi vestro crescit ornatus.* Ergo si credi non potest parentes de filiorum prouectu posse minùs esse solicitos, quia illorum generis sunt ornatus, quis credet Dei Mariæque sanctissimæ filium potuisse circa matrem minùs esse solicitum, quando mater innocua erat gloriosior illius fastus, & honor splendidus.

* * *

§. XI.

Magnum Dei beneficium est, quod relictis alijs te ad religionis vocarit cultum, & ad virtutis obsequium.

48. VEra hominis felicitas non ex fortunæ fauore; sed ex vera semper virtute: mortales cæcutimus, & ad felicitatis vmbras stupemus. Nobis accidit, quod rusticis, & agrestibus contingere solet hominibus: mapalibus innutriti, & ab hominum consortio semoti, si quando in eas rerum inciderint imagines, quæ à colorum splendore fulgorem proiiciunt, si spectent purpuram marino collucescentem flore, diadema verticem ambiens, & lapillorum luminosis ictibus oculos pulsans, dexteram, quæ mundi orbem globi specie digitis portare videtur, spectaculi illius percelluntur admiratione, extemplo correpti externam pulchritudinem vti veram suspiciunt; cùm tamen omnia illa colorum adminiculo fugata, & interna sint veritate carentia: non aliter nobis rerum imaginibus delusis contingit: magni habemus, quod oculos detinet voluptate, non quod interno præstat vigore: *Nemo gloriari nisi suo debet*, aiebat Seneca epist. 41. *vitem laudamus, si fructu palmites onerat, si ipsa ad terram pondere eorum, quæ tulit, adminicula deducit. Num quis huic illam præferret vitem, cui aureæ vuæ, aurea folia dependent? Propria virtus est in vite fertilitas: in homine quoque id laudandum est, quod ipsius est.* Itaque vera hominis felicitas ex virtute intrinseca, non ex his, quæ adiacent, est censenda. Hinc disces Deo chariorem esse, qui virtutibus excultus resplenduit, quàm qui diuitiis voluptatibúsque circumfusus emicuit. Huius veritatis satis gnarus noster Iosue, cùm beneficia in populum collata refert, primo loco Abrahamum ad veri Numinis cultum vocatum annumerauit: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruierúntque dijs alienis: tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanaan.* In parentum domo diues & opulentus degebat; Deus tamen peregrinari consulit, ne auitus illum error infuscet: non meminit diuitiis cumulasse, armentis gregibúsque repleuisse; sed ad veræ religionis cultum vocasse: vtque sua beneficia amplius commendet, relictis in Mesopotamia pluribus illum extraxisse commemorat: *Tuli ergo illum.* O quàm vti miserum fortè deplorabant Abrahamum Thare & Nachor, cùm voluptatibus, diuitiísque, ac mille commodis renuntiare viderent; verùm comprobabatur beatus, ob quod deplorabatur miserrimus: Nec solùm debebat Abrahamus Deo veræ religionis notitiam; sed relictis aliis electionis suæ specialissimam gratiam quandoquidem nulla cogebat causa, vt præ aliis Abrahamum deligeret, ad suámque familiaritatem vocaret. *Tradunt Hebræi*, scribit Hieronymus in qq. Hebraicis in Genes. *istiusmodi fabulam, quòd Abraham in ignem missus sit, quia ignem adorare noluit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus de idololatriæ igne profugerit.* Aptiùs nostro instituto Masius: *suam Deum præsentiam ipsi Abrahamo declarasse apud Vr, non huius parenti Thare, apertè exposuit Stephanus, cùm diceret Deum apparuisse Abrahæ, cùm etiam tunc esset in Mesopotamia.* Ipse Abrahamus, & cognati eius in Mesopotamia degebant; ipsi apparuit non Thare: ipsum vocauit, non patrem, vt de electione cresceret beneficium, cùm in Abrahamo nullum ad electionem præcesserit meritum.

Seneca. *In homine quod ipsius est, laudandum.*

Hieron.

Masius.

Dauid desertis ouium curam agebat; Deus tamen interim in cælo de apparando illi throno solicitus cogitabat: Samuele magno ministro vnctionis constituto ex filiis Isai rectè iubet inungi: *Veni & mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi regem.* Samuel extemplo obsequitur, & sacrificio ritè peracto iam ad vnctionem accingebatur. Ecce prestò erat Samuel, & filiorum Iesse chorus circumstabat: ignota erat de vnctione diiudicandi ratio, & medius propheta, quem eligeret, dubius hærebat, dúmque humanis oculis externa mensus, pulchrum elegantémque, ac maiorem natu Eliab eligere festinat, Dauidis electionem commendat: *Adduxit Isai septem filios suos coram Samuele.* Natiuitatis ordo filios omnes offerebat, & præ Dauide vngendos adlaborabat; verùm gratia dum siluit, omnes manifestè repudiauit: tandem Dauid adducitur, & in regem consecratur. *Tulit Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius:* Dispiciamus attentiùs, quid interterit in mapalibus vngi, aut in fratrum medio consecrari. Si Dauid est thronis inaugurandus, cur clarè non dixit: Vngatur mihi Dauid; sed communi celat vocabulo? Quid necesse est oculis decerret propheta, & maiores fratres vnctione censuerit dignos, si illos Deus fastidiebat dignissimè repudiatos? O arcanam diuinæ electionis gratiam! In medio fratrum eligitur, vt nihil tribuatur naturæ; sed omnia adscribantur gratiæ, & aliorum fratrum repudiatio sit beneficij cælestis accretio, quandoquidem cùm eadem omnibus esset natura, vtpotè ab eisdem parentibus satis; imò in aliis, si externa spectes, plura, quæ illos preponerent, & throno eligerent; Dauidem sibi præ reliquis elegit gratia, cùm censetur puerulus ad sceptra. In medio fratrum eligitur, vt cumulatiùs luxerit beneficium, quãdo, cùm aliis posset, illi soli præstitit phiala olei sacrati suffragium. Innuit Basil. Seleuc. orat. 14. *O sapientiam immortalem, ô arcanam miraculi editionem! Et filium tegit: non clarè dixit: Vngatur mihi rex Dauid; sed, Prouidi in filijs Isai. Ne enim humana videatur esse gratia vnctio, neve electio Samuelis regni adiectio, communi filiorum appellatione filium istum tegit, & ad populum mittit.* Tota erat vnctio gratiæ, quando & repudiabat naturæ dotibus præditum, & eligebat extrinsecis minus ornatum. O quas grates rependere tenebatur Dauid, dum memoriam subibat, se in medio fratrum præ illis electum, & tot fratrum numerum refutatum. Profectò qui religiosam profitemur vitam, ni summa obscuremur ingratitudine, debuissemus sæpiùs recordari amicos cognatósque nostros sæculo derelictos, nósque ad perfectiorem religiosæ vitæ tenorem cælesti benignitate translatos, quin hanc Numinis misericordiam nostra promeruerint merita; imò cùm contradixerit sæpiùs flagitia. O me miserum, qui cùm plurima debeam gratiæ, confundor maculatus tenebris culpæ! 49.

1. Reg 16. v. 1.

Decertabant de dignitate Sacerdotali nonnulli 50.

nulli Deus, vt litem dirimat, virgas tributim accipi imperat: omnes exuccæ, omnes fasciculo colligantur frondibus orbæ: in conspectu tabernaculi collocantur, & iam sequenti die Aaron virga gratissimis adornatur flosculis, & saporatissimis ditescit amygdalis: *Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Si Deus florescentis virgæ sententia ambitiosam parat litem extinguere, cur statim non fecit Aaronis virgam coram populo florere? Quid necessum est in fasciculo colligari, si solam Leui virgam venustatis decreuerat frondibus redimire? Profectò Deus, dum è fasciculo solam Aaronis virgam secernit, ad gratitudinem cogit, si seiuncta germinaret, fortè plus superbia, quàm extrusis gemmis turgesceret, nec sibi æqualem cognosceret; at dum ipsa solùm inter æquales reflorct, nihil peculiari natiuæque excellentiæ; sed omnia diuinæ dignationi tribuenda agnoscit. Quid in hac virga præ aliis oculos alliceret, quando & æqualis omnibus erat mensura, quando eadem venustatis orbitas & maturi vitoris siccitas? O quàm virga illa, si rationis capax, gratam se exhibere debuisset, dum relictas alias, séque stabili venustate aduersus temporis adsultus ornatam in memoriam reuocasset; de aliarum virgarum repulsa auctum est beneficium, de floribus intextum est ornamentum: *Duodecim virgæ*, scribit Gregorius lib. 14. mor. cap. 29. *iuxta duodecim tribus in tabernaculo poni iubentur, & virga Leui viruit.* Viruit inter duodecim, vt, cùm aliarum intuetur repulsam, cumulatiorem sibi impertitam cognoscat gratiam. O quot iuuenes, quot fœminæ non in viuentium; sed in morientiū erant fasciculo colligati, quos Deus vt gratis virtutum floribus redimiret, ferè violenter sæculo extraxit! Profectò virgæ aliæ eodem modo oculos intuentium allicerent floribus exornatæ, si quæ Aaronis virgæ, cælestes dotes concessæ.

Num. 17. v. 8.

Gregor.

51. Vt Iacob se maximis beneficiis obstrictum deprædicaret, cum Esau fratre eodem tempore maternis è visceribus nascitur, & natura contradicente præfertur: frater patris sibi obsequiis promeruerat affectum, sacerdotales habebat vestes maioritatis clarissimum testimonium; verùm Rebecca etsi æquali naturæ erga vtrumque vinculo teneretur, maiori gratiæ beneuolentia erga Iacobum afficiebatur: pium admonet dolum, optimis excolit indumentis, saporatissimis instruit obsoniis, & tandem ad benedictionis promouet gratiam, & primogeniti gloriam: *Dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam, & benedicam tibi coram Domino, antequam moriar: Nunc ergo fili mi, acquiesce consilijs meis.* Si vnicus esset, benedictionis gratiam naturæ legibus sibi debitam reputasset; at cum fratrem videt repudiatum, collatum agnoscit sibi maximum beneficium. Et quis adeò agrestis, & intractabilis sit, qui dum recordatur alios potuisse eligi naturæ dotibus præstantiores longéque excellentes; & tamen se præ illis à Numine electum, & ad perfectiorem vitam vocatum, grates non rependat in copiosas effusus lachrymas, & propriæ vilitatis agnitione redactus in Numini gratas humilitatis fauillas? *Rebecca, id est, mater gratia*, inquit Rupertus apud Lippo-

Gen. 17. v. 5.

Rupert.

Naxera in Iosue. Tom. 2.

man. *cuius affectus ab humano affectu patris Isaac in alium filium declinauerat, iuniorem filium, id est, populum gentium subintrare suasit ad præoccupandam hæreditatem benedictionis.* Gratia suasit, & sua cumulatiùs adornat beneficia, cùm ob dilectionem iuniori procurauit augmenta. Tanto maiores Iacob tenebatur gratias reddere, quantò minoribus se titulis recordaretur ornari. O arcanam cælestis gratiæ dignationem. Antequam quidquam boni aut mali fratres egissent, Iacobum dilexit, fratrem repudiauit, vt de alterius reprobatione alterius esset electio gratiosior, & affectus tantis semper beneficiis penderet gratias obstrictior.

---

§. XII.

Deus pluris habet semper virtuti dicatum, minoris vanitati aliquando adscriptum.

VT pura relucentiáque è Dei manibus ad nos promanarunt beneficia, sic à nobis non adulterata; sed incorrupta impendi debent obsequia: quod aliquando sæculo adscriptum, quod humanis commodis aut vanitati dicatum, contractis maculis sordescit sæpiùs obscurum: ab origine Numini consecratum, plus inuenitur syncerum. Opportunè aiebat Seneca lib. 1. de benef. cap. 12. illa beneficia pluris æstimari, quæ antea præter accipientem nulli constabat offerri. Audi eius verba. *Illa quoque non erunt sine honore, quæ aut nemo illis alius dedit, aut nos nulli alij. Alexandro Macedoni, cùm victor orientis animos supra humana tolleret, Corinthij per legatos gratulati sunt, & ciuitate illum sua donauerunt. Cùm risisset Alexander hoc officij genus, vnus ex legatis: Nulli, inquit, ciuitatem vnquam dedimus alij, quàm tibi, & Herculi. Libens accepit delatum honorem, & legatos inuitatione, aliáque humanitate prosecutus, cogitauit non qui sibi ciuitatem darent; sed cui dedissent.* Dum ciuitatem ab exordio Herculi, vt rebantur, Numini audiuit adscriptam, æstimauit vti pretiosam, depretiaret quidem, si indignis agnosceret dedicatam. Et quidem quantumuis Heroi tunc offerretur, primæ dedicationis, si minus dignæ, nō facilè elueretur nota, quantumuis honestare laborasset industria. Hinc Deus, vt hanc homines edoceret doctrinam Abrahamum magni apud se habitum semper ostendit, vtpotè ab exordio veri Numinis seruum, nec idololatriæ, vti alij, erroribus contaminatum: *Trans fluuium*, inquit, *habitauerunt patres vestri ab initio Thare pater Abraham, & Nachor, seruie runtque dijs alienis: Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamia finibus.* His verbis censet Abul. q. 6. indicari Abrahami maiores idolis addictos, ipsum tamen nunquam execrandis idololatriæ suffitibus obscuratum: quod ad eximiam Abrahami laudem pertinebat: si enim aliquādo idolis inseruisset addictus, apud Deum forsitan non tanti luceret habitus: *Cognatio Abraha, scilicet Nachor cū posteritate sua adorabat idola; si autem mansisset Abraham in Mesopotamia, fortè ipse, vel cognatio eius declinaret ad idola: & quia Hebræi erāt populus Dei per hoc quòd ipsi colebant Deū specialiter, & Deus faciebat eis specialia beneficia, primū ad hoc necessa-*

52.

Seneca.

Abulens.

rium erat; quòd segregarentur Iudæi ab idololatris. Abraham Dei familiaritate ornandus omnem idolorum ignorat cultum, omne execrandi cultus peccatum.

Magnum beneficium ab improbis separari.

53. Bis tradunt plures Magdalenam Christum Dominum perunxisse: nam cùm Pharisæus humanissimum Dominum inuitasset, illa importuna conuiuio; sed opportunissima obsequio pedes lachrymabunda vngebat vnguento: *Osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Vnguentum hoc apud Lucam non ea odoris refertur fragrasse excellentia, vt irritaretur inuidia; verùm cùm apud Matthæum cap. 26. pretioso vnguento perungitur, & apud Ioan. 12. tota domus odore repletur: *Accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.* Audi Ioannem: *Maria accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis, & domus impleta est ex odore vnguenti.* Iam curiosos pungit scrupulus, cur Lucas vnguento non caput; sed pedes delibutos retulerit, cùm Matthæus caput obsequio illo delinitum narrarit, cur etiam alibi tota domus excellenti redoleat fragrantia, alibi peculiaris odoris non prodatur excellentia. Rupertus ingeniosè ac nostræ thesi opportunè lib. 10. in Ioan. tradit, ideò alibi suauissimum fore odorem perceptum: quia pistica, hoc est, non adulterata nardus; alibique Dominum, etsi humanus acceptauerit pœnitentis vnguentum, pedibus dedicasse; aliud verò capiti vngendo adscripsisse: quia illud sibi, non Deo comparauerat, humanum oblectamentum, non religiosum officium; hoc verò ab ab exordio dicauit religioso obsequio pietas, non deliciis humanis vanitas. Accipe Rupertum: *Accepit libram vnguenti nardi pisticæ pretiosi, libram, inquam, vnguenti, id est bonam & perfectam mensuram piæ seruitutis; pistici autem vnguenti, id est fidelis & sine adulteratione.* Addit post pauca opportunior: *Non enim frustra hic Euangelista, cùm Matthæus & Marcus apertè dixerint hoc vnguentum effudisse super caput ipsius recumbentis, scribit quod & illi tacuerunt, scilicet, quia pedes quoque eius illo vnxit: nam reuera, quando primùm ad Dominum accessit, tunc vnguento, quod non propter Dominum ipsum emerat; sed ob fragrantiam sui corporis vegetandam composuerat, solos vnxit pedes Domini: nec enim poterat peccatrix statim capite eius digna fieri; nunc verò iam iustificata, & dilecta vnguento, quod propter hoc ipsum emerat, tam caput, quàm pedes perunxit.* Vtrumque Dominus admisit officium; verùm quod intentio priùs vanitati dicarat, & postea in debitos vsus pœnitentia conuerterat, vngendis pedibus deseruire voluit vnguentum; quod verò semper diuino obsequio religiosum dicauit votum, verticem liniuit effusum, vt iam ipsis nos actionibus edoceret apud Dominum pluris haberi, quæ semper ipsi dicata, quàm quæ ab aliis ministeriis in debitos prudentiæ consiliis vsus conuersa.

Luc. 7. v. 38.

Matth. 26. v. 7.

Ioan. 12. v. 3.

Rupert.

54. Quale diuinæ pietatis munus Abrahamus acceperit, sacrificium illud sæculis decantandum testatur: accepit libenter, quod dabatur serò, quod eximiæ profectò deuotionis probabatur elogium, Sara iuuentutis munus in senecta subiuit, & Abrahamus acceptum filium altaribus dicans sacramentum fidei impleuit: vnicus ille filius grandæui senis postulatur ad victimam, vt dum maior pietas & commiseratio iugulando puero debetur sacrificij arduitas opus commendarit, & penè diuinum parentis animum, omnique affectione defæcatum sæculis venturis prodiderit. Non contristauit frontem deuotissimus Abraham, non elatis naturæ fluctibus absorptus est, non internos gemitus deglutiit: sic namque gestiebat præstitisse Domino obsequia, vt plus opus fuerit cordis temperasse gaudia. Iam de rudi cæspite, aut impolito lapide erecta surgebat ara egregij facinoris columella, non funestæ mortis memoria: iugulum ipso fideli parente fidelior filius offerebat, cùm vox è cælo ruit, quæ manum liget, & virile animi propositum laudet: *Non extendas manum tuam suprà puerum.* Suspensa est dextera quousque innocens aptaretur altari victima: *Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Hæc omnia arcana & futurorum figura. Inquiramus cur ara sacrè ambitiosior lubentiùs agnum admiserit, etsi Isaacum non repudiarit? Textus aliquomodo innuit, dum Isaacum non ab initio holocaustis; sed parentibus retulerit natum. *Quis auditurum crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?* Ecce Isaac nascitur non altari; sed seni; at agnus, vt Hebræi tradunt, à mundi exordio dicatus fuit sacrificio, designatúsque holocausto: licèt ergo vtraque hostia Deo acceptissima fuerit; prætulit tamen altari semper dicatam, & sacrificiis adscriptam. *Iudæi dicunt*, scribit Abulensis, *quòd iste aries fuit creatus in die sexta, quando Deus creauit animalia terrestria & hominem.* Adstipulatur Lyra: *Dicunt Hebræi quòd ibi fuit paratus à principio creationis mundi.* Hæc profectò Rabbinorum deliria; possunt tamen aptari moribus documenta: nam dum aries ab exordio religioni dicatus, Isaaco genito parentibus cælesti designatione præfertur, innuitur pluris apud Deum haberi omnino sibi dicata, quàm aliquando creaturis addicta: Isaacus parenti natus refertur: *Quem peperit*, inquit, *ei iam seni:* aries ab exordio altaribus consecratur: licèt ergo qui priùs parenti natus, & altaribus posteà adscriptus diuinum promeruerit elogium; agni tamen Christi ænigmatis diuino semper cultui adscripti præfertur prudentissimè sacrificium: vt qui Deo placere gestiunt, discant nulli creaturæ dicari; sed pura semper intentione Numinis obsequio inseruire.

Gen. 22. v. 12.

Gen. 21. v. 7.

Abulens.

Lyra.

Succedat sibi Abrahamus: pietatis venator nec torridos æstus timet, nec Solis ardores expauet: transeuntes obseruitabat, non vt dispoliaret habitis; sed vt honoraret obsequiis: ne minùs pollet gloriari virtus, ac iactabatur scelus: nam si iniquitas prædatores obiecit descendenti ab Ierusalem insidiantes, quo furaretur aurum, pietas etiam Abrahamum in itinere collocauit, quo transeuntibus pium exhiberet obsequium. Certè si gloriatur iniquitas pro vno Abrahamo plures habuisse latrones: ait enim textus: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum:* etiam iactabunda gloriatur æquitas habuisse hominem, qui erga plures (apparuerunt namque ei tres viri) charitatis exerceret obsequia, si erga vnum grassatores plures perpetrauere flagitia. 55.

Luc. 10. v. 30.

Hic

Hic ergo Abrahamus, vt accedamus thesi, meridie prætergredientes obseruitabas, cùm tres illi cælestes viri obiciuntur, vt sacris nundinis, dum religiosa acceptant obsequia impertiantur largissima beneficia. Inter alia, quæ deuotio liberalis dictabat, Saram monet, vt acceleret, triáque sata similæ commisceat, vt panes subcineritios hospitibuscoquat: *Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcineritios panes.* Profectò opus ab studio discordare videtur: num si festinam disponit explicare mensam, quid necessium est recentes conformare, quando in adeò opulenta domo non poterant deesse panes: cur ergo communes alios non vult apponi; sed tres studiosè iubet formari. Ea se mihi ratio offert: alios panes non ea intentione; sed pro seruorum alimento efformatos, hos verò ex primæua intentione ad obsequium Domini coctos: cùm ergo vir prudentissimus probè agnosceret pluris apud Dominum haberi, quæ ab initio sibi dicata, quam ab aliis vsibus in sui obsequium conuersa, noluit communes panes aponi; sed siligineos formari. Innuit aliquomodò Abulensis: *Satis patet quia pro tribus viris mandauit parari tria sata similæ: simila est delicata farina, quasi flos farinæ, quæ aliquando vocatur adeps frumenti.* Alij panes parati fuerant pro familiæ sustentatione: si ergo viris apponerentur, ab ignobiliori ad excellentiores vsus transirent, qui verò hoc animo cocti, nobilissimi ab exordio Domino formabantur, & nulli vnquam vsui adscripti dedicabantur. Hos ergo religiosa Abrahamus deuotione voluit apponere: quia nouerat plus placere.

Gen. 18. v. 6.

Abulens.

---

§. XIII.

Qui nobilissima venâ exorti, ad maiorum laudes aliquid addidisse tenentur gloriosis stimulis incitati.

56. CLarissimis exoriri natalibus vt morigeris magna est gloria, ita & summa degeneribus ignominia. Laudant sæcula purissimæ venæ nitorem: quia egregiam commendat semper maiorum virtutem: indecorum est committere erratum, qui in maiorum factis nullum ad excusationem inuenire potuit exemplum. Gloriosum est decantatorum parentum institisse vestigiis, & similibus maiores reproducere factis; verùm etsi laudabile sit à sua nunquam origine discrepare, laudabilius est gestis præclaris excedere. Qui ab heroibus agnoscuntur exorti, maiora tenentur addere claræ originis lege compulsi. Opportunè Cassiodorus 8. variarum 10. *Tu post patris præfecturam laudabilem aliquid, quod melius prædicetur, adiunge: quia diligentior semper esse debet, qui sequitur, dum bona parentum probabiliter & imitari cupimus, & vincere festinamus.* O quàm gloriosum maioribus est à posteris vinci, quàm generosis posteris dignum ad meliora maiorum actionibus vti innatis stimulis concitari. Gloriosa prosapia, quæ venerando semper cæspite pullulat, & incrementis semper nobilioribus radiat. Quid felicius, quam proceres habuisse maiores? Quid laudabilius, quàm maiores habere sequentes? Ecce Deus, vt gloriosissimam Hebræorum stirpem deprædicarit, post Abrahamum generis patrem resplenduisse testatur Isaacum: *Tuli patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanaan, multiplicaui semen eius, & dedi ei Isaac.* O quàm inuidenda sæculis erat prosapia, in qua egregia parentis facta filij honestissima euincebant facinora! Abraham, vt Domino obsequeretur, reliquit patriam; sed Isaacus sacrificauit altaribus innocentissimam vitam: Deus tulit patrem non sine magnificis promissionibus, de Mesopotamiæ finibus: *Tuli patrem vestrum Abraham:* Abrahamus tulit filium, vt florentissima ætatis iuuentute immolaret, & Domino immolatum offerret: *Tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum.* Profectò fidelis Abrahamus, dum obtemperat, dum carnalem generationem repudiat, dum futuris commutat præsentia, & possidendis iam habita; fidelior tamen Isaacus, dum non solùm carnalem dediscit parentelam, sed sacris offert altaribus lubentissimè vitam. Audi Zenonem serm. 1. de Abraham: *Lætatus est puer patre fideli ipse quoque fidelior, nec recusabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat imperabat.* Abrahamus suam fidem commendat, patriam, vt peregrinetur spernens; filius tamen hoc patris facinus gloriosè vincit, non solùm patriam; sed vitam, vt promereatur Dominum, derelinquens. O quàm sæculis erat decantanda progenies, in qua fidelem patrem fidelior secutus est filius! Profectò Isaac, dum fidelissima origine procreatus, ad illustria facinora maiorum exemplis compellebatur incensus: Patris fides filium adurgebat, & filij fides patris fidem nobiliter obscurabat: alter renuntiat patriæ, & alter renuntiat vitæ, vt quasi geminatis luminibus felicissima vena resplendeat, & celebranda venturis sæculis floreat.

Cassiodor.

Gen. 22. v. 6.

Zeno.

Succedat alius Abrahamo parenti filius Zachæus ille, qui dum Dominum hospitio excipit, & æternam sibi sæculis famam procudit: Dominus diuitis domum intrat, quò diuitias per se virtutis non esse impedimentum edoceat, & totam domum stabili salute donari pronuntiet: *Hodie salus domui huic facta est, eoquòd & ipse filius sit Abrahæ* Sanctus Bruno serm. de dedicatione Ecclesiæ Abrahæ nomen asserit pronuntiatum ad Zachæi gloriam, & Dominum hospitio exceptum ad gloriosam parentis inuidiam: exceperat Abrahamus olim tres Angelos; Angelorum filius excepit Dominum: vicit filius patris obsequium, iniecit pater de exemplo stimulum, dumque pietate pater & filius decertant, generationis seriem honoribus multiplicatis irradiant: quid enim Zachæo gloriosius, quàm vocari parentis religiosissimi filium, originémque traxisse ab homine, apud quem cælestes spiritus diuerterunt, cuiusque tabernaculum non tam fumosis imaginibus, aut cruentis stemmatibus refulgebat, quam charitatis operibus emicabat? Quid Abrahamo optabilius, quàm habere filium patris facinora superantem, & factis nobilioribus euincentem? Brunonem accipe. *Qui huius domus habitator est, iam non publicanus; sed filius Abrahæ: Abrahæ namque filij sunt, quicumque Abraham imitantur, & Abrahæ opera faciunt: & Abraham quidem Angelos: Zachæus verò Angelorum Dominum hospitio suscepit.* Patris exempla ad magna filium cogebant; sed filij opera patris facinora superabant, dúmque iucundissimo certamine opera operi

57.

Luc. 19. v. 5.

Bruno.

operibus contendunt, prosapiæ elogia dignissimè incrementantur. Pater Angelos, Zachæus Angelorum Dominum excipit: pater ampliorem numerum, filius grandius minori numero pretium: *Abraham quidem Angelos, Zachæus verò Angelorum Dominum hospitio suscepit.*

58. Apoc. 12. v. 1. Fortassis huc spectabat signum illud, quod Euangelista deprædicauit sæculis magnum: *Signum*, inquit, *magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Magnum profectò signum, amplissimum adeò astrum angustum fœminæ non fuisse ornamentum: adeò pompaticè nostro sæculo fœminæ incedunt, vt addubitare possit an Solares sufficiant radij. Profectò signum magnum erat fœminam tot luminibus fulgurantem cælo inseri, & cultis moribus exornari; verùm inquiramus quæ huius signi præcipua sit magnitudo. Innuit textus: *Amicta*, inquit, *Sole, & in capite eius corona stellarum duodecim.* In stellis maiores designari tradit Rupertus apud Glossam: *In capite huius mulieris corona stellarum, duodecim Patriarchæ, itémque in initio renascentis eiusdem duodecim Apostoli notissimi, ac splendidi dinumerantur.* Rupert. Ergo eius magnitudo deprædicatur, cùm splendidissimis maioribus orta dignoscitur, & maiorum lumina supergreditur: si huius mulieris caput examines, inuenies Abrahamum sæculo celebrem, Isaacum obedientia mirabilem, Iacobum dilectione inuincibilem, Dauidem regia dignitate & moribus commendabilem, quod summum eius elogium est, & cùm tot luminibus orta prodatur, fulgentioribus radiis quodammodò lumina illa occuluisse conuincitur: syderibus addidit Solem: *Amicta*, inquit, *Sole*, vt de progenitorum gloria niteat coronata, & progenitorum gloriam vincat solaribus radiis vestita: Videbatur ad suorum laudes nihil addere potuisse; & tamen inuenta est maiores illustrioribus factis latè longéque superasse. O quanta erat parentibus gloria à filia vinci, quanta filiæ ex celeberrimis adeò progenitoribus nasci!

59. Christus Dominus per medios Tyrios, & Sidonios transibat, cùm mulier Chananæa fide genus refutans, & se quodammodo Hebræorum nobilitati inserens misericordiam exertis clamoribus deprecatur: *Miserere mei, Domine fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur.* Matth. 15. v. 22. Vt ad commiserationem commoueat, tragicam calamitatem exaggerat, & Dominum Dauidis filium appellat: *Fili Dauid.* Et cur modò Dauidis commemoratio? Quia Dauid olim contra impuratum spiritum gratiâ pollebat: retractabat citharam, & cantus vice medicaminis erat, tergáque vertere compellebatur aduersarius cantu vti telo percussus: ergo prudens mulier filium memorat Dauidis: quia gloriosum erat Domino parentem partis à dæmone triumphis coronatum habere, gloriosissimúmque Dauidi à potentiori filio superari, quandoquidem Dominus non citharæ retractatione; sed iussione dæmones abigebat: nec vnum, vt parens, solùm; sed dæmones omnes imperij sui catenis durissimis illigabat: *Pertransiit*, clamabat Petrus, *benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam Deus erat cum illo.* Act. 10. v. 38 Omnes gehennales furias vincebat filius, vnam, aut alteram pater, quo & in parente gloriosa facta præcesserint, & in filio illustriora semper radiarint: *Omnes oppressos, non paucos, aut plures*, inquit Hugo: Hugo. filius omnes, pater vnicum superauit: *Loquebatur tantùm*, scribit Basilius Seleuciensis de Dauide orat. 14. *& hostis vincebatur, & lyræ melos veluti telum iaciebatur in dæmonem.* Dauid in dæmonem præualuit cantu; sed filius in omnes dæmones iussu. Seleuc. *Ne mireris*, ait Basilius, *si cum regno in dæmonem quoque vires acceperit: nam Christi pater secundum carnem Dauid fuit.* Dauid quia Christi Domini pater futurus, à dæmone tulit trophæa, quibus nobilitaret prosapiam; at filius sic maiorum facinora nobiliter obscurauit, vt non vnum aut alterum ad ima detruserit; sed dæmones omnes exterminarit.

Iacob morti proximus, vt suam Iudæque felicitatem elogiis dignissimis prædicaret, sic ait: 60. *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo.* Gen. 49. v. 9. Septuag. Septuaginta legunt: *Ex germine fili mi ascendisti*: vtrumque iunxit, vt prosapiæ gloriam cumulatiùs ostenderet, Iudam scilicet leonis catulum nobilissima de stirpe ortum, maiorum exemplis ad inimicorum prædam stimulatum, & propria virtute leonem omnibus adorandum effectum: parum namque esset, si animi virtus originis pateretur nebulas, aut si actionibus indecoris obscuraretur originis claritas; verùm dum actiones originem ornant, originísque nobilitas facta commendat, gloria cumulatissima progenies resplendet, & de illustrissima stirpe, & de nobilissima actione. Adest opportunè Gennadius apud Lippoman. Gennad. *E germine fili mi ascendisti, hoc est, auctus es & exaltatus tamquam ex bona quadam radice mea truncus floridus.* Adstipulatur Caietanus: Caietan. *Catulus leo Iuda, vt duo describantur status Dauidis, alter catuli, alter leonis: Iuda enim in Dauide priùs fuit velut pullus leonis, videlicet ante bellum motum ab Ammonitis: postcà verò fuit leo, vt patet legenti gesta scripta in libris Regum.* Dum catulus oritur, ad prædam de nobili flamma originis exacuitur, dum vincit leo parentum nitor augetur, alternísque laudibus se patres, filiíque coronant, dum maiores posteris virtutem, si fas est dicere, hæreditariam transfundunt, dúmque posteri factis antecessores nobilissimis semper excedunt.

---

§. XIV.

Virtutis asseclæ satis non est à vitijs recedere; sed à vitiorum etiam confinio debet distare.

Sapiens timore semper percellitur, non quidem cæcæ illius, quam antiqui amenter effinxere sibi, fortunæ; sed quam veretur animus, culpæ: digno pretio prudenter virtutem habent, cùm paruipendant quidquid fulget, si extra virtutem. Stilpon capta patria, amissis liberis, sublata vxore cùm ex incendio publico solus euasisset, Demetrio ipsum roganti. Num quid perdidisset, respondit: *Omnia bona mea mecum porto.* Stilpon. nam existimauit vir fortis ac strenuus externa paucis habenda, & solùm virtutem, & quæ ad virtutem pertinent, magni æstimanda: Omnia, inquit, mea mecum sunt, iustitia scilicet, virtus, temperantia, prudentia, ex quibus nil à fortuna potest 61.

potest eripi, cùm susque deque cætera contingat agi; verùm quisquis virtuti dicauit animum, ab improborum debet non solùm separari consortio; sed etiam à prauitatis distare confinio: nescio enim quid veneni in optimos ipsa regio mores exhalat. *Ad hos te voco*, aiebat Seneca epist. 14. *qui à Republica exclusi secesserunt ad colendam vitam, & humano generi iura condenda sine vlla potentioris offensa*. Non excolitur vita inter tetros vitiorum fumos, inter obscœnę libidinis æstus. Certè rogus, dum inardescit validiùs, proximos vrit; distantes torret. Quàm benè aiebat loco citato Seneca: *Perit aliqua nauis in portu; sed tu quid accidere in medio maris credis?* Post traiecta longissima maria, post retusam insanorum gurgitum violentiam quis appulit portum: iam se cogitauit tutum, & à periculo prorsus alienum; verùm dum detinetur mari, & obnoxius viuit discrimini: *Perit namque aliqua nauis in portu*. Vt hanc nobis Deus veritatem testatam fecerit, cum Abrahamum his suos, vtpotè idololatria infectos deserere monuerit, illum semel tulisse refert, cùm scilicet in Haran degenti apparuit: *Tuli patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanaan*. Abraham de Vr Chaldæorum extractum diuinis pulsibus vsque ad Mesopotamiæ fines confugisse, Genesis 11. habetur expressum: *Tulit itaque Thare Abraham filium suum, & Lot filium Haran, filium filij sui, & Sarai nurum suam, & vxorem Abraham filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan, veneruntque vsque ad Haran, & habitauerunt ibi*. Ecce in Haran degenti Deus de terra, & de cognatione iterum egredi iubet: *Dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, & de cognatione tua*. Ex his clarè constat Abraham bis diuino pulsu motum, & relicta terra profectum; solam tamen secundam profectionem Deus in beneficiis numerat, séque admonuisse clariùs ostentat. *Tuli*, inquit noster textus, *patrem vestrũ Abraham de Mesopotamiæ finibus*. Et cur non addiderit: Tuli de Vr, & adduxi vsque ad fines Mesopotamiæ? Ipsum dubium non dubium est quæstionis responsum: Abrahamus Vr reliquit; sed adhuc in Mesopotamiæ finibus mansit: Ergo dum ab idololatræ regionis non distat confinio, nec virtutis assectarum honoratur vocabulo, neque adiectus refertur numero. Audi Lyram ad Genes. 12. *Quæritur quomodò hoc sibi dicitur, cùm iam diu antè egressus fuisset inde cum patre suo, vt prædictum est?* Respondétque: *Egredere de terra tua, id est longiùs recede ab ea, & hoc videtur per litteram Hebraicam, quæ sic habet. Vade tibi de terra tua; ac si diceret: pro vtilitate tua valdè longiùs à terra tua*. Tunc solùm à Domino refertur eductus, cùm degit a Mesopotamiæ finibus separatus: secessit priùs de Vr chaldæorum; sed quia regioni illi degebat adhuc vicinus, nondum deprædicatur egressus: vt discamus satis non esse respuere vitia, si vitiis quis habitauerit proxima: nam ille vitiorum calor sulphureus gratum virtutum virorem depascit, & tellus ipsa tetro vapore corrumpit.

Seneca. Gen. 11. v. 31 Gen. 12. v. 1. Lyra.

62. Moyses Ægyptios fugiens inter pastores Madianitas degebat; hic bona fide augebat gregem, & laudabili colebat pertinacia virtutem, non tamen illi Deus obiicitur, nec cælesti aliqua donatus visione refertur, quousque à cæterorum segregatus consortio interiora petit deserti, campos herbidos, irriguósque nullo anteà grege delibatos suis ouibus prouidenter requirit, & omnem laborem, vt impleat munus, solertissimè posthabet. Deus illi mirificum ostendit portentum: nam rubus spinosus & inualidus voraci flamma correptus inter ignium globulos non solùm videbatur non adustus; sed ipsis flammis in modum fontium irrigantibus floridus: *Cùm minasset*, inquit, *gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb; apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*. Et cur sua Deus distulerit beneficia, cùm Moyses digna tanto seruo exhibuisset Domino obsequia? Regalem spreuit pompam, & laboriosam pastoris amplexus est, & quidem lubenter, vitam: vt nescias an laude dignior de labore admisso, an de fastu repudiato. Ea mihi se offert ratio: adhuc inter vitij cultores vixisse, nec à regione illa distare; at dum monti Dei approximat, & mirabile rubi prodigium spectat: erat namque necessum, quò ad Dei admitteretur colloquia non solùm vitium, sed vitiorum etiam effugisse confinia: quod bene calluerat ipse Moyses, dum ait: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*. D. Ambrosius, & Gregorius ex Septuaginta legunt: *Transiens videbo visionem hanc*. Transire voluit, quia nouerat se nisi vitia, & vitiorum confinia transiret, posse nullatenus visionem cælestem liberis oculis spectare. Accipe Ambrosium lib. 1. de pœnitent. cap. 14. *Moyses transiens sæcularia flumina vidit visum magnum, & ait: Transiens videbo hoc visum: si enim fuisset in corporis vitijs, & sæculi istius lubricis voluptatibus, tanta non vidisset mysteria*. Adstipulatur Gregorius apud Lippomanum: *Quod iuxta Septuaginta: Transibo, & videbo legitur, magnum nobis mysterium indicatur: viator quippe dicitur, qui præsentem vitam viam sibi esse & non patriam attendit, qui in dilectione prætereuntis sæculi cor figere despicit, qui non remanere in transeuntibus; sed ad æterna peruenire concupiscit*. Ad montem Dei necessum est peruenire, qui cælestis vult patriæ dulcedinem prælibare: Moyses, dum in Madian regione degit, nondum prodigium adspexit, etsi Ægyptum generosus effugerit.

Exod. 3. v. 1. Ambrof. Gregor.

63. Lot Sodomam deserens ad Segor paruam ciuitatem confugit, ibi morabatur, cùm montem inscendisse festinat, & terræ vicinitatem fugere properat: *Cùm subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus Abrahæ liberauit Lot de subuersione vrbium, in quibus habitauerat, ascenditque Lot de Segor, & mansit in monte: duæ quoque filiæ eius cum eo: timuerat enim manere in Segor*. Quærunt interpretes, cur Lot accepta incolumitatis tessera adhuc timore concussus fugerit, cùm priùs in Segor diuino protectus auxilio manserit? Respondet Caietanus veritum fuisse, ne ardentis ciuitatis longam per planitiem extenderetur flamma, quæ magna illi si non vitæ pericula, saltem aliqua pareret detrimenta: nondum se censebat incolumem, si incendio vinceret proximus; ideò ad montis abdita properauit festinus: & quidem vacillans Loti fides vtilissimam nobis attulit eruditionem, scilicet satis non esse ad incolumitatem properanter vitia effugere; sed necessum ab scelerum confinio distare. Opportunè Caietanus: *Ratio timoris fuit metus, ne flamma accensa planitiei extenderetur in Segor; & humana quidem ratione*

Gen. 19. v. 29 Caietan.

nè rationabilis fuit timor propter propinquitatem ad terram ardentem; manifesta tamen diffidentia Lot de verbis Angelicis hic apparet: promiserant enim seruare ciuitatem illam. Angeli ciuitatem omni periculo promiserant eximendam; verùm Lot post diuinam etiam promissionem extimuit flammam propinquam. Et quidem ipsa diffidentia propinquitatis maximum ostendit periculum, dum Lot de propinquitate timet subire naufragium. O quàm sibi ipsis imponunt, quámque cupiditati suæ blandiri gestiunt, qui effugiunt vitia, vt conscientiæ vitent latratus; in vitiorum tamen manent confinio, ne prorsus amandauerint appetitus. Ecce Lot vel diuina oppignerata sibi fide se non arbitratur incolumem, dum flammæ agnoscit affinem: extenditur namque aliquando vitiorum flamma, & dum obsistitur, si non adurit, infuscat.

64. Quatriduanum Lazarum resuscitat Christus ita cum mortuo, ac si cum viuo differens: *Prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes institis:* Dominus sepulchrales fascias iubet auferri, quò possit longiùs abire: *Soluite eum, & sinite abire.* Viduę filium tactu, vocéque exsuscitat, vt dolorem matris in gaudium vertat: *Resedit*, inquit, *qui erat mortuus, & cœpit loqui:* hîc non iubet sepulchrales fascias abscindi, nec vitâ donatum à feretro longiùs recedere: quæ omnia licèt tunc facta, nobis aliquid innuunt arcano silentio pressa. Iam si puero lethi signa auferri non iubet, quid necessum fuit, vt Lazarus & sepulchra desereret, & à sepulchro lõgiùs abiret? Benè est, quòd sepulchrales fascias adstantes soluant, quòd funestis illis integumẽtis denudẽt; at quid necessum erat, vt abiret, imperare, cùm opportunum videretur ad clariorem miraculi contestationem subsistere? O sapientiam immortalem! In Lazaro plenam Dominus resurrectionis formam nitebatur ostendere: ideò iussit absolutum sepulchralibus fasciis abire: viduæ filius omnem mortis caliginem non excussit, dum feretro insedit: nam cùm mortis non transiliret confinia, adhuc sustinebat & mortis probra. Ergo quia Lazarus plena debebat resurrectionis forma micare, & à sepulchro debuit longè recedere: vterq; resurgit; sed alter tantùm normam resurrectionis perfectæ docet: Lazarus namque & sepulchri excussit tenebras vitæ redditus, & ab omni sepulchri degit vicinitate remotus. Opportunè Chrisologus serm. 63. *Circa Lazarum quod geritur, totum singulare est, cuius mors, cuius resurrectio commune nil habet cum prædictis; quem circa & vis tota mortis impleta est, & forma resurrectionis plena resplendet.* Dum viduæ filius lethi non exuitur signis, dum feretro insidet, viuentium numerum plenè non auget: de mortis proximitate, de ad sepulchrum via, de sepulchralibus fasciis aliis habetur mortuus; aliis de loquela viuus; Lazarus verò, dum sepulchrum deserit, dum lethi non circumfert signa, dum longa degit distantia, verè à culpâ resurgentis futuris exhibet normam, & vtilissimam nostræ thesis tradit doctrinam: necessum fuit, vt mortis ligaturis iam absolutus longiùs abiret: ait namque: *sinite eum abire*, vt plena resurrectionis luce resplenderet: viduæ filio nescio quid ad resurrectionis cumulum defuit, dum vitâ donatus adhuc patiebatur feretrum; at Lazarus, vt in viuorum referatur censum, nec mortis patitur vmbras, nec sepulchrales sustinet fascias; sed à sepulchro remotissimus veræ resurrectionis ostendit formam.

Ioan. 11. v. 44

Luc. 7. v. 15.

Chrysolog.

---

§. XV.

Satis non est à sæculo recedere longa interualli distantia, nisi recesseris animi firma sententia.

VT sæpè accidit mediis in sæculis tumultibus habitantem deserta incolere, ita desertorum incolam animo copiosas per ciuitates vagari. Non solùm turbam; sed te ipsum teneris fugere, & à noxia cupiditate recedere: satis non est turbæ auersari consortia, si turbæ sequaris studia: *Quod vnum solitudo habet commodum*, scribebat Seneca epist. 10. *nihil vlli committere, non timere indicem, perit stulto, ipse se prodit.* O quoties ab hominum societate seiunctus improbas cupiditates ordinat, passiones irritat, noxia consilia agitat, & sibi & aliis pericula futura disponit: parum est secessisse corpore, nisi mundi strepitum effugeris mente: vt enim qui pestilentem febrim pectore fouet, siue solus, siue associatus inardescit, ita qui prauis cupiditatibus bellum non intulit, ardentissimam nutrit flammam, & remoto secessu, & confuso vrbis tumultu. Deus in beneficiis populo collatis censet tulisse Abrahamum de Mesopotamiæ finibus, & adduxisse in terram Chanaan: *Tuli patrem vestrum Abraham de Mesopotamia finibus, & adduxi eum in terram Chanaan.* Si recolamus historiam, non solùm Abraham eductus est de Mesopotamiæ finibus, vt Chanaan regiones incoleret; sed de Vr Chaldæorum, vt Mesopotamiæ finibus propinquaret: ait enim textus: *Tulit itaque Thare Abraham filium suum, & Lot filium Haran filium filij sui, & Sarai nurum suam vxorem Abraham filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan, venerúntque vsque Haran, & habitauerunt ibi.* In Haran habitabat iam Abrahamus, quando Deus ad interiorem regionis prouinciam iterum peregrinari præcepit: *Dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, & de cognatione tua.* Cur ergo bis eduxisse non referat, aut quomodò de terra sua iam egresso, vt egrediatur de terra, iubeat? Huic difficultati respondet Lyra Abrahamum à terra sua longa abfuisse loci distantia; sed adhuc terram suam vel ab illa distantem incoluisse animi studio, & voluntatis decreto. Licèt ergo Haran habitauerit, egredi à terra iubetur, nec primus recessus à Domino computatur: vt noueris illos solùm à mundiali tumultu recedere, qui firmo animi separantur studio, non qui longo temporis interuallo. Adest Lyra: *Quæritur quomodò hoc sibi dicitur, cùm iam diu antè egressus fuisset inde cum patre suo, vt prædictum est. Et respondent aliqui quòd licèt egressus fuerit corpore; non tamen mente, quia intendebat illuc redire, & ad hoc excludendum dicitur: Egredere de terra tua.* Non computatur primus eius de terra egressus: quia quam reliquerat corpus, adhuc incolebat tellurem animus: imò licèt adesset corpore, dum abesset mente, dici iure potuisset egressus: nam à mundiali strepitu minus separat loci distantia, quàm animi displicentia.

65.

Seneca. Stultus ipse se prodit.

Lyra.

Hoc

66. Hoc idem, nepotis confirmat casus: nam cùm Pentapolis non solùm exundaret hominum copia; sed scelerum insolentia, Deus ministros misit, qui cæteris terrorem incuterent de supplicio, & delinquentes digno vstularent incendio. Lot admonet imminens effugiat periculum Sodomitarum animitus auersatus consortium: dissimulabat ille regionis amœnitate allectus, & plurimis armentis ditatus; ea tamen est diuinæ misericordiæ benignitas, vt beneficia sua etiam recusantibus impertiatur, & cùm ipsimet homines propriæ refragentur incolumitati, sacra, si fas est dicere, obstinatione illorum dignetur prouidere saluti. Angeli Loti dexteram ap-
Gen.19.v.17. prehendunt, & extra ciuitatem statuunt: *Eduxerunt eum, & posuerunt extra ciuitatem.* Diuus Ambrosius, quo ingenij pollebat acumine, aduertit non profectum; sed eductum: nam quamuis corpore iam distaret, adhuc inter Sodomitas degebat animo, & animi conuersabatur proposi-
Ambros. to. Accipe Ambr. apud Lipp. *Morabatur adhuc Lot, vt persuaderet generis suis, & penè non est profectus, vt euaderet, nisi vrgentibus Angelis, & tenentibus manus eius egredi coactus esset: non ergo profectus; sed eductus est.* Aliud est educi, aliud est proficisci, & medium est inter hæc extrema distare: distat profectus, distat etiam eductus; sed qui eductus, nequit appellari profectus: proficisci namque pertinet ad animi studium, educi requirit loci interuallum: ergo Lotus adhuc morabatur eductus: nec enim animo fuerat profectus: vtilissima Angeli illum compulerunt violentia; sed adhuc ciuitate morabatur extractus: quia Sodomorum amœnitate
Dissimulat in sui detrimentum agnitum peccator periculum. eius animus detinebatur allectus. *Adhuc*, addit ibi Rupertus, *pernitioso irretitur amore mundi, & à concupiscentia sua illectus dissimulat auditas & benè sibi cognitas futuri iudicij minas, & aeterni ignis pœnas sulphureas.* Conscientiam corrumpit in dissimulationem, aut de industria protelat in occasionem, & simul à ciuitate exulat, & ciuitatem inhabitat: quia diuisus & corpus dicat solitudini, & animum ciuitati.

67. E contra etiam accidere solet: qui inter nos versatur corpore, remotissimam incolit animo solitudinem. Adest Dauid huius veritatis adser-
Psal.54 v.8 tor: *Ecce*, inquit, *elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Et quomodo se solitudinis testetur incolam, qui satellitibus stipatus regalem curiâ gestabat coronam: Dauid marino flore collucente micabat purpura, crebris lapillorum luminibus intuentium oculos pulsabat diadema, opiparis fruebatur mensis, delicatissimis dapibus, phalernis vinis, ædibus amplissimis, & his circumfusus deliciis testatur se dissitissimis habitare desertis? *Mansi*, inquit, *in solitudine.* Vtrumque profectò verùm: cauernosis degebat montibus, etiam dum copiosis fulgebat stipatus militibus: nam cùm ciuitatem habitaret corpus, desertis degebat animus: se ergo desertorum asseruit incolam non de distantiæ à ciuitate interuallo; sed de animi à ciuitatibus exulante longè proposito. Prodest Incognitus ad hunc
Incognit. locum: *Notandum quòd præfatis duabus primis*
Amor cælestium amorem sopit temporalium. *alis, scilicet spe, & amore homo à tumultu temporalium rerum volat ad solitudinem contemplationis, in qua manens nec aduersa sentit, quibus turbetur, nec prosperiora, quibus eleuetur, inflatus: quia amor æternorum temporalium expellit amorem, & spes cælestium spem temporalium non patitur secum.* Audi studiosiùs, quæ subdit: *Et sic talis elongatur à malis non corpore; sed mente, non loco; sed merito.* Distabat à desertorum recessibus loco; sed propinquabat voluntatis desiderio: aberat à curiæ tumultibus animo, etsi præsens obiiceretur oculis loco; vt noueris præsentiam, absentiámque non tam de interualli distantia, quàm de animi censeri sententia. Dauid inter frequentes curiæ degens tumultus eremitarum fatetur se incoluisse recessus: *Elongatur à malis non corpore; sed mente: non loco; sed merito*; cùm non semel qui incolit desertorum recessus, animo gerat confusos curiæ tumultus.

Expendebam apud me, cur Apocalypsis 12. 68.
Lucifer draconis facie inducatur personatus, cùm ibi pulchrum astrum micare debuisset luminibus circumfusum: *Draco*, inquit, *stetit an-* Apoc.12.v.4.
te mulierem. Certè draco non cælorum eius; sed terræ progenies, per terram trahit corpus, & tellus cibus: quomodo ergo Lucifer cælo adhuc degens serpentis appareat specie indutus, & terrena mole grauatus? Certè vt de ænigmate nostram stabiliat thesim: cælo degebat natura spiritus; sed quia draconum dolos gerebat animo, & draconum adscriptus est numero: quia animus ambiebat terram, vel inter Angelos degens non erat cælestis ciuis; sed à cælo reputabatur extorris: parum erat adesse cælo præsentiâ, quando serpens per terrenorum volutabatur obscura: *Draco*, inquit Interlinearis, id est, Interlin.
diabolus potestate confusus. Idem testatur Me- Method.
thodius apud Glossam: *Draco magnus, rufus, & septiceps, qui partem tertiam stellarum trahit, diabolus est.* Lucifer origine spiritus; sed serpens desiderio: amat namque serpentis versutias, etiam cùm inter cælestes degit stellas: ideò draconis sortitur vocabulum, non de situ; sed de affectu: natura spiritus inter telluris incolas numeratur, & draco rufus habetur: erat namque in cælo terrenus, & à tellure separatus telluri adscriptus: de habitatione Lucifer, de studio coluber.

Iobus patientiæ simulacrum præmaturæ mor- 69.
tis commoda expendens aiebat: *Quare exce-* Iob 3.v.12.
ptus genibus, cur lactatus vberibus? nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum regibus, & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. Profectò dolor videtur interpellasse iudicium: nam ratio ipsa ad speciem contradictionibus implicatur: nam si terræ sunt consules, si mundi reges, quomodo abortiuis similes? Quomodo possunt ædificare sibi solitudines, qui variis distracti curis, & multiplicibus occupati negotiis? Quid rege remotius à solitudine, quid distantius Consule? Ergo si Iobus intempestiua morte correptus extra mundi claustra degeret, non esset regum, aut consulum æmulus. O profundam Iobi sapientiam! Sciebat ille nonnullos adeò accuratè se regere, adeóque æternorum solùm desideriis vacare, vt hominum circumfusi turba incolere videantur deserta. His ergo se similem fore dixit: quia hos mortuis simillimos nouit. *Qui se benè rege-* Gregor.
re, scribit Gregorius Magnus lib.4. mor. cap.28. *& consulere aliis sciunt: quoniam præsentari interim illi intima quieti non possunt, hanc apud semetipsos per studium tranquillæ mentis imitantur.* Non possunt plures sæcularibus se expedire negotiis; sed vel sæcularia tractantes cælestium

stium ardent desideriis. Non licet austeriorem vitam professis versari in sæculo; & tamen per humanam fragilitatem animi non semel diuagantur studio: claustris arctatur corpus; sed claustra prærumpit animus: mente non semel circumfert pompam, qui religiosam professus est vitam; & religiosam profiteri solet animo vitam, qui externam circumfert pompam.

70. Cùm Rebecca gemino fœtu grauida rixantium paruulorum motibus quateretur, oraculum consuluit: cui Dominus respondit: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur.* Vna erat, & populos internè gestabat: fors in domus abditis degebat abscondita; & tamen ibi populari afflictabatur tumultu pressa. Et quidem sub historiæ cortice nullus dubitat latuisse mysteria, cùm omnia illis contigerint in figura: ergo si externa spectes, solitariam, clausámque fœminam dices: si interna dispicias, populos portare reperies: quod non semel euenire frequens testatur experientia: plures namque solitudine degẽtes populos animo gerunt, & tumultibus perturbantur. Huc voco, quod aliorsum aiebat Gregorius suprà citatus: *Concussus eneruiter animus hinc inde & solicitus & cæcatus occasionem nequissimæ expletionis rimatur: mens itaque hæc quasi quemdam populum patitur, quæ insolenti cogitationum tumultu vastatur.* Non solùm externa turbâ circumdamur; sed interna sæpè periculosiùs comprimimur. Rebecca adhuc solitaria sustinebat populum, quia internum patiebatur tumultum. Vt noueris satis non esse à populo interualli abesse distantia, si populo adsueris cogitationum præsentia.

Gen. 25. v. 23

Gregor.

§. XVI.

Ea solùm plenè possunt vocari beneficia, quæ spectant ad gratiam, non quæ solùm pertinent ad naturam.

71. NOn inficiabor diuitias, salutem, pulchritudinem, originis claritatem dona esse cælestia, quæ nostram gratitudinem pulsant, vt ingratitudinem interpellant; verùm sola virtus est, quæ perfectè appellari potest beneficium, vtpotè quæ temporis nullatenus variationi subiecta; sed æternùm duratura. Quàm benè aiebat Seneca epist. 23. *Hoc ante omnia fac, mi Lucili, disce gaudere: existimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita submoueo, qui spes dulcissima oblectamenta deuitandas existimo? Imò contra, nolo tibi vnquam deesse lætitiam, volo illam tibi domi nasci: nascitur, si modò intra te ipsum sit: cætera hilaritates non implent pectus; sed frontem remittunt: leues sunt, nisi fortè tu indicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer & fidens, & super omnia erectus.* Ingens accepit beneficium, qui nouit paupertati domum aperire, qui didicit voluptates cohibere sub fræno, qui mortem gratis aspexit oculis, qui auribus, quæ percellere solent, audiuit intrepidis. Magna accepit diuitiis circumfusus, deliciis circumdatus, corporis robore vegetus, & Cæsarum origine clarus; maius tamen accepit, qui his animum non subiecit; sed omnia erecto, & supra fortunam stanti subiecit animo. Veri boni auiditas tuta est, ex bona conscientia nascitur ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex fortuitorum despectu, ex laudabili, & continuo vitæ tenore rectam semper tenentis viam: quísquis accepit hæc extrinsecus splendentia, quæ stultorum oculos implent, & desideria solicitant, magnis gratitudinis adurgetur stimulis; qui verò omnia ista didicit conculcare, nobilioribus ad exhibendas gratias compellitur incitamentis: illa solùm plenè possunt vocari beneficia, quæ reformant animos, quæ mores instruunt, quæ noua animæ secum ornamenta adducunt; cætera penes sæculum magna; sed à nobiliori beneficiorum censu dispuncta. Deus quæ in Israelitas beneficia contulerit, recensens, sic ait: *Tuli patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanaan, multiplicauique semen eius, & dedi ei Isaac.* Non solùm constat Isaac dedisse; sed & Ismaelem; imò & filios alios. Consule Gen. 25. caput, & inuenies Ceturam plures Abrahamo peperisse filios: cur ergo solum memorat Isaacum, cæteros præteriens, & obliuioni quodammodo tradens? Abulensis quæst. 8. ait Isaac solùm ad Christi Domini generationem pertinuisse, ideóque vti specialissimum beneficium relatum; cæteros verò filios, vtpotè ad Christum non pertinentes exclusos: *Deus volebat enarrare Iudæis beneficia eis præstita, ipsi autem erant de semine Abrahæ, & in eis completæ sunt promissiones factæ Abrahæ; alij autem erant filij Abrahæ, qui non computantur in semine eius, sicut Ismael, vt patet Genes. 21.* Addit post aliqua: *Illi non pertinent ad semen Abrahæ; sed solus Isaac: ideò non curauit Scriptura enarrare de his: quia multiplicatio in his non erat aliquod beneficium præstitum genti Hebræorum.* Filios habere, latéque prosapiam multiplicari, in beneficiis numerandum est; verùm tunc resplendet plenum beneficium, cùm ad virtutum pertinet ornamentum. Isaac vtpotè ad Christum pertinens, refertur in beneficiis, tacentur cæteri filij, vtpotè ab illa spirituali linea seclusi.

Seneca.

Abulens.

Samuel Sauli in regem creando dat operam: 71.
quærebat hic amissas asinas, cùm regnum inuenit, vt noscas nullum gratiam respuere ministerium, dum animus virtutis colat studium: primum diadema obedientia regi procudit, vt constet in subiectionis honestæ officina elaborari dominium, & procudi sæpesæpiùs sceptrum; verùm dum his in regem inauguratur, lenticula super verticem effusa refertur: *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius.* Qui ab humili ministerio regalem thronum inscenderat, eos animo fouit spiritus, vt ampliorem semper ambiret gloriam, & obliuisceretur antiquam casam, tandem Dauid eligitur, & diuersus modus inaugurationis refertur: nam magnum Samuelem iterum ministrum constitutum iubet Deus sacro oleo cornu implere, & super Dauidis caput effundere: *Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem.* Inquires, cur Saul lenticula, cur Dauid initietur cornu? Cur hoc dicatur plenum, cùm de plenitudine lenticulæ taceatur? certum namque est scripturarum silentio sæpè designari arcana, & prodi locutione mysteria: si vterque in regnum eligitur, cur pleniùs alter vnctus signetur? Profectò huius quæstionis

1. Reg. 10. v. 1.

1. Reg. 16. v. 1.

quæstionis nodum facilè inauguratorum enodabit euentus: Saul namque eligitur breue solùm, & temporaneum ad regnum; Dauid non solùm inauguratur in regem; sed & in Christi Domini patrem: quod ergo pertinebat ad spiritum beneficium, & plenius & cumulatius; quod verò solùm caducum, referri nequiuit plenum.
Gregor. *Quid est ergo*, scribit Gregorius Magnus lib. 6. in 1. Regum cap. 3. *quòd cornu impleri oleo præcipitur, nisi quia vngendi regis iustitia commendatur? quasi dicat: Qui modò vngitur, non erit increpatione feriendus; sed miræ laudis fauore prædicandus: non eget impeti, sed faueri.* Addit statim Gregorius: *Ad Isai Bethlehemitem mittitur, vt rex, qui eligitur, permansurus esse doceretur: per patriarcham quippe Iacob longè antè regni mansuri status ostensus est, quia dixit: Non deficiet sceptrum de Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat, qui mittendus est.* Ecce cur Dauid pleno oleo dicatur inaugurari, & cur Saul non dicatur lenticula plena inungi: Saulis namque regnum non spectabat ad Christum; sed citissimè erat abolendum, neque stabili duratione formandum; at Dauidis sceptrum, vtpote ad Christum pertinens, æternum erat duraturum, & ideò referri debuerat plenum. Quid in humanis splendidius, ampliúsque beneficium, quàm regnum? verùm si prorsus temporale, non fruitur fauoris plenitudine, vtpote quod æterna careat duratione; at quidquid ad honestatem pertinet, quidquid virtutum censum adauget, grandius beneficium est, & quod solum reddit habentem verè felicem. O quàm suspiciunt homines vti beatum variis fortunæ dotibus circumfusum! decidua tamen lux ad modicum verberat, & oculorum adspectum frustrat. Quidquid ad corporis solùm fomentum, ad humani plausus spectat gloriam, parui æstimandum est, vt magni quidquid internum, & tempori non obnoxium.

73. Deus Abrahamo longam posteritatem pro-
Gen. 13. v. 16 mittit: *Faciam*, inquit, *semen tuum sicut puluerem terræ:* posteà victor triumphos egit de Sodomorum victoribus, nec solùm vicit aduersariorum violentiam; sed cupiditatis internæ flammam: sic magnanimè diuitiarum despiciens summam, vt solùm victoriæ, eámque Domino amauerit gloriam. Quid tunc? Sua Deus beneficia cumulat, & filios vti stellas cæli pro-
Gen. 15. v. 5. mittit: *Suspice cælum, & numera stellas, si potes: & dixit ei: Sic erit semen tuum.* Rupertus notauit lib. 5. in Genes. cap. 18. antea promisisse posterorum multitudinem; modò verò vt bene-
Rupert. ficium cumularet, non tam promisisse multitudinem, quàm virtutum ac morum claritatem: *Non dixit: Sic erit semen tuum, sicut stellæ cæli; sed faciam, inquit, semen tuum sicut puluerem terræ: quia videlicet non omnes, qui terram illam possessuri erant propter Abraham, stellis comparandi erant: neque numerandi sicut stellæ cæli apud illum, de quo veraciter dicitur: Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocans, sed multiplicandi erant super numerum pulueris, terrámque amaturi potiùs quàm cælum.* Pro Abrahami meritis decernebantur & beneficia: vtque sciremus parum esse filiorum multitudine exundare, si non cælo stellarum ad instar inserendi; sed inter terræ puluerem computandi: priùs promisit multitudinis numerum, postea claritatem morum.

Isaac & Rebecca erga diuersa pignora pietate certabant: pater Esau præponere, diuitiisque cumulare gestiebat; Rebecca fratri subiicere decertabat: Iacobum monet cibos patri afferat, & saporatè conditos offerat, quò benedictionem promereatur: *Pergens ad gregem affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur.* Ambrosius inquirit lib. 1. de Iacob & vita beata, vter parentum erga Esau maiorem beneuolentiam ostenderit, ampliorá que beneficia contulerit. Et certè nullus locus esse videbatur quæstioni, quandoquidem pater amplissimis titulis, & magnis diuitiarum copiis filium cumulare gestiebat; Rebeccáque tantò erga Esau acerbior, quantò erga Iacob appatuerit humanior: non solùm mater non confert beneficia; sed conflare videtur odia: proh humanam cæcitatem! Externa solum censemus, & vtiliora despicimus. Rebecca, dum primogenituræ titulis priuat, offensis filium subducere studiosè adlaborat; imò, vt subducat offensis, satagit depauperare diuitiis: hæc ergo grandius præ Isaac contulit beneficium, dum de inopia redimit præmaturè peccatum. Audi Ambrosium loco citato, & apud Lippomanum: *Offerebat Domino, quem sciebat collatum sibi munus posse seruare, in quo & alteri consulebat, quem diuinæ subducebat offensæ, ne grauiore implicaretur reatu, si accepta gratiam benedictionis amitteret. Accipe tamen bonum certamen inter parentes: mater deferebat affectum, pater iudicium.* Ecce plus amat, quæ non gestit diuitiis cumulare; sed culpis eximere: cæcutiens pater se putabat magna conferre beneficia, si filium honoribus, & facultatibus cumularet; mater verò visus præualens perspicacia, plus dilexit, dum culpis prouidenter subduxit: nec enim magnum est beneficium, quod solùm constat externis; nec paruum est, quod nititur augere virtutes: mater beneficentior, indulgentiórque erga Esau probatur: quia etsi auri non ditet copia, culpæ subducit offensæ: *Mater deferebat affectum, pater iudicium.*

74. (margin)
Gen. 27. v. 8. (margin)
Ambros. (margin)

---

§. XVII.

Miseri homines non ita exambiunt virtutibus antecellere, vt commodis humanis præire.

Aiebat nonnullus: Video meliora, probóque; deteriora sequor: & quidem aliquod nostris malis solatiū esset, si homines voluptatibus irretiti, dum sequuntur deteriora, se deteriora sequi cognoscerent, & meliora vel agnoscentes probarent; ea verò est misera nostræ cæcitatis conditio, vt non solùm delinquamus voluntatis culpa; sed & iudicij sententia. Qui viam carpit, si amœnis & spatiosis aruis abductus à recto se itinere deuiasse cognoscat, non erit adeò difficile pedem figere, aut ad semitam rectam reuerti; verùm qui deerrans, rectæ se viæ insistere cogitat, ipso errore impellitur, nec timore reuocatur. Hoc accidere videas pluribus: sic illorum mens tetris flagrantis cupiditatis vaporibus obscuratur, vt fucata præponat veris, & euanida præferat solidis: non rixantur competitores circa gratiæ dona; sed circa fortunæ munera: 75.

patienter sustinent alios eximiis virtutis dotibus antefferri; ferunt grauanter commodis humanis præponi. *Ad summa peruenit*, aiebat Seneca epist. 23. *qui scit quo gaudeat, qui felicitatem suam in aliena potestate non posuit.* Nesciunt homines sæpiùs, quo gaudeant; imò afferre illis solet gaudium, quod debuisset doloris incussisse tormentum. Ille exornatur virtutibus veram prosecutus lætitiam, quæ pectus implet, & quæ securo contubernio conscientiæ nascitur; huic tamen lætitiæ ferè nullus inuidet; si tamen externa refulserit quis fortunâ, iam plurium insidiatur solicitudo, & torquetur ambitio. Ecce inter filios Abraham solus Isaacus refertur; Ismael à linea generationis excluditur. *Multiplicaui semen eius, & dedi ei Isaac.* Non leges Ismaelem Isaaco inuidisse sacrificij lignis prægrauari, sacris illis vinculis constringi, nec in progenitorum Christi Domini censum referri; cùm tamen primatus iura, quòd ad humanas commoditates, excellentiásque spectabant, ambierit, vtque fratri praeriperet, sub ludi specie hostili animo decertauerit: *Cùm vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Allegata exilij causa prodidit, quæ Ismael gereret animo desideria, non curabat Christi Domini parentis auferre gloriam; sed paternæ hæreditatis ambiebat summam. Itaque Isaac & Abrahami diuitiarum natus est hæres, & Christi Domini decernebatur futurus parens: ex his ergo prærogatiuis Ismael solùm inuidebat hæredis iuri, non futuri parentis laudi: *Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac:* quoad diuitiarum copiam, quoad honoris excellentiam ius primogenituræ spectabat, ab Ismaele ardenter exambiebatur: quoad diuinæ prolis honorem, quoad Domini parentis gloriam, contemnebatur. Cæci namque homines solùm discruciantur, si quis humanis fortunatus refulgeat, non si virtutibus excultus resplendeat. Innuit Hieronymus in quæstionibus Hebraicis: *Aduersum Isaac quasi maioris ætatis loco sibi primogenita vendicauerit, quod Sara audiens non tulerit.* Diuitias hæreditatis discupiebat, virtutes parui æstimabat: non contendit generationis Christi Domini lineæ inseri; sed Abrahami diuitiarum hæres haberi.

Seneca. *Felix est, qui scit, quo gaudet.*

Gen. 21. v. 10

Hieron.

76. Ioseph patri obsequentissimus, dum iuuentutem non puerilibus defœdat vitiis; sed virtutum excolit normis, diuina futurorum promeretur præsagia, & arcana intuetur somnia; fratribus refert, quæ viderat, non vt propriæ vanitati inseruiret; sed ne quid fraternæ charitati negaret: *Putabam*, inquit, *nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum & stare, vestrósque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Fratres vsque ad somnia extenderunt inuidiam, nec valuit dissimulare prudentia; sed verbis asperrimis prorupit ira: *Numquid rex noster eris, aut subijciemur ditioni tuæ?* Primum à fratribus bellum obortum est, & imperans illis iniuria naturæ persuadebat in se ipsam furere, & in fratrem insanire, verùm Ioseph adeò candidè fratres amabat, vt captiosas sibi extrui insidias nullatenus cogitaret; imò fraternam semper charitatem honorans iterum illis pandit arcana, & referat quæ in somno vidit mysteria: *Vidi per somnium quasi Solem & Lunam, & stellas vndecim adorare me.* Audito secundo somnio fratres ora silentio sigillant, nec quas audito primo, indignationes flabellant. Quis dubitet hoc silentio magnum latitare arcanum? nam si vbique Iosephus excellebat adoratus, cur vtrobique à fratribus non reprehensus? Certè secundum somnium acrioris inuidentiæ stimulos inijciebat, quandoquidem primum longissimè superabat: ibi namque rudes, etsi fœcundæ spicæ in excellentiæ protestationem inclinauere ceruicem; hîc verò micantia sydera, fulgentissima astra radiorum linguis euulgauere excellentiam, & dignitatis præstantiam: cur ergo fratres, dum syderum audiunt adorationem, asperis verbis non carpunt, si manipulorum adorationem audientes verbis durissimis, & indignationis flammas eiaculantibus reprehendunt? Quia ipsa somnia, inquit Theodoretus, pro symbolorum diuersitate inuidiam exacuebant, aut temperabant: spicarum namque manipuli, quia de terra, terrenam portendebant felicitatem; at splendida sydera, vtpote cælestia cælestem etiam prosperitatem præsagiebant, eáque est mortalium cæcitas, vt solùm inuideant terrenis felicitatibus excellenti, non sydereis luminibus emicanti: sydera obsequiosis officiis Iosephum venerari, innuebat eius inter cælestia excellentiam; manipulos subiici, inter Ægyptios attestabatur præstantiam: & fratres inuident in Ægypto præstantiæ, non in cælestibus excellentiæ: *Manipulorum somnium*, inquit Theodoretus q. 93. in Genes. *denotat futuram frumenti causâ adorationem, siquidem frumenti gratiâ in Ægyptum profecti fratres secundùm prophetiam eum adorauerunt.* Manipulorum somnium portendebat Iosephum Ægypti protegem fore à fratribus adorationibus excolendum, & cultibus adorandum, quod adeò inuidos excruciabat, vt non valuerint indignationis pectore tegere flammam; sed verborum asperitate declararint inuidiam: laudandi quidem fuissent æmulatores, si cælestibus fratrem non antefferri, aut se fratri præponi gestirent; tacent verò, dum adorationem audiunt supernam; furunt cùm audiunt humanam: quia humana solùm illis erant in pretio, cælestia tepido prosequebantur studio. Ad adorationis syderum somnium tacent damnando silentio, ad manipulorũ indignantur damnabili studio, quia hoc in Ægypto indicabat eminentiam, in cælestibus illud præstantiam.

Gen. 37. v. 7.

Theodor.

Duo illi fratres & matris patrocinio, & cognationis fisi suffragio primos thronos non sine obsequiorum tributo exambiunt: *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Cæteri condiscipuli Apostolique ægrè ferunt fratrum audaciam, & carpunt non sine indignationis notis animorum extollentiam: *Audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.* Lis est interpretibus quid fratres hac petitione exambierint. Ambrosius, vt erat benigno ingenio, exambiisse arbitratur gratiam; verùm Chrysostomus ex cæterorum indignatione non obscurè colligit cupiuisse, non in cælestibus eminere; sed in humanis præstare. Accipe eius verba apud D. Thomam in catena: *Manifestum est quod nihil spiritale petebant, nec intelligentiam superioris regni habebant.* Profectò condiscipuli, vtpo- 77.

Matth. 20. v. 21.

Chrysost.

te

te tunc terreni, nec sacri Pneumatis ignibus adhuc purgati, parum indignarentur, si fratrum ambitus cælestis esset excellentiæ; indignati verò sunt, quia erat humanæ præstantiæ: *Manifestum est, quod nihil spiritale petebant*: & vnde manifestum? Ex cæterorum quidem indignatione: nec enim indignarentur, ni sitirent humana; sed conarentur cælestia.

78. Impuratus spiritus desertam à gratia Saulis animam nactus vehementissima tristitia adurgebat: & quis si habitationem in pectore nequam spiritui concessit, vrgentes tristitiæ stimulos non sustinuit? Resplendebat exteriùs purpuratus, interiùs discruciabatur afflictus: adfuit Dauid, qui lyræ melos teli ad instar in dæmonem iaceret, & dolorem cantu deliniret: loquebatur tantùm, & dæmon abigebatur: *Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat.* (1 Reg. 16. v. 23.) Pollentem virtute iuuenem tenero Saul amore prosecutus est, nec abesse est passus, vt liberiùs frueretur præsentia, & oblectaretur iuuenis gratia. Misit Saul ad Isai dicens: Stet Dauid in conspectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis; verùm cùm hic idem gigantem deuicisset, illicque nobilissima laudum tributa pro eximia victoria à mulieribus penderentur, sic Saulis animum offendit, vt iam rectis oculis non adspiceret: *Præcinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia; iratus est autem Saul nimis*: (1 Reg. 18. v. 7.) quam pectore aliquandiu pressit, citò hastæ eiaculatione iram manifestauit: in Dauidem namque, quem præsentem habebat, hastam contorsit, & in medicinæ pretium obtulit cædem: *Tenebat Saul lanceam, & misit eam putans quod configere posset Dauid cum pariete.* Inquires cur modò Dauid odio habitus, si antea tenero amore dilectus: abegit antea dæmonem; sed etiam abigebat modò cantu, & seruitutis iugum repellebat à contribulibus gigantis ictu: ergo modò teneriùs debebat diligi, quando plus constabat mereri: aut si Saul gigantis triumphatorem prosequitur inuidia, cur abactorem dæmonis non est prosecutus maleuolentia? Vtrobique Dauid excellebat triumpho, hîc de homine, illic de dæmone: ergo vtrobique inuidentiæ præbebat materiam, nisi quod dæmonis victor nobiliorem accendebat inuidiam: cur ergo Saul non inuidet gratia in dæmones pollenti, si inuidet de carnea mole triumphanti? Ipsa quæstio solutio est: dum gigantem prosternit, laudibus humanis extollitur, & ipsi Sauli fortitudinis elogiis præfertur: cùm dæmonem abigit, excellit virtutibus; sed non plausibus, adeóque Saul ambitionis vernula discupit humana, adeò aspernatur diuina, vt non inuideat virtutibus excellenti; sed plausibus humanis præstanti. Prodest Chrysostomus homil. de Dauide & Saule: (Chrysost.) *Ab illo die suspectum eum habuit: quam ob causam? Postquam barbari illius caput abstulit, exierunt mulieres canentes: Percussit Saul in millibus suis, & Dauid in decem milibus suis.* Adstipulatur Lyra: (Lyra.) *Describitur ipsius Saulis inuidia, cuius seminarium fuit laus ipsius data in cantilenis communibus de victoria Philisthinorum, in quibus cantabant: Percussit Saul mille &c & sic plus honoris attribuebant Dauid, quam Sauli.* Assit inuidia

cùm Dauidem intuita est laudibus humanis prælatum, non cum diuina gratia præpositum: sic namque mortales cæcutiunt, vt nullum patiantur anteponi caducis, nec grauant er ferant præponi æternis.

---

§. XVIII.

Qui generosè vel à Deo oblatum relinquit præmium, præmiorum filijs relinquit cumulum.

Apud sæculum virtus iacet non semel despecta, & sordescit irremunerata: pia fraude opus est, vt Iacobus benedictionis debitum sibi præripiat præmium, & ne Esau potentia & munere abstulerit fratri brauium: valet apud sæculum rerum externè oculos allicientium census, virtutum despicitur cumulus. Ioannes Baptista inter natos mulierum magnus deprædicatur: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* (Matth. 11. v. 11.) Quod si maioritatis signum aliquod exterius requiras, inuenies carceribus inclusum, vinculis illigatum, ac tandem sententia crudeli occisum: non habuit quia magnus quid præmij à mundo; imò nullum illi tectum, sed pro cibo ieiunium, & pro indumento cilicium. Notabat Basilius homil. de ieiunio: (Basil.) *Non tectum habebat, nec mensam, nec terram arandam, non bouem aratorem, non frumentum, non pistorem, non aliud quidquam rerum temporalium: quapropter inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*; imò quia non surrexit maior Ioanne Baptista, nec tectum, nec mensam, nec cibum habuit. Verùm etsi despecta adeò apud sæculum iaceat virtus, apud Deum semper nobilitatur honoratissima, & præmiis cumulatissimis munerata. Vnde Sancti, qui generoso præmiorum despectu oblata etiam ab ipso Deo præmia neglexerunt, magnum filiis ac deuotis ius ad cælestia præmia voluti testamento legarunt: nam cùm Deus æquissimus semper virtuti debita præmia soluat, si parens generosè neglexit, filiis cumulatiùs retribuit: qui ergo maiores sortiti sunt sic purè inseruientes Numini, vt nullum honorem temporalem admiserint, sed laudabili generositate vel à Deo oblata præmia mundialia respuerint, sibi habent reposita, & grandi fœnore cumulata. Inter Isaac à Numine concessos filios Iacob præponitur, eius tamen egregiis pro virtute laboribus nullum hîc collatum præmium refertur; cùm Esau referantur concessa, & diuina liberalitate tributa: *Dedi ei Isaac, illique rursum dedi Iacob & Esau, è quibus Esau dedi montem Seir ad possidendum; Iacob verò & filij eius descenderunt in Ægyptum.* Et cur Iacobus alio celebri monte non resplenduerit ditatus, si Seir mons Esau refertur diuina benignitate tributus? Recole historiam, inueniésque Iacob sic à Deo oblata præmia despexisse humana, vt suspirarit solum cælestia. Tendebat, vt parentibus obsequeretur, ad Mesopotamiam Siriæ, cúmque itineris labore fessos somnus recrearet artus, scalam cælestem aspexit, & Dominum magnifica sibi promittentem audiuit: *Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo, eritque semen tuum, quasi puluis terræ, dilataberis ad Occidentem,* (Gen. 28. v. 13)

dentem, & Orientem, & Septentrionem & Meridiem. Quid tunc Iacob? *Si dederit mihi panem ad vescendum*, inquit, *& vestimentum ad induendum, reuersúsque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Dedignatur magnis parentibus ortus temporalia seruire ob præmia: ideò generosè respuit oblata; verùm quæ pater non acceptauit, eius posteritas cumulatissima accepit: Esau filiis Seir mons tantummodò refertur adscriptus; at Iacob filiis multarum gentium terminus est
Iof.24.v.13. concessus: *Dedi vobis terram, in qua non laborastis, & vrbes quas non ædificastis, vt habitaretis in eis, vineas, & olineta, quæ non plantastis.* Felices Esau nati, vtpote quibus pater montem Seir à Domino acceptum legauit; sed feliciores Iacobi filij: quia dum temporale à Domino præmium respuit, longè incrementatum, nobilissimísque fœnoribus filiis reddendum reliquit. Filij Iacob ad Orientem, ad Occidentémque dilatantur, Septentrionem occupant, & Meridiem; nam dum optimus illorum parens longius ab humana cupiditate remotior, posterorum hæreditas & diuinis & temporali-
Chrysost. bus bonis resplendet auctior: *Non diuitias*, aiebat Chrysostomus apud Lippomanum, *non abundantiam quamdam petiuit, sed panem & vestem, & hanc ad contegendum corpus; illum verò in necessarium alimentum. Considera quomodo nobis Apostolicum characterem petitione sua significauit, tanto sapientiæ studio plenus erat iusti animus.* Parens necessaria solùm admisit, cætera repudiauit; sed quod pater generosè re-
Lippoman. pudiauit, ad filios cumulatiùs deuenit: *Terram dormitionis circumquaque diffusam illi dat*, scribit Lippomanus, *toto terrarum orbe semen disseminandum promittit, in Christo benedicendas familias terræ omnes prædicit.* Aptiùs Augustinus apud Lippomanum ad Genes. 28.
August. *Non dimisit semen eius, donec de Ægypto educeret eos in hanc terram cum argento & auro, ita vt in tribubus eorum non esset infirmus: non dimisit nihilominus dilatare in quatuor partes mundi semen eius.* Iacob in terra cubat, capiti petram supponit, polentam solùm & rudem vestem cæteris fastiditis admittit; sed quæ pater noluit, filius cum salutis fœnore accepit: generosus patris præmiorum despectus, filiorum seruitutem abstulit, & amplissimam terræ hæreditatem reliquit: Deus namque quæ parens non admisit generosè despecta, posteritati seruauit aucta.

80. Cùm Dauid proditorem filium anxiè fugeret, ac è throno depulsus exularet, Berzellai regis calamitatem leniuit, dum cibos fugienti
2.Reg.18. v.32. largiter præbuit. *Berzellai Galaadites senex valdè, id est octogenarius, & ipse præbuit alimenta regi, cum moraretur in castris: fuit quippe vir diues nimis.* Rebus compositis, cùm iam Dauid curiam repeteret, Berzellai secum afferre voluit, quo gratum ostenderit animum, & beneuolum regiis beneficiis nobilitaret amicum: *Dixit rex ad Berzellai: Veni mecum vt requiescas securus mecum in Ierusalem.* Grandæuus senex grato animo sibi à rege oblata audiuit, & prudentissimè repudiauit: *Ait Berzellai ad regem: Quot sunt dies annorum vitæ meæ, vt ascendam cum rege in Ierusalem? Paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum: non indigeo hac vicissitudine.* Audis senis animum omni cupiditate purgatum; audi modò quàm vtilis eius filiis fuerit parentis virtus & generosus præmiorum contemptus: *Filiis Berzellai* (iubet testamento Salomoni Dauid) *reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi, quando fugiebam à facie Absalon fratris tui.* 3.Regum 2. v.17. Si pater admisisset, solus ipse, & exiguo tempore regia frueretur magnificentia, nobilitaretúrque gratia; at dum magnanimè oblata respuit, grandem ad posteritatem censum transmisit. Iam non vnus aut alter; sed comes Berzellai filij regia fruuntur mensa, Salomonísque resplendent nobilitati amicitia: nec enim poterat Dauid, quæ parenti debuit, filiis non soluere, aut posteritati negare. Adest noster Sanctius ad hunc locum: Sanctius.
Quàm fuerit Berzellai liberalis in Dauidem, quo tempore rerum omnium egenus fugiebat Absalomem, habes libro 2. cap. 17. quemadmodum illi rex gratiam rependere voluerit: neque tamen ille prudens admiserit. Addit post pauca eruditus interpres: *Quare rogauit regem, vt si quid in ipsum regia vellet liberalitate conferre, transferret ad filium: huius vocis Dauid atque promissi memor, commendat Salomoni filio, vt illius viri filios regia liberalitate complectatur, & secum eiusdem conuictus & mensæ faciat esse consortes.* Generosus Berzellai præmiorum contemptus filiis fuit æternus præmiorum, & felicitatis cumulus: *Huius Dauid memor commendat Salomoni filio, vt illius viri filios regia liberalitate complectatur.* Recordor B. N. P. Francisci Borgiæ, qui cum à Deo sibi oblatas Episcopales mithras circa caput volitantes videret, ea animi generositate despexit, vt se religionem nunquam ingressurum piè iratus dixerit, ni Deus à præmiorum largitione abstineret, quandoquidem grandius illi præmium erat ipsa humilitatis abiectio, & omnium rerum humanarum priuatio. Annuit Deus pia audacia minanti; sed quæ pater repudiauit, filiis non sine incrementis concessit, quandoquidem tres ex nobilissima Borgiarum familia supremam Petri cathedram tenuere, cæterique magnis apud Hispaniæ reges honoribus habiti, & clarissimis ferè omnium Hispaniæ Magnatum familiis semper inserti: recuperant posteri patri debita, & digna tanto viro humilitate calcata.

Abrahamus, ne discordia fraternitatem fœdaret, Loti iucundo sibi consortio elegit pru- 81.
dens carere: Deus huius facinoris præmium promisit, & ad instar terræ pulueris semen multiplicandum asseruit: *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ: si quis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quoque tuum numerare poterit. Surge & perambula terram in longitudine, & latitudine sua: quia tibi daturus sum eam.* Gen.13.v.16.
Abrahamus sibi promissa non respuit; imò vt vt iam possideret, tabernaculum mouit: *Mouens igitur tabernaculum suum Abraham venit & habitauit iuxta conuallem Mambre.* Non multò post, cùm de victoribus regibus triumphos egisset, & ablata omnia recuperasset rex Sodomorum, cæteris renuntiatis, animas solum poposcit: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Hic Abrahamus excellentiorem adeptus est triumphum, & qui reges subegerat, etiam cupiditatem deuicit: *A filo subtegminis*, honestè iactabundus gloriatur, *vsque ad corrigiam caligæ*

non

non accipiam ex omnibus quæ tua sunt. Iam generosè omnia despicienti Deus obiicitur, & eius posteros stellas claritate supergressuros testatur: Gen.15.v.5. *Eduxit eum foras, & ait illi: Suspice cælum, & numera stellas, si potes, sic erit semen tuum.* Inquires cur modò progenies comparetur stellis, si antea comparata fuit pulueri? Ibi aiebat: *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ*; hîc verò claritate nobilitat, & syderibus cæli exæquat. Ecqua huius discriminis causa est? Ea se mihi offert, terrena scilicet antea præmia non respuisse; modò verò generosiùs repudiasse? ergo dum pater acceptat præmium, eius semen pulueri comparatur, dum verò repudiat, non sine ingenti lucro, iam posteris redditur. O quàm vtilis fuit Abrahami filiis nobilis ille præmiorum despectus, quandoquidem qui anteà puluis, lux iam extitere cælestis. Innuit Rupertus lib.3. in Genes. cap.18. Rupert. *Superiùs cùm dixisset: Leua oculos, & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem, & Occidentem, omnem terram, quam conspicis, dabo tibi, & semini tuo, non dixit: Sic erit semen tuum sicut stellæ cæli: Sed faciam*, inquit, *semen tuum, sicut puluerem terræ.* Vbi pro se posterísque terram acceptauit, nihil de stellis audiuit; at dum oblata præmia respuit, stellas pro filiis habet: auxit namque Deus filiorum splendorem splendore illo à patre generosè abiecto, & humiliter repudiato: *Cùm dixisset: Terram, quam conspicis, dabo tibi, & semini tuo; non dixit: Sic erit semen tuum sicut stellæ cæli*; dixit verò cùm Abrahamus humana præmia fastidiuit, & ad posterorum augmenta respuit.

---

§. XIX.

In tarda aut prompta diuinæ inspirationi obedientia, consistit sæpè felicitas aut aduersitas.

81. OCcasionem depingebant antiqui paucis breuibusque instructam capillis, pennatis pedibus, volubili rota insistentem, priori capitis parte capillosam, posteriori glabram, vt denotarent, quàm primùm sese offerat, arripiendam: nam si intercesserit mora, è manibus fugit elapsa, solúmque eius perpetua comes remanet pœnitentia. Et quidem quod falsò de Occasione dea putauit antiquitas, non incongruè inspirationi adaptatur, quæ, si dum opportunè pulsat, animum inuenerit obsequentem, bonis nobilitat; sin autem, volucris vacuum desertat. Mirum est, quàm plures conscientiam corrumpant in dissimulationem, aut surditatem affectent in occasionem rati semper opportunitatem se habituros, & cælesti inspiratione pulsandos; verùm sibi ipsis imponunt, suisque felicitatibus contradicunt: Deus semper gratiam suam offert, iuxta illud Theologorum prouerbium: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*; verùm cælestis ille pulsus, qui ad hanc aut illam veritatem allicit, non semper adest; sed pro Numinis arbitrio. Certè, vt diuinis pulsibus nos exhiberemus promptissimos, satis erat Deum pulsantem parentem agnoscere, & illi scire nos vitam debere. Indecorè à brutis vincimur, quandoquidem perdices sic maternam sequuntur vocem, vt auidè relinquant nutricem. Ita Cassiodorus 1. variarum 14. Cassiodor. *Ad campos exeunt cum nutrice, qui, vt fuerint materna voce commoniti, ouorum suorum potiùs genitricem petunt, quamuis ab alys furtiuis fœtibus educentur.* Perdicibus erga parentē quodamodo inest pietas. *Quid ergo homines facere debebunt, quando & hanc pietatem auibus inesse cognoscunt?* Verùm etsi Deo vocanti non obsequeremur ob pietatis studium, debuissemus saltem obsequi ob felicitatis augmentum: ex prompta aut tarda obedientia nascitur non semel læta fortuna, aut tristis miseria. In Isaac filiorum censu prior refertur Iacobus, non tam ortus lege, quàm exprompta obedientiæ iure: *Illi dedi Iacob & Esau.* Et cur Iacob præponat, quando naturæ lege postpositus, & ad speciem maternis in visceribus victus? Omnem Iacobi felicitatem ex prompta inspirationi obedientia textus dilucidè ortam ostendit, nósque eius exemplo instruit. Repetamus historiam vt vtilissimam eruamus doctrinam. Isaac morti, vt rebatur, proximus Esau maiorem filium, cuius obsequiis, & officiis tenebatur obstrictus, benedictionibus gestit nobilitare, cæterísque fratribus anteponere: mater Rebecca Iacob monet, vt citissimè voci eius obediat, & cibos patri apponendos afferat: paruit ille, & pia fraude fratri benedictionem præripuit; adeóque parum temporis intercessit inter pium Iacobi furtum, & fratris Esau aduentum, vt benedictionis verba adhuc in auribus resonarent, nec prorsus euanuissent. Gen.27.v.30 *Vix Isaac sermonem impleuerat, & egresso Iacob foras venit Esau.* Dum verbo illo *vix* temporis notatur angustia, exprompta obedientia felicitatis proditur causa. Certè si Iacobus parere inspirationi differret, primogenituræ, benedictionisque gloriam indubiè amitteret: mansisset Esau seruus, qui benedictus fulgebat dominus. Quàm exiguus temporis articulus aut benedictionem attulit, aut seruitutem afferret! Si tantillum Iacobus obedire protelasset, & dominium amisisset: exprompta inspirationi obedientia immortalem ille peperit gloriam, tarda seruitutis non depelleret ignominiam: dum textus notanter tradit vix impleta benedictionis forma fratrem aduentasse, innuit exiguo momento felicitatem ab infelicitate diuisam: quòd si Iacobus distulisset momentum, serà pœnitentià fraternum subiret iugum. Opportunè Caietanus: Caietan. *Mod ci taxtum temp ris interuallo alter fuit prauentus ab alio.* Iacobi felicitatem modicum temporis interuallum sanciuit, modicúmque si tardasset, depelleret. Hieron. *Mysticè*, addit Hieronymus apud Lippomanum, *secundum Hippolytum martyrem Rebecca plena Spiritu sancto; magis autem forma Spiritus sancti.* Rebecca diuinæ inspirationis formam retulit, quam dum expromptè Iacobus exequitur, & felicitatem sibi lucratur: si tantillum tardasset, seruitutem incurreret, dominium perderet: vt hinc noscas quantùm intersit, aut obsit breuis mora, aut expromptior obedientia.

Sponsus Sponsæ amore flagrans nulla impeditur distantia, nulla temporum arcetur iniuria: 83. pulsat; verùm Sponsa somni, lectulique tantillùm irretita deliciis aperire ignauè distulit, nuditatisq; ac imbecillitatis friuolas excusationes obiecit: Cant.5.v.3. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar*

duar illa? Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos? Dilectus Sponsæ inciuilitate tantisper exasperatus se subduxit, quem iam relicta illa suspirat ardenter. *Ille declinauerat atque transierat.* Solicitudine iam compensat ignauiam, & amore negligentiam; incidit verò, dum quærit sedula, in custodum manus, qui adeò se exhibuere inurbanos, vt pallio spoliauerint, plagásque reluctanti violenter incusserint: *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Ambrosius confert hunc sponsæ casum cum alia eiusdem sponsæ indagatione: quærebat illa sponsum, incidit in vigiles, à quibus nec iniuriam passa est, nec pallio dispoliata: testatur namque ipsa: *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: num quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cùm pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Quòdsi inquiras cur priùs felix adeò fuerit iter, cur adeò secundum anxium? Inuenies Sponsi vocationi lentè alibi respondisse, alibi exprompté: ergo, dum tantisper immoratur, calamitates asciscit, patitur vulnera, & quibus liberalissimè frueretur, depellit gaudia. *Habuit ergo certamen*, inquit Ambrosius in collectis cap. 5. *sed qua ratione suprà non tulerint pallium, haereo reperire: nisi fortè quia ibi interrogasse se dicit: Numquid, quem dilexit anima mea, vidistis? Quæ Christum loquebatur, nec exuta est pallio, & quem quærebat, inuenit. Disce quemadmodùm quæratur Christus.* Vbi Christus quæritur sine mora, nec amittitur pallium, nec salutis incurritur detrimentum; at vbi cunctatio exasperat, & mora fugat, non facile inuenit, palliúmque & salutem Sponsa perdit. Consonat Noster Delrius ad litteram: *Sponsam hoc loco videmus erudiri, quæ tarditatis specimen versu tertio dederat.* Non modicis se subiecit ærumnis, dum inspirationi tractis de industria moris distulit respondere: vt noueris vel exiguo temporis interuallo aut felicitatem asciscí, aut calamitatem incurrit: parum distulit, dum semisopita rogauit, quomodò se tunica indueret; sed breuissimam moram & pallij dispoliatione, & inculso vulnere compensauit.

Cant. 3. v. 3.

Ambros.

Delrius.

84\. Princeps, quo filij nuptias splendidiùs celebraret, regale instruxit conuiuium, & amicos inuitauit: illi promiserunt ad nuptiarum celebrationem venire; verùm vocati renuerunt, & excusationes varias colorarunt: *Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam.* Profectò ad vesperam fore reuersuros propheta testatus est: *Reuertentur*, inquit, *ad vesperam, & circuibunt ciuitatem.* Itaque non multo tempore venire distulerant; verùm adeò magnam de mora regis indignationem sibi conflarunt, vt non solùm morte punierit; sed ciuitatem etiam illorum anhelis flammis accenderit: *Missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* O quanta aut commoda, aut damna ex promptitudine, aut cunctatione! si vocanti annuissent, opiparis fruerentur deliciis, & regiis accumberent mensis; at dum in posterum mittunt, iram sibi regis accendunt: ciuitatem perdidit, qui villam ambiuit: haberet villam, & ciuitatem, si exprompté paruisset, & vocationem implesset: *His occasionibus vsi*, scribit Chrysostomus apud D. Thomam, *negligentiæ velamina proponebant.* Itaque ex Chrysostomi sententia venire respuerant, verùm dum negligentes vocationíque refragantur ignaui, & regię mensæ amiserunt honorem, & flammarum passi sunt ignem: exigua mora ferè immensa calamitatum excitauit volumina, commoditates attulisset mille obedientia.

Matth. 22. v. 4.

Psal. 58. v. 7.

Chrysost.

Nouerat apprimè hanc doctrinam Abrahamus, cui cùm Dominus de filio offerre sacrificium imperasset, properauit offerre, nec sustinuit immorari: *De nocte consurgens strauit asinum suum ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum.* Dum citò obedit, sibi prudentissimus senex consulit: vt filium acciperet, gestiuit libentissimè offerre: non timuit ferro incutiendam plagam; sed vel exiguam expauit moram, ne, dum tardat offerre, & filium amittat & meritum. Innuit Zeno Veronensis serm. 1. de Abraham: *De filio hostia parabatur festina: denique implere sacrificium, ne mora faciat peccatum, necessarijs sacramentis protinus preparatur.* Addit post pauca Veronensis: *Securus pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in mortem. O fratres! secura deuotio.* Nouerat Abrahamus Deo exprompté obedire semper felicitatem afferre, morosè obsequi infortunia conciliare: ergo inspirationi obedire properat, vt fortunam sibi stabiliat: forsan ensem sanguine cruentasset, si filium lentiùs ad cacumina montis tulisset: in ipsa deuotionis exprompritudine suam felicitatem conspexit, & à cunctatione mortem extimuit: *Timuit, ne dolori aliquid liceret in mortem*, hoc est, ne dum dolor differt, dum varias causas excusationis opponit, & mortem filio maturet. Disce ergo diuinæ inspirationi exprompté obsequi, quò valeas felicitatibus frui: nam dum exigua mora facit peccatum, affert & felicitatis excidium. 85.

Gen. 22. v. 3.

Zeno.

§. XX.

Iniustè afflicti clamores sunt fortissima contra potentiores arma; quia de cælo sibi præsentanea asciscunt auxilia.

IN se armat potentia manus, cùm iustos iniquè dispoliat, cùm pauperes inhumanè discruciat: iustitiæ namque oculus, etsi tantillum dissimulet, inualidorum tamen tuetur causas, & grandi supplicio illatas punire solet iniurias! timeant potentes pauperum gemitus, & miserorum clamores: nam afflicti lachrymæ, dum diuinam sibi compassionem asciscunt, & vltricem in violentos iram valenter accendunt: *Propter miseriam inopum*, aiebat Dominus, *& gemitum pauperum nunc exurgam*: sanè aduersus opprimentes iniustè, affligentésque studiosè. Innuit Incognitus ad hunc locum: *Dormire dicitur Deus, quando suis non subuenit; sed eos affligi permittit, & sic per oppositum exurgere dicitur, quando suis succurrit, & eos defendit.* Potentium diuitúmque gemitus non sic Deum excitant, vt miserorum singultus: dormit, & potentes potenter peccare permittit: retinet non semel iram, vt 86.

Psal. 11. v. 6.

Incognit.

vt expectet pœnitentiam; verùm si inopes ingemant, si acceptis iniuriis clament, rumpit somnum, & vibrat in opprimentes fulgurans ferrum. Moyses & Aaron à Domino mittuntur, & ferè omnes in Pharaonem creaturæ obarmantur: *Misi Moysem & Aaron, & percussi Ægyptum multis signis, atque portentis.* Et quis tot signa, tótque portenta ad ferendas sibi suppetias asciuit? Quis Moysem, & Aaronem virga illa miraculorum officina obarmauit? Clamor profectò afflictorum, & miseria inopum. Audi ipsum Dominum cum Moyse disserentem:
Exod.3.v.7. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præsunt operibus, & sciens clamorem eius descendi, vt liberem eum.* Putabat Pharao quantumuis cum nulla humanitate Hebræorum filios vorticibus tradidisset, quantumuis iustorum memoriam iniquissimis attibus aboleret, quantumuis cruentis verberibus dissecaret, nullum illis aduersus tantam potentiam auxilium fore; verùm egregiè cæcus errauit: ipsæ namque miserorum ærumnæ, & iniustè afflictorum lachrymæ inuincibile adeò sibi comparauerunt auxilium, vt certum Pharaonem, Ægyptiósque absorbuerit naufragium. Ad rem Lippomanus ad
Lippoman. Exod.3. *Clamat in cælum pauperum oppressio, & à Deo dissimulari non potest, quæ & tanto magis Domino displicet, quantò minus ipsi se vindicare volunt, vel possunt.* Expende illud: *A Deo dissimulari non potest.* Quasi dicat: multa alia scelera à potentioribus commissa clementer dissimulantur; verùm dum oppressi pauperes clamant, sic vel dormire affectantem inquietant, vt ad vindicandas illatas ipsis iniurias cogant: *Clamat in cælum pauperum oppressio, & à Deo dissimulari non potest.* Timeant magnates inualidos iniuriâ afficere: nam dum se tutiùs aduersus inualidos putant agere; periculosius, quia aduersus inualidos diuinam nouerint iram incurrere. Afflictis Hebræis humana deerant auxilia; sed clamantibus pro auxilio fuerunt portenta.

87. Nostram thesim hoc idem caput confirmat: nam cùm post ingentes plagas Pharao populum dimisisset, citò ad antiquam rediit duritiam, & cordis obstinationem: manum cogit, vt fugientes insequatur, vtque modicum libertatis tempus seruitute recuperauit duriore, iugóque in-
Iosu.24.v.6. flexibili: *Persecuti sunt Ægyptij patres vestros cum curribus, & equitatu vsque ad mare rubrum.* Sic Hebræi ingentibus arctabantur angustiis, vt hostilis mucro iam ferè terga feriret, & mare prorsus aditum denegaret. Quid tunc? Ad Dominum clamant oppressi, & de clamore magnum adeò sibi asciscunt auxilium, vt omnem Ægyptiorum potentiam, quod olim paruulos, præceps deleret naufragium: *Clamauerunt ad Dominum filij Israel, qui posuit tenebras inter vos & Ægyptios, & adduxit super eos mare, & operuit eos.* Credebat Pharao Hebræos posse nullatenus eius effugisse potentiam; sed miserorum clamor maturauit illi vindictam. *Excelsi,* inquit Rabbanus ad Exod.14. apud Lippoman.
Rabban. *videbantur prædicti currus Pharaonis, & duces diabolici exercitus; sed reuera manus Domini excelsa est, in qua egressi fuimus.* Aptiùs Ambro-
Ambros. sius in Psalm.118. & apud Lippoman. *Clamabat affectu pio, & sensu profundo, & personabat in cælo miraculis petens digna cælestibus, vt mundi elementa mutaret.* Non habebat inopia humanas vires; sed naturæ clamor mutauit leges: illud sibi asciuit remedium, vt iam Pharao non ambiret spolium; sed anxiè procuraret effugium: hæ vires miserorum clamori insunt, vt hostiles euertant copias, & potentium vincant phalangas: ergo time iniuriam pauperi inferre, ni tibi velis excidium imprudentissimè maturare.

Chananæa mulier, cùm eius filia ægrè à dæmone torqueretur, ad clamorem recurrit: *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit.* 88. Matth.15.v.22.
Hostis adeò viribus erat potens, vt humanum pro muliere rideret subsidium, & sperneret adiumentum, & mulier ad fragiles recurrit lachrymas, vt incrementet ærumnas. Quid proderit aduersus potentiam luctus, & aduersus malitiam clamor? Profectò mulier ad arma prorsus inutilia videtur ad speciem recurrere, dum ingeminat inclamare; verùm quantæ insint clamoribus vires aduersus potentium iniurias, & magnorum violentias, ostendit affectus, dum dæmon diuino imperio exulauit abactus: *Sanata est,* inquit textus, *filia eius ex illa hora.* Erant clamores iniuria oppressæ, & contra rationem afflictæ; adeò valida in prementem arma, vt reportarint trophæa: clamor diuinum asciuit auxilium, & potentissimum detriumphauit lachrymis aduersarium: *Cùm hæc mulier accessisset,* scribit Chrysostomus apud D.Thomam, *nihil aliud, quàm misericordiam poposcit, vnde sequitur: Clamauit.* Addit post aliqua idem Chrysostomus: *Impetrat ipsa: tam magnum quid est instantia orationis.* Dum orat, dum ingemit, dum *Magnũ quid est instantia orationis.*
clamat, aduersarij quantumuis potentis vires subiugat, & victoriam lachrymis fusis reportat: nullum videbatur fore aduersus adeò immanem & potentem hostem auxilium; verùm quæ humanis viribus non poterat potentia vinci, didicit clamoribus superari: & quomodo Christi dissimularet benignitas, quam immanis hostis in pauperculam, & omni destitutam auxilio exercebat violentiam? Clamore vicit, vt noscamus magnam inesse vim afflictorum clamoribus contra audacium potentiam, & contra potentium audaciam.

Perpendebam mecum aliquando Cainum il- 89.
lud naturæ dedecus in fratrem viribus præualuisse; non tamen iniuriam passi clamores validos superasse. Repetamus historiam, vt potentium reprimamus audaciam. Primus partus fuit ipsi naturæ infestus: Cainus fratris inuidiâ exulceratus dolo ducit in campum, & viribus præualens iustum interimit: *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Gen.4.v.8.
Abelis sanguis iniustè effusus clamoribus obarmatur, & aduersus potentiam luctibus instruitur: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Quid tunc? A clamore exulat victus, qui Abelum interemit superbus; verùm si præualuit aduersus Abeli personam, cur aduersus clamorum non præualeat etiam instantiam? Quia etsi potentia non adeò potentem potuerit vincere, iam iniuriam passi clamorem potuit nullatenus superare: ipsa namque illata iniuria energiam clamoribus ministrabat, & aduersus potentiam quasi in aciem producebat. Accipe Basilium orat.4. *Vox fratris tui clamat ad me de terra: vitam sustulisti; sed non & vocem abstulisti: sanguinem contra te accusatorem armasti, cæde aduersarium consciuisti tibi immortalem.* O quàm Seleuc.

plus verendum Caino fuerat à clamoribus iniuriam passi, quàm à viribus Abeli! Dum potentia in fratrem fratris armatur inuidia, minorem facilè vicit, & inermem superauit; verùm, dum clamor cælum pulsat, quia cæleste adsciscit auxilium, præualet facilè in aduersarium: iniuria, dum ad clamores compellit, & in se vires exacuit: facilè fuit potentiori iniuriam inferre; non verò facilè fuit clamores iniuriam passi sopire: & quidem dum sanguis clamat afflictus, Cainus timore exulat agitatus, & solicitudine anxia perculsus. Vt noueris quantas sortiatur vires iniustè afflictorum lamentum, & cælum pulsans suspirium: vincere non potuit voces, qui potuit facilè frangere inualidi vires.

90. Vidit Ioannes subtus Dei altare animas interfectorum propter verbum Dei iudicem pro vindicta interpellantes,& clamoribus adurgentes: *Clamabant voce magna dicentes: Vsque quo Domine (sanctus & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?* Quid tunc? Veluti munusculis dilargitis clamores sopit, & tacere iubet: *Data sunt illis singulæ stolæ albæ,& dictum est illis,vt requiescerent adhuc tempus modicum.* Et quid necessum est, cessent clamare, si temporis immaturitas vetat exaudire? Clament, quò solicitudinem prodant; sed iudex dissimulet, vt tempus opportunum expectet. O magnam clamoris ad impetrandum energiam! Iubentur vsque ad opportunum tempus tacere: nam si clament, quodammodo Deum cogent vltionem anticipare: adeò possunt afflictorum clamores, vt si vltio tantisper sit differenda, necessum sit clamores reprimere, vt, si clament, quidquid petierint, concedere.

Apoc. 6. v. 10.

§. XXI.

Miserrimus est, qui mundum amat reiectus & fastiditus; eximiæ virtutis, qui fastidit plausibus allectus, & spebus magnis vocatus.

91. Cassiodor. Constat iucundum esse rerum bonarum saporem, scribit Cassiodorus 7. var. 38. *& vilem ambitum laudis: qui petitur per augmenta virtutis.* Hic solùm ambitus est honestus, quando dignis actionibus tempora despexit suffultus; verùm eò deuenit mortalium error, eò sæculi insanus incanduit amor, vt excusationem videatur habere ambitus, qui augmenta consequitur, & quantumuis vana, incrementa lucratur: dum falsus fulgor verberat, & circumfusa lux radiat, nil mirum alliciantur oculi, & pulchris præstigiis fallantur animi. Ferè nullus prudenti agit consilio; sed rapitur cæco affectu. O quàm plures adinstar fluminibus innatantium feruntur, non eunt! Hos lenior vnda detinuit, ac molliùs vexit; illos vehementior rapuit, & vndis circumagitatos absorbuit. *Nulli*, aiebat Seneca epist. 22. *necesse est felicitatem cursu sequi: est aliquid, etiamsi non repugnare, subsistere, nec instare fortunæ ferenti.* In peius ruunt omnia: eò deuenit prauitas, vt iam satis sit non dico repugnare, non pedem figere; sed & fortuna ferenti rapi, dum repudiantem, vt abiicientem obstinatè homines non sequantur, indignè humiles, dum nec derelicti subsistunt, nec honori suo abiecti consulunt. Ecce Hebræi apud Ægyptios, quasi essent serui empti de lapide, verberibus proscindebantur ad amaritudinem perducti,& immetatis oneribus prægrauati; verùm sic erga Ægyptum inueniebantur affecti, vt necessum fuerit multiplicare signa, adaugeréque, vt fugerint ex Ægypto, portenta: *Misi Moysem & Aaron,& percussi Ægyptum multis signis atque portentis, eduxique vos,& patres vestros de Ægypto, & venistis ad mare.* Non minùs opus fuit portentis, quàm vt Ægyptij manumitterent populum, vt Hebræi excuterent à ceruicibus iugum, & celeres tenderent ad desertum: *Percussi Ægyptum multis signis*, inquit Abulensis quæst. 8. *vt Iudæi liberi dimitterentur.* Necessaria erant prodigia, quibus Ægyptij oppressi dimitterent, & quibus Hebræi excitati exirent, vtque hæc dilucidiùs pateat veritas, recole egressionis historiam: videbisque necessum fuisse Hebræos compelli, & vel compulsos lentissimo pede exire: *Vrgebant Ægyptij populum de terra exire velociter.* Satis videbatur futurum facultatem facere, non vrgere: nam quos durissima fugere compellebant flagella, quid necessum erat adhortationibus adurgere, & repetitis precibus diuexare? Certè hæc Ægyptiorum coactio exertè indicat, quàm cæcè obstinatéque Ægyptum adamarint Hebræi, quandoquidem adhuc compulsi lentabant gressum, & tardabant veluti de industria cursum. Innuit Chaldaica apud Lippom. *Fortiter egerunt Ægyptij contra populum, vt festinanter emitterent eos de terra.* Alij etiam vertunt; *& vim fecit Ægyptus populo festinando emittere eos de terra.* Consonat Caietanus: *Vrgentibus Ægyptijs cæperunt eadem nocte versus diem egredi.* Coacti immorantur, & compulsi studiosè detinentur. Et quid grauius eorum posset damnare affectum, quàm exire compulsos, non solùm abire permissos. Certè si Ægyptus illos detineret blanditiis, & alliceret commodis, nil mirum fuisset necessaria violentia; verùm dum afflicti, dum diuexati, summa proditur illorum nequitia. Et quidem quod de Hebræis retulit semel historia; sæpiùs ostendit in minoribus experientia: à mundo abigimur, indecorè expellimur; & tamen deglutimus opprobria, & deuoramus conuitia.

Abulens.

Exod. 12. v. 33.

Paraphr. Lippoman.

Caietan.

Paradisæis topiariis primi diuersabantur parentes; erat voluptas purissima, cùm serpens adhuc pectore non fouisset venenum, nec mulieris aures venenatus eius inficeret sibilus; verùm ad inuidiam excitatus dæmon serpentem efferatus induit, & turpiter adrepens ambire dignitatem suasit: mulier malum cum oculo communicauit,& quos innocentia ad delictum oculos clauserat, aperuit ad pulchritudinem noxiam adspiciendam malitia: *Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Seductionis fructum vindemiauit; sed, si fas est dicere, sui erroris Eua aliquam ad speciem excusationem potuit afferre, quando constat externa arboris pulchritudine oculos oblectari. Itaque arbori accessit venustate illecta,& saporatis fructibus inuitata: magni illi stetit fallacia; remansit namque nuda,& dispoliata innocẽtia: ab arbore tegumenta mutuatur, & quam antea spoliauerat fructibus, modò denudat 92.

Gen. 3. v. 6.

Optima laus virtutis filia.

Seneca.

Fortuna temperanda est.

nudat

nudat & frondibus: *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Itaque iam planta illa, quę vernantibus foliis aspectum detinebat, quæque fructus dulcedine appetitum irritabat, horret frondibus, & fructibus orba. Quid tunc? Vocem Domini transgressores audiunt, & iterum ad plantam recurrunt: *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini in medio ligni paradisi.* Lignum hoc, in quo absconduntur, & ad quod recurrunt, fuisse illud ipsum, circa quod antea fuerant præuaricati tradit Lippomanus: *Absconderunt se in medio ligni paradisi, id est sub ligno scientiæ boni & mali, in quo etiam deliquerant.* Quid hac cæcitate grauius? Quid hoc errore peruersius? Putauerat antea Eua ope illius plantæ in Deum se euasuram: viderat pulchram, & gratis frondibus exornatam, & præstigiis illis allecta deliquit, quod sanè erat humanæ fragilitatis; at postquam tot detrimenta experta, postquam spebus nullis vocata, postquam venustate nulla allecta, iterum redire, & ligno iterum adhærere iam non tam humanæ fragilitatis, quàm cæcissimæ erat obstinationis. Quid Eua arbori accedat post tot dolores, post tot illatas calamitates? O peruersitatis ingenium! A Deo fugit, & iterum ligno adhæret non iam vel falsis spebus illecta; sed grauissimis ærumnis vexata.

Lippoman.

93. Quam pulchris coloribus hanc nobis veritatem Nabuchodonosoris historia expressit! Ab hominibus eiicitur, & duris vinculis illigatur: *Alligetur, inquit, vinculo ferreo & æreo in herbis, quæ foris sunt.* Profectò ludicra videtur alligatio, quando non caucaso, vt Prometheus affigitur; sed herbis vincitur. Quid faciliùs, quàm herbas frangere, & fœnum rumpere? Verùm ea erat Nabuchodonosoris amentia, vt grauissimis vinculis constringeretur exiguis rebus affixus, & plusquam puerilibus illigatus. Crederes à throno detrusum, totque ærumnis calamitatum oppressum ad saniorem mentem reducendum, eiusque aspectum ad superiora leuandum; verùm adhuc expulsus terram respicit, & bruti ad instar sic fœnum amat, vt non solùm illigetur catenis durissimis viridanti; sed arescenti: *Fœnum vt bos comedet:* ipsi quidem fœno illigatus, & fortissimis catenis adfectionis constrictus: nil mirum, si, vt antea, vinciretur throno, si grato purpuræ nigrore ambitiosus illigaretur; sed mirum est dura fortuna abactum, & tot calamitatibus pulsum non iam magnis; sed ludicris illigari, herbísque vinciri. Opportunè Noster Sanctius: *Ostendit quo in loco vinciendus sit ferro, id est alligandus belluino pabulo.* Vt posset throno, alligabatur fœno, & qui à magnis exciderat, adhuc detinebatur exiguis, fœnū amans, & fœno victitans. Vtque noueris quàm impotenti affectione fuerit erga fœnum, verbum illud expende: *In herbis, quæ foris sunt:* quasi dicat textus: Fœno affectionis vinculis illigabitur, non quidem in stabulo, vbi belluæ à temporum iniuriis pascuntur tectæ; sed in agro gelidæ hyemis subiectus niuibus, & æstatis torridæ ardoribus: nullis temporum iniuriis à fœno arcebitur; imò tot ærumnis diuexatus durabitur. Innuit noster Sanctius: *In herbis, quæ foris sunt, non in stabulis, aut præsepibus, vbi domestica aluntur iumenta à nocturno, aut matutino rore, & calorum inclementia secura: id enim valet, in herbis foris.* Quàm carò insipidum illi fœnum stabat, & quot incommodis corporeis emebat! Frigidissimæ noctis gelu perferebat, vt candicante aurora fœnum, quod hodie viret, & cras in clibanum mittitur, spectaret, & modicum ad tempus videret. Profectò Nabuchod. mirum peccatoris emblema, quandoquidem plures hyemalis noctis glacies & frigora perferunt fenestræ illigati, & vincti, si fortè fœnum carnis symbolum vel ad modicum tempus possint videre, & furtiuis eius deliciis frui.

Dan. 4. v. 12.

Sanctius.

Hine notabis non modicæ sanctitatis esse mundum fugere, qui à mundo reiicitur, quique calamitatibus angitur, vt est eximiæ diuinæque virtutis mundum vanis illecebris allicientem spernere, & spebus non euanidis detinentem proculcare. Elias ille magnus iras Iezabelis incurrit, séque prophetam prodidit, dum viam celeriter carpsit. *Timuit Elias, & surgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas, &c. & perrexit in desertum.* Iezabel carnis personam gerens duram intractabilémque erga Eliam se ostendit; ea verò est hominum erga affectus carnales amentia, vt Eliam Dei prophetam prodiderit fuga: ni enim talis esset, non curaret fugere; sed furentem delinire; & quantumuis adurgeretur periculo, adularetur carnis oblectamento: *Fugit Elias mulierem Iezabel*, inquit Ambrosius lib. 1. de fuga sæculi cap. 6. *id est, effusionem vanitatis, & fugit ad montem Horeb.* Adstipulatur Rabbanus apud Glossam: *Elias cùm tot virtutibus processisset, Iezabel postmodum, quamuis reginam; tamen mulierculam fugit.* Profectò, ni tot virtutibus ornaretur, vel abactus non fugeret; sed aduersus pericula importunus instaret. Quod si spernere mundum, dum periculum vrget, non modicam publicat sanctitatem, quid erit spernere non persequentem; sed spebus blandissimis inuitantem? 94.

3. Reg. 19. v. 3.

Ambros.

Rabban.

Pauerat Christus Dominus multa hominum millia in deserto: O quàm res videre tunc fuit! Tamen cuinecbant extemporanei panes, & largitoris prodebat omnipotētiam hominem adeò vicisse cupiditatem, vt cophini fragmentis pleni tollerentur, turbæ miraculo viso laudibus extollunt, & regem inaugurare contendunt; verùm Christus Dominus fugit, & in montem solus recessit: *Cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Quàm latum discrimen inter Domini & Eliæ fugam inuenitur! Fugit ille minantem turbam, hic fugit allicientem: Christum discupiebant efferre, maximámque ad dignitatem extollere; verùm Dominus se plausibus subduxit, & maiore, quàm Elias, ad montem auiditate contendit: *Dedit exemplum,* inquit Alcuinus apud D. Thomam, *fugiendæ laudis, & terreni imperij.* Adstipulatur Beda ibi: *Turbæ viso tanto miraculo intellexerunt pium, atque potentem, & idcirco voluerunt ipsum facere regem, homines namque volunt habere regem pium ad regendum, & potentem ad tuendum: Dominus igitur hoc cognoscens fugit in montem.* Elias periculum fugiens Dei proditur seruus, Christus fugiens plausum probatur Dominus: erat enim eximiæ virtutis ridente fortuna, inuitante plausu, & veluti cogente fastigio omnibus renuntiare, & desertorum horrores petere. Subit memoriam modo B. Pater Noster Franciscus Borgia, qui ad Religionis fugit solitudinem, quando tot illum vincula detinebant, etsi fas est 95.

Ioan. 6. v. 15.

Alcuin.
Beda.

est dicere, insolubilibus vinculis illigabant: Cæsari charissimus, eiúsque Priuatus, filiis clarissimis exundans, diuitiis opulentissimus, & omnibus, quæ ad humanum splendorem pertinent, fortunatus se sæculo subduxit, & Christi Domini vestigiis institit.

§. XXII.

Quod breui temporis spatio perpetratur delictum, prolixum, vt aboleatur, requirit sæpè tormentum.

96. HÆc, *quibus delectatur vulgus*, aiebat Seneca epist. 23. *tenuem habens ac perfusoriam voluptatem, & quodcumque inuectitium gaudium est, fundamento caret.* Vera dixit, orationemque compleret, si addidisset tenuem & perfusoriam non habere pœnam; sed prolixam & sanè lētam. Vanas nobis noster appetitus suggerit voluptates, & vtpotè vanas breues; non tamen breuiter pœnitendas, aut leuiter vindicandas. Citò voluptatis transit delectatio; non tamen citò accensus sopitur dolor, aut ingestus medullis desinit tremor. Per mensem quis salacissimæ se libidini addixit, & morbos cum morte solùm finiendos contraxit: iucundiori potu, solúmque, dum transmittitur, oblectanti ardentissimam ille febrim pectore flabellauit, cuius flamma vix potuit copioso sanguine, sitique prolixa sopiri: *Facilis*, aiebat Poëta, Virgil 6. Æn. *descensus auerni; sed reuocare gradum superásque euadere ad auras: Hoc opus, hic labor est.* Facilè venenum hauritur; sed dum inardescunt venæ, dum aduruntur spiritus, non facili medicamine reparatur. O quàm celeriter committimus multa luenda, & longissimis annorum tractibus vindicanda. O quot breuis vita purgatorij annos promeruit, flammásque prolixas sustinuit! Putamus leuia esse peccata, cùm prolixa illis vel expiatis respondeant in purgatorio supplicia. Iosephi fratres inuidentiæ stimulis sic furunt agitati, vt in se ipsos insaniant, & proprium sanguinem vendant. Vestem in cædis speciem componunt, & sparso sanguine necem mentiuntur: ob id scelus Ægyptum intrant, hospites quidem, non serui; verùm ibi longissimis annorum tractibus affliguntur, & diuersis pœnarum generibus discruciantur: *Iacob & filij eius descenderunt in Ægyptum, misique Moysem & Aaron, & percussi Ægyptum multis signis, atque portentis, eduxique vos, & patres vestros de Ægypto.* Quanto tempore tetro Ægyptiacæ fornacis fumo fuerint obscurati, Genes. 15. expressum est in Genes. cap. 15. *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Iam has calamitates ob Iosephi venditionem perpessos tradit Rupertus Rupert. lib. 5. in Genes. cap. 12. *Hæc tenebrarum iteratio geminam seminis Abrahæ aduersitatem significat, primam videlicet, qua fratrem suum Ioseph vendiderunt, quæ causa fuit peregrinationis, & seruitutis illorum.* Fratris venditio celeriter fuit peracta, acceptáque pecunia breuissimo tempore fuit consumpta; verùm contractus ob scelus reatus non adeò breui tempore fuit detritus. Quadringentis annis fornacis flammas, & verberum coguntur sustinere ignominias, vt discant quàm longa pœnâ breuissima compensetur voluptas, quantaque seruitute soluatur vanitas: quadringentis annis laborarunt iugo seruitutis detriti, quia fratrem ob leue lucrum, leuíque tempore nundinati.

Succedat fratribus Iosephus ipse: de falso crimine interpellatus carcere detinebatur vt reus: 97.
stabat quidem purissima conscientia erectus; sed apud homines infamatus. Duo Pharaonis serui per id temporis vinculis constringuntur, visisque somniis, quorum interpretationem nesciebat, peiora interpretari afflictantur; Ioseph ex oris tristitia corda vehementer premi cognouit, & causam pia importunitate quæsiuit: somnia retulerunt, cúmque pincernæ somnium felicitatem protendere aperuisset, adiecit: *Memento* Gen. 40. v. 14. *mei, cùm benè tibi fuerit, & facies mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere.* Acceptum beneficium ingratitudo secuta est, iam pincerna aulæ plausibus honoratus, prorsus est coniectoris oblitus; carcere delituit Iosephus, donec post annos duos arcanum Pharaoni obiectum est somnium, cuius significationem aperiens regis promeruit gratiam, & aurea torque ferream commutauit catenam: *Post duos annos vidit Pharao somnium.* Gen. 41. v. 1. Augustinus apud Lippoman. notat Scripturam duos annos elapsos testari, quo nobis arcanum aliquod aperiret, scilicet ob leuem illam confidentiam, spemque, qua Iosephus credidit sibi à pincerna aliquod auxilium fore, longo adeò tempore afflictum, & carceribus detentum. Profectò homini beneficiis obstructo, & apud Principem honorato fidere rationi videbatur cōsentaneum, aut certè exiguum satis delictum; verùm dum æqua trutinâ examinatur confidentia, prolixa adeò pœna inuenitur digna, vt gemino in carcere detentionis anno culpa illa fuerit detersa. Accipe Augustinum: *Cùm in omnibus gratiam* August. *Dei meruisset, subreptum est illi, vt ab homine auxilium peteret, pro qua re additi sunt duo anni, quibus adhuc teneretur in carcere: tamquam diceret ei Deus: Ego tibi ostendo, vt magis à me, quàm ab homine debeas auxilium postulare.* Leuis ad speciem offensa compensatur adeò prolixa vindictâ; nam quæ apud nos habentur parua, apud seuerum iudicem inueniuntur graui castigatione dignissima: duobus sibi annis protraxit pœnam, qui non prorsus Deo; sed suam homini commiserat causam.

Esau cùm lassus & famelicus domū repeteret, 98.
lentis edulium à fratre saporatè conditū auidissimè cōcupiuit, & ingenti pretio cōparauit: *Accepto pane & lentis edulio comedit, & bibit, & abijt:* Gen. 25. v. 34
ob breuissimam voluptatem se seruituti subiecit, iugúmq; suis ceruicibus durū imposuit: quanto tempore durarit seruitutis labor, Scriptura non explicuit; sed satis prolixis annorum tractibus durasse patris benedictio indicat: *Fratri tuo*, aie- Gen. 27. v. 40
bat, *seruies, tempúsque veniet, cùm excutias & soluas iugum de ceruicibus tuis.* Vt insane cupidini adularetur, vt breuissimæ inseruiret voluptati, se prolixæ adeò seruituti addixit, vt plurimis annis iugum excutere à ceruicibus non valuerit: *Tempus veniet, cùm excutias, & soluas iugum de ceruicibus tuis. Hoc impletum est*, inquit Lyra. Lyra, *quando Idumæi rebellauerunt; ne essent sub Iuda.* Ferè innumeri anni elapsi sunt, vt quem breuis contraxerat appetitus, culpæ deleretur

retur reatus: gemebat Esau sub iugo: quia adulatus fuerat ad modicum appetitui: longa seruitutis pœna compensata est breuissima voluptatis insania.

99. Nabuchod. ille superbus, cùm è sublimi loco Babylonem spectaret hominum copia refertam, & insanis substructionibus speciosam, sibi tacitus adulabatur: Nonne ego, aiebat, sum, cui potentissima hæc ciuitas totius orbis nobilissima & speciosissima pars, subiecta est? Nonne ego sum, qui multis modis ornaui, & amplificaui, qui pensilibus hortis vsque ad miraculum perduxi? Hæc aut similia animo voluebat insanus, cùm vox è cælo ruit, quæ sententiam in illum fulminaret, & à throno per longa an-
Dan.4.v.27. norum spatia detrudendum sanciret: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Audis superbos concepisse spiritus, audi quos tulerit ob superbiam cruciatus: *Cùm sermo adhuc esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex: regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eycient te, & cum bestiys & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te.* Breuiter disparuit præsumptio; sed non fuit breuis præsumptionis punitio: verbum non protulit, intra cordis arcana res peracta est, & nihilominus tacitæ præsumptionis culpa prolixa detersa est pœnâ: *Prospectabat*, inquit noster
Sanctius. Sanctius *è sublimi loco quemadmodum ipse acceptam à parentibus vrbem nobilitasset, & ornasset opibus, vt supra ingentes moles, quas ipse immanibus sumptibus excitarat, hortos conseuerit pensiles; imò & syluas... Sic autem hæc secum reputans vehementer intumuit.* Non grande censeres delictum ciuitatem à se nobilitatam non sine oblectatione adspicere, & glorianter spectare; hoc tamen delictum per longa septem annorum spatia, vt nonnullis placet, aut saltem per trium cum dimidio punitum est: & qui superbos pectore fouit spiritus, temporum iniuriis mansit expositus, & compedibus durissimis obligatus: & fortassis ipsemet internam non nouerat culpam; sed duram exoluit pœnam. O quoties nostros non videmus defectus, aut leuissimos quidem putamus, quos posteà dura purgatorij consumet flamma, & prolixa purgabit pœna! Tumentia verba, iocosa mendacia, leuia ludibria æstus & flammas parient, & dolores non leues adducent.

100. Cum fratre Isaac ludebat Ismael, ac puerorum more iocabatur; verùm puerilis iocus à paterna domo punitur exilio: vidit Sara ludentem, &, vt puniret culpam, fulminauit eiectionis
Gen.21.v.9. sententiam: *Cum vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eyce ancillam hanc & filium eius:* Ismael cum matre Numine sententiam confirmante est eiectus, & deserto siti ardentissima discruciatus. *Creuit, & moratus est in solitudine, factúsque est iuuenis sagittarius.* Coactus est habitare deserta, qui paterna olim habitauerat tabernacula. Quæ autem prolixi adeò exilij fuerit culpa, scrutantur interpretes: nonnulli existimant Isaaco illusisse, seu derisisse: alij de lauto conuiuio in Isaaci ablactatione cum aliis ob-
Caietan. murmurasse. Audi Caietanum: *Non numeratur in textu Hebræo Isaac; sed interpres addidit: nec narratur Ismael ludens cum Isaac; sed faciens irridere, hoc est efficiens vt pueri coætanei Isaac ludentes cum eo irrisionem aliquam facerent ipsi Isaac.* Lippomanus irrisisse putat grande conui- Lippoman.
uium. *Impatienter fert Sara ludentem Ismaelem, vel quod irriserit grande conuiuium patris in ablactatione paruuli Isaac.* Opiparum conuiuium obmurmurationibus obscurauit, aut sanè coætaneos Isaaci pueros, vt illi illuderent, monuit, aut deceptiunculas aliquas concinnauit: quod etsi ad speciem leue censeatur peccatum, longum promeruit diuina sententia exilium: vt noscamus quàm districta Numinis vel erga leues ad speciem actiones fuerit sententia, quámque grandis illas puniuerit mulcta: iocosa irrisio mulctatur, obmurmuratio punitur. Ergo vel à leuibus abstine erratis, si ardentissimis purgatorij non aduri discupis pœnis.

---

§. XXIIII.

Rarò à Deo infliguntur verbera, quin præcesserint appetentis calamitatis indicia.

NOn semel hominum improbitas cum diuina clementia certat: in se ipsos armant homines diuinam iustitiam, & quasi iniectis irritant stimulis, & punire cogunt peccatis; ea verò est Numinis lenitas, vt de ipsis suppliciis nitatur impedire supplicia. *Quanto humanius*, aiebat Seneca lib.1. de ira cap.14. *mitem & pacatum animum præstare peccantibus, & illos non persequi; sed reuocare? Errantem per agros ignorantia via melius est ad rectum iter admouere, quàm expellere: corrigendus est itaque, qui peccat, & admonitione & vi, & molliter & asperè:* priùs molliter, asperè postea; imò in ipsa supplicij comminatione latêre debet humanitas, & de præmissa admonitione splendere benignitas, vt sua culpâ perire constet punitum, cùm sæpesæpiùs internis, externísque consiliis ad vitæ rectitudinem reuocetur admonitus: plusquam ipse peccator, de infligenda vindicta videtur dolere Deus: cruciat namque misericors eius ingenium miseri casus, & inutilis, ac tardus pereuntis adflictat gemitus: vnde, vt proprium vitet dolorem, sæpiùs deterret, vt de terrore frustretur homo supplicia: iras fulminat, quò, dum apperés præuidetur mulcta, indignationis amoueatur causa, & iræ tollatur prouidenter materia. Ecce Moyses & Aaron referuntur missi, vt Ægyptios signis, atque portentis percuterent, ac durissimis Hebræos tyrannidis catenis soluerent: *Misi Moysem & Aaron, & percussi Ægyptum multis signis, atque portentis.* Multa signa præcesserunt quidem portenta; imò pauciora fuerunt portenta, quàm signa: non enim ait in multis portentis ac signis; sed, *in multis signis atque portentis.* Iam si inquiras inter signum & portentum discrimen, respondet Abulensis q.8. portentum aliquas secum asportare plagas; signum verò solummodò pœnæ notas: audi eius verba: *Signa dicuntur à signando solùm, & portenta nocebant: erant enim in illis, quæ Deus fecit, quædam, quæ non infligebant aliquod malum Ægyptiys; sed solùm erant probatiua quod Deus Israelitarum esset Deus, sicut conuersio virgæ in draconem, & è contrario, & ista vocabantur signa,*

101. (margin)
Seneca. Peccator non est persequendus; sed reuocandus.
Abulens.

&

& non portenta; alia autem erant, quæ infligebant malum Ægyptijs: Deus in refractarios Ægyptios Moysem & Aaronem armat, priùs tamen signis, deinde portentis, vt vitare quirent portenta, dum portentorum adspiciunt signa.

102. Lucæ 13. parabolam inducit Dominus hominis in vinea ficum habentis, quam excidi iussit, postquàm fructum semel & iterum non inuenit:
Luc 13. v. 7. *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* Nolebat excidi; sed metu concuti: ideò pœnam terrore commutauit: facile erat in ipsis minis latentem Dei beneuolentiam inuestigare: in suppliciorum namque comminatione plena commiserationis resplendent verba, imò ipsa excidij præceptio erat affectionis teneræ demonstratio: resonabat osoris ad speciem vox; sed erat mens miserentis: indignans ficulneæ miserebatur, & minitans desiderabat saluare, imò ob id cultori præcipiebat excidere: apertè gerebat iram; sed in ipsa ira occultam demonstrabat clementiam: audiuit ficulnea minas, & infligendas sibi posteà duriores agnouit pœnas: vt enim de terrore euacuatur sæpè supplicium, ita aliquando incrementatur etiam tormentum: vtrumque infelix attestatur hæc planta: nam cùm Dominus curiam repetens secus viam, frondosissimam spectasset, & vacuam fructibus inuenisset, æternæ sterilitati damnauit, & seueritatis argumentum intuentium oculis dedit:
Matth. 21. v. 19. *Videns fici arborem vnam secus viam venit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tantùm, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea.* Ficulneæ sterilitati intentatum olim supplicium apposuit efficax satis remedium: ostenderat namque iram, vt exolueret pœnam; verùm cùm irarum non profuit significatio, virore plantam rationabilis mulctauit punitio: noluit priùs delinquentem siccitate punire; sed terroribus admonere; verùm dum monita fructus producere spreuit, irreuocabile supplicium incurrit. O quàm queri non potest ficulnea improuiso sibi supplicio excisam, cùm constet anteà misericorditer excidi iussam; verùm dum priori frustrato periculo fit ad prosequendam sterilitatem audacior, de sterilitate, déque præostensa ira grauiori marcet horribilior. Hanc penitiùs veritatem agnosces, si expendas priùs iussam non auelli; sed succidi: *Succide*, inquit, *illam:* & quidem, dum succiditur planta, radix adhuc in terra manet occulta; modò verò à radicibus arefactam ficulneam prodidit textus:
Marc. 11. v. 20. *Viderunt*, inquit, *ficum aridam factam à radicibus.* Rami, frondesque sterilitate damnati sunt de sterilitatis culpa, & olim permissa radix de præostensa arescit pæna: supplicij tarditas grauitate compensata est, & quæ noluit de supplicij vigere signo, aruit infeliciter de portento. Ad rem Hieronymus in catena ad Matth. 21.
Hieron. *Nunc vbi in contumaces formam seueritatis constituebat, futuri speciem damno arboris indicauit.* Damnauit arborem; sed contumacem; sed quæ præostensas spreuit iras, vt dignissimas daret pœnas: priùs admonuit periculum, incussit posteà flagellum. O si ficulnea comminatione perculsa fructum extruderet, quàm clementiæ matrem comminationem ostenderet; at dum prænuntiatum paruipendit excidium, excidij experitur damnum.

Expendebat Drogo Ostiensis de Sacramento Domin. passion. lapidem à monte sine manibus 103.
excisum statuam percussisse; à Dauide verò contortum gigantem illum superbissimum vulnerasse. Circumductum funda lapidem docta adeò dextera pastor iecit, vt, si fas est dicere, frons anteà admiserit plagam, quàm aures strepitus habuerint notitiam: *Funda iecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte:* 1. Reg. 17. v. 49.
celerrimo adeò rotatu res peracta est, vt gigas lapidis anteà experiatur vulnus, quàm iactationis aurés percellat strepitus; at lapis statuæ pedes comminuens non iacitur; sed è monte excisus sine manibus rotatione prolixa voluitur: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus,* Dan. 2. v. 34.
& comminuit eos. Drogo, vt acumine pollebat ingenij, hunc ait iactum esse diuinum, illum humanum: *Longè, longè auulsus es à nobis!* Drogo.
quia lapis est abscissus de monte sine manibus, & iactus est lapis, & percussit Goliam in fronte, & statuam in pedibus: iste est iactus tuus longè à nobis. In Domini actu expendamus, si placet, & sine manibus è monte lapidem decidisse, & statuam vulnerasse: Dauid lapidé iecit; sed qui non statuam; sed hominem vulneraret; at Dominus non hominem; sed statuam: Deus namque de statuæ excidio gestiuit hominem liberare flagello; at Dauid non percussit statuam; sed vulnere prostrauit personam: adhæc lapis à Dauide rotatus anteà percussit ictu, quàm admoneret strepitu; cælestis verò lapis, dum monte obuoluitur, dum è vertice vsque ad planitiem rotatur, crebro discupit percellere aures strepitu, ne sibi violento percusserit ictu: iste ergo Domini est iactus, vtpotè qui Nabuchodonosorem supplicio afficiat, his admonitione deterreat: statuam euertit, & superbam abscindit plantam, ne vulnerarit personam: *Iste est iactus tuus Domine longè à nobis.*

Hoc idem cecinerat Vates Psal. 59. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à fa-* 104. Psal. 59. v. 7.
cie arcus, vt liberentur dilecti tui. Profectò sibi Psaltes aduersari videtur: nam si dilecti, quomodò in illos arcus paratus, aut si paratus, quomodò in quem sagitta vibratur, dilectus? Imò, ait Euthymius teneré probantur dilecti, dum, vt fugiant, terrefacti: priùs dedit significationem, quàm exerceat punitionem; *Per faciem* Euthym.
arcus, inquit Euthymius, *ipsam sagittam intelligit, veluti quæ arcui præeminet:* antequam sagitta emittatur, ostenditur, ne quis se queratur percussum, quin appetétis percussionis præuiderit anteà signum. Vt liberentur, terret; vt sagittas fugiant, arcum instructum sagittis ostendit: *Vt liberentur dilecti tui*, addit Euthymius: *hæc fuit causa, cur signum datum sit.* Homines, vt sunt sæui, arcum sæpè abscondunt, quò altiùs sagittas infigant; at Deus vt est misericordiæ suæ tributarius, sagittas præostendit, ne homines sagittis transfigat, imò solùm arcu significationem præbente vtitur: nec enim cupit peccatorem destruere; sed ab sceleribus reuocare. O quàm aliter se homines gerunt! celant vulnerum indicia, quò faciliùs incusserint vulnera: bona se facturos indicant solummodò, vt fallant: itaque facienda celant, & non facienda prænuntiant.

Adest

105. Adest Saul doli huius vtriusque exemplum: promisit gigantem vincenti filiæ coniugium; non tamen fidem oppigneratam liberauit; sed alij dedit: *Virum, qui percusserit eum, ditabit rex diuitijs magnis, & filiam suam dabit ei*: ingentes promisit diuitias; sed captiosas posteà concinnat technas: Dauid namque oculis notabatur, agebatur extorris, & reipublicæ habebatur indignè pestis: hic ipse, cum Saulem impurato spiritu agitatum cantibus deliniret, & ad sanam mentem reuocaret, inopinum incurrit periculum: nam Saul nullis irarum præmissis notis in Dauidem contorsit telum: *Tenebat Saul lanceam, & misit eam putans, quòd configere posset Dauid cum pariete.* Non comminatus est se in Dauidem lanceam intorturum; Dauidem superbis promiserat diuitiis ditandum; verùm quia hoc virtutis opus, oppigneratam fidem non liberauit; illud verò, quia scelus, callidissimè, vt perpetraret, occuluit: hic namque peruersis hominibus mos est, vt quò faciliùs perpetrarint scelera, nulla scelerum prodant indicia, & quæ bonorum produnt indicia, operibus frustrauerint vacua: gestiunt namque, dum promittunt, fallere, &, dum iram celant, ferire. O quàm benè aiebat Basilius Seleuciensis orat. 15. *Hic hostis latet in insidijs, cogitatio inimica eius animo tegitur, est crudelis, maleuolentiæ plenus, amicitia larua loricatus, ex improuiso in eum telum iaculans.* Telum iacit ex improuiso, quò feriat; promittit anteà coniugium, quò fallat. Fuge hominem, vel dum beneuolentiam affectat, Deum dilige, vel dum iras fulminat.

1. Reg. 17. v. 25.

1. Reg. 18. v. 11.

Seleuc.

§. XXIV.

Ea est non semel peccatorum miseria, vt nec scelerum valeant vincula sustinere, nec facilè possint rumpere.

106. Eis non semel tricis difficilibusque nodis constringitur, & implicatur iniquus, vt nec valeat disrumpere, nec sustinere: omnis peccator seruus est peccati, & vti accidere solet mancipiis duros, ac in hominum perniciem natos dominos sortitis, nec posse scilicet sine ingenti periculo fugere, nec sine grauissimo, ac supra humanas vires labore seruire; ita insani appetitus contingit non semel vernulis: asperrimis dominis addicti nec possunt seruitutis vrgentissimos labores pati, nec licet effugere: si adoriantur fugam, verentur indignationi præbere causam, & duriorem sustinere vindictam: ni perseuerent, periculis adurgentur, & ferè molestiarum cæcis vorticibus obruuntur: itaque nec possunt, quam sibi culpis parauerunt, vitam sustinere, nec valent facilè rumpere: quod expendens propheta aiebat: *Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus.* Oryx, dum arctioribus constringitur vinculis, dolore vrgetur, & dum fugit, iaculis sæpè percutitur; vincula ligatum premunt, venatores fugientem obstinatè persequuntur: itaque & fugientem timor, & non fugientem adurget dolor. *Sic abiecti sunt*, scribit noster Sanctius in paraphrasi, *vt in plateis, viarúmque capitibus dormiant: quia nullum habent in sua fortuna diuerticulum magis opportunum, neque ibi* tuti sunt à plagis, & iniurijs. Quocumque se vertant, aut inueniunt vincula, quibus premantur, aut petulantem turbam, cuius plagis & iniuriis dehonestentur. Hanc sæpè fortunam sustinere coguntur, qui appetitibus adulantur: timent si ab improba consuetudine secedant, indignationem; timent, si non secedant; & quasi contrariis vinculis irretiti in fuga incurrere verentur periculum; si non fugerint, non possunt sustinere tormentum. Non semel aliquæ fœminæ ad eas redactæ ingemuerunt angustias, vt mortem timeant inferendam sibi à marito, si morem gerant amasio, & mortem timeant ab amasio, si se subducere velint delicto. Ecce Hebræorum populus, dum Ægyptiis inseruit, ad eam animi amaritudinem perducitur, vt cælum pulset clamoribus, & durissimis proscindatur verberibus: *Vidi*, aiebat Dominus cum Moyse disserens, *afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præsunt operibus.* Ægyptiis seruientes clamant durissimis ærumnis afflicti, & repetitis sæuissimè ictibus vulnerati. Quid tunc iugum cogitant à ceruicibus excussisse, adoriuntur fugam; sed in ipsa fuga indignationis verentur iram: *Eduxi vos & patres vestros de Ægypto, & venistis ad mare, persecuti que sunt Ægyptij patres vestros cum curribus & equitatu vsque ad mare rubrum; clamauerunt autem ad Dominum filij Israel.* Animaduerte quam patiantur tyrannidem: Ægyptij persequuntur, si fugiant; occidunt, si non fugiant: itaque in eam deuenerant Israelitæ calamitatem, vt Ægyptiis seruientes dura paterentur flagella, fugientes appetentia timerent naufagia.

Isai. 51. v. 20.

Sanctius.

Exod. 3. v. 7.

Hanc fortasse peccatorum miseriam decantata illa sæculis fœmina Susanna dignis actionibus figurauit: à peruersissimis senibus laudabili fœminæ multiformes tenduntur insidiæ, & calumniis factiosæ emerserunt causæ: senes namque prodigiosis libidinis facibus inflammati sua improba desideria fœminæ castitatis gloriæ, & pudicitiæ laudi petulanter exponunt, eóque deuenit amentia, vt quisque riualis non vereretur consortia: infami conspiratione concordant, quò impotentis insani amoris consilia adimpleant: pudica fœmina periculis circumuenta agnouit, si se subiiceret crimini, amasiisque consentiret, mortis subituram sententiam, si non consenserit, passuram insaniam: *Ingemuit Susanna, & ait: Angustiæ sunt mihi vndique: si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras.* En dum voluptatis causa geritur, altissimos gemitus Susanna prodit, & se vndique circumuentam periculis expauet; amasiis namque parens mariti veretur iram, legísque sententiam, pudicitiæ consulens amasiorum timet insaniam, & falsi criminis ignominiam: eximium fortitudinis futuris reliquit exemplum; sed honestis actionibus inhonestæ appetitionis expressit nobis periculum. Non semel aliqua fœmina blanditiis allecta, & captiosis munusculis irretita inhonestæ consuetudinis paruit delictis; verùm cùm ipsa se amoris proderet flamma, nec sagaci res huiusmodi celari posset cautela, expauet mariti ferrum; sed adeò in sui concupiscentiam amasium videt insanire, vt si tentet consuetudinis disrumpere vincula, non leuius vereatur periculum: ingemit consilij inops, arctísque adeò videt se tricis inuolui,

107.

Dan. 13. v. 22.

Hieron. innolui, vt valeat nullatenus expediri: *Humanæ fragilitatis est*, scribit Hieronymus, *mortem timere, quæ infertur pro iustitia, nisi fortè angustiam interpretabimur, non imminentis mortis; sed opprobrij, & ignominiæ, quæ profundenda erat.* Vndique illam arctabat angustia: nam si assentiret, criminis subibat infamiam, si resiliret, patiebatur criminis notam. O quàm ingemunt plures suis adeò sceleribus circumuenti, & prorsus consilij inopes, vt nec illis permissum fugere, nec licitum sit hærere.

108. Isai. 51. v. 19. *Duo sunt*, aiebat Isaias, *quæ occurrerunt tibi, quis contristabitur super te? Vastitas, & contritio, & fames, & gladius.* Ad eam deuenerant calamitatem Hebræi, vt obsessi dura premerentur fame, seséque dedentes immiti iugulati iacerent ense. O quàm illorum arctabantur præcordia, dum nec liceret ciuitatem incolere, nec ad inimicos transire. Innuit noster Sanctius: *Duo proponit calamitatis genera, quæ passus est populus, siue ab hoste Chaldæo, siue à Romano: alterum interim, dum obsidio duraret: quia plerique Iudæorum tunc aut extabuerunt fame, aut ceciderunt ferro: alterum peracta obsidione: quia vastata est, & exusta ciuitas, & hi, quos reliquos fecere ferrum & fames, ærumnis alijs, & duro victoris exercitus dominatu contriti sunt.* Quid miserabiliùs? Foris patiuntur gladium, & intus famis tormentum, vt quò se vertant, prorsus ignorent, & vi calamitatis absorpti hæreant. Non semel vidi simili pressos miseria; prudenter timent, si delicta prosequantur, excidium; si non prosequantur, ferrum: illaqueati oryges nec se valent vinculis explicare, nec durissima possunt vincula sustinere. (Sanctius.)

109. Crinitus ille, & comptus Absalomus humanæ naturæ nota, & æterna nobilitatis iniuria sic ambitionis adurgebatur stimulis, vt naturalis pietatis non passus sit contineri sub frænis: proditionem adoritur fraudulentus, & aciem campo instruit in patrem impius; verùm dum collatis signis contrarij miscentur exercitus, & fortunæ expectant casus, in Dauidis partem cessit victoria, & iam calamistratus se ignobili subducere parat fuga; verùm dum prolixiores capilli ipsa fugæ concitatione ventilantur, annosæ ac ramosæ quercui implicati detinentur: pendebat parricidalis fructus telis aduersariorum expositus; nec tamen sibi præcidit

2. Reg. 18. v. 9. comam, vt eluderet plagam: *Adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cælum & terram mulus, cui insederat, pertransiuit.* Quærunt interpretes cur Absalon minori grauius redimere non curauit periculum: ni comam sibi præcidat, vitam ignominiosè, & seruili manu ablatam amittet: si præciderit, spes effugij esse poterit, dum aut latibulo absconditur, aut pedes turmis miscetur: cur ergo ramis obligatos ferro capillos abscindere detrectauit, qui telis se adoriédum agnouit. Rabbi Salomon apud Abulensem quæst. 12. respondet voluisse comam sibi abscindere, vt fugeret, eam tamen sub se voraginem profundissimam spectasse, vt grauius censuerit periculum cadere, quàm telorum vulnera sustinere: *Quæretur quomodo Absalon potuit pendere fugiente mulo: quia ipse poterat tenere eum, & interim solueret capillos vel amputaret? Respondet Rabbi Salomon quòd Absalon pendens voluit sibi amputare capillos, vt cadens fugeret; sed vidit sub se apertam gehennam, &* (Abulens.) *ne caderet in abyssos, voluit potius pendere in arbore.* Ad eas redactus erat angustias, vt nec posset fugere, nec pendere: obligatus arbore altissimis patebat vulneribus, expeditus profundissimis sepultus delitesceret voraginibus: quid ergo faciet? Stabit, aut fugiet? Et fugere periculosum, & stare miserrimum, vt vndique pressus ingemuerit angustiis, & insolubilibus illaqueatus prematur tricis. Et quidem quod vni parricidæ historicè accidit, peccatoribus sæpè contingit: verentur se casuros in gehennam, timent inferendam sibi plagam, vt verùm sit illud Poëtæ dictum: *Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim:* sic cinguntur variis periculis, sic multiformibus arctantur discriminibus, vt nullum prudentia inueniat effugium; sed mens stupefacta vbique subeat tormentum.

Hanc peccatorum calamitatem mirè expressit Dominus cum Elia disserens: *Erit quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu, & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Elisæus.* Hebræi, vt Hazael minantes ceruicibus gladios frustrarentur ad Iehu confugiebant; sed quam fugerant, mortem sibi imprudentissimè maturabant: illis vtpotè miserrimis nec licebat fugere, nec manere: vbique occurrebat illis dolor, & vbique torquebat angor: in eam ob peccata calamitatem deuenerant, vt nullibi essent à discrimine tuti; sed vbique plagis obnoxij: *Ecce progressus diuinæ iustitiæ*, scribit Caietanus, *ad puniendos idololatras per istos reges, & per auctoritatem Elisæi.* Adstipulatur Angelomus: *Iustitia diuina, quæ singulis reddit opera sua, punit peccata hominum aliquando manifesta vltione, aliquando occulto iudicio: vindicat per reges & iudices, vindicat per prophetas, & Sacerdotes.* Quocumque se verterent, inueniebant gladium, vt continuis premerentur angustiis, & oblaquearentur tricis. Ergo Israelitæ, dum adoriuntur fugam, appetens timent periculum, & sustinent Ægypti habitatores tormentum. 110. 3 Reg. 19. v. 17. Caiet. Angelom.

---

§. XXV.

Si quis te indigeat, ad fastidium vsque domum frequentabit deuotus; si tu indigueris, auolabit oblitus.

QVerentis te in ingratum hominem contulisse beneficia; si in vnicum incidisti solummodo, tuæ gratulare fortunæ, aut gratias exhibe diligentiæ: nam vt hoc vitare possis incommodum, necessum erit nullum conferas hominibus beneficium: ingrati sunt ferè omnes se semper spectant; rarò quid postulet ratio; sed quid vtilitas consuluerit, attendunt. O quanti se exhibebunt deuotos, si opera tua indigeant, aut sibi quid accepturos spondeant. *Nemo habet*, aiebat Seneca epist. 81. *tam certam in beneficijs manum, vt non sæpè fallatur. Aberrent, aut aliquando hæreant: post naufragium maria tentatur: fœneratorē non fugat à foro coactor: citò inerti otio vita torpebit, si relinquendum est, quidquid offendit.* Non assero ferè omnes ingratos, vt spargentem manum cohibeam; sed vt ipsum beneficium spe nulla collatum adaugeam: post malam segetem serendū est: sæpè quidquid perierat, sterilis soli infelicitate, vnius anni restituit vbertas; 111. Seneca.

verùm

verùm agricola ferit, vt colligat, liberalis, vt spargat: plures tibi vsque ad fastidium assistent: si aliquid illis spes promittat; fugient, si marcescat. Nec solum qui assistebat deuotus, recedet oblitus; sed nocebit fortè aduersarius. Ob ipsam virtutis honestatem labora: nil speres, quia spes nullum tibi afferet commodum; sed adaugebit tormentum. Hebræorum populus Ægyptij tyrannidem fugiens Moysis sequebatur ducatum; verùm Pharao, qui flagellis compulsus aufugiendi fecerat facultatem, paululum iam calamitate leuatus fugientes pertinaciter est secutus. *Persecuti sunt Ægyptij patres vestros cum curribus & equitatu vsque ad mare rubrum.* Quid tunc? Diuinam populus opem precatus, & ad Domini confugit auxilium, vt imminens effugiat tormentum. *Clamauerunt autem ad Dominum filij Israel, qui posuit tenebras inter vos & Ægyptios, & adduxit super vos mare, & operuit eos.* En clamant ad Dominum: audi clamorem alium ad Exodi 32. Vitulum construunt, ingentíque clamore velut diuinum extollunt, hostiásque sacrificiant *Fecerunt sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias dixerunt: Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Vide quàm sibi contrarius clamor: modo Deum ingratitudine turpissima abiiciunt, ad quem exertis olim vocibus inclamabant: & cur modo sic delirant obliti, qui anteà adeò clamauere deuoti? Quia modò iam extra vndarum periculum, cùm anteà in mari vererentur naufragium: timebant anteà dura vinciri captiuitatis catena; parta modò coronabantur victoria: dum ergo opem implorabant ad transitum, se clamore contestabantur deuotos, modò verò, quia se stultè liberos sunt arbitrati, se factis prodidere inimicos: argumentum nihil debentium quæsierunt odio, & quæ à liberalissimo acceperant Deo, adscripsere vanissimo simulacro: *In Deo debuerat esse gloria eorum*, scribit Hieronym ad Psal. 105. *sed relicto eo, simulacro muto & surdo dantes gloriam dicebant: Hi sunt dij tui Israel.* Accinit Lippomanus: *Professionem laudis & honoris retulerunt dæmonibus, & non Deo; beneficium abnegauerunt tam magnificè susceptum, & hostibus Dei transcripserunt.* Dum confusis non adurgentur fluctibus, vitulum in Dei contemptum contentis extulere clamoribus, qui ad mare rubrum Domini opem fusis impetrauerant precibus: dum impetrare discupiunt, amplissimis extulerunt elogiis; iam frustrati pericula Dominum extremis dehonestauerunt iniuriis.

Hieron.

Lippoman.

112. Saul expeditionem adornat aduersus Philisthinorum phalangas; animus verò longè superabat vires; cúmque iam ad campum ventum esset, Hebræorum plures appetens agnouere periculum, ac ignobile fugæ sibi cogitabant remedium: *Hebræi transierunt Iordanem in terram Gad, & Galaad.* Ad hostes transfugæ transiliebant, qui Saulem aduenerant comitati; verùm vt belli fortuna varia, audax illud Ionathæ factum triumphum peperit inopinum, tuncque Hebræi illi olim transfugæ se in Saulis iterum castra recipiunt. Ecqui hoc ait? Ipse textus: *Hebræi, qui fuerant cum Philisthijm heri, & nudiustertius, ascenderántque cum eis in castris, reuersi sunt, vt essent cum Israel, qui erant cum Saul & Ionatha.* En miris depictum coloribus politicorum inge-

1. Reg. 13. v. 7.

1. Reg. 14. v. 21.

nium: non sunt alicuius partis; sed fortunæ: vt enim fertur Chamæleon pro tempore mutuari colores, ita hi pro fortunæ vultibus demutant & facies: Saulem comitantur, dum trophæa sibi promittunt: quod si hostes viribus agnouerint superiores, ad illorum castra inuolabunt ocyssimi; si orbitam rotet fortuna: iam a Philisthinorum campo ad Israelitarum campum excurrent: spei ventis circumferuntur, arundinúmq; ad instar fortunæ flatibus inclinantur. Adest Gregor. ad 1. Reg. 13. *Hebræi isti & timore perterriti, & ad hostes suos confugisse sentiuntur: nam non multo post in aperta Ionathæ victoria scribitur: Hebræi, qui fuerunt cum Philisthijm heri & nudiustertius, ascenderantque cum eis in castra, reuersi sunt, vt essent cum Israel.* Nullius partis milites, pro fortuna vtriusque extiterant hostes. Concinit Lyra: *Aliqui Hebræi, inquit, timore ducti coniunxerant se aduersarijs; sed videntes debellationem eorum, & conuersionem ad fugam, ad suos reuersi sunt.* Quos aliquando Saul numerauit inter deuotos, postmodùm expertus est inimicos: dum ambiunt spolia, Saulis comitantur certamina. fugient, si contrariæ parti videatur arridere victoria: hos nunquam experieris securos; sed patieris semper incertos: dum Saulis desertas arbitrati sunt partes, aduersariis iunguntur; cùm fortunam vident aliis aduersam, ad antiquas se amicitias recipiunt. Itaque sunt deuoti non hominis; sed fortunæ; & ipsos, quos inexpertus numeras inter amicos, expertus inuenies sine dubio aduersarios.

Gregor.

Lyra.

Christus Dominus innumeram hominum multitudinem desertis cibat: videre erat desertum præ panis copia angustatum, panes de manu Domini efflorescebant, & lautissimæ omnipotentiæ ostendebantur diuitiæ, omnibusque diuitiarum affluxerant copiæ. Quid tunc? sic discipuli magistri lateribus adhærebant, vt aliquomodo opus fuerit violentia, vt tantisper illum dimiserint, & transmiserint pelagus: *Statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.* Vides discipulos pertinaciter adhærentes, audi ipsos studiosè sanè auolantes Dominum impiissimi horto comprehenderũt Scribæ, discipulique fugerunt non solùm gressibus; sed volatibus: *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt*; verùm cur fugiant, qui violenter quadamtenus olim disiungebantur? aut cur olim studiosè adeò ambiere consortium, cuius modò celeres diffugiunt conspectum? Nonne idem vtrobique magister? Ergo aut illic aufugiant, aut hic comitentur. Idem profectò Dominus; sed diuersus status: ibi ditissimus omnibus impertiebatur liberalissimè beneficia, hic extrema inimicorum sustinebat opprobria: hic catenis diuexatus, ibi diuitiarum cumulis opulentus: ipsius ergo modò fugient consortium, cuius anteà ambiuerant magisterium. *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt* Quando *tunc?* Quando catenis vinctus, quando ab inimicis captus. Compulit illos aliquando discedere; sed cùm ditissimus; sed cùm fortunatus: fortunæ namque respexere vultum, non rationis præscriptum: *Statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam,* inquit Hieronymus, *& præcedere eum trans fretum. Discipulis præcepit transfretare, & compulit, vt ascenderent nauiculam. Quo sermone ostenditur inuitos eos à Domino recessisse,*

113.

Matth. 14. v. 23.

Matth. 26. v. 56.

Hieron.

cessisse, dum amore praeceptoris, ne punctum quidem temporis ab eo volunt separari. Nolunt vel ad instans separari à magistro diuitias elargienti, & populos inuitanti; ipsi verò in vincula coniecto, & hostibus tradito nec proximare ad instans sustinent; sed studiosè volucres desumunt pennas, vt auolarint. O quàm hoc verum, & quàm certa experientia firmatum, qui nocturnis diurnísque horis domum olim frequentauerat importunus, si ad contrarium sors vergat, aspectum negabit quaesitus: inde fugerunt, vnde probabantur amici: vt noueris reluctantiam illam separationis ad speciem ortam non tam à persona, quàm à fortuna.

114. Arcam pro euadendo diluuio Noëmus compingit: ad illum tunc cateruatim animalia confugiunt. *Arcanus quidam erat impetus*, scribit Basilius Seleuciensis orat. 6. *& signum diuinum, suáque sponte animantes concurrebant*; verùm cùm iam tempestatis vis deferbuisset, coruum misit exploratorem; ille verò aëra dissecans, vt volaret, volauit, vt iterum non rediret: *Egrediebatur, & non reuertebatur.* Inquiramus quare modò coruus reuerti oblitus, qui olim aduentauerat non vocatus. Si Noëmi olim sic ambiuit consortium, vt celerem maturaret volatum, cur modò acceptum non retulit beneficium. Ipse rerum respondebit status: coruus olim imminens extimescebat diluuium, securúmque arcae quaesierat habitaculum; modò non indiget, serenitate inuitante: ideò modò non rediit oblitus, qui olim inuolarat deuotus: Noë modò corui indigebat nuntio; ipse verò Noëmi iam non indigebat auxilio. Ergo non rediuit, qui olim celerrimè properauit: rediit columba non indigens: ramum namque ore ferebat; sed tunc diuini spiritus fuit emblema: nec enim erat illud creaturarum ingenium; sed diuinitatis praesagium: *Quia scribitur coruus egressus quidem; sed non reuersus; putant eum in aliquo cadauere deuorando esse detentum.* Coruus, inquit Lippomanus iam inuenit pastum; ideò despexit consortium; rediret antiquum ad pastum, si cadauerum non inuenisset refugium. Solemnis hic creaturarum mos est, dum indigent, gratis blandiuntur adulationibus; si tamen te non indigeant, aut tu illis indigueris, de industria se denegabunt aspectibus: coruus indigens volauit ad arcam, cùm Noëmus indiguit, nec serenitatis rediit allaturus notitiam.

Seleuc.

Gen. 8. v. 7.

Lippoman.

115. Adde quòd quantumuis sanguinis intercedat necessitudo, quisque cognatus de industria deflectet gressum, si se facturum aliquem agnouerit sumptum: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam dispoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* Sacerdos illac faciebat iter; sed vulnerato conspecto aliò deflexit: fecit idem potioris sequens exemplum Leuita: quid enim Leuita faceret, nisi quod Sacerdotem viderat effecisse? *Accidit vt Sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo praeteriuit, similiter & Leuita.* Iam quis homo iste plagis confossus fuerit, accipe ab Augustino apud D. Thomam: *Homo iste ipse Adam intelligitur in genere humano.* Adamus iacebat, cuius Sacerdos & Leuita filij; sed dum vinum, oleúmque plagis impendendum agnoscunt, ignorantiam affectant, & casum de industria ignorant: necessarium erat denarios stabulario impendere, vt curam ageret vulnerati: ne obolos ergo impendant, patentem vulneribus confossum relinquunt. Et quidem Adamo olim, dum paradisum coleret, vel animalia ambitiosè famulabantur: adstabat leo blandè subsultans; hoc tamen impendebatur paradiso felici, illud accidit descendenti. Misertus est vulnerati Samaritanus; sed qui personam referret Christi. *In Samaritano se voluit intelligi Dominus noster Iesus Christus*, addit ibi Augustinus: quis enim alius misero subueniret? Homines namque dum indigebunt, adstant deuoti, si tu indigueris, fugient obliti.

Luc. 10. v. 30.

August.

§. XXVI.

Satis non est aliquem suopte ingenio ad vitia non properasse; opus est ducentibus restitisse.

Bonae indolis vir natiuo quodammodo ingenio virtutis assecla est, ex se non acuit auaritiam, cupiditates improbas non ordinat, luxuriam non irritat, non flabellat audaciam, nec instigat iracundiam: sui potens se retinet, & ad virtutes componit; quia tamen nonnulli facilis ingenij sunt, ostendere oportet satis non esse se ex se ordinare, si inordinatè ab aliis patiatur abduci. Ille non cogitabat vindictam; sed efferbuit monitus: ille caecam non curabat libidinem, sed indulsit consiliis improbis instigatus: ille recto tramite gradiebatur; sed à socio ad inuia & inaccessa est abductus: vt nescias an conducibilius sit vnum aut alterum ex se vitium amare, aut criminum proxenetis parere. Elaborandum est, ne abducaris consiliis, aut mollis deflectaris exemplis. *Quod egris euenit*, aiebat Seneca epistol. 7. *quos longa imbecillitas vsque adeò affecit, vt nunquam sine offensa proferantur, hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur: inimica est multorum conuersatio: nemo non aliquod nobis vitium, aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit: vtique quò maior est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est.* Qui infirma laborat valetudine, facilè cedit externis, leui aëris flatu febris accenditur, quae non sine operosa artis industria sopitur. Curandum est, ne imbecillis externas aëris, aut caloris patiatur iniurias: citò namque ad infirmitudinem redibit, qui nequit aduersantibus restitisse. Iosue dum beneficia populo collata recenset, Balaam vocatum ad maledicendum commemorat: *Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, & pugnauit contra Israelem, misitque & vocauit Balaam filium suum Beor, vt malediceret vobis.* Balaam ex se maledicere non curabat; non tamen inuitantibus restitit; sed cum eis viam carpere properauit; verùm Dei Angelus properantis tardauit gressus, caecósque elusit conatus. Surrexit Balaam mane, & strata asina sua profectus est cum eis, & iratus est Deus. *Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam.* Mortem intentat Angelus prophetae: quia licèt ex se maledicere non ambiret: ductus tamen execrationes effutire properauit: docuit illum asina, cui insidebat: videns namque Angelum diuertit se ab itinere, & ducenti restitit, ne ducta periret: *Cernens asina*

116.

Seneca.

Vitia à pluribus commendantur.

Numer. 22. v. 21.

asina Angelum stantem in via euaginato gladio auertit se de itinere, & ibat per agrum. Acrior erat pugna inter asinam & prophetam: ille adactis calcaribus impellebat, illa viam deflectere properabat: ille verberabat fuste, illa parieti adhærebat attrito prophetæ pede: asina ergo prophetæ corripuit stultitiam, dum honestam prosecuta est resistentiam: satis non erat viam ex se non carpere, si ducta vetitæ insisteret viæ: periret propheta, quia duxerit & asina, quia non restiterit. Ergo dum aduersus ductoris improbos reluctata est conatus, virtutem expressit gressibus. Adest Apostolus Petrus can. 2. cap. 2.
2. Petri 2. *Correptionem habuit suæ vesaniæ: subiugale mutum animal hominis voce loquens prohibuit prophetæ insipientiam.* Honestum hominis retulit asina ingenium, cùm nullatenus sequi passa est errantis arbitrium. Ducebat ille, quò vitium vocabat, illa aduersus ductoris impulsum se à peruerso itinere diuertebat: docuit ergo mutum animal satis non esse ex se viam iniquitatis non carpere; sed opus esse & instantibus resistere. O quot non bonam suis criminibus excusationem prætendunt, dum se deliquisse asserunt instigatos, quandoquidem debebant resistere, non parere! Ille obmurmurationis telam orsus est, tetra alienum honorem dilacerat lingua, tu obde ceram auribus, & honesto silentio ora sigilla: ille domum adulteræ instirit te ductare, fige gressus, & quantumuis improbè institerit, disce aduersari, nec patiaris abduci.

117. Marc. 6. v. 45. Christus Dominus discipulos transfretare iubet ad Bethsaidam: *Coegit discipulos suos ascendere nauim, vt præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam:* illi ventis committunt lina, & remigiis tumentis diuerberant remigiis æquoris terga; verùm dum viam alacres per inuia carpunt, sæua ingruit ventorum procella, horrendùm sibilant funes, gemit carina fluctibus repercussa: ventis refragatur non sine discrimine antenna, timentur anxia per momenta naufragia. Quid tunc Apostoli? Remigiis vndarum impetum conantur retundere, vt vtque possunt, nauem designatum ad portum satagunt aurigare: *Videns eos laborantes in remigando: erat enim ventus contrarius eis,* &c. Acris instabat ventus, quo inceptum iter contrario commutaret scapha; Domini præcepto Bethsaidam appellere cogebatur carina. Quid ergo inter repugnantes ventos, & tumidos maris fluctus? Apprehensis Apostoli desudauere remigiis, & nauem trahunt honestè remiges ventorum obsistentes adsultibus. Profectò ab Apostolico perfectionis apice defeciuissent, si aut contrariam viam ex se aggrederentur tenere, aut ventum aliò se permitterent deflexisse: se prodiderunt Apostolos, cùm viam carpunt præcepto Numinis assignatam, nec scapham ventis aliò tendere sustinuere commissam: laborant in remigando, vt ventorum eludant pulsus, & vorticum frustrentur conatus. Quàm citò, si non Apostoli, cederent, & culpam de grata sibi violentia colorarent; at quia discipuli, neque ex se audent temerare præceptum, nec aduersum dissimulant
Caietan. imperare conatum: *Dictio Græca*, aiebat Caietanus, *non speciem remigationis; sed genus significat commune remigationis & actionis, qua agimus naues.* Nauem agebant & agendo, & remigando, ne ventorum impetu aliò ducerentur. Innuit
Theophyl. etiam Theophylactus: *Discipulos tentari permittit, vt discant patientiam: nam propterea non statim illis astitit; sed tota nocte sinit in tempestate esse, vt doceat fortes esse.* Optimum sanè fortitudinis documentum acriùs aspirantibus ventis impelli, & à rationis tramite minimè separari; obluctantur, resistunt, nauem sudoribus agunt; nec Ionæ ad instar nauim aliò nauigaturi conscendunt, nec aliò duci ventis permittunt: hîc ergo docentur fortes esse, séque esse de luctamine Apostolos dilucidissimè ostendunt.

Prophetam delegat Deus, qui impio Regi impietatem exprobraret; edicto tamen de nihil gustando priùs edito abiit ille, & cùm regem sacrificuli munus agentem vidisset, durè reprehendit, iam viam carpserat, vt rediret ad propria, cùm vafertimus senex idolorum phanaticus properat vt ad ciuitatem reducat: Inuenit eum sedentem subtus therebinthum, & ait illi: *Tu ne es vir Dei, qui venisti de Iuda? Respondit ille, Ego sum: dixitque ad eum: veni mecum domum, vt comedas panem.* Vocatus renuit, séque præcepto Numinis prohibitum allegauit *Non possum reuerti, neque venire tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto: quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini dicens: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi.* Instirit vaferrimus senex contrariam se visionem habuisse mentitus, seque ostentauit prophetam, vt adimpleret fallacem. De sanctitatis vocabulo captiosas veritati struxit insidias, & de munere religiosi religioni concinnauit fallacias: *Et ego propheta sum similis tui,* inquit, *& Angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens: Reduc eum tecum in domum tuam.* Credidit fallaciis veridicus, comeditque à propheta sene inuitatus; verùm qui prandia prædixit fallax, prandij supplicium denuntiat verax. *Non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum:* nec multò post prædictionem secuta est pœna: nam fugientis feræ vnguibus est perpetrata vindicta: *Inuenit eum leo in via, & occidit.* Profectò si propheta mandatum Domini temerasset, iure leonis ferociam incurrisset; verùm cur adeò graue sustinuerit supplicium, qui adductus ab alio, & ferè coactus ad speciem non est præuaricatus mandatum? si ipse suopte ingenio cibum expetiisset, dignus esset profectò mulcta; adductus verò, semelque & iterum rogatus non videbatur indignus venia: cur ergo leonis patiatur ferociam, qui ni falsus, ni adductus, temerasset nullatenus obedientiam? Imò, inquit Theodoretus quæst. 42. dignissimè sustinuit mulctam, quia licet adductus, contrariam Domino tenuit viam: *Non enim oportebat eum, qui vocem audierat diuinam, credere humanæ dicenti contrarium; sed expectare, vt qui iusserat, solueret, quod iusserat fieri.* Credidit qui resistere debuit. Innuit Gregorius apud Glossam: *Benè ore eius sententiam mortis accepit, cuius reductione à vitæ præceptis deuiauit, vt inde pœnam veraciter sumeret, vnde culpam negligenter admisisse.* Passus est duci & sibi maturauit occidi. Satis non est vitia proprio ingenio non adamasse, si constat alieno ductu exambisse.

Impietatem ænigmatis coloribus adumbratam ostendit Angelus Zachariæ, talentum scilicet plumbi in amphora, & mulierem plumbo insidentem à mulieribus velociter asportatam: *Ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ, & dixit: Hæc est impie*

Right margin notes: 118. — 3. Reg. 13. v. 14. — Theodor. — Gregor. — 119. — Zach. 5 v. 7.

impietas ... Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas, quasi alas milui, & leuauerunt amphoram inter cælum & terram. Profectò ab scopo cui aberrasse videatur Angelicus penicillus: si mulier illa alas assumeret milui, vt volando raperet, aut rapiendo volaret, pronam ad impietatem indolem adumbrabat; imò in se dilucidiùs exprimebat; ast ab aliis duci non tam designat iniquitatis ingenium, quàm coactionis blandæ artificium. Quid ageret mulier à duabus abducta? Quid milui vnguibus rapta? Dum ergo ad speciem fertur inuita, non adeò apparet vitiosa: cur ergo Angelus vocat impietatis ænigma? Ecqua ergo huius nominis causa est? Se aliarum alis commisisse, quantumuis propriis non exambiat auolasse: non restitit ducentibus: imò annuit inuitantibus. Adæquè ergo impia proditur, dum alas mutuatur alienas, ac dum plumas sortitur proprias. Quid interest nauis trahi remigiis aut duci flatibus, nisi quod remigiis pelagus scinderet tardiùs, & ventorum ductu celeriùs. Satius aliquando esset proprio ingenio moueri, quàm aliena malignitate ductari. Bene inquit: *Hæc est impietas:* nec enim solùm est impius, qui crimina exambit; sed qui ducentibus ad crimina se committit: *Videtur dici posse*, inquit Noster Sanctius, *per spiritum in alis celeritatem maximam indicari, nec spiritum hìc aliud esse præter ventum: erat ergo ventus in alis fœminarum: quia velocissimo volatu ferebantur.* Fors mulier ad vitia ex se peruenisset gressibus, ducta ocyssimis peruenit volatibus: satis impia fuit, quæ se alienis commisit alis, quantumuis ex se non inhiauerit culpis: *Istæ mulieres,* inquit Glossa, *mentem captam ita leuant, vt quoslibet proximos quasi despicientes deserant, & alta gloriantes petant.* Duplici scelere maculatur abducta, quæ fortè peccasset minùs proprio scelere attaminata. Ergo resiste ducenti: nec enim satis est sceleribus non studuisse; sed contra latores necessarium est repugnasse.

Sanctius.

Glossa.

§. XXVII.

Difficilius est Principi mendacio gaudenti veritatem dicere, quàm naturæ leges mutare.

110. NOtum est illud Pythagoræ veritatem scilicet post Deum colendam esse, vtpote quæ homines Deo proximos faciat; verùm vt nobilissima origine nata, sic ferè omnibus semper odiosa: ab homine quodammodò degenerauit nobiliter, qui veritatem animitus coluit, nec mendacium adamauit: *Ego dixi,* aiebat Psaltes, *in excessu meo: omnis homo mendax.* Augustinus legit: *Ego dixi in ecstasi mea.* Hieronymus legit, *mendacium:* vnde Rhemigius putat veracem naturam quodammodò exuisse humanam, & asciuisse ad speciem diuinam. Audi eius verba: *In eo quod non sumus mendaces, non homines sumus, sed dij.* Verùm etsi, vt aiebam, veritas ab omnium auribus exulet, præcipuè tamen à Principum, & magnorum distat contubernio: nec mirum: mendaciis gaudent, oblectantur fictis, & præmia solummodò largiuntur fucatis. Xerxes cùm ab omnibus sibi blandientibus falsus pudore afficeretur, vnico Demarato gratias egit, quòd sibi veritatem dixisset, illique quod vellet, petendi fecit facultatem. Demaratus elegit Sardes Asiæ maximam ciuitatem curru vectum intrare, & rectam capite tiaram gerere. Minori sanè plausu, si aduersariorum phalangas concidisset, triumphaturus; maiori ob veritatem Principi adulationibus annuenti dictam triumphauit: quasi difficilius fuerit verum illa tempestate dicere, quàm copiosas aduersariorum manus prosternere. Audi Senecam lib. 6. de benefic. cap. 31. *Cùm bellum Græciæ indiceret Xerxes, animum tumentem, oblitùmque quàm caducis confideret, nemo non impulit ... Demaratus Lacedamonius solus dixit ipsam illam, qua sibi placeret, multitudinem indigestam & grauem metuendam esse ducenti.* Quid tunc? Post infaustam cladis acceptæ experientiam relato præmio regibus hísque victoribus solùm concesso Demaratum remunerauit tam prudens remunerando, quàm imprudens adulationi credendo: *Demarato,* addit Seneca, *gratias egit, quòd solus sibi verum dixisset, & permisit petere quod vellet: petit ille, vt Sardes maximam Asiæ ciuitatem curru vectus intraret, rectam capite tiaram gerens, id solis datum regibus, dignus fuerat præmio, antequam peteret.* Si pro meritorum conditione præmia dilargienda, ingens adeò præmium meruerat, qui veritatem dixit Principi falsis assentienti, & sibi adulantibus gratulanti. Deus inter beneficia populo concessa meminit Balaam maledictione prohibitum, cùm muneribus Balac rex & honoribus adurgeret allectum. *Surrexit Balac filius Sephor rex Moab, & pugnauit contra Israelem, misitque & vocauit Balaam filium Beor, vt malediceret vobis: & ego nolui audire eum; sed è contrario per illum benedixi vobis, & liberaui vos de manu eius.* Ne mendacia Balaamus proferret, impediuit: vtque videris quàm dignè inter alia beneficia hoc vti magnum gratitudinéque dignissimum referatur, attende: Deus Balaamo præcipit, ne quid contra veritatem dicat: deinde cùm iter carperet, iterum illi districto ense occurrit, & incusso timore à mentiendi proposito auertit: *Venit Deus ad Balaam nocte, & ait ei: Si vocare te venerunt homines isti, surge & vade cum eis, ita duntaxat, vt quod tibi præcepero facias.* Audis à Domino correptum, audi iterum timore perculsum: *Stetit Angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, & duos pueros habebat secum.* Profectò Deus suæ potentiæ ad speciem detrahit, cùm semel & iterum Balaamo obiectus timorem incutiat. Si semel descendens Angelus ferinos rictus compressit, ne quid contra Danielem tentarent; si è cælo volitans semel vndantes flammas Babylonicæ fornacis extinxit, pueròsque illæsos seruauit, si ignis naturam in roscidam auram vertit, ait namque textus: *Angelus Domini descendit cum Azaria & socys eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem;* si naturæ immutauit leges, nec solùm fræno cohibuit flammam; sed veluti in contrariam sacra metamorphosi transire fecit naturam, cur in suæ potentiæ ad speciem iniuriam semel & iterum aduentat ad reprimendam audaciam, qui rerum sic facilè potuit immutare naturam? O sapientiam immortalem! Balaam mune

Psal. 115. v. 1.

August. Hieron. Rhemig.

Qui nõ mendax, plus est quàm homo.

Seneca.

Numer. 22. v. 20.

Dan. 3. v. 49.

muneribus alliciebatur à rege, mendaciis adulationibúsque gaudenti, adeóque arduum est huiuscemodi Principibus veritatem dicere, vt facilius fuerit naturæ leges mutare, quandoquidem semel & iterum descendit Angelus, vt Balaamum à mendacio auertat, & veritatem proferre cogat. Adest Diodorus apud Lippo-
Diodor. manum ad Exodi 4. *Tale quid erga Balaam Angelus fecit. Primum quidem cùm à Balac arcessitus esset, proficisci verens: postquam verò in petitione Balac perstabat, vt abiret, permisit quidem; sed cum in via esset, illum gladio educto quasi occidere vellet, timore perculsit, non vt illum occideret; sed vt à muneribus ac voluntate regis Balac alienum, atque auersum efficeret.* Clariora huius authoris inuenio verba in catena Græca: *Balaam*, inquit, *cum oraculo Dei monitus, ne iter illud arriperet; attamen perseueraret, ab Angelo stricto ense perterritus est ita, vt regis muneribus veritatem præposuerit.* Dominus & Angelus in hac re ad speciem laborant, cùm leoninam ferociam, ac ardentem flammarum iram semel descendens Angelus cohibuerit, & facillimè refrænarit. Mirum fuit prophetam veritatem mendacio præposuisse, videns regem oblectari mendaciis, & mendacia amplissimis munerari præmiis. Non fuit otiosus Angeli repetitus aduentus, quia arduissimus erat studij conatus.

121. Chrysologus quo solet acumine, dum Magos stella duce aduentasse, Herodíque arcanam veritatem protulisse audit, rarius de Magis, quàm de stella existimat signum, & arbitratur
Chrysolog. miraculum: *Plus caleste*, scribit serm. 156. *de Magis, quam de stella signum est.* Notam repetamus historiam: Christus nascitur,& stella apparet non volens; sed iussa; non cæli nutu, sed diuinitatis impulsu; non lege syderum, sed nouitate signorum; non cæli climate, sed virtute nascentis. Hanc secuti Magi Ierosolymam intrant, & recèns nati regis incredulis ortum in-
Matth.2.v.2 clamant: *Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum?* Magis loquitur lingua cælorum: nam vt ad potentium notitiam peruenerit veri-
August. tas,lingua quærenda fuit non humana: *Magis*, scribit Augustinus in catena, *stella Christum demonstrat, loquutur lingua cælorum.* Hoc rarum prodigium; non verò Magos aduentasse, & grato iubare prolectatos iter carpsisse: cur ergo Chrysologus quid grandius agnoscit in Magis? Certè naturæ leges supergressa est stella, certè dum magnatibus veritatem loquitur, cælestis apparet lingua; at dum Magi Herodi veritatis notitiâ obturbato veritatem dicunt, si fas est dicere., supergrediuntur miraculum: *Plus caleste de Magis, quàm de stella signum est.* Herodes veritatem audire refugit obturbatus: Principes Scribæque populi Scripturarum veritatem corrumpunt, vt Regi blandiantur: de Michæa proferunt rogati testimonium, & quidem
Chrysost. adulteratum: *Exiet Dux, qui regat p pulum meum Israel.* Notauit Chrysostomus apud D. Thomam: *Prophetiam prædicentes interficiendorum paruulorum facti sunt causa: sic enim scriptum erat: Ex te exiet rex.* Itaque aulici, vt nouerunt Principem delectari mendaciis, ipsam præciderunt Scripturam, protulerúntque adulteratam: huic ergo Principi Magos exertè veritatem enuntiasse insolitum erat miraculum, & stellæ signum longè supergressum prodigium: *Plus caleste de Magis, quàm de stella signum est.* Quid exaggeratius? Quid certius?

Querebatur olim Cæsar Augustus demortuos Agrippam & Mecænatem, cùm illísque 122.
veritatem interiisse, quandoquidem nullus inueniebatur, qui veritatem ipsi enuntiaret, ab erroribúsque frequentissimis curiæ eriperet: Nec mirum, inquit Seneca vbi suprà cap.32. si nullus veritatem diceret, quando ipse Augustus nolebat audire: veretur quisque periculum, & abscondit quod Principis irritat iram; profert, quod lucratur gratiam. Audi Sene-
cam: *Quid putem? Defuisse similes, qui assume-* Seneca.
rentur, an ipsius vitium fuisse, qui maluit queri, quàm quærere? Non est quod existimemus Agrippam & Mecænatem solitos illi vera dicere, qui si vixissent, inter dissimulantes fuissent: regalis ingenij mos est in præsentium contumeliam amissa laudare, & his virtutem dare vera dicendi, à quibus iam audiendi periculum non est. Dum Principes, à quibus solùm veritatem audire non possunt; veritatem se libenter audituros ostendunt; cæteros docent fallere,quia se ostendunt nolle veritatem audire.

Non semel in præsentium contumeliam amissa laudantur.

Sacer textus dum Dauidis fortes enumerat, 123.
Ioab à fortium numero separat: *Hæc nomina* 2 Reg 23. v.8.
fortium Dauid: sedens in cathedra sapientissimus Princeps inter tres, &c. Post hunc Eleazar, & post hunc Semma. Et cur Ioab tot hostium debellator, tot inimicorum euersor, triumphorum tot reportator non addatur numero, quando fortitudinis excellere videbatur elogio? Rupertus in lib. 2. Regum cap. 37.
hanc mouet quæstionem: *Quare Ioab neque* Rupert.
inter tres, nec saltem inter triginta fortes numeratus est, videlicet quia non hic tantum vires corporis; sed potius virtutes animi spectantur in fortibus Dauid. Porrò Ioab interfecerat duos viros iustos melioresque se Abner filium Ner Principem militiæ Israel, & Amasa Principem exercitus Iuda, & effuderat sanguinem belli in pace, id est in dolo, vel pacis simulatione. Rectè ergo in numero fortium Dauid conscriptus non est. Ioab dux strenuus, hostium terror, triumphis splendebat redimitus; verùm vti aulicus, veritatem mendacio texit, fraudésque simulauit; at tres alij à dolis abstinuerunt veritatem semper secuti, adeóque grandius opus est dolos in curia non texere, quàm turmas hostiles vincere, vt in veracium comparatione Ioab non appelletur fortis, quantumuis hostes bello conciderit, & inuisos retro sæculis triumphos reportarit. Non adeò magna fortitudo necessaria est ad hostilem aciem profligandam, quàm ad veritatem regiâ excolendam: fortitudinis ergo elogium merentur veraces, quasi difficiliora superarint, & naturam quodammodo vicerint. Quòd si ad veritatem profitendam in curia Dauidis eximiis adeò virtutibus excellentis ea fortitudine opus est, quæ erit necessaria in Principum aulis mendacibus assentientium, & fallacias remunerantium?

* * *

§. XXVIII.

Dei feruis, quæ imminere videbantur naufragia, vertuntur fæpè in auxilia; vt peccatoribus auxilia in naufragia.

114. VEra fapientia virtutis femper progenies aftris dominatur, nec fatis vincitur: quæ videntur non femel vrgere pericula, tranfeunt in certiffima commoda, & meritorum arte eluduntur, quæ vel captiofis hominum technis vel inuidiofis caufis obiectantur: Abrahæ femen arenæ confertur, afferente Domino: *Multiplicabo femen tuum ficut ftellas cæli, & velut arenam, quæ eft in littore maris*: nam, vt agitata acri ventorum flatu vndarum volumina dum arenam contingunt, in fe ipfa fluctibus curuatis recedunt, ita calamitatum vortices, dum iuftos attingunt, vires ad nocendum prorfus amittunt. *Fertur mare*, inquit Bafil. orat. 1. *fluctibus altè elatum, vbi verò terminos attigerit, reuertit, refugitque.* Tumidiffimus fluctus arenam videbatur abforpturus; fed dum Dei vocem littoribus intuetur fcriptam, indignationem conuertit in reuerentiam. Non ergo aliter iuftis contingere videas: adoriuntur illos fæpè calamitates; fed quæ ineuitabile minabantur naufragium, virtutibus exhibere inueniuntur obfequium. Balac Moabitarum rex non folum armatorum agminibus Ifraelitici populi vires conatur infringere; fed & auguriis præftigiifque illius ftudet felicitatibus obuiare. Balaam veneficiis celebrem vocat; fed qui aduentarat maledicturus populo faufta precatur, & benedictionibus ingeminatis profequitur: *Surrexit Balac filius Sephor rex Moab, & pugnauit contra Ifraelem, mifitque, & vocauit Balaam filium Beor, vt malediceret vobis, & ego nolui audire eum; fed è contrario per illum benedixi vobis.* Balac non modicis fumptibus Balaamum ariolum fibi compararat: ftabat fatidicus montis vertice operofis aris conftructis, veluti maledictionis fulmina in populum iaculaturus, regique laturus fuppetias, & Hebræorum auguriis euerfurus prorfus phalangas. Itaque Balaam regis præfentiffimum videbatur auxilium, & populi certum naufragium; verùm omnia è contrario euenerunt; populo namque benedixit, & regi infaufta nuntiauit. *Cùm iret Balaam*, fcribit Abulenfis quæft. 8. *ad quærendum auguria, & veniens refponfurus effet regi Balac, incipiebat benedicere Ifraelitis enunciando de illis bona, & ob hoc conquerebatur rex Moab quòd cum vocaffet Balaam ad maledicendum Ifraelitis benedicebat eis, hoc autem erat quia Deus mouebat violenter linguam Balaam, & cum ipfe vellet formare verba maledictionis, formabat verba benedictionis.* Quod videbatur populi excidium, verfum eft in profperitatis fuffragium, & quod Balac videbatur fuffragium, conuerfum eft in excidium. O quoties experti funt peccatores fibi infaustiffima, quæ magnis expenfis elaborarunt commoda! O quoties iuftis euafere commoda, quæ videbantur infaufta!

Gen. 22. v. 17 · Seleuc. · Abulenf.

115. Hoc ipfum nofter dilucidè probat textus: nam cùm populus feruitutis iugum excuffiffet, & defertum verfus properaffet, Pharao curribus & equitibus fuperbè inftructus fugientes infequitur: mare cùm prorfus impediret fugam, videbatur Pharaonis agere caufam. *Veniftis ad mare, perfecutique funt Ægyptij patres veftros cum curribus & equitatu vfque ad mare rubrum.* Quid tunc? Clamor afflictorum cælos pulfat, & iam diuifum mare aliis iter, aliis fepulchrum fuit: *Clamauerunt ad Dominum filij Ifrael, qui pofuit tenebras inter vos & Ægyptios, & adduxit fuper eos mare, & operuit eos.* Mare firmiffimum Ægyptiorum videbatur auxilium, cùm omnem prorfus denegaret populo tranfitum: vnda Hebræis apparebat infaufta, vt Ægyptiorum ftudiis commoda; verùm adeò fuit contrarius humano iudicio euentus, vt mare tranfmiferit fecurè Hebræos, & digna abforbuerit ftrage Ægyptios. *Iubetur Moyfes virga percutere mare, vt ingredienti populo Dei dehifcat, & voluntati diuinæ elementorum famulentur obfequia, & aquæ, quæ timebantur*, fcribit Origenes apud Lippoman. ad Exod. 14. *dextera læuàque famulis Dei murus effecta non folum perniciem nefciant; fed & munimen exhibeant.* Munimen exibent aquæ iuftis, quibus minabantur perniciem, Ægyptiis afferunt perniciem, quibus afferre videbantur munimen: vt iam veriffima fit noftra thefis, fcilicèt ipfa infortunia euadere iuftis fauftiffima, & quæ fauftiffima effe iniuftis detrimenta.

Iof. 24. v. 6. · Origen.

Samfoni torofus occurrit Leo horrida iuba, torrido afpectu, formidabili vifu, videbatur citiffimè dilaniandus, & exacutis vnguibus difcerpendus; verùm armatus fpiritu validè adeò inter brachia Leonem ftringit, vt vitam efflare compulerit: *Irruit fpiritus Domini in Samfon, & dilacerauit leonem.* Non multò poft in leonis ore mellis fauus inuätus eft, quo Samfon recreatus, & quem parentibus impertitus: *Ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis, quem cùm fumpfiffet in manibus, comedebat in via:* factum eft viatori prandium, quod videbatur periculum: verte modò oculos ad Ionatham, cui exortum eft ingens periculum, vnde videbatur oriri prandium. Cùm victor hoftes infequeretur contra patris præceptum aureum mellis fauum virgâ prehendit, & fententiam mortis incurrit: *Extendit fummitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum fuam ad os fuum.* Ecce vianti Samfoni infauftiffimus ad fpeciem contingit occurfus, Ionathæ dulciffimus obiicitur fauus; verùm cùm alter legem temerat, & alter fe fpiritu obarmat, mors dulcefcit in fauum, & fauus affert interitum: *Guftans guftaui in fummitate virgæ*, ingemit Ionathas, *quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.* Ex fauo mors, & ex morte fauus: dum Dei fpiritus Samfonem munit, periculum tranfit in prandium; at dum legis præuaricatio condemnat Ionatham, prandium tranfit in periculum. Innuit aliquomodo Lyra: *In illa parte Leonis inuenit mel, quod eft comeftibile, quæ eft inftrumentum comeftionis, fcilicet in ore.* Leonis os, quo Samfon videbatur deuorandus, mel obtulit, quo gauderet innutriendus. Ita accidit fæpè his, qui fpiritu reguntur, & qui culpis maculantur: aliis namque cithara in luctum vertitur, aliis luctus citharâ commutatur

116. · Iud. 14. v. 6. · 1. Reg. 14. v. 27. · Lyra.

Pharaonis filia fterilitatis mœftitudine oppreffa animum leuandi caufâ ad Nilum puellis comitata contendit: vidit fifcellam, in qua Hebræorum 117.

bræorum infans ad miraculum decorus vndis ferebatur; extrahi iubet, & venustissimi pueri inuentione oblectata contra patris præceptum seruat, & ad nominis amplificationem adoptat:
Exod. 2. v. 5. *Cum vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis, & allatam aperiens, cernensque in ea paruulum vagientem miserta eius ait: De infantibus Hebræorum est hic.* Patris temerauit præceptum, quò prosapiæ acquireret nouum fulcrum: *Adoptauit in locum filij.* Conferamus si placet, historiam hanc cum historia Tobiæ: dum pedes emaculare contendit in Tygri Angelo comitatus, ecce immanis bellua iuuenem
Tob. 6. v. 2. gestit vorare, & horribili rictu discerpere: *Ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum, quem expauens Tobias clamauit voce magna dicens: Domine inuadit me.* O quàm si humanis oculis res dimetiamur, felix censenda erit Pharaonis filia, infelixque Tobias: inuenit namque illa in flumine generis amplificationi subsidium: huic in flumine occurrit certum ad speciē naufragiū; at dum illa, quam iustā delusa credit, legē violat, ipsum auxilium, certissimum experitur damnū; hic putatū discrimen inuenit vitæ ac salutis subsidium: Angelo præcipienti obtemperans piscem è flumine extrahit, cuius caro peregrinis est cibus, cuius fumus dæmonem abigit, cuius fel oculos patri restituit: vnde appetere videbatur mors, inde piscatus est vitam; è contra verò Pharaonis filia, dum se è flumine reputat piscari vitam, parat sibi & Ægypto toti ruinam. Moyses in filium adoptatus non fuit prosapiæ fulcrum; sed prosapiæ naufragium; dum virga percutit mare stupentes vortices soluit, & cunctam Ægyptum naufragio tradit: gaudebat Pharaonis filia sterilitatis depulisse notam, & nominis ęternasse famam; at vbi legem temerat, venenum sibi nocentissimum fouet. Clamabat anxiis vocibus Tobias periculo iam quodammodo absorptus; sed dum Angelo obtemperat, opportunum sibi
Philo. à Domino subsidium parat. *Illa videns eum supra ætatem proficere,* scribit Philo lib. 1. de vita Mosis, *ex aspectu renouata, accensáque beneuolentia facit filium supposititium, quæ iam antè muliebri arte finxerat se grauidam, vt natiuus putaretur, non ascititius.* Mendaciis filium supponit; sed filius patres euertit: adeò fucata est improborum felicitas, vmbratilis adeò iustorum aduersitas. Tobiæ clamor immortale gaudium peperit, Thermut (ita vocabatur) gaudium irreparabilem luctum attulit. *O arcanam*, exclamat Basi-
Basil. lius Seleuciensis oratione 9. *diuinámque admodum gubernationem! alter contra Ægyptios humanitatis legislator alebatur Moyses.* Ad generis amplificationem alitus, generis est hostis inuentus: vt discas malorum felicitatem externis oculis non censere, nec iustorum ad speciem calamitatem externo visu taxare.

---

§. XXIX.

Ardentiori studio satagunt scelesti, ne quid liceat virtuti, quàm virtutis asseclæ, ne liceat crimini.

128. SCiunt vitiorum asseclæ nihil pro vitiis delicatè, nihil molliter esse faciendum: stant in appetituum acie obstinato animo aduersus conscientiæ morsus, & vtiles virtutis adsultus: nullam permittunt rimulam luci, quà illorum caligo valeat depelli: discupiunt vehementissimè vitia prosequi: ideò studiosè satagunt, ne quid in ipsis virtuti liceat: nec admissum contendunt iugum excutere; sed antequàm experiantur, repellere: vnus aut alter forsitan accuratè armetur in vitia, cùm plures omni se parte muniuerint in honesta: *Fortuna mecum bella gerit,* aie- Seneca.
bat Seneca epist. 51. *non sum imperata facturus, iugum non recipio; imò, quod maiori virtute faciendum est, excutio: non emolliendus animus: si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum labori, cedendum est paupertati: idem sibi in me iuris esse volet & ambitio, & ira.* (Qui voluptati cessit, dolori cessit.) Rari sunt Senecæ, cùm frequentissimi sint ignaui: agnoscebat optimè Stoicus omni studio pro virtute decertandum, nec iugum vitij admittendum, verùm quod ille vnicus pro virtute docuit, numerus ferè immetatus pro vitio exercuit: nullum laborem recusant libidini addicti, vt vel castitatis vmbram depellant, & quidquid pudicitiam redolet; longiùs abigant, cùm ferè in primo deficiat puluere castitatis miles, & virtutis progenies. Populus cùm ad primam promissionis ciuitatem deuenerit, illam expugnare molitur. Quin tunc? Ex omnibus Chananæorum nationibus ad Iericho celeriter confluunt, & ne Hebræus vel exiguum in terra promissionis acquirat vestigium, studiosissimè satagunt. *Transistis ad Iordanem, & venistis ad Iericho, pugnaueruntque contra vos ciuitatis eius, Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus, & Hethæus, & Gergesæus, & Heuæus, & Iebusæus, & tradidi illos in manus vestras.* Addubitant interpretes, quomodo tot nationes in ciuitate Iericho inueniri potuerint, cùm nullatenus pertinerent ad illam. Lyra nostro instituto opportunus respondet vndique ad Iericho ciuitatem confluxisse, vti ad primam ciuitatem, ne Hebræi quid possiderent, aut ad virtutis castra traducerent. *Hic nominan-* Lyra.
tur septem populi, scribit Lyra, *habitantes in terra Chanaan: quia Iericho erat prima ciuitas oppugnanda à filijs Israel, & ideò de omnibus gentibus in tota terra Chanaan habitantibus venerunt aliqui bellatores in Iericho ad resistendum filijs Israel in principio.* Idololatiæ cultores didicerant illud poëtæ monitum: *Principijs obsta, serò* Ouidius.
medicina paratur, cùm mala per longas conualuere moras. Nulli labori parcunt, sed omnes auidissimè confluunt, ne quid in criminis regione liceat virtuti, aut veri Numinis cultui. O vtinam adeò accerrimè pugnaretur pro virtute, vt decertatur pro crimine; sed heu dolorulentè contra vitia virtutem defendunt probi, cùm pro vitio decertent pugnacissimè improbi.

Christi Domini hostes inuidia adusti factio- 129.
sas adeò texuere causas, vt abstulerint vitam: nec mortuo pepercit inuidia: timent, ne discipuli demortui reliquias suffurentur, vtque obuiarint periculo, & lapidem obsignant, & milites, qui excubias agant, ingenti pretio delegant: *Munierunt sepulchrum signantes lapidem* Matth. 27. v. 66.
cum custodibus. Non solùm publico sigillo muniunt; sed vigilantissimos custodes apponunt, & totum hoc, ne quid Apostolis liceat: *Ne fortè,* inquiunt, *veniant discipuli eius, & furentur eum.* Vides sigillum impressum, & milites circunstantes arcere periculum: vide quid fecerit rex ille, qui Danieli periculum grauius ab aduer-

præsum

sariis, quàm à feris imminere cognouit. Digna præsumptione credidit Danielem inter cruentos ferarum rictus illæsum à Domino cõseruandum; sed qui de feris humanitatem præsumpsit, inuidorum truculentiam suspectam habuit: Dan. 6. v. 17. *Allatus est lapis vnus, & positus est super os laci, quem obsignauit rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem.* Timet rex imminere Danieli ab aduersariis periculum, timent aduersarij Christi æmuli contingere posse furtum: vtque videas quàm maiori solertia satagat virtutis æmulus, ne quid licuerit pietati, quàm virtutis patronus, ne liceat æmulationi; hic sigillo munit lapidem; non tamen apponit milites ad excubias; ille apponit milites ad excubias, & lapidem munit sigillo: veritatis hostis contentus non fuit sigilli munimine; virtutis propugnator militem non adhibuit, quò noueris solertiores esse homines erga scelera, ignauiores erga virtutum studia. Hieron. *Non suffecerat*, scribit Hieron. apud D. Thomam, *Principibus Sacerdotum crucifixisse Dominum Saluatorem, nisi sepulchrum custodirent.* August. Adstipulatur Augustinus in Psalm. 63. *Quò perduxerunt illas scrutationes suas, quas perscrutantes defecerunt, vt etiam mortuo Domino & sepulto custodes ponerent ad sepulchrum?* Sigillo & custode aduersus discipulos tuentur inuidiam, cùm sigillo tantùm rex ille virtutis tueatur causam.

130. Deus Moysi oues agenti rubo flammanti obiicitur, & voce veluti imperatoria tessera in Ægyptios refractarios obarmat: mille ille prætendit excusationes, & multiplices allegat causas, ne virtutis susceperit patrocinium, & Domini exequatur imperium: Exod. 4. v. 1. *Non credent mihi, neque audient vocem meam.* Tandem reluctans paret, & virgam veritatis sceptrum prehendit: *Reuersus est in Ægyptum portans virgam Dei in manu sua.* Pharaò veritatem nititur expugnare, & Magos iubet venire: *Vocauit Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter: proiecerúntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* Profectò plus verendum erat Magis à Pharaonis Numine, quàm Moysi timendum fuisset ab homine; & tamen Moyses extrahere nitebatur imperium, cùm sapientes exequi non dubitarint mandatum: allegauerat ille linguæ tarditatem, Pharaonis duritiem, cùm hi nec Moysis allegarint potentiam, nec potentiæ vicariam timuerint virgam: Moyses vnicam armat pro virtute virgam; plures magi pro vitio virgas producunt in aciem. Quàm nihil Magi cunctati sunt, quàm celeres inuolarunt, quàm rebus omnibus expediti, quámque præstigiis contra veritatem armati: cùm Moyses lentissimo incedat passu, & reluctanti obsequatur affectu: lentiùs curabat virtutis propugnator Hebræos extrahere, Pharao ardentiùs retinere: Origen. *Donec esset Moyses in Ægypto*, scribit Origenes apud Lippoman. *& erudiretur omni sapientia Ægyptiorum, non erat gracili voce, nec tardus lingua, nec profitetur se esse ineloquentem: erat enim quantum ad Ægyptios & sonoræ vocis; vbi autem cœpit audire vocem Dei, & eloquia diuina suscipere, tunc sensit exilem, & gracilem vocem suam.* Vbi audit Dei præcepta, linguæ difficultatibus impeditur, cùm inter Ægyptios viueret, nullis linguæ difficultatibus grauabatur: non se gracilis linguæ allegarunt Magi, quominus veritatem oppugnarent mendaciis; Moyses verò tardioris erat linguæ, vt cælestibus Hebræos erudiret doctrinis. Et certè cùm comparatiuo vtitur: ait: namque: *Impeditioris, & tardioris linguæ sum*, suam cum aliorum linguis conferre videtur: quasi dicat: Tardioris linguæ sum, vt pugnem pro veritate, quàm sint Magi, vt propugnarint pro crimine. Profectò Magi expromptiùs impiis paruere mandatis, quàm diuinis Moyses præceptis. O quàm nullis ad vitia obstaculis impedimur! O quàm multis à virtute difficultatibus arcemur! Studiosiùs curauit Pharao, ne quid veritati liceret; lentiùs Moyses, ne quid mendaciis.

Qui in mundo ad omnia parati, iam religioni ingressi nil audens infirmi.

Philisthæi adeò se locorum difficultatibus contra Hebræos muniunt, vt Ionathæ necessum fuerit corpus per terram trahere, ingeniumque imitari serpentis. 131. *Ascendit Ionathas manibus & pedibus reptans, & armiger eius post eum.* 1. Reg. 14. v. 13. Adeò arcta erat via, difficultatibus adeò impedita, & periculis plena, vt simul gradi non licuerit vtrique; sed vnus post alium difficillimo gressu ascenderit. Transi modò cogitatione ad Hebræos: aciem instruunt contra Philisthæos; non tamen adeò inimicis aditus erat præclusus, vt opus fuerit reptare, aut serpentis more conuolui. Vir spurius de castris Philistinorum facilè Israëlitarum castris accedebat armigero comitatus, & se victorem vel ante certamen iactabat superbus: *Armiger eius antecedebat eum, stánsque clamabat aduersus phalangas Israel.* 1. Reg. 17. v 8. Stetit, non reptauit: quia non adeò difficilis illi accessus, vt fuerit Ionathæ aditus. Quod si inquiras, cur Israëlitæ locorum se difficultatibus non munierint, quando Philisthæi scopulis in modum dentium, & variis locorum fraudibus, ne pateret Hebræis aditus, se anteà obarmarint: ea se mihi offert ratio, Philisthæos pro impietate certare, Hebræos pro virtute congredi; ideóque solertiores, studiosiorésque Philisthæos olim aditum præclusisse Hebræis, ne quid illis liceret aduersus vitia; ignauiùs Hebræos, ne Philisthæi quirent in virtutis pugnare castra; Philisthæus gigantæo gressu procedit, quasi graderetur in plano, cùm reptauerit Ionathas in ancipiti, & prærupto. *Non per plana; sed ardua iter arripiunt*, scribit Glossa, *quia Sacerdotes hostibus contraire nequeunt, si non per arctam viam gradientes incedunt.* Glossa. Verebantur improbi posse se à sacerdotibus debellari, vtque se tuerentur, adeò mille difficultatibus præcluserant aditum, vt magno Ionathæ animo fuerit opus, & difficillimus sanè accessus. Israëlitæ nouerunt etiam se ab hostibus expugnari posse; nec tamen eis se locorum munierunt anfractibus, vt allophylis facilè non patuerit accessus. Studiosiùs curarant Philisthæi, ne quid Hebræis sua liceret in castra; Hebræi lentiùs, ne Philisthæis quid in illorum liceret præsidia, vt iam nostra sit certissima thesis, scilicet ardentiori studio satagere scelestos, ne quid licuerit pietati; lentiùs probos, ne liceat crimini.

* * *

§. XXX.

§. XXX.

Pro facto habetur, quidquid paratus animus gestiuit absoluere, quantumuis tempus aut occasio studium conentur eludere.

132. ANimi propositum est vitij aut virtutis origo, opportuna occasio explicat, & in lucem prodit, quod latebat: est namque non fallax voluntatis interpres, & certus propositi index; qui voluntatis studium opere exercuit, totam actionem perfectissimè consummauit: aliquid deest, cùm properantes conatus importunum retardat tempus, aut fugiente occasione impeditur voluntatis expromptæ vsus. Aptè Seneca epist. 42. *Multorum, quia imbecilla sunt, latent vitia, non minùs ausura, cùm illis vires sua placuerint, quàm illa, quæ iam felicitas aperuit, instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt. Sic tuto serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore: non desunt illi venena; sed torpent. Multorum crudelitas, & ambitio, & luxuria, vt paria pessimis audeat, fortunæ fauore deficitur: eadem velle eos cognosces, da posse, quantum volunt.* Dum non voluntatis ignauiâ; sed occasionis inopia res aliqua non absoluitur, tunc quodammodò perfecta de voluntate censetur. Rex ille barbarus Nabuchod. nescio quid horrendũ anhelantes flammas pueris illis decantandis minatur; illi animi concepta fiducia, & ardentiori desiderij flamma se ignibus deuouent, & ministrorum accusant lentitudinem sacra ambitione moriendi, & desiderio impotenti se Domino consecrandi: fornax excepit damnatos; verùm flammarum linguis publicauit sæculis iustos: quibus virtus in creaturas concessit imperium, flamma non potuit inferre supplicium; imò vaporibus viam quærens regis ministros rationabilis consumpsit ardor, pueros sapiens coronauit splendor: *Non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit.* Tertullianus, etsi roscidas flammas pueris blandiri adspiciat, martyrium perfectissimum asseuerat, quandoquidem intrepida animi constantia conculcauere mortis imperium, cùm mors labefactare religiosum non potuerit studium. Audi Tertullianum aduersus Gnosticos cap. 8. *Dixerunt à Deo concepta fiducia, quando vigore animi conditionales minas regis excutiunt: Non habemus necessitatem respondendi huic tuo imperio, &c. O martyrium & sinè passione perfectum! Satis passi, satis exusti sunt, quos propterea Deus texit, ne potestatem eius mentiri viderentur.* Flammas pueri prouocabant; sed flammæ pueros fugiebant: licèt ergo mortis studiosos ignis frustrauerit reuerentia, triumphalis illos præmuniit palma. Satis passi sunt, qui non defuere martyrio; sed quibus defuit tormentum. Hanc satis notam Theologiæ doctrinam noster dilucidissimè tradit textus: nam inter collata in populum beneficia Iericho ciues contra Hebræos referuntur pugnasse, & in eorum manus incidisse: *Transistis Iordanem, & venistis ad Iericho, pugnaueruntque contra vos viri ciuitatis eius, &c. & tradidi illos in manus vestras.* Si historiam euoluamus, Ierichuntinos aduersus Hebræos pugnasse non inueniemus; imò sic ciues timore referuntur perculsi, vt nec ingredi, nec egredi fuerint ausi. *Iericho clausa erat atque munita timore filiorum Israel, & nullus egredi audebat aut ingredi.* Si timor prohibuit egressum, quomodò procedere potuerunt in campum? Referantur armati, & ad pugnam expediti; non verò certamine fracti, & ab hostibus deuicti. Profectò Ierichuntini manus cum aduersariis non conseruere; verum paratissimi erant, si hostes propiùs accessissent pugnare, & quia non animus defuit certamini; sed occasio animo, Ierichuntinorum veluti exercita refertur pugna, & ab Hebræis reportata victoria. Ita Abulensis quæst. 8. *Non est sensus propriè quòd viri de vrbe Iericho pugnauerint: quia nullus de eis egressus est de vrbe ad pugnandum, nec de mœnibus vrbis saltem ad Iudæos tela miserunt, eo quod Israelitæ non accesserunt ad mœnia vel muros vrbis.* Addit post pauca: *Dicuntur tamen viri vrbis huius pugnasse: quia erant parati ad pugnandum super muros vrbis, etiamsi accessissent Israelitæ ad expugnandam aliquam partem vrbis, pugnassent contra illos de mœnibus: sed non accesserunt.* Ecce certaminis ardentissimum non defuit desiderium; hostis tamen non accedens frustrauit studium: pugna ergo refertur quodammodò consummata: quia non animus occasioni; sed occasio defuit animo.

Seneca. *Multis, vt paria pessimis audeant, fauor deficit fortuna.*

Dan. 3. v. 50.

Tertull.

Iosue 6. v. 1.

Abulens.

Hebræi illi, qui absente Moyse idololatriæ desiderio furebant, vel erroribus obscurati hanc nobis doctrinam tradiderunt apertè. 133.
Apud Sinæum Moyses cum Domino disserens necessaria detinebatur absentia, cùm populus ageretur insania: vrgetur Aaron deósque conflare cogitur: *Fac nobis deos, qui nos præcedant.* Aaron mulierum inaures iubet deferri, ex quibus in ignem coniectis vnicus conflatur vitulus: *Quas cùm ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem:* adeò materia fuerat angusta, vt penè vni idolo satis non fuerit; verùm multos se deos adorare fatentur, & habere vociferantur: *Dixerunt: Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Proh cæcissimam insaniam, & insanientem amentiam! Si vnicum adorant vitulum, cur se plures adorare iactauerint deos? Adeò sibi de erroribus placent, vt numerum augeant, & non perpetratum iactanter incrementent delictum? Vnico se vitulo seruire testentur: aliter namque stultè & imprudenter iactantur: cur ergo se pluribus inseruisse idolis dixerint, quando flammæ vnicum illis conflarunt? O errorem doctrinæ inseruientem! Nouerant se non vnicum; sed plurima flagitasse idola immetato appetitu, nec potuisse obtinere materiæ defectu: se ergo delictis onerant: iam iam animo idola plura confinxerant: materia vnico tantùm idolo suffecit, cæca voluntas idola plurima discupiuit: ergo vnicum vitulum deos vocant: quia licèt vnicus fuerit ad numerum, plurima conflauerant ad reatum. Innuit Tertullianus aduersus Gnosticos cap. 3. *Aberat apud Deum in monte Moyses, cùm populus tam necessaria absentia eius impatiens deos sibi producere quærit, quos potiùs ipse perdiderit: vrgetur Aaron, iubet inaures fœminarum suarum in ignem conferri: amissuri enim erant in iudicium sibi vera ornamenta aurium Dei voces. Sapiens ignis effigiem vituli defundit illis.*

Exod. 32. v. 1.

Tertull.

Sapiens

Sapiens ignis vnicam defundit effigiem; sed ipsi exertis vocibus, quæ produxerant animo colere testantur idola: quia licèt materia arctauerit numerum, pluralitatis ardebat animo desiderium. Ergo deos se sortiri testantur. *Hi sunt dij tui:* quia deos animo adorare experiuntur: *Deos sibi producere quærit. Ignis effigiem vituli defundit.*

134. Absalom superbos adeò animo concepit spiritus, vt in patrem proditionem dolosè texeret, quò sibi coronam infaustissimam maturaret: callidis consiliis, & fallacibus blandimentis sic omnium sibi deuinxerat animos, vt ad quidquid vellet, arbitraretur proiectos: eò deuentum est, vt Absalom in patrem acies armauerit, & sanguinem genitoris sitierit: *Irruemus super eum*, aiebat Chusai, quò consilium Achitophelis eluderet, *in quocumque loco inuentus fuerit, & operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram, & non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne vnum quidem.* Placuit Absalomi consilium; verùm dum aduersæ acies conferunt signa, cessit in Dauidis partem victoria: fugit Absalom, & licèt patris mortem non perpetrarit, parricida habetur, & nota criminis parricidalis inuritur. Ita Ambrosius Apologia 1. pro Dauid cap. 6. & apud Glossam. *Parricida filius regnum patrium violenter inuaserat;* verùm si patrem non occidit, cur parricida vocatur? parricida namque patris dicitur interemptor: ergo si vitam non abstulit, nec vocabulum ignominiosum impleuit: parricidam tamen iure vocat Ambrosius: nam, etsi occasio opportuna non fuerit, voluntas occisionis exarsit. Ad cædem hiantem elusit Chusai, vt dignis periret dolis, qui indignis in patrem populum concitarat fallaciis: quia ergo, quantum in se fuit, mortem ardentissimè desiderauit, parricida sugillatur, licèt vitam non abstulerit consilio illusus, & exercitu regio fugatus.

2. Reg. 17. v. 12.

Ambros.

135. Ioannes agnum ab origine mundi Apocalypsis 13. deprædicauit occisum: *Adorauerunt eam* (id est bestiam) *omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi.* Pungit statim scrupulus: nam agnus non à mundi origine occisus est; sed cùm temporis aduentasset plenitudo, misit Deus filium suum factum ex muliere, natum de Virgine; qui omnes homines sanguine immaculato purgaret, & maculas peccatorum abstergeret: si ergo tempore impiorum manibus occubuit, quomodò ab origine mundi occisus iacuit? aut si à mundi origine iacuit, quomodò Pilati sententiâ occubuit? Quia ipse agnus, inquit Anselmus, gestiebat occidi, etsi opportunum compelleretur tempus expectare: occisus refertur, quia expromptissima subeundi mortem voluntas proditur: tempus retardabat studium; sed in voluntate consummabatur tormentum: *Occisus est ab origine mundi in suis, vt in Abel: vel quia ita dispositum fuit ab initio mundi.* Annuit Hugo: *Occisus est, id est, præmissus, & præordinatus ab æterno occidi in tempore.* Tempus expectabatur, vt impleretur decretum; sed iam mortem tempore retardatam quodammodò consummauerat votum: ni tempus obstaret, agnus ab origine mortem subiret: ergo de firmo animi proposito deprædicatur occisus, etsi tempore sit retardatus: sic firmè, fixéque præordinatur ad mortem, vt iam futurum censeatur factum; & in iam factorum censu referatur post futurum.

Apoc. 13. v. 8.

Anselm.

Hugo.

§. XXXI.

Cùm Deus prosternit hostes, ad victorum commodum, illos vetat sibi quid vendicare; sed omnes triumphos diuinæ iubet potentiæ adscribere.

Adeò augusta est diuina in homines liberalitas, vt quodammodò ducat iniuriam vel cùm ipso homine felicitatis eius gloriam partiri; sed sibi velit in liberalitatis ac amoris elogiū omnem beneficētiæ laudem vendicare. Certum est nobiscum cooperari Dominum; imò nos cum Deo; vnde tritum est illud Augustini: *Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te;* verùm adeò exiguas operas nos asserimus, vt Deo adscribendum sit totum, quidquid probatur nobis proficuum: vt suam ergo liberalitatem cumulatiùs adornet, sacra ambitione laudis quodammodò inuenitur cupidus, & beneficij gloriam partiri respuit honestè auarus. Profectò Deus ille maximus, vniuscusque omnia portat verbo virtutis suæ: vnde omnia ei bona nostra adscribenda, & grato animo publicanda: *Deus ille Maximus,* aiebat Seneca epist. 31. *potentissimusque ipse vehit omnia:* improbum non exigit fœnus, dum vult sibi, quæ in nostram operatur vtilitatem, adscribi, & hoc non tam ad proprium lucrum, quam ad nostrum commodum: nam qui propriis viribus quid vendicat, & vires superbia infirmat: *Misi ante vos crabrones, & eieci eos de locis suis, duo reges Amorrhæorum non in gladio, nec in arcu tuo:* nec gladius nec arcus victoriæ partem potuerunt sibi vendicare, quando notum erat Dei potentiâ hostes prosterni, & pestiferis crabronum aculeis feriri. Ita Abulensis quæst. 9. *Admonuit, vt quando gentes superauissent, non gloriarentur quasi ipsi fecissent hoc; sed Deo referrent gratias.* Omnem sibi attribui voluit victoriam, ne, dum Israelitæ superbiunt, aliquamque laudis sibi partem arrogant, diuinæ liberalitati inferrent probrum, & sibi ipsis ad vlteriores triumphos procrearent obstaculum. 136.

August.

Seneca.

Abulens.

Hoc idem monuerat Deuteronomij 8. *Postquàm afflixit ac probauit, ad extremum misertus est tui, ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt; sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit.* Non modicis afflictionibus populum Dominus erudiuit, ne elatus sibi triumphorum aliquid vendicaret: nihil namque est, quod adeò obuiet liberalitati diuinæ, vt animi tumentis superbia, & vana superborum iactantia: vnde dum quidquid est gloriæ, quidquid laudis, ad ipsum cupit referri, discupit maiora nobis largiri. Itaque dum hominibus euanidæ gloriationis tumorem prohibet, amoris ac liberalitatis flammam accendit: gratitudinis exigit argumenta, non ad propria commoda; sed ad humana salutis lucra. *Ne diceres in corde tuo,* scribit Hugo Charensis, *attribuendo tibi; sed recorderis Domini Dei tui, cui attribuenda sunt.* Dum triumphi Deo adscribuntur, & securè incrementantur: quia crescit de gratitudine meritum, & de diuina liberalitate suffragium. 137

Deut. 8. v. 16.

Hugo.

Pugna-

137. Pugnabat Iosue aduersus Amorrhæos, cúmque Sol tempus victoriæ extraheret, ne triumpho defatigatis tædium afferret, eius rapiditatem ducis stitit edictum, & anhelantes equos frænauit. Stetit Sol Hebræorum victoriam præstolatus in duce Domini nomen reueritus; verùm cum refertur victoria, nec duci imperanti, nec stanti Soli tribuitur; sed illibata Domino laus sacratur: *Non fuit anteà, nec posteà tam longa dies obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel.* (Iof.10.v.14.) Et cur non dicat textus: Non fuit anteà tam longa dies Iosue præcipiente, & acriter aduersus hostes pugnante? Quia nouit sacer historiographus: Deo omnia adscribere in ipsius Iosue triumphatoris commodum vergere: ad vlteriores triumphos disponitur, dum quid laudis adscribi sibi non patitur: ipsum inuictum Iosue robur, ipsa Solis statio diuinæ adscribenda fuere potentiæ, ne emergerent impedimenta victoriæ. *Ratio obsequij diuini operis in sole redditur*, scribit Caietanus: (Caietan.) *Quia summus Deus erat tanquam bellator pro Israel.* Vt bellator esset pro Israel, necessum fuit illi omnia adscribere, & integram laudem sacrare.

138. Huius philosophiæ non ignarus Dauid, cùm gigas ille superbissimus cædem crudelissimam minaretur suas vires ostentans, & de fortitudine superbè glorians, Deo omnia tribuit, vt qua triumphali laude magis se profitetur alienum, eo certiorem reddiderit sibi triumphum. (1 Reg 17. v.46.) *Hodie dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te.* Quàm dissimilis oratio gigantis orationi! Aiebat immerata moles: Dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestiis terræ; at dum vires suas arroganter ostentat, & triumphos contrario parat: non tam prostratus est lapidis ictu, quàm arrogantiæ superbissimæ fastu: ignorabat allophylus omnia à Numine pendere, & dum adscribit sibi, armísque arroganter victoriam, æternam hosti procudit famam; at Dauid, dum adscribit omnia gratiæ, trophæa sibi incrementat victoriæ. (Seleuc.) Ita Basilius Seleuciensis orat. 15. *Goliath videns puerum pugnæ incensum amore, oculorum elegantiam, genarum florem, & alienum à belli studiis schema in risum effusus est, spectaculum ludicrum dicens armaturam eiusmodi: carebat enim oculo fides, quo auxiliatorem inconspicuum cerneret, ac certè dæmonum operâ factus elatior superbiloquentia perterrefaciebat, canumque ventres pro sepulchro promittebat.* Addit posteà: *Cui verborum fastui Dauid auxiliatorem, quem promulgabat, opponebat, ostentans illi de cælo aduersarium, prædicens victoriam, ac victorem contestatus, gratus seruus, qui vel ante operam operæ fructum offert Domino.* De allato Domino fructu orta est grandior Dauidi victoria, vt de superbia probrosior hosti ignominia. Disce omnia Deo adscribere, si triumphos discupis reportare: nam quæ Deo laus tribuitur, grandi cum fœnore ad offerentem reuertitur. E contra si quid homo sibi vanus adscripsit, & superbiæ supplicium citò persoluit.

139. Cùm populus ad desertum Sin aduentasset, ibíque aqua ad bibendum egeret, Deus iubet Moysem à silice vndas comiter flagitare: ille populi obtrectationibus turbatus silicem virga percussit, & potentiam quadantenus ostentauit: (Num.20. v.10.) *Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere?* Hic Deus indignationem ostendit, & fratres ingressu terræ prohibuit: *Non introducetis hos populos in terram quam dabo is.* O quàm amarum erat supplicium post longissimos itineris prolixi labores in ipso terræ aditu telluris mulctari ingressu! O quàm frequens est in rebus humanis post anxios alicuius rei conatus, & diuexatos diuturniori tempore affectus infelicitatis limine deficere, & optatis morte contradicente. Verùm inquiramus, si placet, quæ huius criminis fuerit offensa. Innuit non obscurè textus, scilicet Deum conceptis de more verbis non honorasse, & suæ nescio quid potentiæ imprudenter adscripsisse: *Nunquid*, aiebant, *poterimus de petra hac vobis aquam eiicere?* Quasi dicant: Dexteræ nostræ, quæ fluctus maris frænarunt, quæ iam olim elicuerunt de petra vndas, & modò elicere valebunt aquas: dum ergo miraculi sibi laudem adscribunt, & virtutem ad vlteriora miracula eneruant, & gratiæ quodammodo vires infirmant. Innuit aliquomodo Abulensis: (Abulens.) *Loquitur Moyses in persona sua & Aaron, qui ambo ad hoc missi sunt, est sensus, quasi dicat: Nos non possumus virtute nostra educere aquam de lapide: quare ergo contra nos murmuratis? vel aliter, quo sit istud verbum dubium, & exponibile ad omnem euentum: vt si dicentibus Moyse & Aaron verbum istud fluerent aquæ, intelligeretur: Numquid de petra hac poterimus vobis aquam eiicere? id est, vos increduli & rebelles putabatis quod non possemus vobis educere aquam de lapide; sed educere potuimus.* Suæ potentiæ dexteritatique in aquarum elicientia aliquantulum est blanditus, ideò & sententia mulctatus: vtque noueris quàm eneruet vires superba iactatio, expende hic gemino ictu vndas elicuisse, cùm marinos constet vortices vnico tantùm frænasse: iussit illi Deus, vt virgâ mare percuteret, & dum Domino obedit, & aquarum volumina sistit: *Cum extendisset Moyses manum super mare: abstulit illud Dominus flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in siccum.* (Exod.14. v.21.) Ecce vbi maris exiccatio Domino adscribitur, gemino virgæ ictu nullatenus indigetur; at vbi Moyses suam ostentat potentiam, repetitis ictibus præbet aquam: *Cùm eleuasset*, inquit, *Moyses manum percutiens virga bis silicem egressæ sunt aquæ largissimæ.* Non semel minora difficiliùs patrantur, cùm celsiora faciliùs patrentur; verùm hîc Moysis ad speciem iactatio sic eius imminuit virtutem, vt opus fuerit ictus repetere, cùm immensum mare olim didicerit vnico ictu frænare. Notauit Rupertus lib. 1. in Numer. cap. 7. (Rupert.) *Non sic loqui consueuerat verbi gratia, cùm mare diuideret; imò cùm multis plagis Ægytum verberaret. Non dixit: Num de fluuiis ranas poterimus eiicere? Num grandinem cum igne de cælo deponere? Num mare rubrum in diuisiones poterimus diuidere?* Vbi nihil potentiæ adscripsit, facilè de inimicis triumphauit; at vbi iactanter ostentauit potentiam, consummati itineris amisit gloriam.

Cùm primus parens paradisi hospes esset, multimodísque commodis frueretur, pleniori voluptatis sensu non capiebatur consortio eiusdem generis destitutus: tunc Deus costam mutuatur, & quod olim vnicum membrum, iam membrorum omnium adiutorium. Vidit homo diuina manu fictum simulacrum; & cùm artis debuisset laudare solertiam, operis gestiuit vendicare sibi gloriam: *Hoc nunc os ex ossibus meis,* (Gen.2. v.23) & 140.

& caro de carne mea. Serpens hoc osse, vti olim Samson Philisthinorum, Adami tentat felicitatem euertere, aut saltem obscurare: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terra, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem*, &c. Non callidus; sed hebes apparet serpens, dum in ipso adiutorio molitur excidium: cur Euam in aciem contra Adamum producit, cùm putare debuisset felicitatis augmentum, non prosperitatis naufragium. Proh versutam] veternosi serpentis astutiam! Vidit Euam à Domino in Adami commodum efformari; sed audiuit non Domino; sed sibi beneficium adscribere: quod ergo, si adscriberetur Domino, euaderet adiutorium, Adamo adscriptum euasurum suspicatus est detrimentum. *Contemplatus Adamus*, scribit Seleuciensis orat. 2. *inopinatam membri sui amplificationem, item exemptum esse membrum, ac deinde animatum, ingenti gaudio exclamauit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Addit post aliqua: *Quomodò alienam reputabo, quæ non extrinsecus; sed à me cepit originem.* Audis huius simulacri non modicam laudem sibi arrogare, audi etiam dæmonem per hominis latus structuram subruere. Ita citatus Basilius orat. 3. *Per latus hominis structuram subruere inceptat:* nullatenus inceptaret, ni structuræ partem Adamo adscriptam audiret.

Gen. 3. v. 1.

Seleuc.

---

§. XXXII.

Quò quis diuinis arctiùs illigatur præceptis, illustrioribus resplendet & triumphis.

141. Cassiodor. INtelligimus serenitatis vestra gratiam, scribit Cassiodor. 10. var. 26. *muneribus omnibus ditiorem, quando illa nos hortamini facere, quæ ad mercedem nostram possint omnimodis pertinere.* Profectò, quod nos Deus facere hortatur, nostram vtilitatem omnimodo promouere censetur, quandoquidem illa ipsa præcepta felicitatis sunt officina: de pura conscientia vigor in corpus emanat, & dum strictiùs lucrosa nos illigauere mandata, eò securiùs gloriosiúsque hostilia deuitauere trophæa: non solùm in Numinis quis obtemperauit obsequium, sed in proprium obedit commodum Ecquis hoc dicat? Salomon quidem: *Vir obediens loquetur victoriam*, vel vt alij legunt, *victorias*, id est adipiscetur victorias, de quibus possit loqui, & gloriosè referre. Ita Beda ad hunc locum: *Qui fideliter, vt promittit, iussis subditur diuinis, huius loquela ad victoriam peruenit: quia dum per obedientiam sua desideria vincere satagit, per institiam indicis postmodum victoriæ palmam percipit:* fructus obediendi dominium est, & quo quis Deo expromptiùs obsequitur, aliis securiùs dominatur. Cùm Hebræi Deum sequerentur ductorem, adeò feliciter hostes subiugarunt, vt ferè sine anxio certaminis puluere potiti fuerint æterno palmæ virore. *Misi ante vos crabrones, & eieci eos de locis suis, duos reges Amorrhæorum non in gladio, nec in arcu tuo: dedique vobis terram, in qua non laborastis, & vrbes, quas non ædificastis, vt habitaretis in eis, vineas, & olineta, quæ non plantastis.* Robusti erant inimici, illos tamen populus deuicit plus de Numini impenso obsequio, quàm de intrepido, & in aduersarios audenti animo. *Non laborastis*, exponit Abulensis quæst. 9. *scilicet in capiendo eam: quia quamquam Israelitæ ferè septem annis manserint in pugnando, hoc nihil fuit in comparatione laboris, quem passi fuissent, si proprijs viribus erepturi fuissent terram de manibus Chananæorum: quia nunquam eruere potuissent, etsi multis sæculis laborarent; sed versa vice citò Israelitæ à Chananæis delendi forent.* Dum sub Iesu vexillo merent, dum eius obtemperant iussis, & obsequuntur præceptis, laboribus censu excusato amplissimo potiuntur imperio, vt nouerint victoriam obedientiæ filiam, & gloriæ semper germanam.

Prouerb. 21. v. 28.

Beda.

Abulens.

Huc fortasse spectat faustum illud de Iuda Iacobi morti proximi vaticinium: *Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt Leo, & quasi Leæna: quis suscitabit eum.* Et quæ Iudæ pro tot tantisque victoriis arma? Subdit statim: *Ligans*, inquit, *ad vineam pullum suum, & ad vitem ò fili mi asinam suam.* Profectò omnia hæc arcana, quæ si humanis censerentur iudiciis, inepta videri possent adipiscendis victoriis: nam si ligatur viti, quomodo leo generosus Martio poterit adesse certamini? Certè præpediri vinculis, illigari catenis aptiùs est, vt hostes sine labore coronentur victoria, quàm vt ipsi vincto obiiciatur præda. Et quomodo manus infugientium velociter aduersariorum præualebit ceruices: ait namque *manus tua in ceruicibus inimicorum*, si vinculis illigata, & catenis ad vitem, vt ad caucasum posset, manet constricta? O sapientiam de futuris prænuntiantem! Certè vitis, ad quam Iudas illigandus erat, Christum Dominum adumbrabat, qui Ioannis 15. ait: *Ego sum vitis vera*: cùm ergo Iudas iumenti adinstar viti illigatur arctiùs, leo insurgit in aduersarios validiùs. Semper mirandis potietur prædis, si viti felicissimis illigetur catenis; imò quò verùm fuerit illud: *Ad prædam ascendisti fili mi*, & aliud fuit necessarium: *Ligans ad vineam pullum suum.* Innuit Ambrosius de benedictionibus Patriarcharum: *Hic est ille alligans ad vitem asinum suum, & cilicio pullum asinæ suæ, vt feruorem Spiritus sancti habeat congregatio nationum, ante remissa & negligens; sed iam deuota per Christum, & viti illi perpetua, hoc est Domino Iesu, qui ait: Ego sum vitis, Pater meus agricola, velut fructuosi palmites quibusdam in exolubilibus vinculis fidei alligemur.* Adstipulatur Eusebius apud Lippoman. *Pullum intelligere debemus Apostolorum, & discipulorum chorum, vineam vero diuinam atque indiuisibilem Domini virtutem, de qua ipse dicebat: Ego sum vitis vera.* Apostoli discipulique inermes inducuntur aduersus armatas inimicorum phalangas; sed de omnibus gloriosissimos reportant triumphos, dum vitia delent insolubilibus vinculis illigati, & pretiosis præ torquibus catenis affectionis constricti. Ergo si victoriam exoptas de hostibus reportare, noli vincula huius vitis imprudenter disrumpere.

142. Gen. 49. v. 8.

Ambros.

Euseb.

Propheta Isaias miro & ænigmatico stylo duas quasi in campum inducit virgas, Assur scilicet militari furore armatam, arroganti superbia ardentem, & vel ante certamen de victoria sibi 143.

Isai. 10. v. 5.

sibi gratulantem, & Iesse timore Domini ornatam, & gratiæ floribus semper venustam? *Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.* De Iesse virga contraria enuntiat: *Egredietur*, inquit, *virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, &c. percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium, & erit iustitia cingulum lumborum eius.* In hac virga communiter Patres Christum Dominum intelligunt, quibus firmissimè assentior; crediderim tamen posse aliquo modo aptari eius parenti Ezechiæ, in quem virga illa Assur ferè immensa militum manu militabat armata, hoc est Sennacherib potentia tumidus, & arrogantia vanissimus: huic Ezechias restitit; imò potiùs de hoc gloriosissimè triumphauit: nam Dum Domini timore armatur, & præceptorum obseruantia munitur, sic virgam illam absorbuit, vt prorsus deleuerit. Innuit Rupertus lib. 2. in Isaiam cap. 5. *Regnante Ezechia factum est sic: Ascendit enim Sennacherib rex Assyriorum ad vniuersas ciuitates Iuda munitas, & cepit eas; & hæc*, inquit, *dicit Ezechiæ regi Iuda: Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam. Numquid liberauerunt Dij gentium singulos, quos vastauerunt patres mei? Factum est autem in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Ezechias virga Iesse virtutibus regiis resplenduit, verique Numinis cultui seruiuit: *Fecit quod bonum erat coram Domino*, inquit textus, *iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius*, &c. *Adhæsit Domino, & non recessit à vestigijs eius, fecitque mandata eius, quæ præceperat Dominus Moysi.* Assur virga phalangibus incedit superba, feréque immensis exercitibus communita; verùm dum Deum sortitur aduersarium, Ezechiæ militauit trophæis, & decertauit spoliis: Ezechias exiguo milite, angustóque exercitu obarmatur; sed triumphat, dum adhærens Domino eius præceptis constringitur. Ezechiæ fuit pro exercitu præceptorum obseruantia, Sennacherib ad stragem miserandam superbia.

Rupert.

Isai 11. v. 1. & 5.

4. Reg. 18. v. 5 & 6.

144. Nonnulli Reges acies in Reges Sodomorum comparant, & diuitiarum cupiditate bellum illaturi festinant: ex voto res successit: *Tulerunt namque*, ait textus, *omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrhæ, & vniuersa, quæ ad cibum pertinent, & abierunt: necnon & Lot, & substantiam eius filium fratris Abraham.* Iam gemebant captiui hostili iugo depressi, iam Lot electionis dederat pœnas, cùm Abrahamus nescio à quo hostiles manus euadente nepotis cognouit angustias: *Ecce vnus, qui euaserat, nunciauit Abraham Hebræo.* Hic exiguam satis comparat manum, tam felicíque successu aggreditur hostes, vt breui militum numero de victoribus egerit triumphum, libertati restituens vinctos, & catenis vinciens superbos: trecentis decem & octo militibus constabat acies, qua Abrahamus incautos in aduersarios irruit, & gloriosè subiugauit. Interpretes aliquod arbitrantur latere arcanum in illo verbo, *Abrahamo Hebræo*: nam cum alias fuerit sæpè appellatus sine illo cognomine, non caret mysterio, antequam reportatus obsignetur litteris triumphus, triumphatorem vocari Hebræum: Rupertus hoc nomine eximiam eius designari virtutem tradit apud Lippomanum: *Quare cùm iam toties Abraham nominatus, & adhuc in hac Scriptura nominandus sit, & nusquam Hebræus dicatur, hoc illum loco Hebræum, id est transitorem nominari placuit? Videlicet ob commendandam magnitudinem rei ac virtutis: quod scilicet transitor, id est peregrinus & aduena Deo protegente fecerit rem, quam indigena quinque reges facere non potuerant, & de victoribus quatuor regibus vnam vltionem, & plenam reportauerit victoriam.* Propiùs nostræ thesi accedit Augustinus in quæst. super Genes. & apud Lippomanum, ait namque vocari Hebræum, vel transfluuialem, quia ex Mesopotamia Deo præcipiente ad terram Chanaan transmigrauit. Accipe eius verba: *Transfluuialem Abram appellatum etiam Græca exemplaria satis indicant; sed cur ita appellatus sit, hæc videtur causa, quòd ex Mesopotamia veniens transito flumine Euphrate sedes constituit in terra Chanaan.* Cæteris aptiùs Lippomanus: *Inter Hebræos summa est disceptatio alijs Hebræos ab Heber dictos putantibus; alijs ab Abram; ipsum quoque Abram hic Hebræum appellari vel ab Heber, vt velle videtur Hieronymus, vel, vt alij, ab Habar, hoc est transiuit, vt Abram traiector appelletur, quod Euphratem iussu diuino relicta patris sui domo transierit.* Meminit textus diuinum præceptum religiosè obseruatũ, cùm retulit triumphos Abrahamum adeptum, vt singularis illa victoria veluti partus esset fluuij traiectionis, & Dominici adimpleti præcepti: cùm triumphat, appellatur Hebræus, & nomen accipit, dum fluuium traiicit Deo obtemperaturus, vt nobis insinuet Scriptura obedientia procusam fuisse victoriam: diuino iussu fluuium transmittit, laudabilis illa actio venerabile illi nomen procudit, & qui antè solùm Abram, iam appellatur Hebræus: huic ergo de obedientia Hebræo nepotis denuntiatur captiuitas, & hic captiuorum soluit catenas. Lot fluuium etiam transiuit; sed potiùs vt sequeretur auunculum, quàm vt diuinum adimpleret præceptum, Abrahamus paternam reliquit domum, refutauit prosapiam, vt impleret obedientiam: hic ergo quia strictiùs diuinis illigabatur præceptis, & gloriosis micabat triumphis. Hebræus dicitur Abrahamus dum triumphat, quia triumphos illos vendicauit sibi obedientia; Lot non triumphator, quia nec Hebræus: vt discas diuinis iussionibus obedire, si gloriosè discupis de inimicis triumphare.

Gen. 14. v. 11.

Rupert.

August.

Lippoman.

§. XXXIIII.

Miserrimum est proprijs laboribus hostium fortunam augere, vt felicissimum de hostium labore sine labore ditari.

Grandis angustia cupiditate vrgeri, & improbi laboris spem eludi, quandoquidem ingeminatis ærumnis acquirendi animum diuexat studium, & vires corporis frangit quotidianum laboris pensum. Hanc ob scelus admissum pœnam tulit primus ille, qui mulieri aures imprudentur præbuit: *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* O quàm altè perforabant Adamum sentes antelucanæ aratio- 145.

Gen 3. v. 17.

nis, & solicitæ sationis infelicissimi fructus! Certè ni mugiente boue incuruus terram proscinderet, & gelidæ hyemis pruinas & glaciem perferret, non haberet fructus gaudium; sed excusaret etiam laboris tædium; & post tot exantlatos labores durissimis pungi tribulis mirè infelicitatem incrementabat, & ad gemitus altos cogebat, verùm, etsi hæc calamitas sit grauis, nondum est plenè consummata, & perfectè adulta: leuius fuit post anxios labores spinas pati; grauius esset splendentes, copiososque fructus demeti ab hoste videre; hoc opus, hic labor est, quandoquidem & ad maiorem colentis miseriam fundus gratè respondit, & solùm accepta semina grandi fœnore compensauit. Leuius esset agricolæ sentibus referiri, quàm lætas & copiosas segetes aduersariorum messas falcibus intueri: vt è contrà cumulatius est gaudium hostium sudoribus frui, & fructibus copiosis ditari. Hac fortuna Hebræos noster textus refert donatos, vt Chananæos illâ punitos: plantauerunt vineas & olíueta, vultusque sudoribus irrigauerant; sed cùm iam adultæ plantæ labores promiserant delinire, ab aduersariis possessæ corda inceperunt duriùs ac vehementiùs exulcerare: *Dedi vobis terram, in qua non laborastis, & vrbes, quas non ædificastis, vt habitaretis in eis: vineas & olíueta, quæ non plantastis.* Hebræorum felicitatem exaggerat, vtpotè qui de aduersariorum laboribus splendebant ditissimi: & summam Chananæorum miseriam refert, quandoquidem propriis ærumnis aduersarios diuitabant, illorumque fortunam propriis laboribus adaugebant. *Sunt ista illis consentanea*, scribit Masius, *quæ in Deuteronomio prædicta sunt: Comedes spolia hostium tuorum: & superius narratum est captarum vrbium nullas esse euersas præter solam Asorem, vt esset populo Dei pro habitationibus scilicet. Quanti autem ista Dei benignitas æstimari meritò debeat, vel ex eo intelligas, quòd David eos, qui timent Dominum, eiusque doctrinam sequuntur, beatos fore canit, quia fruentur labore manuum suarum.* Profectò si liberari à maledictis, quibus Deus primi parentis sudores perstrinxit, spinisque & tribulis carere magna felicitas est censenda, quanta erit iam non solùm laborum fructibus non priuari; sed aduersariorum sudoribus ad fortunæ cumulum frui? Ergo hîc Iosue de misera hostium sorte cumulatiùs resplendentem Hebræorum fortunam refert, dum illos vineas ait, & olíueta plantasse, hos laborum fructus tulisse.

Masius.

146. Pharao, qui naturam feritate refutauerat, & ab homine transierat in belluam, eo immortali in Hebræos odio inflammatus ardebat, vt memoriam abolere penitus moliretur: in recens natos, nec iubar adhuc Solare contuitos sententiam profert impiissimam: *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite*: in natu grandiores non minùs deſæuit ira, dum lutosis operibus premit, & ad ciuitates ædificandas cum nulla humanitate miseros cogit: *Præposuit eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus, ædificaueruntque vrbes tabernaculorum Pharaoni Phitom, & Ramesses.* profectò iniquius videtur cum pueris agi, quandoquidem mulctantur vitâ, cùm à viris ad bella aptis sibi cauendum fore imprudenter cautus prædixerit, illorumque vires nequissimis accidere artibus refractarius decreuerit; verùm si intimiùs rem dispiciamus,

Exod. 1. v. 22

Exod. 1. v. 11

non humaniorem erga viros, quàm erga paruulos inueniemus: defatigabantur namque Hebræi fumo deturpati, luto obscuri, viribus corporeis attriti, omniumque ærumnarum merces erat immanis hostis augere fortunam, & in se ipsos propriis angustiis incrementare potentiam: amplas ædes, lautissimam regiam pessimo hosti ædificabant, & copiosis lachrymis ac sudoribus compacta fundamenta iaciebant. Adest Lippomanus: *Dum vertit interpres: Ciuitates tabernaculorum, id indicat, quòd Hebræi ad labores & onera coacti arces munitissimas, tutissimaque præsidia ædificauerunt Pharaoni... Sic igitur miseri Israelitæ non tam vrbes extruere, quàm extructas roborare arcibus, turribus; ac propugnaculis pro thesauris reponendis, & milite seruando ad prouinciæ totius oppressionem compellebantur.* O quàm amarum erat Israelitis vrbes grandi labore construere, & hostem oblectari laboribus illorum videre! Quàm gaudebat Pharao ampla habitare palatia sine sumptus dispendio; sed hostium semper supplicio!

Lippoman.

Componamus, si placet, duo symbola, vt eruditioni commoda inuestigemus arcana. Moysi obiicitur Deus illæso rubo flamma in modum fontis scatente: erat rubus frutex spinosus, & inualidus, & durissimis sentibus cōpensabat beneficia, & persoluebat miracula: iam anhelantibus flammis absumptus fuisset, nisi diuina protegeretur potentia, ignisque cælesti sopiretur efficacia: *Videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Itaque quos Deus pro miraculis demessuit à rubo fructus, fuerunt deſæuientium cuspidum morsus; resplenduit tamen præ flamma diuina in conseruando plantam patientia; verùm hic idem, qui sustinuit ingratissimos tribulos, ficum noluit sustinere, quasi nimis laboraret patientia, si viueret illa planta: *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea.* Memini aliquando has ipsas inter se plantas comparasse; sed ni fallor, thesi diuersissimè aptaui; modò præscriptæ adapto, inquiróque, cur, qui sustinuit rubum, exiccare voluerit ficum? Certè ficus, & rubus eiusdem populi ænigma. Ita Chrysologus serm. 64. *Diuinum rubus portauit, non concepit incendium, iam tunc aculeis malitiæ plenum, & ingratum culturæ legis populum præfigurans.* Et Hieronymus in catena: *Arborem, quam vidit in via, intelligimus synagogam.* si ergo vtraque planta eiusdem rei est emblema, cur rubus ebullientium conatus flammarum elusit, & ficus maledictis exaruit? Ea se mihi offert ratio, rubum protulisse Domino cuspides; non tamen hosti obtulisse fructus, at ficus à Domino plantata serpentis fouit virore consilia, & mulieri in Deum temerè præsumenti saporati fructus ministrauerat arma: ait namque textus: *Tulit de fructu illius, & comedit.* Et iterum. *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Itaque ficus à Domino plantata, & industriè culta fructus hostibus ministrauit: rubus cultori spinas produxit, adeòque durius est hostem fructibus ditescentem aspicere, quàm ingratos tribulos sustinere, vt ficum Dominus maledictis exiccauerit, rubum verò patientissimus sustinuerit. Innuit Isidorus Pelusiota epist. 51. *In hac re arcanus quidam sermo adnexus est à senibus sapientibus ad nos grassatus, nempe hanc transgressionis arborem esse, cuius etiam folijs ad corpus tegendum*

147.

Exod. 3. v. 2.

Matth. 21. v. 21.

Chrysolog.

Hieron.

Gen. 3. v. 6.

Isidor.

dum hi, qui mandatum violarunt, vsi sunt: ac proinde Christus humano ac misericordi animo hoc ei imprecatus est. Christus humano animo ficum foliis denudat, ne in posterum tribuat hostibus fructus, postquam cultori pepererit gemitus: senticosam viuere permisit plantam; quasi faciliùs fuerit patientiæ sustinere tribulorum plagas, quàm propriis laboribus hosti innutrire insanias, aut incrementare fortunas.

148. Dæmon accepta à Domino facultate in Iobum, eiusque diuitias immanis bellua deseuit, filios ipso conuiuio tumulat, Sabæos incitat, prædones obarmat: *Boues arabant, refert nuntius, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia.* Quid interest pascerentur, aut ararent boues, quo nuntius strage tanta perculsus meminerit arationis: *Boues*, inquit, *arabant.* Lyra totum id à dæmone ait tragicè excogitatum, quo patientiæ columnam concuteret saltem, si non euerteret: voluit namque dæmon ipsos Iobi labores fructúsque in hostium commodum cessisse, & illorum fortunam incrementasse: *Recolitur*, inquit, *labor boum, ad quem sequitur multiplicatio fructuum, vt ex eorum amissione appareat maius damnum.* Consonat Interlinearis, quæ ex Septuaginta non solùm legit: *Asinæ pascebantur*; sed, *fœtæ*. Audi eius verba: *Quàm callidè damna nuntiantur, vt memorato fructu operis crescat causa doloris: vnde & hic fœtæ apud Græcos leguntur.* Fortè curauerat studiosè Iobus fœtas pasci asinas, quò vberiores fructus acciperet: videre ergo in hostium manu, quæ solerti ipse tractarat studio, grandis erat doloris causa: nam de solertia hostium augebatur fortuna. Magna patientia opus erat non iam ad sustinendam paupertatem; sed ad hostium prosperitatem videndam: eluctantes flammas de cælo attulit inimicus, quæ oues pueròsque voraci ardore consumerent: erat tamen aliquale doloris solatium, in hostium potestatem non deuenisse; at dum fœtas asinas, dum arantes boues deprædantur Sabæi, dolorem vehementer exulcerant: quia iam non tam amisisse diuitias torquet, quàm hostes illis facultatibus auctos adspicere premat. Ergo diabolus doloris architectus & arantes boues, & fœtas asinas à prædonibus auferri in certaminis exordio disposuit, vt validiorem contra patientiam dolorem manum instrueret: est enim non ferendus dolor hostium fortunam propriis fouere laboribus, speratísque augere fructibus: vt è contra felicissimum est aduersariorum diuitiis augeri, & laboribus sine labore ditari.

Iob 1. v. 14.

Lyra.

Interlin.

149. Hebræi, postquam peruenerunt ad Galgala, solemne celebrauerunt Phase, copiosis terræ frugibus alti, & de hostium spebus nutriti: *Manserunt filij Israel in Galgalis, & fecerunt Phase quartadecima die mensis ad vesperum in campestribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ die altero azymos panes, & polentam eiusdem anni.* Non sine mysterio eiusdem anni dicitur polenta, & nouas fruges iam maturitatem consecutas refertur, quo Hebræorum felicitas cumulatiùs agnoscatur. Innuit Origenes Adamantius hom. 6. in Iosue & apud Glossam: *Cùm venerunt ad terram sanctam, & fructus cœperunt prouinciæ.* Quàm multi labores præcesserant, vt fruges assurgerent lætæ, & inuitarét falcem maturæ! Boum mugitus, telluris aratio, culmorum accretio, ventorum flatus, opportunæ pluuiæ, benigni astrorum aspectus, & cùm iam tot labores fructus vberrimè compensarent, non solùm calamitas spem elusit; sed dolores grauissimos auxit: quid enim Chananæis durius, quàm laboris tulisse ærumnas, & hostes deprædantes fructuum spectare copias. Quid Hebræis iucundius, quàm excusato laboris censu vberrimo pasci fructu?

Iof. 5. v. 11.

Origen.

Naxera in Iosue Tom. 2.

§. XXXIV.

Non sunt diuina imprudenti curiositate scrutanda; sed prudenti simplicitate credenda.

VT nihil salubrius est Numinis notitiæ, ita nihil periculosius ingenij erga Numinis scrutationem audacia: summa sapientia est ad sobrietatem sapere, nec se ad præcipitium icareis alis erigere. O quàm cereæ sunt nostræ pennæ, si in sublime vltra modum librentur, & immensis veri Solis ardoribus referiantur! Egregiè errauit Epicurus, dum Deum officina ingenij confinxit, & vltra mundum statuit: *Tu, Epicure*, aiebat Seneca 4. de benef. cap. 19. *Deum inermem facis, omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam, & ne cuiquam metuendus esset, proiecisti ipsum extra metum.* Epicurus dum curiosa scrutatione Numinis dotes venatur, ne eius magnitudini quid detraheret septum ingenti quodam & inexplicabili muro, diuisúmque à contactu & conspectu mortalium prorsus desertum sine animali, sine homine, sine re aliqua cogitauit; imò non exaudire vota, nec erga nos curiosa agere prouidentia. Quod periculum vt Hebræorum populus vitet, Deum timere, & perfectissimo corde Iosue hortatur seruire: *Nunc ergo timete Dominum, & seruite ei perfecto corde, atque verissimo.* Hebræi apud Abulensem quæst. 9. ita hoc præceptum intelligunt: *Hebræi exponunt corde perfecto, id est simplici, scilicet non curando multa perscrutari de Deo; sed assentiendo omnibus, quæ de illo dicuntur.* Dum humana curiositas imprudenti vigilantia Deum discupit perscrutari, magnum sibi discrimen nouerit imminere. 150.

Seneca.

Rabbin.

Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo, aiebat Moyses, Deuter. 18. Hebræi legunt: *Simplex, vel insipiens eris cum Deo*: & quidem sapientissima est stultitia, quæ humanæ mentis noluit ingenij flatibus dare vela: nam dum nonnulli se altiora quæsierunt, & à veritate aberrarunt: non sic Deum agnoscit inflata mentis superbia, vt oculatissima humilitatis inscitia: nocere hominem non posse se diuina penitus percallere, & quæ vel Angelorum mentes superuadunt, attingere, summa prudentia est: reuerentialis timor, & feruens adfectus amor meliùs spiritualia percipiunt operando, quàm exculta scientiis ingenij vis discurrendo. Ita Abulensis quæst. citata: *Perfectus eris & absque macula cum Domino Deo tuo, id est eris simplex, vel insipiens cum Deo, scilicet non curando de altissimis.* Altissima humanæ mentis vires supergrediuntur; ideóque opprimuntur à lumine, qui scrutantur: vt enim qui fulgidiorem Solis rotam inconniuentibus oculis præsumit adspicere, temerariæ audaciæ dat pœnas ipso 151.

Deut. 18. v. 13.

Abulens.

lumine repercussus, & fulgoribus obcæcatus; ita qui lucem illam diuinitatis candore fulgidam, & immetato iubare scaturientem præsumit discutere pro pœna tulit errare. Ergo Iosue reuerentialem Dei timorem edocet, & periculosæ ausus perscrutationis prohibuit: meliùs namque quæ Dei sunt, callet religiosa simplicitas, quàm audax sapientiæ humanæ temeritas.

132. Pascebat Moyses soceri oues bona quidem fide, dúmque eis sedulè prospicit læta irriguáque pascua sectatus, contigit, vt in nemore quodam miram visionem aspiceret, flammescebat rubus & inter ignium globulos micabat illæsus, quasi non esset incendij materia; sed ab igne ipse aleretur: pastor primùm visione perculsus hæsit; postea verò curiositate incitatus celeri
Exod. 3. v. 3. gressu inuolauit: *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Visionis ad perscrutandum prodigium incitabat magnitudo; sed ipsa gradum cogebat sistere, & proximitatem timere: *Cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses; qui respondit: ad sum. At ille: ne appropries, inquit, huc.* Mira res: nomen ingeminat, vt audaciam
Psal. 33. v. 6. gressus prohibeat; verùm quid interest Moyses accesserit rubo Deo quidem pleno, quando monet propheta: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Si ergo accedentibus illuminatio promittitur, cur gressus Moysi inhibetur? Textus non obscurè reddit rationem. *Cernens*, inquit, *quòd pergeret ad videndum.* Pergebat Moyses scrutandi animo: *Videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*; eoque periculosa est circa diuina curiositas, vt reprimere sit benignitas. Adest
Lyra. Lyra: *Ne appropies, inquit, huc: ac si diceret: Humana fragilitas non præsumas arcana Dei inquirere curiosè: quia scriptum est Prouerb. 25. Qui perscrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Deo accedere iubemur non maiestatis censores; sed eius voci obsequentes; vnde Seraphim & libratis volabant pennis, & oculorum aciem operiebant alis, quò nos erudirent Deo non accedendum tam ingenij acumine, quàm affectionis amore: oculorum aciem alis perstringunt, ne immenso gloriæ pelago naufragentur, amoris expandunt alas, quo arctiùs per momenta vniantur. Iustè ergo Moyses prohibetur accedere, dum curiosus inuolat, non deuotus gradum accelerat.

153. Christus Dominus montis vertice nubibus coæquato fulgurans spectaculum edidit, ex humana facie radij promicabant, qui solares radios tegerent, & fulgentiori iubaris nitore obscurarent: vidit Sol quæ priùs non didicerat,
Matth. 17. v. 2. & oculi doctus est: *Resplenduit facies eius sicut Sol.* Erant discipuli congruentes spectatores, & expansis oculis spes suas intuebantur, cùm voce de cælo elapsa non oculos expandere; sed præbere aures iubentur. *Ipsum audite: & audientes discipuli ceciderunt in faciem suam.* Aptiùs videbatur: *Ipsum videte*: cur ergo vox & oculos cogit auertere, & aures iubet præstare? Quia facies adinstar Solis micabat; imò Solem ipsum longè vincebat; ne ergo radiorum vehementia pereant obcæcati, auditum præbere iussi: nec enim tam benè agnoscerent maiestatem luces temerè examinando, quàm obsequenter audiendo: *Ipsum audite*: ne dum visus audacior examinat, cæcitatem reuerberatus, incurrat. Huc voco, quod aiebat Lactantius lib. 1. cap. 7. *Cuius nec virtus æstimari potest, nec magnitudo perspici, nec principium comprehendi, cùm ad illum mentis intentio, & cacumen, & memoria peruenerit, quasi subductis, & consummatis omnibus vijs subsistit, hæret, deficit.* Adstipulatur Ambro- Lactant.
sius lib. 4. in Luc. cap. 5. *Licèt mens humana non queat planè rationis inuestigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur.* Addit post aliqua: *Solem, qui videndi omnibus causa est, intueri non possumus: radijs acies submouetur, obtutus intuentis hebetatur, etsi diutiùs inspicias omnis visus extinguitur.* Itaque natura Solis est omnia ostendere, nec se inspici sinere: ergo Christus Solem facie prodit, quò nos doceat non debere audaci examine discuti; sed exprompta aure obaudiri. *Ipsum audite*: fortunatior assequitur candida simplicitas, quàm ingeniosa curiositas; imò dum perquirit curiositas, pœnas non semel dedit studio frustrata, & iusta causa punita. Ambros.

Dei arca ab allophylis capta sic illos durè vexauit, vt ad remittendum compulerit: arca indomitis vaccis imposita venit in agrum Iosue Bethsamitæ diuino consilio ducta, non aurigæ magisterio directa: Bethsamitæ quid arcâ contineretur, curiosa imprudentia sunt scrutati, & graui pœna percussi: *Percussit de viris Bethsamitibus eò quod vidissent arcam Domini.* Huius grauissimi supplicij causam fuisse arcam curiositate spectasse, communis interpretum sententia est: amiserunt dignè visum, qui audacter perscrutari sunt conati mysterium: quòd exinceps cæteri agnoscerent diuina non curiosa indagatione scrutanda; sed prudenti fide amplectenda; imò vt noueris ægriùs Deum ferre nimis curiosè inspici, quàm irreuerenter tractari, de scrutatoribus quinquaginta millia referuntur occisa, cùm de allophylis deitatem ambigentibus tot non referantur mulctata. *Facta est confusio mortis magna in ciuitate*, aiebat textus de Azotiis: de Bethsamitis autem: *Percussit de populo Septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Opportunè Gregorius ad hunc locum: *Dum arcam videre in lapide præsumerent, percussi sunt: quia cùm Domini ac Redemptoris nostri Sacramenta indignè discuterent æterna damnationis laqueis per fallaciam proprij sunt depressi erroris.* In errorem sunt prolapsi, dum vltra mortalitatis metas moliti; dum arcam sub velamine venerantur, salute fruuntur; at dum examinare improba auiditate contendunt, obcæcati in errores ruunt. Quàm disertè aiebat Tertullianus in Apolog. cap. 17. *Quod colimus nos, Deus vnus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum verbo, quo iussit, ratione, qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum maiestatis suæ.* Addit statim: *Inuisibilis etsi videatur, incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur, inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur, adeò verus & tantus est.* Deficit humana mens, & vt ferè immensum mare non capit scrobs exigua, ita humana mens non capit æterna, quia sunt omni æstimatione maiora. Redeat iterum Tertullianus: *Quòd videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est, & oculis, quibus occupatur, & manibus, quibus contaminatur, & sensibus, quibus inuenitur; quod verò immensum est, soli sibi notum*

Margin notes (right column): 154. (at "Dei arca ab allophylis"); 1. Reg. 6. v. 19. (at "Percussit de viris Bethsa-"); 1. Reg. 5. v. 6. (at "Facta est confusio"); Gregor. (at "Dum arcam videre"); Tertull. (at "Tertullianus in Apolog.").

notum est, hoc, quod est, Deum æstimari facit, Deum æstimari non capit. Quid ingeniosius? Quid veriùs?

155. Expendebam aliquando virgarum à Iacob in canalibus obiectarum materiam referri, & originem nobis signari: *Tollens Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas:* cùm virgæ Domini appellatione honoratæ neque stirps prodatur, nec materia inuestigetur; *Reuersus est in Ægyptum* (Moyses) *portans virgam Dei in manu sua.* Manu tractare potuit; sed qualis esset, exprimere nobis non valuit: virgæ aliæ non solùm possunt manibus gestari; sed indagatrice scientia comprehendi; at quæ Dei virga, nullatenus potuit comprehendi, etsi manibus potuerit gestari: dum ergo Moyses omni eruditione sapientissimus, & omni sapientia excultus aliarum virgarum naturam explicat, & Domini virgæ silentio naturam sigillat; innuit Dei arcana non posse curiositate indagari, sed debere prudenti stultitia suspici. *Ita eum*, addit citatus Tertullianus, *& vis magnitudinis, & notum hominibus obiecit, & ignotum.* Non possunt diuina taxari, ideò stultum est ea solicitudine nimis curiosa perquirere.

Gen. 30. v. 36

Exod. 4. v. 20

Tertull.

---

§. XXXV.

Sic exulare debet ab animo culpa, vt nec eius menti obuersetur memoria.

156. Nociuam adeò pestem secum deferunt semper scelera, vt non solùm inquinent perpetrata; sed aliquando etiam memoriæ obiecta: sui recordatione flabellant cupiditatem, & dum ratio properat flabellatam sopire flammam, nescio quam virtus patitur ignominiam, qui perfectionis scholam frequentare studuerunt, omnem vitiorum memoriam exterminare curarunt, non quòd menti obiectum damnari possit erratum; sed quia facit approximare periculum; cúmque virtutis alumni non solùm exoptent culpis non infici; sed à culparum etiam contingentia distare, anxiè discupiunt corporis prorsus obliuisci illecebras, & virtutis vel memoriâ colere semper munditias. Hinc Iosue morti proximus populum admonet, vt se incipiat, quem promiserat, accuratiùs exhibere, illúmque animi impetum, quo calcatis Ægypti bonis ad optima quæque ibat, alacriter prosequi: desiderat ad perfectionem instruere, ideóque omnem vitij imaginem abolere, vtque iacta virtutis fundamenta perficerent, nec quem dederant, generosum animi impetum adulterarent, iubet non solùm corpore ab Ægyptiorum regione distare; sed proposito mentis effugere. Satis non est calcasse vitia, nisi & vitiorum prorsus deteratur memoria. Quàm optimè Seneca epistol. 51. *Satis diu cum Baiis litigauimus, nunquam satis cum vitiis, quæ oro te, mi Lucili, persequere sine modo, sine fine: nam illis quidem nec finis est, nec modus: projce quæcumque cor tuum laniant, quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis reuellendum erat.* Si fas esset, vel auellenda erant viscera, si aliter vitiorum nequiret radi memoria. O vtinam pateremur saluberrimam erga vitia apoplexim, & vt hi qui eiusmodi laborant morbo, rerum memoriam amittunt, & veluti trunci erga olim sibi notissima hærent, abrasámque prorsus notitiam fatentur, ita nos erga euanidas voluptates, & irritamenta vitiorum stupidi hæreremus saluberrima ignorantia, & detersa prorsus memoria. Hoc à suis disertissimus Iosue exigit, dum deos auferre seuerè iubet: *Auferte deos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto, ac seruite Domino.* Disputant interpretes, an Israelitæ per id temporis aliqua venerarentur idola? Respondéntque neque occultè, neque publicè idolis tunc inseruire; sed vni Deo obsequium reuerenter præstare. Quod cùm ita fuerit, Iosue monitum videtur frustraneum, quandoquidem omne à populo exulabat idolum: cur ergo in regiminis sui iniuriam (erat enim populi tunc Imperator) deos coli insinuat? aut cur ad religiosi populi notam inutiliter auferri iubet? O decantandam Imperatoris prudentiam! Non præcepit aliqua idola (non enim erant) auferri, sed idolorum memoriam menti vetat obuersari: quasi ad perfectum Numinis cultum satis non fuerit externa non colere simulacra; sed interna opus sit simulacrorum denudari memoria. Ita Abulensis quæst. 10. *Non potest intelligi quòd admonebantur Israelitæ dimittere aliqua idola, quæ tunc haberent, aut habere præsumerentur; sed est sensus: Auferte deos quos coluerunt patres vestri, id est auferte de cordibus vestris, scilicet quamquam realiter non habeatis aliquos deos, fortè habetis eos in mente.* Non vult idolorum depingi imaginationis penicillo effigies, vt longiùs distent à voluntate, dum prorsus exterminantur à morte: non caret perfectè idolis, qui memoriâ illorum defert imagines; sed qui nec imagines fingere potest memoria orbatus; imò lethæis vndis ad instar mersi remanet prorsus oblitus.

Seneca. *Vitijs nec finis nec modus est.*

Si vitia aliter auelli nequirent, cum corda essent auellenda.

Abulens.

Postquam Moyses ferè immensa patrarat prodigia, quibus Dei populum durissimo iugo Pharaonis exolueret, & per desertorum inuia pabulo cælesti innutriret, ingratis illorum vocibus repercussus est, ad virtutem namque arescebant, obtorpebant ad perfectionem: ecquis hoc ait? Ipsi profectò: *Anima nostra arida est.* Et cur tot miris non virescat, & virtutibus tot non floreat? Iam rationem afferunt: *Recordamur piscium, quod comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cepe, & allia.* Et quid interest rudes hæ Ægypti memoriæ occurrant deliciæ, vt arescat prorsus spiritus, si illas repudiauerit animus? Memoriæ occurrere, non erat optionis, esset refutare virtutis: ergo non querantur de ariditate, quando gaudere possent pinguedine. Profectò quæ memoriæ occurrunt voluptatis lenocinia, aut deliciarum oblectamenta, nullatenus sunt peccata, nisi voluntatis id amplectatur propositum, & inhiauerit desiderium: verùm qui harum rerum nondum deposuit memoriam, crimini viuit obnoxius, aut certè nondum resplendet serenus. Aptè Oleaster ad mores: *In hoc pœnitentes maximè laborant, vt vitiorum præcedentium à se memoriam expellant: hoc enim malum vitia habent quòd recordatione lædant, cui non possunt sua præsentiâ nocere.* Iam egressi fuerant Ægyptum, iam cucumeres, & pepones reliquerant; verùm adhuc animo impressos gerebant: *In memoriam*, inquiunt, 157.

Num. 11. v. 6

Oleaster. *Peccata vel recordatione lædunt.*

quiunt, *veniunt nobis*: dum ergo viget memoria, nondum perfectè detersa est macula: quia culpæ apparent vestigia. Ergo arescit anima de memoria, quæ pinguesceret de ignorantia: nondum perfectionis peruenerant ad serenum, qui menti voluptatis obiectum non expunxerant lenocinium. Adde virtutem nondum perfectionis apicem possedisse, nec cælestem conscientiæ serenitatem gustasse, dum fallaciarum imagines obiiciuntur non iam vigilanti; sed vel dormienti; quæ inter dormiendum phantasiæ obuersantur, nullatenus attaminant culpâ; sed esse solent animi nondum à voluptatum vinculis expediti argumenta: vnde perfecti, si aliquando huiuscemodi somniis tangantur, terrore non modico concutiuntur.

158. Iob 7. v. 14. *Terrebis me*, querebatur Iobus, *per somnia, & per visiones horrore concuties*. Inquiramus, si placet, cur somnium non recreauerit sensus; sed gelido metu concusserit artus. O quàm aduersa omni tempore afflictis minari solet fortuna! Exiguum à somno mutuari cupiens Iobus subsidium, anxium cogitur sustinere tormentum: *Terrebis me per somnia*. Quid hæc somnia secum adducunt, quò dormientis animum premant? Placidè requiescerent sensus, si vel inter dormiendum, quæ virtutis, occurrerent animo; at dum mens phantasiis illuditur, & sancti viri animus terrore vexatur: *Terrebis me per somnia*. Per quæ somnia? Per illa scilicet, quæ voluptatum fallacias pingunt, quæ appetitus negotia gerunt: dum inter dormiendum vitiorum irruunt phantasmata, dum delicias illudentia depingunt somnia, anxio terrent metu virtutis studiosum: quia nondum ab animo videtur vitium detersum. Innuit aliquomodo Gregorius lib. 8. moral. cap. 13. *Tunc lætitia cordium perfecta erit, cùm carnis ab exterioribus pugna non fuerit: nam quousque caro illicit, quia quasi domus nostra paries quatitur, etiam cubile turbatur.* Iob ea somnia videntur obiecta, quæ carnis infirmitatem sequuntur: ideò placidè non quiescebat; sed turbatus, ac territus laborabat: si animus solùm virtutis negotia corde tractaret, si cordis aures omni voluptatis clamori occlusas haberet, somnos caperet dulcissimos, & sensus ignoraret prorsus strepitus; ast, dum cubile turbatur, & Iobus somnians affligitur. O quàm angebatur iustus, etsi cupiditatum lenociniis non irretitus, nec vitiorum memoria illectus, dum inter dormiendum saltem imaginatione laborabat pulsatus: sic discupiebat eximiè iustus à vitiorum fallaciis immunem degere, vt dormiens illecebrosa deterreretur memoria, & voluptatis premeretur phantasia. Nec mireris viros omni virtute ad miraculum excultos & omnis perfectionis studiosos huiuscemodi somnia auersari: quia licèt caruerint hæc somnia culpa, esse solent culpæ vestigia.

Gregor.

159. Eccl. 34. v. 4. *Diuinatio erroris, & auguria mendacia, & somnia malefacientium vanitas est*. Malefacientem vocat, qui vana somniat, non quòd somnians delinquat; sed quia somnia non semel sint desideriorum commentaria, & affectus argumenta. Somnianti Nabuchod. obiicitur statua operosa mole superba, auro fulgida, tumore inflata: nec mirùm depinxerit somnus superbam statuam, quando animum occupabat superbia: *Ecce quasi statua vna grandis*. Animi præsumptio confinxit idolum, somnium cordis

Dan. 2. v. 31.

publicauit secretum. Opportunè citatus Gregorius: *Daniel, dum somnium, & implendum reuerenter insinuat, ex qua ortum sit cogitatione, manifestat*. Non erat statuæ magnitudo superbia; sed superbientis animi proles, & tumescentis vltra modum progenies: ni Nabuchod. inflatus vanitate tumeret, statuam superbissimam non somniaret; at somnus dormienti pingit elatissimum simulacrum, quia vigilans animum fouebat superbum: somnium erat ingenij partus, & arrogantis animi fructus: *Daniel, dum somnium reuerenter insinuat, ex qua ortum sit cogitatione manifestat*. Ergo eximiæ virtutis viris non solùm non obiiciuntur inhonesta vigilantibus; sed nec dormientibus: sic namque exulat ab illorum animis culpa, vt nec vitij obscurentur memoria. Adde iam non solùm vel inter dormiendum non tangi illecebris; sed operosissimis somnis tractare virtutes. Gregor.

Ego dormio, aiebat Sponsa, *& cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis*. Non solùm clauserat aures, ne voces illecebrarum audiret; sed aperuerat, vt sponsi voces captaret: non timebat iam voluptatum titillari fallaciis; sed hiabat diuinæ vocis excipere accentum, & audire inter dormiendum mandatum: *Vox dilecti mei pulsantis*: non animum pulsabat voluptas, non tangebat voluptatis cupiditas: non erat sponsæ satis imperturbata fallaciis placiditate dormire; sed sponsi vocem gestiuerat auscultare: *Ego dormio: vox dilecti mei pulsantis*. O felix pulsatio, quæ, vel dum sensus somno illigantur, flabellat charitatis flammam, nec sponsi patitur dormire memoriam: *Cor meum vigilat*. Adest Ambrosius opportunè cap. 5. in collect. *Est somnus Sanctorum feriatus ab omnibus corporis voluptatibus, ab omni animi perturbatione tranquillitatem menti inuehens, placiditatem animæ, vt tanquam soluta nexu corporis se abstineat, & Christo adhæreat*. Addit statim Ambrosius: *Hic est somnus vitæ Sanctorum: dormiat ergo caro tua, vigilet fides, dormiant illecebræ corporis, vigilet cordis prudentia; membra tua redoleant crucem Christi, & sepulturæ odorem, vt nihil iis somnus caloris infundat, nullos excitet motus*. Erubescunt perfecti viri illecebrosis imaginibus vel inter dormiendum tangi, adeóque huiuscemodi somniis deterrentur, vt vltra modum angantur: à se duras exigunt pœnas, si vel in somno recordentur carnis fallacias. Vnde Indiarum ille Apostolus meus Xauerius sic somnio aliquando territus est, vt acriter contra phantasiam obluctans effuso sanguine fuerit aspersus, & clarissimo castimoniæ colore perfusus. 160. Cant. 5. v. 2.

Ambros.

---

§. XXXVI.

Aspera quæque mollit propria voluntas, non adeò legis aut naturæ iussa, vt arbitrij obseruantur studiosè decreta.

Maximum vinculum est propria voluntas, qua homines sic illigantur, vt resilire nolint; sed quidquid promiserint, adimplere studiosè affectent: vel leuissima, si voluntas respuat, impossibilia censentur, cùm ardua, si proprium conetur arbitrium, lenia ac facilia habeantur. Lignum inuenit Moyses, quo amaræ dulcescerent 161.

Exod. 15. v. 25. rent vndæ: *Clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Huius ligni ingenium inesse non dubitabis arbitrio, quandoquidem vel amara vertit in dulcia, vt dulcia non semel transmutarit in amara: naturæ leges cogunt, politices præcepta compellunt; sed, si resiliat arbitrium, perfunctorium erit omne præceptum; at dum voluntas quid decernit, facillimè sibi paret: Seneca. *Quod maximum vinculum est ad bonam mentem,* aiebat Seneca epist. 37. *promisisti virum bonum: sacramento rogatus es: deridebit, siquis tibi dixerit mollē esse militiā & facilem: nolo te decipi, eadē honestissimi huius & illius turpissimi auctoramenti verba sunt, vri, vinciri, ferroque necari. Ab illis, qui manus arenæ locant, & edunt ac bibunt, quæ per sanguinem reddant, cauetur vt ista vel inuiti patiantur; à te vt volens libensque patiaris.* Libens patietur quidquid arenæ vexat addictos, si quis promiserit, seque propriæ voluntatis vinculis alligarit: ad bonam mentem maximum deberet censeri vinculum naturæ, & æquitatis præceptum; & sic homines proprio reguntur arbitrio, vt Stoicus promissionem dixerit strictius vinculum, indissolubileque auctoramentum: *Quod maximum vinculum est ad bonam mentem, promisisti virum bonum.* Non dixit: ligatus teneris naturæ lege; sed arbitrij promissione: nouerat namque homines minus studiosè colere naturæ mandata, quam arbitrij colant decreta. Hinc magnam inuicti Imperatoris Iosue noſces prudentiam, cùm populi arbitrio religionis commiserit causam. *Sin autem malum vobis videtur, vt Domino seruiatis, optio vobis datur, eligite hodie quod placet, cui seruire potissimum debeatis, vtrum dijs, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, an dijs Amorrhæorum, in quorum terra habitatis; ego autem & domus mea seruiemus Domino,* Iosue studiosissimus legis zelator nullatenus permitteret Mesopotamiæ, aut Chananæorum deos religiosis ritibus coli, aut libaminibus celebrari; dedit optionem tamen, vt arbitrij eliceret nouum consensum, non vt naturalis legis temerauerit institutum: lege naturæ tenebantur Hebræi Deum vnicum colere, & idola vanissima spernere; voluit tamen disertissimus Imperator, vt promissio voluntaria naturæ accideret legi: quia nouerat homines minoris facere naturæ, legisque iussa, maioris voluntatis decreta. Abulens. *Quæret aliquis,* inquit Abulensis quæst. 11. *an verè daretur hic Israelitis electio, an colere vellent Deum, vel idola? Respondendum quod non: quia colere Deum est de lege natura, & colere idola est contra rationem naturalem: ideò in talibus non est dispensatio; sed obligatio simpliciter determinata ad obseruandum cultum Dei.* Addit post aliqua: *Iste modus est exhortationis ad efficaciter obseruandum legem Dei.* Curauit Iosue, vt populus naturæ legi adiungeret arbitrij placitum, quò faciliùs studiosiusque legis naturalis obseruaret præceptum: quia nouerat homines non tam libenter legis aut naturæ obedire mandatis, quàm propriæ voluntatis decretis.

162. Regius Psaltes se sacramento fatetur obstrictum, vt iustitiæ custodiret præceptum, & æquitatis seruarit iudicium: Psalm. 118. v. 106. *Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Quàm superuacaneè ad speciem iurarat, qui iustitiæ leges se obseruaturum promiserat: nam si iustis illigabatur præceptis, quid erat opus promissionis vinciri vinculis? Aut, si quid addebant promissionis auctoramenta, cur appellentur iustitiæ iura? Vtrumque sapienter dispositum, & æquitatis leges agnoscere, & se ad religiosiorem cultum interiecto sacramento ligare: nam homines non adeò exprompte obsequuntur iustitiæ, vt propriæ subdantur voluntatis obsequelæ: nouerat disertissimus Psaltes iustitiæ decreta æquitatis iure seruanda; sed nouerat etiam ægriùs, ni arbitrij promissionisque decretum accederet, excolenda: ideò vt obsequeretur expromptius, promissionis sacramento obtemperauit ligatus: *Istud hîc iurare Psalmistam,* scribit Incognitus, *non est, nisi mente firmare se ad custodiendum diuina præcepta, & sic voluntas per verbum firmatur in bono proposito iuramento mediante.* Incognit. Lege tenebatur; sed arbitrio firmabatur: dum iurauit, dum promisit, emolliuit præcepta: quia proprij arbitrij executus est etiam iussa. Alio modo locum hunc ipse Incognitus interpretatur, scilicet nouisse prophetam iusto Dei iudicio multis ob peccata sua confusis calamitatum voluminibus impetendum, illasque calamitates voluntatis proposito amplexum fuisse, quò illarum acerbitatem minueret, & tolerare faciliùs posset, quandoquidem iam illas non solùm amplectebatur patientiæ tolerantia; sed & arbitrij sententia: *Iudicia iustitiæ Dei sunt flagella, quæ immittit filijs ad correctionem, & altiorem coronam percipiendam, & sic iurare & statuere illa custodire est firmo & stabili proposito se disponere ad patienter tolerandam ac libenter omnem aduersitatem.* Nouit Psaltes magnas calamitates appetere, studuitque illarum acerbitatem industriis artibus emollire: decreuit ergo ærumnas illas non tam ferre, quàm amare, vt mellirentur arbitrio, & mansuescerent de voluntatis proposito. O si hanc vtilissimam prophetæ philosophiam imitaremur, si amplecteremur exprompta animi voluntate, quæ diuinæ iustitiæ nobis obueniunt lege! Quàm mitiora experiremur flagella, si quàm ipsa nobis dulcescerent mala!

Iacob iram fratris prudenter effugiens ad 163.
auunculi domum tendebat, cùm somnus & itineris labor ligant sensus, consuluntque defessos quiete fouere artus: dormiuit sub diuo durissimo lapide pro puluino plumeo subiecto; sed dum frigida humo decumbit corpus, cælestia intuetur agmina, sacra illi reserantur arcana, & humanæ cupiditatis metas audit supergredientia promissa: mane expergefactus votum vouit grati animi signum; sed ad speciem minùs cordatum: *Erit mihi Dominus,* inquit, *in Deum:* Gen. 28. v. 21 Dominum in Deum illi esse lex decernebat naturæ, nec erat optioni locus quando cæli terræque vnicus, & simplicissimus colendus, & adorandus est Deus: cur ergo vouet seruire, cur promittit adorare, cui naturæ tenebatur legibus obsequi? Quia licèt Dei cultus non esset liber, inquit D. Thomas ad hunc locum; tamen de arbitrij voto, de voluntatis decreto nescio quas vires sugebat, vt Iacob studiosiùs inseruiret, & religiosiùs obtemperaret. *Nec est superfluum hoc,* inquit Angelicus Doctor, D. Thom. *quia tunc ex hoc fit maior obligatio hominis ad Deum, & alter modus obligandi: primus enim modus solum erat debitus, & ab altero impositus, & merè necessarius; secundus verò, dum scilicet*

ſtilicet accedit votum, eſt gratuitum: & à propria voluntate aſſumptum, & oblatum. Attende auidiùs, quæ ſubdit: *Et ideò includit maiorem & firmiorem applicationem voluntatis.* Naturæ lege tenebatur Iacobus Deum orbis conditorem, moderatorem cæli victimis colere, & obſequiis adorare; at ni arbitrij acceſſiſſet decretum, lentius exhiberetur officium; dum verò decernit ipſe, & voluntas applicatur iucundiùs, & obſequium exhibetur expromptiùs: nec enim homines ſtudioſè adeò rationis parent mandatis, vt proprij arbitrij decretis. Ergo Ioſue induſtriè ac ſapienter Deum eligendi populo ad ſpeciem permittit optionem, vt verum Deum, quod fore ſciebat, ſua veluti electione amplectentes, & accuratiùs colerent, & firmiùs illi adhærerent. Iam propriæ voluntatis artificio emolliri dura, ſiue illóque dura videri facillima, geminus probat Scripturæ textus.

164. Placidos ſomnos cupiebat Sponſa, cùm Sponſus noctis humore madidus, & labore itineris feſſus portam ſibi aperiri iubet: *Ego dormio & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi, ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Humanitas cogebat ſubuenire afflicto, ſponſa tenebatur obedire mandato: non erat arduum oſtium aperire, cùm & ſponſi iuſſio, & ipſa compaſſio videretur vrgere. Quid tunc? Mille excuſationes prætendit ſponſa, & ne ſomni vel tantillum interrumpat delicias, friuolas colorat cauſas: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Vides exequi iuſſa cunctanter, vide ipſam iam per plateas, ciuitatiſque vicos anxiè diſcurrentem, nuditatémque & vulnera patientiſſimè tolerantem: *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum. Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Inquiramus, ſi placet, cur ſponſa vel paucos greſſus ponere vocata renuerit, cùm non vocata nuditatem plagáſque tulerit, & ciuitatis vicos peragrarit? Durius certè erat amittere pallium, quàm corpori circumieciſſe ornamentum; laborioſius per ciuitatis vicos noctis caliginibus impeditam excurrere, quàm breuis domus oſtiolum reſerare: cur ergo, ſi detrectauit facilia, amplexa fuerit duriora? Innuit non obſcurè textus: alibi namque vocantis adurgebatur præcepto: *Aperi mihi ſoror mea:* modò voluntatis mouebatur arbitrio, & quamuis fuerint hæc difficillima, vt dulciſſima deuorauit; illa verò quæ profectò facillima, vt mille implexa difficultatibus renuit: *Ad votum ſuum,* aiebat Gregorius ad hunc locum, *hoc, quod inuocat, non occurrit: reſtat ergo, vt in ſe reuertens ſe cognoſcat, & per Scripturas ſanctas dilectum ſuum magis ac magis illo guſtu adiuta perquirat: & hoc eſt, quod ſequitur: Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem.* Sponſus anteà vocabat: modò nec ad ſponſæ votum reſpondebat; verùm dum ipſa inquirendi ſtimulatur voto, nullo deterretur damno. O quàm exprompta quæſiuit, dum voluit, quàm lenta, dum debuit! Lex excuſationibus differebatur, præceptum extrahebatur; ſed voluntatis implebatur arbitrium, & arbitrij non differebatur votum. Facile fuit veſte nudari, plagis altiſſimis referiri, nocte per ciuitatis vicos vagari, dum conſuluit arbitrium, difficile lotis pedibus incedere, & veſtem corpori aptare, dum adurgebat præceptum: vt noſtra conſtet clariſſimè theſis, propriam ſcilicet voluntatem ardua quæque mollire, expromptiúſque obtemperari propriæ voluntatis conſilio, quàm legis aut naturæ præcepto.

Cant. 5. v. 2.

Gregor.

---

§. XXXVII.

Magna parentis laus rectè adeò inſtitutam ſortiri familiam, vt ab illa nihil virtuti aduerſum poſſit timeri, nec contrarium religioni præſumi.

VRbis Romanæ celebris opinio, ſcribit Caſſiodorus 4. variarum 43. *ſuo conſeruata eſt nihilominus inſtituto, nec vitia peregrina capit, quæ ſemper ſe de morum probitate iactauit.* Iure iactare ſe potuit Roma de ſuorum inſtitutione, dum alienos prorſus oſtendit à crimine; nam quos morum ſemper commendauit probitas, parentes oſtenderunt ſæculis decantandos, & magiſtros omni veneratione colendos: inſtitutionis adſcribendum eſt vigilantiæ, ſi quis non rapiatur impetu corruptelæ: magnus probatur, quem vox publica non corrupit, nec communis error à veritate diſtraxit: *Ad ſummam ſapiens erit,* ſcribit Seneca epiſt. 31. *ſi clauſeris aures, quibus ceram parum eſt obdere; firmiori ſpiſſamento opus eſt, quàm vſum in ſocijs Vlyſſem ferunt: illa vox, quæ timebatur, erat blanda; non tamen publica; at hæc, quæ timenda eſt, non ex vno ſcopulo; ſed ex omni terrarum parte circumſonat.* Vox publica plurimum poteſt, quíque illam deuitauit, Vlyſſe ſe induſtriorem oſtendit: ſæculis celebratur ille, quia ſuorum aures eo ſpiſſamento muniuit, vt blanda illos vox nullatenus titillaret; maiori tamen veneratione inuenitur dignus, qui ſuos non ſolùm armauit contra voces blandas, ſed contra publicas. Hinc Ioſue eximia lucet virtute, cùm ſe ſuóſque etiam omni populo in contrarium eunti, adhæſuros promittit Domino laudabili confidentia, & imperturbanda conſtantia: *Eligite hodie, quod placet, cui ſeruire potiſſimum debeatis, vtrum dijs, quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia, an dijs Amorrhæorum, in quorum terra habitatis; ego autem & domus mea ſeruiemus Domino.* O quàm benè inſtitutam ſortiebatur familiam, qui populari non timuit curſu rapiendam, aut erroribus taminandam: *Ego & domus mea ſeruiemus Domino,* adeò conſtanter & fixè, vt nec frequentia totius populi exempla noſtram labefactauerint fidem, aut erga Numen obſcurare valeant pietatem. *Ego & domus mea ſeruiemus Domino,* exponit Abulenſis quæſt. 11. *id eſt, licèt omnes vos declinetis ad idola; tamen ego, & domus mea, id eſt, qui pertinent ad familiam meam, & cognationem, ſeruiemus Deo, non deſerendo legem eius.* O verè beatum hominem, qui eam familiam ſortitus eſt, à qua nihil poſſit timeri religioni contrarium, aut pietati emergere aduerſum. Certus de ſuorum fide pro tota familia veritati ſemper ſe illámque adhæſuros ſpondet, nec promiſſa fruſtranda timet.

165. Caſſiodor.

Seneca.

Sapiens aures claudit, ne publico peruertatur fremitu.

Abulenſ.

Hac,

166. Hac, ni fallor, Isai Dauidis pater excelluit prærogatiua: iam Saulis regnum vergebat ad occasum eo culpatum pondere impulsum, vt nec prophetæ copiosis lachrymis sit firmatum: Dominus magno Samuele ministro constituto iubet ad Isai domum gressum accelerare, & ad thronum ex filiis eius inungere: *Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem.* Communi nomine filium tegit, nec tanto muneri deligendum curiosa sedulitate scrutari prophetam iubet: profectò ipse Samuel Saulem inunxerat; & tamen Saul non modicum pietati crearat periculum: cur ergo omni diligentia non examinetur inaugurandus ad thronum? Reddit rationem textus: *In filiis*, inquit, *Isai:* talis erat senis pietas, talis familiæ institutio, vt nihil esset verendum; sed, si dici potest, de eius familia vel cæcis oculis sceptris regalibus designandum. Huc voco, quod de Venantij

Cassiod. patre scribebat Cassiodorus 2. var. 15. *Vt de plurimis pauca sufficiant, probauit de se tanta, vt eligeretur eius inexplorata posteritas*; imò quæ eius posteritas, iam explorata: satis erat Dauidem Isai parentem sortiri, vt crederetur semper pro religione virtutéque militare: non erat opus examine, cum probo constitisset de genere: in magnam parentis redundabat gloriam cultis adeò moribus sortiri ornatam familiam: *Probauit de se tanta, vt eligeretur eius inexplorata posteritas.*

167. Huius laudis fortè cupidus Abrahamus, cùm hostiam de filio iuberetur offerre, quos tulerat seruos ad montis radices præcipit expectare: Abrahamo Deus obtigit diuini amoris agonotheta, natura aduersatrix fuit paterni amoris stimulis obarmata: Isaacus fuit pro arena: ipse, qui filium dederat, de filio holocaustum postulauerat: audiuit grandæuus senex non minus gratis auribus sacrificij præcepta, ac audierat olim promissa: omni sacramento disposito, mysterioque præparato sceleri pede festinatur in montem, nec Isaacum solùm defert; sed duos iuuenes ad ministranda necessaria subse-

Gen.22.v.3. qui iubet: *Strauit asinum suum ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum:* deuentum est ad locum quo offerendum erat sacrificium, tuncque & filium iubet montem inscendere, & seruulos expectare: *Expectate hic cum asino, ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Profectò pueros relinquere intentioni videbatur aduersari: nam cum Isaac iam pueritiam transiluisset, lanugóque pingere incepisset genas, non videbatur prudentiæ consonum senem in iuuenem obarmari, seruosque, qui suppetias ferre possent, imprudenter relinquere; secum ergo iuuenes ducat, vt si fortè Isaacus vitam tueatur, ministrorum opera aris illigatus aptetur. O eximiam Abrahami prudentiam! Si iuuenes veluti auxiliares duceret, Isaaci obedientiam suspectam proderet; at dum relinquit ostendit se nullatenus dubitare; sed dignè de prolis fide præsumere. Ita Veronensis Zeno, qua solet styli

Zeno. elegantia serm. 1. de Abraham: *Omni mysterio sacrificióque disposito ductus filius gaudens gaudente patre patris dextera feriendus, qui antequam veniret in montem, cùm de patre quæreret, vbi esset victima, quam disponeret, & immolaret, securus de fide generis sui pater filio, de quo non dubitabat, patefecit quia se Dominus postulasset.* Veritus non est pater optimus mortem, quam imperauerat Dominus, filium recusaturum, ideò solùm duxit, ne sibi filióque dubitatione notam inferret: seruos duxisse, & in subsidium quodammodo discriminis obarmasse institutioni erat inferre iniuriam, aut inutilis prudentiæ notam, quandoquidem vbi apperit nullum periculum, frustrà periculi procuratur remedium: solus Isaacus ducitur, quia aduersus pietatem, aut religionem nihil ab illo timetur: *Securus de fide generis sui pater filio, de quo non dubitabat, patefecit quia se Dominus postulasset.* O sumptuosius parentis elogium! O tanto filio dignum obsequium!

Hanc institutionis laudem Aaroniticæ fami- 168.
liæ præbuerunt, qui de eius veritate, religionéque nullatenus dubitarunt. Alcimus ambitione furens Demetrium in contribules suos nefariis artibus concitauit, venit cum ingenti exercitu, dolum dissimulans, pietatem mentiens: Hebræorum primi captiosas nullatenus verebantur insidias; quia ab Aaronis progenie
texendas nullas suspicantur fallacias: *Conuene-* 1.Machab.7. v.12.
runt ad Alcimum, & Bacchidem congregatio Scribarum requirere quæ iusta sunt, & primi Assidæi, qui erant in filijs Israel, & exquirebant ab eis pacem: dixerunt enim: Homo Sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos. Prosapia aduersus oculorum euidentiam tuebatur nominis famam, nec latere suspicati sunt fraudulentiam, ea erat Aronis filiorum institutio, vt nil contra religionem posse moliri præsumerent, aut pietati contrarios crederent: *Sacerdos*, inquiunt, *de semine Aaron venit, non decipiet nos*: nam cùm illorum pater veritatem iudiciúmque pectore semper gestarit, ad posterósque quasi iure hæreditario transmitteret, ab eis prudentia non didicerat quid timere; sed digna semper de institutione præsumere: genus ambitione refutauit Alcimus, sanguinem fudit innoxium, & pietatis iniuria dignitatis voluit fulgere excellentia; ea tamen erat generis probitas, vt nihil religioni timeretur aduersum, aut pietati præsumeretur contrarium. Alcimum non fuisse ex Aaronitica familia tradũt nonnulli, nam si esset, dolosa non sæuiret fraudulentia; sed pro religione laudabili dimicaret constantia: *Secundũ alios nec*
de semine Aaron erat, scribit Lyra, *licèt isti cre-* Lyra.
derent in hoc decepti. Passi sunt erga genus errorem; si tamen non paterentur fallaciam, religioni aduersam nullatenus experirentur mali-
tiam. *Sic illi*, scribit noster Sanctius, *secum ratio-* Sanctius
cinabantur: Ab homine, qui Sacerdos esset, & de Aaronis semine, nihil esse metuendum, nec existimandum in eis, qui in Sacerdotali nomine sanctitatem præferrent, quidquam esse dolosum. Genus ipsum, suspicioné omnem depellebat, & aditum fraudibus denegabat: ea erat Aaroniticæ familiæ eruditio, vt fidem vel solo nomine faceret, metúmque depelleret: Et quæ sumptuosior parentis laus, quam eius posteros sic à dolo, fraudéque censeri alienos, vt crimini nullus suspicaretur obnoxius.

Dæmon, vt Iobi obscuraret gloriam, cùm 169.
iam ferè omnia aduersitatum tela in rupem illam durissimam contorsisset, mulierem de-
mum armauit: *Dixit illi vxor sua: Adhuc tu per-* Iob 2. v.9.
manes in simplicitate tua, benedic Deo & morere. Nonnulli interpretes existimant Dæmonem

vxoris

vxoris facie personatum hæc verba protulisse, vt patientissimi viri obscuraret laudem, quando vxor videbatur in religionem insurgere, & pietatem labefactare. Ita Origenes lib. 2. in Iob: *Vxorem dixit dixisse; sed verè Diabolus dixit: sic namque & olim ait: Dixit serpens ad mulierem.* Vt per serpentem nisus est Adami gloriam euertere; sic & modò conatus est & Iobi laudem corrumpere, quando grandis erat institutionis nota sortiri vxorem, à qua & religio posset timere, & pietas deberet fugere. Ergo Iosue, dum se familiámque suam religioni semper fixéque adhæsuros ostendit, gloriam suam cumulatiùs adauget.

Origen.

§. XXXVIII.

Dum diuina recordatur quis beneficia, non potest grata non exhibere Domino obsequia.

170. QVi oculis vtitur, nec passione ebrius extra se agitur, collatis in se beneficiis Domino seruire compellitur: sic dilargitis, si dici liceat, obsidemur muneribus, vt nullus sit aditus ingratitudini, nisi quis se affectatæ commiserit obliuioni. Cæli clamoso rotatu Dei in nos benignitatem loquuntur, quot fructibus, tot terra linguis eloquitur: aër testatur se de thesauro Numinis ad alendam hominis vitam productum, liquor veluti carceribus illigatum: stellarum motus, solis cursus, Lunæ sæpè variatus aspectus humanæ militat saluti, & quidquid sub cælo est, hominis deseruit commoditati. Adeò eximia frequentissimaque Numinis sunt in homines beneficia, vt nisi cum brutis commutarint ingenium, non exhibere nequeant officium. *Vitiosi oculi sunt*, scribit Seneca lib. 3. de benef. cap. 1. *qui lucem reformidant, cæci qui non vident, & parentes suos non amare impietas est, non agnoscere insania. Quis tam ingratus est, quàm qui quod in prima parte animi positum esse debuit, & semper occurrere, ita se posuit, & abiecit, vt in ignorantiam verteretur?* Solus qui laborat insania, parentes potest non agnoscere: nam si agnosceret, vel insanus non posset non honorare: hoc solùm ingratis effugium est, nec reddiderint gratiam, scilicet insanire, & extra rationem agi: nam dum mentis compotes, nec obliuisci possunt beneficia, nec non exhibere obsequia. Iosue optionem dat populo, an velit Deo inseruire, aut idolorum figmentis ministrare. Quid tunc? Beneficiorum memores se legi firmiter adhæsuros spondent: *Respondit populus & ait: Absit à nobis, vt relinquamus Dominum, & seruiamus Dijs alienis: Dominus Deus noster ipse eduxit nos & patres nostros de terra Ægypti, de domo seruitutis, fecitque videntibus nobis signa ingentia, &c. Seruiemus igitur Domino: quia ipse est Deus noster.* Memoria repetunt quanta acceperint beneficia, & iam rationabili consequentia testantur non posse se non præstare Domino obsequia: beneficiorum recordatio vel ingratissimos animos sic impulit, sic nobili violentia coëgit, vt fateantur non posse se à iustitia resilire, dum tot se beneficiis cognouerint illigari. *Reddunt rationem Israelitæ*, scribit Abulens. quæst. 11. *quare colere debeant Deum, & arguunt ex beneficijs receptis,*

Seneca. *Vitiosi oculi lucem reformidant. Parentes non amare est impietas, non agnoscere insania.*

Abulens.

scilicet quia eduxit eos de terra Ægypti: tenetur namque naturaliter quilibet benè pastus pro beneficio. Adfectus forsan illecebris prouocabatur; sed animus beneficiorum recordatione detinebatur dum ergo viguit beneficiorū memoria, legis floruit obseruantia; sed o nos miseros, qui tot collatis in nos à Deo beneficiis non solùm circumdati: sed mersi memoriam industriè fugimus, ne benefactori seruiamus! *Multa possum tibi ostendere*, scribit Seneca epist. 42. *quæ acquisita, acceptáque libertatem nobis extorserunt: nostri essemus, si ista nostra non essent.* Leo ob cibum cogitur ad patientiam: mitigata toruitas præbet obsequium, quæ minatura videbatur periculum; libertatem extorquent accepta beneficia, & qui accepit, iam non tam sui, quàm benefactoris censetur; deterior belluis est, qui post maxima beneficia, libertate vtitur, & dum sibi seruatur, ingratissimus in benefactorem proditur.

Seneca.

Dona libertatem auferunt.

Hoc est nequitiæ artificium à beneficiis oculos remouere, quò flagitia valeat perpetrare: nam dum subeunt memoriam, non possunt non impedire malitiam, torpent manus, obrigescunt affectus, si accepta beneficia animo repræsentarit obtutus: nequitiæ artifices, quo suam valeant prauitatem consummare, student memoriam beneficiorum effugere, quasi nec procacissima peruersitas suam valeat nequitiam explere, si acceptum beneficium contingat memoriæ occurrere. Huius veritatis testis adest ille naturæ infestus Cainus: inuidentia laborabat, & à proprio sanguine auspicatus est, quo alienum faciliùs insectaretur: orci ianitor, & cædis Doctor in fratrem stomachatur, & quò faciliùs suam posset sanguine sopire inuidiam, fratrem desertam ducit ad terram: *Dixit Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras: cúmque essent in agro consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* D. Ambrosius ingeniosus mysteriorum indagator, aduertit fratrem duxisse in campum mitium fructuum diuitiis nudum, & spinis horridis plenum: *Quid igitur sibi vult, quod ait*, verba sunt Ambrosij apud Lippoman. *eamus in campum, nisi quia locus nudus gignentium eligitur parricidio: vbi enim frater habebat occidi, nisi vbi fructus deesset?* Addit post aliqua: *Non dicit: Eamus in paradisum, vbi poma florent, non in aliquem cultum, & frugiferum locum ... videtur veritus, ne largior boni terra prouentus triste facinus impediret.* Inquiramus quomodo prouentus triste facinus potuerit impedire, & horridus campus fouere: inquiramus cur inuidentiæ æstus tantisper doctus fuerit patientiam vt opportuniorem sibi prouideret occasionem exercendi malitiam: quid interest in campum aut in paradisum fratrem deferre, vt valeat, aut nequeat sanguinem innocentem effundere? Si iam liuor eius præcordia possederat, si ferali iam sæuitia æstuabat, quid cædem differat, & in campum parricidij theatrum exeat? Timuit Cainus, quantumuis sceleratus se à tristi facinore impediendum, si oculus à Deo acceptum aspiceret beneficium: timuit fœcundiorem terræ prouentum, gratos flores, saporatissimos fructus benefactoris ingesturos memoriam, & recordatione impedituros audaciam: ideò tulit fratrem in campum, & ferre noluit in paradisum: *Videtur veritus, ne largior boni terra prouentus triste facinus impediret:* nam

171.

Gen. 4. v. 8.

Ambros.

nam si memoria benefactoris vigeret fratrem dextera non feriret: illuc ergo occidendum Abelum duxit, vbi nullus fructus memoriam benefactoris ingereret, adeò libertatem extorquent dona, adeò ligant beneficia.

172. Filius ille prodigalitate notus, dum cupiditatum febribus ardet dari sibi censum vitiorum irritamentum deposcit: cupiebat viuendi libertate gaudere, & noluit patri seruire; petente vno vtrique fratri Substantiam totam mox pater diuisit, vt sciret seruatas fuisse diuitias non auaritiæ desiderio; sed amoris consilio; manere censum pignoribus cupiens differebat elargiri, ne prudentiæ exortes acceptum gestiuerint dissipare: ditatus filius præcipite cupiditate in longinquas terras delatus est, ibique post exiguum tempus sordebat nudus: fames patrem dedit sapere cui copia sentire tulerat genitorem: meliora sapiens famelicus, quam ditatus, paternam repetit domum, & propensum patris experitur affectum: senior frater accedit; sed symphoniarum cantus inuidum non deliniuit; sed vsque ad insaniam accendit: fratris delicta liuore cæcus eulgat, liberalitatem patris condemnat, nihil se accepisse conquestus, & beneficiorum

Luc 15.v.29 prorsus oblitus: *Nunquam dedisti mihi hoedum vt cum amicis meis epularer*: Et cur non meminit diuisi census, cur amplam accepisse se dissimulat hæreditatem? Vt possit, inquit Chrysologus ser. 4. fratris motes ac parentis pietatem lingua pestifera abrodere, accepta beneficia memoria curauit expungere, & obliuione artificiosa abolere, quasi non possit in se à patre collata beneficia retinere memoria, & in patrem, fratremque stomachari maleuolentia:

Chrysol. *Inuidus semper ingratus.*

Fratri inuidus animus verba sunt Chrysologi, *gratus esse non potest patri, & paternæ largitatis memor non est, qui est fraternæ immemor charitatis: hædum sibi datum negat, qui substantiæ partem totam tempore diuisionis accepit*: vt in fratrem inuidum furor stimulet, quidquid à parente accepit memoria delet, quasi furere nequeat, si recordetur, sed ipsis beneficiis vti vinculis constringatur: vt adularetur inuidiæ obliuionis tenebras offundit memoriæ, veritus sopiendam prorsus liuoris flamamam, si mente conseruarit beneficiorum notitiam. Et quidem vel scelestorum hominum affectata ignoratio nostram condemnat procaciam, quandoquidem illi moliti sunt beneficiorum recordationem expungere, quo possent facinora perpetrare; at nos procacius delinquimus, dum nec beneficiorum recordatione tardamur. Tot à Deo beneficia accepta sic nostram deberent extorquere libertatem, vt non solùm, essent ardua; sed quodammodò peccata redderentur impossibilia.

173. Hoc nos docuit pudicitiæ ille patronus, cum heræ procacia feliciter colluctatus: fratrum odia mulier excepit impudica habent amores impotentes, ac inuidia deteriores: domina Iosephi temperantiam deprædari aggreditur, temporis opportunitatem obseruitat, impuris affectibus diuendita seruum precatur, & mille formam artibus colorans blandissimis adulationibus castum iuuenem adulterum effecisse molitur. Quid tunc? Beneficiorum ab hero acceptorum recordatur: nec iam sibi inesse ad domini offensam libertatem fatetur:

Gen. 39.v.8. *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua; nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es: quomodò ergo possum hoc malum facere?* Expende verbum illud: *Quomodò possum?* Potestatis in omnia à Domino sibi factæ memoria abstulit potestatem iniuriæ: emptione domini erat, vt seruiret; beneficiis non erat sui, vt offenderet. Ad rem Gregorius apud Lippoman. *Quomodò possum malum hoc facere, & peccare in Dominum meum? Quibus verbis ostenditur, quia bona, quæ assecutus fuerat, repentè memoria intulit, & malum, quod se pulsabat, eiicit, & quia percepta gratiæ meminit, vim culpæ imminentis fregit: cum enim voluptas lubrica tentat in prosperis, hæc ipsa sunt prospera aculeo tentationis opponenda, vt erubescamus praua committere, cùm nos à Deo meminimus gratuito bona percepisse, & illatam gratiam exteriorum munerum vertamus in arma virtutum, vt sint ante oculos quæ percepimus, & quæ nos alliciunt, subigamus.* Dum memoriæ intulit beneficia, veluti impossibilia fatetur scelera: quasi nobilibus illigatus teneretur vinculis, ne maculari posset peccatis: *Et quomodo possum*, inquit: quasi dicat: dum menti accepta occurrunt beneficia, voluntatis sunt ligamenta, nec voluntas ad flagitia potest elabi, dum beneficiorum memoria non contigerit aboleri. Benè ergo populus accepta à Numine beneficia refert, quò de memoria Semper se Domino obsequium præstiturum confirmet.

Gregor.

Accepta à Domino beneficia sint pro virtutibus arma.

---

§. XXXIX.

Virtutis cultus facilem reddit præceptorum obseruantiam, vitij consuetudo ferè impossibilem obedientiam.

PRæceptorũ lenitas aut arduitas non tam nascitur ex materia, quam ex voluntatis prom- 174.
ptitudine aut reluctantia: idem præceptum morigero habetur facile; peccatis assuefacto ad speciem redditur impossibile, quasi facilitas aut difficultas de audientis animo censeatur, & de moribus taxetur: vires ad virtutem eneruant vitia, & quo quis ad peccandum expromptior, exercendæ virtuti redditur difficilior. *Laborandum est*, aiebat Seneca epist. 50. *& vt verum dicam, ne labor quidem magnus est, si modo, vt dixi ante animum nostrum formare incipimus, & recorrigere, quam indurescat prauitas eius.* Verum dixit; sed si induruit prauitas, admittetur difficillimè probitas: nihil est quod non expugnet pertinax opera, & sedula, ac industria diligentia: flexa robora ars reuocat, curuatas trabes explicat calor, & quæ aliter natæ ingenium coguntur adulterare, & in id quod noster vsus exigit, labore disponi: verùm hoc magnas exigit impensas, & laboriosissimas operas: nec aliter accidere censeas animo; nunquam adeò est vitio possessus, virtutique oppositus, vt meliorem nequeat formam recipere, & ad perfectionem aptari; verùm si malâ hæserunt, nonnisi ægrè possunt expungi: cogenda est mens, vt incipiat; sed vel dum cogitur, verti non semel ad antiqua molitur: sic multis acerba ac difficilis apparet medicina, vt antè mori eligant, quàm curari. *Est & hæc peruersitas hominum*, scribit Tertulianus aduersus Gnosti

Seneca.

Facile est animum formare antequam adulta prauitas inceperit possidere.

Tertull.

Gnosticos cap. 5. *salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quæque medicamenta vitare; mors denique citiùs, quàm curari desiderare: nam & medicinæ præsidium plures qui refugiunt, plures stulti, plures timidi & malè verecundi, & est planè quasi sanitia medicina de scalpello, dèque cauterio, de sinapis incendio.* Adeò aliqua medicamenta sunt dura, adeò sæua vt æger mori potiùs eligat, quàm curari: vellet salutem; sed ægritudo sic inuisceratur medullis, vt ferè impossibilis censeatur medicina: quia in naturam transiuit plaga: necessum est aliquando hominem discerpere, vt valeat vitiis purgari. Iosue huius philosophiæ non ignarus, promittenti populo æternam legum ac paternæ institutionis obseruantiam, ait: *Non poteritis seruire Domino: Deus enim sanctus & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris, atque peccatis.* Et cur de populo ambigat, quæ de se ac familia promisit? *Ego & domus mea seruiemus Domino,* aiebat: si ergo ipse eiúsque familia exhibere Domino potuit officium, cur sit impossibile populo præstitisse Numini obsequium? Hoc dubium mouit Abulensis quæst. 12. *Dicet aliquis: Quomodo dicit Iosue quòd Israelitæ non possent seruire Domino, cùm ipse supra dixerit, quod etiamsi totus Israel vellet colere Deos Mesopotamiæ vel Amorrhæorum, ipse & domus sua colerent: nam si cæteris erat impossibilis cultus Dei, ei quoque fieret impossibilis.* Respondétque potentiam, & impotentiam oriri aliis ex virtutis affectu, aliis ex peccandi vsu. *Proueniebat forte ista difficultas propter assuetudinem ad peccandum: nam assueto ad aliquod genus peccati difficillimum est derelinquere illud, eo quod transiuit in naturam.* Eo vires ad virtutem peccandi debilitauerat consuetudo, vt impossibile ad speciem censeas populum mutare stylum, & idololatriæ dedidicisse peccatum. Ita peccandi consuetudo robur ad virtutes eneruat, vt populus veluti reddatur impotens ad obsequium, cum Iosue, eiúsque familia virtutibus assuefacti, promptissimi numinis inueniantur ad cultum.

Malè verecundi nonnulli medicinæ præsidium refugiunt.

Abulens.

175. Ier. 13. v. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas,* aiebat Ieremias, *& vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Fortè non erat ingratum peruersis nuntium conuersionis difficultas; ea namque propensione tendunt ad vitium, vt captant de conuersionis impossibilitate solatium; verum inquiramus cur propheta populi pœnitentiam impossibilitati contulerit, nulla potest ab Æthiope auferre nigredinem diligentia: quia indidit illam natura: Pardus apparet constanter varius, etsi vnicolor iam non pardus; at homines, quantumuis pertinaciter adhæserint vitio, possunt se purgare peccato: ergo propheta prauitatem nimius exaggerat, dum inter impossibilia dinumerat. Profectò homines eadem expungere possunt vitium, qua admiserunt libertate peccatum; ea tamen est prauæ consuetudinis difficultas, vt æquè videatur arduum à praua consuetudine resilire, & Pardum varios colores mutare. Ita Lyra: *Vtrumque istorum est à natura, & sic dicit de Iudæis, quòd non poterant reuerti ad bonum propter consuetudinem ad malum: quia consuetudo est quadam natura.* Vitium facilè in cunabulis resecatur, verum si tempore adolescat, si de vsu vires acquirat, si cordi agglutinatur, facilius fuerit hominem in varias partes discerpere, quam à peccato diuidere. Omnia potest gratia, & omnia expungere potest saluberrima pœnitentia; eam tamen difficultatem improba parturit consuetudo, vt salus ferè impossibilis censeatur, remediúmque desperetur.

Lyra.

Exploratores mittit Moyses, qui prudenter promissionis terram considerent, ne populus ad inexplorata contendat, & ne quod sui muneris erat prudens omittat industria. Iosue & Caleb facilè adeò censebant Domini obedientiam implere, vt hostes præsumerent deuorare: *Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem, ita eos possumus deuorare: recessit ab eis omne præsidium.* Exploratores reliqui rem ferè impossibilem populum aggredi testabantur, vtpote qui deberent monstra deuincere, & proceræ magnitudinis populum superare: *Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere: quia fortior nobis est, &c. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Quàm sæpè discrepant, qui in concilium sæpè conueniunt! Quàm paucos patronos sortitur veritas! Quàm plures sortitur falsitas! Vnum aut alterum exploratorem pro se habuit virtus, reliquos asciuit scelus; sed inquiramus, si placet, cur aliis impossibilis visus fuerit ingressus, cùm facilis adeò aliis appareret aditus? Si monstra terrorem ingeminabant, quomodò Calebus & Iosue populi spes erigebant, aut si vt panis frustula hostes poterant deuorari, quomodò prædicabantur inuincibili fortitudine communiri? Quia rei difficultas, aut facilitas non tam nascebatur ex ipsa, quàm ex censorum sententia: duris inobsequentibúsque videbantur monstra, ea ipsa quæ morigeris habebantur facillima, visum est Iosue & Calebo virtutis alumnis Domini præceptum expeditum, reliquis impossibilitatibus implicatum. Non erat ipsis in rebus differentia, sed pro morum diuersitate videbantur aut panis frustula, aut monstra. Innuit Origenes apud Glossam: *Præcipuè si dubia sit fides nostra, & nos perterreat infidelitas, illi verè gigantes erunt, nos locustæ; si verò sequimur Iesum, & verbis eius credimus, tamquam nihil erunt in conspectu nostro.* Nihil apparent iustis, quæ peccato assuefactis monstra censentur; aliis namque veluti ingenita virtus facilem reddidit obedientiam, aliis inolitum vitium ferè impossibilem obseruantiam. *Si verbis Iesu credimus nihil erunt in conspectu nostro.* Qui erunt nihil? Qui infidelibus gigantes, & staturæ proceritate pollentes. *Illi gigantes erunt, nos Locustæ.*

176.

Num. 14. v. 9.

Num. 13. v. 32.

Origen.

177. Philisthæi dum de arca restituenda cogitant, imponi iubent vaccis iugi prorsus ignaris, & ferre plaustrum nullatenus assuetis: *Arripite, & facite plaustrum nouum vnum, & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro:* mugiebant illæ, puto suæ plaudentes fortunæ, dum tam sacro onere gaudebant nobilitatæ, *Ibant in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur pergentes & mugientes, & non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Componamus, si placet, hanc arcæ vectationem cum alia. Bobus imponitur arca, qui veluti pondere prægrauati gestiunt excutere, & humeros liberare: *Calcurabant*

1. Reg. 6. v. 7.

1. Reg. 6. v. 6.

citrabant boues, & declinauerunt eam. Si grauiore pondere grauatæ vaccæ (ferebant namque simul cum arca capsellam: ait namque textus: *Posuerunt arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat mures aureos, & similitudines anorum*;) onus non tentant excutere, cur boues leuius moliantur abiicere? Hi iugum experti, iugi illæ ignaræ, hi minori pondere prægrauati, illæ onere grandiori onustæ: & tamen hi calcitrant, & illæ à recto tramite non exorbitant. Ecqua discriminis causa est? Ipse innuit textus. Boues scilicet sæculi iugo, & mundialibus oneribus assuefactos, vaccas verò prorsus ignaras: qui ergo culpis assuefacti, leuius Dei onus intolerandum esse, non sine impatientiæ notis queruntur, quæ verò culpis non assuetæ, grandiori pondere non grauantur: his namque virtus facile reddebat obsequium: illis iugi mundialis consuetudo onus sacrum reddebat laboriosissimum: plus ferunt illæ sereno vultu, hi minus, & grandi gemitu. Innuit Isidorus apud Glossam: *Vaccæ arcam gestantes sanctos significant, qui sæculo renuntiant, qui nullum delicti traxerunt iugum.* Si vaccæ delictorum iugo fuissent assuefactæ, sacro pondere calcitrarent etiam attritæ; at dum ignorant vitium, facillimè ferunt plaustrum; at boues quia delicti iugum traxerunt, sacrum onus vti intolerabile recusarunt. Et quidem quod vaccis, bobúsque historicè accidit in moralibus sæpè contingit: morigeris virtutisque cultoribus non solùm legis præcepta; sed facillima videntur etiam consilia; at peccatoribus vitio innutritis iam non consilium; sed impossibile videtur etiam præceptum. Dulcia erant Dauid Dei eloquia: equidem ipse ait: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua*: cùm hæc ipsa populo viderentur aspertima; Moysem orant: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Non erat diuersum eloquium; sed audientium diuersum erat ingenium. Ergo Iosue facile putat Deo inseruire: populo erit impossibile Numini obsequium præstare.

Isidor.

Psalm. 118. v. 103.

Exod. 20. v. 19.

§. XL.

Prudentis est languescentem feruorem externis actionibus renouare, & vigori pristino restituere.

178. MOrtalis conditio, rerum caduca natura se ipsam fugit, & quodammodo à se descisit: Sol mane fulgentissimo iubare splendet, vespere languescente iam luce marcet. Senescit aquila, & calore necessum est renouare pennas, & nouas industriè gignere plumas. Non est facile quem quis in virtutis exordio dedit impetum, inuariato tenore seruare, necquid tepori temporis longeuitate permittere. Quam disertè monebat Seneca suum Lucilium epist. 31. *Sequere illum impetum animi, quò ad optima quæque calcatis popularibus bonis ibas: non desidero maiorem, melioremque te fieri, quàm moliebaris, fundamenta tua multum loci occupauerunt: tantum effice quantum conatus es: & illa, quæ tecum in animo*

Seneca.

Naxera in Iosue Tom. 2.

tulisti, tracta. Multum exigebat, quando senescere solent impetus; imò in ipsis languere cunabulis & deficere exordiis: non sustinet humana fragilitas diu persistere, & inuariato tenore in cœptis perseuerare: vnde prudentes, quò in se & in aliis antiquum aliquando renouerint feruorem, externis cæremoniis vtuntur, & signis aliquibus adiuuantur: quò, dum oculus ingerit obligationis memoriam, adfectionis accenderit etiam flammam. In se ipsos veluti indubios testes signa aliqua externè constituunt, vt dum clamoso silentio statum antiquum referunt, nobilem verecundiam descíscentibus incutiant, & se antiquo nitori reddidisse compellant. Hinc prudentissimus Iosue postquam populum Dei cultum nulla idolorum superstitione attaminatum; sed sanctissima religione purum conseruare monuerat, postquam antiqua fœdera repetiuit, nouáque sanxit, lapidem prægrandem vti indubium fœderis testimonium erexit, quò & repetitæ cæremoniæ antiquum ad virtutem vigorem instaurarent, & omnem signa ista exinceps teporem tacitè monendo impedirent: *Testes vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum vt seruiatis ei, responderúntque, testes, &c. Percussit ergo Iosue in die illo fœdus, & proposuit populo præcepta, atque iudicia in Sichem, scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini, & tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini, & dixit ad omnem populum: En lapis iste erit vobis in testimonium quod audieritis omnia verba Domini, quæ locutus est vobis, ne fortè postea negare velitis, & mentiri Domino Deo vestro.* Quærit Abulensis quæst. 14. cur Iosue fœdus iterum pepigerit, cum iam à Domino initum, nec semel præcederet celebratum: respondétque Hebræos multis retrò temporibus inito fœdere ad seruiendum Domino obstrictos; verùm, quòd fragilitatis humanæ est, antiquum illum nobilem impetum aliquo modò tepuisse; ideoque non sine causa repetito iterum fœdere, obseruatisque cæremoniis renouasse. *Nunc non erat necessaria aliqua obligatio de nouo: quia erant obligati Hebræi ab antiquo seruire Deo, & seruare legem eius; sed fecit Iosue istud pactum cum Israelitis ad quandam exhortationem, & incitationem eorum ad colendum Dominum: quia animi eorum iam erant pigri & desides; nunc autem renouaretur in eis ardor quidam ad quærendum Dominum.* Fœdus repetit, legitimas cæremonias adhibet, lapidem grandem erigit, quò antiquam diuini amoris flammam temporum lapsu cinerescentem viuidiùs accenderet, efficaciúsque flabellaret. Hinc laudandus est Societatis Iesu mos in renouandis bis emissis iam votis, vt his repetitionibus antiqui impetus non senescat memoria, & noua voluntatem roboret efficacia.

Abulens.

Iacob iram fratris fugiens plusquam quærebat, inuenit: tendebat ille ad angustam auunculi domum, inuenit amplissimam Numinis aulam: inuenit, inquam; nec enim ille præcogitato quærebat studio; sed Angelicam intrauit curiam, dum necessariò indulgeret somno: illi occurrerunt cælestia, ipse anhelis gressibus quærebat caduca, cúmque omnia illis contigerint in figura, fors cæleste mysterium, dormienti obiicitur, vt tepor noster signetur, quandoqui- 179.

OOo 2 dem

dem non ſemel opus eſt, ne diuina fugiat expergefactus, vt quis illa videat ſomni vinculis irretitus. Certè, ni itineris labor properantem ſomno detineret, ad auunculi domum celerrimis greſſibus inuolaret: ergo dum ſenſus à rerum humanarum viſione feriatur, cæleſtia animus intuetur: vidit ibi ſchalam, qua plures & deſcenderent obſequentes, & aſcenderent felices, vt ſi fortè tyro, quas olim Dauid pennas ad inuolandum deſiderabat, non ſortiretur, per gradus aſcenderet, vt ad altiora veniret: vidit ſchalam, ne impoſſibilem exiſtimaret aſcenſum, quando à tot & toties aſpexerat repetitum. O quàm iuſtè timuit, qui cùm tot ad aſcendendum adurgeretur exemplo, inerti indulgebat ſomno. Denique iam expergefactus, voto ſe Dominum ſemper colendi obſtrinxit, & columellam gratitudinis indicem, & Numini aram erexit: *Tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper*; & poſteà: *Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei.* (Gen.28.v.18. & 21.) His peractis ad auunculi domum contendit, ibique diuturnis annis ſeruiuit: domum repetebat, cùm Deus illi apparet, & aram Deo, vbi erexerat olim, conſtruere de nouo iubet: (Gen.35.v.1.) *Aſcende Bethel, & habita ibi, fácque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum.* Quid tunc? Totam familiam conuocat, & quos, vt videtur Deos ſecum aſportare permiſerat, ſeriò iubet abiici, & foueis altiſſimis ſepeliri: *Iacob verò conuocata omni domo ſua ait: Abyciте Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra: ſurgite, & aſcendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & ſocius fuit itineris mei.* Inquiramus, ſi placet, cur modò prohibeat idolorum ſimulacra, qui hucuſque permiſerat reprehenſibili ad ſpeciem patientia. Sæpiùs ſtatuo omnia illis in figura contigiſſe, laudandiſque ſæpè actionibus noſtras non laudabiles actiones præfiguraſſe: ergo Iacob, dum Numinis domum intrat, aram conſtruit, & ſoli Deo ſe cultum exhibiturum promittit; ac temporum tractu feruor ad ſpeciem langueſcit, impetus ille ſacer debilitatur, & iam, quamuis ipſe euanida non coluerit ſimulacra, diſſimulat in familia. Quid ergo? Deus altare renouare iubet, antiquámque domum repetere, quo antiqui feruoris excitetur memoria, & feruentior exarſerit etiam flamma: dum erecta columella antiquum impetum monuit, ad iterandum adurget: dum primam illam altaris erectionem non repetit, & Deos familiæ permittit; at dum renouatur altaris conſtructio, dum olim emiſſi iuramenti occurrit menti obligatio, omnem non ſolùm in ſe; ſed in familia religionis puritatem affectat, & quidquid religioni aduerſum perpetuis tenebris damnat. Innuit Chryſoſtomus apud Lippoman. (Chryſoſt.) *Animaduerte hic iuſti obedientiam & pietatem in Deum: quia audiuit: Surge, & aſcende Bethel, & fac altare, conuocata omni domo ſua, id eſt omnibus ſuis, dixit: Abycite Deos alienos, &c.* Si non repeteret aræ erectionem, fortè Deos quos prohibuit, permitteret; at dum repetit erigere aram, non poteſt non renouare promiſſam Numini reuerentiam: lapis ille, cùm antiquæ promiſſionis ingerebat memoriam, omnem religionis prohibebat iniuriam: non poterat Deos familiæ permittere, qui recordabatur olim emiſſo iuramento ad vni Deo cultum exhibendum teneri. Ergo antiqua repetere, veteraſcentiáque renouare fuit religioni vtiliſſimum, & ſemper pietati accommodum.

Is eſt cæleſtis magiſtri in diſcipulos pietatis amor, vt quodammodo maieſtati ſuæ ac magni- 180.
tudini detrahat, quò diſcipulos ad pietatem erudiat: adeò exarſerat obſcœnæ libidinis flamma, vt omnia famelica lingua voraret, & nihil non poſſideret: naturæ leges homines tranſgrediebantur: ignorabant prorſus temperantiam, nec aliud videbantur noſſe præter luxuriam: graue adeò malum acri grandique indigebat remedio: cataclyſmi cælum nigra eiaculatur volumina, quo tetriora penitus extinguerentur incendia; verùm cùm Noë gratiam Numinis promeruiſſet à ſimili ſupplicio ſpondet exinceps abſtinendum, nec humanum genus generali adeò naufragio obliterandum, ſignúmque huius fœderis depingit in nube, quo excitata memoria à conſimili abſtineat animus, pœna: *Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum* (Gen.9.v.9.) *ſemine veſtro poſt vos, & ad omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum, tam in volucribus, quàm in iumentis, & pecudibus terræ cunctis, quæ egreſſa ſunt de arca, & vniuerſis beſtys terræ, &c. Dixitque Deus: Hoc ſignum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum in generationes ſempiternas.* Sancitum pactum arcu in nubibus variegato firmat, quo nunquam pacti irrepat obliuio; ſed ab alluuione terram memoriæ defenderit excitatio: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram, cúmque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum.* In Deum certè non poteſt cadere obliuio; verùm vt denotet temporum tractibus omnia langueſcere, & à primo illo vigore deſciſcere, quaſi obliuione inducit marceſcentem memoriam, quo renouationis vtiliſſimam oſtenderit efficaciam. Externum renouatur ſæpiſſimè ſignum, & dum externis excitatur memoria, in homines arcetur vindicta: floret antiquo virore pacis fœdus, dum irrepere obliuionem varius non patitur arcus: ergo cæleſtis medicus hanc renouationis externique indicis in ſe medicinam prælibauit, quo homines ad renouationem impelleret. Innuit Philo apud Lippoman. (Philo.) *Arcus itaque ſymbolicè inuiſibilis Dei potentia eſt, quæ in cælo ſerenitate laxato, & per nebulas extenſo exiſtens non ſinit nubes ex toto in aquas reſolui: ita vt in vniuerſum diluuium aquarum fiat.* (Eucher.) Adſtipulatur Eucherius: *Arcus propter ſignum ſecuritatis in cælo poſitus eſt.* Non indiget Deus recordatione; verùm more humano loquitur, & quàm neceſſum ſit externum ſignum, ne temporum tractu memoriâ, quod promiſſum eſt, elabatur. *Humano more loquitur Deus*, inquit Caietanus, (Caiet.) *deſcribens ſe fore ad ſimilitudinem recordantis, quo ad hunc effectum, vt non cauſet diluuium vniuerſale.* Diſce à Deo animi renouare decreta, & ad memoriam excitandam externa apponere ſigna.

§. XLI.

§. XLI.

Sapientis est omnibus ante mortem se expedire, & honestè otiosis oculis mortem videre.

181. MVlta de morte probra circum ferũtur, quæ nescio an mortis attulerit acerbitas, an morientis prauitas: mors acerba ex se non esset, aut quidem non adeò acerba, ni homines illi difficultates adiungerent, & in se ipsos acuerent. Seneca. *Id agit sedulo*, scribit Seneca epist. 30. de Basso, *vt nobis persuadeat, si quid incommodi aut metus in hoc negotio est, morientis vitium esse non mortis.* Qui se ante mortem omnibus expediuit, quique non solùm prauæ, sed & naturalis affectionis tricas resoluit, plurimum morti acerbitatis ademit: non est in mortis culpa, quòd quis post longa otia negotiorum mole prematur mersus, & cæcis difficultatum voluminibus angustiatus: hoc non est vertendum morti; sed damnabili morientis ignauiæ: placido illam vultu, & sereno posset adspicere animo, si curis compositis, difficultatibusque sedatis, & negotiis ritè expeditis laudabili homo vacaret otio, & nullo adurgeretur studio: non mortis; sed morientis vitium est, quod variis curis distringimur quod difficultatum mole superamur. O quam vel in ipsam mortem assurgit intrepidus, omnibus affectionum vinculis absolutus! tunc namque nec odium pungit, nec amor allicit. Ecce Iosue ritè munere peracto populo se mature expediuit, vt honestè feriatis oculis exinceps mortem imperturbatè spectaret: *Dimisit populũ singulos in possessionem suam, & post hæc mortuus est Iosue filius Nun, seruus Domini centum & decem annorum.* Nullæ mortis referuntur angustiæ, vt olim in 2 Reg. 1. v. 9. Saulis obitu: querebatur namque ille: *Tenent me angustiæ, & adhuc tota anima mea in me est.* Quia tota anima in illo erat, & angustiæ discruciabant; si affectionem ad imperium exuisset, si teterrima se inuidentia purgasset, aliquam, si fas est dicere, animæ partem deposuisset, & angustias eneruasset; at dum integris affectionibus infeliciter ditabatur, angustiis incrementatis distorquebatur. Iosue populum dimittit, se ab omnibus expedit, & quia omnibus retinaculis exolutus, mortem oppetiit, serenus.

182. Truculenta Herodis inuidia recèns nato Domino mortem molitur, & captiosis fraudibus à Magis accipere notitiam conatur; verùm vt nihil prosunt humana contra diuina consilia; dolosos Dominus conatus eludit, & frustrationis dolore dignè ambitiosum distorquet: Matth. 2. v. 14. *Accepit puerum* (Ioseph) *& matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum.* Hic ipse, qui de morte ad speciem trepidat, ligno affixus inuitat: caput inclinauit, quo Ioan. 19. v. 30. ad accedendum morti animos inderet: *Inclinato capite tradidit spiritum.* Mortem capitis inclinatione vocasse tradunt Patres: Chrysost. *Non autem*, aiebat Chrysostomus apud D. Thomam, *quoniam expirauit, inclinauit caput; sed quia inclinauit caput, tunc expirauit.* Itaque alibi morti capitis inclinatione permittit accessum, alibi districtum mortis effugit gladium. Et cur alibi intrepidus, qui ad speciem alibi timidus? O quanta in sacra illa fuga, & hac inclinatione continentur arcana! Recèns natus Dominus, quæ illi à Patre iniuncta, non absoluerat negotia, nec perfecerat sacramenta; in cruce iam omnia ritè peregerat, & perfectissimè consummarat: ait namque ipse: *Consummatum est*, Ergo ad nostram eruditionem, dum quæ sui muneris, nondum perfecerat, mori timuit; cùm iam perfecerat, inuitauit; statim ac trimphali illa voca protulit: *Consummatum est*, inclinauit caput, & serenis oculis spectauit interitum: *Dixit: Consummatum est; & inclinato capite tradidit spiritum*; vt doceret rebus omnibus expeditum, quisque, quod sui muneris erat, coronauit perfectum, mortem pauidè non timere; sed audenter inuitare. Se ante mortem rebus omnibus; imò & ipsa matre expediuit, & feriatis oculis mortem aspexit. Quod in Christo Domino ad nostram eruditionem vides accidisse, multis non sine culpa contingere inuenies: horrẽt ad mortis vmbram: quia quæ sui muneris, non ritè peracta, & quæ dedecebãt, studiosè perfecta: non possunt serenis oculis mortem adspicere: quia experiuntur multis se infaustis retinaculis detineri. Qui potuit ante mortẽ sine iactantia proferre: *Consummatum est*, mortem non timet; sed, vt accelerit, annuit: *Tradidit spiritum peractis omnibus*, inquit Aug. apud D. Th. *quæ, vt peragerentur, expectabat, tamquam ille, qui potestatem habebat ponendi animam suam, & iterum sumendi eam.* August. Non occubuit mortis captiuus; sed dominus: non occubuit internis acerbe angustiis vexatus; sed placida tranquillitate serenus: fugit anteà mortem: quia proferre nondum poterat: *Consummatum est*; at cùm protulit, imperturbatus occubuit.

Expendebam aliquando, cur Deus, dum vitâ mulctat Aaronem, iubet priùs vestibus denudari, & iam nudatum occumbere: *Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor, cùmque nudaueris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius: Aaron colligetur, & morietur ibi.* 183. Num. 20. v. 25. Grauior plurimis pœna esset, quàm mortem oppetere, ante mortem insignibus dignitatis nudari: Cur ergo Dominus mortis acerbitatem exacuit, cùm dispoliari ornamentis iubet. Moriatur priùs Aaron, & posteà abstrahantur vestes, ne vel tantillo illo tempore amiserit dignitatẽ. O Domini in homines amorem! Quò mortem exarmet, Aaronem nudari iubet. Omnibus vult ante mortem expediri, vt mortem valeat imperturbatis oculis spectare. Nihil illi iam restabat faciendum; sed ritè omnia peracta, & studiosè absoluta. Aaron ergo non tam moritur, quàm decumbit. *Non explicat textus*, scribit Oleaster. Oleaster ad litteram, *qualiter sit mortuus aut sepultus, & crediderim neminem hoc vidisse, & putarem post denudationem eum à Mose & filio vtcumque recessisse in loco secreto montis, & ibidem manibus Angelorum sepultum.* Post denudationem ipse tetendit intrepidè ad mortem accedentem mortem non fugit. Et quid timeret rebus omnibus iam nudatus, & ab hominibus iam seiunctus? Valere iussit rebus omnibus, dum montem inscendit, & ibi placidè occubuit. Quàm erat sapientis rebus omnibus integra salute nudari, & intrepidis gressibus morti accedere. Disce acerbitatem mortis mollire, & tetrum eius vultum serenis oculis spectare. E contra mortem expauent, qui affectionum tenentur vinculis, quique sæculi, dicantur semper negotiis: trepidant

dant semper timidi, quia ad mortem inueniuntur nunquam parati.

184. David Angelum intuetur stricto gladio mortem minitantem, & intrepido pectore gladio occurrit, & morti audacter se obiicit: Dixit Dauid ad Dominum, cùm vidisset Angelum cædentem populum: *Ego sum, qui peccaui, ego iniquè egi: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* (2. Reg. 24. v. 17.) Gladium vibratum non timet, cùm rex alius vel ad somniatum gladium timuerit: *Somnium vidi*, aiebat Nabuchodonosor, *quod perterruit me, & cogitationes meæ in strato meo, & visiones capitis mei conturbauerunt me.* (Dan. 4. v. 1.) Ecquod somnium? Inclamasse scilicet Angelum arborem proceram succidi, & foliis ac fructibus dispoliari. Et cur si ipse gladius non deterret Dauidē aspectus, Nabuchod. deterreat somniatus? Arbor reuera non exciditur, securis solùm minatur: omnia somnio ad speciem peracta, & inter dormiendum picta: ergo non timeat Nabuchod. somnians, si Dauid non timet spectans: profectò non mirum concutiatur Nabuchod. somniata morte, nec timeat Dauid inspectato cruento ense: hic namque miris virtutibus exornatus, dignisque actionibus cultus; at ille superbiæ metas supergressus, ac indigna homine præsumptione vanissimus: qui fructus omnes veluti in æternum victurus congregabat; imò potenti violentia rapiebat, quid non timeret? & quid timeret, qui lubenter etiam oblata gratis noluit à subiectis accipere; sed dignò sibi pretio comparare? Quid non trepidet ambitiosissimus homo, dum somniat se gloria nudari, & in numero brutorum censeri? Quid vereretur mortem, qui pro suis generosis charitatis flammis adustus effundere gestiebat sanguinem: diuersus ergo effectus aut timorem, aut laudabilem audaciam suasit: Dauid ad mortem tendit intrepidè, Nabuchod. vel mortis somnium exhorret timidè. Opportunè Ambrosius lib. de bono mortis cap. 3. (Ambros.) *Præuidens se cum sanctis, & qui pro deuotione animas suas in Christo deposuerunt, futurum, lætatur, & se morti pro Domini placanda offensa promptus obiicit, & pro salute populi laborantis diuina victimi paratus offert.* Sciebat Dauid post mortem placidam quietem, & meritorum præmium manere; verebatur Nabuchod. post mortem illum pœnas grauissimas expectare: ideò hic, vel somniatæ mortis expauet vmbram, & ille stricti gladij contemnit pœnam. *Se morti pro Domini placanda offensa promptus obijcit, præuidens se cum Sanctis futurum.* Profectò, ni sceleribus attaminata pœnas post mortem conscientia nostra præsagiret, mortem non adeò obturbata timeret.

---

§. XLII.

Mirum est, si quis, vt debitum pietati exhibeat officium, dignitatis differat inscendere excelsum.

185. Nescio an homini sit humana natura intimior, an inuisceratior fuerit ambitio: sic dignitatum suspirant excelsa, vt præferre ipsi videantur naturæ: se contemnunt, vt volatica fulgeant gloria, & pluris æstimant lucere, quàm viuere. Quid aliquando vanitati fuit arduum, aut ambitioni præclusum? Per montium prærupta inscendet, præcipitia, syrtesque despiciet: dedicit prorsus moræ patientiam, cùm sit laborum ærumnarumque patientissima. Iobus tolerantiæ exemplar, dum virulentissimi hostis captiosas passus est technas, & virtutis clypeo retudit contortas sagittas: adhuc hærebat solo, nec se supra se leuarat; tunc homine maior visus est, cúm pretiosas discidit vestes, & purpuram abiecit regalem. Hoc namque patientiæ summum, hoc erat tolerantiæ miraculum. *Tunc*, inquit, *surrexit Iob, & scidit vestimenta sua.* (Iob. 1. v. 20.) *Barbaræ gentes*, scribit Origenes, lib. 2. In Iob, *expoliantes se, atque ipsis tunicis se præcingentes nudo pectore, atque scapulati viriliter eunt in prælium: sic itaque admirabilis Iob conscindens vestimenta sua, atque omnia deponens impedimenta nudus, atque audax stetit in spirituale prælium.* Et quæ vestimenta proiecit? Refert nomine Iob ipse Origenes: *An incipem in pretiosam meam sepulturam conscindere pretiosas atque regales meas vestes.* Filios amiserat naturæ ornamenta, diuitias magnanimè spreuerat; verùm nondum surrexerat, nec impleuerat ad speciem constantiam; at dum se dignitate abdicat, hominis ad speciem est transgressus naturam: Præmiserat Origenes: *Surrexit animo, surrexit fide, surrexit veritatis studio; surrexit ad prælium, surrexit ad virtutem, surrexit ad officium constantiæ.* (Origen.) Quidquid passus fuerat, certaminis videbatur præludium, tunc pugnauit, tunc triumphum egit, cùm regale deponere potuit ornamentum: hoc constantiæ officium, hoc patientiæ nobilissimæ simulacrum: sic namque mortales discupiunt, aut dignitatis protendere gloriam, aut citiùs malè tutam culminis adipisci fortunam, vt extra se acti videantur, cùm aut dignitates possessas contemnunt aut acquirere differunt. Hinc mirandus venit Phinees, qui patri iusta persoluit, & tantillum fulgere dignitate, vt persolueret, distulit: *Eleazar quoque filius Aaron mortuus est, & sepelierunt eum in Gabaath Phinees filij eius, quæ data est ei in monte Ephraim.* Abulensis legit: *Et sepeliuit eum in Gabaath filius eius Phinees:* (Abulens.) ita fortè in Bibliis habebatur antiquis. Disputat hic auctor quæst. vltime in Iosue quomodò Phinees patrem potuerit sepelire, cùm sacerdotij lege non deberet contaminari: *Quæret aliquis, quomodò dicitur hic, quod Phinees sepeliuit Eleazarum suum patrem: quia non licebat ei sepelire illum, nec ire cum honorantibus funera patris, quia sic contaminaretur.* Respondet, Phinees distulisse tantisper suam in sacerdotem consecrationem, vt hoc pietati exhiberet officium, & absolueret ministerium. *Respondendum est quòd Phinees fiebat immundus sepeliendo patrem vel comitando funera; ista tamen immunditia non erat perpetua: ideò non excludebat à summo sacerdotio; sed retardabat.* Mira res, distulisse Phinees dignitatis occupare celsa, vt persolueret pietati debita officia. Quid homini gloriosius, quàm à quibus accepit vitam, reddere morientibus gratiam? sic tamen humanum ambitione possidetur ingenium, vt Phinees distulisse tantisper consecrationem possit celebrari miraculum.

Cùm Dauid iactum per insidias telum frustrasset, 186.

straſſet, periculum prudenter fugit, nec de victoria præſumpſit: *Declinauit Dauid à facie eius ſecundò.* (1.Reg 18. v.11.) Hærent interpretes in illo verbo *ſecundò:* nec enim anteà declinaſſe ſimile periculum, litteris proditum eſt, Vt hanc difficultatem enodent aiunt illud *ſecundò* referri ad tempus illud, quò Dauid à Saule dilectus & honoratus paternam repetiit domum, vt patris ſenis curas leuaret, gregéſque anteà ſibi commiſſos paſceret *Abyt Dauid, & reuerſus eſt Saul, vt paſceret gregem patris ſui in Bethlehem.* (1.Reg.17. v.15.) Senſum hunc illius verbi *Secundò*, eſſe germanum tradit Lyra: (Lyra.) *Declinauit ſecundò: prius enim receſſerat ab eo, rediens ad domum patris, vt dictum fuit capite præcedenti, & nunc iterum redit ad patrem, oſtendens periculum, in quo fuerat.* Verùm inquirere placet, cur reditus ad paſcendum patris gregem grauis adeò periculi triumpho exæquetur, cur celebris hæc & decantanda ſæculis fuga cum illo reditu annumerari patiatur: modò doloſam vicit dæmonis fraudulentiam virulentiſſimæ inuidentiæ detriumphauit malitiam: anteà iactum per inſidias iaculum non fruſtrauerat; ſed regis beneuolentiam expertus fuerat: ergo non adeò celebris illa prima regreſſio, vt hæc ad patris domum reditio. Imò ob id ipſum ille primus reditus celebrandus, & pro miraculo, vt hic ſecundus, habendus: nam cùm à Principe dilectus in aula fulgeret patris curas alleuaturus reuerſus eſt: vt erga patrem pium oſtenderet animum, honorabile aulæ reſpuit miniſterium: adeoque difficile eſt pietatis amplecti officia, & dignitatis differre, aut calcare celſa, vt adæque celebrandus ſit Dauidis ad paſcua reditus, & de telo per inſidias contorto triumphus: *Reuerſus eſt à Saul, vt paſceret gregem patris ſui:* dæmonis poſteà inſidias deuicit, neſcio tamen an celebrior illo reditu, an glorioſior hoc triumpho: apparet prudens, dum telum fugit; ſed maior apparet homine, cum pietati exhibiturus officium, honorificum reſpuit miniſterium. O decantandum facinus non obſequi ambitionis conſiliis, ſed honorare naturæ leges.

187. Chriſtum Dominum in crucem æmulorum furoribus actum regis titulus honorabat: Erat autem ſcriptum: *Ieſus Nazarenus rex Iudæorum.* (Ioan 19. v.19.) Titulum ſcripſit malitia, vt coloraret cauſam, vtque decoloraret nobiliſſimam innocentiam: adſtabat pientiſſima mater filium doloribus diſcruciatum intuita, & cæleſti prorſus fortitudine immota. Quid tunc? Vt caput verſus matrem inclinet, à regio titulo tantiſper ſeparat: *Inclinato capite tradidit ſpiritum.* Plura ex hac inclinatione ſacri Patres, & ingenioſiſſimi interpretes venantur arcana. Alij aſſerunt patientiam non recuſaſſe cruciatuum ærumnam; humilitatem verò tituli repuliſſe gloriam: quaſi durius fuerit humili honoribus coronari, lenius forti doloribus adurgeri. Centurio eo tempore plus homine in Chriſto latere cognouit, excitiſque vocibus prædicauit: *Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerant valde dicentes: Verè filius Dei erat iſte.* (Matth 27. v.54.) Non ſolùm inſolitus terræmotus; ſed etiam alia, quæ fiebant, Centurionem in hanc cogitationem impulerunt, ex quibus meo videri validiſſimum fuit argumentum caput inclinaſſe, & à titulo regio auertiſſe. Iam ſi quæras quid hæc inclinatio inuenit? Reſpondebit Arnoldus ad illa verba: *Mulier ecce filius tuus*; pietatem erga matrem oſtendiſſe; adeóque ſuprà hominem eſt regalem titulum fugere, & pietati inſeruire, vt centurio Deum ex hac inclinatione cognouerit, & prodiderit: *Filius* (verba ſunt Arnoldi) *ad pectus matris & vbera reſpiciebat.* (Arnold.) Itaque dum Centurio videt regiam dignitatem capitis inclinatione quodammodo fugere, vt erga matrem clariùs pietatem oſtenderet, deprædicauit, & nouit Deum. Et quis hominum à regio titulo caput auerteret, vt parentibus inclinaret? Diuinitatis fuit argumentum caput à titulo ſeparare, & erga matrem affectum pientiſſimum prodere: *Quia inclinauit caput, tunc expirauit*, ſcribit Chryſoſtom. apud D. Thomam, (Chryſoſt.) *per quæ omnia indicauit Euangeliſta, quoniam omnium Dominus ipſe erat.* Nobiliter adeò hæc actio ab hominum degenerauit actionibus, vt pietatis erga matrem officium eſſet diuinitatis clariſſimum argumentum.

Expende, ſi placet, Moyſem claris, Solaréſque vincentibus radiis non fulguraſſe, quouſque Domini furorem repreſſit: cùm ab ouibus oculos auertiſſet, virgam geſtabat, qua elementis imperaret: amnis vndas in cruorem vertebat, ranarum in ſurdiſſimam duritiem producebat agmina, intempeſtiuas tenebras aeri expandebat, denique omnes naturæ leges ad iuſtorum auxilium laudabiliter violabat, vt aliquando potentia auxiliaretur iuſtitiæ, ſi toties refragatur; verùm cùm tot tantáque peregiſſet, & marinos vortices aduerſus duritiem duraſſet, fulgoribus non reſplenduit, cùm è monte deſcendens fulgentiſſimis radiis micaret; & iam non ſolùm inuidos; ſed & beneuolos oculos feriret: *Ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.* (Exod 34. v.29.) Et cur modò auguſtiorem humana faciem oſtendat, ſi tot olim mira patrans luminibus non fulgurabat. Innuit textus: auguſtior illi promittitur dignitas, ſi Numinis non obſtiterit iræ, quominùs populi puniretur peruerſitas: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam.* (Exod.32. v.10.) Ad auguſtiora dignitatis culmina vocatus, populum diſpendio dignitatis defendit pius: *Cur Domine iraſcitur furor tuus?* Humanitatis ſuis ſoluit tributum, nec ambit dignitatis excelſum: pietatis officium exercet expromptus, augendíque dignitatem oblitus. Quod adeò ſuprà hominum conſuetudinem eſt, vt cælorum incolas claritate retulerit, & humanam quodammodo naturam exuerit: prodigioſa charitate æſtuabat, cùm, vt pietati inſeruiret, dignitatum culmina reſpuebat. Magnus quidem proditur Moyſes marinos æſtus frænans, ac naturæ leges immutans; verùm maior lucis teſtimonio charitas eius probatur, cùm ambitionis immemor pietati obſequitur. Innuit Abulenſis quæſt.25. *Erat Deus reconciliatus populo precibus Moyſi, vt patet in iſto capitulo & præcedenti, & Deuteronomij nono capitulo: ergo in ſecunda vice dare debuit hunc honorem, vt faceret Principem eorum radijs refulgentem.* (Abulenſ.) Moyſes auguſtiorem Principatum reſpuit, vt erga populum pietatis exhiberet officium; ideò populi ſui radiis auguſtiſſimis humanam vincens formam proſecutus eſt Principatum. Fauet Bernardus ſerm.30. in Cantica: *Moyſi quidem oblatum* (Bernard.)

est à Deo, si prauaricatorem populum vellet dimittere, & diuina exponere vltioni, ipsum quidem fieri posse in gentem magnam; sed ille renuit. Quare? Ob nimiam profectò dilectionem, quâ illi fortiter deuinctus populo tenebatur, & quoniam non requirebat, quæ sua sunt. Adstipulatur Chrysostomus apud Lippoman. Chrysost. *Moyses cùm à Iudæorum ingratitudine liberari posset, & alterius gentis potiorem, longéque maiorem accipere Principatum, cùm sanctus & Dei seruus esset intimus, ne audire quidem id sustinuit.* Cùm elementa mutat, Pharaonis habetur Deus, cùm pietati obsequitur, ambitionique refragatur, nimia charitate refulget, & interna cordis flamma faciei euaporatur in gloria: amicus Dei probatur intimus, si olim hominis erat Deus. *Id ex lucerna apud te accensa*, scribit Lippomanus, Lippoman. *facilè deprehendere potes: rutilans enim ex ea flamma in modum cornu sese exerit.* Ex charitatis flamma nitor ille ortus facie promicabat, & solares radios vincebat: in regem hominem potuit virgâ obarmatus, in ipsum Deum gratam vim exercuit pietatis tributarius, & ambitionis oblitus.

FINIS.



INDEX

INDEX

Locorum S. Scripturæ, quæ in hoc secundo Tomo explanantur.

C,caput indicat, illiusq; ordinem primus numerus; secundus numeros eius capitis marginales.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Genesi.

21 Fecit

25 22 Colli

ctatium : Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, &c. c.15.n.197.c.17.n.15.& 50
2 *Animaduertit faciem Laban, quod non esset erga se sicut heri, & nudiustertius, maximè dicente sibi Domino*, &c. c.14.n.98.cap.15. n.161.& 197
3 *Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam.* c.19.n.149
11 *Dixit Angelus Dei ad me in somnis*, &c. c.16.n.16
12 *Leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascendentes super fœminas, varios, maculosos, atque respersos*, &c. c.14.n.168.c.17.n.15
19 *Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata est idola patris sui.* c.15. n.115.c.16.n.19.c.17.n.50
22 *Nuntiatum est Laban de tertio quod fugeret Iacob.* c.17.n.50
30 *Cur furatus es Deos meos.* c.14.n.116
32 *Apud quemcumque inueneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* c.18.n.23
34 *Illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper, scrutantique omne tentorium, & nihil inuenienti ait*, &c. c.14.n.198
38 *Viginti annis fui tecum. Oues tuæ & capræ steriles non fuerunt: arietes gregis tui comedi, nec captum à bestia ostendi tibi*, &c. c.14.n.116.c.17.n.15.c.19.n.141
40 *Die noctúque æstu vrebar & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis*, &c. c.14. n.98.c.18. n.45.c.19.n.111.c.20.n.48.c.23.n.70
41 *Immutasti mercedem meam decem vicibus.* c.14.n.133
45 *Tulit Iacob lapidem, & erexit illum in titulum, dixitque fratribus suis: Afferte lapides*, &c. c.17.n.60
32 9 *Cur quæris nomen meum.* c.14.n.103
10 *In baculo meo transiui Iordanem.* cap.13. num.169
24 *Ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* c.14. n.175
25 *Tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit.* c.15.n.136.c.22.n.88 c.23.n.12
26 *Dimitte me: iam enim ascendit aurora.* c.13. n.239.c.15.n.121.& 134.c.23.n.26
28 *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum; sed Israel.* c.14.n.196
29 *Benedixit ei in eodem loco.* c.14.n.175.c.15. num.136
30 *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* c.16.n.16
31 *Ipse claudicabat pede.* c.15.n.136.& 185
34 24 *Assensi sunt omnes circumcisis cunctis maribus.* c.16.n.79
35 1 *Surge & ascende Bethel, & habita ibi, fácque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau.* c.14.n.98.c.23.n.76.c.24.n.178
2 *Iacob conuocata omni domo sua ait: Abijcite deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini*, &c. c.18.num.23.& c.21.n.70. c.24.n.178
4 *Dederunt ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum*, &c. c.21.n.70
37 2 *Accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo.* c.17.n.76
7 *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrósque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* c.15.n.157.cap.17.n.36. c.14.n.76
9 *Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me.* c.15.n.27.c.24. n.76
10 *Ecce somniator venit, venite occidamus eum.* c.15.n.183
23 *Confestim vt peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari & polymita.* c.15. num.157
31 *Tulerunt tunicam eius, & in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt.* c.15.n.183
38 17 *Mittam tibi hœdum de gregibus.* c.13. n.117
20 *Misit Iudas hœdum per pastorem suum Odollamitem.* c.14.n.132
24 *Producite eam vt comburatur.* c.13.n.117
27 *In ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum dicens: Iste egredietur prior*, &c. c.14.n.142. & 163.& 171. c.17.n.14.c.18.n.79
28 *Illo verò retrahente manum egressus est alter.* c.13.n.227.c.18.n.63.& 79
39 8 *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua*, &c. *Quomodo ergo possum hoc malũ facere.* c.24.n.172
40 1 *Accidit, vt peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, & pistor Domino suo.* c.17. n.71.& c.21.n.72
2 *Iratus contra eos Pharao, misit eos in carcerem Principis militum.* c.17.n.71
10 *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere*, &c. c.13.n.27. c.18.n.93.& 128.c.20.n.44
11 *Calicémque Pharaonis in manu mea: tuli ergo vuas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.* c.16. n.25. & c.21.n.89
12 *Hæc est interpretatio somnij; tres propagines tres adhuc dies sunt.* c.15.n.157
13 *Recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradũ pristinum.* c.15.n.157.c.20.n.44
14 *Memento mei cùm benè tibi fuerit, & facies mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni*, &c. c.24.n.97
16 *Vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsius*, &c. c.13.n.27.c 15.n.31. c.16. n.25. & 33.c.18.n.85.93.& 102 c.19. n.115.c.20.n.44.c.21.n.89.c.23.n.87
19 *Auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce.* c.13.n.27.c.19.n.115.c.20.n.44
41 1 *Post duos annos vidit Pharao somnium*, &c. c.20.n.97
41 *Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti: tulitque annulum in manu sua, & dedit eum in manu eius*, &c. c.19.n.132
45 *Dedit illi vxorem Aseneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos.* c.15.n.99
54 *In vniuerso orbe fames inualuit; in cuncta autem terra Ægypti panis erat*, &c. c.18.n.117
44 1 *Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere, & pone pecuniam singulorum in summitate sacci; scyphum autem meum argenteum*, &c. c.17.n.13
16 *Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum: En omnes serui sumus Domini mei.* c.14. num.43
17 *Absit à me, vt hoc agam: qui furatus est scyphum, ipse sit seruus meus*, &c. c.14.n.43

Ex Exodo.

17 *Virgam*

Ex Leuitico.

Ex Numeris.

Ex Deuteronomio.

Ex Iosue.

Ex libro Iudicum.

4 15 *Perter*

Ex Ruth.

Ex 1. Regum.

40 Deposuit

Ex 2. Regum.

Ex 3. Regum.

Ex 4. Regum.

Ex 1. Paralipomenon.

Ex 2. Paralipomenon.

Ex Tobia.

Ex Iudith.

Ex Esther.

Ex Iob.

Ex Psalmis.

Ex Prouerbiis.

Ex Ecclesiaste.

Ex Canticis Canticorum.

Ex Sapientia.

Ex Ecclesiastico.

Ex Isaia.

Ex Ieremia.

Ex Threnis.

Ex Ezechiele.

Ex Daniele.

Ex Osea.

Ex Iona.

Ex Habacuc.

Ex Aggæo.

Ex Zacharia.

Ex Malachia.

Ex 1. Machabæorum.

Ex 2 Machabæorum.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cap.1. v.1 LIBER generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.cap.15.n.43. c.24.n.27

16 De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. c.17.n.19

2 1 Cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam, &c. c.18.n.54.c.19. n.57.c.23.n.68

2 Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, &c. c.14.n.86. & 192.c.15. n.125.c.16.n.65.c.18.num.20. & 113.c.19.n.57.c.20.n.8.37. & 58.cap.22. n.22.c.24.n.121

3 Audiens autem Herodes rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. c.23.n.68

6 Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. c.22.n.36

8 Ite, & interrogate diligenter de puero. cap.14. n.86.c.18.n.10

11 Procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham, & responso accepto in somnis, &c. c.13.n.136.c.22.n.22

13 Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum. c.23.n.78

14 Accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum. c.24.n.181

3 16 Vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se, & ecce vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus, &c. c.15.n.66.c.18.n.125

4 2 Cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esuriit. cap.13. num.42

3 Accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. c.113.n.42. c.17.n.105.c.19. n.97. & 134.c.23.n.23.33. & 94

6 Mitte te deorsum. c.19.n.97

8 Assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. c.18.n.139

9 Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. c.13. n.67

22 Relictis retibus, & patre secuti sunt eum. c.14.n.19

5 13 Vos estis sal terræ... vos estis lux mundi. c.23. num.95

6 9 Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cælis sanctificetur nomen tuum. cap. 14. num.103

7 24 Ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, &c. c.13.n.182

8 9 Ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade & vadit, & alij, veni, & venit. cap.22 num.20

25 Accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum dicentes: Domine salua nos perimus: & dicit eis Iesus. Quid timidi estis modicæ fidei. cap.17. num.75

29 Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos.c.13.n.43.cap.15. n.108. c.23.n.81

31 Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si eycis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. c.15.n.109

9 9 Cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. cap.13. n.146. cap.24. num.16

10 16 Estote prudentes sicuti serpentes. cap.15. num.182

11 2 Ioannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? c.16.n.70

11 Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. c.24.n.79

13 43 Fulgebunt iusti sicut Sol. c.13.n.58

47 Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, &c. c.24.n.10

14 4 Dicebat illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. c.13 n.108

6 Die natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi, vnde cum iuramento pollicitus est, &c. c.14.n.133

8 Da mihi hic in disco caput Ioannis Baptistæ. c.14.n.133

9 Propter iuramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, iussit dari. c.14.n.134

19 Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus aspiciens in cælum benedixit & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.c.18.n.116.c. 19.n.148

22 Statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, &c. cap.18.n.148. cap.19. n.148.c.24. num.113

25 Quarta vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare. c.14.n.27.c.15.n 82

26 Videntes eum super mare ambulantem turbati sunt dicentes, quia phantasma est, & præ timore clamauerunt. cap.22. num.65. & 78

27 Habete fiduciam: ego sum, nolite timere.c.15. n.22.c.22.n.65

28 Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas, &c. c.16. n.47.c.22.n.65

29 Descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. cap.13. n.82.& 159.c.14. n.27.c.15.n.82.c.22.n.47. 61.& 77

30 Videns verò ventum validum timuit; & cùm cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac. c.16.n.47. c.15.n.190

15 14 Cæci sunt, & duces cæcorum. cap.17. n.98

21 Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei, &c. cap.17. n.113. cap.14.n.53.c.15. num.149.cap.24.num.59 & 88

22 Non respondit ei verbum. cap.14. n.53. c.21. num.94

28 O mulier magna est fides tua. cap.15. numer.149

Ex Marco.

Ex

Index locorum

Ex Luca.

50 Baptismo

51 Cum

34 *Vnus*

Ex Actis Apostolorum.

Ex Epistola ad Romanos.

Ex prima ad Corinthios.

Ex secunda ad Corinthios.

Index locorum

7 Factum

INDEX

Rerum, & Verborum, quæ in hoc ſecundo in Ioſue Commentariorum Tomo continentur.

C, caput indicat, eiusq; ordinem primus numerus; ſecundus, qui, n, litteræ adiunctus, numerum eiuſdem capitis marginalem, p. paginam.

Afflictus.

Regalia

Cupi

Quod

Si

E

Ecclesia.

Imbe

quæ

Ami-

Oratio

Proxi

Satis

Suggeftum.

Veritate

Vitiis.

FINIS.